Habeas Corpus ad Subdiv. Dr. Pedro de Quiroga

Para Causa Colegio Concepcion de [illegible]

Este Thesmo esdo D. Dn. del Valle auiendo comprado
Junto con los otros quatro del Mismo Juego auiendo
costado todo el Juego Cinco Pesos de Hocho de Plata y los
Compro en dha 12 de Xbre Año de 1732

Esdo de D. Manuel del
Valle

Gst. 29
And.
Vol. L.

TRACTATUS THEOLOGICI

IUXTA D. THOMÆ, ET CURSUS SALMANTICENSIS

FF. DISCALCEATORUM B. MARIÆ DE MONTE CARMELI PRIMITIVÆ OBSERVANTIÆ DOCTRINAM.

TOMUS PRIMUS.

QUINQUE COMPLECTENS TRACTATUS.

QUORUM
I. De Deo, & eius Attributis.
II. De Visione Dei.
III. De Scientia Dei.
IV. De Voluntate Dei.
V. De Prædestinatione.

PER R. A. P. N. F. PAULUM A CONCEPTIONE,
Sacræ Theolog. Lectorem Primarium, & eiusdem Ordinis Generalem.

SECUNDA EDITIO.



Anno 1726.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

MATRITI: Ex OFFICINA REGIA, apud Iosephum Rodriguez de Escobar, Sanctæ Cruciatæ, & Hispanicæ Academiæ Typographum.

TRACTATUS
THEOLOGICI
IUXTA D. THOMÆ
FR. DISCALCEATORUM
PRIMITIVÆ OBSERVANTIÆ
TOMUS PRIMUS.



FOELICISSIMO COELORUM OPIFICIS

AVO.

SUPERUM IMPERATRICIS, HOMINUMQUE REGINÆ INCLYTO

PATRI.

CASTISSIMÆ ANNÆ NUPTARUM HONORIS AMANTISSIMO

CONIUGI.

PROPHETARUM OMNIUM, PATRIARCHARUMQUE DIGNISSIMO

PRIMATI.

TRIPLICIS ANGELORUM HIERARCHIÆ MERITISSIMO

PRÆSIDI.

OMNIUM SANCTORUM LUCULENTISSIMO

IUBARI.

IUSTITIÆ OMNIS, PIETATISQUE FULGENTISSIMÆ

FACI.

SPLENDENTI VIRTUTUM OMNIUM RADIJS VNDIQUE

SOLI.

COELI, TERRÆQUE PRINCIPIBUS

NOBILIORI.

BEATISSIMÆ EXCELSISSIMÆ TRIADOS ARCANORUM

OCCEANO.

IMMENSO SIMUL SUPERQUE

GRANDI.

IOACHIM SANCTISSIMO,

CUIUS ORIGO REGIA, CUIUS PROPAGO DIVINA,

EX TE NAMQUE SANTISSIME PATRIARCHA IOACHIM

VIRGO MATER GENITA, DAVIDICA PROLES,

S. O. A. C. D.

MAIESTATIS TUÆ, ETSI INDIGNUS, ADDICTISSIMUS

CLIENS

IN AUXILIUM LIBRI, ET AUCTHORIS

FR. PAULUS A CONCEPTIONE.

DUM his meis qualiſcunque laboris fructibus theologicis Patronum, & Mecœnatem eligere curo (O Sanctiſsime Ioachim huius ſub tuo myſtico numine, & nomine Navarræ, Burgenſis, Cantabrięque Excalceatorum Carmelitarum novæ Provinciæ Patrone nove) ſtatim mihi venerunt in mentem præclara verba Ruperti lib. 3. in Ioannem in lim. *Qui magno feruntur pelago, pavidi nautæ placidam auram imprecati fixa Cœlo ſidera reſpiciunt, terra amiſſa tenent Cœlum, ſedenteſque ad clavum ſideribus currunt, errantia verò ſidera ſequi fugiunt.* Cùm ergo timore perfuſus in hoc mundi procelloſum mare hoc opus de tota ſacra Theologia prælo

dandum committere paro, non vt Lycurgus Appollini, Minos Iovi, Numa Ægeriæ, Minervæ Vliſſes:

Rodig. *lib. de Cer. Gent.*

Palladi Cecropidę præfortis Cretæ Dianæ.
Romulidæ Marti, Tyrſigero Syria.

Ethnici cæcitate mentis illuſi, tetra caligine oppleti, Cœlicoque lumine caſsi, vti Dijs marmorea, vel lignea ementiti ſimulacra dicarunt. Neque vt Anſonij, qui Iano (teſte Auguſtino) tanquam initia conferenti rerum primitias litabant. Neque vt ſeptem Græciæ ſapientes (vt refert Plato) facto Concilio de communi conſenſu Delphici Appollinis templo primitias Sapientiæ offerebant. Sed vt veræ fidei aculeo ſtimulatus non ſidera errantia, non (inquam) huius ſæculi Dynaſtas, ac Principes, ſed *terra amiſſa, te Cœlum teneo* (Sic enim te appellat S. Vicentius Ferrarius: *B. Ioachim dicitur Cœlum*, ob fixam ſtellam, ſcilicet tuam inclytam filiam) *Te Cœlum aſpicio.* Quo enim ad clavum ſedendo, pro huius Opellę dedicatione, poſſem, nedum dico deberem, me vertere, niſi ad te (huius almæ Provinciæ Patrone Sanctiſsime) qui Cœlum, qui ſidus fixum es. Tibi ergo Cœlicolæ inter Cœlites tum generis, nominis, atque virtutum, tum coniugij, & propaginis ſplendore valde præſtanti obſequiolum iſtud ex noſtra ſtudiorum fruge in nova hac Carmelitarum Excalceatorum Provincia apud Vaſcones, auſpicante tuo nomini ſacra, veluti præcones primitias dico, quarum te Vrbis Hieruſalem triumphantis ſacrum civem vllo alio ſublimiorem Meccenatem apprimè deligo, quarum te denique invidorum multiplex in caput Herculem plus divinum imploro.

Invidiæ vitium eſt rebus commune ſecundis:
O dirum exitium mortalibus! O nihil vnquam
Creſcere, nec magnas patiens exurgere laudes.

Enimverò tibi dico, te deligo, teque imploro quinque rationibus ductus. Prima ſcilicet generis ſplendore: Ex Sanctis quippe, ac Vrbis Nazareth Proceres inter omnes à nobiliſsimis Parentibus de tribu Iuda regali diademate redimita felix collegiſti natale.

Galat. *lib. 7. cap. 8.*

Illius eſt ſoboles, tortequi verbere funde
Præcipitem immani deiecit mole Goliam,
Cuius & invictus caput enſe cecidit arena.
Ieſsiades, quo non Regum preſtantior alter.

Secunda nominis ſplendore: Quia non ſine fauſto omine *Ioachim* appellaris, hoc eſt, *Deus exaltavit*, quod nomen myſterioſi poſt eventus huius expoſitionis in veritatem ſunt teſtificati. Æternus quoniam Pater filiam ſibi tuam exoptavit: eam ex cunctis ſelectiſsimis puellis admodum ſpecioſam Verbum Divinum Matrem pręparavit: necnon Spiritus-ſanctus Virginibus ſponſam præ cæteris gratiorem adamavit. Poteſtne quiſquam vlterius exaltari Parens? Aliave celſitudine decorari? Non capio, nec ſapientiſsimus quivis profectò capiet. Nam ſi decus, honos, & ornamentum filiorum refluit in Patres, quamnam filiam his ſtemmatibus Cœlipotens extulit, & honoravit? Nullam ſane præter tibi genitam. Ergo meritò prælago nomine *Ioachim* vocitaris, & qualis in filia, & ex fructu agnoſceris Parens: atque tibi lubenti animo canet:

Illius eſt genitor, quæ triplo tempore Virgo eſt,
Principis vmbroſi minitans, quæ tartara terret,
Quæ decus eſt ſuperum, terrarum gloria maior,
Quam penes Imperium eſt Cœli, terręque, mariſque.

Tertia virtutum ſplendore: Siquidem tanquam arbor ſecus decurſus aquarum primæ ab origine mentis vſque ad illius fructus ſuperni tempus, quem ad mortalium ſolamen generaſti, tot diſcrimina perpeſſus, cuncta ſubigendo cœleſti munimine fultus virtutum pertigiſti apicem.

Arbor eras Ioachim virtutum prædita ramis,
Teque ferens fructu culmen ad vſque poli:
Nullus te valuit mordacis findere linguæ
Fulmine, quin potius florida ſemper ades.

Quarta coniugij ſplendore: quod à Virgo Ieſſe, de Davidiſque domo, ſanguine regio, facie formoſa, præſtanti corpore, omnimoda virtute: opibuſque præventam fœminam talem, qualem indicat *Anna*, id eſt gratia (conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis) tecum nuptiali vinculo colligaſti, ac vterque coniux amore

caſto

caſto converſus in vnum Deiparam, ſuperumque Reginam genuiſtis. Quorum in honorem Damaſcenus vocem admirando diſrupit: *O beatum par Ioachim, & Anna!* Et alius:

Anna nitens Regum Iudæ veneranda propago,
Atque etiam Ioachim coniuge clara pio
Donaſti filiam, cuius, quem non capit orbis,
Ipſe libens ſubijt viſcera caſta Deus.

Quinta demum propaginis ſplendore: Quia quamvis nullum regiæ nobilitatis ad te recto tramite pertinentis faſtigium attigiſſes, ex filia tantùm nobilis, omnique plauſu inter homines inſignis remaneres, quoniam cum Mariæ Pater eſſes effectus, natura ipſa eras Patritius.

Conſpicuum temet præſtant benefacta tuorum
Omnibus, at nata nobilitate prees:
Magna quidem meritis, Atavorum diſcere quiſnam
Deſinet? At proles nobiliora facit.
Virginis eximiæ genitor plauderis in ævum,
Quem laus illuſtrem multiplicata patrat.
Stelligeros Avus eſt Regis, qui condidit orbes,
Et patriarchalis gloria prima chori.

Quibus ſanè rationibus maturè perpenſis, iure optimo neminem præter te Patronum aſciſco. Nec diſcordat materia, vt obſequiolum iſtud gratum tibi eat: Quid enim gratius ei, qui tantam præparavit materiam ad divina myſteria contemplanda, quàm de ipſis divinis myſterijs, & attributis diſſertatio? Bene enim de te D. Epiphanius decantat: *Ioachim enim interpretatur preparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum ſit templum Domini, nempe Virgo.* Nec obliviſcor Pompelonenſis Conventus noſtri, Capitis huius novæ Provinciæ, non minùs propter obſervantiam rigidam, quam profitetur, quàm propter antiquitatem qua præ cæteris pollet, cuius Tu cum caſtiſsima Coniuge tua Tutelaris es, & Patronus, in quoque ego, favente divina gratia, tyrocinium poſui. Meritò igitur hoc Opus tibi ſuplex dico, lubens devoveo: Tibi, inquam, vni fido, & tanti Tutori, curiæque Cœleſtis Primicerio munuſculum hoc lætabundus offero, ac ſacris aris appendo. Ne illud deſpicias, mi IOACHIM, exoro; ſed vti Xerxes parva licèt antidora ſuſcipe; cùm in gratitudinis armario affectus debeat potiùs penſari, quàm cenſus: & apud ſacrum ærarium plus aliquando valent minuta, quàm pretioſa talenta. Mihique Solis æterni ſcintillam aſſequere, vt eius fulgore mente illuſtrata, perenne lumen aſpiciam, & in eius periucundo ſolario requieſcam. Fove, & fave.

INCLYTO HEROI.

NObiliſsimo genere, & auſpicio nato.
Suaviſsimo Deiparæ nominis lacte
Nutrito.
Ab incunabulis
Prudentia, & ſcientia prædito.
Humilitate ſapientiam ſilenti,
Emerito militi.
Sub Guzmanorum vexillo carne, & ſanguine
Triumphanti.
Ferventiſsima contemplatione
Fluenta ſapientiæ
Hauriendi.
Chriſti vulneribus
Studenti.
Scribenti
Spiritu-ſancto dictante.
Cuncta de Chriſto dicenti ipſo ex cathedra
Crucis approbante.

Me

Methodi ſacræ Theologiæ Protodoctori Angelico;
Novum teſtamentum ſplendeſcenti Syderi.
Ænigmati fidei, eiuſque lucidiſsimo
Speculo. Eccleſiæ firmamento.
Firmiſsimæ columnæ, ſoli
Soli lucis gyranti radios.
Gentilium, Hæreticorum, Iudæorumque
Incudi, & malleo fregenti, & ſcindenti vires.
Tubæ Joſue, cuius ſonitu errorum aggeres demoliuntur;
Normæ catholicæ fidei, à qua deviantes ſunt defide
Suſpecti.
Euchariſtici Doctoris laurea inſignito
Actuanti,
Ieſu Crucifixo aſtante pro Moderatore,
Et Præſidente.
Petri, & Pauli Auditori.
Illius, firmiſsimæ Petræ, iſtius
Electiſsimo Vaſi.
Sanctorum quatuor Doctorum
Diſcipulo & Illuſtratori clariſsimo.
Vniverſalis Eccleſiæ catholicæ Iubari ſplendidiſsimo;
Veſperi in Foſſa nova ad occaſum lucis
Syderibus pro pulvere vallato.
Illi quidem,
Cui, vt Sanctorum adiſcriberetur cathalogo,
Pro miraculis articula adſunt.
Vtque in Synodis articula nova fateantur,
Sua ſcripta miracula ſunt articulorum.
Huic equidem
Omni peritia virtutem omnem
Maritanti:
Angelicam puritatem, Evangelicam paupertatem,
ſcientiam Cherubicam, Seraphicum amorem,
melius, inquam, *Thomam*, optime vnico verbo
melius dixi: Tibi S.O.D.C. mei ingenioli
interpres Opus.

NAM quò tenderet filius, niſi ad Patrem, vnde exivit? Quò rivulus flueret, niſi vnde evaſit? Dum enim in ſuo origine ſcaturiunt lymphæ, veloci agitantur progreſſu, vt iterum redeant in alveum. Si vt currant, exurgunt, ad ortum properant, & vectigal ſuæ nativitatis exolvunt, vt claritatem ſuæ naturæ, dulcedinemque ſuæ claritatis alveolus & diſcernat, & probet. Itaque Thomiſtici fontis ſcaturigines fuere Complutenſis, & Salmanticenſis Curſus; & vt ſuo origini cenſum ſolverent, & finem iam ſuo curſui peragerent, omnes ſe ſui Magiſtri dicaverunt aris, voverunt cultui; ſed inde aqua pullulans iterum ſe ſuo principio devolvit, vt ſi per breviores meatus decurrens, purior evadat, origo diſcernat. Nec enim fàs foret non ipſi offerri, quod alterius non eſt. Eſt enim aqua eadem, ſed minori concha deprompta. Cuidam ſimulacro Nili (narrat Giraldus) ſacrarunt Ægyptij iſtius nominis flumen, è cuius emergentibus vndis pateram repletam Idolo immolabant; cui enim fluctus devoverant, ipſe exactum craterem exigebat.

Lili Girald. Hiſtor Deor. *ſyntagma 6. pagin. mihi 191.*

Aut quo ſe gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis paſtoribus Apis.

Stat. Vid. Giraldum *ibi paulò infer.*

Legit ſtatius. Igitur cùm iam Thereſianus fons vniverſam decurrerit irrigando Thomiſticam aream, cuncta ſe ſuo Magiſtro dicavit, & vt Thomiſtici ponti gurgites ipſius vnice haurit aquas, velut de Nilo dixit Maiolus: *Ipſe ſolus ſuis ſe implet aquis vnicum excipiens fluvium*: Cuiuſque vas hoc à ſuo Lari exigitum ſuo Numini immolatur; ſuis enim non poterat abſtrahi aris, quod de ſuis hoſtijs eſt ademptum. Præcepit Dominus in Levitico, plumas, roſtraque avium immolatarum iuxta altare deponi: *prope altare*. Nec enim conſentaneum

Maiol. Dier. Canic. *tom. 1. col. 10 q. 11. de Fluvijs pagin. mihi 396.*

fuiſ-

fuiſſet de altari avelli, quod erat de holocaũſto avulſum. Projiciebantur itaque *ad orientalem plagam in loco, in quo cineres effundi ſolent.* Decebat namque (ait Abulenſ.) *cineres intra atrium ſervari, quia de rebus ſacris reſoluti erant; & ſicut ipſæ carnes ſacræ erant, & cineres reſoluti ab ipſis erant ſacrati.* Toſt. in Levi cap. 1. q. 26.

Quæ igitur libertas mihi erit, & calamos non immolandi, & reſolutam Salmanticenſium victimam Mecœnati ſuo arripiendi? Nulla quidem: Reddimus ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Suapte namque natura volitat ad aras Solis, quidquid ſuis pollet radijs, calet fulgoribus: De Phœnice fabulatur Prophanus: Ovid. Methan. lib. 15. v. 405.

Fertque pius, cunaſque ſuas, patriumque ſepulchrum,
Perque leves aureas Hyperionis vrbe petitas
Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.

Suo in nidulo micantia lumina ſentit, & ardentes pertulit flammas: eſtque genitoris ara, genitique cuna: ibi Phœnix & lac ſugit, & ſpicula ſubeſt, Phœbus vtrunque defert. Iure igitur lectulum, & lætum phœnica avis in holocauſtomata Solis deferat, in quo ex ſui hoſtia renaſcitur. Figmentum quidem, ſed ſub illo claritas lucet. Thomiſtico quidem nectare alitur, nutriturque Thereſiana iuventus, Phœboque ſuo roridam libat ambroſiam, principium ſapientiæ, & ſcientiæ ſcopum. Angelicam doctrinam noviſsime in viridario Salmanticenſi recipit; ibique vrens victima aquam in Thomiſtico aquæductu lambit. Ex huiuſque incendio Carmeli canities florida renaſcens, proprio floſculos horto decerptos æde, & aris Solis Eccleſiæ reponit. In his itaque conavi anxie, laborioſeque curavi, vt quidquid continent, renideant eius doctrinæ, cunctaque aſſonent ſenſui, conſonent dictamini.

Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem, quo te imitari aveo, vt cecinit Lucretius. Et ſi (vt dixit Plutarchus) *Alexander Lyſippum vnum ſtatuam ſibi fingere voluit: ſolus enim videbatur affectus eius are exprimere, Alexandrique virtutem cum lineamentis referre*: non minùs in his Theologiæ chartis Thomæ affectus affectuosè exprimere volui: nollem quidem in apice à ſua declinare intentione, deviare ſenſu, ſed omninò conformari affectus. Verùm ſi (vt ipſe ais mi Magiſter Angelice) *in recompenſatione beneficij magis eſt conſiderandus affectus, quàm effectus*: huius quidem Operis (vtpotè mei) effectus minimus, ſed affectus maximus; erit itaque Opus hoc iam retributionis ſplendore clareſcens, dum pro ſale tuæ doctrinæ, quo conditur, ſe totum tibi plena voluntate committit. Eò vel maxime, vt cum Ovid. dicam: Lucret. Carì de Rerum nat. l. 3. v. 5. Plutar. l. 2. de Fort. aut virt Alex. 2. 2. q. 106 art. 6. ad 1. ibi.

Semper inoblita repetam tua munera mente.
Et mea me tellus audiet eſſe tuum.

Id enim Opuſculum extollet, quod ſe tibi reddit. Aurum littorum Phiſon, ait Scriptura, eſſe optimum: *Aurum terræ illius optimum eſt.* Phiſon enim (dicit Ambroſ.) interpretatur *oris commutatio*; quaſi ora volvens nativo origini, vt exolvat aurum pro aquis, gemmas pro vndis. Sit itaque excellentiſsimum aurum, quod vt cenſus ſolvitur, & ſuo principio redditur: *Aurum terræ illius optimum eſt*: Omnia quidem de tuo theſauro protuli, vt pretioſiora ſint tibi, conſecro, reddo, volvo, & dico. Fave, vt foveas. Geneſ. 2: Ambroſ. ibi.

Tuus minimus addictiſsimus Diſcipulus

Fr. Paulus à Conceptione.

J. M. J.

LICENTIA REVER. PATR. GENERALIS ORDINIS *Discalceatorum B. M. V. de Monte Carmelo.*

FR. Sebastianus à Conceptione, Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Primitivæ Observantię. De consensu nostri Diffinitorij generalis, vt Cursus Theologicus quatuor tomis distributus, cuius titulus est: *Theologia Salmantina*, à P. Fr. Paulo à Conceptione suis elucubrationibus accuratè elaboratus, & à gravioribus, doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, & examinandum commisimus) recognitus, & approbatus, typis mandetur, & vt in lucem prodeat, obtentis facultatibus necessarijs, tenore præsentium licentiam concedimus. Data in nostro Collegio Burgensi die decimaquinta Septembris anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo primo.

Fr. Sebastianus à Conceptione,

Generalis.

Fr. Petrus à Sancto Bernardo,

Secretarius.

CENSURA REVERENDISS. P. M. PETRI DE QUINTANA

ex Sacra Clericorum Minorum Familia, Lectoris Iubilati, Archiepiscopatus Toletani Examinatoris Synodalis, Supremi Senatus fidei ex munere Censoris, Provinciæ vtriusque Castellæ olim Præsulis; nunc verò Assistentis Provincialis &c.

QUatuor mihi diù desiderata volumina commissa fuerunt perlustranda à D. D. Christophoro Damasio Inquisitoris munere decorato, necnon huius regalis Matriti Curiæ dignissimo Vicario. Et protinùs illa vidi, cùm sub vmbra illius, quem desideraveram, sedi. Sunt etenim Sapientissimi Magistri, atque admodùm R. P. Fr. Pauli à Conceptione è florido, atque Reformato, immò tanto Doctore coronato Carmelo; omnimodè semper omnibus illustrissimo, mihique venerando, ac charissimo semper; & Monte Eliano illius doctrina feliciter sublimato, & Doctore Sapientissimo in vertice Montis meritissimè evecto. Evecto quidem olim ad munus Diffinitoris Generalis totius Carmelitarum excalceatæ Familiæ. Olim meritissimo in celebri Burgensi Collegio eiusdem ordinis sacræ Theologiæ primario Lectore; Tubelę Conventus, necnon & nunc Oxomensis Collegij almæ Provinciæ S. Ioachim, quam *Navarrę* vocant, dignissimo Priori; ipsiusque Episcopatus Synodali Examinatore.

Quæ quidem sæpè, & accuratè legi: & sæpius, fateor, lubens perlegam. Tali namque, tamque mira vbertate ingenij gravidatur, tanta fœcundatur sapientia, subtilium rationum copia exuberat, & conceptuum varietate repletur, vt quamvis continua exenteratione emedulletur, prorsùs tantus Magister inexhauribilis videatur: immò perenni germine, vt de ramis aureis cecinit Poëta, vno avulso non deficit alter. Omnes in illo Patres loquuntur, & ore omnium ille loquitur; fœlici genio, ingenio mirabili, dispositione rara ad sui lectionem omnes allicit, & attrahit.

Dudùm iam illum avidiùs concupivi, & propterea *sub illius vmbra, quem desideraveram, sedi.* (1) *Fructus enim illius dulces gutturi meo. Fructus* planè *honoris & honestatis* communi placito; dùm in feraci suorum librorum curriculo mirantibus cunctis, suos spargit sacræ Theologiæ flores, maturosque fructus assidua lectione elaboratos, litteratorum gaudio, omniumque emolumento profert.

(1) Ex Cant. 2. à v. 3.

O quanta ! O qualis generoſi viri fauſta proles! O quanta ſanctiſſimi Montis generoſa propago! Iam non *vertex Carmeli exſiccatus eſt*;(2) roſeus,& floridus eſt,lucidus eſt. Tali,ac tanto ſapientiſsimo Magiſtro decor illius iterùm vireſcit ; antiquitatique Montis vetuſtas repueraſcit. Fœlix Mons , quò ſenior, eò fœcundior ! Neſcit fœcunditas ſterileſcere ; nequit cœlum ſtelis, nequit nemus plantis , nequeunt Carmeli cedri floribus viduari: *Flores* itaque *apparuerunt in terra ſua* (3) *imber abijt , & receſsit*: ſurgat, & properet amica ,ſpecioſa , & formoſa iam Thomiſtica ſoboles , illius enim *tempus putationis advenit* iucundiſsimum. In hoſce namque quatuor tomos Magiſter Sapientiſsimus Paulus vniverſam Theologiam ſcholaſticam mirum in modum , magno Aquinatis doctrinæ decore , complectitur : vel , vt meliùs dixerim , comprehendit. Opus ſanè tanto Magiſtro dignum ; fœliciter inceptum,fœliciſsimè abſolutum. Eo magna animi delectatione intueor Thomiſticam doctrinam,velut clypeo firmiſsimo munitam , & adverſariorum ſpicula eluſa , tanquam parvulorum ſagittas , & contrariorum motiva validiſsimis iaculis eſſe confoſſa. Præterea , quia miram claritatem cum ſumma profunditate , ac doctrinæ ſoliditate coniungens , erit proculdubiò hoſtibus in terrorem,veritati verò Thomiſticæ in non leve fulcimentum,& ornatum,vel ſententiarum delectu,vel rationum pondere , vel impugnationum acumine , vel denique mira facilitate,facundia , ac ſuavitate.

(2) Ex 1. Amoſ. 1.

(3) Ex c. 2. Cant. à v. 11.

Zeuxim mirentur alij ob effictum Helenæ ſimulachrum , quod vt præſtantiſsimum efformaret , elegantes puellas acerſiri curavit ; ex quarum facie , quæ erant pulchriora delibavit,vt formoſam Helenam exprimeret.(4)Noſter hic Paulus meliùs illo , & convenientiùs è rivulis puris Angelici Præceptoris ipſam Reginam veritatem admirabili circundat varietate , omnium ſententiarum, & rationum appoſitis lineamentis : quæ in vnum tam fœliciter coëunt,vt vtranque animi potentiam ad verum, & bonum alliceant.(5) *Aſtitit* ergo *à dextris* Pauli, id eſt à calamo Pauli, Theologia ſcientiarum *Regina in veſtitu deaurato circundata* claritate. Ex hac ratione præ alijs illi magna commendatur ſapientia cum laude.

(4) Ælian. lib. 4. de Var. hiſtor. & Theatr. Vitæ. P. 342. D. E.

(5) Pſalm. 44. v. 10.

Valdè mirabile , quòd quando diſcipuli audiunt de ore Domini Ieſu Chriſti valdè ſublimia,quando ſcilicèt de cœleſti beatitudine , de diviniſque miſterijs præclara enunciat , multaque futura , vt de ſignis iudicij futuri , cogitationeſque cordium manifeſtat,& aperit(quæ ſunt præclariſsimæ notæ ſupremæ ſcientiæ,ac cognitionis)non dicunt diſcipuli , Chriſtum omnia ſcire ; benè verò hoc vnanimi voce proclamant , cùm proverbium nullum eis loquitur: (6) *Nunc ſcimus,quia ſcis omnia*. Et quare modò hæc aſtruunt , & affirmant? Quia clariſsimè eius verba percipiebant: *Ecce nunc palàm loqueris. Nunc ſcimus , quia ſcis omnia. In hoc credimus , quia à Deo exiſti*. Optimè quidèm: nullum enim ſublimis ſcientiæ ſignum evidentius , quàm clara eructatio , diſtincta,ac facilis ſermocinatio.Unde Euthymius exponit: (7) *Intelligimus enim, quæ nunc dixiſti;nunc ſcimus,quia ſcis omnia*.Omnia ergo ſcit noſter ſapientiſſimus Magiſter : tanta enim eſt illius per omnia claritas,vt omnes perfacilè illum intelligere poſsint. *Nemoque illum valeat non percipere*, vt D. Thom. à Villanova cecinit de Magno Parente Auguſtino, (8) *niſi exprofeſsò velit hallucinari*. Rectè ergo aſſeram , illum omnia ſcire,quia ſcit magna claritate docere : *Clara locutio*, teſte Sylveyra, (9) *eſt index altiſsimæ cognitionis*. O accedant omnes ! (opus enim cunctis eſt.) In illo Doctores occultiora ſacræ Theologiæ mira claritate exarata reperient : theſaurum nunquàm exhauriendum invenient ; Tyronibus multa , Magiſtris mira , Litteratis rara præbet ; meridiana per totum graditur methodo , & brevitatem magnam connectit cum claritate. *Scit* ergo *omnia*.

(6) Ioann. 18. v. 29.

(7) Euthym. hìc

(8) D. Thomas à Villan. conc. 1. de S. Aug. prop. fin.

(9) Sylv. tom. 5. cap. 19. q. 13. marg. n. 79.

Pro illius moderamine , & in argumentorum confutatione modeſtia,nihil ſeù nominis ethymon commendabilius : à *modico* enim dicitur *Paulus* , quia idem eſt eſſe paulùm , ac modeſtum , quia idem eſt eſſe modicum, ac eſſe paulùm. D.Auguſtinum teſtem adhibeo:(10) *Si Saulus à Saule*,ait Magnus Parens, *Paulus undè? Saulus à Rege ſævo Saule, cùm ſuperbus,cùm ſæviens;Paulus verò,cùm modicus,& modeſtus,Paulus namque humilitatis , & modeſtiæ nomen eſt*. Diſcite ergo à noſtro noviſsimo Paulo , quia mitis eſt , & humilis corde. (11) *Paulùm*,inquit D. Auguſt.*modicum dicitur*. Eius famam , & ſapientiam quam-

(10) D. Aug. ſerm. 35. & 36. de diverſis.

(11) Ex cap. 11. Matthæi. v. 29.

quamvis admirer, haud quaquàm invideo; æmulor autem charismata meliora, victorias scilicèt tanto moderamine reportatas.

Sed vnde tanta huic nostro Paulo prominet gloria? Proculdubiò, nisallor, ex modestissima vite, è qua prodit. Si cœlica Mathesis Ptholomei non fallitur, nec obscurè probabo. (12) Homo (inquit Ptholomæus) natus in ea constitutione cœli, vt Sol, Bellona, & Mercurius desuper irradient; homo, inquam, ille erit triplici dote conspicuus, videlicèt forma insignis, modestia fidelis, & sapientia facundus. Nunc ad rem: Pauli novissimi nostri fœliciſsimus ortus habuit initium in hoc cœli ambitu, quo reformatus Carmelus gloria videtur, vbi Sol Eliados oriens ex alto, & nova Bellona quasi Aurora consurgens alma Theresia, cum præceptore Mercurio Angelico Thoma, illi affulgent, & omnes irradiant. Eamobrèm meritò Paulo nostro fama insignis aptetur, facunda sapientia, & modestia fidelis. Erit, vel potius est (iuxta verba D. Chrysostomi non lepide versa) (13) Paulus noster Archetypus Thomisticæ scientiæ, cui plenam, & vniversam sacræ Theologiæ intelligentiam, & doctrinam Deus concesit. Ipse solem Elianum habens, cœlum est, ipse maremagnum sapientiæ purissimæ profundissimum. Quid plura?

(12) Ptholomæus lib. 3 *de Iudic.* cap. 12.

(13) D. Chrysost. homil. 4. *de Laud. Paul.*

Ad coronam illi debitam pervolet tantus Magister. Sed qualem? Non equidèm de parvo reportatam labore. In gloriam ergo illius non inconcinne appendam ei lemma speciosum Guillelmi IV. Ducis Bavariæ, qui symbolo suo præferebat duas coronas, vnam spineam, alteram ex rosis, hoc titulo circunducto NON SINE ALTERA. (14) Hoc est quod Dominus salvator ait: (15) *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* De legitimo igitur agone noster Paulus coronetur; legem adimplevit; (16) D. Thomam observavit. Congruè eia NON SINE ALTERA. ¶ Corona autem ista non ineptè illa, quæ versus Aquilonem in cœlo rutilat, & à Mathematicis *Corona Borealis* dicitur. In ea sunt octo stellæ, quarum splendidior lucens corona *Ariadne* appellatur, id est secundæ magnitudinis. (17) O quam benè hęc Paulo nostro quadrat corona! Dicitur *Borealis* à *Borea*, seu Aquilone debellato: opponitur enim in eo boreale scutum Aquiloni Thomisticæ scholæ. Stella lucidior in ea corona est secundæ magnitudinis: En noster Paulus secundus in magnitudine micans post venerabiles, semperque admodùm RR. PP. Salmanticenses. Demùm rutilat hæc corona octo stellis lucidis illustrata; quia pro coronide Cursus totidem tractatus tanquam totidem micantes stellas emitit. Quorum primus est tractatus *de Peccatis*; secundus *de Gratia*; tertius *de effectibus Gratiæ* in tomo tertio: in quarto verò, *de virtutibus Theologicis* quartus, quintus *de Incarnatione quoad subſtantiam*; sextus de *Gratia Christi*; septimus *de Scientia Christi*; octavus denique *de aliis coāſſumptis à Verbo divino.* Fulgebit igitur coronatus in orbe; fulgebit potius in sæculorum memoria: (18) *Qui docti fuerint*, ait sacra pagina, *fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

[14] Ioan. Ferreus p. 2. Theat.

(15) Epist. 2. ad Thim. 2. v. 5

(16) Const. Carm. Excalceat. p. 2. cap. 4. n. 8.

(17) Clavi cap. *de long. & latitud. imag. cœlest.* apud Encyclopæd.

(18) Daniel. 12. v. 3.

Hæc proculdubiò est corona iustitiæ, quam sibi in reliquo repositam esse, astruit Doctor gentium Apostolus Paulus: (19) *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Ecqua? Si Paulus de se fatetur, esse omnium peccatorum primum: (20) *Peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum*; quomodò fiducia liter asserit debitam esse sibi ex iustitia coronam: *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ?* Iure optimo, & fidelitate in doctrina servata, & è cursus peracta consummatione deducitur debitum de corona iustitiæ: *Curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo* quid? *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Eodem prorsus modo, & ego cum Apostolo dicam de hoc nostro sapientissimo Paulo: *Curſum conſummavit, fidem ſervavit, in reliquo* tribuatur illi *corona iuſtitiæ.* Hoc iure sentio, & meritò iudico magis Encomiaste, quàm Censore dignum. Gaudeat igitur Thomistica seges tantum habere Doctorem; sibique gratuletur reformatus Carmelus talem procreasse filium; cuius sapientię, & intelligentiæ gazis ditantur, & in quo absque eo, quòd omnia vendant, thesaurum possident pretiosum. Nec igitur absconsus sepulchretur, in lucem fœliciter prodeat, ad Auctoris gloriam, ad studentium profectum, & cunctorum admirationem, & vtilitatem. Nulla in eo inveni nostræ Catholicæ fidei, & Sanctorum Patrum doctrinæ adversantia, omnia immò reperi mira consonantia illis conformia. Et vt vno ore meam proferam censuram, asserenter dico: *Curſum conſummavit, fidem*

[19] Epist. 2. ad Thim. cap. 4. n. 7.

[20] Epist. 1. ad Thim. 1. n. 15.

ſerva-

ſervavit: ſufficit. Deficit ſolùm illi *in reliquo repoſita corona iuſtitiæ. Ex quo enim*, verba ſunt Div. Thomæ,(21) *curſum conſummavit, & fidem ſervavit, nihil reſtat illi, niſi quòd coronetur.* Utinam! Sic ſentio, ſalvo meliori. Matriti in hac Spiritus ſancti Clericorum Minorum Domo die 4. Maij anno Domini 1724.

(21) Div. Thom. Aquin. comm. in ep. Pauli hic.

Petrus à Quintana,
Clericorum Minorum.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doct. Don Chriſtoval Damaſio, Canonigo de la Inſigne Igleſia Colegial del Sacro Monte Ilipulitano Valparayſo, extramuros de la Ciudad de Granada, Inquiſidor Ordinario, y Vicario deſta Villa de Madrid, y ſu partido, &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir, è imprima el Curſo Theologico, diſtribuido en quatro Tomos, con el titulo de *Theologia Salmantina*, que quiere ſacar à luz el R. P. Fr. Pablo de la Concepcion, del Orden de Carmelitas Deſcalzos. Atento, que de nueſtra Orden ſe ha viſto, y reconocido, y no contiene coſa que ſe oponga à nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Fecha en Madrid à veinte y dos de Mayo, año de mil ſetecientos y veinte y tres.

Doct. Damaſio.

Por ſu mandado,

Don Juan Landeras y Velaſco.

CENSURA ILLmi. AC R. D. D. ROLDAM GRATIA, & benignitate Sanctę Sedis Apoſtolicę Epiſcopi de Guamanga in Regno Peruano, necnon à Regis Catholici Conſilijs munere decorati. Olim Abbatis, Diffinitoris, ac digniſsimi Vicarij generalis totius Bethicę Provinciæ Ordinis S. Baſilij Magni, Archiepiſcopatus Toletani Examinatoris &c.

SEdulò animi alacritate, quodamque attactus dulci violentia vidi, immò & iucundiſsimè percurri quatuor tomos Curſus Scholaſticæ Theologiæ ferè omnes tractatus admirabiliter amplectentes ex rivuliſque Angelici Præceptoris D. Thomæ Aquinatis fideliſsimè dimanantes, vbi egregiè, & locupletiſsimè diſſerit Sapientiſsimus Magiſter Rmus. P. Fr. Paulus à Conceptione olim ſacræ Theologiæ Lectoris in celebri admodùm Collegio Burgenſi Beatæ Mariæ de Monte Carmelo primitivæ obſervantiæ, almæ Provinciæ Sancti Ioachim, totiuſque excalceatæ, religioſiſsimæ, obſervantiſsimæ, & doctiſsimæ eius familiæ Diffinitor generalis; nùnc tandem eiuſdem Religionis Collegij Oxomenſis actualis Prior. Et quid dicam? Certè nihil. Nihil namque ſi ad eius cenſuram attendam: nihilque ſanè ſi ad eius encomia revertar. Eius cenſuram elicere, me fateor minimè poſſe; ſi eius encomia rimare, dignanter non valeo. Dicere vtique pro vtroque ſufficiet, in tanti Operis fronte tanti Magiſtri nomen videre; tantæque familiæ, vnde perlucida hæc ſcripta dimanant, ſcientiam agnoſcere: ſemper veſtigia Angelici Præceptoris acerrimè ſequentis, eiuſque Solis radios familiariter pertractantis.

Congratulamini ergo mihi omnes, qui diligitis me, iure poſſum exclamare optimo, nam merui, an meritò, an immeritò, neſcio, me dignum apud Supremum Caſtellæ Senatum huius politiſsimi Curſus, ex eius commiſsione, dulciſonam ſuavitatem primum guſtare. Satiari nunquam, admirari ſemper. Sed quid, quęram, admiratus ſum? Quid profectò guſtavi priùs? Nonne facilitatem? Nonne brevitatem? Nonne copiam? Nonne denique claritatem, & ſecuritatem? Haud fas eſt proferre ſententiam. Difficile ſanè determinare iudicium. Sed incongruè quidem, vidi namque cum facilitate copiam, cum brevitate, & claritate aſpexi ſecuritatem: totum ſimùl inveni; omnia guſtavi in vno. Et, vt clarius expendam, tantum Auctorem admiratus ſum, quòd & veneratus ſum: quia in eo perfuſum præcellenti lumine noſtrum Aquinatem Magiſtrum veneratus ſum: in his enim ſacræ Theologiæ tractatibus ita Angelico Thomæ proximus inceſsit, atque ita mentem eius, & omnes reconditos ſenſus introſpexit, & hauſit, vt ſicuti in eadem ſimilitudinaria Divi Auguſtini imitatione Sanctiſsimus Præceptor meruit (vt ita dicam) animam induere Auguſtini: Sic Sixtus Senenſis: (1) *Vt iuxta Pythagoræ communi omnium doctiſsimorum adagio iactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam*: Ita dicere mihi licebit, animam Thomæ in hoc reviviſcere doctiſsimo Magiſtro: ſiquidem indubitanter aſſerere poſſum, quatuor inter ſe implacabiliter pugnantia indiſſolubili pacis fœdere in hoc opere coniunxiſſe; videlicet copiam, brevitatem, facilitatem, & cum claritate ſecuritatem; quas dicere audebo nulli vnquàm litterarum profeſſori, tanta fœlicitate, & fœcunditate, tantaque claritate, & ſubtilitate contigiſſe, ſimul potuiſſe connectere. Ineſt, ac primùm, tanta ei rerum omnium copioſa vbertas, vt nihil ferè ex vniverſo Theologiæ ambitu deſiderari queat, quod non ipſe ditiſsimis hiſce ſuis ſcriptis fuerit copioſiſsima varietate complexus. Brevitas deinde, cuius exiguis anguſtijs copiæ amplitudo contineri non poteſt, ea eſt, vt quæ tot veteres Thomiſtæ, ac recentiores Auctores vix innumeris, & immenſis voluminibus comprehendere potuerunt, hic intra vnius ſtricti Curſus, immò & ampliſſimæ Epitomes quatuor volumina (vt teneor) locupletiſsima brevitate pleniſſimè, ſtrictiſsimèque concluſerit. Brevitati verò, quæ obſcuritatis mater eſt, & comes individua, ita facilitatem, omni ſecluſa difficultate, copulavit, vt ordinis diſpoſitione, ſententiarum perſpicuitate, & verborum ſplendida claritate, nihil eo Angelici Thomæ ſpiritui conformius videatur, nulluſque in hac omnimoda eiuſdem imitata ſerie longo poſt ſe non relinquatur intervallo.

(1) Sixt. Senenſ. *in Biblioth. Sãcta de illius vita. fol.* 382. *A.2.*

Non miror equidem; mirarer tamen, ſi tam loculentiſsima ſcripta, affluentia

Tho-

Thomiſticæ ſapientię vera, perennitas doctrinę Theologicæ clara, aliundè, & non è ſapientiſsimis, eruditiſsimis, ac doctiſsimis Salmanticenſibus, totum orbem vniverſum perluſtrantibus, tanquàm è Thomiſtico fonte dimanarent; immò tanquàm è mari magno ſapientiæ guttatim, vt quinta eorum eſſentia, diſtillaverint. Et vt nihil de Aquinatis emblemate illis deficiat: Sicut & in eo: *Fons, qui crevit in fluvium,* (2) *in Solem, lucemque converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit.* Sic fons & iſte, qui aſcendit de mari, & in fluvium, delicijs affluentem, converſus eſt, totum Paradiſum, Elianum ſcilicet Carmeliticum montem, riganſdo, rimatur: & Paradiſum imitatur egregiè. Paradiſus namque in quatuor diviſus capita, Geneſis vt ait caput ſecundum: *Paradiſum, qui inde* (3) *dividitur in quatuor capita*: huic præcellenti Theologico Curſui fœliciter adaptatur. In quatuor dividitur etiam volumina, in quatuor, vt melius loquar, in capita quatuor. Eſt enim caput totum neceſſe ad vitam, nihil ſuperfluum ad totum. In his voluminibus quatuor eſt etiam totum neceſſe, quod continent, nihil incongruum quod habent.

(2) *Eſther. 10. 6. Hierog. Div. Thom.*

(3) *Gen. c. 2. v. 10.*

Non alia ratione illa erant quatuor (4) Apocalypſis animalia plena oculis tota, niſi ad ſignificandum, quòd licèt ſicut parvulus oculus nihil redundat in corpore, nihil tot luſtrantibus oculis animalia redundare viderentur in opere. Tota oculis, totum demonſtrant neceſſe, nihil deoculatum, nihil ſuperfluum indicat. Sed non incongrue; erant & quatuor animalia oculis plena, ſolùm & capita quatuor, teſte Alapide ex doctiſsimo Alcazar: (5) *Non minus probabiliter, inquit & concinnè, immò probabilius, & concinnius Alcazar cenſet, hæc quatuor animalia non integra fuiſſe; ſed tantum quatuor capita animalium.* Hæc itaque diviſa in capita quatuor huius doctiſsimi Curſus præclara doctrina Angelici Solis throno Aquinatis Carmelici montis voluptatis Paradiſo reverenter inſervit: & oculis plena requiem non habet hoc eſt, vbi ſiſtere poſsit; tota in omnibus vna, vna eſt in oculis tota. Eſt veluti illa candidiſsima columba, quę in ſinu, tanquam in arca Solis Angelici, aliquot expectata diebus, egrediens in orbem ſiſtere nequit, inveniens & totum aquis immerſum; nihil, quod aquæ non repleant, eſt illi, vt requiem inveniat. Expectans adhuc, portat in ore ſapienti ramum olivæ, coronam ſcilicet qua redimitur Minerva. Eſt enim, vt inquit Bercorius, *Columba, quæ inter grana* (6) *diſtinguit meliora, puriora recipit & alia prætermittit.* Sic Sapientiſsimi huius Magiſtri doctrina. Ex quo (quoad poſſum) cauſam invenio, cur voluit Chriſtus, ſuper caput volitante in corporali ſpecie ſicut columba, (7) in Iordane apparere divino ſpiritu redimitum? Eſt namque caput eius divinum iſte Carmeliticus mons: (8) *Caput tuum, vt Carmelus*, inquit Sponſus Sponſæ, Sponſus cum ſit caput Sponſæ; ſic D. Paulus (9) *Chriſtus caput Eccleſiæ.* Non alio igitur redimitur Carmelus diademate, niſi in vertice eius volitante columba. O egregiè! Nunc & tanto Carmelus coronatur Magiſtro; eſt vtique cum gloria columbæ, corona Carmeli.

(4) *Apocal. 4. v. 7.*

(5) Corn. Alap. *hic ex Alcaz. hic.*

(6) Bercor. *tom. 1 verb. doctrina c.*

(7) *Lucæ 3. c.*

(8) *Cant. 7. v. 6.*

(9) Div. Paul. *ad Eph. 5. c.*

Eſt etiam & liber præ omnibus ille (10) qui totus intùs ſcriptus, & foris, ſolùm ſententijs, ſolùm litteris conſtat; totus eſt quamoptimè vtilis, & nullatenus redundat in aliquo: & vt Iuſti Lipſij (11) verbis in Tacitum vtar, dicam de hoc præcellenti Curſu (cuius limina tango) & de tanto venerando Magiſtro: *Non eſt, & confidenter dicam, non erit, qui prudentiæ omnigenæ laude huic ſe comparet: adeo non meremur. ne quis ſe anteponat. Singulæ paginæ, quid paginę? Singulę lineæ, quid lineæ? Quædam littera dogmata, conſilia, monita ſunt. Sed brevia ſępè, haud occulta, & opus ſagace, quadam mente ad odorandum, & aſſequendùm.... viris opus eſt, & cum ingenij quadam ſubtilitate, iudicij rectitudine: & vt verbo dicam, naturæ bonitate.* Hucuſque illius verba, non ampliùs & ego. Sed quid mirum, vt dixi ſic eluceat vt ſapiens, ſi ſubſequens veneranda Salmanticenſium veſtigia refulget vt prudens, *Sapientiam* enim *omnium antiquorum exquiret ſapiens.* (12) Non in vno, vel in alio, in omnibus ad Patres, ad Magiſtros attendit. Tanta dexteritate viam regiam non deſerit, & præ oculis habet, vt, licet *nihil ſub ſole novum* inveniatur, (13) multa & in ſole reperiuntur. Sub ſole Aquinatis nihil novum eſſe poteſt, ſed ex illo, vt in illo ſapiens Magiſter iſte quadam miranda novitate & vetera, & nova indiſſolubiliter coniunxit. Sunt enim Salmanticenſes præcelſi huius radiantis Solis theſaurus reconditus, vndè & vetera, & nova iſte profert tanquàm de ſuo: ideò doctus Scriba. *Ideò*, inquit Matthæus, (14) *omnis ſcriba doctus.... qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera.*

(10) *Apocal. 4. v. 8.*

(11) *In allocutione iterata ad Cornel. Tac.*

(12) *Eccleſ. 39. 2*

(13) *Eccleſ. 1. 6.*

(14) Matthæus 13. *G.*

vera. Profert vetera, vt Tyrones (quibus præcipuè scribit) in ea facilius capessenda, dillucidè percurrant. Nova autem, vt & pariter docti, & scientifici, si non doceantur, admirentur. Omnes multa sibi cum novitate vtilia passim invenient. Vetus ergo, & novum proferri in vno, in eodem inveniri thesauro, solùm ad hanc dexteritatem iure refertur. Totum, quod de eius fama reverenter audivi, plus vltra in hoc Opere invenio; & sic cum Quintiliano gratis ad illum referam:

(15) Quint. *lib.* 10. *ad Flav. Domitian. in Tacit. à Iust. Lipsi.*

(15) *Supereſt adhuc, & exornat ætatis ſuæ gloriam vir ſæculorum memoria dignus. Qui olim audiebatur, nunc intelligitur.* Nam quare, revoco in dubium, noſtris fons Elianus, & non antea, dedit temporibus, tantam dulcedinem, mellifluitatemque tantam de ſcaturigine eius libosè guſtare? *Non eodem*, reſpondet Laurentius Beyerlink, (16) *res magnas tempore naſci, atqui perfectionem omnem ſuam ſimùl indipiſci. Id adeo apparet in Elephanto* (quanta animalis, & molis magnitudo!) *quem decem annis in vtero geſtari* (17) *vulgus exiſtimat* (ſic Plinius, & Plautus) *cùm interim inſecta plurima, mole exigua, ac minutæ aliæ beſtiolæ ſubitò quaſi ortu, & magna copia non ſigne magna multorum admiratione ſuccreſcant.* Sat pro reſolutione Beyerlink reſponſum.

(16) Laur. Beyerl. *in proſcenio ad Theatrum Vitæ num.* 1.

(17) Plin. *lib.* 8. & Plaut. *in Stich.*

Erudita poſteritas tanti Magiſtri nomen ſuis encomijs dubio procùl celebrabit. Nec fallax ſpes: in eo namque, & vetera, & nova ſublimi ſplendore renident. Aquinatis noſtri incomparabilis ſoliditas, vigor, ponduſque rationis, illorum diſcipulorum, non ſat vnquàm laudabilium, Salmanticenſium perſpicuus trames inoffensè percurrens. Unius, fœcundidiſsimus torrens; alterius, altiſonans, & præciſa formalitas; fulmineum, iſtius, ingenium; illius, profunditas vivax; ſubtilitas hinc, longèque illinc eruditiſsima florens; omniumque iſtorum venerabilium Patrum nitida facundia placidè excurrens. Et quidquid denique in his, & alijs Thomiſticæ Scholæ proceribus antiquitate anoſis, canitie venerandis, gravitate viget, ſolertia pollet, eruditione præſtat, in hoc vno collectum ſuſcipitur, quod in alijs diſperſum inſigne illis decus adſcivit, comparavit. Vt congruentiùs illi Auſonius, quàm ſuo Moſſellæ decantaſſet: (18)

(18) Auſon. *orat. in Moſſel. apud Tacit.*

Omnia ſolus habes, quæ fons, quę rivus, & amnis,
Et lacus, & vivio refluus munimine Pontus.

Quòd ſi ad noſtri ſæculi nobilioris notæ Scriptores advertimus oculos, qui ab his theſauris, gemmis pulcherrimis, perlucidis vnionibus, diviti ſupellectili ſuos libros exornarunt; quamprimùm nullum dedecus exindè contraxère. Tanta enim huius præſtantiſsimi Magiſtri ingenioſa fœlicitas, tàm copioſa vbertas, vt alijs in ſcribendo, neſcio an palmam præripiat, an illis offerat gratis: quia ex indole eſt ingenij Auguſtini, illius namque Aquilę magnarum alarum, quæ volabat per mediũ cœli, quæque tullit medullam Cedri Theologicæ, cuius ſublimem, rapidumque volatum admiratus Hieronymus ſtupore plenus declamabat: (19) *Si nova voluerimus dicere, à clariſsimo ingenio præocupata ſunt.* Sed nec huiuſmodi Neotherici celebritatem nominis, maieſtatem ingenij noſtri, iterùm, volitantis Aquilæ, columbæ, in quo, Carmelum ſuo ſpiritu redimentis, obſcurabunt; quin potius illuſtrabunt quàm maximè; eius præſtantię ventura ætas tot vindices, totque obſides, & incorruptos teſtes nanciſcetur, quot noſtra tulit Scriptores; eius eruditione inſtructos, eius gacis exuberantes, ſivè enim vt ſtellæ rutilent, genuinam, nativamque lucem noſtri Solis indicabunt, ſivè flumina rapidiſsima ſint, ſivè occeani immenſum pelagum emulentur, ad noſtrum fontem referent originem; ad noſtrũ, (iterumque, atque iterùm repetam) Paradiſum, ad eius fluentia capita quatuor, vnde omnium oculis eius dignitas aſſurgat. Hùc meritò advoco Claudij Marij (20) pulchrum paradigma, fontem Paradiſiacum cum occeano conferens (Carmelitico monti, hac redimito ſapienti columba, me Iudice, aptans)

(19) D. Hieron. *in vit. Aug. apud Theſaur. Concit.*

(20) Claud. Mar. *Eglog. in Gen. cap.* 1.

Ad gremium ſacri montis (inquit) quod columba coronat
Fons ſcatet, & diti prolem, virtute maritat,
Quadrifido tumidum lætus caput amne reſolvens
Ditior occeano, iugi nàm gurgite pronus;
Ille donat latices, iſte accipit omnes,
Nec turget tamen, at minor eſt, quieſcere tantis
Fluctibus infuſit, quàm, qui decreſcere neſcit
Amnibus effuſis.

Hùc

Hùc etiam non incommodè referam illud Geneſis: (21) *Sed fons aſcendebat de terra irrigans vniverſam ſuperficiem terræ*: Et etiam vt ſuprà: (22) *Paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Breviſsima verba quàm plurimis ſtimulis attentã mentis aciem pungunt,& pulſant. Nonne cernimus fluvium,& fluvios ex vnico fonte,ex cœleſti Paradiſo derivari? Et illos quidèm per terram ſerpere; illum verò,dum largiſsima fluenta perrenni gurgite fluvijs infundit,ſemper aſcendere; vt indè conjectari liceat,inter cæteros huius ævi Scriptores quantùm emineat horum librorum præclariſsimus Conditor,qui,inſtar fontis Paradiſiaci,reliquis ditiſsima doctrinæ inſtilat fluenta ; vt ſemper in hominum exiſtimationem per vices ſæculorum aſcendat,& ſummatim honoris,& famæ verticem obtineat. Nunc fontem cum fonte componam ? Vtique. Ille vt Paradiſus in magnatem fluvium,delicijs locum voluptatis illum implentem, & in quatuor fluminum capita dividitur; iſte Magiſter,Paradiſus etiam gloriæ,ſcientiæ, & doctrinæ perennitatibus ſacrum rimans Carmeli montem,in quatuor flumina(volumina ſcilicet) aquas cœleſtes diſtribuit.Nec iſte invidit primo flumini magnitudinem,nec quatuor fluvijs titulum honorificum capitum. Nec tanto Carmelitico monti , tot Scriptoribus,tot Doctoribus,totque ſapientiſsimis viris,floribus equidèm Eliani fontis micanti,aut celebritatem,aut honorificum nomen, etſi florida fluenta miniſtrat. Ille poſt primum fluvium in quatuor capita dividitur (in hebræo autem textu ſic habetur: (23) *Indè dividetur,& erit in quatuor capita.* Caietanus hoc gloſſemate perluſtrat verba : *Nec enim tantùm intervenit prioritas ſecundùm locum, ſed etiam ſecundùm tempus inter vnitatem & diviſionem)* Iſte aquarum vberrimus Paradiſiacus fons non ſolùm intercapedine ſitus diviſus eſt,& in magnum fluvium exceptus,ſed & longiquitate temporum inalios fluvios tranſmiſſus, transfuſuſque abſque vlla gloriæ iactura dividetur : manet namque inconcuſſa, & integra prioritas illa amplitudinis, & dignitatis, quæ primævi fontis ſplendidum ſtemma,decuſque perenne retinet,& obſervat.

(21) *Gen. 2. v. 6.*

(22) *Ib. v. 10.*

(23) *Apud* Caiet. *hic.*

Sed quid hoc prodigij ! Inter tot prælia ſcholaſtica digladiantis ingenij, inter tot boantium argumentorum grandines, & ſtrepitantia fervente comminùs *pugna: infeſtiſque obvia ſignis ſigna pares Aquilas,& piriminantia pilis* (vt verbis vtar Lucani) (24) nullum excidere verbum aſperitate,aut livore iniurioſum: *Sic, ſic tanti Moderatoris modeſtia vincere ſcit,hoſtis eſſe neſcit.* (25) Hoc plane eſt columbinum oculum cum ſerpentina prudentia , iuxta evangelicam normam coniunxiſſe,necnon & iuxta excalceatam patienter familiam humiliter apprimè copulaſſe.O verè aquas doctrinæ præſtantiſsimæ! O aquas Siloë! Quæ vadunt cum ſilentio,quæ nec ſtrepitum, nec tumultum cient. De quibus fas mihi, illud Auſonij pro ſuo Moſſella perorantis æquius decantare: (26)

(24) Lucan. *apud* Emiſſ. *illicà.*

(25) Emiſſ. *homil. de Lytanijs.*

(26) Auſ. *vbi ſup. num.* 18.

Tu, Placidus prolapſis aquis, nec murmura ventis
Vlla , nec occulta patent luctamina ſaxis.

O verè ſacrum æmulatorem illius prudentiſsimæ Virginis amictæ ſole (filium digniſsimum) incarnatæ ſapientiæ intemeratæ Parentis , Carmeli decoris , & Reginæ adorandæ ! De qua melifluus ore Bernardus (27) rationem reddens , cur tam inſolitum , tam præclarum , tamque rarum , & admirabile ſignum , in cœlo Eccleſiæ Deipara apparens, rutilaverit: *Nihil auſterum*, inquit ,*in ea nihil terribile,tota ſuavis eſt,omnibus offerens lac,& lanam. Revolve diligentius Evangelicæ hiſtoriæ ſeriem vniverſam,& ſiquid fortè increpatorium, ſiquid durum, ſi quod denique ſignum , vel tenuis indignationis occurrerit, de cætero ſuſpectam habeas,& accedere verearis.* Et tu, quiſquis hæc volumina perluſtres , & iſtum Magiſtrum ſuſpectum habeto, *agreſtem* , & *ruſticanum* appella , eiuſque ſcripta lectitare refuge : ſi quod ſignum increpationis in accutiſsima eius (potius & mei)Paradiſi occurrerit ſerie.

(27) D. Bern. *hom. ſuper Apocalyp. 17. ſignum mag.*

Sed ſiſte(obſecro)Paradiſus eſt vtique & meus : Paradiſus voluptatis , cuius fluenta ori meo dulcia,ſapientiſsimo,ſuaviſsimoque lacte me lactaverunt:equidè me lactaverunt huius mei Paradiſi aquæ. Hauriuntur & aquæ lactando guttatim palato adhibendo,melliflue guſtãdo,& vt pabulo nectare nutriendo.Hoc de quatuor iſtis fluminibus ſentio.Fluant ergo,& refluant communi vtilitati in honorẽ D. Thomæ,& totius Thomiſticæ doctrinæ ſplendorem,Carmeli decus, & Thereſianæ familię decorem.Faxit Deus,vt opto,omnes de hoc libamine ſcientię,& doctri-

ãtrinæ bibere, vt, & mihi, omnibus tãta in eo libetur ſuavitas. Preſtãtiſsimus enim iſte Sapientiſsimus Magiſter, totus ſuavis, totus mellifluus, totus vtilis, nihil redundans, nihil ſuperfluus; ex rivulis D. Thomæ, doctiſsimorum Salmanticenſiũ, & verę doctrinæ dimanans, nullius erroris fulmine quaſſatur: quin potius vtroque flumine Eccleſia fœcundiſsimè irrigatur. In lucem ergo prodeat, vt luce, & aquis illius D. Thomæ Schola fœcundetur, & Reformatus illuſtretur Carmelus. Sic iure ſentio, & libenter ſubſcribo in hoc Magni Parentis Noſtri Baſilij Matritenſi Cœnobio die 4. Octobris anno Domini 1721.

Magiſter D. Ildephonſus Roldan.

LICENCIA DE EL CONSEJO.

DON Baltaſar de San Pedro Azevedo, Eſcrivano de Camara del Rey nueſtro Señor, y de Govierno del Conſejo: Certifico, que por los ſeñores de èl ſe ha concedido licencia à el P. Fr. Franciſco de la Encarnacion, Religioſo Carmelita Deſcalço, para que por vna vez pueda imprimir, y vender vn Curſo Theologico, que conſta de quatro tomos, intitulado: *Theologia Salmantina*, conforme à la Doctrina de Santo Thomàs, y de el Curſo Salmanticenſe, ſu Autor el P. Fr. Pablo de la Concepcion, Religioſo de la miſma Orden, por el Original que và rubricado, y firmado al fin de mi mano; con que antes que ſe venda, ſe trayga al Conſejo, juntamente con el Original, y Certificacion del Corrector de eſtàr impreſſo conforme à èl, y ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la impreſsion lo diſpueſto por las Leyes del Reyno; y que eſta Certificacion ſe ponga al principio de cada vno. Y para que conſte, lo firmè en Madrid à nueve de Octubre de mil ſetecientos y veinte y vn años.

D. Balthaſar de San Pedro.

Eſte libro intitulado, *Theologia Salmantina*, correſponde con ſu original Madrid, y Abril diez de mil ſetecientos y veinte y dos.

Lic. Don Benito del Rio y Cordido.
Corrector general por ſu Mageſtad.

SUMMA DE LA TASSA.

TAſſaron los ſeñores del Conſejo eſte Primer Tomo intitulado: *Primera Parte del Curſo Theologico, conforme à la Doctrina de Santo Thomas, y del Curſo Salmanticenſe*, à ocho maravedis cada pliego, y parece tiene ciento y cinquenta pliegos, ſin principios, ni tablas; como mas largamente conſta por Certificacion dada por Don Balthaſar de San Pedro, Eſcrivano de Camara del Rey nueſtro ſeñor, y de Govierno del Conſejo.

SUMMA DEL PRIVILEGIO.

TIene privilegio del Rey por diez años el R. P. Fr. Pablo de la Concepcion, Religioſo Carmelita Deſcalzo, para imprimir vn Curſo Theologico en quatro Tomos dividido, con el titulo de *Theologia Salmantina*; ſin que otro le pueda imprimir, ni traer à vender à los Reynos de Eſpaña, los que en otro Reynos ſe imprimieren, ſin la facultad de dicho R. P. Fr. Pablo de la Concepcion. Como mas largamente conſta por ſu original, deſpachado en Aranjuez à trece de Abril de mil ſetecientos y veinte y tres años, y refrendado por Don Franciſco Caſtejon &c.

AD

AD LECTOREM.



UM Sacra Religio noſtra perpetuò ſtudeat in litterarijs exercitijs Scholaſticorum noſtrorum profectui, iam diu exoptabat, vt methodus per ſuarum Artium Curſum ſtabilita(per quem Lectores noſtri ſuos tyrunculos inſtruunt, & per quam haud levem temporis iacturam explodunt,adoleſcentes à ſcribendi onere levantur, & vberiores fructus percipiunt,quam methodum pòſt imitari ſunt plures, ac ſapientiſsimi Doctores in publicis lyceis,necnon,plurium Regularium Communitates in ſuis clauſtris) in Theologica diſciplina introduceretur. In eligendo autem Authorem anceps fuit: nam licèt nonnulli inveniantur idonei ad prædictum munus obeundum,claritate,brevitateque cum ſoliditate ad id exacta pollentes, & in doctrina D. Thomæ,quam magna ſui aviditate,& affectione ſacer Ordo noſter à primordijs non ſine auſpicante ſuperno lumine amplexus eſt, non paràm firmati; in enucleanda tamen eius Angelica mente aliquando diſsident à noſtro Curſu Salmanticenſi toto orbe celeberrimo. A cuius doctiſsimis Commentarijs, & opinionibus aberrare noſtros Lectores ſacræ Theologię nefas eſt, quia in ſuis actibus Religio illis imperat,vt doctrinam huius præclariſsimi Curſus teneant,vrgeant,& defendant;ſicut olim fecerat cum Lectoribus Artium erga Curſum Complutenſem: volens per hoc in noſtris gymnaſijs vnam & communem doctrinam ſtabilire, in qua tyrones noſtri ab incunabulis inſtruantur, & abolere omnem ſentiendi & opinandi libertatem,ex qua non parva incommoda & damna quotidie experiuntur. In hoc autem delectu quàm cordate ſe geſſerit Religio,iudicent extranei(ne laus in proprio ore vileſcat)qui frequenter in publicis Academijs & ſcriptis magnis eam extollunt laudibus.Et meritò:nam ad conſequendam Thomiſticam palmam nullus aptior eſt Curſus,teſte Caramuele(viro aliàs omni ſcientia ornatiſsimo)qui prædictum Curſum ſic laudat:*Qui Carmelitarum doctrinam admirari voluerit, legat libros,quos temporibus varijs ediderunt. Salmanticenſis Theologiæ Curſus Thomiſticæ ſententiæ,aliàs probabiles,habent,quòd ſint inexpugnabiles, ſecuræ, & certæ.Commendo Scholam, laudo libros; illam, quia nulla melior; illos, quia nulli meliores. Liberè dico, ſi deberem Scholæ alicui nomen dare, Illi potiùs, quàm alteri; & in illa illis potiùs alijs vterer.* Nec mireris: nam vt quidam aiebat: *Piiſsima Carmelitarum Excalceatorum Religio ardentiùs Thomiſtica, quàm ipſi Thomiſtæ.* Et alibi: *Quid interrogas de Thereſiana, & Seraphica Excalceatorum doctiſsima familia, tota Thomiſtica, nec in hoc zelo ipſis Dominicanis ceſſura?* Nec aliud ſive parvi,ſive magni,ſive docti, ſive indocti tàm in plateis,quàm in publicis Academijs prædicant. Ex quo inferes, quòd ad inſtruendos Scholaſticos in Schola Thomiſtica,nec in Philoſophia,nec in Theologia eget Religio noſtra alieno ſuffragio: intra enim eius ſepta noſtri Lectores habent Authores,& libros,quibus viva voce poſsint illos edocere, & informare. At quia prælaudatus Curſus(licèt omnibus numeris,& omnium Curſuum Theologicorũ abſolutiſsimus)plus diſtenditur,quàm par eſt ad hoc munus explendum,cenſuerunt Superiores, vt quidam Lectores ederent ſpeciales tractatus Theologicos,nec tam breves, vt obſcuritatem pariant,nec tam protenſos, vt faſtidium generent: quia, vt vulgò ſolet dici:

Omia longa ſolent cunctis faſtidium ferre;
quæ comprehenſa brevi ſunt, benè cuncta placent.

Et Ariſt. ait:*Omnis ſermo,ſi brevior fuerit,quàm oporteat,obſcurat intellectum; ſi longior, difficilis erit retentio,& diſcipulo oblivionem inducit.* Strictiſsimè tamen præcipiunt, vt doctrinæ Div.Thomæ,& præcitati Curſus magnoperè conſonent.Ad quod onus explendum Religio noſtra ad me, etsi omnium minimum, & tanto ponderi imparem,ſuos benevolos convertit oculos,totum hoc prolixum & perd ifficile opus mihi demandans, atque committens.Stylus tibi fortaſsis minùs comptus apparebit, ſed elegantię inopiam claritate compenſare ſtudebimus.

In comment. ad Regul. S. Benedict. *diſp* 34.*num.*346.

Caſalaſ.in Cãdor.lilij §. 4. & 160.

Sed præcipuè modeſtiam vbique reſpirare æmulabimur, vt decet virum inopem, diſcalceatum, & humilem, & ſolius veritatis amatorem. Quod monitum accepimus ex illo Iacob. 3. *Quæ deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis.* Quod fortè ardenti diſplicebit; ſed audiat Nazianzenum: *Quod ſi hoc repudias, nec linguam fræno coërcere, animique impetum frangere, ac comprimere potes, ad illud ſaltem tibi impera, vt fratrem non condemnes, nec timiditati impietatis nomen imponas.* Si aliquid in tui commodum nos dixiſſe conſpicias, libenti animo ſuſcipe. Siquid ſiniſtrum, piè condona, & corrige. *Sufficiet autem* (concludo cum melifluo Bernardo) *voluntas, vbi deeſſe vides facultatem explendi. Denique, etsi nullam tibi conferat vtilitatem, vel mihi proficit ad humilitatem: Stultus quippè, dum non loquitur, ſapiens putatur.* VALE.

Iacob. 3. 17.

Div. Gregor. Naz. *orat.* 26.

Div Bernard. *epiſt.* 87.

INDEX

INDEX

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, DUBIORUM, ET PARAGRAPHORUM,

QUÆ IN HOC TOMO PRIMO CONTINENTUR.

TRACTATUS I.
De Deo, & eius Attributis.

DISPUTATIO I.
De qualitate Sacrę Theologiæ.

Dubium 1. Utrùm Theologia sit in Ecclesia simpliciter necessaria? pag. 1.
§. 1. Nonnulla notabilia, & suppositiones. ibid.
2. Sententia communissima. pag. 3.
3. Hęreticorum argumenta. pag. 4.
Dub. 2. Utrùm Theologia sit scientia? Et an vere, & proprie subalternetur scientiæ beatæ? pagin. 6.
§. 1. Prima conclusio. ibid.
2. Secunda conclusio. pag. 8.
3. Argumenta contra primam conclusionem. pagin. 10.
4. Argumenta contra secundam conclusionem. pag. 13.
Dub. 3. Utrùm Theologia vię sit essentialiter obscura? pag. 15.
§. 1. Sententia nostra negans. ibid.
2. Ratio fundamentalis pro assertione. pag. 17.
3. Argumenta sententiæ oppositæ. pag. 18.
Dub. 4. Utrùm Theologia nostra sit entitativè supernaturalis? pag. 22.
§. 1. Aliquæ suppositiones. pag. 23.
2. Conclusio nostra negativa. pag. 24.
3. Opinio contraria. pag. 26.
4. Alia argumenta. pag. 28.
Dub. 5. Utrùm Deus sit obiectum primarium nostræ Theologiæ? Et an hæc sit vna specie atoma? pag. 30.
§. 1. Prima conclusio. pag. 31.
2. Secunda conclusio. pag. 32.
3. Sententia opposita. pag. 34.
Dub. 6. Utrùm Theologia sit simul practica, & speculativa? Et an sit sapientia? pag. 35.
§. 1. Duplex conclusio. ibid.
2. Sententiæ contrariæ. pag. 37.

DISPUTATIO II.
De Existentia, & Essentia Dei.

Dub. 1. An hęc propositio, *Deus existit*, sit per se nota? pag. 40.
§. 1. Triplex conclusio. ibid.
2. Argumenta contra primam, & secundam conclusionem. pag. 42.
3. Argumenta contra tertiam conclusionem. pagin. 44.
Dub. 2. Quæ sint excludenda à constitutivo metaphysico vltimato naturę divinæ? pag. 46.
§. 1. Aliqua prænotantur, & alia supponuntur. pag. 47.
2. Dubij resolutio tribus assertionibus. pag. 49.
3. Sententia contraria. pag. 51.
Dub. 3. Num intelligere radicale sit vltimatum constitutivum naturæ divinæ, vel intelligere actuale? pag. 55.
§. 1. Conclusio præcipua, & eius primum fundamentum. ibid.
2. Secundum fundamentum. pag. 57.
3. Tertium fundamentum. pag. 59.
4. Vltimum fundamentum. pag. 60.
5. Secunda conclusio. pag. 61.
6. Sententia cotraria. pag. 62.
7. Reliqua argumenta. pag. 65.

DISPUTATIO III.
De Simplicitate Dei.

Dub. 1. Utrùm detur distinctio formalis, & ex natura rei inter aliqua prędicata divina, exceptis personis? pag. 68.
§. 1. Sententia communis. ibid.
2. Fundamenta præcipua Scoti pag. 70.
Dub. 2. Utrùm, præter distinctionem fundamentalem, & formalem rationis, detur inter divinas perfectiones distinctio virtualis intrinseca? pag. 72.
§. 1. Nostra sententia. pag. 73.
2. Refellitur sententia contraria. pag. 65.
Dub. 3. Utrùm Paternitas, quatenus virtualiter distincta à natura divina, includat illam intrinsecè per transcendentiam, & è converso? pag. 78.
§. 1. Explicatio tituli. ibid.
2. Prima conclusio. ibid.
3. Aliæ duæ conclusiones. pag. 80.
4. Sententia primæ conclusioni opposita. p. 82.

DISPUTATIO IV.
De Immensitate Dei.

Dub. 1. Utrùm Deus sit in omnibus rebus? Et an

ratione D. Thomæ id probetur efficaciter,& demonſtrativè?pag.84.
§. 1.Dubij reſolutio quoad vtramque partem. ibid.
2. Argumentorum ſolutio.pag.85.
Dub. 2. Quænam ſit Deo ratio formalis exiſtendi in rebus, ſeu in omni loco? pag.87.
§.1. Prima concluſio.pag.88.
2. Secunda concluſio.pag. 89.
3.Sententiæ oppoſitæ.pag.91.
Dub. 3. Utrùm Deus actu ſit in ſpatijs imaginarijs? pag.93.
§.1.Noſtra concluſio.ibid.
2.Motiva ſententiæ oppoſitæ.pag.94.
3.Cuidam interrogationi ſit ſatis.pag.96.
Dub. 4.Utrum Deus, ratione ſolius gratiæ habitualis, habeat aliquem modum ſpecialem exiſtendi in anima iuſti?pag.98.
§.1. Suppoſitiones nonnullæ.pag.99.
2.Prima concluſio.ibid.
3.Obiectiones contra præfatam concluſionem. pag.101.
4.Secunda concluſio.pag.103.

DISPUTATIO V.

De Æternitate Dei.

Dub.1.Quid ſit æternitas? Et an convenienter definiatur?pag.106.
§.1.Dubij reſolutio duplici concluſione.ibid.
2. Quoddam corollarium præcedentis doctrinæ.pag.107.
Dub.2.Utrùm futura ſint ab æterno phyſicè præſentia in æternitate? pag.109.
§. 1. Sententia Thomiſtica authoritate Sanctorum Patrum fulcita. ibid.
2.Ratio fundamentalis.pag.110.
3.Argumentorum ſolutio.pag.112.
4.Cætera argumenta.pag.114.

TRACTATUS II.

De Viſione Dei.

DISPUTATIO I.

De poſsibilitate Viſionis Dei.

DUb. 1.Utrùm clara viſio Dei ſit poſsibilis intellectui creato? pag.117.
§.1. Sententia Catholica.ibid.
2. Argumenta hæreticorum.pag.118.
Dub. 2.Utrùm Deus clarè viſibilis contineatur ſub obiecto ſpecificativo intellectus humani? pag.121.
§. 1.Notabilia aliqua: & ſuppoſitiones nonnullæ. ibid.
2.Sententia noſtra communior, & prima concluſio.pag.125.
3.Explicatur potentia obedientialis.pag.127.
4. Argumenta ſententiæ contrariæ. pag.130.
Dub. 3. Utrùm in creatura intellectuali ſecundùm ſe ſit aliquis appetitus innatus, vel elicitus ad viſionem claram Dei?pag. 132.
§.1. Noſtra ſententia triplici concluſione explicata.pag.133.
2.Prima ex ſententijs oppoſitis.pag.135.
3.Aliæ duæ ſententiæ oppoſitæ. pag.137.
Dub.4. Utrùm poſsibilis ſit aliqua ſubſtantia naturalis creata, quæ poſsit naturaliter videre Deum, prout eſt in ſe?pag.139.
§.1.Duæ ſuppoſitiones.ibid.
2.Sententia noſtra, & communis Theologorum. pag.141.
3. Argumenta contraria.pag.143.
Dub. 5. Utrùm de potentia Dei abſoluta intellectus creatus poſsit Deum videre per auxilium extrinſecum?pag.144.
§.1.Sententia Thomiſtica.ibid.
2.Sententia Adverſariorum. pag. 147.
Dub.6.Utrùm per divinam potentiam poſsit dari aliqua ſubſtantia ſupernaturalis creata, quæ ex proprijs viribus poſsit videre Deum prout eſt in ſe?pag.149.
§.1.Prima concluſio.ibid.
2.Secunda concluſio.pag.152.
3.Sententia contraria.pag.153.

DISPUTATIO. II.

De ſpecie requiſita ad viſionem Dei.

Dub.1. Utrùm eſſentia divina in ordine ad viſionem beatam vniatur cum intellectu beati per modum ſpeciei? Vel an de facto detur aliqua ſpecies creata?pag.156.
§. 1. Sententia communis.pag. 157.
2.Argumentorum ſolutio.pag.159.
Dub.2 Utrùm ſpecies & obiectum ſint eiuſdem naturę in eſſe repræſentativo?pag.162.
§. 1. Notationes aliquæ, & ſuppoſitiones. ibid.
2.Sententia communis Thomiſtarum. pag.163.
3. Sententia contraria cum ſuis fundamentis. pag.166.
4.Cætera argumenta ſolvuntur.pag. 169.
Dub. 3. Utrùm intellectus vniatur per identitatem cum obiecto, ſeu ſpecie?pag.171.
§.1.Sententia Ariſtotelis, D.Thomæ, & noſtra. ibid.
2.Argumenta oppoſitę ſententiæ.pag.172.
Dub.4.Utrùm eſſentia divina, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, concurrat active ad cognitionem? pag.175.
§.1.Noſtra reſolutio.ibid.
2. Opinio contraria.pag.178.
3.Examinatur vltimum argumentum.pag.180.
Dub.5. Utrùm poſsibilis ſit ſpecies impreſſa creata Deum quidditative repræſentans? pagin. 182.
§.1.Sententia D. Thomæ,& eius prima ratio.ibi.
2.Alia duplex ratio D. Thomæ.pag.184.
3.Sententia oppoſita.pag.185.
4.Vltimum argumentum.pag.188.

Du-

Dub.6.Utrùm posſibilis ſit verbum creatum repræſentans Deum prout eſt in ſe? pag. 190.
§. 1. Suppoſitiones nonnullæ.ibid.
2. Verior opinio.pag.192.
3.Altera ratio peculiaris.pag.193.
4.Argumentorum ſolutio.pag.194.
5.Reliqua argumenta.pag.197.

DISPUTATIO. III.
De Lumine gloriæ.

Dub. 1.Utrùm lumen gloriæ ſit diſpoſitio neceſſaria ad vnionem eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei intelligibilis, & ad viſionem Dei recipiendam? pag.199.
§.1.Sententia D. Thomę duplici concluſione ſtabilita.ibid.
2.Duplex ſententia oppoſita.pag.202.
Dub.2.Utrùm eſſentia divina poſsit vniri intellectui creato in ratione luminis gloriæ?p.205.
§.1.Concluſio noſtra.ibid.
2.Argumentorum ſolutio.pag.207.
3.Quibuſdam dubiolis fit ſatis.pag.211.
Dub.3.An intellectus, vt perfuſus lumine gloriæ, concurrat inſtrumentaliter ad viſionem beatam?pag.213.
§.1.Nonnullę notationes.ibid.
2. Sententia Thomiſtica.pag.215.
3. Alię rationes pro noſtra concluſione.p. 216.
4.Oppoſita opinio.pag.218.
Dub.4. Utrùm lumen gloriæ ſit totalis, & adæquata virtus proxima agendi viſionem beatam?pag.220.
§.1. Explicatio tituli; necnon aliquæ ſuppoſitiones.ibid.
2.Prima & præcipua concluſio.pag.222.
3.Ratio fundamentalis. pag.223.
4. Aliæ rationes Thomiſticæ. pag.226.
5. Secunda concluſio. pag.227.
6.Argumenta contra hanc ſecundam concluſionem.pag.229.
7.Fundamenta primam, & præcipuam concluſionem oppugnantia.pag.233.
8.Quintum argumentum deſumptum ex vitalitate.pag.239.
9.Vltimum argumentum deſumptum à libertate.pag.240.

DISPUTATIO. IV.
De obiecto viſionis beatæ.

Dub.1.Utrùm beati per potentiam Dei abſolutam poſsint ipſum comprehendere?pag.243.
§.1.Supponuntur aliqua.ibid.
2.Aſſertio communis Theologorum. pag. 245.
3.Argumenta contraria. pag.246.
Dub. 2. Utrùm in Deo poſsit videri à beatis vnum prædicatum formale, & neceſſarium, quin videatur aliud?pag.250.
§.1.Sententia D.Thomæ.ibid.
2.Solvuntur argumenta pag.252.
Dub.3. Utrùm beati videant in Deo de facto, vel poſsint videre omnia, quæ contingenter, vel formaliter, vel virtualiter continentur in Deo? Et quæ ex illis cognoſcant?pag.255.
§.1. Triplex concluſio.pag.256.
2. Triplex alia concluſio.pag. 258.
Dub.4. Utrùm beatus, ex vi viſionis eſſentiæ divinæ, poſsit videre omnes creaturas poſsibiles: & quas cognoſcat?pag.262.
§.1.Prima aſſertio.ibid.
2. Secunda aſſertio.pag.263.
3. Tertia concluſio.pag.265.
4. Oppoſitæ ſententiæ.pag.266.
5.Obiectiones aliquæ contra dicta.pag.270.
6. Argumenta contra vltimam concluſionem.pagin.271.
Dub.5. Utrùm ex eo, quod beatus cognoſceret in verbo omnes creaturas poſsibiles,ſequeretur Dei comprehenſio?pag.273.
Dub. 6.Utrùm beatus extra verbum poſsit videre omnia poſsibilia? Et num ex cognitione omnium eorum ſequatur comprehenſio omnipotentiæ?pag.273.

TRACTATUS III.
De Scientia Dei.

DISPUTATIO I.
De Scientia Dei ſecundùm ſe.

DUb.1. An ex eo, quod Deus eſt ſumme immaterialis, rectè probet D. Thomas, eum eſſe ſumme intelligentem?pag. 274.
§.1.Quædam ſuppoſitio.ibid.
2.Noſtra concluſio.pag.275.
3.Argumentorum enodatio.pag.277.
4. Alia argumenta.pag.279.
Dub.2.Utrum in Deo ſit ſcientia ſtrictè dicta, & reſpectu quorum?pag.281.
§.1.Prima concluſio.ibid.
2.Secunda concluſio.pag.283.
3. Tertia concluſio.pag.285.
Dub.3. Utrùm ſcientia Dei ſit attributum illius? pag.286.
§.1.Sententia noſtra affirmativa proponitur.pagin.287.
2.Argumentorum ſolutio.pag.289.
Dub.4.Quodnam ſit obiectum primarium ſcientiæ divinæ?pag.292.
§.1.Suppoſitiones nonnullæ.ibid.
2. Duplex concluſio. pag.294.
3.Argumenta contra ſecundam concluſionem.pagin.296.
4.Argumenta Durandi contra primam concluſionem pag.300.
Dub.5. Utrùm Deus cognoſcat creaturas in ſua eſſentia tanquam in cauſa? Et an habeat aliquem modum, quo cognoſcat eas immediate in ſe ipſis?pag.302.

§.1.

§.1.Prima concluſio.ibid.
2.Secunda concluſio.pag.305.
3.Argumenta Vazquezij contra primam concluſionem.pag.307.
4. Argumenta contra ſecundam concluſionem. pag.311.

DISPUTATIO II.

De cauſalitate divinæ ſcientiæ.

Dub. 1. Utrùm ſcientia divina ſit cauſa rerum non ſolum directiva, ſed etiam effectiva? pag.313.
§.1.Sententia D.Thomæ.pag.314.
2.Obiectionum ſolutio.pag. 315.
Dub. 2. An ſcientia viſionis, & ſimplicis intelligentiæ conſtituant in Deo duo attributa virtualiter diſtincta? Et an diviſio ſcientiæ divinæ in eas ſit adæquata?pag.316.
§.1. Prima concluſio. pag. 317.
2.Secunda concluſio. pag. 319.
3.Argumenta contra ſecundam concluſionem. pag.321.
4.Duobus dubiolis fit ſatis.pag.324.
Dub.3.Quænam ſcientia Dei ſit cauſa rerum? pag.325.
§.1. Suppoſitio quædam.pag.326.
2.Sententia D. Thomæ.ibid.
3. Argumenta Anti-thomiſtarum ſolvuntur.pag. 328.
Dub.4.An res videantur à Deo, quia ſunt; vel potius, an res ſint, quia videntur ab ipſo? pag.330.
§.1. Sententia D. Thomæ.ibid.
2.Ratio fundamentalis.pag.331.
3.Argumentum præcipuum Adverſariorum. pag. 332.
Dub.5. Utrùm ſcientia Dei ſit formaliſsimè ipſa Omnipotentia, ſeu potentia immediatè executiva creaturarum? pag.335.
§.1. Aſſertio prima.ibid.
2. Aſſertio ſecunda.pag.338.
3.Aſſertio tertia.pag.340.
4.Aſſertio quarta.pag.341.
5.Aſſertio quinta.pag.343.
6.Vltima concluſio.pag.344.

DISPUTATIO. III.

De Scientia Dei erga futura abſoluta.

Dub.1.Utrùm futura contingentia abſoluta certò cognoſcantur à Deo in ſua eſſentia,& divinis ideis pro priori ad ſuum decretum exercitum? pag.346.
§. 1. Notantur aliqua, & alia ſupponuntur, ibid.
2. Concluſio Thomiſtarum. pag.348.
3, Oppoſita ſententia. pag.350.
Dub.2. Utrùm Deus certo cognoſcat futura contingentia in decreto, vt futuro? pag.351.
§.1. Sententia Thomiſtica.ibid.
2.Alia ratio pro aſſertione.pag.352.
3.Sententia contraria.pag.353.
Dub.3.Utrùm Deus certò cognoſcat futura contingentia abſoluta in ſupercomprehenſione cauſæ eorum creatæ indifferentis.pag.355.
§.1.Sententia Thomiſtica.ibid.
2. Molinæ fundamenta.pag. 356.
Dub.4. Utrùm Deus certò ſciat futura abſoluta llbera in eorum veritate obiectiva pro priori ad decretum ipſius ab intrinſeco efficax? pag.358.
§.1. Sententia communis Thomiſtarum.ibid.
2.Aliud fundamentum pro concluſione Thomiſtica.pag. 361.
3.Sententia contraria,pag.362.
Dub.5. An Deus cognoſcat certò futura contingentia abſoluta in decreto ab intrinſeco efficaci ſuæ voluntatis?pag. 363.
§.1. Sententia D. Thomę.pag.364.
2.Adverſans opinio.pag.367.
Dub. 6. Utrùm prȩſentia phyſica futurorum in æternitate ſit omnino requiſita, vt Deus ea cognoſcat infallibiliter, invariabiliter, & immutabiliter? pag.369.
§.1. Nonnullę ſuppoſitiones.pag.370.
2.Sententia affirmativa defenditur.pag.371.
3.Argumentorum reſponſio.pag.374.

DISPUTATIO. IV.

De Scientia futurorum conditionatorum.

Dub. 1. An futura contingentia conditionata certò cognoſcantur à Deo?pag.376.
§.1.Tituli quæſtionis explanatio.ibid.
2.Aſſertio prima.pag.377.
3.Duplex alia aſſertio.pag.379.
4.Oppoſita opinio.pag.380.
Dub.2.Utrùm pro priori ad decretum ſubiective in Deo exiſtens, poſsit ipſe certò metaphyſice futura conditionata cognoſcere?pag. 383.
§.1.Sententia Thomiſtica.ibid.
2.Aliæ rationes Thomiſticæ.pag. 386.
3.Patrum Societatis opinio.pag.387.
Dub.3.per quid conſtituatur futurum, ſive abſolutum, ſive conditionatum in eſſe talis? pag.390.
§.1. Prima aſſertio.pag.391.
2.Secunda aſſertio.pag.393.
3.Argumentorum ſolutio.pag.394.

DISPUTATIO V.

De Impoſsibilitate Scientiæ mediæ.

Dub.vnic. Utrùm ſcientia media, ſeu ſcientia conditionata Ieſuitica ſit impoſsibilis? pag. 398.
§.1.Scientiæ conditionatæ explanatio. ibid.
2. Reiectio ſcientiæ medię ex ſcriptura. p. 400.
3.Re-

3.Reiectio ſcientiæ mediæ ex Div.Auguſtino.pagin. 402.
4. Reiectio ſcientiæ mediæ ex D. Thom. pagin. 404.
5.Reiectio ſcientiæ mediæ ratione à priori. pagin.405.
6.Reiectio ſcientiæ mediæ ab inconvenientibus. pag 406.
7.Reiectio ſcientiæ mediæ ab alijs duobus inconvenientibus.pag.410.
8. Reiectio ſcientiæ mediæ ex ſolutione argumentorum.pag.413.
9.Solvirur argumentum ex authoritate Div. Auguſt.pag.414.
10. Solvitur argumentum ex authoritate Div. Thom.pag. 416.

TRACTATUS IV.
De Voluntate Dei.

DISPUTATIO I.
De quidditate voluntatis Dei.

DUB.1.An ratione Div. Thom. recte demonſtretur dari in Deo voluntatem ? pag. 419.
§.1.Ratio D.Thom. declaratur.ibid.
2. Obiectionum ſolutio.pag.420.
Dub.2.An voluntas divina habeat rationem potentiæ?pag.422.
§.1.Notabilia aliqua,& ſuppoſitiones.ibid.
2. Vera ſententia, & menti D. Thom. conformior.pag.423.
3.Alia ratio pro concluſione. pag. 424.
4.Argumentorum enodatio.pag.426.
5. Duobus dubiolis fit ſatis.pag.429.
Dub. 3. Quodnam ſit obiectum primarium voluntatis divinæ?pag.431.
§.1.Prima concluſio.ibid.
2. Secunda concluſio. pag.433.
3. Sententia oppoſita primæ concluſioni. pagin. 435.
4. Argumenta adverſus ſecundam concluſionem. pag.437.
Dub.4.An Deo conveniat amor proprie dictus: & an diſtinguatur virtualiter à gaudio ? pag. 439.
§.1.Concluſio prima.ibid.
2.Concluſio ſecunda. pag.440.
3. Argumenta contra primam concluſionem. pag.442.
4.Argumenta contra ſecundam concluſionem. pag.443.
5.Quibuſdam dubiolis fit ſatis.pag.445.

DISPUTATIO II.
De divinę voluntatis libertate.

Dub.1. An Deus diligat ſe libere?pag.447.
§.1. Communiſsima ſententia.pag.448.
2.Argumenta contraria.pag. 449.
Dub.2. Utrùm Deus diligat libere creaturas futuras , & exiſtentes?pag.450.
§.1. Duplex aſſertio.pag.451.
2 Sententiæ contrariæ. pag. 452.
Dub. 3. An Deus diligat creaturas poſsibiles, & an , ſi eas diligeret , diligeret neceſſario? pag. 454.
§.1.Prima concluſio.ibid.
2. Secunda concluſio.pag. 456.
3. Argumenta contra primam concluſionem. pag. 457.
4. Argumenta contra ſecundam concluſionem. pag.460.
Dub. 4. Utrùm voluntas divina potuerit ab omni actu manere ſuſpenſa erga creaturas? pagin. 461.
§.1.Controverſiæ reſolutio.ibid.
2.Sententia contraria.pag.463.
Dub. 5. In quo conſiſtat actus liber Dei ? pag. 465.
§.1. Quædam ſuppoſitio.pag.466.
2. Triplex concluſio. pag.468.
3.Concluſio quarta. pag. 470.
4.Vltima reſolutio.pag.471.
5.Argumentorum enodatio.pag.473.
6. Cuidam quæſtiunculæ fit ſatis.pag.476.

DISPUTATIO III.
De efficacia voluntatis divinæ.

Dub.1. Utrùm in Deo detur voluntas antecedens de ſalute omnium hominum?pag.478.
§.1. Suppoſitiones nonnullę.ibid.
2. Sententia D.Thomæ.pag.481.
2. Argumenta oppoſitę ſententiæ.pag.482.
Dub.2. Utrùm ex voluntate antecedenti non ſolum offerantur ; ſed etiam revera conferantur omnibus, & ſingulis adultis auxilia ſufficientia ad ſalutem?pag.484.
§.1.Sententia noſtra.ibid.
2.Aliæ duæ rationes pro noſtra ſententia. pag. 486.
3. Sententia contraria pag.488.
Dub. 3. An in voluntate divina poſsint dari, & de facto dentur decreta conditionata ? pagin. 491.
§.1.Noſtra ſententia.pag.492.
2. Argumenta contraria pag.494.
Dub. 4.Utrùm Deus decreto ex ſua natura efficaci prædiffiniat actus liberos bonos voluntatis creatæ?pag-497.
§.1.Sententia Thomiſtica, & probatio ex Scriptura.ibid.
2.Probatio ſententiæ Thomiſticæ ex SS. PP. pag.498.
3. Probatio ſententię à ratione.pag. 500.
4.Concluſio ſecunda , & fœderatio libertatis creatæ cum decreto efficaci.pag.502.
5.Tertia concluſio , in qua explicatur ſenſus compoſitus,& diviſus.pag.504.

5. Sententia contraria, & primum argumentum ab authoritate.pag. 506.
7. Duo argumenta à ratione.pag. 507.
8. Aliud argumentum.pag. 509.
9. Vltimum argumentum.pag. 511.
Dub. 5. An in Deo detur decretum ab intrinseco efficax, quo prædiffiniat mæteriale peccati? pag. 513.
§. 1. Sensus quæstionis, & discretio Scholæ Thomisticæ, & Iesuitæ.ibid.
2. Reiectio modi dicendi Recentiorum Iesuitarum.pag. 514.
3. Secunda conclusio, & stabilitio sententiæ Thomisticæ.pag. 516.
4. Ratio formalis Thomistica.pag. 517.
5. Sententia opposita, & primum argumentum. pag. 519.
6. Alia tria argumenta.pag. 521.
7. Aliud argumentum.pag. 523.
8. Vltimum argumentum ab inconvenientibus. pag. 526.

TRACTATUS V.
de Prædestinatione.

DISPUTATIO I.
De essentia Prædestinationis.

DUB. 1. Utrùm prædestinatio consistat in actu intellectus, & voluntatis? pag. 529.
§. 1. Nonnullæ suppositiones.ibid.
2. Sententia D. Thomæ.pag. 530.
3. Argumentorum solutio.pag. 533.
Dub. 2. In quo actu intellectus consistat prædestinatio? pag. 536.
§. 1. Explicatio tituli.ibid.
2. Vera sententia D. Thomæ.pag. 537.
3. Alijs rationibus probatur conclusio.pag. 541.
4. Solvuntur argumenta sententiæ contrariæ. pag. 544.
5. Solutio tertiæ confirmationis.pag. 546.
6. Solutio argumentorum, quæ vnice militant contra imperium divinum.pag. 549.
7. Corollaria præcedentis doctrinæ.pag. 552.

DIPUTATIO II.
De motivo prædestinationis.

Dub. vnic. An electio efficax prædestinatorum ad gloriam fiat ex prævisione meritorum, & ex iustitia.pag. 553.
§. 1. Suppositiones nonnullæ.pag. 554.
2. Vera sententia, & prima eius probatio ex Scriptura, & SS. PP. pag. 555.
3. Ratio formalis D. Thomæ.pagin. 558.
4. Aliarum evasionum impugnatio.pag. 560.
5. Opinio contraria enervatur.pag. 562.
6. Secundum argumentum. pag. 564.
7. Reliqua argumenta.pag. 566.

DISPUTATIO III.
De effectibus Prædestinationis.

Dub. 1. Utrùm permissio peccati sit effectus prædestinationis? pag. 568.
§. 1. Suppositiones nonnullæ.ibid.
2. Sententia nostra, & D. Thomæ.pag. 569.
3. Argumentorum enodatio.pag. 560.
4. Corollaria ex dictis. pag. 573.
Dub. 2. Utrùm substantia prædestinationis sit effectus prædestinationis? pag. 574.
§. 1. Suppositiones nonnullæ.ibid.
2. Conclusio affirmativa. pag. 576.
3. Argumentorum solutio.pag. 578.
4. Corollaria præcedentis doctrinæ.pag. 583.
Dub. vltim. & appendix: Quid dicendum sit de divina reprobatione quoad existentiam, essentiam, motivum, & eius effectus. pagina 584.
§. 1. Assertio prima existentiam reprobationis stabiliens.ibid.
2. Assertio secunda essentiam reprobationis declarans.pag. 586.
3. Tertia assertio motivum reprobationis manifestans.pag. 587.
4. Argumenta contra præcedentem assertionem. pag. 588.
5. Assertio quarta præcedentis assertionis quoad peccatùm originale ostensiva.pag. 590.
6. Argumenta contra secundam partem conclusionis.pag. 591.
7. Quinta assertio reprobationis positivæ explicativa.pag. 593.
8. Vltima assertio effectum reprobationis exponens.pag. 595.

TRACTATUS I.

DE DEO, ET EIUS ATTRIBUTIS.

HUNC tractatum præmittimus præter morem N. Salmant. necnon disputationem procœmialem de necessitate, quidditate, & proprietatibus sacræ Theologiæ: quia hæc methodus iam invaluit apud omnes Commentatores D. Thomæ: Et quia hunc tractatum, sicut & alios à pluribus audivimus desiderari. Et licèt noster Cursus Complut. nonnullam præstet de qualitate huius scientiæ notitiam, qua de causa disputationem procœmialem Cursus Salmant. omisit; nostri autem Superiores adhuc exoptant, immò præcipiunt exactiorem discussionem illorum, quæ prælaudato Cursui defuerunt. Pro quo munere implendo incipimus in his tractatibus 1. p. à supradicto de Deo, & eius Attributis, & in hoc à disputatione procœmiali. In vno tamen monitum desideramus benignum lectorem, quòd omnes sententiæ, quas selegimus, invenientur sparsim, etsi problematicè, in duplici præcitato Cursu, vt ex locis infrà citandis patebit, quia ab eorum selectissima doctrina nec in vno apice discedere tentamus, sed illam copiosius explanare, & ad exactius examen adducere.

DISPUT. I.

De Qualitate Sacræ Theologiæ.

1 VT *intentio nostra sub aliquibus certis limitibus comprehendatur* (sunt verba D. Thomæ in procœmio 1. q. 1. p.) *necessarium est primò investigare de ipsa sacra doctrina, qualis sit, & ad quæ se extendat.* Nomine *sacræ doctrinæ* ferè omnes eius Interpretes intelligunt Theologiam, & non habitum fidei: tum quia fides non est scientia, sapientia, & argumentativa; sacra verò doctrina, de qua D. Thomas in hac 1. q. his dotibus gaudet, vt liquet art. 2. & seq. Tum etiam: quia fides est habitus infusus; sacra verò doctrina, de qua in præs. D. Thom. est nostris actibus acquisita, vt infrà videbimus. Hæc autem sacra doctrina nomine *Theologiæ* solet appellari, quia derivatur à verbo *logos*, & *Theos*, quæ interpretatur ratio, verbum, seu sapientia, & Deus; & hæc scientia nihil est aliud, quàm ratio seu sermo de Deo. Et vt huius perfectissimæ scientiæ perfectam notitiam habeamus, oportet eius existentiam, naturam, & proprietates explanare ordine præscripto à D. Thoma.

DUBIUM I.

Utrùm Theologia sit in Ecclesia simpliciter necessaria?

EXistentia sacræ Theologiæ sufficienter demonstrata ibit, si eius necessitatem suadeamus, quia Deus nec in linea naturali, nec in supernaturali deficit in necessarijs. Pro cuius maiori luce, aliqua prænotanda sunt, & alia supponenda, vt sic clarior appareat sensus D. Thom.

§. I.

Nonnulla prænotabilia, & suppositiones.

2 NOtandum est *primò*, cum D. Thom. in hac 1. p. q. 19. art. 3. *Necessarium* posse aliquid dici dupliciter: primò absolutè & ex habitudine terminorum, quod diffinitur ab Arist. 5. Metaphys. cap. 5. *Quod aliter se habere non potest*, qualiter necessarium est homi-

nem esse animal, & Deum esse. Secundò ex suppositione, quia suppositâ aliquâ causa est determinatum ad *esse*, sicut Antichristus necessariò debet existere, quia existit decretum infallibile Dei de eius existentia. Potestque multiplicari iuxta numerum causarum. Sed quia necessarium ex fine magis conducit ad decisionem præsentis difficultatis, relicta pronùnc necessitate orta ex alijs causis, solùm agemus de necessario ex fine. Cuius descriptio potest deduci ex his, quæ loco citato,& 3.p.q.65.art.4. tradit D. Thomas, ad consecutionem finis desiderari.

Hoc autem necessarium dividit D. Thomas locis relatis in necessarium simpliciter, & in necessarium secundùm quid, seu ad meliùs esse. Illud est, sine quo finis esse non potest, & hoc modo cibus est necessarius ad vitam. Istud est, sine quo finis absolutè esse potest, sed faciliùs & convenientiùs cum illo, quo pacto equus requiritur ad ambulandum.

3 Notandum est *secundò*, aliam duplicem necessitatem dari apud Theologos : aliam præcepti, & aliam medij. Prima fundatur in mandato Prælati legitimam potestatem habentis, ex quo oritur in subdito obligatio ad eius impletionem, & sine illa vitari culpa non valet. Secunda consistit in re conducente ab intrinseco & ex natura sua ad consecutionem finis, iuxta modum proximè explicatum. Et iuxta omnes hos modos potest procedere quæstio. Sed pro faciliori expeditione:

4 Nota *tertiò*, Theologiam posse sumi dupliciter, vel radicaliter, vel formaliter. Priori modo accepta non distinguitur à fide theologica in via,& à lumine gloriæ in patria. Nam sicut scientia naturalis radicaliter est habitus primorum principiorum, quia ex primis principijs attactis ab illo scientia deducit suas conclusiones; & sicut scientia subalternata, radicaliter sumpta, est ipsa scientia subalternans,quia conclusiones, quas ex illa deducit, desumuntur ex conclusionibus illius, tanquam si essent prima eius principia;ita Theologia ex primis principijs attactis à fide, vt stant immediatè & formaliter sub divina revelatione, vel à lumine gloriæ, procedit ad deducendas suas conclusiones theologicas. Posteriori modo sumpta,est ipse habitus Theologiæ, de quo loquitur in præs. D. Thomas, vt suprà notavimus. Præsens autem dubium non procedit de Theologia iuxta primam acceptionem, quia magis pertinet ad 2.2. sed iuxta secundam.

Porrò Theologia solet dividi in Theologiam naturalem, vulgò *Metaphysicam*, & Theologiam Christianam. Quæ in eo distinguntur, quòd prior procedit à creaturis ad Deum,quia nulla scientia tam formaliter, quàm radicaliter naturalis, vt est Metaphysica, potest Deum immediatè attingere : & sic quicquid de Deo cognoscit, se habet per modum conclusionis, & creaturæ per modum medij seu principij, iuxta illud Apost. Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Cæterùm Theologia Christiana inverso modo procedit : nam pro principio assumit ipsum Deum, & ab ipso Deo priùs attacto deducit suas conclusiones : quod sine adminiculo fidei theologicæ in hac vita stare non potest, & sic necessariò debet supponere revelationem. Qui modi procedendi satis diversi nequeunt non refundere distinctionem non solùm specificam,sed etiam genericam inter Theologiam, & Metaphysicam, vt tradit D. Thomas in præs. art. 1. ad 2. per hæc verba : *Unde Theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundùm genus ab illa Theologia, quæ pars Philosophiæ ponitur*, scilicet Metaphysica. Aliam rationem pro hac distinctione, desumptam ex diversa abstractione, adducunt N. Complut. abbrev. in Logica disp.19.n. 24.& 27. Videantur ibi. Ex quo clarè colligitur, quòd titulus quæstionis solùm comprehendit Theologiam Christianam. Sed vt certa ab incertis separemus:

5 Supponendum est *primò*, scientiam Theologiæ esse necessariam saltem ad meliùs esse,non solum in Ecclesia, sed etiam in omnibus individuis, ad salutem. Et ratio est : Nam fides theologica est simpliciter necessaria ad salutem in omnibus individuis,vt cum D.Thom. 2. 2. q.2. art. 3. & 4. supponimus ; sed sacra Theologia est necessaria, saltem ad meliùs esse, ad fidem theologicam conservandam : ergo etiam est necessaria, saltem ad meliùs esse, in omnibus individuis ad salutem. Minor probatur ex D. August. relato à D.Thom. in præs.art. 2. in argum. *sed contrà*, qui ait : *Huic scientiæ attribuitur illud tantummodò, quo fides salubberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.*

6 Supponendum est *secundò*, hanc scientiam non esse simpliciter necessariam in omnibus, & singulis individuis ad salutem. Et ratio est evidens : Nam omnes tenentur ad suam salutem procurandam, & ad ponenda omnia media quæ ad illam obtinendam necessaria simpliciter sunt; sed non omnes tenentur ad Theologiam addiscendam, vel quia non omnes illius capaces sunt, vel quia in republica Christiana oportet alijs facultatibus incumbere: ergo hæc scientia non est omnibus, & singulis individuis necessaria simpliciter ad salutem. Maximè quia media sufficientia, & simpliciter necessaria ad salutem sunt fides, & charitas; sed ad fidem, & charitatem conservandam non est simpliciter necessaria Theologia in omnibus fidelibus, vt liquet in parvulis baptizatis, & in pluribus adultis rusticis, immò & doctis : ergo.

7 Supponendum est *tertiò*, Theologiam sacram esse in aliquibus necessariam necessitate præcepti, maximè in Prælatis, & alijs Ministris

Eccle-

Ecclesiæ. Nam in Ecclesia sunt Ministri necessarij tàm necessitate præcepti, quàm medij ad salutem obtinendam; sed in his est necessaria Theologia necessitate præcepti: ergo sacra Theologia est in aliquibus necessaria necessitate præcepti. Minor probatur: nam hi tenentur illam addiscere, cum teneantur alios edocere, quod munus cum simplici notitia rerum sufficienter nequeunt obire. Adde: nam aliqui debent esse in Ecclesia, qui teneantur in alijs fidem generare, illamque impugnantes arguere, iuxta illud Apost. ad Tit. 1. *Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Quod absque scientia Theologiæ id præstare non valent.

His suppositis, solum dubitari potest, an sit in Ecclesia simpliciter necessaria necessitate medij ad salutem.

§. II.

Sententia Communissima.

8 Dicendum est, sacram Theologiam esse in Ecclesia simpliciter necessariam necessitate medij ad salutem. Hanc sententiam tenent omnes Theologi, qui hanc rem tractant, eamque docet D. Thomas in præs. & in art. 1. supra prolog. lib. 1. Sent. quam pluribus rationibus probat Gregor. de Valentia: omnes tamen possunt reduci ad duas D. Thomæ. Pro quarum maiori claritate, nota ex ipso Ang. Doct. 1. Contra gent. cap. 3. duo esse genera cognoscibilium in Deo: quædam enim sunt, quæ excedunt omnem naturalem rationem, & non nisi per revelationem cognosci possunt, vt Trinitas personarum, beatitudo nobis promissa, necnon Incarnationis mysterium. Alia sunt, ad quæ ratio naturalis pertingere potest: huiusmodi sunt Deum esse, Deum esse vnum, immortalem &c. Et iuxta harum veritatum discrimen adducit aliam, & aliam rationem vnicuique harum veritatum generi accommodatissimam. Et prima pro primis reduci potest ad hanc formam: Nam fides theologica, & Scriptura sacra sunt simpliciter necessariæ necessitate medij ad salutem in republica Christiana; sed Theologia sacra, perse loquendo, est simpliciter necessaria ad fidem, & Scripturam sacram: ergo etiam est necessaria simpliciter ad salutem in republica Christiana. Maior cum consequentia constat. Et minor probatur: nam imprimis Theologia est, qua, teste Augustino, fides gignitur, nutritur, roboratur, atque defenditur. Deinde licèt Scriptura sacra doceat, quid credere debeamus; Theologia tamen docet modum quo ipsa contra hæreticos, & impios defendatur. Tandem necesse est in republica esse Doctores, quibus incumbat alios in rebus fidei, Scripturæ sacræ, & rerum conducentium ad salutem instruere, & qui parati sint omni poscenti rationem reddere, iuxta illud Petri cap. 3. *Parati reddere rationem de ea, quæ in vobis est, fide, & spe*; sed nulla facultas potest de his rationem reddere, nisi sacra Theologia: ergo necessaria est ad fidem, & sacram Scripturam roborandam, & conservandam.

Et confirmatur *primò*: Nam non minor necessitas est facultatis ad ea quæ pertinent ad salutem spiritualem, quàm facultatis ad salutem corporalem; sed datur facultas in republica, quæ necessaria est ad salutem corporalem restaurandam & procurandam, scilicèt Medicina: ergo etiam est necessaria in republica Christiana, & de facto datur, facultas ad salutem animæ consequendam: quæ nequit esse alia, nisi sacra Theologia. Quapropter Clem. Alexand. lib. 1. Pædag. cap. 1. dixit: *Sicut ægroto corpore Medico opus est; ita his, quorum æger est animus, opus est Doctore, qui nostram animam ad cognitionem deducat.*

Confirmatur *secundò*: Nam fides Christiana, quæ necessaria est ad salutem, non inclinat nisi ad prudentem assensum habentem sufficientia motiva ad credendum; sed si non esset Theologia sacra in Ecclesia, nullus prudenter posset fidem Catholicam amplecti, & in ea perseverare: ergo necessaria est hæc scientia ad fidem, & consequenter ad salutem. Minor probatur. Tum: quia Theologia præstat motiva sufficientia ad assentiendum rebus fidei, multisque argumentis ostendit, mysteria fidei, quamvis obscurissima, dignissima esse, vt illis prudentes credant. Tum etiam: quia ipsa exponit in qualibet quæstione, quæ sit legitima sententia fidei, conferendo loca Scripturæ inter se, explicando soliditatem Ecclesiæ, probando evidenter incommoda, quæ ex siniistro sensu oriuntur. Tum denique: nam ipsa solvit difficultates arduissimas, quas contra veritates fidei objiciunt hæretici. Quibus motivis ducti asserunt communiter Theologi, quòd Theologia ostendit evidentem credibilitatem mysteriorum fidei, & quòd sine hac evidentia credibilitatis nequit stare fides in republica Christiana: Ergo necessaria est omnino Theologia in Ecclesia ad fidem amplectendam, & conservandam.

9 Secunda ratio D. Thomæ, quæ deservit pro veritatibus secundi generis, proponitur sic: Necessaria est simpliciter aliqua facultas divinæ revelationi innixa, qua veritates divinæ naturaliter cognoscibiles à multis per breve tempus, & absque permixtione errorum comparari valeant; sed hæc nequit esse alia præter Theologiam: ergo Theologia est simpliciter necessaria in Ecclesia. Maior est certa: nam vt inquit D. Thomas: *A cognitione harum veritatum dependet tota hominis salus.* Minor verò

verò probatur: nam imprimis non sufficiunt scientiæ naturales, quia veritas de Deo per rationem purè naturalem investigata à paucis, per longum tempus, & cum admixtione plurium errorum provenit: *A paucis*, quia plures impediuntur ab studio scientiarum naturalium, vel quia inepti sunt propter complexionis indispositionem, vel quia propter pigritiam humano ingenio naturaliter insitam abhorrent huiusmodi laborem, vel tandem quia addicti sunt temporalibus administrandis in republica, & alijs artibus mechanicis: *Post longum tempus*, quia cognitio de Deo magnam profunditatem importat, ad quam post omnium scientiarum apparatum vltimò pervenitur: & sic Metaphysica, quæ de Deo tractat, post Logicam & Philosophiam addiscitur: vnde opus est diuturno tempore & labore; cui status iuventutis varijs passionum motibus oppressus facilè reluctatur: Denique *cum admixtione plurium errorum*, quia notitia divinorum per scientias naturales fallibilis est: ideoque nullus inter primos Philosophos est, qui destitutus alio lumine superiori in plures errores prolapsus non fuerit: Ergo scientia purè naturalis non sufficit ad illas veritates comparandas. Nec sufficit fides theologica: nam licèt in pluribus per brevissimum tempus, & sine admixtione errorum fides generetur, hoc ideò est, quia Theologia præsupponitur in Magistro, quæ disponit ad fidem in Ecclesia, & non nisi ductu Doctorum, quibus fides datur, potest sine admixtione errorum, & in tam plurimis infundi: ergo necessaria est Theologia ad eas veritates addiscendas.

Verum quidem est, quòd etiam Theologia per longum tempus, post plurimos labores, & post physicas disciplinas à paucis comparatur. Sed hoc, quod in paucioribus contingit, necessarium omninò est, vt fides, prout necessaria est ad salutem, in pluribus generetur: & nisi Theologia vel per infusionem habita, vel per proprium studium acquisita præsupponeretur in paucioribus, scilicèt in Magistris, fides non posset nec per breve tempus sine admixtione errorum in pluribus generari. Per quod præoccupata manet quædam tacita replica.

10 Dicendum est *secundò*, Theologiam, secundùm modum quo vtuntur Theologi scholastici, non esse simpliciter necessariam ad salutem; esse tamen vtilissimam. Sic omnes Theologi. Et quoad primam partem probatur: Nam ante Magistrum Sententiarum, D. Thomam, & alios Coriphæos nostræ Theologiæ scholasticæ plures salvabantur, ad quod sufficiebat Theologia tradita more Christi, Apostolorum, & Patrum: ergo Theologia, secundùm methodum qua vtuntur scholastici, non est simpliciter necessaria. Quoad secundam partem probatur ex illis verbis Apost. 2. ad Timoth. 3. vbi ait: *Omnis Scriptura divinitùs inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum, ad iustitiam*; sed nostra Theologia ex vna parte est divinitùs revelata saltem radicaliter, & ex alia iuxta methodum scholasticam ea munia convenientiùs præstat: ergo est vtilissima in Ecclesia ad salutem.

Quæ ratio magis expenditur: Nam ille modus in Theologia est vtilior, qui vtilior est ad docendum & ad arguendum; sed Theologia iuxta morem scholasticum est huiusmodi: ergo est vtilissima. Minor probatur: nam ille modus est vtilior ad docendum & arguendum, qui fundatur in methodo, in ordine, & distinctione quæstionum, & argumentorum, in forma differendi à recta arte præscripta, & in perspicatiori cognitione rerum; sed Theologia secundùm methodum introductam in Ecclesia præstat Theologiæ antiquæ in his omnibus: ergo vtilior est ad docendum, & arguendum.

Cuius rei nec desunt tria congruentissima signa. Primum est, quòd Sancti Patres ad fidem erudiendam, & arguendum contra eius impugnatores hac methodo vtebantur, & illam maximè commendant: vt August. Hieronym. & alij. Secundum, quia nullus est, qui sola lectione Patrum prudenter tentet de religione concertare, aut disputare, vel de casibus conscientiæ difficillimis respondere. Tertium est, ipsum odium quo nostram Theologiam scholasticam hæretici prosequuntur.

§. III.

Hæreticorum argumenta.

11 ADversus vtramque conclusionem sentiunt. Sectarij, qui non solum negant necessitatem sacræ Theologiæ quoad substantiam, sed etiam vtilitatem illius secundum methodum & seriem à Magistro Sententiarum, & D. Thoma introductam. Immò mille dicterijs eam afficiunt: Lutherus enim ait, Theologiam scholasticam esse *ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam*, & nostras Academias *Antichristi lupanaria*. Ubiclephus: *Castra cainitica*. Melanchthon vocat nostram Theologiam *prophanam*, *Parisijs natam, obscuravisse Evangelium, & fidem extinxisse*. Calvinus ait: *Scholasticos Theologos velut obducto velo Christum texisse, & plurima mala illis accepta ferri debere*.

Arguitur ergo *primò* contra primam conclusionem, primamque eius rationem: Nam eatenùs Theologia esset necessaria ad salutem, quatenùs esset necessaria ad fidem; sed ad fidem non est necessaria: ergo neque est necessaria ad salutem. Minor probatur *primò*: nam ea, quæ sunt necessaria ad fidem, se habent vt prima principia indemonstrabilia, suntque attingibilia immediatè ex divina revelatione; sed ad hæc attin-

attingenda non requiritur habitus scientiæ, sicut nec ad attingenda alia prima principia naturalia, sed sufficit habitus primorum principiorum, vti se habet fides in ordine supernaturali: ergo Theologia non est necessaria ad fidem. *Secundò*: Nam fides est prior Theologia, sicut lumen principiorum præcedit scientias naturales: ergo Theologia non requiritur ad generandam fidem.

Respondetur ad hoc argumentum, ex illo tantùm inferri non esse simpliciter necessariam Theologiam ad fidem generandam in vnoquoque fidelium, quod verum est, maximè respectu illorum quibus extraordinario modo infunditur fides. Cum quo rectè cohæret, quòd sit simpliciter necessaria in Ecclesia: nam licèt sufficiat fides ad credendum his quæ sunt necessaria ad salutem; nullus tamen potest credere prudenter secundùm cursum ordinarium, nisi in rebus fidei à Magistro instruatur: & ad hoc requiritur omninò, quòd in Doctore præsupponatur Theologia, cui incumbit facere evidenter credibilia mysteria fidei. Et licèt ad cognoscenda prima principia naturalia sufficiat lumen principiorum tàm in addiscente, quàm in docente: hoc ideò est, quia hæc prima principia sunt in se evidentia, & sic solum indigent ad sui cognitionem perfectam terminorum explicatione. Mysteria autem fidei sunt obscurissima, quæ nisi præsupponant argumenta nostræ Theologiæ, solutionemque argutiarum & sophismatum, per quæ & alia relata num. 8. facit evidentiam credibilitatis mysteriorum fidei, non prudenter crederentur. Per quod constat ad primam probationem. Ad *secundam* respondemus, quòd estò fides sit in discipulo prior Theologia; hæc autem in Magistro debet præcedere, vt fides in discipulo generetur. Verum quidem est, quòd in primo fideli prior erat fides quàm Theologia. Hoc autem fuit, quia edoctus fuit immediatè à Deo, & non secundùm cursum ordinarium, quo communiter instruuntur fideles.

12 Sed dices: Theologia pro hoc statu est obscura: ergo nequit reddere evidenter credibilia mysteria fidei. ¶ Respondetur cum D. Thoma 1. Contra gent. cap. 6. per hæc verba: *Hæc enim divinæ sapientiæ secreta ipsa divina Sapientia dignata est hominibus revelare, quia doctrinæ, & inspirationis veritatem conuenientibus argumentis ostendit*; quod facit Theologia, quatenus varijs successibus, & signis eventis in Ecclesia ostendit evidentiam credibilitatis mysteriorum fidei. Pro quo videndus est D. Thomas 2.2.q.1. art. 4. ad 2. & art. 5. ad 2. & N. Salm. tract. *de Fide*, disp. 1. à n. 172.

13 Arguitur *secundò*: Nam aliquæ provinciæ sunt, quæ Theologis carent; & nihilominus plures salvantur: ergo Theologia non est simpliciter necessaria ad fidem, & ad salutem. ¶ Ad hoc argumentum respondetur, in illis provincijs, in quibus desunt Theologi docti, fidem non posse esse permanentem secundùm cursum ordinarium. Et licèt hoc contingeret: ideò esset, quia per veram Theologiam, & doctissimos Theologos in illis provincijs introducta fuit, & omnes procederint in fide parentum. Et sic necessaria fuit Theologia, vt in illis fides generaretur.

14 Arguitur *tertiò*: (procedit contra secundam rationem) Nam non est necessaria Theologia sacra ad cognoscendas certò, & sine errore eas veritates, quæ de Deo naturaliter cognosci possunt: ergo falso principio nititur ratio secunda nostræ conclusionis. Antecedens probatur: nam pro his veritatibus sine errore cognoscendis sufficiunt aliæ scientiæ naturales adiunctæ fidei: ergo non est necessaria Theologia. Antecedens probatur: nam prædictæ veritates non superant captum naturalem nostri intellectus, & sic demonstrativè attinguntur à Metaphysica, vt Deum esse vnum, esse causam primam omnium &c. aliundè, si adiungitur fidei, excludit omnem errorem: ergo sufficiunt aliæ scientiæ naturales adiunctæ fidei.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum est, quòd Metaphisica non habet ex meritis proprijs, quòd adiungatur fidei, quia non deducit suas conclusiones ex immediatè creditis, & revelatis. Undè si procedat sine errore in attingentia veritatum, quæ de Deo naturaliter haberi possunt, hoc erit per accidens. Theologia verò per se procedit ex immediatè creditis à fide ad deducendas suas conclusiones, & ex hoc habet, quòd per se procedat sine errore: Et propterea per se loquendo necessaria est simpliciter ad attingendas huiusmodi veritates, prout conducunt ad salutem.

15 Contra secundam conclusionem arguitur *primò*: Nam studium nostræ Theologiæ est investigare proprio labore, & industria plura de rebus fidei; sed hoc improbatur à Scriptura sacra, & Sanctis PP. ergo non est vtilis. Probatur minor ex Ecclesiast. 3. vbi dicitur: *Altiora te ne quæsieris.* Et ex Apost. 1. ad Corinth. 2. vbi ait: *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, ne evacuetur crux Christi.* D. Hieronym. tandem in cap. 31. Ierem. ait, de verbis Dei argumentari esse sacrilegum.

Et confirmatur: Nam Theologia nostra vtitur principijs philosophicis; sed scientia innixa his principijs est nociva: ergo non vtilis. Minor probatur *primò* ex Apost. ad Coloss. 2. vbi ait: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Secundò, ex D. Ambrosio in psal. 118. vbi dicit: *Nihil nobis cum Philosophia, ne fides nostra per elementa mundi huius traducat à vero ::: Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognoscimus, dum Christi generationem putant vsu huius sæcu-*

li

li colligendam; reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem.

Ad argumentum respondetur, negando minorem. Et ad eius probationem desumptam ex sacra pagina, & Sanctis PP. respondetur, solùm improbare studium circa res fidei innixum præcisè rationi naturali: vel quando suscipitur cum dubitatione, & animo examinandi, si res fidei ita sint, quasi præferendo rationem naturalem revelationi, & parvipendendo ipsam fidem. Studium autem nostræ Theologiæ fundatur in fide firma, & solùm ordinatur ad defendendam ipsam fidem adversus argutias, & sophismata hæreticorum: vnde hoc studium non damnatur à Scriptura, & Sanctis PP. cùm in illis passim reperiatur. ¶ Ad confirmationem respondetur, D. Paulum, & Ambrosium solùm reprehendere vsum falsæ Philosophiæ, vel vsum Philosophiæ naturalis sine subordinatione ad articulos fidei: & meritò, nam Principes eius in ea satis fisi inciderunt in plures errores: Non verò damnant vsum illius cum subordinatione ad veritates revelatas, quo pacto procedit nostra Theologia, & Doctores fideles.

16 Arguitur *secundò*: Nam sine Theologia nostra Scholastica redacta ad specialem seriem, & methodum perseveravit Ecclesia per plura sæcula, & prævaluit adversus hæreticos cum Theologia Sanctorum PP. ergo signum est, quòd secundùm methodum, qua vtuntur Theologi post Magist. Sent. & D. Thomam, non est vtilis. ¶ Confirmatur: Nam nostra Theologia proponit quæstiones inutiles & otiosas de constitutivis, hypotesibus impossibilibus, de possibilitate metaphysica &c. contra præceptum Apost. ad Titum 3. *Stultas quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita: sunt enim inutiles, & vanæ.* Item 2. ad Corinth. 13. obsecrat, vt idem sapiamus omnes; quod non assequitur Theologia post methodum introductam, nam hoc docet Div. Thomas, illud Scotus, & aliud Suarius. Tandem nostra Theologia vtitur pluribus vocibus barbaris alienis à proprio idiomate latino, vt *perfeitas in essendo, quidditas, quidditativè.*

Ad hoc argumentum respondetur, nostram Theologiam non esse diversam à Theologia Christi, Apostolorum, & Sanctorum PP. nam eisdem argumentis, quibus isti vtebantur, vtuntur etiam nunc nostri Theologi, licèt ad aliam methodum digestis. Ex quo tantùm potest inferri, quòd secundùm præsentem methodum non sit simpliciter necessaria: sed hinc non potest eius vtilitas negari, cùm hic modus magis conducat ad erudiendos fideles, & convincendos hæreticos, vtpote fundatus in maiori distinctione, & ordine quæstionum, & argumentorum, & in forma meliori differendi.

Ad confirmationem respondetur, quòd omnes illæ quæstiones, quas graviores Theologi tractant, licèt agant de constitutivis, hypotesibus &c. sint valdè vtiles: quia conducunt ad explicandas notiones rerum, quæ tractantur in sacra pagina, & ad intelligendas quidditates, & distinctiones rerum pertinentium ad fidem. Neque has quæstiones damnat Apost. sed alias inutiles, & noxias, quas Iudæi, & Gentiles in principio Christianis objiciebant. Et licèt non omnes Theologi in omnibus, quæ tractantur à Theologia, idem sapiant; benè verò in rebus fidei, & in decretis Ecclesiæ: quod sufficit ad vtilitatem Theologiæ. In his autem, in quibus dissident, semper procedunt cum subordinatione & subiectione fidei; sed cùm in opinione consistant, non est mirum, quòd non sit vnus omnium consensus. Id, quod additur de vocibus, facilè dispellitur: Nam Principes Theologiæ non minori gaudent licentia ad introducendas novas voces, vt explicent mysteria fidei, quàm Grammatici, & Philosophi: nam, vt inquit Cicero lib. 1. Acad. *Inventis novis rebus, nova licet adinvenire vocabula.*

DUBIUM II.

Utrùm Theologia sit scientia? Et an verè, & propriè subalternetur scientiæ beatæ?

SUppositâ existentia Theologiæ, oportet eius quidditatem & essentiam explanare, ad quod deservient hoc, & dubia sequentia. Sed nota, Theologiam dividi in divinam, & creatam; hanc autè in Theologiam patriæ, & Theologiam viæ; tandem Theologiam patriæ in scientiam beatam, & scientiam per se infusam. Hoc autem dubium, sicut & tota disputatio, solùm procedit de Theologia viæ: Et inquirit de ea, brevitatis causa, an sit scientia? & an propriè subalternetur scientiæ beatæ? Quod duabus assertionibus absolvemus.

§. I.

Prima Conclusio.

17 DIcendum est *primò*, Theologiam nostram esse verè & propriè scientiam. Sic D. Thomas in præf. art. 2. vbi hoc dubium sic resolvit: *Dicendum, sacram doctrinam esse scientiam.* Idem tradit in 1. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. & ibidem ad Annib. opusc. 70. q. 2. art. 2. & 22. q. 1. art. 5. ad 2. alijsquè in locis: quem sequuntur omnes eius Discipuli.

Et probatur *primò* ratione, desumpta à definitione scientiæ tradita ab Arist. 1. Poster. cap. 2. vbi ait: *Scire autem putamus vnanquamque rem simpliciter, & non sophistico modo, cùm putamus causam cognoscere, propter quam res est, eius rei causam esse, neque posse alitèr se habere*; sed Theologia procedit

hoc modo erga conclusiones : igitur est verè scientia. Minor probatur : nam imprimis Theologia cognoscit, Christum habere humanam voluntatem ; deinde cognoscit illam habere, quia habet naturam humanam, & hanc esse causam voluntatis creatæ ; & tandem cognoscit aliter se habere non posse: ergo convenit ei adæquata definitio veræ, & propriæ scientiæ.

Confirmatur *primò*, ex alia definitione scientiæ communiter accepta in Scholis : Nam scientia est habitus acquisitus per demonstrationem ; sed Theologia elicit demonstrationem circa suas conclusiones : ergo est verè, & propriè scientia. Minor probatur : nam syllogismus procedens ex veris, primis, & immediatis, prioribus, notioribus causisque conclusionis est rigorosa demonstratio, cùm contineat eius definitionem essentialem ; sed Theologia elicit huiusmodi syllogismum, vt liquet in hoc : *Omne rationale est risibile ; sed Christus est rationalis : ergo est risibilis* : risibilitas enim procedit evidenter ex rationalitate tamquam ex causa necessaria, prima, & immediata : ergo elicit demonstrationem.

Confirmatur *secundò* : Nam Theologia discurrit circa res divinas maiori certitudine & firmitate, quàm aliæ scientiæ naturales erga propria obiecta : ergo est propriè scientia. Antecedens est certum : nam Theologia reducit suas conclusiones in principia fidei, vel scientiæ beatæ, quæ superant omnem certitudinem, & evidentiam naturalem. Consequentia verò probatur : propterea enim scientiæ naturales sunt verè scientiæ, quia certò, & evidenter attingunt verum, quod est finis omnium scientiarum : ergo si Theologia in hoc excedit alias scientias naturales, debet etiam esse scientia.

18 Respondet Vazquez, ad rationem scientiæ rigorosæ non sufficere certitudinem de suis principijs, sed etiam desiderari evidentiam de illis; Theologia autem, cùm procedat præcisè ex principijs fide creditis, non potest habere evidentiam de illis : propterea que destituta manet à vera ratione scientiæ.

Sed contrà est : Nam evidentia actualis de primis principijs non est de quidditate scientiæ rigorosæ : ergo estò Theologia non habeat evidentiam de suis principijs, si aliunde habeat certiorem & immobiliorem assensum de illis, debet gaudere vera ratione scientiæ. Antecedens probatur *primò* : nam in definitione suprà tradita ex Arist. solùm petitur cognitio rei per causam, & quòd aliter se habere non possit : ergo si absque evidentia actuali datur cognitio rei per causam, & aliter se habere non potest, evidentia actualis non requiritur ad conceptum substantialem scientiæ. *Secundò* : Scientia subalternata est scientia quoad substantiam in absentia subalternantis, vt cum communiori placito Logicorum tenent N. Complut. abbreviati in sua Log. disp. 19. q. 3. & tamen deficit ei evidentia actualis de principijs : ergo, cùm Theologia longè superet in certitudine & firmitate erga sua principia scientiam subalternatam naturalem, planè infertur non requiri evidentiam actualem, vt Theologia polleat quidditativa ratione scientiæ.

19 Sed dices, per verba definitionis suprà traditæ intelligi debere evidentiam actualem, vel aptitudinalem, seu radicalem, cùm Philosophus non cognoverit possibilem esse certitudinem requisitam ad veram rationem scientiæ sine evidentia : Porrò Theologia nostra non importat evidentiam actualem, vt ex se constat: nec radicalem, cùm sit satis probabile, quòd non maneat in patria.

Sed contrà est *primò* : Nam certum est, quòd in relata definitione solùm exigitur cognoscere rem per causam, & quòd illius causa est, & quòd res aliter se habere non possit : ergo, si omnia hæc salvari queunt absque evidentia actuali, seu radicali, manifestum est, quòd Arist. non intelligit per verba definitionis evidentiam aliquam, sed certitudinem. *Secundò* : Nam D. Thomas q. 14. *de Verit.* art. 9. ad 3. solùm prærequirit ad scientiam in statu perfecto, quòd continuetur cum scientia subalternante, non verò ad veram rationem scientiæ : sic enim ait: *Ille, qui habet scientiam subalternatam, non perfectè attingit ad rationem sciendi, nisi inquantùm eius cognitio continuatur quodammodò cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem. Nihilominus tamen inferior sciens non dicitur de his, quæ supponit habere scientiam ; sed de conclusionibus quæ ex principijs suppositis de necessitate concluduntur. Et sic fidelis potest dici habere scientiam de his, quæ concluduntur ex articulis fidei.* Tertiò : Nam propterea Arist. poterat exigere evidentiam ad veram rationem scientiæ, quia non cognovit fidem catholicam omnino infallibilem, & sine illa, vel evidentia actuali, vel aptitudinali non potest salvari certitudo requisita ad rationem scientiæ veræ, & propriæ : ergo stante maiori certitudine per fidem catholicam, quàm per evidentiam scientiæ naturalis, debet salvari vera, & propria quidditas scientiæ. Id verò, quod prædicta evasio tangit de non permanentia nostræ Theologiæ in patria, nihil est. Tùm quia longè probabilius est oppositum, vt infrà videbimus. Tum & maximè: quia ad defendendam hanc quæstionem sufficiunt motiva proposita, quin sit necessarium recurrere ad evidentiam aptitudinalem, dummodò salvetur omnimoda certitudo, sicuti salvatur per fidem theologicam. Ulteriùs vtraque evasio per rationem sequentem impugnatur.

20 Nam Theologia est virtus intellectualis: ergo est scientia. Antecedens est certum : tum quia perficit intellectum in ordine ad verum certò & absque formidine, quod est proprium vir-

virtutis intellectualis, vt distinctæ ab errore,& opinione. Tum etiam: quia potest deducere suas conclusiones ex principijs fidei Catholicæ indefectibilitèr cognitis, quod non potest stare cum conceptu opinionis, & erroris, quæ sunt vitia contraria virtuti purè intellectuali. Consequentia verò probatur: nam virtus purè intellectualis dividitur adæquatè in lumen principiorum,& scientiam, seu sapientiam; sed Theologia non est lumen principiorum, quia versatur per discursum circa conclusiones deductas ex primis principijs,quod est contrarium lumini principiorum: ergo est scientia, seu sapientia.

21 Nec prodest Vazquezio recursus ad fidem humanam, media qua Theologia deducit suas conclusiones, vt contingit in hæretico.Nam imprimis non est ratio, cur Theologia deducat suas conclusiones ex principijs vt creditis fide humana, & non ex illis vt creditis fide divina: ergo licèt, vt deducit suas conclusiones primo modo, non fit virtus, sed opinio; benè verò secundo modo. *Deindè*: Theologia hæreticalis est diversa specificè à Theologia Catholica: ergo *quòd illa non sit virtus* non obstat,quòd nostra Theologia virtus sit, & consequenter necessariò inclinat in assensum verum. Antecedens probatur: tum ex D. Thoma in præf. art. 5.vbi, comparans certitudinem nostræ Theologiæ Catholicæ cum alijs scientijs naturalibus, sic concludit: *Hæc autem*, ideſt Theologia, *certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quę decipi non potest.* Tum etiam: nam habitus nequeunt non variari, & corrumpi ex diversitate certitudinis,& incertitudinis: ergo assensus procedens ex principijs certis & infallibilibus nequit non generare diversum habitum, ac assensus procedens ex principijs incertis; sed huiusmodi sunt Theologia Catholica innixa fidei divinæ,& Theologia hæreticalis innitens fidei humanę: ergo distinguuntur specie. Et consequenter, deficiente fide Catholica in hæretico,corrumpitur Theologia Catholica, & generatur alia valde diversa.

§. II.

Secunda Conclusio.

22 DIcendum est *secundò*, Theologiam nostram verè, & propriè subalternari scientiæ beatæ, & consequenter scientiæ divinæ, & non solùm observare modum scientiæ subalternatæ. Hanc conclusionem tenent communitèr Thomistæ, præcipuè Lisbonien. Contenson, Carrasco, Lezana num. 23 in eamque inclinant N. Salm.tract. 17.disp. 1. n. 126. Et licèt expressis terminis non inveniatur in Div. Thom. (vt falsò referunt Mag. Ferre n. 52. & Carrasco num.6.qui ex D.Thoma 2. 2. q. 1. art.5.hausserunt sequentia verba: *Theologia ergo in nobis viatoribus est secundùm se verè scientia subalternata*; cùm ibi solùm inveniantur hæ voces: *Vnde etiam Theologia scientia est, vt in principio Operis dictum est.*) Expressè tamen deducitur ex eius doctrina: nam in præf. art. 2. postquàm refert esse duplex genus scientiarum: aliæ quæ procedunt ex principijs per se notis, sicut Arithmetica, & Geometria: & aliæ quæ procedunt ex principijs notis lumine superioris scientiæ, sicut Perspecti va, quæ procedit ex principijs notis à Geometria; & Musica ex principijs notis per Arithmeticam,sic concludit: *Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & beatorum*; sed Perspectiva, & Musica sunt verè, & propriè scientiæ subalternatæ Geometriæ, & Arithmeticæ: ergo etiam Theologia est verè,& propriè subalternata scientiæ divinæ,& beatæ.

Nec prodest, si respondeas, ly *eodem modo* solùm dicere relationem ad conceptum scientiæ, non verò ad conceptum subalternationis. Tum quia primus erat præcipuus scopus artic. Tum & præcipuè: quia Theologia non observat eundem modum subalternationis ac Musica, & Perspectiva; cùm harum obiectum addat differentiam accidentalem supra obiectum scientiarum subalternantium, quæ est conditio præcipua scientiæ propriè subalternatæ, vt tradunt cum communi plausu Logicorum N.Complut. abbreviati in sua Log. disp. 19.à n.3. qua conditione non gaudet obiectum Theologiæ.

Non, inquam,prodest. *Primò*: quia licèt in illo articulo præcipuus scopus D. Thomæ esset stabilire conceptum scientiæ in sacra doctrina, seu Theologia; ratione consequentię poterat inferre veram subalternationem, vt in alijs persæpè contingit. *Secundò*: Nam, vt ille terminus complexus *eodem modo* cadat supra subalternationem, sufficit, quòd Theologia imitetur alias scientias subalternatas in conceptu essentiali subalternationis, licèt in alijs non imitetur: sicut Adversarij ex illis inferunt, Theologiam gaudere verè, & propriè conceptu formali scientiæ,sicut Musica, & Pespectiva; licèt plures ex illis doceant,has scientias petere continuari cum scientia subalternante, non verò Theologiam nostram: ergo si Theologia gaudet conceptu essentiali subalternationis respectu scientiæ Dei, & beatæ, optimè probatur conclusio ex verbis relatis D.Thomæ. Sed ita est, quòd gaudet:ergo secundùm D.Thomam Theologia est scientia verè, & propriè subalternata scientiæ Dei, & beatorum.Probatio minoris pendet ex quibusdam prænotabilibus, quibus iactis eruetur ratio fundamentalis conclusionis.

23 Nota ergo *primò*, quòd scientia *subalternata* illa dicitur, quæ sub altera nascitur, & sic *subalternatio* idem est, ac *sub altero nativitas*:

tas: vnde illa scientia, quæ in sui ortu ab altera pendet, dicitur *subalternata*. Nota secundò, quòd licèt communitèr loquendo obiectum scientiæ subalternatæ addat obiecto scientiæ subalternantis aliquam differentiam accidentalem, ratione cuius deducit novas proprietates & conclusiones, ex quo oritur, quòd ibi incipiat scientia subalternata, vbi desinit scientia subalternans, iuxta illud axioma: *Ibi incipit Mediceus, vbi desinit Philosophus*, consequenterque eæ veritates, quæ se habent vt conclusiones in subalternante, se habent vt principia subalternatæ: Attamen hæc conditio eò collimat, vt scientia subalternata nequeat probare vllam conclusionem sine scientia subalternante. Unde semper ac salvatur dependentia, & subordinatio alicuius scientiæ ab alia quantum ad evidentiam suarum conclusionum, salvatur vera, propria, & rigorosa ratio subalternationis, quia necessariò sub illa nascitur. Pro quo videndi sunt prædicti PP. Complut. loco citat. num. 5. Ex his:

24 Probatur nostra conclusio: Nam illa scientia est propriè & quoad substantiam alteri subalternata, cuius conclusiones dependent ad sui evidentiam & certitudinem à principijs notificatis evidentèr ab altera; sed Theologia nostra est huiusmodi respectu scientiæ beatæ: ergo verè & propriè illi subalternatur. Maior ex proximè prænotatis patet. Minor verò probatur: Nam nostra Theologia procedit ex principijs notis evidentèr per scientiam beatam, cuius vices supplet fides theologica; & sine revelatione illorum clara, vel obscura nullam conclusionem potest evidentèr deducere: ergo dependet quantùm ad evidentiam, & certitudinem à scientia beata.

Confirmatur: Nam ideò Musica propriè subalternatur Arithmeticæ, quia procedit ad suas conclusiones ex principijs persè notis ab ista, ad quod conducit additio differentiæ accidentalis in obiecto Musicæ supra obiectum Arithmeticæ; sed etiam Theologia nostra procedit ad suas conclusiones dependenter à principijs persè notis à scientia beata: ergo observat rigorem substantialem scientiæ propriè subalternatæ.

Explicatur hæc ratio, & confirmatio: Nam vt salvetur vera ratio subalternationis vnius scientiæ respectu alterius, sufficit, quòd dependeat perse ab ea in aliquo prædicato prærequisito ad conceptum proprium scientiæ; sed Theologia nostra est huiusmodi respectu scientiæ beatæ: ergo est propriè subalternata respectu illius. Maior liquet ex alijs scientijs subalternatis, quæ ideò tales sunt, quia dependent persè à scientijs subalternantibus in aliquo prædicato exacto ad conceptum proprium scientiæ. Minor probatur: nam evidentia & certitudo de conclusionibus est prædicatum essentialitèr requisitum ad conceptum rigorosum scientiæ; sed nostra Theologia non habet certitudinem & evidentiam suarum conclusionum nisi in virtute scientiæ beatæ, vel fidei loco illius subrogatæ: ergo dependet ab ea essentialitèr in aliquo prædicato exacto ad conceptum proprium scientiæ. Minor est expressa D. Thomæ loco suprà relato, & ad 1. vbi ait: *Dicendum, quòd principia cuiuslibet scientiæ, vel sunt nota persè, vel reducuntur ad notitiam superioris scientiæ: & talia sunt principia sacræ doctrinæ; vt dictum est*, nempè in corp. art.

25 Respondebis cum Vazquezio, & alijs Adversarijs, Arist. 1. Posterior. stabilisse pro scientia subalternata aliquas conditiones, quæ Theologiæ nostræ convenire non possunt. Et potius standum est illi, quàm nobis, qui ex nostro cerebro fingimus aliam quidditatem rigorosæ subalternationis.

Sed contrà est: Nam ideò Arist. assignavit pro scientia subalternata conditiones aliquas, quæ nostræ Theologiæ adaptari non valent, quia non cognovit nostram Theologiam: ergo absque præiudicio authoritatis Aristotelicæ potuit D. Thomas (& non nos ex nostro cerebro) stabilire aliam conditionem pro omnibus scientijs subalternatis magis communem, in qua vnicè consistat essentia subalternationis. Sicut Aristoteles pro vera ratione scientiæ exigit evidentiam actualem, vel aptitudinalem de suis principijs; & tamen plures ex Adversarijs solum petunt certitudinem fundatam in fide propter Theologiam, quæ, vt aiunt, est essentialitèr obscura. Et sicut Aristoteles statuit essentiam accidentis in inhærentia actuali in subiecto, quia non cognovit mysterium Eucharistiæ; & similiter Doctores catholici ob oppositam rationem asserunt, eius essentiam consistere in inhærentia aptitudinali. Et propterea D. Thomas in præs. art. 6. ad 2. ait, quòd Theologia iudicat, corrigit, & reprobat plura principia philosophica. Tum: nam ideo illas conditiones pro scientijs subalternatis posuit Arist. quia persè primo intendebat demonstrare distinctionem specificam inter scientiam subalternantem, & subalternatam; & sine prædictis conditionibus scientiæ naturales, subalternans, & subalternata (quas solùm assignavit Arist. & pro quibus stabilivit illas conditiones) distingui non possunt: ergo si Theologia nostra distinguitur essentialitèr à scientia beata, & aliàs dependet essentialitèr ab ea in evidentia, seu certitudine suorum principiorum, quæ est prædicatum essentialitèr requisitum ad conceptum formalem scientiæ subalternatæ, debet illi propriè subalternari, licèt careat conditionibus Aristotelicis.

26 Maximè quia vna ex præcipuis conditionibus ad scientiam propriè subalternatam petitis ab Arist. & Metaphysicis, seu Logicis, est, quòd conclusiones scientiæ subalternantis sint principia subalternatæ; sed quandoque hoc con-

tingit nostræ Theologiæ : ergo adhuc ex hac parte non debet ei denegari vera ratio subalternationis respectu scientiæ beatæ. Minor probatur : Nam scientia beata plura mysteria fidei attingit, vt conclusiones in suis causis, nempè Incarnationem, Resurrectionem, Iustificationem, Eucharistiam, & alia huiusmodi ; sed hæc mysteria, quæ se habent vt conclusiones respectu scientiæ beatæ, sunt prima principia respectu nostræ Theologiæ, cùm sint mysteria immediatè credita per fidem, ex quibus procedit ad deducendas alias conclusiones : ergo conclusiones scientiæ beatæ sunt quandoquè prima principia nostræ Theologiæ.

Adde : Nam quodammodò potest etiam concedi, quòd obiectum nostræ Theologiæ addit differentiam accidentalem obiecto scientiæ beatæ : quia obiectum scientiæ beatæ est Deus prout est in se ; sed obiectum nostræ Theologiæ est idem obiectum vt revelatum, vel revelatione clara, vt in patria, vel revelatione obscura, vt in via, quod additum est quædam differentia accidentalis respectu Dei secundùm se : ergo.

27 Ex quibus liquidò constat secunda pars nostræ conclusionis, nempè quòd nostra Theologia subalternatur scientiæ Dei. Quia nostra Theologia principaliùs dependet quantùm ad certitudinem à scientia Dei, quam à scientia beata creata : ergo si huic ob hanc rationem est subalternata, etiam scientiæ Dei. Ans. probatur : Nam nostra Theologia accipit certitudinem suorum principiorum à fide ; sed fides principaliùs innititur Deo, quàm scientiæ beatæ : Tum : quia ab eo accipit immediatè doctrinam revelatam, cui credit : Tum etiam : quia estò nullus esset beatus, posset persistere fides, qua credimus Deo : ergo Theologia nostra quoad sui certitudinem principaliùs dependet à scientia Dei, quàm à scientia beata.

§. III.

Argumenta contra primam conclusionem.

28 CONtra nostras conclusiones duplex militat sententia. Prima defendit, Theologiam nostram non esse proprie scientiam. Quam tenet Vazquez in præf. quæst. 1. punct. 3. disp. 4. quem Iesuitæ communiter sequuntur. Inter quos iure annumerare possumus Durandum, quia ait non esse vnivocè scientiam cum alijs : Scotum, Greg. Marsilium, Gabrielem, quos refert Zumel, quatenus docent esse largè scientiam. ¶ Secunda tenet, non esse propriè subalternatam scientiæ Dei, & beatæ. Pro qua sunt ex Iesuitis Vazquez, Molina, & alij, & à fortiori omnes Authores relati pro prima sententia. Et ex Thomistis Zumel. Magist. Ildeph. Michaël, Palanco, & alij.

Et pro prima sententia arguitur *primò* : Nam ad veram rationem scientiæ requiritur, vt sciens possit resolvere suas conclusiones in prima principia persè nota ; sed Theologia nostra nequit resolvere suas conclusiones in prima principia persè nota : ergo non est propriè scientia. Minor constat : Nam Theologia procedit ex principijs revelatis. Maior verò probatur : tum ex D. Thoma in 3. dist. 33. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. vbi sic ait : *Si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset eiusdem speciei cum alijs scientijs, nec vnivocè scientia diceretur.* Similiter tradit 2. 2. quæst. 1. art. 5. & quæst. 14. *de Veritat.* art. 9. Tùm etiam : Nam scientia est habitus acquisitus per demonstrationem : ergo sola est verè & propriè scientia, quæ acquiritur per veram & propriam demonstrationem ; sed demonstratio, qua quis non potest resolvere suas conclusiones in principia persè nota, non est vera & propria demonstratio : ergo ad rationem veræ & propriæ scientiæ requiritur, vt sciens possit resolvere suas conclusiones vsque ad prima principia persè nota. Minor probatur : Nam huiusmodi demonstratio est demonstratio tantùm secundunquid, cùm sit demonstratio *quia*, & non *propterquid*, vt tradunt N. Complut. abbreviat. in Logic. disp. 18. à num. 28. ergo non est vera & propria demonstratio.

Confirmatur : Nam divisio demonstrationis in demonstrationem *quia* & *propterquid* est divisio analogi in analogata, vt tradunt prædicti Patres loco citat. num. 29. ergo demonstratio *quia* solùm est talis secundunquid : cùm ergo scientia sit habitus acquisitus per demonstrationem, solùm per demonstrationem *quia* potest generari scientia secundunquid : Sed demonstratio, quæ non procedit ex principijs persè notis, est tantùm demonstratio *quia* : ergo solùm potest generare scientiam secundunquid : Igitur, cùm Theologia nostra solùm possit generari per huiusmodi demonstrationem, nequit esse verè & propriè scientia, sed tantùm secundunquid.

Confirmatur *secundò* : Nam scientia, quæ ex sua natura & conditione tantùm est in *esse* dispositionis, non est propriè & simpliciter scientia ; sed Theologia nostra ex sua natura tantùm est in *esse* dispositionis : ergò non est verè & propriè, seu simpliciter scientia. Minor constat, ex his quæ docent ijdem Patres ibidem num. 28. vbi aiunt, per demonstrationem *quia* solùm generari scientiam in *esse* dispositionis. Maior probatur : Nam id, quod se habet per modum dispositionis ad aliquam formam, non est eiusdem speciei cum ipsa forma, propter quod asserunt citati Patres in Logic. disp. 15. num. 11. dispositionem, & habitum essentialiter distingui ; sed scientia, quæ ex sua natura est in *esse* dispositionis, est dispositio ad scientiam propriè talem : ergo non est verè, propriè & simpliciter scientia.

Ad

Ad argumentum respondetur negando maiorem: quia ad rationem veræ scientiæ sufficit, quòd ex principijs certò & infallibilitèr cognitis deducat evidentèr suas conclusiones. Nec contra hoc obest testimonium D. Thomæ: Nam ex eius verbis tantùm colligitur Theologiam nostram, vt quæ procedit ex principijs supernaturalibus, esse genericè distinctam à scientijs pure naturalibus (sicut virtutes persè infusæ distinguuntur à virtutibus naturalibus acquisitis) quod est verum: cum quo cohæret, quòd sit verè & propriè scientia. Ad secundam probationem respondetur, demonstrationem *quia* dici talem *secundunquìd*, non quia non sit verè & absolutè demonstratio, sed quia comparativè ad demonstrationem *propterquid* solùm potest generare scientiam imperfectè; & sic demonstratio secundunquìd est causa scientiæ secundunquìd; & quoad præsens idem valet, ac imperfectè: sicut creatura verè & absolutè est ens, licèt respectivè ad Deum sit ens secundunquìd.

Vel potest responderi distinguendo maiorem: *vt sciens possit resolvere &c.* quoad omnem statum, nego maiorem; secundùm se, subdistingo, vel per se, vel per scientiam superiorem, concedo maiorem; per ipsam scientiam inferiorem, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam ad conceptum proprium scientiæ sufficit, quòd sciens possit resolvere suas conclusiones in prima principia per se nota à seipsa, vel à lumine superiori, & quòd ipsa scientia petat coniungi cum lumine superiori, vel accipiat ab eo ipsa prima principia per fidem, quæ nec fallat, nec fallere possit: quia hocipso ita procedit circa suas conclusiones, ac si sibi essent per se nota. Ob has enim rationes scientiæ subalternatæ sunt verè scientiæ: Et potiori titulo nostra Theologia, quia procedit ex principijs per se notis à lumine superiori, cum quo petit coniungi in veriori sententia (quam infrà amplectemur) vel adminùs accipit hæc principia per fidem, quæ in certitudine & infallibilitate excedit evidentiam principiorum aliarum scientiarum inferiorum. Ad vtramque probationem constat sufficientèr ex supradictis.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd sicut ens dividitur in creatum, & increatum tanquam analogum in sua analogata, itaut Deus sit ens simplicitèr, & creatura respectivè ad Deum sit ens secundùm quid, cum quo cohæret, quòd ipsa creatura sit verè & propriè ens; ita dicimus de scientia genita per demonstrationem *quia*, vt Theologia nostra, & quælibet scientia subalternata; & de scientia genita per demonstrationem *propterquid*, vt omnis scientia subalternans: quòd licèt demonstratio, & consequenter scientia per eam generata, gaudeat simili divisione; vtraque tamen petit esse verè & propriè scientia: sed cum hoc discrimine, quòd demonstratio *propterquid* est perfectissima, generans scientiam perfectissimam; at demonstratio *quid* est imperfecta, gignensquè scientiam imperfectam, conceptu tamen proprio scientiæ pollentem, licèt respectivè ad aliam possit dici *secundunquìd*.

Pro responsione ad secundam, nota priùs cum prædictis Patribus in Logic. disput. 15. num. 11. quòd dispositio, & habitus tunc sunt species distinctę, quando dispositio persè & ex natura sua procedit per causas transmutabiles, & habitus per causas necessarias & invariabiles, sicut de visione D. Pauli in raptu, & de visione eius in patria docent cum D. Thoma N. Salm. tract. 2. disp. 4. num. 77. & 87. Quando verò se excedunt in firmitate, deducta vel ex dispositione subiecti, vel ex diversitate status, tunc non distinguntur specie per modum dispositionis, & habitus; sed sunt idemmet habitus, licèt aliquando observet modum dispositionis. Ex his iam respondetur permittendo maiorem, & negando minorem: Nam Theologia nostra procedit per causas magis invariabiles & necessarias, quàm quælibet alia scientia naturalis; & sic non habet rationem propriæ dispositionis. Verum quidem est, quòd nostra Theologia in via habet modum dispositionis, quia neque potest resolvere suas conclusiones in suas causas necessarias per se notas, neque coniungitur cum lumine superiori. Hoc autem solùm provenit ex ratione status, non ex natura sua, ex qua petit coniungi cum scientia superiori, vt infrà dicemus, & propterea idem est habitus Theologiæ in via, & in patria: sicut virtus naturalis in statu peccati, & statu gratiæ, inquibus semper est essentialitèr habitus, licèt in statu peccati observet modum dispositionis. In sententia similitèr, quæ defendit, Theologiam nostram esse essentialitèr obscuram, dicendum est, quòd est essentialitèr habitus scientificus. Ad quod sufficit, quòd procedat per causas necessarias & invariabiles: quod de nostra Theologia potius debet verificari, quàm de scientia subalternata in absentia subalternantis (de qua meditatò inquiunt N. Complut. antiqui, se habere per modum *quasi* dispositionis) & quàm de scientia subalternante naturali: quia firmiùs adhæret suis conclusionibus, quàm illæ. Et sic quando dicunt, demonstrationem *quia* producere scientiam per modum quasi dispositionis, interpretari debent de demonstratione *quia* scientiæ subalternatæ naturalis, de qua præcipuè agunt loco citato.

29 Arguitur *secundò*: Scientia, & fides non possunt esse in eodem intellectu simul de eodem obiecto; sed, si Theologia esset scientia, possent scientia, & fides esse in eodem intellectu simul, & de eodem obiecto: ergo Theologia non est scientia. Maior est expressa D. Thomæ quæst.

14. *de Verit.* art.9.vbi ait: *Quæcumque sciuntur, propria ac certa scientia cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quę per se præstò sunt intellectui; & sic omnis scientia in visione rei præsentis perficitur. Vndè impossibile est, quòd de eodem sit simul scientia, & fides.* Idem habet 2. 2. quæst. 1. art. 5. per hæc verba: *Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, & per consequens visa. Undè impossibile est, quòd ab eodem idem sit creditum, & scitum.* Quod etiam propugnant N. Salm. tract. 17. disp. 3. à num. 33. Minor verò probatur: Nam Theologia probat per verum discursum theologicum, Christum habere duplicem voluntatem, quia habet duplicem naturam, divinam, & humanam: ergo, si est scientia, Theologus habet scientiam de illa propositione. Aliundè habet fidem, cùm illa propositio sit formaliter revelata, iuxta illud Lucæ 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat*: Ergo, si Theologia est scientia, possent scientia, & fides esse de eodem obiecto simul in eodem intellectu.

Ad hoc argumentum respondetur, distinguendo maiorem: *scientia* evidens & clara, concedo maiorem: *scientia* obscura, nego maiorem: & concessa minori, negatur consequentia. Nam licèt scientia, dum importat evidentiam, non possit compati cum fide circa eandem propositionem; non tamen repugnat, quòd sit cum ea, dum caret evidentia & claritate. Et in hoc sensu intelligendus est D. Thomas. Tùm: quia ridiculum esset negare, scientiam ortam ex fide compatibilem esse cum fide; cùm ex vi nullius prædicati dicat oppositionem cum ea. Tùm etiam: quia postquàm D. Thomas loco citato ex 2. 2. asseruit illam propositionem, *Impossibile est, quòd ab eodem idem sit creditum, & scitum*; respondendo ad 2. ait: *Ex his autem principijs* (scilicèt fidei) *ita probatur aliquid apud fideles, sicut etiam ex principijs naturaliter notis probatur aliquid apud omnes. Vndè etiam Theologia est scientia.* Ex quibus verbis evidenter colligitur, D. Thomam solùm excludere compatibilitatem fidei cum scientia evidenti, non verò cum scientia obscura: & quòd ad scientiam ex suo conceptu formalissimo non requiritur evidentia de suis principijs. In eodem sensu prædicti Patres propugnant hanc sententiam. Quod ex eo liquet, quòd ratio fundamentalis solùm nititur illi principio, *Idem nequit esse visum, & non visum.* Tùm: quia in eodem tract. disp. 1. n. 127. apertè defendunt, eandem propositionem posse terminare assensum theologicum, & assensum fidei.

30 Arguitur *tertiò*: Theologia agit de singularibus & contingentibus; sed scientia est de vniversalibus & necessarijs: ergo non est scientia. Maior patet: nam agit de Adamo, de B. Virgine, de Christo, & de Deo. ¶ Et confirmatur *primò*: Theologia elicit plures actus opinativos, siquidem discurrit circa plures conclusiones probabiles, de quibus sunt tot opiniones in scholis: ergo non est scientia.

Confirmatur *secundò*: Ad nostram Theologiam sufficit fides humana; sed certitudo orta ex fide humana non sufficit ad veram rationem scientiæ: ergo Theologia nostra non est verè scientia. Maior probatur: Nam ad Theologiam nostram sufficit fides notificans principia præsuppositа in scientia superiori; sed adhoc sufficit fides humana, vt constat in alijs scientijs subalternatis: ergo ad Theologiam sufficit fides humana.

Ad argumentum multipliciter, & optimè respondent nostri Thomistæ. *Primò*, quòd Theologia agit de singularibus, & contingentibus non sub ratione variabili, sed sub ratione necessaria, quia agit de illis sub ratione diuinæ revelationis virtualis, sub qua nullam habent contingentiam. *Secundò* (per quod magis explicatur præcedens solutio) quòd Theologia nostra non agit de singularibus, & consequenter de contingentibus, vt talia sunt, sed de eorum quidditate secundùm se; licèt propter suam dignitatem in vno tantùm individuo inveniantur, vt Deus, Incarnatio Christi, & dignitas B. Virginis. Sicut Philosophia de sole, & luna, quæ singularia sunt. Et si de aliquibus agit Theologia, inquantùm singularia sunt (est tertia solutio) non agit de illis primariò, sed secundariò, inquantùm introducuntur in exemplum vitæ: vel ad declarandam authoritatem eorum per quos processit ad nos sancta Scriptura, vt inquit D. Thomas in præf. ad 2. *Quartò*, quòd licèt aliæ scientiæ naturales, eò quòd dependent à sensibus, non agant primariò de singularibus, quia fallibilia sunt; Theologia tamen dependet ex revelatione divina, cui infallibiliter notificantur singularia, & contingentia: ideoquè potest esse scientia erga illa.

Ad primam confirmationem respondetur *primò* cum doctrina N. Salm. *in Arb. virtut.* num. 35. quòd Theologia nostra, de qua in præf. non elicit actus opinativos, sed semper versatur circa propositiones necessarias & infallibiles. Actus verò opinativi eliciuntur ab alio habitu opinativo, qui in materia Theologiæ potest generari, sicut in materia Philosophiæ: & sic hoc genus opinionis *tot adminùs admittit species* (sunt verba prædictorum Patrum) *quot sunt habitus scientifici.* Unde confirmatio solùm potest probare, quòd hic habitus adiunctus, qui reductivè pertinet ad Theologiam, non est scientia, quod nos fatemur; non verò probat, quòd habitus principalis Theologiæ non sit scientia; sicut nec de habitu Philosophiæ, Metaphysicæ, & alijs hoc ostenderet. Et sic nihil contra nos.

Respondetur *secundò* cum N. Complut. Abbreviat. in sua Logic. disput. 1. num. 18. & num. 25. quòd nulla repugnantia datur in eo, quòd

quòd scientia propriè talis eliciat secundariò aliquos actus opinativos, non defectu scientiæ, sed scientis. Sicut Logica vt vtens, quæ idem habitus est cum Logica docente, elicit actus opinativos in omni materia, quatenus ex intentionibus rationis, quæ desumuntur vt media, procedere potest ad disserendum in omni materia. Videantur Patres supradicti *ibi*. Ex quo infertur, Theologiam posse elicere secundariò aliquos actus opinativos, quæ estò non explicet verum conceptum scientiæ per ordinem ad illos; exprimit tamen verum conceptum scientiæ per ordinem ad suos actus primarios, qui sunt scientifici: quod est præcipuum intentum nostræ assertionis, cui ob hoc argumentum infructuosè reluctantur Vazquez & alij Adversarij.

31 Si verò ex hoc inferas *primò*: Ergo idem habitus est scientia, & opinio. Respondetur concedendo consequentiam per ordinem ad diversos actus, primarios scilicet, & secundarios. ¶ Si autem inferas *secundò*: Ergo nullus dabitur habitus opinativus; cùm scientia possit se extendere secundariò ad actus opinativos. Respondetur negando consequentiam: Nam estò scientia sufficiat ad attingendam opinativè propositionem ex se necessariam, quæ ex se est capax terminare scientiam scientifico modo; attingit tamen illam modo opinativo, quia non penetrat connexionem prædicati cum subiecto: attamen circa alias propositiones omninò contingentes ex se, & quæ non concernunt materiam propriam scientiarum, generatur habitus, qui propriè & primariò est opinio. Videantur prædicti Patres Salm. loco suprà citato. ¶ Si tandem inferas: Ergo scientia fertur extra suum obiectum adæquatum, quod est *verum* certò & immobiliter notum per medium infallibile. Respondetur negando consequentiam: quia semper est cum subordinatione ad eius obiectum, vt mille exemplis explicari valet. Ex quibus inferre debes, quòd huiusmodi actus opinativi nullum generant habitum, neque augmentum illius: non scientificum, tum quia iam illum præsupponit, tum quia per actus secundarios non generatur, nec augetur habitus: neque opinativum, nam iste est dispositio ad scientiam; & cùm illam iam supponat, non potest illum generare.

Ad secundam confirmationem respondetur *primò*, permittendo maiorem; & negando minorem. Nam scientia subalternata in absentia subalternantis est verè scientia in probabiliori sententia; & tamen solùm habet fidem humanam de suis principijs. Respondetur *secundò*, non quamlibet fidem humanam de primis principijs sufficere ad veram rationem scientiæ; sed illam quæ certò sciat dari talia principia, & quòd in scientia superiori sunt per se nota, licèt fidelis non sciat reducere suas conclusiones in illa sine subalternante. Porrò fides humana de mysterijs fidei potest esse in duplici differentia, vel ita quòd nitatur signis & portentis in confirmationem nostræ fidei factis, vt contingit in Dæmonibus, & damnatis; vel ita, quòd non nitatur alicui motivo infallibili metaphysicè, seu moraliter, sed tantùm proprio cerebro & arbitrio, seu proprio sensui, vt accidit in hæretico. Inter vnam, & aliam hoc versatur discrimen, quòd secunda non sufficit ad veram rationem scientiæ; & sic Theologia hæreticalis non est scientia, sed opinio; & consequenter distinguitur essentialiter à nostra. Prima autem sufficit ad veram rationem scientiæ, sicut fides quam præstat Arithmeticus principijs Geometriæ: & ob hanc rationem Theologia Dæmonum, & damnatorum est verè scientia. Si hæc autem est scientia, quantò magis nostra Theologia, quæ habet de suis principijs omnimodam infallibilitatem metaphysicam? Nostra tamen Theologia est essentialiter diversa à Theologia Dæmonum, ob tam ingens discrimen inter vnam & aliam in certitudine: & quia nostra petit coniungi cum scientia beata; Theologiæ verò Dæmonum repugnat coniungi cum illa.

§. IV.

Argumenta contra secundam conclusionem.

SEcunda sententia, secundæ conclusioni opposita, defendit, nostram Theologiam non esse propriè subalternatam scientiæ beatæ creatæ, vel divinæ. Quam amplectuntur Authores relati num. 28. quibus adhærent aliqui Thomistæ, & non infimæ notæ, vt sunt Zumel. in præs. quæst. 3. Fr. Ildephons. Michaël. dub. 1. num. 107. & Mag. Palanco quæst. 4. num. 47. Quorum præcipuum fundamentum desumitur ex eo, quòd nostra Theologia non observat omnes conditiones, quas Metaphysici assignant pro scientijs subalternatis. Sed ad hoc satis constat ex dictis toto §. 2. Unde solùm addemus illa argumenta, quorum solutio ex ibi dictis satis non constat.

32 Arguitur ergo *primò*: Scientia beata non est subalternans respectu nostræ Theologiæ: ergo nec ista est illi propriè subalternata. Antecedens probatur: Scientia subalternans non agit de obiecto scientiæ subalternatæ; sed scientia beata attingit omnia obiecta nostræ Theologiæ: ergo non est subalternans respectu illius. Maior constat: Nam si scientia subalternans agit de obiecto scientiæ subalternatæ, frustrà esset scientia subalternata: V. g. si Arithmetica ageret de numero non solùm secundùm se, sed etiam vt sonoro, frustrà poneretur Musica ad agendum de numero vt sonoro. Minor etiam non minùs constat: Nam scientia beata attingit in Deo clarè viso plures conclusiones (si non omnes) quas nostra Theologia attingit.

Hoc

Hoc argumentum, si habet aliquam vim, explodit à Christo sciẽtiam supernaturalem persè infusam, & scientiam persè infusam naturalem; cùm omnia, quæ per has scientias attinguntur, attingi possint per scientiam beatam. Si verò dicat arguens, quòd ad coëxistentiam harum scientiarum cum scientia beata sufficit, quòd terminentur præcisè ad res creatas in seipsis, & ad Deum per creaturas, qui modus procedendi sufficit ad multiplicandas scientias, rectè dicit. Sed in hoc firmatur nostra solutio, & necessitas nostræ Theologiæ, sivè in patria, sivè in via. Nam intellectus Christi, & beati est in potentia ad cognoscendas plures veritates, quas attingunt per scientiam beatam, ex vi divinæ revelationis, vel claræ vel obscuræ: hic autem modus procedendi sufficiens est ad stabiliendam Theologiam distinctam à scientia beata, estò attingant eadem obiecta. Porrò hoc ipso quòd hæc Theologia dependeat essentialitèr ex principijs clarè, vel obscurè revelatis, dependet in sui evidentia & certitudine ab ea scientia, quæ talia principia præbet, & sine qua nequit resolvere suas conclusiones vsque ad prima principia, quod est de potissimo conceptu scientiæ subalternatæ. Undè cùm scientia beata hoc præstet nostræ Theologiæ in patria; & in via fides per accidèns, hinc est, quòd est verè subalternans respectu illius. Si verò ex hoc inferas: Ergo Theologia nostra saltem non distinguitur à Theologia naturali persè infusa, cùm attingant eadem conclusiones, & sub eodem motivo. Respondetur negando consequentiam. Cuius accurata solutio tradetur dubio sequenti.

33 Arguitur *secundò*: Nostra Theologia non subalternatur propriè fidei: ergo nec scientiæ beatæ. Consequentia videtur bona: Nam scientia beata non alio modo requiritur ad nostram Theologiam, nisi vt fides: licèt cum hoc discrimine, quòd fides proponit principia obscurè; scientia beata clarè. Antecedens verò probatur: Nam nulla scientia propriè subalternatur habitui principiorum; sed fides se habet respectu nostræ Theologiæ vt habitus principiorum: ergo non subalternatur ei.

Explicatur hoc: Nam neque fides, neque scientia beata requiritur pro nostra Theologia, nisi vt præbeant illi prima principia: ergo ad nostram Theologiam merè præsupponuntur vt habitus principiorum: ergo si scientia non est propriè subalternata habitui primorum principiorum, nec nostra Theologia est respectu scientiæ beatæ, & fidei. Antecedens probatur: Nam fides, & scientia beata ad ea tantùm requiruntur pro nostra Theologia, ad quæ per discursum non potest pertingere: pro ijs enim, quæ nostra Theologia potest evidentèr attingere, non sunt necessariæ; licèt ob suas rationes speciales ea attingant, nempè vel quia conclusiones sunt formaliter revelatæ, vel quia scientia beata est scientia respectu earum: ergo neque fides, neque scientia beata requiruntur pro nostra Theologia, nisi vt præbeant illi prima principia, ex quibus inferat suas conclusiones.

Ad argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia fides solùm proponit prima principia secundùm se, & simplici notitia, in quo convenit cum habitu naturali primorum principiorum; sed scientia beata proponit illa vt illativa suarum conclusionum, & per discursum virtualem. Undè non distinguuntur scientia beata, & fides in proponendo prima principia præcisè penes claritatem, vel obscuritatem; sed, hoc discrimine suppositio, etiam distinguuntur in supra dictis. *Rursùs*: Vera ratio scientiæ stat in eo, quòd sciens possit resolvere omnes suas conclusiones vsque ad prima principia persè nota; & si hoc non potest exequi per scientiam inferiorem, debeat reducere saltem per scientiam superiorem, vel mediatè vel immediatè: & in hoc sita est dependentia essentialis scientiæ subalternatæ, vt talis, à scientia subalternante. Verum tamen est, quòd Theologia deducit suas conclusiones ex principijs notificatis per fidem vel per scientiam beatam, sicut quælibet scientia naturalis procedit ad suas conclusiones ex principijs notificatis per lumen principiorum. At est ingens differentia inter fidem & habitum principiorum ex vna parte, & inter scientiam beatam & scientiam subalternantem ex alia in ordine ad conclusiones scientiæ subalternatæ, & nostræ Theologiæ; quòd tàm fides, quàm lumen principiorum nequit resolvere conclusiones Theologiæ, seu scientiæ nec mediatè, nec immediatè in principia persè nota, sed simplici notitia illa proponit: At scientia subalternans scit resolvere vel mediatè, vel immediatè omnes conclusiones scientiæ subalternatæ vsque ad principia persè nota per discursum formalem, & scientia beata conclusiones nostræ Theologiæ per discursum virtualem seu eminentialem. Et ob hoc discrimen nostra Theologia subalternatur scientiæ beatæ, & non fidei.

34 Arguitur *tertiò*: Prima principia, ex quibus Theologia nostra procedit ad deducendas suas conclusiones, sunt persè nota scientiæ persè infusæ supernaturali: ergo vel non subalternatur scientiæ beatæ; vel non est maior ratio, quare huic subalternetur, & non illi. Antecedens probatur: Nam omnia mysteria nostræ fidei vel sunt quid creatum, vel quid divinum? Si sunt quid creatum, attinguntur à scientia persè infusa non solùm evidentèr, sed etiam quidditativè. Si sunt quid increatum, attinguntur ab ea evidentèr, vt docet D. Thomas 3. part. q. 11. art. 1. ergo sunt persè nota scientiæ persè infusæ supernaturali.

Ad hoc argumentum respondetur, negando

do antecedens: Nam licèt pluta mysteria, ex quibus procedit nostra Theologia ad deducendas suas conclusiones, sint persè nota scientiæ supernaturaliter persè inditæ; non tamen omnia, maximè ea quæ pertinent ad divinitatem: nam ea cognoscit per discursum, sivè formalem sivè virtualem, & quoad *an est*, vt docent nostri Thomistæ loco in argumento citato. Obiectum autem primarium nostræ Theologiæ est Deus sub ratione Deitatis, vt infrà trademus: Undè soli illi scientiæ propriè subalternatur nostra Theologia, cui sunt persè nota mysteria Divinitatis, & quidditativè cognoscuntur, & non solùm quoad *an est* per discursum: qui modus cognoscendi est propriissimus scientiæ beatæ, & propterea illi tantùm propriè subalternatur nostra Theologia.

35 Arguitur *quartò* (est contra secundam partem conclusionis) De ratione scientiæ subalternatæ est, quòd possit coniungi cum subalternante; sed nostra Theologia inconiungibilis est cum scientia diuina: ergo non est illi propriè subalternata. Minor probatur: Nam scientia divina nequit esse in intellectu creato, vt ex se patet: aliàs nec Theologia nostra potest esse in intellectu divino, vt ex se non minùs liquet: ergo nostra Theologia non est coniungibilis cum scientia divina.

Ad hoc argumentum respondet Ferre num. 59. concedendo totum: Existimat enim, Theologiam nostram non subalternari propriè scientiæ divinæ ob rationem allatam in argumento. Et quando dicit D. Thomas, quòd Theologia procedit ex principijs notis scientiæ Dei, & beatorum, non loquitur (ait) de scientia Dei subiectivè, sed obiectivè, quæ coincidit cum scientia beata creata. ¶ Sed hæc interpretatio non est consona verbis D. Thomæ, inquibus distinguit scientiam divinam à scientia beata, & Ferre non distinguit. Maximè quia ratio, quam pro hac parte tradidimus num. 27. est valdè efficax. Undè hac solutione missa:

Respondetur distinguendo maiorem: *Est, quòd possit coniungi cum subalternante*, si subiectum est capax vtriusque, concedo maiorem; si ob rationem peculiarem subiectum non est capax scientiæ subalternatæ, nego maiorem: Et, & concessa minori, negatur consequentia. Nam ad veram, & propriam subalternationem sufficit, quòd scientia subalternata, quantum est ex se, petat coniungi cum subalternante, & quòd dependeat in sui certitudine ab illa. Potest tamen accidere, quòd non possit coniungi cum ea in eodem subiecto, quia hoc ob rationem suam peculiarem potest esse incapax subalternatam recipiendi: & hoc pacto est Deus, qui non potest recipere scientiam finitam, vt nostra Theologia est. Sed quia dependet in certitudine suorum principiorum à scientia diuina, non minus ac à scientia beata, debet illi subalternari non minùs propriè, quàm isti.

Potest tandem argui: Ex eo quòd Theologia nostra non subalternatur scientiæ beatæ; vel quia non dependet ab illa, vel quia est essentialiter obscura, & sic non potest continuari cum ea. Sed hoc argumentum claudit non levem difficultatem, cuius decisio pendet ex dicendis dub. seq.

DUBIUM III.

Utrùm Theologia viæ sit essentialiter obscura?

HAnc difficultatem, quæ alijs terminis solet proponi, *An* nimirum *Theologia viæ maneat in patria*, præcedenti immediate annectimus; quia ab hac maiorem lucem, & novum robur illa accipiet.

§. I.

Sententia nostra negans.

36 DIcendum est, Theologiam nostram non esse essentialiter obscuram, & consequenter continuari in patria. Hæc secunda pars evidenter colligitur ex prima: Nam nullum est caput præter obscuritatem, ratione cuius repugnet nostræ Theologiæ perseverare in patria, sicut fidei; vt ingenuè fatentur Adversarij: ergo si obscuritas non est de essentia nostræ Theologiæ, sed quoddam prædicatum omninò accidentale, debet continuari in patria; sicut aliæ scientiæ hic acquisitæ. Hanc ergo sententiam quoad vtramque partem tuentur *hìc* plures & grauissimi Thomistæ tam antiqui, quàm moderni, Caiet. Bañez, Lisbonn. Araujo, Navarrete, Greg. Martinez, Serra, Lezana, Ferre, Gonet, Carrasco, & alij. In hanc inclinant N. Complut. in Logic. disp. 18. num. 55: & disp. 19. num. 28. & in Resumpta disp. 19. num. 12. & N. Salm. tract. 17. disp. 1. num. 126. & num. 27.

Et probatur *primò*, ab authoritate: Nam D. Hieronym. epist. ad Paul. ait: *Talem scientiam discamus in terris, quæ nobiscum perseveret in cœlis.* D. Chrysost. in cap. 15. 1. ad Corinth. inquit: *Non abolebitur scientia, sed desinet esse imperfecta.* Sed in his testimonijs loquuntur Sancti Patres de Theologia hic acquisita, vt sentiunt Adversarij: ergo non est essentialiter obscura. Cõsequentia est legitima: nam obscuritas essentialis incompatibilis est cum permanentia in patria, vt tenent omnes tàm aduersæ, quàm nostræ sententiæ Patroni.

Et confirmatur *primò* ex D. Thoma: Nam scientia, quæ dependet ex principijs notis lumine superioris scientiæ, vel cuius principia reducuntur ad notitiam scientiæ superioris, est compati-

patibilis cum scientia superiori ; sed Theologia nostra dependet ex principijs notis lumine scientiæ beatæ , vt inquit D. Thomas hìc art. 2. per hæc verba : *Et hoc modo sacra doctrina est scientia , quia procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ , quæ est scientia Dei, & beatorum.* Et ad 1. ait : *Principia cuiuslibet scientiæ vel sunt nota persè , vel reducuntur ad notitiam scientiæ superioris : & talia sunt principia sacræ doctrinæ* : Ergo nostra Theologia est compatibilis cum scientia beata.

Confirmatur *secundò* ex eodem D. Thoma. Qui 1. 2. quæst. 67. art. 2. exponens illa verba Apost. 1. ad Corinth. 13. *scientia destruetur* (Vbi nomine *scientiæ* plures ex Adversarijs intelligunt Theologiam) sic ait : *Dicendum, quòd verb. Apost. est intelligendum, quantùm ad id quod est materiale in scientia , & quantùm ad modum intelligendi ; quia scilicèt neque phantasmata remanebunt destructo corpore, neque erit vsus per conversionem ad phantasmata.* Et 1. part. quæst. 89. art. 5. ad 1. illa interpretatur sic : *Dicendum , quòd Apostolus non loquitur ibi de scientia quantùm ad habitum, sed quantùm ad cognitionis actum.* Idem habet quæst. 4. *de Verit.* art. 4. ad 1. Ergo iuxta D. Thomam nostra Theologia non est essentialitèr obscura.

37 His non obscuris testimonijs respondet Palanco num. 40. Hieronym. & Chrysost. debere intelligi de scientia obiectiva , non verò de scientia subiectiva. ¶ Ad primam confirmationem respondet , D. Thomam solùm intendere principia nostræ Theologiæ præsupponi persè nota lumine scientiæ Dei , & beatorum. Hæc autem præsuppositio est omninò de materiali respectu nostræ Theologiæ : persè enim solùm sunt præsuppositæ eadem principia vt cognita per fidem. ¶ Ad secundam respondet num. 27. solùm loqui de scientia purè naturali , de quà verum est solùm destrui quoad aliquod prædicatum accidentale ; non verò de nostra Theologia.

Sed neutra ex his interpretationibus satisfacit , vel quia sunt prorsùs voluntarię , vel quia non cohærent cum verbis Sanctorum sincerè lectis. Et imprimis expositio testimonijs Hieronym. & Chrysost. data, est omninò voluntaria: Quia si nostra Theologia manet in patria quoad obiectum , etiam debet permanere quoad habitum : Nam habitus nequit in aliquo statu repugnare , nisi quia repugnat eius obiectum , vt liquet in fide , & spe : ergo si manet in patria quoad obiectum , etiam debet permanere subiectivè. Si verò velit dicere, quòd obiectum manet omninò materialitèr ; rectè ad suum intentum dicit : sed in quo fundat hanc expositionem ? In nullo , nisi in eo quòd non cohæret cum sua sententia : & cùm nostra sententia non sit minùs probabilis quàm contraria , cur non poterit exponi de permanentia quoad habitum , & obiectum formaliter sumptum , & fortè sinceriùs?

Deinde expositio data testimonijs D. Thomæ in prima confirmatione adductis non cohæret cum illis , benè perpensis. Nam in eis habetur , quòd Theologia nostra procedit ex principijs notis per scientiam beatam , & quòd hæc principia reducuntur ad scientiam beatam: ergo Theologia nostra aliquam dependentiam dicit à scientia beata , nam ly *procedere* , & ly *reduci* aliquam dependentiam indicant : sed cum hoc non rectè cohæret præsuppositio merè materialis horum principiorum : ergo iuxta D. Thomam nostra Theologia dependet formaliter à scientia beata: ac proinde expositio Mag. illi non cohæret.

Tandem expositio data pro secunda confirmatione ad hominem retorquetur. Nam in illo textu loqui Apost. de nostra Theologia expresse asserit citatus Magist. num. 25. ergo inaniter adducitur à D. Thoma pro argumento contra permanentiam scientiæ purè naturalis in patria: vel solutio remanet imperfecta , cùm non respondeat ad intentum ; quod de tanto Doctore nefas est dicere.

38 Nec dissimulare oportet , quod pro destructione absoluta nostræ Theologiæ adducit Author relatus ex D. Thoma in Comment. ad prædictum textum lect. 3. vbi videtur insinuare , quòd imperfectio est de ratione scientiæ, non verò de ratione charitatis : ex quo concludit : *Et ideò , superveniente perfectione gloriæ, cessat prophetia , & scientia ; charitas verò non cessat.*

Ad hoc enim respondetur , quòd mens D. Thomæ *ibi* solùm est, quòd non remaneat scientia (quæcumque illa sit) quoad conversionem ad phantasmata , vt ibidem suprà docuerat. Et ideò notanter in testimonio nobis obiecto dixit : *Imperfectio est de ratione scientiæ , prout hìc de Deo habetur , inquantùm scilicèt cognoscitur ex sensibilibus.* Et hoc pacto verum est cessare in patria prophetiam , & scientiam. At sicut cum hoc cohæret , quòd Metaphysica, etiamsi sit scientia de Deo , deficiat in patria quoad conversionem ad phantasmata , & non quoad habitum ; ita etiam Theologia. Quæ interpretatio verosimilis redditur : tum quia eodem modo loquitur de scientia de Deo ac de prophetia ; sed prophetia compatibilis est cum scientia beata , vt in Christo, in quo fuisse verè prophetiam docet D. Thomas 2. 2. quæst. 174. art. 5. ad 3. 3. part. quæst. 7. art. 8. & alijs in locis : ergo iuxta D. Thomam non cessat Theologia quoad substantiam. Tum etiam: Nam sufficiens disparitas datur inter Theologiam , & charitatem (quod est præcipuum intentum D. Thomæ) estò nulla deficiat entitativè ; si dicatur , quòd obiectum charitatis non cessat secundùm

dùm aliquod prædicatum intrinsecum adhuc accidentale; benè verò obiectum Theologiæ, cùm hìc dependeat à phantasmate. Tum deniquè: Nam eò Theologia nostra cessaret in patria in vi huius testimonij, quia hìc dependet ex sensibilibus, non enim reducit ad aliud caput imperfectionem, quæ sit de ratione scientiæ, & sic non meminit imperfectionis desumptæ à fide; sed hæc imperfectio non est de conceptu essentiali scientiæ, vt liquet in alijs scientijs naturalibus, & speciebus, de quibus apertè docet manere in patria: ergo non est intelligendus D. Thomas de destructione absoluta Theologiæ.

§. II.

Ratio fundamentalis pro assertione.

39 DEinde probatur ratione fundamentali: Theologia nostra non procedit persè ex principijs formalitèr vt obscuris: ergo non est essentialitèr obscura. Consequentia est legitima: Nam conclusio, quæ est præcipuus actus scientiæ, non aliunde potest assumere obscuritatem nisi ex principijs. Antecedens probatur: Eatenùs Theologia procederet persè ex principijs formalitèr vt obscuris, quatenùs petit persè procedere ex principijs vt propositis à fide; sed Theologia nostra non petit procedere persè ex principijs vt propositis à fide: ergo non procedit persè ex principijs formalitèr vt obscuris. Maior continet præcipuum fundamentum sententiæ oppositæ. Minor verò probatur: Theologia nostra solùm petit procedere ex principijs propositis à fide, quatenùs hæc subrogatur loco luminis gloriæ, & vt est vicaria illius: ergò non petit persè procedere ex principijs vt propositis à fide. Consequentia videtur legitima: Nam quod subrogatur loco alterius influit per accidens in effectum illius. Antecedens verò probatur *primò*: Theologia nostra petit procedere persè ex principijs notis scientiæ beatæ, vt docet D. Thomas in præf. art. 2. in corp. & ad 1. ergo solùm petit procedere ex principijs fidei, quatenùs hæc subrogatur loco luminis gloriæ. *Secundò*: Theologia est verè scientia; sed vera scientia petit procedere persè ex principijs notis scientiæ superioris, cùm intellectus non quiescat, neque existimet se absolutè scire, vsque dum sciat proprium *propterquid* conclusionis, quod per fidem haberi non valet: ergo solùm procedit ex principijs fidei, quatenùs subrogatur loco luminis gloriæ, & per quod perfectè scitur proprium *propterquid* nostræ conclusionis theologicæ.

40 Respondebis ex doctrina Adversariorum, quòd Theologia nostra licèt petat persè procedere ex principijs luminis gloriæ; non tamen vt proponuntur à lumine gloriæ, sed vt proponuntur determinatè à fide. Unde propriè loquendo non subrogatur loco illius, sed ipsa persè concurrit ad assensum theologicum proponendo eadem principia luminis gloriæ, non quatenus principia istius sunt, sed quatenus sunt principia fidei. Et in hoc sensu interpretandus est D. Thomas. Neque scientia quæ est essentialitèr imperfecta, vt nostra Theologia, petit ex se procedere ex principijs persè notis; sed sufficit, quòd procedat ex principijs persè certis; & consequenter non requiritur, quòd persè procedat ex principijs vt notificatis à lumine gloriæ, sed vt propositis certò, & infallibilitèr à fide.

Sed contrà est: Nam de conceptu essentiali scientiæ est, quòd præsupponat cognitionem actualem evidentem principiorum, vel illam essentialitèr exigat: ergo petit persè procedere ex principijs vt notis in scientia superiori; vel in habitu principiorum; vel vt propositis à fide, vt hæc substituitur loco illorum. Antecedens probatur *primò*, ex Arist. lib. 1. Poster. vbi exponens illum D. Thomas *lect.* 18. sic ait: *Scire ex proprijs principijs, solùm est verè scirè*, quasi dicat, *Scire ex proprijs principijs persè notis est verè scire*; sed scire ex principijs vt propositis à fide non est scire ex principijs proprijs, cùm principia fidei desumantur ab alio, vt ex se liquet: ergo de conceptu essentiali scientiæ est, quòd procedat persè ex principijs persè notis, vel vt propositis à fide, quatenus precisè substituitur loco luminis clari. Et lect. 4. inquit: *Non enim contingit aliquem habere scientiam, nisi habeat demonstrationem eorum, quorum potest esse scientia; & hoc dico persè, & non peraccidèns: Et hoc ideo, quia possibile esset scire aliquam conclusionem non habens demonstrationem præmissarum, etiamsi essent demonstrabiles, quia sciret ea per alia principia; & hoc esset secundùm accidens.* Similia habet 2. 2. quæst. 1. art. 5. & quæst. 14. *de Verit.* art. 9. vbi ait: *Omnis scientia in visione rei perficitur*: Ergo quia ex se non petit procedere à fide; aliàs nunquam posset perfici in visione suorum principiorum. Secundò probatur idem antecedens: Nam scientia subalternata ita est scientia in absentia subalternantis, quòd petat, & possit continuari cum illa, vt cùm probabiliori sententia nunc supponimus ex nostris Complut. abbrev. in sua Logic. disp. 19. à num. 12. Ergo non pendet persè ex principijs vt propositis à fide; sed ita se habet fides divina in ordine ad prima principia Theologiæ, quæ sunt visa per scientiam beatam, sicut fides humana in ordine ad prima principia scientiæ subalternatæ, quæ sunt visa per scientiam subalternantem: ergo nostra Theologia non dependet persè ex principijs luminis gloriæ, vt persè propositis à fide, sed peraccidèns.

41 Sed quia Authores contrarij, callentes vim consequentiæ, negant scientiæ subalternatæ

tæ verum conceptum scientię, probatur *tertiò*, idem antecedens: Nam Theologia solùm procedit ex principijs cognitis per fidem, quatenus convincunt intellectum ad deducendum conclusiones: Ergo fides medijs his principijs eo tantùm modo petit concurrere, quo convincit intellectum; sed non convincit intellectum, quatenus formaliter obscura est, sed præcisè quatenus infallibilis est: igitur non petit procedere ex principijs vt cognitis per fidem. Minor liquet: Nam suppositа certitudine de hac propositione *Christus est rationalis*, solùm attingit evidenter hanc conclusionem *ergo est risibilis* in vi connexionis cum illa; sed non habet hanc connexionem cum illa, quatenus obscura est, sed quatenus infallibilis est: ergo fides non convincit intellectum medijs principijs, quatenus formaliter obscura sunt. Quod ratiocinium non obscurè colligitur ex quodam eleganti testimonio D. Thomæ in 1. ad Annib. dist. 1. quæst. 1. art. 1. vbi ait: *Ad rationem scientiæ duo requiruntur: Vnum ex parte conclusionum, scilicet quòd ex aliquibus principijs necessariò deducantur: Aliud ex parte principiorum, scilicet quòd sint certa.* (Perpende verba) *Sed hoc dupliciter contingit in diversis scientijs: quarundam enim scientiarum principia sunt simpliciter per se nota in illa scientia, sicut est de primis scientijs, quæ ex primis principijs immediatè procedunt, sicut patet de Arithmetica, & Geometria. Quarundam verò scientiarum principia sunt certa, quasi in alia scientia superiori certificata, sicut principia Perspectivæ in Geometria: vnde Perspectivus certus est de suis principijs per viam credulitatis, credens, & supponens ea in Geometria. Hæc duo in Theologia inveniuntur.* Vbi tria ponderanda sunt; Primum, quòd ad rationem scientiæ solùm petitur, quòd principia sint certa, ad quod peraccidens est, quòd sint obscura. Secundum, quòd procedat per se ex principijs notis in propria scientia, vel in scientia superiori. Tertium, quòd Perspectiva in absentia Geometriæ est vera scientia, cùm adducatur vt exemplum ad hoc probandum de Theologia nostra,

Neque locum habet in præs. expositio Mag. Ildephonsi Michaëlis: qui ait, D. Thomam loqui de scientia subalternata in consortio subalternantis; & hanc vocem *credit* non sumi in sensu proprio. Nam ibi parificat nostram Theologiam cum Perspectiva quoad hoc, quod est accipere principia per fidem, credendo alteri illa videnti; sed nostra Theologia propriè credit principia luminis gloriæ, maximè in sententia contraria: ergo loquitur D. Thomas de scientia subalternata in absentia subalternantis, & de credulitate propria. ¶ Neque audiendus est Mag. Palanco: qui num. 11. & 34. negat scientiæ subalternatæ in absentia subalternantis verum conceptum scientiæ. Et num. 33. esto illum permittat; ait tamen esse specie diversam ab illa, quando est cum subalternante. Nam primum non occurrit testimonio D. Thomæ; vbi, ad probandum de Theologia verum conceptum scientiæ, affert in exemplum scientiam subalternatam procedentem per viam credulitatis. Secundum, autem non cohæret cum his quæ ex D. Thoma numero præcedenti diximus, quòd scilicèt omnis vera scientia petit perfici in visione sui obiecti: Nam, supposito quòd scientia subalternata sit specie distincta in absentia, & consortio subalternantis, repugnat ei, quæ est in absentia, perfici à subalternante, cùm sit inconiungibilis cum illa: ergo vel non est scientia, vel non debet distingui ab ea, quæ est in consortio subalternantis.

42 Solet autem hæc conclusio confirmari nonnullis exemplis: v. g. donorum Spiritus-sancti, quæ teste D. Thoma 1. 2. quæst. 68. art. 8. regulantur hìc per fidem; & tamen manent eadem in patria, vt ibidem art. 6. docet. Prudentia etiam infusa suas deducit conclusiones ex fide; & tamen prudentia eadem manet in patria, vt docet idem D. Thomas 1. 2. quæst. 67. art. 1. Virtutes etiam morales, necnon fides, & spes imperantur, seu informantur à charitate non minùs quàm Theologia à fide; & nihilominus virtutes morales, fides, & spes possunt quoad substantiam eædem manere sine charitate. Tandem habitus charitatis ex se est inamissibilis; & tamen peraccidens, ratione subiecti vertibilis in malum, potest esse amissibilis. Quid ergo obstat, vt idem dicamus de Theologia, quod nimirùm ex se petit procedere ex principijs notis à lumine gloriæ; & peraccidens in via procedat ex eisdem vt propositis per fidem? His, inquam, exemplis solet nostra sententia confirmari. Sed nos ab his supersedemus, quia inter ea, & rem quam agimus, recognoscimus non levem disparitatem. Proqua videri possunt Authores sententiæ contrariæ, maximè Palanco à num. 43. & Mag. Ildephons. Michaël. num. 65. & à num. 82.

§. III.

Argumenta sententiæ oppositæ.

SEntentiam oppositam, quæ defendit Theologiam nostram esse essentialiter obscuram, & consequenter non manere in patria, tenent Caiet. sup. 1. ad Corinth. cap. 17. (vbi dixerit sententiam, quam docuerat in præs.) Capreol. Conradus, Zumel, Nazarius, Victoria, Granados, Medina, N. Cornejo, Lorca, Albelda, Ildephonsus Michaël, Palanco, & alij.

43 Et probatur *primò* ratione, & authoritate: Illa scientia est essentialiter obscura, cuius ratio *subqua* est formaliter obscura; sed huiusmodi est ratio *subqua* nostræ Theologię: ergo

est

est essentialitèr obscura. Maior constat. Et minor probatur: Eadem revelatio *subqua* fidei est ratio *subqua* nostræ Theologiæ, cum hoc tantùm discrimine quòd respectu fidei est immediata & formalis, at respectu Theologiæ est mediata & virtualis; sed ratio formalis *subqua* fidei est revelatio vt formalitèr obscura: ergo ratio formalis *subqua* nostræ Theologiæ est formalitèr obscura. Maior probatur ex D. Thom. Tum in præf. art. 3. vbi probat vnitatem Theologiæ nostræ: *Quia omnia, quæ sunt divinitùs revelabilia, communicant in vnica ratione formali obiecti huius scientiæ.* Tum art. 7. vbi ait: *Quod etiam manifestum est ex principijs huius scientiæ, quæ sunt articuli fidei, quæ est de Deo. Idem autem est subiectum principiorum, & totius scientiæ; cùm tota scientia contineatur in principijs.* Tum denique in 1. ad Annib. quæst. 1. art. 2. vbi ait: *Et ideo proprium subiectum Theologiæ est Deus vt à nobis cognoscibilis per viam fidei; & satis in idem reddit, quòd credibile est huius scientiæ subiectum.*

Ad hoc argumentum respondetur concedendo maiorem; sed negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd ratio *subqua* fidei peraccidens est ratio *subqua* nostræ Theologiæ. Nam sicut fides substituitur loco luminis gloriæ, ita ratio eius *subqua* substituitur loco rationis *subqua* luminis gloriæ. Unde estò ratio *subqua* fidei sit formaliter obscura, non sequitur, quòd Theologia nostra sit formalitèr & essentialitèr obscura, sed tantùm peraccidens. ¶ Neque oppositum docet D. Thomas locis citatis in argumento: Nam, vt num. 35. ex S. Doctore vidimus, Theologia procedit ex principijs notis scientiæ Dei, & beatorum. Quocirca eius ratio *subqua* est revelatio virtualis suorum principiorum, prout est clara & proposita à lumine gloriæ (nam revelatio virtualis non est vnicè obscura, vt patet in patria) licèt peraccidens substituatur in via per rationem *subqua* fidei, quæ est essentialitèr obscura. Neque hæc in via concurrit vt obscura, sed tantùm vt certa, vt vidimus §. præcedenti.

44 Sed insurges (& erit secundum argumentum) Ex hac solutione sequitur, quòd Theologia nostra est essentialitèr clara; sed hoc est falsum: ergo ratio *subqua* illius nequit esse revelatio virtualis clara seu luminis gloriæ. Minor probatur: Nam si esset essentialitèr clara, non posset naturalitèr, nec absolutè attingere suum obiectum sub ratione obscura; sed Theologia non solùm absolutè, sed etiam naturalitèr potest attingere suum obiectum sub ratione obscura, vt in via: ergo Theologia nostra non est essentialitèr clara. Maior probatur: Nam si esset essentialitèr obscura, non attingeret suum obiectum naturalitèr, nec absolutè sub ratione clara, vt liquet in fide: ergo si esset essentialitèr clara, non posset attingere suum obiectum sub ratione obscura.

Et confirmatur: Idemmet intellectus nequit adhuc habitualitèr esse clarus, & obscurus circa eandem propositionem; sed si Theologia nostra esset essentialitèr clara, intellectus posset esse habitualitèr clarus, & obscurus circa eandem propositionem: ergo nostra Theologia non est essentialitèr clara. Maior continet doctrinam communem Thomistarum, necnon nostrorum Salmant. tract. 17. disp. 3. à num. 40. Minor probatur: Nam fides compatibilis est cum nostra Theologia, vt experientia docet; sed fides versatur circa plures propositiones, quas nostra Theologia attingit: ergo, si hæc esset essentialitèr clara, intellectus posset esse habitualitèr clarus, & obscurus circa eandem propositionem.

Pro solutione huius argumenti notandum est, quòd aliquod prædicatum potest esse essentiale alicui dupliciter, vel ita quòd illud in omni statu exigat pro omni statu, vel ita quòd illud exigat semper pro aliquo statu. Sit exemplum primi in homine, qui taliter est rationalis secundùm suam essentiam, quòd hoc prædicatum debeat habere pro omni statu. Sit exemplum secundi in anima rationali: quæ quidem essentialitèr est forma corporis; & tamen non petit pro omni statu informare corpus: Et in intellectu nostro, qui essentialitèr est discursivus, per quod distinguitur essentialitèr ab intellectu Angelico; & nihilominus non petit discurrere pro omni statu.

Ex his iam constat ad argumentum. Quando enim dicimus, quòd Theologia nostra est essentialitèr clara, non sic intelligendum est, quòd petat procedere cum claritate pro omni statu; sed quòd ita est essentialitèr clara, quòd pro omni statu exigat claritatem, quam habebit in patria: ad eum modum quo anima rationalis exigit pro statu separationis reunionem cum corpore. Et sicut, hoc non obstanti, status separationis est illi quodammodò naturalis, vt docet D. Thomas opusc. 3. cap. 152. licèt sit ei connaturalior status coniunctionis; ita Theologia nostra, licèt sit essentialitèr clara modo præscripto, potest naturalitèr procedere cum obscuritate.

Per quod liquet ad confirmationem: Nam licèt intellectus non possit esse habitualiter obscurus, & clarus, quando omnibus modis est inclinatus ad eliciendos actus claros; benè tamen quando ex se est inclinatus ad eliciendos actus claros, & peraccidens actus obscuros: Fides autem ita est habitus obscurus, quòd omnibus modis inclinat ad actus obscuros; Theologia verò ita est habitus clarus, quòd peraccidens, & ratione status potest inclinare in actus obscuros. Unde hi habitus, etsi obscurus, & clarus, optimè possunt fœderari in eodem intellectu. Aliter tamen discurrendum est de scientia beata, quæ

quæ, quia est omnibus modis habitus clarus, & nec peraccidens potest permittere obscuritatem, nequit compati cum habitu fidei.

45 Sed replicabis (& erit tertium argumentum) Idemmet habitus nequit procedere à ratione *subqua* obscura, & à ratione *subqua* clara pro diversitate statuum; sed non potest negari, quòd nostra Theologia procedit pro hoc statu à ratione *subqua* fidei, quæ est obscura: ergo nequit procedere à ratione *subqua* clara in patria: & sic erit diversa Theologia in vtroque statu. Minor constat: Nam Theologia procedit in hoc statu ex articulis fidei, vt propositis ab ipsa. Maior probatur: Nam si idemmet habitus posset habere duplicem rationem *subqua* obscuram, & claram ratione diversi status, idemmet habitus fidei posset hoc habere, & sic variato statu posset variari ratio formalis *subqua*, & consequenter manere in patria; sed hoc est contra commune placitum Theologorum: ergo idemmet habitus nequit procedere cum diversa ratione *subqua* pro diversitate statuum.

Confirmatur: Idemmet habitus non potest inclinare in actus essentialiter claros, & actus essentialiter obscuros; sed nostra Theologia inclinat in actus essentialiter obscuros: ergo nequit inclinare in actus essentialiter claros: & consequenter non est essentialiter clara. Minor liquet: nam actus hic elicitus à nostra Theologia dependet à ratione *subqua* fidei, ac proinde pro hoc statu inclinat in actus essentialiter obscuros. Maior verò probatur: Nam ille habitus vel est genitus per actus obscuros, vel per actus claros (non enim primò gigni potest per actus essentialiter claros, & obscuros, cùm vnus actus sufficiat pro generatione illius; neque per vnum actum, qui formaliter eminenter sit clarus, & obscurus, cum repugnet talis actus) sed si producitur per actus obscuros (v.g.) non potest inclinare in actus claros: ergo non potest inclinare in actus essentialiter claros, & obscuros. Minor probatur: Tum ex Philos. 2. Ethic. vbi ait: *Omnes habitus ex operationibus similibus fiunt: Quapropter tales quasdam operationes reddere oportet.* Tum ex D. Thoma 2. Contra gent. cap. 73. vbi ait: *Sicut probat Philos. 2. Ethic. ex similibus actibus similes habitus, & similes actus etiam reddunt.* Idem habet quæst. 20. *de Verit.* art. 3. ad 3. vbi sic concludit: *Et sic habitus acquisitus semper reddit similem illi actui, à quo genitus est*: Ergo habitus productus per actum obscurum nequit inclinare in actum essentialiter clarum. Et idem argumentum fieri potest de habitu producto per actum esse ntialiter clarum.

46 Ad argumentum respondetur ex dictis num. 42. quòd idemmet habitus optimè potest procedere ex diversa ratione *subqua* obscura, & clara, si vna se habeat persè in ordine ad habitum, & alia peraccidens. Et hoc modo se habet ratio *subqua* specificativa nostræ Theologiæ, quæ persè petit procedere ex ratione *subqua* clara, nempè ex principijs luminis gloriæ, & peraccidens ex principijs fidei. ¶ Neque huic solutioni obest exemplum fidei: Nam fides procedit persè ex ratione *subqua* essentialiter obscura: quia est argumentum non apparentium. Per quod patet discrimen inter fidem, & Theologiam: fides enim ob rationem prædictam attingit semper suum obiectum sub revelatione obscura; Theologia autem ex vi connexionis principiorum, & conclusionum: ad quod peraccidens se habet, quòd sint clarè, vel obscurè proposita, dummodò sint infallibiliter certa.

Ad confirmationem potest responderi *primò*, negando maiorem: Nam sicut idemmet habitus pro diversitate statuum potest inclinare in actus dependentes à phantasmate, & independentes ab illo, qui quidem essentialiter distinguntur; & in actus formaliter discursivos, & non discursivos, qui etiam distinguuntur specie: ita non repugnat, quòd idemmet habitus Theologiæ pro diversitate statuum inclinet in actus essentialiter obscuros, & essentialiter claros. Sufficit enim, quòd habitus productus per actum conveniat cum illo quoad tendentiam specificam absolutam ad obiectum, licèt in diversis statibus diverso modo tendat in illud: quia illa differentia est merè materialis respectivè ad habitum; licèt sit formalis in ordine ad actus. Unde sicut habitus productus in via per actum discursivum, seù dependentem à phantasmate potest in statu separationis inclinare in actum non discursivum, seù non dependentem à phantasmate; ita habitus productus in via per actum essentialiter obscurum potest in patria inclinare in actum essentialiter clarum. Quod alijs mille exemplis, nempè virtutis pœnitentiæ, temperantiæ, fortitudinis &c. parificari potest. Per quod satis constat ad testimonia Arist. & Div. Thomæ.

Secundò, & melius respondetur, permittendo maiorem; sed negando minorem: Nam Theologia nostra non inclinat in actum essentialiter obscurum, quia non dependet persè à ratione formali *subqua* fidei, sed peraccidens. Et sic idemmet actus entitativè potest transire de obscuro in clarum, & de claro in obscurum: sicut idemmet actus charitatis potest transire de actu libero in necessarium, & è converso. Unde quemadmodùm hic actus, estò in via dependeat à fide tanquam à principio effectivo, vt tenet Caietanus, & nos probabilius cum illo, salva eius entitate potest nunc esse liber, & in patria necessarius, estò dependeat à visione; pariformiter idemmet actus potest nunc esse obscurus, vtpotè dependens à fide; & postea clarus, vtpotè dependens à visione: licet regulariter loquendo interrumpatur per mortem: vt actui charitatis contingit.

Sed

47 Sed adhuc inſtabis (& erit quartum argumentum) Talis eſt aſſenſus concluſionis, qualis eſt aſſenſus præmiſſarum; ſed aſſenſus præmiſſarum eſt in via reſpectu noſtræ Theologię eſſentialitèr obſcurus: ergo etiam aſſenſus concluſionis debet evadere eſſentialitèr obſcurus. Maior eſt certa: Nam aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa aſſenſus concluſionis, & huic non aſſentitur niſi propter præmiſſas: ideoque D. Thomas ad Rom. 11. lect. 1. ait: *Non poteſt maior certitudo haberi de concluſione, quàm de principio, ex quo elicitur: quia ſemper principia ſunt notiora concluſionibus.* Minor etiam liquet: Nam aſſenſus præmiſſarum eſt aſſenſus fidei; ſed aſſenſus fidei eſt eſſentialitèr obſcurus: ergo aſſenſus præmiſſarum reſpectu noſtræ Theologiæ eſt eſſentialitèr obſcurus.

Explicatur hoc: Habitus ex natura ſua clarus petit produci per actum ex natura ſua clarum; cùm ergo noſtra Theologia, ſicut & alius habitus ſcientificus, dependeat perſè ex aſſenſu præmiſſarum, deberet produci per aſſenſum præmiſſarum, qui ex natura ſua eſſet clarus; ſed aſſenſus præmiſſarum in via eſt eſſentialitèr obſcurus, vtpotè aſſenſus fidei: ergo nequit Theologia evadere ex natura ſua clara; ſed potius ex natura ſua obſcura.

Confirmatur: Non minùs dependet in via aſſenſus theologicus ab aſſenſu fidei, quàm noſtra cognitio hìc à phantaſmate; ſed noſtra cognitio elicita hìc dependenter à phantaſmate non poteſt, ſalva eius entitate, tranſire in cognitionem independentem à phantaſmate: ergo paritèr aſſenſus theologicus hìc elicitus medio aſſenſu fidei nequit idem numero tranſire in actum dependentem à viſione. Minor probatur: Nam cognitio dependens à phantaſmate eſſentialitèr diſtinguitur à cognitione independente à phantaſmate, vt non obſcurè docet D. Thomas 1. part. quæſt. 89. art. 5. ad 1. & art. 6. in corp. ſed vna ſpecies nequit tranſire in aliam ſalva eius entitate: ergo cognitio dependens à phantaſmate non poteſt, ſalva eius entitate, tranſire in cognitionem independentem à phantaſmate.

Ad argumentum reſpondetur diſtinguendo maiorem: *Talis eſt* quoad omnia, nego maiorem; quoad id quod ſe habet de formali, concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam aſſenſus præmiſſarum reſpectu concluſionis theologicæ, qui eſt aſſenſus fidei, duo habet eſſentialiter, certitudinem ſcilicèt, & obſcuritatem: ſed in ordine ad concluſionem theologicam ſolùm concurrit ratione certitudinis, quia hæc ſe habet de formali; obſcuritas verò eſt omninò de materiali, propter rationem tactam in num. 40. & fundatam in D. Thoma. Et ſic ſalvatur, quòd eſtò aſſenſus concluſionis ſit exactivè clarus, non excedit in certitudine aſſenſum fidei; ſed potiùs fundatur certitudo illius in certitudine iſtius.

48 Ad illam explicationem, in qua eſt præcipua difficultas huius controverſiæ, reſpondetur concedendo antecedens; ſed negando conſequentiam. Nam ea ratione, qua dicitur quòd Theologia eſt exactivè clara, etiam concluſio theologica deducta ex principijs, & aſſenſu fidei eſt exactivè clara. Hæc autem claritas ſeu evidentia ex natura ſua exacta, ſeu in actu primò, tam in actu, quàm in habitu convenit illis ex ſubordinatione, quam habent, ad ſcientiam beatam, ad quàm pertinet reſolutio omnium concluſionum noſtræ Theologiæ. Et hac ratione noſtra Theologia dicitur *ex natura ſua* clara, non quidem quia intrinſecè in ſe ſit clara, aut evidens, cùm ipſa intrinſecè nunquam reſolvat ſuas concluſiones in principia in ſe, & à ſe notificata; ſed quia ex munere ſcientiæ petit facere huiuſmodi reſolutionem, vel perſè, vel per ſcientiam ſuperiorem, cum qua petit coniungi, vt in illa ſalvetur vera ratio ſcientiæ. Unde ad hoc, vt ſalvetur hæc evidentia exactiva in concluſione theologica, non requiritur, quòd detur in aſſenſu præmiſſarum, ſeu fidei; ſed ſufficit, quòd præhabeat certitudinem ſibi, & lumini gloriæ communem, & quòd ratione certitudinis concurrat in aſſenſum concluſionis: hac ſemel poſita, ſalvatur verus conceptus ſcientiæ actualis, quæ, quia talis, petit ex natura ſua reſolvi in principia perſè nota ſcientiæ ſuperiori, coniungi cum illa, ab eaque tandem perfici. Et in hoc ſtat exigentia claritatis noſtræ Theologiæ, quæ potius conſiſtit in exigentia intrinſeca coniunctionis cum ſcientia clara, quàm in alio prædicato intrinſeco claro ipſius ſcientiæ. Quapropter ſi aſſenſus fidei, licet obſcurus, eſt ſufficiens, quia certus, ad producendam concluſionem theologicam verè ſcientificam, etiam erit ſufficiens ad producendam claritatem modò deſcriptam, & exactam in ſcientia inferiori.

49 Sed adhuc pulſat difficultas: Nam concluſio theologica ideò dicitur clara *exactivè* ſeu in actu primo, quia dicit habitudinem intrinſecam ad claritatem exercitam, quam intrinſecè in patria habitura eſt; ſed aſſenſus fidei nequit producere exigentiam ad claritatem exercitam & intrinſecam, quam in patria habitura eſt: ergo nequit habere evidentiam exactivè. Maior conſtat: Nam intellectus, vt certificatus clarè de principijs, elicit in patria aſſenſum concluſionis intrinſecè clarum, ſicut, quia eſt abſolutè certificatus de illis, producit aſſenſum concluſionis intrinſecè certum; & ſic illa evidentia exacta in concluſione theologica eſt per habitudinem ad claritatem exercitam, & intrinſecam, quam in patria habitura eſt. Minor verò probatur: Nam aſſenſus, cui repugnat evidentia, nequit præcontinere exigentiam ad claritatem intrinſecam; ſed aſſenſui fidei repugnat evidentia: ergo nequit præcontinere exi-

exigentiam ad claritatem intrinsecam, & consequenter neque illam producere.

Augetur difficultas: Assensus fidei vel produceret illam exigentiam virtute propria, vel virtute luminis gloriæ; neutrum dici potest: ergo nequit illam producere. Minor probatur: Nam imprimis ex se & natura sua ita est obscurus, vt repugnet ei claritas; aliàs nulla virtus ei superadditur à lumine gloriæ (vel assignetur:) ergo.

Ad hoc respondetur persistendo in solutione data. Pro quo nota, quòd in conclusione scientifica idem intransitivè est prædicatum certitudinis & scientiæ, ac prædicatum exigentiæ claritatis: Nam eo ipso, quòd conclusio sit certa, est scientifica; & hoc ipso, quòd sit scientifica, intransitivè habet exigentiam ad claritatem, cùm petat resolvi in principia persè nota. Nota *secundò*, aliud esse, quòd conclusio theologica evadat intrinsecè clara in vi præcisè ipsius Theologiæ; & aliud, quòd evadat clara in vi assensus scientiæ beatæ: sicut aliud est, quòd conclusio scientiæ subalternatæ, v. g. Musicæ, sit aliquando clara in vi proprij luminis; aliud quòd sit clara in vi scientiæ subalternantis. Licèt enim conclusio subalternata sit intrinsecè clara, quando coniungitur cum subalternante; hæc tamen claritas vel non reducitur nisi in scientiam subalternantem, quatenus per suum assensum determinat intellectum ad communicandam conclusioni claritatem; vel reducitur in ipsam scientiam subalternatam, vt actu conjunctam cum illa, & ad eam subordinatam.

Ex his ergo ad replicam respondetur, quòd licèt assensui fidei repugnet ab intrinseco evidentia; potest tamen ratione certitudinis illam producere: ad eum modum quo habitus primorum principiorum concurrit ad assensum conclusionis seu scientificum. Nam cùm conclusio theologica sit certa & scientifica, & qua parte est certa & scientifica, sit intransitivè evidens exactivè ob rationem præfatam, ille habitus, qui potest illam producere vt certam & scientificam, poterit etiam illam producere vt evidentem: non enim est maior difficultas in vno ac in alio conceptu, cùm sit formaliter idem. Et hoc, velint-nolint, debent concedere Adversarij: Nam habitus fidei, & principiorum, licèt non sit scientificus, præcisè quia certus concurrit ad assensum scientificum: quare ergo, quia certus, non poterit producere assensum clarum exactivè, hoc est, qui petat coniungi cum principijs clarè attactis; cùm hoc sit prædicatum commune omni assensui scientifico, vtpotè qui petit resolvi vsquead prima principia? Sed quia hæc resolutio nequit fieri per ipsam Theologiam, adhuc quando est coniuncta scientiæ beatæ, cùm ipsa non attingat Deum prout est in se, ipsa conclusio prout in patria, si alias habet claritatem intrinsecam exercitam, non illam desumit ab ipsa Theologia, secundùm id quod habet ex propria linea, sed à lumine gloriæ, vel ex coniunctione & subordinatione ad illud.

Ad augmentum difficultatis potest responderi, admittendo vtramque partem dilemmatis: Nam idem intransitivè est fidem concurrere in virtute luminis gloriæ, ac in virtute propria; cùm per suam essentiam substituatur loco illius. Et licèt sit essentialiter obscura; est tamen simul essentialiter certa, & ratione huius certitudinis supplet vices illius, non ratione obscuritatis: potest ergo producere exigentiam claritatis in Theologia ratione suæ certitudinis, obscuritate non impediente, vtpotè quæ non adversatur claritatis exigentiæ, sed ipsi claritati.

Ad confirmationem respondetur negando maiorem. Nam nostra cognitio huius status ex natura sua dependet à phantasmate; conclusio verò Theologica non nisi peraccidens dependet ab assensu fidei. Cuius discriminis ratio in eo consistit: quia animæ nostræ connaturalior est status dependens à corpore tàm in essendo quàm in operando, quàm status separationis, vt docet D. Thomas 1. part. quæst. 89. art. 1. Status verò nostrę Theologiæ in via non est connaturalis, quia ex se petit procedere ex principijs persè notis: vndè peraccidens omninò assensus fidei se habet ad illam. *Rursus*: Obiectum vt dependens à phantasmate, & vt independens ab illo non potest non constituere obiecta formaliter diversa in ordine ad actus limitatos, quales sunt actus animæ nostræ: obiectum verò Theologiæ est idem formalissimè, sivè attingatur medio assensu fidei, *si*vè medio lumine gloriæ, quia conclusio solùm attingitur ab ea in vi connexionis illius cum principijs certò & infalibiliter cognitis, vt suprà diximus. Quare cognitio dependens à phantasmate, & independens ab illa distinguuntur essentialiter; secus verò conclusio theologica dependens nunc ab assensu fidei, & in patria à lumine gloriæ.

DUBIUM IV.

Vtrùm Theologia nostra sit entitativè supernaturalis?

DUpliciter aliquid potest esse supernaturale: vel quoad substantiam & entitatem, vel præcisè quoad modum aliquem entitati superadditum. Tunc autem aliquid est supernaturale quoad suam substantiam, quando absolutè est supra exigentiam naturæ creatæ seu creabilis, sicut gratia sanctificans. Tum verò aliquid est supernaturale quoad modum, quando secundum suam entitatem non excedit exigentiam naturæ creatæ; excedit tamen illam secun-

cundùm aliquem modum ſibi ſuperadditum, vt contingit in actibus naturalibus imperatis à charitate. Difficultas ergo præſens non procedit de ſupernaturalitate quoad modum, ſed de ſupernaturalitate quoad ſubſtantiam; propterea in titulo quæſtionis ponitur illa particula *entitativè*. Sed vt perveniamus ad præcipuum punctum huius controverſiæ, quæ graviſsima eſt, oportet aliqua communia præſupponere.

§. I.

Aliquæ ſuppoſitiones.

50 SUpponendum eſt *primò*, Theologiam noſtram eſſe ſaltem radicalitèr, ſeu præſuppoſitivè ſupernaturalem. Et ratio eſt: Nam id eſt radicalitèr ſupernaturale, quod persè procedit ex aliquo principio radicali ſupernaturali; ſed huiuſmodi eſt noſtra Theologia: ergo eſt ſupernaturalis radicalitèr. Minor conſtat: Nam principia, ex quibus procedit noſtra Theologia, ſunt articuli fidei; ſed articuli fidei ſunt ſupernaturales, vtpotè ſpecificantes habitum fidei, ſeu ſcientiam beatam: ergo Theologia noſtra procedit ex principijs ſupernaturalibus. In hoc conveniunt omnes Doctores. Diſsidium autem non leve, eſt inter eos, an ſit habitus persè infuſus. Cuius reſolutio pendebat ex deciſsione præcipui puncti huius controverſiæ: Nam ſi eſt entitativè naturalis, nequit non in nobis eſſe persè acquiſitus, vt liquet in alijs habitibus naturalibus nullo excepto. Sed quia adhuc inter Authores tenentes Theologiam eſſe entitativè ſupernaturalem eſt communior ſententia eſſe habitum persè acquiſitum:

51 Supponendum eſt *ſecundò*, Theologiam eſſe habitum noſtris actibus acquiſitum. Sic proculdubiò docet D. Thomas in præſ. art. 6. ad 3. vbi loquens de Theologia noſtra prout diſtincta à dono ſapientiæ, quod eſt præcipuum inter dona Spiritus-ſancti, ſic concludit: *Secundus autem modus iudicandi pertinet ad hanc doctrinam* (nempè Theologiam noſtram) *ſecundùm quòd per ſtudium habetur, licèt eius principia ex reuelatione habeantur.* Id expreſsius docet in prolog. lib. 1. Sent. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. vbi ait: *Dicendum, quòd ſicut habitus primorum principiorum non acquiritur in alijs ſcientijs, ſed habetur à natura; ſed habitus concluſionum ex primis principijs deductarum; ita etiam in hac doctrina non acquiritur habitus fidei, qui eſt quaſi habitus principiorum; ſed acquiritur habitus eorum, quæ ex eis deducuntur.* Id ipſum non obſcurè colligitur ex his, quæ docet 2. 2. quæſt. 9. art. 1. & quæſt. 45. art. 1. ad 2. Vbi dona Spiritus-ſancti diſtinguit ab omni ſcientia noſtra per hoc, quòd illa ſunt persè infuſa, & ſcientia acquiſita. Teſtimonia tamen ſuprà relata ſunt adeò clara, vt nulli expoſitioni Zamorenſis dent locum, vt videri poteſt in Mag. Carraſco in præſ. à num. 4. & in Mag. Palanco à num. 23.

Et probatur ratione: Circa materiam Theologiæ plures fiunt demonſtrationes; ſed ſcientia eſt habitus acquiſitus per demonſtrationem: ergo Theologia noſtra eſt habitus acquiſitus per demonſtrationem Theologicam. Maior patet, aliàs non eſſet ſcientia. Minor continet definitionem ſcientiæ: & tandem conſequens legitimè infertur ex præmiſsis. Explicatur hoc: Prima demonſtratio Theologiæ non præſupponit habitum Theologiæ infuſum; aliàs nec infunditur poſteà intuitu illius: ergo non eſt habitus perse infuſus, ſed persè acquiſitus. Maior probatur: Tum quia ſi præſupponeretur infuſus, vel infunderetur persè cum gratia, vel cum fide; neutrum dici poteſt: non quidem primum, aliàs nullus peccator haberet Theologiam, & omnis iuſtus eam haberet: nec ſecundum ob eandem rationem, quia ſcilicèt omnis fidelis haberet Theologiam, quod eſt falſum. Tum etiam: quia ſi præſupponeretur infuſus, nullus diſcurreret, vt de novo addiſcat Theologiam, ſed tantùm quoad vſum, ad eum modum quo Chriſtus per ſcientiam persè infuſam voluntariè diſcurrebat; cuius oppoſitum experientia conſtat. Minor etiam probatur: Nam actus, qui eſt diſpoſitio antecedens infuſionem alicuius formæ, non eſt eiuſdem rationis cum actu proveniente connaturalitèr ab ipſa forma, propterea quæ docent N. Salm. tract. *de Iuſtificatione*, quòd actus charitatis, qui eſt actus connaturalis gratiæ, non poteſt eſſe diſpoſitio antecedens infuſionem illius; ſed prima demonſtratio præcedens productionem Theologiæ poteſt provenire ab ipſa Theologia: ergo eò eſt, quia prima demonſtratio Theologiæ producit habitum Theologię: & ſic ſtat illud dictum D. Thom. allatum num. 44. quòd *habitus acquiſitus ſemper reddit ſimilem illi actui, à quo genitus eſt.* Nec contra hoc eſt aliquod ſpeciale argumentum præſcindens à ſupernaturalitate: & propterea commodiùs illud proponetur pro ſententia contraria.

His ita præmiſsis: Lis noſtra præcipua eſt contra Authores, qui ex vna parte concedunt Theologiam noſtram eſſe habitum persè acquiſitum, & ex alia defendunt eſſe entitativè ſupernaturalem.

§. II.

Conclusio nostra negativa.

52 DIcendum est, Theologiam nostram esse entitativè naturalem. Hanc nostram sententiam tenent plures, & gravissimi Theologi tàm extra, quàm intra Scholam D. Thomæ, Suarez, Vazquez, Arrubal, Torres relati à Zamorensi. Et ex Thomistis Bañez, Navarrete, Albelda, Lisbonensis, N. Philip. à SS. Trinit. Gonet, Carrasco, & alij, eamquè non levitèr insinuant N. Salm. tract. 14. disp. 2. num. 11. & tract. 21. disp. 20. num. 28.

Et probatur *primò* authoritate, & ratione: Nam omnis habitus nostris actibus acquisitus, est entitativè naturalis; sed nostra Theologia est habitus nostris actibus acquisitus: ergo est entitativè naturalis. Consequentia constat, & minor admittitur ab Authoribus, contra quos nunc agimus. Maior verò probatur primò ex D. Thoma 1.2. quæst. 63. art. 3. vbi ait: *Dicendum, quòd oportet effectus esse suis causis, & principijs proportionatos: omnes autem virtutes tàm intellectuales, quàm morales, quæ ex nostris actibus acquiruntur, procedunt ex quibusdam naturalibus principijs in nobis præexistentibus, vt suprà dictum est*: Ergo secundùm D. Thomam omnis habitus nostris actibus acquisitus est entitativè naturalis. Probatur consequentia: Nam habitus procedens ex principijs naturalibus est naturalis; sed habitus nostris actibus acquisitus procedit secundùm D. Thom. ex principijs naturalibus: ergo est naturalis. *Secundò*: Nam habitus nostris actibus acquisitus distinguitur ab habitu persè infuso in hoc, quòd iste petit causas supernaturales nostram acquisitionem excedentes; at ille petit causas naturales: ergo habitus acquisitus nostris actibus est entitativè naturalis.

53 Respondebis cum Adversarijs, negando maiorem vniversalitèr intellectam, propter nostram Theologiam, quæ etsi supernaturalis sit; tamen propter rationem peculiarem suam petit produci nostris actibus, non naturalibus, sed supernaturalibus. Et sic habitus supernaturalis semper petit produci per causas supernaturales, licèt cum hoc discrimine, quòd Theologia, cùm dependeat à discursu, & præsupponat fidem, petit produci per causas creatas supernaturales: alij verò habitus supernaturales, cum sint emanationes à gratia, petunt vnicè produci à Deo. Et de his intelligi debet D. Thomas in testimonio suprà relato.

Sed contrà est *primò*: quia D. Thomas loco citato loquitur de omnibus habitibus tàm intellectualibus, quàm moralibus absque vlla restrictione; sed de illis, ait, contineri in principijs naturalibus, si nostris actibus acquiruntur: ergo contra mentem D. Thomæ agit, qui concedit, habitum aliquem ex vna parte esse supernaturalem; & ex alia esse nostris actibus acquisitum. ¶ *Secundò*: Nam eadem facilitate posset quis interpretari D. Thomam circa aliquam virtutem moralem supernaturalem: Nam sicut Theologia præsupponit fidem, in qua continetur tanquàm in radice; ita omnis habitus supernaturalis moralis supponit charitatem: sic enim se habet finis, quem respicit charitas, in ordine ad media; sicut se habent principia in ordine ad conclusiones. ¶ *Tertiò*: Nam fides non est principium proximum primæ conclusionis theologicæ: ergo si est entitativè supernaturalis, debet præsupponere aliud principium proximum supernaturale persè infusum: ergo debet esse Theologia. Probatur hæc consequentia. Tum quia eadem ratio est de alio principio persè infuso ac de Theologia. Tum quia illa conclusio persè petit procedere ab habitu Theologiæ, licèt peraccidèns posset produci ab aliquo auxilio: sicut actus charitatis persè petit produci ab habitu charitatis, licèt peraccidèns possit produci ab aliquo auxilio; aliàs iste actus non esset eiusdem rationis cum actu procedente ab habitu charitatis, cùm peterent persè procedere à diversis principijs (quod de prima demonstratione dici non valet) ergo si ob hanc rationem habitus charitatis petit infundi, & non solùm auxilium, etiam habitus Theologiæ, si esset entitativè supernaturalis, debebat infundi, nec acquiri posset.

54 Secundò probatur ratione, per quam impugnatio proxima magis explanatur: Nam prima demonstratio theologica est entitativè naturalis: ergo etiam habitus Theologiæ est naturalis. Antecedens probatur: Ille actus est entitativè naturalis, cuius principium proximum est entitativè naturale; sed principium proximum primæ conclusionis theologicæ est entitativè naturale: ergo prima demonstratio theologica est entitativè naturalis. Minor probatur: Nam vis nativa intellectus est principium adæquatum proximum primæ demonstrationis theologicę: ergo principium proximum primæ conclusionis theologicæ est entitativè naturale. Antecedens probatur: Nam suppositis duabus præmissis de fide, fides ipsa non est principium proximum conclusionis theologicę; sed neq; datur aliud principium supernaturale: ergo vis nativa intellectus est principium proximum adæquatum primæ conclusionis theologicę. Minor constat: Nam suppositis duabus præmissis de fide, nihil restat ad inferendam conclusionem, nisi quòd colloquentur in ordine, & figura iuxta regulas Logicæ, vt inde appareat bonitas illationis, quæ dispositio naturalis est adhuc in sententia Adversariorum.

Maior verò probatur: Tum quia fides

in

in ordine ad concluſiones theologicas, ſe habet, ſicut lumen principiorum in ordine ad concluſiones aliarum ſcientiarum; ſed lumen principiorum non eſt principium proximum concluſionis ſcientificæ, vt tradit expreſsè D. Thomas 1. 2. quæſt. 57. art. 2. ad 2. per hæc verba: *Principia demonſtrationis poſſunt ſeorſum conſiderari, abſque hoc quòd conſiderentur concluſiones. Poſſunt etiam conſiderari ſimul cum concluſionibus, prout principia in concluſiones deducuntur. Conſiderare ergo hoc ſecundo modo principia, pertinet ad ſcientiam, quæ conſiderat etiam concluſiones; ſed conſiderare principia ſecundùm ſeipſa, pertinet ad intellectum*: ergo fides non eſt principium proximum concluſionis theologicæ. Tum etiam: quia fides non eſt formaliter diſcurſiva, ſicut nec habitus principiorum; ſed ob hanc rationem habitus principiorum non attingit proximè concluſiones: ergo nec fides attingit proximè concluſionem theologicam.

Confirmatur hæc ratio *primò*: Nam ſuppoſitis præmiſsis de fide, poteſt intellectus virtute ſua naturali penetrare concluſiones cum eis connexas; ſed huiuſmodi concluſio eſſet theologica, & ſcientifica: ergo intellectus ex ſe habet ſufficientem virtutem proximam ad concluſionem theologicam. Maior liquet in hæretico, & dæmone, qui ex principijs fidei deducunt plures concluſiones cum eis connexas: cùm ergo intellectus noſter aſſentiens per lumen fidei huiuſmodi principijs non ſit peioris conditionis, poterit etiam virtute ſua naturali deducere eaſdem concluſiones. Minor probatur: Nam in primis, ſuppoſito aſſenſu fidei, concluſio deducta per virtutem naturalem eſt certiſsima, & infallibilis, non minùs quàm concluſio deducta ex primis principijs naturalibus ſuppoſito aſſenſu habitus intelligentiæ: ergo eſt ſcientifica: Deinde hæc concluſio non eſt purè philoſophica, cùm certitudo eius non innitatur radicaliter lumini naturali principiorum, ſed fidei: ergo eſt theologica.

Confirmatur *ſecundò*: Nam ſi intellectus vi ſua naturali non eſſet principium proximum concluſionis theologicæ, ſequeretur, quòd ille qui haberet intenſiorem fidem, & hebetiorem intellectum, poſſet plures concluſiones breviùs, & præſtantiùs deducere, quàm ille qui haberet fidem non ita intenſam, & intellectum perſpicaciorem, breviuſquè illo conſequeretur Theologiam; ſed hoc eſt falſum: ergo ſignum eſt, quòd intellectus virtute ſua naturali deducit concluſiones theologicas. Patet conſequentia: Nam ob oppoſitam rationem inferunt Thomiſtæ in 1. part. quæſt. 12. art. 6. meliorem intellectum cum æquali lumine gloriæ non producere meliorem & intenſiorem viſionem. Sequela conſtat: nam qui excedit in principio proximo, facilius & promptiùs poteſt elicere effectus illi correſpondentes. Minor verò probatur ipſa experientia: Nam plures mulierculæ excedunt doctiſsimos Magiſtros, & Theologos in fide; & tamen non illos excedunt, immò nec adæquant in Theologia: cuius non poteſt alia aſsignari ratio, niſi quia hęc non innititur præcisè aſſenſui fidei, ſed etiam ſtudio pure humano & naturali.

Confirmatur *tertiò*: Nam demus, quòd hæc propoſitio, *Omnis homo habet voluntatem*, ſit immediatè revelata: ſubiungamus illi, *Chriſtus eſt homo*, quæ eſt abſolutè de fide: ſemel enim cognitis per fidem his propoſitionibus, non alio lumine intellectus noſter deducit *Chriſtum habere voluntatem*, niſi illo quo cognoſcit voluntatem neceſſariò connecti cum natura humana; ſed intellectus noſter virtute ſua naturali cognoſcit certò voluntatem connecti cum natura humana: ergo vi ſua naturali deducit illam concluſionem. Minor cum conſequentia conſtat. Et maior probatur: Nam non minùs potens eſt intellectus ſecundùm ſe ad cognoſcendam connexionem voluntatis humanæ cum natura humana, ſuppoſita cognitione fidei, quàm ſuppoſita tantùm cognitione luminis naturalis principiorum, vt ex ſe liquet; ſed, ſuppoſita cognitione luminis naturalis principiorum, intellectus ſecundùm ſe eſt potens cognoſcere certò connexionem voluntatis cum natura humana: ergo etiam ſuppoſita cognitione fidei.

Ex hoc artificioſo ratiocinio duo inferuntur: *Primum*, quòd concluſio deducta ex vna præmiſſa de fide, & alia naturali eſt entitativè naturalis. Tum quia motiva hucuſquè ponderata non minorem vim habent ad probandam naturalitatem huius concluſionis, quàm ad probandam naturalitatem deductam ex duabus de fide. Tum etiam: Nam concluſio deducta ex vna de fide, & alia naturali ſolùm infertur ex vi connexionis formalis, quam habent extremitates cum medio, vt in hoc ſyllogiſmo: *Omne rationale eſt riſibile; Chriſtus eſt rationalis: ergo Chriſtus eſt riſibilis*; ſed vnio riſibilis, & Chriſti cum rationalitate eſt merè naturalis; cùm, ſuppoſita cognitione qua fides cognoſcit hanc propoſitionem, *Chriſtus eſt rationalis*, intellectus vi ſua naturali vniat Chriſtum, & riſibile cum homine, & non ipſa fides: ergo talis concluſio eſt naturalis. *Secundum*, quòd ex hac ratione, & confirmationibus rectè penetratis manent præoccupatæ omnes evaſiones, quibus Adverſarij poſſunt occurrere.

§. III.

Opinio contraria.

55 OPinionem oppositam tenent Zamorensis referens pro ea Molinam, Fonsecam, Mag. Cano, Curielem, Navarrum, Zumelem, & Granados. Eam etiam tenent Lezana, Contenson, & novissimè Palanco: licèt nonnullum dissidium sit inter illos, quatenus aliqui asserunt esse habitum persè infusum, vt Zamorensis; alij defendunt esse persè acquisitum. Inter quos etiam est sua discordia: nam plures ex eis dicunt, omnem conclusionem theologicam esse supernaturalem; alij verò aiunt, solam conclusionem deductam ex duabus præmissis de fide esse talem. Sed quidquid sit de hoc:

Arguitur *primò* ab authoritate D. Thomæ, qui in præf. art. 1. ad 2. ait: *Theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundùm genus ab illa Theologia, quæ pars Philosophiæ ponitur*; sed si non esset entitativè supernaturalis, non distingueretur genere ab alijs scientijs naturalibus, cùm sola scientia supernaturalis distinguatur genere ab illis: ergo est entitativè supernaturalis.

Confirmatur *primò* cùm eodem Ang. Doct. in prolog. 1. Sent. art. 1. 2. qui ait: *Philosophia sufficit ad perfectionem intellectus secundùm cognitionem naturalem, & ad perfectionem affectus secundùm virtutem acquisitam; & ideò oportet esse aliam scientiam*, nempè Theologiam *per quam intellectus perficiatur quantùm ad cognitionem infusam, & affectus quantùm ad dilectionem gratuitam*; sed scientia merè naturalis non potest perficere quantùm ad cognitionem infusam, & dilectionem gratuitam: ergo est supernaturalis.

Confirmatur *secundò* ex his quæ ibidem docet art. 3. quæstiunc. 1. in corp. per hæc verba: *Ista doctrina magis etiam divina dicenda est, quàm Metaphysica, quia est divina quantùm ad subiectum, & quantùm ad modum accipiendi; Metaphysica autem quantùm ad subiectum tantùm*; sed estò scientia entitativè naturalis possit agere de obiecto divino, non tamen modo divino: ergo. Et ibidem art. 5. explicans hunc modum Theologiæ sic ait: *Principia huius scientiæ sunt per revelationem accepta, & ideò modus accipiendi ipsa principia est revelativus ex parte infundentis, & orativus ex parte recipientis*; sed scientia, quæ dependet ex modo revelativo ex parte Dei, & orativo ex parte nostra, est supernaturalis: nam vt ait D. August. epist. 95. *Ipsa oratio clarissima est gratiæ testificatio*: ergo.

Confirmatur *tertiò*: Formæ, per quas homines deputantur ad officia Subdiaconatus, & Diaconatus, consequenterque ad canendas Epistolas, & Evangelia, sunt supernaturales, vt docet D. Thomas 3. p. quæst. 63. art. 1. & 2. ergo etiam Theologia. Probatur consequentia: Nam magis est deputari ad defendendam saluberrimam fidem & Ecclesiam, quàm ad canendas epistolas, & evangelia; sed forma ad hoc secundum deputata, est supernaturalis: ergo cùm Theologia sit destinata ad primum munus exequendum, etiam debet esse supernaturalis. ¶ Urgetur hoc *primò*: Nam Theologia constituit sacros Doctores Ecclesiæ in *esse* talium: ergò est supernaturalis. Antecedens videtur certum: Nam per eam fides generatur, defenditur, & explicatur, quod munus est proprium Doctoris Ecclesiæ. Consequentia verò probatur ex Apost. 1. ad Corinth. 12. vbi ait: *Et quosdam posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes, exinde gratias curationum*; sed ista munera fundantur in formis supernaturalibus: ergo sacra Theologia, in qua fundatur munus Doctoris, etiam est supernaturalis. ¶ Urgetur *secundò*: Nam Dona Spiritus-sancti intellectualia, vt sunt intellectus, scientia, & sapientia, deserviunt fidei, vt de eius mysterijs perfectior notitia habeatur; sed ista sunt supernaturalia: ergo etiam Theologia, cùm magis deserviat fidei.

Pro solutione huius argumenti vnum nota (ne pluries idem repetamus) ex illo, eiusque confirmationibus, & vrgentijs non minùs probari, Theologiam esse habitum persè infusum, ac entitativè super naturalem, vt singula testimonia attentè legenti constabit. Unde sicut, hoc non obstanti, Authores contrarij, contra quos nunc specialitèr agimus, ex his non convincuntur ad concedendam infusionem nostræ Theologiæ, nec nos ex illis debemus convinci ad statuendam eius supernaturalitatem.

Insuper respondetur ad argumentum, quòd vt Theologia genere distinguatur ab alijs scientijs naturalibus, non requiritur, quòd sit entitativè supernaturalis; aliàs inter scientias pure naturales non posset dari distinctio generica, cuius oppositum docent cum communi Logicorum sententia N. Complut. abbrev. in sua Log. disp. 19. à num. 28. Ut ergo Theologia distinguatur genericè ab alijs scientijs naturalibus, sufficit, quòd omnes eius conclusiones vltimò resolvantur in divinam revelationem, ratione cuius est radicalitèr supernaturalis.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd Theologia eo modo, quo conducit ad maiorem perfectionem in cognitione fidei, seu infusa, etiam conducit ad perfectionem in dilectione gratuita, quæ originatur immediatè ex illa. Solùm autem conducit ad perfectionem fidei, inquantùm discursus naturalis in principijs fidei radicatus præoccupat sophismata hæreticorum, & ostendit evidentiam credibi-

dibilitatis myſteriorum : ad quod non eſt opus virtute aliqua ſupernaturali ; cùm Dæmon hac deſtitutus illam cognoverit per revelationem extrinſecam, & tanta copia ſignorum.

Ad ſecundam reſpondetur, quòd vt Theologia dicatur magis divina quàm Metaphyſica, ſufficit, quòd principia illius habeantur per divinam revelationem: quia hoc ipſo excedit in modo procedendi omnes naturales diſciplinas, quæ nec radicalitèr procedunt ex principijs revelatis. Cum quo optimè cohæret, quòd proximus modus procedendi noſtræ Theologiæ ſit naturalis. ¶ Per quod conſtat ad ſecundum teſtimonium in ea adductum. Nam ibi expreſsè docet, quòd modus huius ſcientiæ eſt revelativus ex parte infundentis, & orativus ex parte recipientis ; non quantùm ad concluſiones, ſed præcisè quantùm ad principia: quod quidem eſt veriſsimum, & à nobis innegabile.

Ad tertiam reſpondetur, characterem, in quo conſiſtit poteſtas ad canendas epiſtolas, & evangelia, in ſuo *eſſe* completo habere alia munia multùm relatis præſtantiora, nempè eſſe virtutem inſtrumentariam productivam gratiæ, eſſe poteſtatem ſpecialem ad ſacramentorum diſpenſationem, & eſſe quandam imaginem Trinitatis: & ratione horum munerum petit eſſe ſupernaturalis, non ex capite poteſtatis quam tribuit præcisè ad canendas epiſtolas, & evangelia. Quocircà hæc poteſtas non fundatur in ſtudio & labore humano, ſed vnicè infunditur à Deo. Non ſic noſtra Theologia, quæ eſtò deſtinetur ad roborandam, defendendam, & explicandam fidem; nititur tamen ſtudio humano, vt concedunt Adverſarij. Unde non rectè arguunt de hac poteſtate ad noſtram Theologiam.

Ad primam vrgentiam reſpondetur, quòd rectè poteſt Doctoratus, qui conſiſtit in Theologia annumerari inter gratias & dona ſupernaturalia, eſtò ſit entitativè naturalis : quia radicalitèr eſt ſupernaturalis. ¶ Ad ſecundam: Ideò dona Spiritus-ſancti ſunt ſupernaturalia & persè infuſa, quia ſic conducunt ad perfectiorem intelligentiam myſteriorum fidei, quòd ſequantur vnicè inſtinctum Spiritus-ſancti non coarctatum ad regulas providentiæ ſivè acquiſitæ, ſivè persè infuſæ; ſed movent animam ad exercendos actus non ſolùm ſupernaturales, ſed etiam excedentes menſuram accommodatam rationi, in quo excedunt omnes virtutes morales infuſas: Theologia autem fundatur in ſtudio & labore humano. Et ſic paritas donorum ad noſtram Theologiam propter tàm notabilem diſparitatem non tenet.

56 Arguitur *ſecundò*: Habitus, quo homo diſponitur ad finem ſupernaturalem, debet eſſe ſupernaturalis; ſed Theologia noſtra diſponit ad huiuſmodi finem : ergo eſt ſupernaturalis. Maior eſt expreſſa D. Thomæ 1. 2. quæſt. 51. art. 4. Minor verò probatur *primò* ex eodem Ang. Magiſt. in præf. art. 5. vbi ſic ait : *Finis autem huius doctrinæ, inquantùm eſt practica, eſt beatitudo æterna, ad quam ſicut ad vltimum finem ordinantur omnes alij fines ſcientiarum practicarum* : Ergo Theologia noſtra diſponit ad finem ſupernaturalem. *Secundò* : Habitus, qui extenditur ad dirigendos actus ſupernaturales, diſponit ad finem ſupernaturalem ; ſed Theologia noſtra extenditur ad regulandos actus ſupernaturales: ergo diſponit ad talem finem. Minor probatur : Tum quia Theologia noſtra vt practica ſolùm poteſt dirigere actus persè ordinatos ad obiectum Theologiæ, quod eſt Deus vt Author & finis ſupernaturalis ; ſed actus persè ordinati ad Deum, vt finem ſupernaturalem, ſunt ſupernaturales : ergo Theologia extenditur ad illos regulandos. Tum etiam: quia actus virtutum naturalium ſufficientèr regulantur à Philoſophia morali : ergo Theologia, cùm tranſcendat altitudine hanc ſcientiam ratione materiæ, debet regulare actus ſupernaturales.

Nec proderit, ſi dicatur, Theologiam diſponere ad finem ſupernaturalem, & dirigere actus ſupernaturales remotè, & vniverſaliter, non verò proximè & tanquàm regulam particularem. ¶ Non, inquam, prodeſt. Tum quia licèt ſit regula remota & vniverſalis, persè tamen regulat actus ſupernaturales vt tales : ergo debet eſſe ſupernaturalis, Probatur conſequentia : Nam facultas naturalis non poteſt poſitivè adhuc remotè diſponere ad gratiam. Tum etiam: Nam actus, quo Theologia practicè probat de Deo, vt credito per fidem, eſſe ſummum bonum, persè movet poſitivè ad amorem Dei vt finis ſupernaturalis ; ſed actus movens poſitivè ad amorem Dei, vt finis ſupernaturalis, nequit non eſſe ſupernaturalis: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondetur ſuſtinendo ſolutionem inter arguendum datam. Nam licèt regula proxima & particularis actuum ſupernaturalium, quo pacto ſe habet fides ſeu prudentia infuſa, petat eſſe ſupernaturalis ; regula tamen vniverſalis & remota illorum poteſt eſſe naturalis entitativè : ſicut in ſententia contraria Logica, quæ naturalis eſt, eſt directiva Theologiæ noſtræ, quæ in eorum ſententia eſt ſupernaturalis. ¶ Neque duæ illæ probationes contra hanc noſtram ſolutionem aliquid convincunt. Non prima : nam actus, qui eſt ſupernaturalis ex parte obiecti, licèt entitativè ſit naturalis ob modum naturalem illud attingendi, benè poteſt remotè dirigere actum entitativè ſupernaturalem ; licèt actus vndequaque naturalis non poſsit adhuc remotè poſitivè diſponere ad actum ſupernaturalem, ſeu ad gratiam. Et ratio diſcriminis eſt clara : Nam actus adæquatè naturalis tàm in ſe, quàm in ſua radice nequit vllo modo attingere obiectum ſupernaturale. Actus autem Theologiæ, cùm radicetur

in principijs fidei, quæ supernaturalia sunt, attingit, medio discursu naturali intellectus, conclusiones supernaturales obiectivas ex illis deducibiles: ex quibus voluntas, media prudentia tanquam regula proxima & particulari, potest ita inflammari, vt eliciat amorem supernaturalem circa obiectum sic propositum à Theologia: quia voluntas non multùm curat de propositione remota bonitatis supernaturalis, sed de propositione proxima illius. Nec mirum, quòd cognitio theologica, estò naturalis, possit ad hunc amorem movere: nam si vt speculativa potest ex principijs fidei solo lumine naturali deducere conclusiones obiectivas supernaturales, cur vt practica non poterit sic dirigere ad actus supernaturales? Perquod constat ad secundam probationem.

§. IV.

Alia argumenta.

57 ARguitur *tertiò*: Nam scientia, cuius obiectum *quo*, & *quod* est supernaturale, est etiam supernaturalis; sed obiectum *quo*, & *quod* nostræ Theologiæ est supernaturale: ergo est in se intrinsecè supernaturalis. Maior constat: Nam non ob aliam rationem cæteri habitus supernaturales sunt tales, nisi quia obiectum *quod*, & *quo* est supernaturale. Minor verò probatur: Nam in primis obiectum *quod* est Deus vt Author supernaturalis, cùm vt Author naturalis pertineat ad Metaphysicam; deindè obiectum *quo* est divina revelatio vt virtualiter revelans, quæ etiam supernaturalis est, cùm vt formaliter, & immediatè revelans sit obiectum *quo* fidei: ergo Theologia nostra habet obiectum *quo*, & *quod* supernaturale.

Ad hoc argumentum respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt obiectum *quod* nostræ Theologiæ secundùm se, seu materialiter sit supernaturale; formaliter verò, & prout stat sub ratione formali *subqua* est naturale. Pro quo notandum est, quòd revelatio formalis, & immediata huius propositionis, *Christus est homo*, non extenditur virtualiter, & mediatè ad illam, *Ergo Christus est risibilis*, nisi inquantùm innititur lumini naturali nostri intellectus, qui, supposito quòd Christus sit homo, naturaliter potest deducere, quòd sit risibilis. Neque ad hanc conclusionem inferendam concurrit immediatè fides, aliàs esset discursiva. Unde licèt ratio *subqua* sit divina revelatio, quæ est supernaturalis; connotat tamen persè discursum naturalem intellectus, & ob hanc rationem est formaliter naturalis in ordine ad Theologiam, quæ producitur ab huiusmodi discursu. Ex his iam clare colligitur, quòd Theologia est entitativè naturalis, quia scilicèt habet rationem *subqua* formaliter naturalem.

58 Sed dices: Veritas præmissarum revelatarum non concurrit ad conclusionem theologicam ex vi præcisè connexionis cum illa, at etiam quia revelata; sed veritas, vt revelata, est formaliter supernaturalis: ergo conclusio est formaliter supernaturalis. Maior probatur: Nam certitudo conclusionis theologicæ est maior, quàm certitudo conclusionis alterius scientiæ naturalis; sed hæc nequit haberi præcisè ex vi connexionis, quam homo habet cum risibilitate, aliàs esset ei æqualis certitudo conclusionis metaphysicæ: ergo.

Ad hoc respondetur distinguendo maiorem: *concurrit* radicaliter, *quia revelata*, concedo maiorem; proximè, nego maiorem: & concessa minori; negari debet consequentia. Nam vt conclusio theologica evadat absolutè certior omni conclusione alterius scientiæ, sufficit, quòd revelatio se habeat vt ratio *subqua* radicalis: quia eo ipso petit resolvi vltimò in propositiones revelatas, & eius veritas sic resoluta evadit firmior. Sed vt sit supernaturalis entitativè, requiritur, quòd veritas propositionis revelatæ, vt revelatæ, concurreret proximè in conclusionem theologicam: quod non ita est, aliàs fides esset formaliter discursiva; sed ipse intellectus per suam vim naturalem & studium proximè deducit illam. Et ob hanc causam conclusio theologica non est supernaturalis entitativè, licèt intellectus firmiùs assentiatur illi, ob dependentiam nimirùm radicalem, quam in illa deducenda habet à præmissa supernaturali.

59 Arguitur *quartò*: Nam effectus, qui petit causari à causis supernaturalibus, debet esse supernaturalis; sed habitus Theologiæ petit causari à causis supernaturalibus: ergo est supernaturalis. Minor probatur: Nam Theologia petit causari ab assensibus fidei; sed assensus fidei sunt supernaturales: ergo petit causari à causis supernaturalibus.

Nec prodest recursus ad discursum naturalem per modum causæ proximæ. Nam conclusio deducta ex duabus præmissis de fide continetur immediatè in illis: ergo causa proxima est supernaturalis. Antecedens probatur: Nam in illis principijs immediatè continetur, ex quibus immediatè deducitur; sed immediatè deducitur ex præmissis de fide: ergo continetur immediatè in illis. ¶ Urgetur hoc: Discursus formalis importat successionem duarum cognitionum per veram causalitatem, itaut cognitio conclusionis causetur effectivè à cognitione præmissarum: ergo si vtraque præmissa est de fide, conclusio deducta debet causari immediatè effectivè ab illis.

Ad argumentum respondetur sustinendo solutionem datam inter arguendum. Nam præmissæ de fide non sunt causa immediata conclusionis theologicæ, sed virtus naturalis intellectus, qui, postquàm præbuit assensum propositio-

tio-

tionibus revelatis, habet per ſeipſum vim ad inferendam concluſionem cum eis connexam. Neque contra eam habet vim replica: Nam aliud eſt, quòd concluſio obiectiva theologica immediatè contineatur in præmiſsis de fide; aliud, quòd concluſio formalis contineatur in præmiſſis de fide formalibus: primum eſt verum; ſecundum falſum. Pro quo nota cum D. Thoma loco relato num. 54. & N. Salm. tract. 3. num. 54. & num. 84. quòd principia poſſunt ab intellectu attingi dupliciter, ſecundùm ſe videlicet, & vt inferentia concluſionem. Principia primo modo conſiderata attinguntur à lumine principiorum; ſed poſteriori modo attinguntur à ſcientia. Ex quo duo clarè colliguntur: primum, quòd aſſenſus formalis concluſionis non continetur proximè in aſſenſu præmiſſarum ſecundùm ſe, ſed in aſſenſu præmiſſarum vt illativarum. Secundum eſt, quòd cùm in Logica aſſeritur, aſſenſum, præmiſſarum determinare intellectum quoad exercitium ad aſſentiendum concluſioni, non debet intelligi de aſſenſu præmiſſarum ſecundùm ſe, ſed de aſſenſu præmiſſarum poſteriori modo; alias lumen principiorum, quod attingit præmiſſas ſecundùm ſe, attingeret formaliter concluſiones: & conſequenter eſſet diſcurſivum formaliter; cùm, ſuppoſita neceſsitate quoad exercitium, non ſit neceſſarius novus habitus, qui ponitur ad vincendas difficultates formales.

60 Si verò ex hoc inferas: *Ergo ſcientia non ſpecificatur à concluſionibus, ſed à principijs*; cùm ſint primum attactum vt *quod*: Quod quidem videtur falſum: Tum quia Ariſt. lib. 2. Poſter. cap. vltimo docet, ſcientiam non eſſe principiorum: Tum quia ſcientia ſpecificatur à ſuo ſcibili, vt inquit D. Thomas lib. 1. Poſter. lect. 41. ſcibile autem non eſt principium, ſed concluſio; ideoque ſcientia definitur *Habitus circa propoſitiones vniverſales, neceſſarias, & mediatas*: Tum deniquè: quia ſi ſcientia attingeret immediatè principia, Theologia eſſet virtus theologalis, cùm haberet idem obiectum *quod* ac fides, licèt procederent ſub diverſa ratione *ſubqua*.

Si hoc, inquam, inferas: Reſponderi poteſt *primò* concedendo conſequentiam. Iuxta quem modum dicendi, qui eſt probabiliſsimus, dicendum eſt, Philoſophiam non ſpecificari ab ente mobili accidentali vt *quod*, ſed ab ente mobili ſubſtantiali; Et metaphyſicam non ſpecificari à proprietatibus entis, ſed ab ipſo ente vt inferente concluſiones, & ſic de reliquis ſcientijs: ac proinde actum, quo ſcientia attingit principia vt illativa, eſſe actum primarium illius; & actum, quo attingit concluſionem, eſſe actum ſecundarium. Propter quam rationem aſſerunt Thomiſtæ, ſcientiam divinam, ſive diſtinguatur ab intelligentia virtualiter, ſivè non diſtinguatur, non ſpecificari à concluſionibus, ſed ab eſſentiâ divina, vt illas inferente & cauſante. Et idem proportionabiliter aſſerunt de ſcientia Angelica; licèt cum hoc diſcrimine à noſtra, quod Angelus attingit vnico actu principia, & concluſiones; ſed nos duobus.

Neque huic modo dicendi refragatur triplex illa probatio. Non quidem prima ex Ariſt. Quia intelligendus eſt de principijs ſecundùm ſe: quod eſt verum, nam prout ſic ſolùm pertinent ad habitum principiorum; non de principijs vt illativis. ¶ Nec ſecunda ex D. Thoma: quia non ſolùm concluſio eſt ſcibilis, ſed etiam principium vt cauſa: ad habitum namque principiorum non attinet attingere & penetrare principium vt cauſam concluſionis, ſed ad ſcientiam; etſi concluſio vt deducta per diſcurſum ſit propriè ſcibilis. Et licèt ſcientia definiatur per concluſiones, hoc ideò eſt, quia quoad nos ſunt magis notæ: & quia definitur per ordinem ad ſuos effectus: ad eum modum quo natura definitur per ordinem ad motum, licèt non ſpecificetur ab illo. ¶ Si verò inquiras, à quo actu præcipuè producatur ſcientia? Dicendum erit, iuxta hanc ſolutionem, produci per vtrumque actum (quia vterque conſtituit formaliter diſcurſum) itaut aſſenſus præmiſſarum ſe teneat ex parte actus primi, & aſſenſus concluſionis ex parte actus ſecundi: ad eum proportionalem modum quo conſecutio finis dependet ex electione & executione mediorum, & vſus ex intentione finis. ¶ Nec tandem tertia: Nam virtus theologalis innititur adæquatè rationi *ſubqua* divinæ; non verò noſtra Theologia, vt ſuprà dictum eſt.

Reſpondetur *ſecundò*, negando conſequentiam. Nam eſtò principia vt illativa ſint primum attactum vt *quod* in executione; concluſiones tamen ſunt primum attactum vt *quod* in intentione: quia cognitio concluſionis intenditur à cognoſcente propter ſeipſum: cùm obiectum adæquatum intellectus ſit omne verum intelligibile, & cognitio concluſionis aliundè non ordinetur vt ad finem ad cognoſcenda principia, quia horum cognitio ad illam præſupponitur. Iuxta quam ſolutionem (quam deſumpſimus ex N. Salmant. tract. 8. diſp. 1. à num. 62.) dicendum eſt, quòd actus, quem præcipuè reſpicit ſcientia, eſt aſſenſus ſeu cognitio concluſionis, ſivè concluſio attingatur in præſentia præmiſſarum aut quaſi mota ab eis, ſive attingatur in abſentia illarum, quando nimirum poſt primam demonſtrationem, per quam acquiritur ſcientia, concluſio ſcita attingitur ſecundùm ſe.

61 Ex his iam liquidò conſtat ad argumentum, eius replicam, & vrgentiam: Nam quando vtraque præmiſſa eſt de fide, duplex cognitio erga eas datur, iuxta doctrinam ſtabilitam: alia, quâ habitus fidei attingit præmiſſas ſecundùm ſe & vt revelatas; & alia, qua intellectus aſſentit illis vt cauſis, & connexis cum concluſio-

sione. Qui assensus nequit elici immediatè à fide: Tum quia fides, sicut nec habitus principiorum, non attingit principia vt causa sunt conclusionis, sed tantùm secundùm se: Tum quia fides esset habitus formaliter discursivus. Igitur intellectus solus, per suam vim naturalem volens penetrare ipsas præmissas, & effectus in eis contentos, præsuppositò assensu præmissarum secundùm se per fidem, attingit immediatè illas prout connexas: & in hoc assensu immediatè continetur assensus conclusionis, per illumque proximè determinatur & necessitatur intellectus ad istum. Cùm ergo assensus prior sit naturalis, consequens est, quòd assensus conclusionis deductæ ex duabus de fide non contineatur immediatè in causa formali supernaturali, sed tantùm radicaliter; proximè verò in assensu naturali præmissarum.

DUBIUM V.

Vtrùm Deus sit obiectum primarium totale nostræ Theologiæ: Et an hæc sit vna specie atomâ?

62 HANC duplicem difficultatem, quam sub diversis articulis in præs. D. Thomas examinat, sub vna complectimur ob connexionem doctrinæ. Sed circa primam vnum est supponendum, nempè Deum esse obiectum primarium, saltem inadæquatum, & principale nostræ Theologiæ: Nam illud est obiectum primarium principale alicuius scientiæ, cuius cognitio principaliter quæritur, & cui omnia alia, quæ in ea tractantur, subordinantur, qua ratione demonstratio est obiectum principale Logicæ, & homo Philosophiæ; sed Deus est obiectum, de quo principaliter agit Theologia, vt satis declarat eius etymologia, quæ est *sermo de Deo*, & ad ipsam tanquam ad vltimum finem ordinantur cætera, quæ tractat: ergo est obiectum principale. Per quod omninò recjicienda est sententia Mag. Sent. Durandi, D. Bonaventuræ, & aliorum antiquorum, quos refert Mag. Ferre, excludens Deum à ratione obiecti primarij Theologiæ. ¶ Aliud est notandum, quòd licèt respectu scientiæ non sit idem formalissimè ratio subiecti, ac ratio obiecti: nam subiectum est illud, de quo scientia demonstrat suas passiones; at obiectum sunt ipsæmet proprietates demonstrabiles; & propterea hæ sunt tantùm obiectum scibile: hæc tamen distinctio, quantum ad præsens attinet, parùm refert propter dicta tribus numeris præcedentibus: & quia resolutio huius difficultatis eò tantùm collimat, vt ostendat, an Theologia solùm intendat persè & formaliter deducere proprietates de Deo; an etiam de alijs rebus creatis.

63 Circa secundam difficultatem solum est notandum, quòd non procedit cum eis, qui in qualibet scientia admittunt habitus partiales: quia contra hos satis constat ex dictis à N. Complut. abbrev. de *Generat.* disp. 4. quæst. 7. & ab alijs Thomistis in quæst. proœmiali Logicæ, & 1. 2. quæst. 54. art. 4. Maximè quia, supposito quòd Deus sit obiectum attributionis respectu nostræ Theologiæ, difficiliùs percipitur in ea distinctio habituum partialium quàm in Philosophia (v. g.) cùm in ista inveniatur magna varietas obiectorum; obiectum autem illius sit omninò simplex. ¶ Neque procedit cum eis, qui concedunt circa materias theologicas aliquos habitus opinativos: nam ex dictis num. 31. iam constat, Theologiam opinativam distingui specie à Theologia, quæ est propriè scientia: & ob eandem rationem ibidem diximus, nostram Theologiam esse specie distinctam à Theologia hæreticorum. Paritèr Theologia damnatorum, si verè scientia est, propter maiorem in eis certitudinem de principijs quàm in hæretico, iuxta ibi dicta, etiam debet distingui specie à nostra: quia Theologia nostra nititur persè revelationi intrinsecæ virtuali; Theologia verò Dæmonum solùm nititur testimonio extrinseco, vel Angeli boni dicentis, vel portentorum & signorum. Obquam rationem sentimus, Theologiam Dæmonum esse essentialiter obscuram & incompatibilem cum scientia beata; nostram verò esse compatibilem cum ea, vt diximus dub. 3. *per totum*. Quia tam ingens differentia assentiendi mysterijs fidei nequit non causarè maximam distinctionem in certitudine, & hæc similiter distinctionem specificam in habitibus.

Diximus, *si verè est scientia*: quia licèt num. 31. illi concessimus verum conceptum scientiæ, hoc fuit, vt nos attemperaremus placito aliquorum, qui ad conceptum substantialem scientiæ solùm prærequirunt certitudinem moralem, nec petunt, quòd resolvatur in principia evidentia; relinquendo hanc rationem exactiori examini dub. sequenti, vbi cum Arist. & D. Thoma probabimus, ad conceptum essentialem scientiæ necessariò requiri, quòd intellectus possit resolvere omnes suas conclusiones in principia persè nota & evidentia.

Unde lis nostra in hac secunda difficultate solùm stat cum eis, qui pro duabus conclusionibus, alia deducta ex duabus præmissis de fide, & alia orta ex vna de fide, & altera naturali, statuunt duas Theologias specie distinctas. Non minùs procedit cum eis, qui circa partem scholasticam, expositivam, mysticam, & moralem assignant diversos habitus Theologiæ. Has tamen duas difficultates in duas assertiones claritatis gratia secabimus.

§. I.

§. I.

Prima Conclusio.

64 DIcendum est *primò*, rationem *quæ* primariam & adæquatam nostræ Theologiæ esse Deum sub ratione Deitatis; rationem verò *subqua* esse revelationem virtualem seu mediatam. Hæc conclusio continet duas partes: Et pro maiori luce prioris nota, quòd Deus potest considerari sub ratione Deitatis, quo pacto solùm dicit pro explicito constitutivum metaphysicum naturæ divinæ: vel potest concipi sub alijs formalitatibus ab eo virtualitèr, seu eminentèr distinctis, & hoc pacto pro explicito importat attributa, & relationes. Cum ergo assignamus pro obiecto adæquato primario *quod* Deum sub ratione Deitatis, volumus excludere non solùm creaturas, sed etiam attributa divina, & relationes. Et hanc partem conclusionis hoc modo explicatam tenet D. Thomas in præs. art. 7. & cum eo omnes eius Discipuli.

Et quidem quòd Deus sit obiectum adæquatum primarium nostræ Theologiæ, præscindendo à modo, probatur ratione D. Thomæ: Nam illud est obiectum adæquatum primarium alicuius scientiæ, quod principalitèr quæritur in tali scientia, & ad quod cætera, quæ considerat, persè subordinantur; sed Theologia nostra ita agit de Deo, quòd omnia alia, de quibus tractat, persè ordinantur ad ipsum tanquam ad principium, vel finem: ergo Deus est obiectum adæquatum primarium illius. Minor probatur ex D. Thoma loco citato, vbi ait: *Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus; vel quia habent ordinem ad Deum vt ad principium, & finem*: ergo.

Explicatur hæc ratio: Nam vt aliquid sit extra obiectum primarium alicuius scientiæ, sufficit, quòd ex intentione illius ordinetur ad aliud (licèt non sufficiat quòd ex se ad illud ordinetur: & sic licèt omnes secundæ intentiones logicales ex se ordinentur ad demonstrationem; quia tamen non ordinantur ex intentione Logicæ, non excluduntur à ratione obiecti primarij illius; è contra verò quia ens reale non pertractatur in illa nisi occasione entis rationis, est extra obiectum primarium illius (sed cognitio Dei est principalitèr intenta à Theologia, ideoque dicitur *sermo de Deo*; & de creaturis non agit, nisi inquantùm manifestant ipsum Deum vel ordinantur ad ipsum; ergo solus Deus est obiectum adæquatum primarium nostræ Theologiæ.

Explicatur amplius: Quia Logica appellatur scientia *rationalis*, habet pro obiecto adæquato primario ens rationis, vt benè advertunt N. Complut. abbrev. in Log. disp. 1. num. 10. & 12. sed Theologia idem est ac *sermo* seu *locutio de Deo*: ergo etiam specificatur adæquatè ab ipso Deo. Patet consequentia: Tum quia denominatio primaria scientiæ tantùm desumitur ab obiecto adæquato illius: Tum etiam quia denominatio scientiæ non desumitur præcisè ab eius obiecto principali, vt liquet in Metaphysica, quæ quidem respicit Deum vt obiectum principale; & tamen non gaudet denominatione *Theologiæ*: ergo ipsum nomen *Theologiæ* probat sufficienter, Deum esse obiectum primarium adæquatum illius.

Confirmatur: Nam virtutes theologales, quia tales, habent pro obiecto adæquato primario Deum; creaturas autem pro obiecto omninò secundariò: ergo Theologia, quia est habitus theologalis, debet habere pro obiecto adæquato primario ipsum Deum. Consequens legitimè infertur ex antecedenti. Antecedens verò expressè docet D. Thomas 1. 2. quæst. 62. & cum eo omnes Thomistæ in proprijs locis. *Explicatur*; Nam propterea virtutes Theologales, vt tales, distinguuntur ab alijs virtutibus, quia vt tales petunt respicere Deum vt obiectum adæquatum primarium; sed Theologia, quia est habitus theologalis, etiam distinguitur ab alijs scientijs: ergo debet habere, sicut illæ, Deum pro obiecto adæquato primariò.

65 Quod autem Deus sub ratione Deitatis sit obiectum primarium, & non sub ratione alicuius attributi, ralationis, seu alterius formalitatis, expressè asseritur à D. Thoma in præs. loco supra citato per hæc verba: *Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei.* Et probatur ratione: Nam subiectum adæquatum primarium Philosophiæ non est ens mobile, prout præscindit à substantia & accidenti; neque subiectum adæquatum Metaphysicæ est ens; prout præscendit ab ente & eius proprietatibus: ergo subiectum adæquatum primarium Theologię non est Deus vt præscindens à Deitate & attributis, sed præcisè sub ratione Deitatis. Antecedens est certum. Consequentia verò probatur: Ideo homo (v. g.) est obiectum primarium Philosophiæ non sub ratione alicuius proprietatis, quia licèt possit deducere vnam proprietatem ex alia, primariò tamen deducit primam proprietatem ex essentia; sed Theologia primariò deducit attributa & relationes ex Deitate, licèt secundariò ex his deducat alias: ergo sicut Philosophia non respicit, vt obiectum primarium, hominem sub ratione præscindenti ab essentia & proprietatibus, sed præcisè sub ratione essentiæ; ita Theologia non respicit Deum sub ratione præscindente à Deitate & attributis, sed sub ratione determinata Deitatis.

Confirmatur: Idem est subiectum luminis principiorum ac totius scientiæ; sed lumen principiorum nostræ Theologiæ est Deus sub ratione

ne Deitatis : ergo Deus sub ratione Deitatis est obiectum nostræ Theologiæ. Maior est expressa D.Thomæ in præs. vbi ait : *Idem est subiectum principiorum,& totius scientiæ ; cùm tota scientia virtute contineatur in principijs.* Minor autem probatur : Nam habitus principiorum respectu nostræ Theologię est lumen gloriæ, vel loco eius habitus fidei ; sed lumen gloriæ, & fides respiciunt Deum sub ratione Deitatis : ergo &c. Minor quoad primam partem probatur : Nam lumen gloriæ est participatio formalis intellectus divini ; sed intellectus divinus respicit Deum sub ratione Deitatis: ergo etiam lumen gloriæ. Quoad secundam partem etiam probatur : quia fides substituitur loco scientiæ beatæ in ordine ad principia : ergo si lumen gloriæ respicit Deum sub ratione Deitatis, etiam fides. Quę omnia magis constabunt in suis locis.

66 Secunda pars huius conclusionis, nempè, rationem *subqua* esse revelationem virtualem, admittitur commnnitèr à Thomistis. Pro cuius luce, nota *primò*, revelationem divinam posse considerari dupliciter, vel immediatè seu formaliter, vel mediatè seu virtualitèr : non ita quòd ibi interveniat duplex revelatio ; sed quia revelatio, quæ formaliter & immediatè revelat vnum obiectum, revelat mediatè & virtualitèr aliud contentum & connexum cum illo: sicut revelatio, quæ testificatur immediatè de Christo esse Deum, etiam virtualitèr revelat esse æternum. ¶ Nota *secundò*, quòd revelatio formalis potest esse duplex, alia clara, vt in patria ; & alia obscura, vt in via. Conclusio ergo debet intelligi de revelatione virtuali proveniente à revelatione formali clara, cuius loco potest peraccidèns substitui revelatio fidei seu obscura. Undè quoad præsens idem est quòd revelatio virtualis obscura sit ratio *subqua*, ac revelatio clara. ¶ Nota *tertiò*, quòd hæc revelatio virtualis, vt exerceat rationem formalem *subqua* speficativam nostræ Theologię, debet dicere saltem de connotato virtutem naturalem intellectus creati, propter dicta dub. præcedenti *per totum*, quæ omninò recolenda sunt. Quibus suppositis.

Probatur *primò* ex D. Thoma : Nam illa est ratio *subqua* alicuius scientiæ, sub qua attinguntur omnia attacta à tali scientia ; sed revelatio virtualis est huiusmodi respectu nostræ Theologiæ : ergo hæc est ratio *subqua* specificativa illius. Minor probatur ex D. Thoma in præs. art. 3. vbi probat vnitatem Theologiæ per hæc verba : *Quia omnia, quæ sunt divinitùs revelabilia, communicant in vna ratione formali obiecti huius scientiæ* : Similia habet art. 8. ad 2. vbi inquit : *Dicendum, quòd argumentari ex authoritate est maximè proprium huius doctrinæ, eò quòd principia huius doctrinę per revelationem habentur* ; sed hæc revelatio vt testificativa formaliter est ratio *subqua* fidei : ergo vt testificativa virtualitèr est ratio *subqua* Theologiæ.

Probatur *secundò* ratione : Illa est ratio *subqua* nostræ Theologiæ, in quam vltimò resolvuntur omnes eius conclusiones ; sed revelatio virtualis est huiusmodi : ergo revelatio virtualis est ratio *subqua* specificativa nostræ Theologiæ. Maior constat ex conditione aliarum scientiarum. Minor verò probatur : Nam propterea Theologus assentitur huic propositioni, *Christus est risibilis*, quia legitimè infertur ex hac, *Christus est rationalis*, quæ est formaliter revelata ; sed in hoc consistit revelatio virtualis, prout distincta à revelatione formali : ergo revelatio virtualis est talis, quòd in eam vltimò resolvantur omnes eius conclusiones.

Explicatur hoc : Non potest negari, quòd omnis assensus theologicus vltimò resolvitur in divinam revelationem, cùm Theologus non assentiat suæ conclusioni præcisè propter connexionem illius cum principio, aliàs non distingueretur à conclusione metaphysica ; sed non resolvitur in divinam revelationem, quatenus est formaliter revelans : ergo quatenus est virtualitèr revelans. Minor constat : Nam divina revelatio, vt formalitèr revelans, est id, in quod vltimò resolvitur assensus fidei : ergo cùm Theologia distinguatur à fide, non potest assensus theologicus vltimò resolvi in divinam revelationem vt formaliter revelantem, sed in connexionem conclusionis cum propositione formaliter revelata, quod est idem, ac revelatio virtualis.

Explicatur amplius : Illa est ratio *subqua* nostrę Theologiæ, per quam distinguitur ab alio habitu intellectuali ; sed revelatio virtualis est ratio, per quam distinguitur ab alio habitu intellectuali : ergo est ratio *subqua* illius. Minor probatur : Nam in primis per revelationem virtualem distinguitur essentialitèr à fide ; deinde per eam etiam distinguitur à Metaphisica, vtpotè quæ non procedit ex revelatis (licet etiam distinguatur ab ea, ex eo quòd Deus est obiectum adæquatum Theologiæ, & inadæquatum Metaphysicæ) tandem de alijs habitibus haud dubium est distingui ratione revelationis virtualis : ergo per revelationem virtualem distinguitur essentialitèr ab omni alio habitu intellectuali Theologia nostra.

§. II.

Secunda Conclusio.

67 DIcendum est *secundò*, Theologiam nostram esse vnam scientiam specie atoma. Hæc conclusio est communis Thomistarum, estque expressa D. Thomæ in

in Prolog. lib. 1.Sent.art.2.& in præſ.art.4.Probatur ergo ratione ipſius deducta ex vltimo loco relato : Nam illa ſcientia eſt vna ſpecie atoma, quæ in omnibus ſuis concluſionibus procedit ſub eadem ratione formali *ſubqua*; ſed Theologia ſecundùm omnes ſuas partes, & in omnibus ſuis concluſionibus, ſivè deducantur ex duabus præmiſsis revelatis;ſivè ex vna revelata, & altera naturali,procedit ſub eadem ratione formali *ſubqua* : ergo eſt vna ſpecie atoma. Maior ex inductione aliarum ſcientiarum liquet. Minor verò probatur:Nam divina revelatio vt virtualitèr revelans eſt ratio formalis *ſubqua* noſtrę Theologiæ;ſed in omnibus ſuis partibus, & in omnibus ſuis concluſionibus procedit ſub hac revelatione virtuali:ergo procedit ſub eadem ratione formali *ſubqua*.Maior ex dictis §.præcedenti conſtat.Minor autem probatur:Nam in primis in omni ſua parte ſivè ſpeculativa, ſivè practica; ſivè myſtica, ſivè expoſitiva,ſivè morali procedit ex principijs fidei : deinde concluſio deducta ex vna de fide,& alia naturali non procedit ex præmiſſa naturali, niſi prout hæc eſt miniſtra & ancilla præmiſſæ fidei, vt tradit latè D. Thomas in præſ. art.5.& ſic concluſio præcipuè innititur præmiſſæ fidei: ergo in omnibus ſuis partibus,& in omnibus ſuis concluſionibus procedit ſub revelatione virtuali.

Confirmatur *primò*: Nam fides eſt vna ſpecie atoma, quia procedit quoad omnia credibilia ſub ratione revelationis immediatæ : ergo etiam Theologia noſtra eſt vna ſpecie atoma; cùm procedat circa omnes ſuas concluſiones in omni materia ſub revelatione mediata. Conſequentia patet : non enim minùs potens eſt revelatio mediata ad ſpecificandum vnum indiviſibilem habitum, ac revelatio formalis & immediata.

Confirmatur *ſecundò* : Philoſophia (v. g.) eſt vna in ſpecie atoma, quia procedit in omnibus ſuis partibus, & concluſionibus ſub eadem ratione formali *ſubqua*:ergo potiori titulo Theologia procedens ſub motivo divinæ revelationis mediatæ debet eſſe vna ſpecie atoma. Probatur conſequentia : Nam ratio *quæ* Philoſophiæ complectitur magnam diverſitatem obiectorum partialium, nempè, Cœlum, elementa, viventia, animam rationalem &c. ergo ſi, non obſtanti hac diverſitate, eſt vna ſpecie atoma propter vnitatem rationis formalis *ſubqua*,potiori titulo Theologia, cuius obiectum *quod* eſt ſimpliciſsimum iuxta dicta in concluſione præced.debet eſſe vna ſpecie atoma. Immo eſtò Philoſophia componeretur ex multis habitibus partialibus propter tantam diverſitatem obiectorum partialium, nullum adhuc adeſſet fundamentum præiudicans ſimplicitati noſtræ Theologiæ ob oppoſitam rationem.

68 Reſpondet Granados loco infrà referendo, concedendo vnitatem Theologiæ in omni materia, quando procedit ex vtraque præmiſſa de fide ; ſecus verò quando procedit ex vna de fide, & altera naturali : quia tunc (inquit) concluſio æquè dependet ab vtraque, nec vna continetur in alia:vnde concluſio nequit non eſſe diverſæ rationis, vtpotè dependens persè primo à cauſis diverſis.

Sed contrà eſt *primò* : Nam præmiſſa naturalis non influit in certitudinem concluſionis theologicæ, niſi vt ſubordinata præmiſſæ de fide : ergo concluſio deducta ex vna de fide,& alia naturali eſt eiuſdem rationis in *eſſe* ſcibili cum ea, quæ procedit ex duabus de fide. Antecedens probatur : Nam præmiſſa naturalis non concurrit ad concluſionem theologicam,niſi vt iudicata & approbata à fide,vt tradit D. Thomas 1. ad Annibald. diſt. 1. quæſt. 2. art. 2.per hæc verba: *Duplicitèr poteſt vna ſcientia ſupponere aliquid ab alia : Vno modo vt principium quo de alijs iudicet: & ſic inferior ſcientia accipit à ſuperiori : Alio modo ſicut illud de quo iudicetur : & ſic ſcientia ſuperior accipit ab inferiori. Hoc autem modo accipit hæc doctrina ab alijs, & non primò : ipſa enim iudicat de his, quæ ſunt in alijs ſcientijs per principia propria, & non è converſo*:ergo præmiſſa naturalis non influit in concluſionem Theologicam, niſi vt ſubordinata præmiſſæ de fide. ¶ *Secundò* (per quod præcedens doctrina magis explanatur) Nam ſi concluſio deducta ex vna de fide, & alia naturali non eſſet eiuſdem rationis cum ea ; quæ procedit ex duabus de fide, maximè quia hæc vnicè reſolveretur in revelationem mediatam, & illa in revelationem mediatam & rationem *ſubqua* aliarum ſcientiarum naturalium : ſed hæc concluſio deducta ex vna de fide,& alia naturali vnicè reſolvitur in revelationem mediatam: ergo eſt eiuſdem rationis cum concluſione deducta ex duabus de fide. Minor probatur: Nam illa concluſio non reſolvitur in præmiſſam naturalem, niſi prout hæc accipit maius robur per approbationem & iudicium fidei, & ſic D.Thomas in præſ. art.5. ad 2. ait: *Non accipit hæc ſcientia ſua principia ab alijs ſcientijs, ſed immediatè a Deo per revelationem: & ideo non accipit ab alijs ſcientijs tanquam ſuperioribus, ſed vtitur eis tanquam inferioribus & ancillis* : ergo concluſio deducta ex vna de fide, & alia naturali vnicè reſolvitur in revelationum mediatam. ¶ *Tertiò*: Si concluſio hæc reſolveretur in præmiſſam naturalem, vt naturalis eſt adæquatè tàm intrinſecè, quàm extrinſecè,æquè primò reſolveretur in eam,præmiſſam de fide ; ſed hoc eſt falſum, cùm non reſolvatur in illam ſecundùm ſe ſumptam, ſed vt approbatam & iudicatam à fide, quod eſt idem ac reſolvi in aſſenſum fidei : ergo vnicè reſolvitur in præmiſſam de fide.

*** *** *** ***

§. III.

Sententiæ oppositæ.

69 CONtra nostras conclusiones multiplex militat sententia. Prima defendit, Deum non esse obiectum primarium adæquatum nostræ Theologiæ. Hanc tenent Magist. Sent. Hugo Victor.Lincon. Bonavent. Scot.quos refert Gregor. de Valentia disp. 11. quæst. 1. punct.3. §.5. Quibus adhæret N. Gabriel à Sancto Vincentio hic disp.1. dist.9. quatenus asserit, Deum solùm esse subiectum principalitatis. Pro qua:

Arguitur *primò* ex D. Thoma 1. Sent. quæst. prolog. art. 4. vbi ait: *Si autem volumus invenire subiectum, quod hæc omnia comprehendat, possumus dicere, quòd ens divinum per inspirationem cognoscibile est subiectum huius scientiæ.* Et ad 1. ait: *Deus non est subiectum, nisi sicut principalitèr intentum, sub cuius ratione omnia, quæ sunt in scientia, considerat.*

Confirmatur: Nam quidquid participat immediatè rationem formalem *subqua* scientiæ, pertinet ad obiectum primarium illius; sed alia plurima præter Deum participant immediatè rationem formalem *subqua* Theologiæ, cùm eodem modo revelentur à Deo: ergo Deus non est obiectum adæquatum primarium illius. *Explicatur*: Quia illud, de quo scientia demonstrat passiones, est subiectum primarium illius; sed Theologia demonstrat passiones non solùm de Deo, sed etiam de pluribus alijs, vt de Incarnatione, de gratia, & alijs huiusmodi: ergo &c. *Explicatur amplius*: Nam estò Deus nihil revelasset de seipso, posset revelare de alijs; sed tunc daretur vera Theologia, cùm procederet ex revelatis, demonstrando passiones de illis: ergo Deus non est obiectum adæquatum Theologiæ.

Ad argumentum ex authoritate D. Thomæ respondetur, ex verbis illius non solùm colligi Deum esse obiectum principalitatis, sed etiam obiectum attributionis. Hoc enim indicant vltima verba relata: inquibus ait, quòd sub ratione Dei considerat omnia, quæ sunt in Theologia:est autem contra rationem obiecti inadæquati primarij, quòd attingatur sub ratione alterius obiecti inadæquati: vnde si Theologia considerat omnia sub ratione Dei, manifestum est Deum esse obiectum attributionis.

Ad confirmationem respondetur, quòd sicut plura alia præter Deum cadunt immediatè sub revelatione immediata, quæ est ratio *subqua* fidei; & tamen non comprehenduntur sub obiecto primario illius: ita etiam cadunt sub revelatione mediata, quæ est ratio *subqua* Theologiæ, quin sint obiecta primaria illius. Et ratio est eadem vtrobique: Quòd nimirum solùm illa ratio *subqua* est adæquata, quæ afficit rationem *quæ* persè primariò intentam, & quæ attingitur ratione sui: Omnia autem, de quibus tractat Theologia, vel attingit fides, revelantur per ordinem ad Deum, quæ est ratio *quæ* adæquata. Unde parùm refert, quòd revelatio vt sic mediata, vel immediata afficiat seu denominet illa immediatè ac ipsum Deum, quia solùm erit convenientia materialis respectu illius.

Ad primam explicationem respondetur, quòd estò Theologia demonstret passiones de alijs rebus revelatis; semper tamen est cum subordinatione ad Deum vel per modum principij, vel per modum finis. Sicut ergo Philosophia demonstrat ex vna proprietate aliam; & non propterea accidens est subiectum primarium illius, quia semper fit cum subordinatione ad primum subiectum; ita de Theologia asserendum est.

Ad secundam explicationem (quæ continet communem difficultatem cum fide, licèt magis vrgeat) triplici solutione respondent Authores. Suarez enim docet, habitum fidei non posse assentiri alicui veritati creatæ, quin priùs assentiatur alicui veritati divinæ. Iuxta quam solutionem, nullam vim habet hæc explicatio. ¶ Secundò autem respondet Ferre cum Ioann. à Sancto Thoma in præf. & Illust. Palanco *de Fide* disp. 1. quæst. 13. à num. 33. quòd sicut tunc non assentiret fide theologica, sed fide supernaturali alteriùs generis; ita Theologia non esset eiusdem speciei cum Theologia,quæ de Deo deducit conclusiones. ¶ Tertiò tandem,& meliùs respondent N. Salmant. tract. 17. disp. 1. à num. 17. quòd sicut fides, vt respiciat Deum pro obiecto primario adæquato, non requiritur, quòd attingat ipsum Deum exercitè, sed quòd attingat omnia in ordine ad Deum, cùm, quantum est ex se, sit primum credibile ex inclinatione & intentione ipsius fidei; ita discurrendum est de Theologia. Qui pro dicta solutione capienda plura voluerit, eat ad prædictum locum, in quo illam nos etiam refricabimus, & replicas contra eam ebullientes exactiùs dissolvemus.

Secunda sententia docet, Deum non esse rationem *quæ* adæquatam sub ratione Deitatis, sed sub ratione Iustificatoris, Glorificatoris, & assequibilis à nobis per media revelata, seu sub ratione præscindente ab attributis. Hanc tenent Marsilius, Argentinas, Lugo, & alij. A quorum argumentis supersedemus, quia sunt communia fidei, in cuius tractatu possunt videri. ¶ Tertia, & vltima sententia defendit, revelationem mediatam esse rationem *subqua* fidei, ac proinde non Theologiæ, sed esse revelationem divinam mediatam, prout illi assentitur vel fide divina, vel humana. Hæc defenditur

à Mo-

à Molina, & Vazquez. Sed nullum est argumentum, quod non militet contra fidem, vel ex dictis facilè superari non valeat.

70 Contra secundam conclusionem sentiunt Granados, Molina, & Zumel. Asserentes, assensum theologicum procedentem ex duabus de fide esse specie diversum ab assensu procedente ex vna de fide, & altera naturali. Cum quibus ex parte convenit Vazquez, qui pro materia morali statuit aliam Theologiam.

Pro qua arguitur: Nam conclusiones procedentes ex principijs specie diversis distinguuntur essentialiter; sed conclusio deducta ex duabus de fide, & conclusio deducta ex vna de fide, & altera naturali sunt huiusmodi: ergo distinguuntur specie. Maior admittitur ab omnibus. Et minor probatur: nam prima conclusio habet vtramque præmissam supernaturalem & obscuram, secunda verò habet vnam naturalem & claram; sed naturale & supernaturale, clarum & obscurum distinguuntur essentialiter: ergo prædictæ conclusiones habent principia specie diversa.

Augetur difficultas: Quia prædictæ conclusiones non procedunt sub eadem ratione formali *subqua*: ergo non sunt eiusdem specie. Antecedens probatur: Nam vna procedit vnicè sub ratione revelationis; alia verò procedit æquè sub motivo revelationis, & sub ratione (v.g.) Philosophiæ, vel Metaphysicæ; nempè sub motivo proprio & intrinseco præmissæ naturalis: ergo procedunt sub diversa ratione formali *subqua*.

Confirmatur: Nam vbi adest diversa certitudo essentialis, etiam est distinctio specifica; sed in huiusmodi conclusionibus datur diversa certitudo essentialis: ergo etiam distinguntur specie. Minor probatur: Nam certitudo conclusionis deductæ ex duabus de fide est totaliter desumpta à revelatione divina, certitudo autem deducta ex vna de fide, & altera naturali partim desumitur ex principio supernaturali, & partim ex naturali; sed certitudo desumpta ex principio adæquato supernaturali est maior, & specie distincta à certitudine desumpta à principio partiali naturali: ergo distinguuntur in certitudine essentiali.

Ad argumentum respondetur, distinguendo maiorem: si procedunt ex principijs diversis secundùm se, & æquè, concedo maiorem: si procedunt ex principijs diversis cum subordinatione vnius ad alterum, nego maiorem: Et distincta eodem modo minori, negatur consequentia. Etenim conclusio deducta ex vna de fide, & altera naturali, ab ista non procedit præcisè secundùm cognoscibilitatem intrinsecam, quam habet per ordinem ad lumen & scientiam naturalem, sed vt approbata & iudicata à fide. Et hoc pacto verum est, quòd æquè dependet ab vtraque præmissa; sed præmissa naturalis non concurrit, nisi vt elevata saltem extrinsecè ab ipsa fide, cùm non concurrat, nisi vt intellectus roboratur in illa per approbationem fidei, quod est idem, ac concurrere quodam modo in virtute fidei: ad quod de materiali se habet, quòd sit naturalis entitativè, vel clara, cùm influxus eius debeat vltimò reduci in approbationem & iudicium fidei, & consequentèr in revelationem divinam, sub qua stat præmissa supernaturalis; & sic stat sub eadem ratione formali *subqua*, ac conclusio deducta ex duabus de fide. Per quod constat ad augmentum difficultatis.

Ad confirmationem respodetur ex dictis, quòd tanta est certitudo de conclusione deducta ex vna de fide, & alia naturali, ac de conclusione deducta ex duabus de fide. Nam prima conclusio non producitur ex vi præmissæ naturalis secundùm se, sed vt approbatæ, & iudicatæ à fide, & vt deservit præmissæ de fide vt ancilla; & sic omnis certitudo deducta in conclusione potiùs reducitur in revelationem, quàm in certitudinem alterius principij naturalis. ¶ Et nota, quòd hæc confirmatio, si reipsà habet vim, potiùs est contra Authores concedentes certitudinem huiusmodi conclusionis esse supernaturalem entitativè: quia ex vna parte non potest præmissæ naturali denegari concursus immediatus in illam; & ex alia non facilè apparet, à quo possit elevari. In nostra autem sententia, quæ defendit non esse supernaturalem, non ita vrget. Tum: quia intellectus vi sua naturali in qualibet conclusione theologica deducit veritatem virtualiter revelatam, quæ est in illa. Tum etiam: quia, præter assensum præstitum præmissis secundùm se, intellectus sua virtute naturali cognoscit præmissas vt illativas conclusionis: cùm ergo conclusio procedens ex vna de fide, & alia naturali non sit minùs connexa cum illis, quàm conclusio deducta ex duabus de fide, indè est, quòd æquè deducit intellectus veritatem virtualiter revelatam, & cum æquali certitudine in vna, ac in alia.

DUBIUM VI.

Utrùm Theologia sit simul practica, & speculativa: Et an sit sapientia?

PRimam difficultatem versat D. Thomas in præs. art. 4. & in Prolog. 1. Sent. art. 3. Secundam autem art. 6. & 1. Prolog. art. 3. Quas nos tamen sub vno dubio complectimur brevitatis causa.

§. I.

Duplex Conclusio.

71 DIcendum est *primò*, Theologiam nostram esse formaliter, & simpliciter simul practicam, & speculativam. Si-

D. Thomas locis relatis, quem sequuntur Thomistæ. Probatur ratione: Illa scientia est formaliter & simpliciter practica, & speculativa simul, cuius ratio *subqua* est formaliter & simpliciter practica, & speculativa; sed ratio *subqua* nostræ Theologiæ est formaliter & simpliciter practica,& speculativa:ergo etiam ipsa Theologia.Minor probatur: Nam ratio *subqua* nostræ Theologiæ est divina revelatio; sed sub divina revelatione continentur veritates formaliter & simpliciter practicæ, & speculativæ, vt in præs. docet D.Thomas:ergo ratio *subqua* nostræ Theologiæ est formaliter & simpliciter practica, & speculativa.

Confirmatur *primò*: Scientia inferior,quæ deducit suas conclusiones ex principijs formaliter & simpliciter practicis, est practica,& quæ deducit ex principijs formaliter & simpliciter speculativis,est formaliter & simpliciter speculativa; sed Theologia nostra deducit suas conclusiones ex veritatibus contentis in Scriptura sacra,inter quas aliæ sunt formaliter & simpliciter practicæ, & aliæ speculativæ: ergo etiam ipsa Theologia est formaliter & simpliciter practica, & speculativa.

Confirmatur *secundò*: Theologia deducit suas conclusiones ex principijs fidei; sed fides est formaliter & simpliciter practica, & speculativa: ergo etiam nostra Theologia.Minor est expressa D. Thomæ 2.2. quæst. 9. art. 3. ¶ Confirmatur *tertiò*: Donum intellectus est formaliter & simpliciter simul practicum, & speculativum, vt docet D. Thomas ibidem quæst.8.art. 3. donum etiam scientiæ est practicum, & speculativum formaliter & simpliciter, vt tradit q. 9. art. 3. denique donum sapientiæ est formaliter & simpliciter practicum, & speculativum, vt docet quæst. 45.art. 3.& 5. ergo etiam Theologia. Probatur consequentia: nam nostra Theologia non minorem amplitudinem habet, ac prædicta dona.

Confirmatur tandem (per quod prædicta magis explicantur) Illa scientia est simul practica, & speculativa formaliter & simpliciter, cuius finis, & modus procedendi est formaliter & simpliciter practicus, & speculativus, iuxta illud Philosophi 2. Metaphys. cap. 2. *Speculativę finis veritas, practicæ autem opus*; sed tàm finis, quàm modus procedendi nostræ Theologiæ est formaliter & simpliciter practicus, & speculativus: ergo est formaliter & simpliciter practica, & speculativa. Minor probatur: Nam in primis Theologia attingit plures veritates purè speculabiles, & modo purè speculativo seu resolutivo, vt quando de Deo probat attributa, sicut Metaphysica;deinde agit de Deo vt est vltimus finis, de nostra beatitudine, de præceptis,virtutibus, & vitijs, quatenus conducunt ad eam,vel ab illa retrahunt, quæ munera sunt propria virtutis practicæ;ergo habet finem, & modum procedendi formaliter & simpliciter practicos, & speculativos.

72 Ex quo inferes, quòd Theologia est formaliter eminenter practica, & speculativa. Siquidem illa scientia est formaliter eminenter practica, & speculativa, quæ formaliter continet sub se rationes formales, & modus procedendi divisos in alijs scientijs inferioribus:quæ ratione intellectus est formaliter eminenter practicus, & speculativus; & anima nostra est formaliter eminenter vegetativa,sensitiva, & rationalis: cùm ergo ratio formalis nostræ Theologiæ, & modus procedendi ita coadunet rationem & modum practicum, & speculativum, quòd hæ rationes inveniantur divisæ in scientijs inferioribus, erit vtiquè practica,& speculativa formaliter eminenter.

73 Adverte tamen discrimen notabile inter exempla relata, & Theologiam, quòd intellectus est æquè primò practicus, & speculativus, & anima rationalis æquè primò est vegetativa, sensitiva, & rationalis; Theologia autem est primariò speculativa, & secundariò practica. Et ratio differentiæ est: quia obiectum primarium intellectus est verum vtsic, sub quo æquè continetur verum practicum, ac speculativum: cuius signum est, quòd potentia respicit vt obiecta inadæquata primaria ea, quę vt obiecta primaria adæquata inspiciuntur ab habitibus: vnde cùm practicum, & speculativum sint differentiæ persè primò divisivæ plurium habituum intellectualium, necesse est,quòd practicum, & speculativum æquè primò inspiciantur ab intellectu. Paritèr vegetativum, & sensitivum sunt genera ad plantam, brutum, & hominem, cuius differentiæ debent esse primò tale vegetativum, & tale sensitivum: & sic anima rationalis constituens hominem debet præstare differentiam, quæ æquè primò sit vegetativa, sensitiva, & rationalis. Theologia autem respicit vt obiectum primarium adæquatum Deum sub ratione Deitatis, quod est verum præcisè speculabile; operationes verò practicæ tantùm sunt obiectum secundarium illius: & propterea non est æquè speculativa, & practica; sed primò & persè speculativa, & persè secundò practica. Quam doctrinam mirè advertit D. Thomas in præs. per hæc verba: *Magis tamen est speculativa, quàm practica, quia principalius agit de rebus divinis,quàm de actibus humanis, de quibus agit, secundùm quòd per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit.* Cui doctrinæ etiam suffragari potest exemplum fidei, de qua Doctor Angel. 2. 2. quæst. 9.art. 3. ait: *Fides autem primò, & principaliter in speculatione consistit, inquantùm scilicet inhæret primæ veritati.*

74 Dicendum est *secundò*, Theologiam esse absolutè sapientiam. Sic D. Thom. in præs.

Et

Et probatur ratione ipsius fundamentali : Sapientia est cognitio rei per altissimam causam; sed Theologia, quæcumque cognoscit, cognoscit per altissimam causam : ergo est absolutè & simpliciter sapientia. Maior continet definitionem sapientiæ, quam manifestat D. Thomas duobus exemplis in duplici genere determinato : Nam in genere ædificij ille dicitur *Sapiens* & *Architectus*, qui præest ministris inferioribus, qui dolant ligna, & parant lapides : & in moralibus ille dicitur *Sapiens*, qui actus humanos ordinat in vltimum finem. Minor verò probatur : Nam Theologia in primis considerat altissimam causam, nempè, Deum ; deindè procedit per rationes altissimas, cùm non procedat per creaturas, sed per revelationem & articulos fidei ; & sic ex Deo per revelationem cognito cognoscit eius perfectiones; & ex perfectionibus Dei procedit ad cognoscendas creaturas : ergo cognoscit omnia per altissimam causam.

Confirmatur alia ratione, quam tangit in præs. D. Thomas, & 1. 2. quæst. 57. art. 2. in corp. & ad 1. & quæst. 66. art. 5. in corp. & ad 1. De ratione sapientiæ est iudicare de omnibus & illa sibi subordinare, & propterea dicitur *Architectonica omnium*; sed hoc præstat Theologia: ergo est absolutè, & simpliciter sapientia. Maior est certa : Nam proprium est causarum inferiorum iudicari à causa superiori, ad illamque ordinari, vt liquet in exemplis suprà relatis: vnde cùm sapientia procedat per altissimam causam, debet de omnibus habitibus intellectualibus iudicare, & sibi subordinare. Minor verò probatur : Nam Theologia ita procedit ad suas conclusiones, quòd etiam principia aliarum scientiarum examinat, corrigit & iudicat, vt liquet in hoc principio, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quod Theologia ita corrigit, vt consonet Trinitatis mysterio : ergo Theologia iudicat de omnibus, & illa sibi subordinat. Ex quo inferunt rectè N. Salmant. in sua Arb. virtutum num. 29. quòd absolutè & simpliciter Theologia tantùm est sapientia ; licèt apud Philosophum, qui non illam cognovit, etiam sit Metaphysica. Et ratio est : quia Theologia iudicat de omnibus principijs pertinentibus non solùm ad alias scientias naturales, sed etiam ad Metaphysicam ; Metaphysica verò absolutè non iudicat de omnibus, cùm non iudicet de principijs Theologiæ : ergo licèt Metaphysica possit dici absolutè *sapientia* apud Philosophos; non verò apud Theologos, sed tantùm Theologia.

***

§. II.

Sententiæ contrariæ.

75 CONtra primam conclusionem sunt plures sententiæ. *Prima* defendit, quòd Theologia tantùm est speculativa. Sic Henricus lib. 8. quæst. 9. *Secunda* per oppositum asserit, esse tantùm practicam. Ita Scotus quæst. 4. prologi. *Tertia* dividit illam in duas, aliam purè speculativam, & alteram purè practicam. Sic Jesuitæ. *Quarta* docet non esse formalitèr practicam & speculativam, sed tantùm eminentèr. Sic aliqui Recentiores, quos suppresso nomine refert Mag. Ferre. *Quinta* & vltima tenet, esse æquè practicam, & speculativam. Pro qua sunt plures Thomistæ, quos idem Mag. etiam suppresso nomine refert. Pro quibus:

Arguitur *primò* : Theologia est scientia entitativè naturalis : ergo nequit esse simul practica, & speculativa. Consequentia probatur: Nam differentiæ divisivæ habituum ordinis inferioris nequeunt adunari nisi in habitu superioris ordinis ; sed practicum, & speculativum sunt differentiæ essentialitèr dividentes scientias ordinis naturalis : ergo nequeunt adunari in scientia entitativè naturali, qualis est nostra Theologia.

Et confirmatur *primò* : Nam si Theologia esset simul practica, & speculativa formalitèr, contineret eminentèr practicum, & speculativum, vt constituunt habitus inferioris ordinis; sed hoc de Theologia dici non valet : ergo non est formalitèr simul practica, & speculativa. Minor probatur : Quia nulla res creata, estò sit superioris ordinis, potest continere eminenter formalitèr differentias constitutivas & distinctivas duarum rerum inferioris ordinis : vt liquet in æternitate creata, quæ estò sit participatio formalis æternitatis per essentiam, & ordinis superioris, nequit continere formalitèr eminentèr tempus mensurans præteritum, & tempus mensurans futurum : non minùs liquet in persona creata, quæ estò esset supernaturalis, non posset continere formalitèr eminenter personalitatem naturalem : ergo Theologia nequit continere formalitèr practicum, & speculativum, quæ sunt differentiæ divisivæ scientiarum inferiorum.

Confirmatur *secundò* : Si Theologia esset simul practica, & speculativa, esset æquè practica, ac speculativa ; hoc est contra dicta num. 73. ergo non est simul practica, & speculativa. Secuela probatur : Tum quia forma continens eminentèr differentias essentiales convenientes formis inferioribus debet æquè continere illas differentias ; sed si Theologia esset simul practica, & speculativa, contineret differentias practici,

ctici, & speculativi: ergo æquè esset practica, & speculativa. Tum etiam: quia quod est simpliciter & formaliter practicum, & speculativum, nequit esse secundariò practicum, vel speculativum, cùm id quod convenit secundariò, conveniat tantùm secundùm quid, vt liquet in Logica, quæ etiam est practica quoad aliquem actum secundarium: ergo si esset simul practica, & speculativa, esset æquè practica, & speculativa.

Ad argumentum respondetur, concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd sicut anima rationalis, non obstante quòd sit intra eundem ordinem naturalem, est superioris ordinis ad vegetativum, & sensitivum secundùm se, ob quam rationem est formaliter eminenter vegetativa, & sensitiva; ita & potiori titulo Theologia, estò sit naturalis entitativè, poterit esse superioris ordinis ad aliàs scientias naturales. Diximus *potiori titulo*: quia radicaliter est supernaturalis, cùm procedat persè ex articulis fidei, quod sufficit, vt sit formaliter eminenter practica, & speculativa.

Ad primam confirmationem respondetur, negando sequelam: Nam Theologia non continet eminenter differentias practici, & speculativi, prout inveniuntur in scientijs inferioribus, sicut nec anima rationalis continet eminenter differentias vegetandi, & sentiendi, prout sunt in planta, & in bruto. At sicut, hoc non obstanti, anima rationalis, quia elevat genus vegetandi, & sentiendi ad differentiam superioris ordinis, est formaliter eminenter vegetativa, & sensitiva; ita Theologia nostra, quia procedit sub ratione supperioris ordinis & magis ampla, potest in se coadunare formaliter eminenter rationes practici, & speculativi; sicut intellectus, quia procedit sub ratione magis ampla, etiam est practicus, & speculativus. Illa autem duo exempla tantùm suadent, quòd Theologia non potest eminenter continere differentias proprias practici, & speculativi, prout sunt in scientijs inferioribus, quod nos etiam concedimus. Solùm differunt in hoc, quòd æternitas participata nequit reddere præsens tempus præteritum, vel futurum, nec personalitas creata potest reddere subsistentem alienam naturam; estò Theologia coadunet practicum, & speculativum: quia primum arguit infinitatem, non verò secundum. Et ratio huius differentiæ est: quia si æternitas participata redderet præsens tempus præteritum, vel futurum, id præstaret supplendo propria munia temporis præsentis; quod tamen absque continentia eminentiali illius fieri non valet, & hoc arguit infinitatem, cùm absolvatur à compositione generis, & differentiæ. Et idem dicendum est de subsistentia supplente vices alterius subsistentiæ. At vt Theologia includat in se practicum, & speculativum, non requiritur, quòd exerceat munera propria scientiarum inferiorum; sed quòd attingat earum obiecta sub ratione magis vniversali: quod quidem non arguit infinitatem, sed superioritatem in abstractione, vt liquet in Metaphysica.

Ad secundam confirmationem respondetur, negando sequelam. Cuius nulla probatio convincit. Non prima: Nam forma superioris ordinis optimè potest continere duo prædicata, aliud primariò, & aliud secundariò, quæ sufficiunt ad constituendas primariò formas inferioris ordinis: quia nimirum potest secundùm vnum prædicatum respicere obiectum primarium; & secundùm aliud, obiectum secundarium; vt liquet in scientia divina, quæ quidem secundùm munus primarium respicit Deum vt purè speculabilem; & secundùm munus secundarium respicit obiecta practica: & idem contingit in visione beata. Quod à fortiori de Theologia dicendum est, sicut de fide: quia eius obiectum primarium adæquatum est Deus sub ratione Deitatis, qui est obiectum purè speculabile; & res creatæ sunt obiectum secundarium. Et si Theologia agit de Deo vltimo fine, qua ratione induit rationem practicæ: hoc ideo est, quia non agit de illo in recto; sed modo quo nostris actibus assequi eum possumus. Vel si agit in recto de vltimo fine (præoccupamus tacitam obiectionem) eò est, quia agit de illo quidditativè, hoc est, ostendendo ex revelatis, quæ sit eius essentia, & causalitas, quo pacto non est practica, sed speculativa.

Nec secunda: Nam licèt Theologia possit dici practica *secundùm quid* comparativè ad munus eius primarium, quod est specularis; potest tamen dici practica *absolutè*, & *simpliciter*: quia elicit, etsi secundariò, plures syllogismos simpliciter practicos, & ordinatos ad opus. Non sic Logica, quæ omnes eius syllogismos, sivè demonstrativos, sivè topicos, seu sophisticos, sivè in materia propria, sivè in materia extranea, ordinat ad cognitionem veritatis. Dicitur tamen *secundum quid* practica, non quia eliciat aliquem actum secundarium simpliciter practicum; sed quia in conficiendis instrumentis rationis habet aliquam similitudinem cum arte propriè dicta, quæ est simpliciter practica, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 57. art. 2.

76 Arguitur *secundò*: Theologia in omnibus suis conclusionibus est scientia: ergo non est practica, sed speculativa tantùm. Antecedens est certum. Consequentia verò probatur: Nam modus procedendi scientificus est speculativus tantùm: ergo, si in omnibus suis conclusionibus est scientia, non est practica, sed speculativa tantùm. Antecedens probatur: Nam processus scientificus est processus resolutorius per diffinitionem, divisionem, & argumentationem,

nem, & non per motionem ; sed hic modus procedendi est tantùm speculativus : ergo processus scientificus est speculativus tantùm.

Et confirmatur *primò*, ex his quæ D. Thomas in hac 1. part. quæst. 14. art. 16. docet per hæc verba : *Sciendum est , quòd aliqua scientia potest dici speculativa tripliciter.* Et relicto primo. *Secundò quantùm ad modum sciendi , vtputà si ædificator considerat domum diffiniendo , & dividendo , & considerando universalia prædicata illius. Hoc siquidem est operabilia modo speculativo considerare , & non secundùm quòd operabilia sunt* ; sed Theologia , dum agit de rebus practicis , putà de actibus humanis, solùm procedit hoc modo : ergo non est practica, sed tantùm speculativa.

Confirmatur *secundò* : Virtus practica adæquatè dividitur in prudentiam, & artem, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 8. in corp. sed Theologia nec est prudentia, aliàs nullus peccator & imprudens esset Theologus : nec ars, quia sunt magni artifices , quin sint Theologi; & Theologi, quin sint artifices : ergo non est nisi speculativa.

Ad argumentum respondetur , concedendo antecedens ; sed negando consequentiam. Et ad eius probationem iterum negatur antecedens; aliàs nulla daretur scientia , quæ esset simpliciter practica, cuius oppositum expressè docet D. Thomas loco ex prima parte citato , & de Philosophia morali, & Medicina id asserunt N. Salmant. in sua Arb. num. 32. Et ratio huius est: quia scientia potest resolvere suas conclusiones in principia practica , quæ sunt obiectum syndæresis; & sic modus eius ita est resolutorius , quòd sit etiam simpliciter practicus. Quod ex fine deducendum est : nam , *cùm ordinatur ad finem operationis , est simpliciter practica* , docet ibi D. Thomas : quæ ordinatio scientiæ non repugnat, quatenus regulat prudentiam , vel artem ad ponendam operationem practicam. Quod de Theologia necessariò fatendum est : nam discurrendo circa ea , quæ fidei sunt , & circa præcepta quæ sunt in Scriptura, habet instruere vitam nostram, & dirigere prudentiam: ob quam rationem etiam fides est simpliciter practica.

Per quod constat ad primam confirmationem : Nam Theologia non sistit præcisè in modo resolutorio diffiniendi, dividendi , & argumentandi per principia necessaria rerum operabilium , sed etiam procedit indagando modum operabilitatis earum , & quatenus practicè conducunt ad vitam æternam , & ad Deum vltimum finem assequendum. ¶ D. Thomas autem tantùm loquitur de modo procedendi purè resolutorio, quo pacto procedit Philosophia naturalis.

Ad secundam respondetur , negando absolutè antecedens : Nam intrà genus virtutis purè practicæ etiam continetur syndæresis. Neque oppositum docet D. Thomas : Nam ibi tantum enumerat virtutes , quæ sunt principia proxima operationis practicæ , quo pacto solùm sunt duæ assignatæ , nempè, prudentia , & ars. Cum quo optimè stat , quòd dentur aliæ virtutes practicæ , quæ sint regulæ harum virtutum , vel istæ reducantur in illas. Et sic prudentia , & ars radicantur in syndæresi , quæ insuper regulantur à Philosophia morali , vel Medicina. Scientiæ vero purè speculativæ radicantur in intelligentia.

77 Contrà secundam conclusionem nulla est specialis sententia. Sed potest argui difficili argumento : Nam si Theologia esset sapientia, sequeretur , quòd esset simul scientia , & habitus principiorum ; sed Theologia nequit esse simul scientia, & habitus principiorum : ergo non est sapientia. Maior probatur cum D. Thoma 1. 2. quæst. 57. art. 2. ad 2. vbi post alia sic concludit : *Vnde siquis rectè consideraret , istæ tres virtutes non ex æquo distinguuntur adinvicèm, sed ordine quodam ; sicut accidit in totis potentialibus , quorum vna pars est perfectior altera , sicut anima rationalis est perfectior , quàm sensibilis , & sensibilis , quàm vegetabilis : hoc enim modo scientia dependet ab intellectu sicut à principaliori , & vtrumque dependet à sapientia sicut à principalissimo, quæ sub se continet & intellectum , & scientiam , vt de conclusionibus scientiarum dijudicans , & de principijs earumdem.*

Propter hoc argumentum Nazarius in præs. & Arauxo 1. Metaphy. quæst. 5. art. 1. sentiunt , sapientiam non esse habitum distinctum à scientia , & habitu principiorum ; sed quid altius continens sub se conceptum scientiæ, & habitus principiorum. Quibus favere videtur etiam Arist. 6. Ethicor. cap. 7. vbi ait : *Sapientia intellectus est, & scientia.* ¶ Sed hic modus dicendi communiter deseritur à Philosophis , & Theologis. Et meritò : Tum quia Theologia non distingueretur à fide ; cùm fides se habeat vt habitus principiorum respectu Theologiæ. Tum etiam : quia sapientia est habitus acquisitus per demonstrationem , vt liquet in Metaphysica , & Theologia ; sed intelligentia, & fides non sunt habitus per demonstrationem acquisiti; nam fides est per infusionem , & intelligentia per intellectum agentem , statim ac ministerio sensuum adsunt species intelligibiles, & ponitur notitia terminorum : ergo non est habitus principiorum.

Unde relicto hoc modo dicendi: Respondetur , negando sequelam. Et ad probationem ex D. Thom. dicendum est , quòd non ita intelligendus est , quòd quælibet sapientia contineat in se formaliter eminenter conceptum habitus principiorum, & conceptum habitus scientifici ; sed quòd ita deducit conclusiones , quòd etiam dijudicet de principijs proprijs , & aliarum scientiarum : Hac enim ratione habitus prin-

principiorum quodammodo est inferior sapientia (Pro qua solutione videndi omninò sunt N.Salmant.in Comment.ad prædictum locum(Quæ expositio consonat cum textu, vt liquet in vltimis eius verbis, & in resp.ad 1.

DISPUT. II.

De Existentia, & Essentia Dei.

POst quæstionem primam proœmialem, in qua D. Thomas nos informat de qualitate Theologiæ, immediatè differit de existentia Dei, pro qua & nos instituimus hanc secundam disputationem: sicut in Logica, post notitiam illius,immediatè tractatur de eius obiecto.

DUBIUM I.

*An hæc propositio,*Deus existit, *sit per se nota?*

1 LIcèt nulla scientia probet existentiam sui obiecti ex proprijs principijs, vt rectè probat D. Thomas quæst. præced. art. 8. potest tamen illam probare peraccidens & ex alienis, videlicet ex Philosophia, & Metaphysica. Et hoc modo se gerit D. Thomas in præf. cuius methodum nos imitamur. Sed pro intelligentia oportet scire, quid sit propositio persè nota. Alia enim est persè nota secundùm se, sed non quoad nos; & alia est persè nota secundùm se, & quoad nos. Propositio autem persè nota secundùm se est illa, in qua prædicatum est de essentia subiecti, vt in hac *Homo est animal.* Cui aggregari potest secundùm aliquos, quos sequuntur N. Complut.in Log.disp. 18. num.7. propositio, in qua prima passio prædicatur de subiecto: nam inter primam passionem & ipsum subiectum adæquatè conceptum, hoc est, secundùm suam definitionem adæquatam, nihil mediat, per quod probetur; & sic talis propositio secundùm se est immediata, indemonstrabilis, & persè nota. Verum tamen est, quòd alij non sine magno fundamento dubitant; sed sufficiat pro dictis D. Thomas, qui 1. Poster. text. 38. lect. 36. & Opusc. 39. cap. 12. id expressè docet. Vel conciliari possunt hi, & illi Authores, inquantùm illi loquuntur de hac propositione sumpta secundùm se; at isti de illa quoad nos, quia nos distinguimus definitionem à subiecto, eamque possumus assumere vt medium ad demonstrandam talem passionem. Sed de hoc satis, quia parùm refert ad præsentem controversiam, immò magis pertinet ad Logicos. Videatur Ioannes à S. Thoma in Log. quæst. 25. art. 2. Soto, Sanchez, & alij. Propositio persè nota secundùm se, & quoad nos est illa, in qua subiectum, & prædicatum habent immediatam connexionem, & hæc est nota nobis. Si autem est nota omnibus, erit persè nota quoad omnes. quo pacto se habent generalissima principia, vt *Totum est maius sua parte: Quodlibet est, vel non est.* Si verò est solùm aliquibus nota, apud illos erit persè nota; sed apud alios erit demonstrabilis. ¶ Huic divisioni propositionis persè notæ traditæ à D. Thoma in præf. art.1. solet ab aliquibus addi aliud tertium membrum propositionis persè notæ quoad nos tantùm: illa nimirùm, quæ estò reverà habeat medium,per quod possit probari; est tamen notissima sensibus, vt hæc, *Nix est alba,* de qua dixit Arist. 2. Topic. *Eum, qui negaverit nivem esse album, sensu indigere, non medio.* His igitur scitis: Inquiritur, an & quo modo hæc propositio, *Deus existit,* sit persè nota?

§. I.

Triplex conclusio:

2 DIcendum est *primò*, hanc propositionem,*Deus existit*,esse persè notam secundùm se.Sic docet D.Thomas in præf. art. 1. quem sequuntur omnes eius Discipuli, necnon Albert.Bonavent.Richard.Durand. & frequenter Iesuitæ,vt videri possunt apud Illust.Godoy.

Et probatur ratione D. Thomæ: Illa propositio est persè nota secundùm se, cuius prædicatum est de intrinseca ratione subiecti; sed in hac propositione,*Deus existit*,prædicatum est de intrinseca ratione subiecti: ergo secundùm se est persè nota. Minor probatur: Prædicatum illius propositionis est *esse* seu existentia; sed existentia est de intrinseca ratione Dei: ergo in illa propositione prædicatum est de intrinseca ratione subiecti. Minor, præterquàm quòd est expressa D. Thomæ infrà quæst. 3. art. 4. suadetur:Tum, quia id est de intrinseca ratione Dei, per quod Deus definitur; sed Deus definitur per *esse* seu existentiam, vt constat ex illis verbis Exod. 3. *Ego sum, qui sum, & qui est, misit me ad vos*, quibus verbis respondit Deus Moysi interroganti de suo nomine explicativo suæ essentiæ: ergo existentia Dei est de intrinseca ratione illius. Tum etiam: Nam Deus est actus purus in linea entis: ergo de eius essentia est actus vltimus talis lineæ; sed huiusmodi est existentia: ergo.

3 Dicendum est *secundò*, hanc propositionem, *Deus existit*,esse per se notam Beatis. Hæc immediatè colligitur ex præced. Sed tamen probatur: Illa propositio, in qua prædicatum est de essentia subiecti, est persè nota ei, cui essentia est persè nota; sed in hac propositione, *Deus existit*, prædicatum est de essentia Dei, quæ quidem est persè nota Beatis: ergo illa propositio est persè nota Beatis. Minor quoad primam

mam partem conſtat ex præced. concluſione. Quoad ſecundam etiam liquet: Nam nulli poteſt propoſitio aliqua eſſentialis eſſe magis nota, quàm ei qui quidditativè videt obiectum illius; ſed beati Deum vident quidditativè: ergo eſſentia Dei eſt persè nota beatis. Quam rationem inſinuat D. Thomas quæſt. 10. *de Verit.* art. 12. per hæc verba: *Sed in patria, vbi eſſentiam Dei videbimus, multò amplius erit nobis persè notum, Deum eſſe, quàm nunc ſit persè notum, quòd affirmatio, & negatio non ſunt ſimul veræ.*

4 Dicendum eſt *tertiò*, hanc propoſitionem, *Deus exiſtit*, non eſſe persè notam quoad nos. Sic D. Thomas in præſ. & loco proximè citato, vbi ait: *Sed quia quidditas Dei non eſt nobis nota, ideò quoad nos, Deum eſſe, non eſt persè notum, ſed indiget demonſtratione.* Probatur ratione deducta ex D. Thom. in præſ. ad hanc formam redacta: Illa propoſitio non eſt nobis persè nota, quæ non conſtat ex ſubiecto, & prædicato nobis persè notis; ſed huiuſmodi eſt præfata propoſitio, *Deus exiſtit*: ergo non eſt persè nota quoad nos. Maior patet à contrario propoſitionis persè notæ quoad nos, quæ debèt eſſe talis, quòd conſtet terminis nobis persè notis. Minor verò probatur: Nam illa propoſitio conſtat ex iſto termino *Deus*; ſed iſte terminus *Deus* non eſt nobis persè notus: ergo non conſtat ſubiecto, & prædicato nobis persè notis. Minor probatur: Nam nomine *Dei* non intelligimus nobiliſsimum ens in linea creata, ſed ens nobiliſsimum ſupra omnem ordinem creaturarum, iuxta illud Auguſt. lib. 1. *de Doctrina Chriſtiana* cap. 6. *Omnes latinæ linguæ peritos, cùm aures ſonus iſtius vocabuli* Deus *tetigerit, movet ad cogitandum excellentiſsimam quandam, immortalemque naturam*; ſed hoc ens nobiliſsimum non eſt nobis persè notum: ergo iſte terminus *Deus* non eſt nobis persè notus. Minor probatur: Tum, quia Deum pro hoc ſtatu non cognoſcimus quidditativè: cui autem non apparet eſſentia alicuius quidditativè, non verè apparet eſſentia eius, & ſic non eſt ei persè nota. Tum etiam: nam ens adeò nobile neque eſt attrectabile per ſenſus, nec eſt obiectum proportionatum intellectus creati: ergo non eſt nobis persè notum. Patet conſequentia: nam id, quod non eſt notum per ſenſum, nequit eſſe primum cognitum ab intellectu, ac proinde nequit eſſe illi persè notum.

Confirmatur hæc ratio, ſimulque vindicatur ab impugnatione Vazquezij: Nam illa propoſitio non eſt nobis persè nota, quæ indiget ad ſui notitiam medio probativo ab extremis diſtincto; ſed hoc ipſo, quòd Deum non cognoſcamus pro hoc ſtatu quidditativè, indigemus medio probativo diſtincto: ergo hæc propoſitio, *Deus exiſtit*, non eſt nobis persè nota. Maior eſt certa: Nam propoſitio indigens medio probativo diſtincto nequit immediatè videri, ſed indiget diſcurſu; quod quidem eſt contra rationem propoſitionis persè notæ. Minor verò probatur: Nam eo ipſo, quòd pro hoc ſtatu Deus non cognoſcatur quidditativè, cognoſcitur per ſpeciem creaturarum: ergo creaturæ erunt medium, quo intellectus ducitur in cognitionem Dei. Ecce rationem Vazquezij ad veram D. Thomæ reductam.

5 Sed contrà hanc rationem objicit Vazquez duo: primum eſt, quia illud principium communiſsimum, *Quodlibet eſt, vel non eſt*, eſt nobis persè notum; & tamen non concipitur à nobis quidditativè: ergo ratio D. Thomæ ruit. Minor probatur: Nam ſub illo principio comprehenditur hæc, *Deus eſt, vel non eſt*; ſed de Deo non habemus conceptum quidditativum: ergo neque de illo generaliſsimo principio, *Quodlibet eſt, vel non eſt*. Secundum, quia hæc propoſitio, *Spiritualia non ſunt circumſcriptivè in loco*, eſt Sapientibus persè nota, vt docet in præſ. D. Thomas; & tamen Sapientes non habent conceptum quidditativum de rebus ſpiritualibus: ergo &c.

Sed hæc duo æquè militant contra Vazquez: Nam, iuxta modum ſuæ probationis, illa propoſitio eſt persè nota quoad nos, quæ non eget diſcurſu; ſed ſubiectum huius propoſitionis, *Deus eſt, vel non eſt*, quæ continetur ſub illo principio generaliſsimo, *Quodlibet eſt, vel non eſt*, nequit cognoſci à nobis niſi per diſcurſum. Similiter redarguitur de alia propoſitione, *Spiritualia non ſunt circumſcriptivè in loco*, cuius ſubiectum nequit à Sapientibus cognoſci niſi per diſcurſum: ergo vel non eſt illis persè nota, vel malè arguit contra rationem D. Thomæ.

Ad primum ergo reſpondetur *primò* cum Illmis. Godoy, & Palanco, concedendo maiorem; ſed negando minorem. Ad cuius probationem dicimus, quòd ſubiectum illius propoſitionis, *Deus eſt, vel non eſt*, poteſt cõſiderari dupliciter, vel ſecundùm id quod materialiter dicit, vel ſecundùm formale. Materiale autem illius ſubiecti eſt Deus ſecundùm rationem entis increati: Formale verò eſt Deus ſub ratione communiſsima enti reali, & rationis, immò ſub alia ratione vniverſaliori, enti, & non enti communi, quia enti, & non enti convenit eſſe, vel non eſſe. Igitur licèt Deus ſub ratione entis increati (quo pacto eſt ſubiectum huius propoſitionis *Deus exiſtit*; cùm exiſtentia conveniat illi ratione Deitatis) non ſit à nobis quidditativè cognoſcibilis, qua ratione non eſt nobis pro hoc ſtatu persè nota; Deus tamen ſub ratione illa communiſsima quidditativè à nobis cognoſcitur. Ideòque propoſitio illa disiunctiva, *Deus eſt, vel non eſt*, eſt nobis persè nota; non verò hæc determinata, *Deus exiſtit*.

Reſpondetur *ſecundò* cum Ioanne à S. Tho-

Thoma, Ferre, & alijs, quòd propositio de subiecto, & prædicato determinato, vt hæc *Deus existit*, non potest esse persè nota illi, qui non habet cognitionem quidditativam de illis; secus verò propositio disiunctiva, vt illa *Deus est, vel non est*. Et ratio discriminis est: quia prædicatum in hac propositione disiunctiva non convenit subiecto nisi sub ratione communi omni enti, & non enti; & sic non requiritur, quòd subiectum cognoscatur, secundùm quòd distinguitur ab alia re, vt sit persè notum; sed sufficit quælibet cognitio illius, sivè sit, sivè non sit: Secùs verò est in propositione determinata, in qua prædicatum dicitur determinatè de subiecto, ad cuius cognitionem persè notam desideratur, quòd quidditativè cognoscatur subiectum, quia non apprehenditur sub aliqua ratione communi, sed sub sua ratione peculiari. Undè si cognitio quidditativa non habetur, necessarius est discursus, qui est contra rationem propositionis persè notæ. ¶ Per quod constat ad secundum: Nam illa propositio, *Spiritualia non sunt circumscriptivè in loco*, potest esse nobis persè nota, licèt non habeamus cognitionem quidditativam de rebus spiritualibus, v.g. de Angelis. Tum quia subiectum illius propositionis concipitur sub ratione communi enti reali, & rationis, de quo intellectus noster habet cognitionem quidditativam, & quòd non est in loco; & cùm Angelis repugnet esse in loco ex ipsissima ratione, qua enti rationis repugnat, nempè ex negatione materiæ, propterea illa propositio est nobis persè nota, estò non habeamus de Angelis cognitionem quidditativam. Tum etiam: Nam ad propositionem negativam persè notam sufficit cognoscere, quid subiectum non sit, dummodò habeatur cognitio quidditativa de eo quod non est; sed ad propositionem affirmativam persè notam requiritur, quòd cognoscatur, quid subiectum sit. Unde cùm habeamus cognitionem quidditativam de quantitate, & quòd est proprium illius esse in loco, sufficit, quòd nobis constet Angelos non habere corpus (quod ex sola explicatione terminorum potest nobis constare) vt sit nobis persè notum Angelos non esse in loco. ¶ Vel dicatur, quòd si ad cognoscendum, quòd res spirituales non habent corpus, requiritur discursus, illa propositio est persè nota Sapientibus, hoc est, impropriè: nam idem est esse persè notam Sapientibus ac discurrentibus. Et in hoc sensu interpretandus est D. Thomas.

§. II.

Argumenta contra primam, & secundam conclusionem.

6 CONtra primam conclusionem sentiunt Scot. in 1. dist. 2. quæst. 2. Ockam. dist. 3. quæst. 3. Gabriel. quæst. 4. Gregorius Arimin. 1. dist. 1. quæst. 1. art. 2. Arriaga in præs. disp. 2. sect. 1. & alij. Quorum argumenta præcipuè tendunt contra illam divisionem propositionis persè notæ stabilitam num. 1. & contra rationem D. Thomæ. Quæ ad duplex genus possunt reduci: primi generis sunt ea, quæ probant prædicatum esse in pluribus propositionibus de essentia subiecti; & tamen non sunt persè notæ secundùm se. Secundi generis sunt illa, quæ suadent propositiones esse persè notas, estò prædicatum non sit de intrinseca ratione subiecti. Quæ suo ordine proponemus.

Arguitur ergo *primò*: Datur propositio, in qua prædicatum est de essentia subiecti; quæ tamen non est persè nota secundùm se: ergo estò existentia sit de essentia Dei, non sequitur hanc propositionem, *Deus existit*, esse persè notam secundùm se. Antecedens probatur: Nam ad propositionem persè notam, vel sufficit, quòd prædicatum sit tantùm de essentia physica subiecti, vel requiritur, quòd sit de essentia metaphysica; sed sivè sit de essentia physica, sivè de essentia metaphysica, potest dari propositio, quæ non sit persè nota: ergo &c. Probatur minor: Nam in primis attributa, & Trinitas sunt de essentia physica Dei; & tamen Deum esse Trinum seu Omnipotentem non est persè notum secundùm se: ergo stat propositionem, in qua prædicatum est de essentia physica subiecti, non esse persè notam secundùm se. Minor probatur: Eadem propositio nequit esse persè nota, & scibilis; sed Deum esse Omnipotentem, seu Trinum est propositio scibilis secundùm se, cùm terminet scientiam divinam & beatam, vt tradunt N. Salmant. tract. 3. à num. 47. ergo Deum esse Trinum, seu Omnipotentem non est persè notum secundùm se. ¶ Deindè intellectualitas radicalis est de eius essentia metaphysica in gravium Theologorum sententia, & in nostra etiam intellectio actualis; & tamen terminant demonstrationem, vt rectè probat D. Thomas infrà quæst. 14. art. 1. & cum eo omnes Thomistæ: ergo propositio, in qua prædicatum est de essentia metaphysica subiecti, non est persè nota.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo ad propositionem persè notam non sufficere, quòd prædicatum sit de essentia physica subiecti; aliàs, vt rectè probat argumentum, non daretur in Deo scientia formaliter & propriè talis respectu attributorum; cuius oppositum tradunt laudati PP. & nos docebimus tract. 3. neque scientia beata esset propriè scientia respectu Dei & suorum attributorum; cuius oppositum docet D. Thomas suprà quæst. 1. vbi ait, Theologiam nostram subalternari scientiæ beatæ, quatenùs deducit eadem conclusiones ac illa, & cum dependentia ab ea: de quo plura diximus disput. præcedenti.

Si

Si verò ex hoc inferas : *Ergo habitus principiorum in Deo terminatur ad essentiam divinam, & non ad attributa.* Et consequentèr poterit dari in Deo cognitio quidditativa essentiæ præscindens ab attributis ; ac proinde in Beatis.

Respondetur *primò*, quòd in Deo idem est formalissimè habitus principiorum & scientia absque distinctione virtuali; ita tamen quòd secundùm respectum primarium ad essentiam explicet conceptum habitus principiorum, & secundùm respectum secundarium ad attributa explicet conceptum scientiæ : & sic essentia solùm est persè nota; attributa autem conclusiones scibiles. Et idem dicendum est de scientia beata creata. Pro quo videndi sunt prædicti Patres loco suprà relato n. 43. ¶ Quæ doctrina confirmari valet scientia Angelorum : quæ quidem non distinguitur à lumine principiorum; sed secundùm respectum ad essentiam persè notam est lumen principiorum, & secundùm respectum ad passiones, qui est secundarius, est scientia. Ex quo colligitur, quòd non detur in Deo, & beato cognitio quidditativa essentiæ, & non attributorum. ¶ Neque dicta officiunt doctrinæ traditæ disp. præcedenti num. 77. Nam ibi erat sermo de sapientia acquisibili nostris actibus ; non verò de alia sapientia eminentiori, vt est sapientia Angelica, scientia beata, & divina.

Respondetur *secundò*, iuxta doctrinam prædictorum Patrum loco citato num 54. & num. 84. & disp. 5. num. 65. concedendo primam consequentiam. Et ad secundam ibi inclusam dicendum est, quòd licèt repugnet in Deo cognitio quidditativa essentiæ divinæ, quin sit etiam formalissimè quidditativa attributorum, vel dicat per transcendentiam essentialem & absque distinctione reali cognitionem quidditativam attributorum; non tamen repugnat cognitio divina, quæ secundùm id, quod habet ex propria linea, sit quidditativa essentiæ, & non attributorum : includens tamen per transcendentiam cognitionem quidditativam, & comprehensivam omnium quæ sunt in Deo. Et hoc modo se habet cognitio luminis principiorum in Deo, quæ nimirùm ratione sui solùm terminatur ad essentiam ; sed ratione impliciti, hoc est, ratione cognitionis scientificæ, quam per transcendentiam importat, attingit etiam conclusiones. Iuxta quam solutionem fatendum est, quòd visio beata creata non attingit essentiam, quin attingat attributa; permittit tamen distinctionem virtualem, quatenus terminatur ad essentiam, & quatenus terminatur ad attributa: ad eum modum quo substantia creata sub ratione essentiæ, & sub ratione naturæ dicit similem distinctionem. Idemque fatendum est de scientia, & intelligentia Angelica. Ne inferatur maior identificatio inter aliqua prædicata creata, quàm inter prædicata divina illis correspondentia.

Iuxta quæ eligenda est secunda pars dilemmatis positi in argumento. Ad cuius improbationem dicendum est, quòd supposita illa sententia de constitutivo metaphysico Dei per intellectualitatem radicalem & actualem, illa propositio, *Deus est intellectivus*, est persè nota secundùm se, & non terminat cognitionem scientificam in Deo, & beatis. Potest tamen terminare demonstrationem quoad nos : quia ex imperfectione nostri modi concipiendi possumus distinguere plùra munera inadæquata, & probare per veram demonstrationem vnum ex alio.

8 Sed dices : Nulla propositio persè nota secundùm se est demonstrabilis à Deo, & beatis; sed hæc propositio, *Deus existit*, est demonstrabilis à Deo, & beatis : ergo non est persè nota secundùm se. Maior constat : Nam propositio persè nota secundùm se nequit demonstrari ab eo, qui attingit illam quidditativè & secundùm se, vti se habent Deus, & beati in ordine ad suprà dictam propositionem. Minor verò probatur: Nam Deus, & beati ex vi cognitionis, qua cognoscunt creaturas, attingunt habitudinem, quam dicunt ad ipsum Deum; vndè cognoscunt ipsum Deum indirectè, & vt terminum talis habitudinis : ergo illa propositio est demonstrabilis à Deo, & beatis. Consequentia est legitima : Nam hoc est cognoscere Deum à posteriori, & per creaturas, qui modus cognoscendi illum est demonstratio. Antecedens autem est expressum in N. Salmant. tract. 3. disp. 3. numer. 7.

Respondetur distinguendo maiorem: *Non est demonstrabilis* à priori, concedo maiorem; à posteriori, subdistinguo, per cognitionem purè abstractivam, concedo maiorem ; per cognitionem quæ formalitèr est quidditativa, & intuitiva, & eminentèr abstractiva, nego maiorem : Et, distincta eodem modo minori, negari debet consequentia. Solutio constabit explicatis terminis distinctionis. Etenim propositio persè nota secundùm se potest cognosci dupliciter, vel à priori, vel à posteriori seu per effectus : sicut hæc propositio, *Homo est rationalis*, vel cognosci potest in se immediatè, vel per passiones, nempè, per risibilitatem. Licet ergo repugnet, quòd propositio persè nota secundùm se demonstretur à priori, cùm secundùm se sit immediata, & prima ; non tamen repugnat, quòd possit demonstrari à posteriori, vt liquet in exemplo relato. Et hoc pacto Deus, & beati, postquàm per cognitionem directam cognoscunt ipsum immediatè, & creaturas mediatè, per eandem cognitionem reflectuntur ex creaturis ad ipsum Deum : & sic illa eadem cognitio ita terminatur immediatè, & directè ad Deum vt persè notum, quòd sit quædam de-

monstratio virtualis ex creaturis. In quo nulla datur implicatio, vel imperfectio ex parte ipsius cognitionis, vt fusiùs explicabimus tract. 3. disp. 1. §. 3.

9 Secundò arguitur: Plures sunt propositiones, in quibus prædicatum est de essentia subiecti, nec tamen sunt persè notæ: ergo estò existentia sit de essentia Dei, non sequitur, quòd hæc propositio, *Deus existit*, sit persè nota. Antecedens probatur in hac propositione, *Intellectus est qualitas*: in qua quidem prædicatum est de essentia subiecti, cùm sit genus illius; & tamen non est persè nota, cùm plures dubitent de illa. Idem apparet in hac, *Gratia est possibilis*: Nam possibilitas immediatè & essentialitèr convenit rebus creatis, non sicut futuritio & existentia, quæ illis conveniunt accidentalitèr; & tamen non est persè nota, cùm non possit evidenter cognosci ab intellectu creato viribus proprijs.

Ad hoc argumentum (quod caret difficultate) respondetur distinguendo antecedens: *Non sunt persè notæ* secundùm se: nego antecedens; quoad nos, concedo antecedens. Nam illæ propositiones sunt persè notæ secundùm se, & eis tantùm, qui penetrant essentiam intellectus, & gratiæ: Unde cùm nos non penetremus essentiam vtriusque, non est mirum, quòd nobis non sint persè notæ. Sed hinc nihil convincitur contra primam conclusionem, quæ nunc impugnatur, sed suadetur tertia.

10 Arguitur *tertiò*: Nam si hæc propositio, *Deus existit*, esset persè nota secundùm se, ideò esset, quia prædicatum est de essentia subiecti: ergo omnis & sola prædicatio, in qua prædicatum est de essentia subiecti, est perse nota secundùm se: Sed hoc est falsum: igitur ratio D. Thomæ non probat, illam propositionem esse persè notam. Minor subsumpta probatur: Nam propositio, in qua prima passio prædicatur de subiecto, est persè nota; & tamen prædicatum non est de essentia subiecti: ergo non sola prædicatio, in qua prædicatum est de essentia subiecti, est persè nota. Maior probatur: Nam propositio immediata est persè nota; sed propositio, in qua prima passio prædicatur de subiecto, est immediata, cùm inter subiectum vt perfectè conceptum, & prædicatum nihil mediet: ergo est persè nota.

Hoc argumentum potiùs est in favorem nostræ sententiæ, quàm contra illam. Nam si prædicatio, in qua prima passio dicitur de subiecto, est persè nota, licèt prædicatum non sit de essentia subiecti, quantò magis propositio, in qua prædicatum est de essentia subiecti, vt illa *Deus existit*? ¶ Sed ne rem semel tactam indecisam relinquamus: Respondetur, fatendo talem propositionem esse persè notam secundùm se; licèt quoad nos, qui distinguimus inter subiectum & eius definitionem, non sit persè nota. Neque ex hoc aliquid convincitur contra D. Thomam. Nam Ang. Doctor, dùm ad propositionem persè notam exigit *in præs* quòd prædicatum sit de essentia subiecti, solùm assignat rationem sufficientem, non adæquatam. Consonatque hæc doctrina cum D. Thoma, qui 1. Poster. text. 38. lect. 36. & Opusc. 39. cap. 12. eam non levitèr insinuat. Propter quod cum sequuntur plures & gravissimi Thomistæ præter relatos num. 1. Ex quibus colligitur, non dari propriè scientiam respectu primæ passionis, sed lumen principiorum, quod immediatè attingit primam passionem in essentia, si hæc attingitur secundùm se: vnde nec Deus respectu primi attributi, nec Angelus respectu primæ passionis habent scientiam propriè & formalitèr talem. Et licèt contra hanc doctrinam possint plures, & non ignobiles obiectiones efformari; illas dissimulamus, quia potiùs sunt instituti logici, quàm theologici.

11 Contra secundam conclusionem vi consequentiæ sentire tenentur omnes Authores relati num. 6. Contra quam argui potest: Existentia non est de essentia metaphysica Dei, vt tenent plures Thomistæ: ergo hæc propositio, *Deus existit*, non est persè nota beatis. ¶ Sed hoc argumentum nos parùm præmit, qui tenemus sententiam oppositam. Sed adhuc permisso, existentiam Dei non esse constitutivum metaphysicum eius: Respondetur ex dictis esse persè notam, quia videlicet post essentiam est prædicatum, quod necessariò & immediatiùs convenit Deo, & sic dicendum est de ea idipsum, quod proximè diximus de prima passione.

§. III.

Argumenta contra tertiam conclusionem.

12 ADversus tertiam conclusionem referuntur ab Illustris. Godoy num. 18. Albert. Bonavent. Ægidius, Argent, Abulensis, & Palacios, necnon Alensis, Aureolus, Altisiodor. & alij.

Et arguitur *primò*: Illa propositio est nobis persè nota, cuius cognitio est nobis ab Authore naturæ insita; sed talis est cognitio circa hanc propositionem, *Deus existit*: ergo est persè nota quoad nos. Maior constat: Nam hac ratione cognitio principiorum solet dici *insita*, quia, nimirùm, post notitiam terminorum statim absque alio discursu habetur notitia perfecta de illis. Minor verò probatur pluribus testimonijs Sanctorum PP. huiusmodi cognitionem vocantium *insitam, ingenitam, implantatam*, & *inseminatam*. Qui possunt videri apud Illmos. Godoy n. 84. & Palanco n. 68. Inter quos Anselmus in Prosolog. cap. 2. & 3. docet: *Taliter Deum esse, quòd cogitari nequit non esse.*

Ad hoc argumentum respondetur *primò* cum

cum D. Thoma in præf. ad 1. quòd duplex cognitio de Deo haberi potest, alia confusa & sub aliqua ratione communi, nempè sub ratione beatitudinis in communi, vel sub ratione alicuius luminis obligantis & præcipientis: Alia distincta & sub ratione propria particulari. Igitur Sancti Patres, dum cognitionem de Deo appellant *insitam &c.* tantùm loquuntur de prima. Sed hoc non est propriè cognoscere, quòd Deus existit sub conceptu proprio Dei, sed sub ratione beatitudinis in communi, in qua conveniunt Deus, divitiæ, voluptates, & quid simile: & ideò plures existimarunt, beatitudinem perfectam hominis consistere in illis. Vel si loquuntur de cognitione Dei sub proprio conceptu, talis notitia dicitur *naturaliter nobis inserta, quia omnibus insertum est aliquid, unde possit perveniri ad cognoscendum Deum esse,* vt docet D. Thomas quæst. 10. *de Verit.* art. 12. ad 1. ¶ Id, quod additur ex D. Anselmo, parùm premit. Vel quia, vt ait D. Thomas loco proximè citato in corp. tenuit contrariam opinionem. Vel quia procedebat ex suppositione, quòd reipsà existeret aliquid, quo nihil melius cogitari possit: quo supposito, rectè dicit, quòd cogitari non possit, Deum non esse.

13 Arguitur *secundò*: Illud est nobis per se notum, quod non potest cogitari non esse; sed non potest cogitari Deum non esse: ergo Deum esse est nobis per se notum. Minor probatur: Nam isto termino *Deus* significatur id, quo maius cogitari non potest; sed id, quo maius cogitari non potest, non potest cogitari non esse: ergo non potest cogitari Deum non esse. Maior est expressa D. Aug. lib. 1. *de Doctrina Christiana* cap. 7. eamque admittit D. Thomas in præf. ad 2. Minor verò probatur: Nam *esse* melius est, quàm *non esse*: ergo id, quo melius cogitari non potest, non potest cogitari non esse.

Ad hoc argumentum dupliciter respondet D. Thomas in præf. ad 2. Primò, quòd licet reipsà hoc nomine *Deus* significetur id, quo maius cogitari non potest; falsum tamen est, quòd omnes hoc nomine *Deus* intelligant ens perfectissimum, quo maius cogitari non possit: nam aliqui cogitaverunt, Deum esse corpus, alij ignorantem &c. Quæ solutio etiam habetur 1. Contra gent. cap. 11. *ad primam rationem.* ¶ Secundò respondet, permittendo, quòd per hoc nomen *Deus* significatur id, quo melius excogitari non valet; negat tamen ex hoc sequi Deum esse in rerum natura, sed tantùm in apprehensione: Nam ad hoc requiritur, quòd de facto sit in re id, quo melius excogitari non potest; at hoc non est per se notum, sed per discursum deducendum est. Hanc solutionem etiam tradit loco proximè citato.

14 Sed dices: Hoc ipso quòd de significato huius termini *Deus* apprehendatur id, quo melius excogitari non valet, non potest apprehendi non esse in rerum natura: ergo erit per se notum, Deum esse à parte rei. Probatur antecedens: Si apprehenderetur non esse in rerum natura, non esset id, quo melius excogitari non potest; cùm melius sit in apprehensione id, quod cogitatur existere in rerum natura, quàm id quod cogitatur existere tantùm in apprehensione.

Respondetur, fatendo quòd melius est Deum existere in rerum natura, quàm existere tantùm in apprehensione. Sed cum apprehensione existentiæ in rerum natura possit stare iudicium falsum, quo iudicatur diverso modo, quo existit; cùm sit evidens posse aliquid, quod apprehenditur vt existens in rerum natura, reipsà non existere: immò & ab eo, qui sic illud apprehendit, potest per aliud iudicium negari, quòd reipsà existat. Et sic hoc argumentum cum replica laborat æquivocatione, dum arguit de *esse* obiectivè in apprehensione ad *esse* reipsà à parte rei.

15 Arguitur *tertiò*: Hæc propositio, *Deus est colendus*, est nobis per se nota: ego etiam ista, *Deus existit.* Antecedens communiter admittitur à Theologis. Consequentia verò probatur: Nam hæc propositio, *Deus est colendus*, includit aliam, scilicet *Deus existit*: ergo si illa est nobis per se nota, etiam ista.

Confirmatur *primò*: Homo perveniens ad vsum rationis tenetur pro primo instanti illius se convertere ad Deum: ergo Deum esse est per se nobis notum. Antecedens est certum in Schola D. Thomæ, qui illud docet pluribus in locis. Consequentia verò probatur: Nam in primo instanti sivè initiativo, sivè terminativo non habetur notitia Dei per demonstrationem, cùm vix Philosophi post longum tempus id assequantur: ergo notitia Dei à primo instanti est naturaliter habita.

Confirmatur *secundò*: Vltimum finem existere est nobis per se notum: ergo etiam Deum existere. Patet consequentia: quia Deum existere sub ratione vltimi finis includit existere absolutè. Antecedens verò probatur: Tum, quia primum principium practicum debet esse nobis per se notum; sed vltimus finis est primum principium practicum, cùm in practicis ita se habeat vltimus finis, sicut principia speculativa in speculativis: ergo est nobis per se notus vltimus finis. Tum etiam: Nam omnes naturaliter desiderant vltimum finem, in quo stat ratio summi boni: ergo etiam naturaliter, & sine discursu illum cognoscunt.

Confirmatur *tertiò*: Omnes primò pervenientes ad vsum rationis possunt peccare: ergo naturaliter & sine discursu debent habere notitiam Dei supremi legislatoris & vltimi finis. Patet consequentia: Nam nequit dari peccatum, nisi sit contra supremam regulam & vltimum finem.

Ad argumentum respondetur, quòd illa pro-

propositio, *Deus est colendus*, est persè nota, ex suppositione quòd Deus existat, & existentia illius credatur, vel discursu evidenti probetur: Vndè radicalitèr semper dependet à discursu. Adde *primò*, quòd illa propositio licèt sit primum principium practicum; non verò speculativum: inter principium autem speculativum, & practicum hæc est differentia, quòd hoc supponit illud, immò principium practicum potest supponere discursum, & ita se habet illa propositio, *Deus est colendus*. ¶ Adde *secundò*, quòd illa propositio non est primum principium practicum, sed conclusio deducta ex primis principijs practicis: pertinet enim ad primum præceptum Decalogi, quod quidem continet conclusiones deductas ex principijs practicis generalissimis, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 1. & 3.

Ad primam confirmationem respondetur, puerum primò pervenientem ad vsum rationis teneri ad conversionem in Deum, non vt cognitum in particulari & distinctè, sed confusè, nempè sub ratione beatitudinis & finis honesti: quia solùm proponitur tunc illud principium, *Bonum est faciendum: Honestè est vivendum.* Nisi adsit aliud lumen supernaturale, ratione cuius teneatur converti in Deum sub ratione vltimi finis in particulari.

Ad secundam confirmationem respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem iam constat ex dictis ad argumentum. Ad secundam autem respondetur, quòd desiderium, quod omnes habent ad suum vltimum finem & beatitudinem, non terminatur ad illum sub ratione distincta, sed communi, nempè, quatenus convenit cum bono honesto, vel alijs bonis. Quare non requiritur cognitio distincta Dei ad hoc desiderium.

Ad vltimam respondetur, ad peccatum sufficere, quòd sit proximè contra regulam rationis; quam lumen naturale sufficientèr nobis proponit. Verum quidem est, quòd practicè etiam est contra supremum legislatorem & vltimum finem: sed ad hoc non requiritur, quòd præcedat cognitio distincta & in particulari huius supremi legislatoris & vltimi finis, & consequentèr non debet præcedere notitia Dei in particulari, quæ affirmet *Deus est*.

16 Vltimò arguitur: Hæc propositio, *Mundus hic existit*, est nobis persè nota: ergo etiam est nobis persè notus primus Author huius mundi: ergo etiam est persè notum nobis Deum existere. Hæc vltima consequentia constat ex prima: quia nomine *Dei* intelligimus Authorem huius mundi existentis. Prima autem probatur: Quia existentia huius mundi habet quoad nos immediatam connexionem cum Authore illius: ergo si illa est persè nota, etiam est persè notum, Authorem huius mundi existere.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo antecedens; sed negando primam consequentiam. Nam licèt existentia huius mundi habeat evidentem connexionem cum primo Authore illius; hæc autem evidens connexio non cognoscitur nisi per plura media, v.g. quòd hic mundus non sit à se, sed ab alio, & quòd in agẽtibus non detur processus in infinitum, quod sine multiplicato discursu cognosci evidentèr non valet: vndè Deus vt Author huius mundi non habet immediatam connexionem quoad nos cum existentia illius.

Hic solet inquiri *primò*: An possit dari in homine perveniente ad vsum rationis ignorantia vincibilis seu invincibilis? Sed huius difficultatis resolutio differtur vsquead tractatum *de Peccatis*. ¶ Solet inquiri *secundò*: An *Deum esse* possit à nobis demonstrari? Pro quo sciendum est, quòd duplex est demonstratio, alia à priori, alia à posteriori: demonstratio à priori est per aliquam causam vel propriè, vel virtualiter talem; demonstratio à posteriori fit per effectum propriè, vel virtualitèr talem. Quo supposito: Respondetur, *Deum esse* non posse à nobis à priori demonstrari, vel quia existentia est de essentia metaphysica Dei, vt ex dicendis dub. seq. magis constabit: vel quia est prædicatum immediatè connexum cum eius essentia metaphysica. Posse demonstrari à posteriori est de fide: vt colligitur ex illo Apost. ad Roman. 1. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus, & divinitas, itaut sint inexcusabiles &c.* ¶ Solet inquiri *tertiò*: Quibus rationibus possit demonstrari Deum esse? Sed ad hoc haud meliùs poterat responderi, quàm proponendo quinque principales rationes, quas D. Thomas in præs. art. 3. eligit, velut quinque limpidissimos lapides, quibus Atheismus in terram prosternitur. Sed quia earum intelligentia ex sola textus lectione satis constat, ab existentia Dei ad eius essentiam gradum facimus.

DUBIUM II.

Quæ sint excludenda à constitutivo metaphysico vltimato Naturæ Divinæ?

HANC difficultatem, præter morem communem, nos movent excitare tum ipsa rei difficultas, quam non nisi ægrè consequemur, nisi priùs obices removeamus: Tum magna opinionum varietas difficillimis authoritatibus, & rationibus munita, quarum subversio viam parat ad propriam stabiliendam: Tum maior claritas, & brevitas, quibus semper studere conamur. Pro qua difficultate, & sequenti aliqua notanda sunt, & alia supponenda.

§. I.

§. I.

Aliqua prænotantur : Et alia supponuntur.

17 NOtandum est *primò*, naturam divinam posse considerari dupliciter, physicè nempè, & metaphysicè. Physicè accepta dicit omnia prædicata divina ad quamcumque lineam spectantia, sivè ad lineam absolutam, sivè relativam; sivè ad lineam primordialem, sivè attributalem : quia, vt disp. sequenti dicemus, in Deo physicè non datur nisi vna simpliciter entitas. Metaphysicè autem considerata, solùm dicit illud prædicatum, quod ex nostro modo concipiendi est radix attributorum, & relationum, quoquè Deus constituitur sufficienter in sua specie atoma, & ad quod attributa, & relationes consequuntur per modum quasi proprietatum, sicut ex rationalitate hominis sequuntur risibilitas, intellectualitas, & appetitus, proportione tamen servata. Titulus ergo quæstionis non procedit de constitutivo physico Dei, quia certum est omninò constitui physicè per omnia prædicata divina, maximè attributalia: omnia enim ista ad integritatem divinæ essentiæ physicè sumptæ concurrunt, non minus proprie, quàm corpus, & anima ad essentiam physicam hominis, vt disput. seq. dicemus. Quapropter difficultas hæc solum procedit de constitutivo metaphysico naturæ divinæ.

18 Notandum est *secundò*, hoc constitutivum metaphysicum, seu naturam divinam metaphysicè consideratam posse à nobis concipi dupliciter : vel imperfectè, quo pacto concipimus illam conceptibus inadæquatis, quatenus vnum & idem munus ex parte rei conceptę dividimus ob nostrum imperfectum modum concipiendi in plura distincta per analogiam ad prædicata creata : vndè sicut in homine consideramus rationem *substantiæ*, *viventis*, *intellectus*, & *intellectionis*; ita Deum sub ratione *substantiæ*, *viventis*, *intellectus*, & *intellectionis* concipimus diversis conceptibus : Vel potest concipi perfectè, quatenus excludimus ab eo omnem vmbram potentialitatis. Quæstio autem non procedit de natura divina priori modo concepta : quia sicut prout sic potest concipi sub conceptu *substantiæ immaterialissimę*, & sub conceptu *radicis intellectionis*; ita diversum constitutivum potest illi assignari, taliter quòd sub conceptu *substantiæ* constituatur per rationem *entis per essentiam*, seu quatenus est suum *esse* in *esse* physico absque distinctione virtuali; & sub ratione *radicis* per intellectionem, seu per ordinem ad illam. Solùm ergo procedit de natura divina prout concepta à nobis per conceptus perfectos theologicos adiutos vera fide.

19 Notandum est *tertiò*, quòd licèt in Deo non detur nisi vnica simplicissima perfectio & entitas; continet tamen plures conceptus obiectivos, de quibus potest dubitari, an illius essentiam metaphysicè constituant, nempè quòd sit ens à se, quòd sit ens per essentiam, seu actum purum in linea entis, quòd sit intellectivus vel radicaliter, vel proximè, & ipsa intellectio, quòd sit ipsa voluntas & volitio, quòd sit infinitus in omni linea, & tandem quòd sit omnis perfectio excludens omnem imperfectionem. Quibus prænotatis : Pro clariori huius, & sequentis dubij decisione:

20 Supponendum est *primò*, naturam divinam non constitui per aggregationem omnium perfectionum divinarum. Est contra Suarium, Molinam, Albiz, Valentiam, & alios Patres Societatis. Et probatur breviter : Nam hìc non inquirimus de constitutivo physico naturæ divinæ, sed de eius constitutivo metaphysico, quatenus natura divina concipitur vt distincta virtualiter ab attributis; sed natura divina prout sic distincta ab attributis, & quatenus est radix illorum, non dicit aggregationem omnium perfectionum : ergo non constituitur metaphysicè per aggregationem omnium perfectionem divinarum.

21 Sed dices: Natura divina debet constitui per id, quod perfectissimum concipitur in Deo; sed cumulus omnium perfectionum est huiusmodi, vt ex se liquet : ergo &c. ¶ Confirmatur *primò* : Natura divina est actus purus : ergo debet constitui per id, quod excludit omnem potentialitatem; sed nulla formalitas in Deo præter cumulum omnium perfectionum excludit omnem potentialitatem, cùm Deum relinquat in potentia ad alias perfectiones : ergo &c. ¶ Confirmatur *secundò* : Quæ constituunt vnum ens persè, etiam constituunt vnam essentiam; sed omnia prędicata divina constituunt vnum ens persè : ergo &c.

Respondetur ad obiectionem, quòd natura divina physicè constituitur per id, quod est perfectissimum absolutè; sed metaphysicè debet constitui per id, quod est perfectissimum in prima linea distincta virtualiter cum fundamento in re ab alijs : quia respectu istius aliæ concipiuntur cum fundamento in re adinstàr proprietatum. ¶ Per quod constat ad primam confirmationem : Nam ex eo quòd Deus sit actus purus, solùm sequitur constitui metaphysicè per vltimam actualitatem primæ lineæ, & quòd petat includere physicè omnes alias perfectiones, ratione cuius inclusionis excludit omnem potentialitatem positivam. ¶ Ad secundam dic, quòd non omnia, quæ intrant ad constituendum vnum ens persè, absolutè pertinent ad constitutivum metaphysicum illius. Nam existentia creata intrat ad constituendum vnum ens persè, quin metaphysicè constituat essentiam creatam, vt tenet communis senten-

tia

tia Thomistarum. Rursùs in divinis ea, quæ intrant persè & formalitèr ad constituendum vnum ens persè, pertinent etiam ad constitutivum metaphysicum naturæ; non verò ea quæ tantùm identicè & materialitèr ratione identificationis: Prædicata autem pertinentia ad primam lineam à prima vsquead vltimam actualitatem illius persè pertinent ad constituendum vnum ens persè; attributa verò solùm materialitèr & identicè ratione identificationis: Omnia ergo pertinent ad constitutivum physicum, non verò ad metaphysicum.

22 Ex quo infertur *primò*, voluntatem esse extra constitutivum metaphysicum naturæ divinæ (est contra Suarium.) Et ratio est: quia linea voluntatis est virtualitèr diversa cum fundamento in re à linea intellectus, quam præsupponit: ergo nequit pertinere ad constitutivum metaphysicum naturæ divinæ. Patet consequentia: Nam sicut nomine *naturæ divinæ* metaphysicè sumptæ nihil aliud in præsenti intelligimus, nisi id quod potens est constituere cum fundamento in re primam lineam adæquatam, à qua dimanant adinstàr proprietatum attributa; ita à constitutivo metaphysico excludimus id, quod cum fundamento in re præsupponit aliam lineam adæquatam. *Adde*: Quia non est maior ratio de alijs perfectionibus divinis, ac de voluntate, vt cuilibet benè perspicienti constabit. Maximè, quia si natura divina constitueretur per volitionem, processioni Spiritus-sancti competeret persè ratio formalissima generationis, cùm communicetur illi ex vi processionis quod potissimè, hoc est vltimatè, constitueret naturam divinam, scilicet volitio.

23 Infertur *secundò*, naturam divinam non constitui per infinitatem (Est contra Scotum, & eius discipulos.) Et probatur: Si natura divina constitueretur per infinitatem, vel constitueretur per infinitatem completam & adæquatam, quæ coalescit ex prima linea & alijs attributalibus; vel præcisè per infinitatem pertinentem ad lineam primordialem; neutrum dici potest: ergo non constituitur per infinitatem. Minor quoad primam partem probatur: Nam natura divina non constituitur per aggregationem omnium perfectionum; sed infinitas coalescens ex linea primordiali, & alijs subsequentibus est huiusmodi: ergo. Quoad secundam etiam probatur: Nam per illam formalitatem debet constitui natura divina, per quam explicitè distinguitur ab attributis; sed per conceptum infinitatis pertinentis ad primam lineam non distinguitur explicitè ab attributis, cùm omnes formalitates divinæ sint æquè infinitæ in propria linea: ergo debet assignari alia perfectio, per quam magis explicitè distinguatur ab illis. *Explicatur*: Intellectus, & voluntas divina non distinguuntur explicitè per conceptum talis, & talis infinitatis, sed quia intellectus & voluntas sunt, quæ sunt perfectiones magis determinatæ & explicitæ: ergo idem dicendum est de infinitate primæ lineæ, quæcumque illa sit. *Adde primò*: Infinitas est conceptus negativus, sicut innascibilitas; sed persona Patris non constituitur per innascibilitatem, quia conceptus negativus est: ergo neque Deus constituitur per infinitatem. *Adde secundò*: Sicut infinitas est propria Dei, ita finitas est propria creaturæ; sed creatura non constituitur metaphysicè per finitatem, vt ex se liquet: ergo nec Deus per infinitatem. *Adde tertiò*: Finitas, & infinitas sunt modi quantitatis virtutis, sicut quantitatis molis: ergo sicut quantitas molis non constituitur per finitatem, vel infinitatem, sed illam iam supponit constitutam; ita de finitate, vel infinitate respectu quantitatis virtutis dicendum est.

24 Sed dices: Illud est constitutivum Dei, quod est distinctivum illius à creaturis; sed infinitas est huiusmodi: ergo. Probatur minor: Tum quia aliæ perfectiones præter infinitatem communicantur creaturis. Tum quia, ablata à Deo infinitate, non est per quod à creaturis distinguatur: ergo infinitas &c. ¶ Confirmatur: Infinitas est radix omnium divinarum perfectionum, sicut limitatio est radix omnium imperfectionum in creatura: ergo est constitutiva Dei.

Ad hoc respondetur, distinguendo maiorem: *Quod est distinctivum* primariò, concedo maiorem; secundariò, nego maiorem: Et distincta eodem modo minori, negari debet consequentia. Nam homo per risibilitatem distinguitur ab equo; & tamen risibilitas non est constitutiva illius. *Rursùs*: Constitutivum Dei non solùm debet distinguere Deum à creaturis, sed etiam debet distinguere metaphysicè naturam ab attributis; infinitas autem est prædicatum commune naturæ, & attributis: & sic solùm distinguit Deum à creaturis sub aliqua ratione communi naturæ, & attributis; non sub ratione atoma, quæ debet esse propriè constitutiva & distinctiva primariò ab omni eo quod natura non est. Ad primam probationem dicendum est, quòd potiùs ex illa sequitur naturam divinam non constitui per infinitatem: quia natura divina est participabilis, & communicabilis creaturis saltem accidentalitèr. Ad secundam respondetur, quòd, ablata à Deo *realitèr* infinitate, non remanet aliquid, per quod distinguatur à creaturis: sed ideò est, quia arguitur per locum intrinsecum destructio totius Dei. Ablata tamen *per intellectum*, seu explicitè non concepta, adhuc remanet aliud prædicatum, per quod positivè distinguatur tàm ab attributis, quàm à creaturis, nempè suum *esse* absque distinctione virtuali tàm in *esse* entitativo, quàm in *esse* intelligibili, vt dub. seq. dicemus. ¶ Per quod constat ad confirmationem.

nem. Infinitas enim non eſt radix omnium perfectionum, ſed prædicatum proximè tactum, ex quo deducitur infinitas in linea eſſentiæ, & omnes perfectiones attributales cum ſuis infinitatibus. Vndè D. Thomas Opuſc. 42. cap. 2. primò dividit ens in actum, & potentiam; & non in finitum, & infinitum: quia nimirùm radix infinitatis eſt actus; & radix finitatis potentia.

25 Supponendum eſt *ſecundò*, naturam divinam non conſtitui per rationem *entis à ſe*. In quo præſcindimus à ratione *entis per eſſentiam*, quæ quidem eſt valdè diverſa à ratione *entis à ſe*, quia hæc dicit negationem habendi principium vel reale, vel virtuale; illa verò importat rationem *actus primi*: de qua eſt maior difficultas infrà pro concluſione decidenda. Hæc ſuppoſitio ſic intellecta eſt contra Scotum & Vazquium. Et probatur: Nam per rationem *entis à ſe*, vel intelligitur ens non habens cauſam, vel non habens aliquod principium virtuale; ſed neutro modo conſtituit naturam divinam: ergo non conſtituitur per ens à ſe. Minor probatur quoad primam partem: tum quia eſt prædicatum commune omnibus perfectionibus divinis. Tum & præcipuè, quia ſupponit naturam divinam conſtitutam: ſicut *eſſe ab alio* ſupponit naturam creatam, vt docet D. Thomas infrà quæſt. 44. art. 1. ad 1. vbi ait: *Habitudo ad cauſam efficientem non intrat in definitione entis, quod eſt creatum, ſed ſequitur ad ea, quæ ſunt de eius ratione.* Tum denique: quia dicit carentiam cauſabilitatis; ſed natura divina non conſtituitur per carentiam: ergo &c. Quoad ſecundam partem etiam probatur eadem minor ex proximè dictis. Nam hoc quod eſt *non habere principium virtuale* eſt carentia; ſed per carentiam nequit conſtitui natura divina, ſicut nullum ens poſitivum: ergo &c. Maximè quia natura divina non explicatur niſi confusè per hanc rationem: ſicut natura humana non explicatur ſufficienter per hoc, quòd non habeat principium demonſtrationis, ſed additur alia perfectio explicita per quam denotatur eſſentia hominis.

Quibus ſuppoſitis: Præſens difficultas reſtringitur ad rationem *entis per eſſentiam*, ſeu ad rationem *actus puri* in linea entis, vel ad rationem *ſubſtantiæ immaterialiſsimæ*, quæ tria idem ſunt.

§. II.

Dubij reſolutio tribus aſſertionibus.

26 DIcendum eſt *primò*, conceptum *eſſentiæ*, & conceptum *naturæ* non eſſe in divinis duos conceptus virtualiter, & adæquatè diſtinctos. Hanc concluſionem tenèt, quotquot defendunt, naturam divinam conſtitui per formalem radicem intelligendi, vel per intellectionem (quos infrà dub. ſeq. referemus) quibus adhærent Palanco in præſ. num. 4. & alij. Quam concluſionem communiter probant Authores citati ex eo, quòd hi conceptus non diſtinguuntur adhuc virtualiter in creatis. Quo quidem ſuppoſito, vrgentiſsimum argumentum depromitur ad ſtabiliendam omnimodam identitatem inter hos conceptus in divinis: cùm nequeat dari maior identitas inter prædicata creata, quàm inter divina, vt ex ſe liquet. Sed quia N. Complut. in Phyſic. diſp. 7. num. 9. & *de Anima* diſp. 3. num. 7. & 12. admittunt diſtinctionem virtualem adæquatam inter hos conceptus in creatis, ad aliam formam hæc ratio redigenda eſt.

Probatur ergo concluſio: Conceptus *eſſentiæ*, & conceptus *naturæ* diſtinguuntur tantùm virtualiter in creatis: ergo in divinis nec virtualiter diſtinguuntur. Conſequentia probatur: Tum quia maior identitas debet dari inter prædicata divina, quàm inter creata, quando diſtinctio inter hæc inventa oritur ex limitatione (ob quam rationem quando inter prædicata creata datur diſtinctio realis orta ex limitatione, non datur diſtinctio, niſi adſummùm virtualis inter divina) ſed diſtinctio virtualis inter conceptus *eſſentiæ*, & *naturæ* oritur in creatis ex limitatione: ergo non diſtinguuntur virtualiter in divinis. Minor probatur: Nam ideò conceptus *eſſentiæ*, & *naturæ* in creatis diſtinguuntur virtualiter, quia *eſſe*, & *operari*, quæ ſunt termini perse inſpecti ab illis, diſtinguuntur realiter; ſed diſtinctio inter hos actus in creatis provenit ex limitatione, ex eo nempe quòd natura actuata per exiſtentiam eſt in potentia ad operationem: ergo diſtinctio illorum conceptuum in creatis oritur ex limitatione. Quæ probatio ex infrà dicendis in præſ. & ſequenti dubio magis eluceſcet.

Tum etiàm: Nam conceptus *naturæ* ſolùm addit ſupra conceptum *eſſentiæ* reſpectum ad quoddam ſpeciale connotatum ſecundarium, ſcilicet operationem; ſed eſtò additio alicuius connotati ſecundarij ſufficiat ad diſtinctionem vel realem, vel virtualem in creatis ob ſui limitationem, non ſufficit ad vllam diſtinctionem in divinis: ergo ſi in creatis diſtinguuntur tantùm virtualiter, non debent vllo modo differre in divinis. Minor probatur: Nam conceptus *libertatis* in Deo conſtituitur per additionem alicuius connotati ſecundarij; ſed eſtò hæc additio ſufficeret in creatis ad diſtinctionem realem in actibus, & diſtinctionem virtualem ex parte principij, in Deo non ſufficit ad diſtinctionem virtualem, vt tradunt N. Salmant. tract. 4. diſp. 6. dub. vnic. Similiter conceptus *dictionis* conſtituitur per additionem verbi mentalis producti per modum connotati; ſed licèt hæc additio ſufficiat ad diſtinctionem intrinſecam virtualem ſeu modalem inter dictionem, &

contemplationem creatas; secùs verò inter dictionem, & contemplationem divinas, vt latè tradunt N.Thomistæ in tract. *de Trinitate*:ergo licèt additio alicuius connotati sufficiat ad aliquam distinctionem intrinsecam in creatis,non verò in divinis. Aliam rationem pro hac conclusione afferunt N.Salmant.à n. 6. quæ tamen magis pertinet ad dicenda dub. seq. licèt hæc conclusio magis corroboretur ex ibi dicendis.

27 Dicendum est *secundò*, naturam divinam non constitui vltimatè & metaphysicè per rationem *actus puri* in linea entis,seu per rationem *entis per essentiam*, vel per rationem *substantiæ immaterialissimæ*. Quæ tria,vt diximus, idem omnino sunt: nam nomine *actus puri in linea entis* intelligitur ens, quod nullam admittit potentialitatem ad existentiam, sed omnino identificat illam absque distinctione virtuali; & sic talitèr est *quod* est, quòd simul est *quo* est,& ipsum *esse*. Nomine autem *entis per essentiam* nihil aliud intelligunt Authores oppositæ sententiæ, nisi ens, quod est suum *esse* seu *existere*. Vnde hæc ratio coincidit cum præcedenti. Nomine tandem *substantiæ immaterialissimæ* intelligunt ens excludens omnem potentialitatem non solùm physicam, sicut Angeli, sed etiam metaphysicam:qua ratione debet identificare existentiam omnibus modis, quia proutsic eius immaterialitas est maior ea, quæ excogitari potest.

28 Quo supposito: hanc conclusionem probant aliqui excludendo hanc omnimodam identitatem inter Deum, & eius existentiam.Ex quo principio, si verum est, abs dubio eruitur evidens argumentum contra fautores sententiæ contrariæ. Sed quia oppositum est probabilius, vt constabit ex dicendis dub. seq. Omisso hoc fundamento:

Probatur conclusio hac ratione: Conceptus *essentiæ*,& conceptus *naturæ* sunt idem formalissimè conceptus absque distinctione virtuali cum fundamento in re: ergo natura divina non constituitur vltimatè per rationem *actus puri* in linea entis. Antecedens patet ex dictis conclusione præcedenti. Et consequentia probatur:Nam *esse eundem conceptum formalissimum absque distinctione virtuali*, & *constitui vltimatè per rationem actus puri in linea entis* sunt prædicata contradictoria: ergo si conceptus *essentiæ*,& conceptus *naturæ* sunt idem formalissimè conceptus,nequit constitui per rationem *actus puri* in linea entis. Antecedens probatur: Nam si sunt idem formalissimè conceptus, id, quod constituit naturam sub conceptu naturæ, nequit esse extra constitutivum vltimatum naturæ divinæ; sed *constitui vltimatè per rationem actus puri in linea entis*, & *constitui per id, quod constituit naturam sub conceptu naturæ* sunt prædicata contradictoria:ergo *esse eundem formalissimè conceptum*, & *constituit vltimatè per rationem actus puri in linea entis* est involuere prædicata contradictoria. Maior ex se patet. Et minor probatur:Nam *esse actum purum in linea entis* solùm dicit identitatem vel realem, vel virtualem cum existentia entitativa, præcisso omni respectu ad operationem seu intellectionem; *constitui autem per id quod constituit naturam sub conceptu naturæ* est *constitui vltimatè per intellectionem*, *vel per respectum expressum ad illam*, sed *constitui vltimatè non per respectum ad operationem*, & *constitui per respectum ad operationem* sunt prædicata contradictoria, vt ex se patet: ergo *constitui per rationem actus puri in linea entis*, & *per id quo constituitur natura sub conceptu naturæ*,sunt prædicata contradictoria.

29 Respondebis cum Mag. Palanco num. 93. & 94. fatendo quidem, hos conceptus esse eundem formalissimè conceptum absque distinctione virtuali; negando tamen constitui per conceptum explicitum *naturæ*,seu *radicis attributorum*: quia hic conceptus est prædicatum tantùm virtuale in Deo, cùm tantum virtualitèr radicet attributa; natura autem divina debet constitui per aliquod prædicatum reale, & formale Dei.

Sed hæc evasio est præcisè ludere terminis. Nam in Deo verè & realitèr datur conceptus *essentiæ*, & conceptus *naturæ*, sicut datur in sententia contraria conceptus *intellectus*, & *intellectionis*; sed conceptus *essentiæ* constituitur in Deo per ordinem ad *esse*, vel per hoc quod sit suum *esse*: ergo conceptus *naturæ* debet constitui per operationem,vel ordinem expressum ad illam:cùm igitur hi conceptus sint formalissimè idem, nequit constitui per rationem *actus puri* in linea entis,sed per rationem *actus puri* in linea operandi.

Confirmatur hoc: Sicut in sententia contraria essentia divina distinguitur virtualitèr ab operatione, & illam virtualitèr radicat; ita intellectus distinguitur virtualitèr cum fundamento in re ab intellectione, & est principium tantùm virtuale illius; & nihilominus non possumus intelligere constitutivum formale intellectus nisi per ordinem ad operationem: ergo,estò natura divina virtualitèr tantùm radicet attributa, poterit formalitèr constitui per hoc,quòd sit radix virtualis attributorum: *Maximè*:Quia iuxta sententiam contrariam (in qua conceptus *naturæ*,& conceptus *essentiæ* non distinguuntur virtualitèr in recto in creatis, sed præcisè connotata) natura humana constituitur metaphysicè & vltimatè per hoc,quòd sit principium radicale reale intellectionis; & natura sensitiva per hoc quòd sit principium radicale reale sensationis; & natura viventis per ordinem ad operationes communes vitæ: ergo natura divina debet constitui formalitèr per hoc, quòd si perfectis-

fectissima operatio, nempè, intellectio; vel per hoc, quòd sit principium radicale virtuale illius, in quo consistit conceptus formalissimus *naturæ*.

30 Nihilominus dicendum est *tertiò*, existentiam Dei in *esse* entis non esse virtualiter distinctam ab eius essentia, consequenterque non esse extra constitutivum adæquatum naturæ divinæ. Hanc conclusionem tenent Contenson, Palanco, & quot quot aiunt naturam divinam constitui per rationem *actus puri* in linea entis, & à fortiori qui asserunt constitui per intellectionem actualem, quos dub. seq. referemus.

Et poterat probari pluribus testimonijs D. Thomæ; ex quibus ramen duo tantùm selegimus. Primum desumitur ex hac 1. part. quæst. 13. art. 11. vbi ait: *Hoc nomen* Qui est *triplici ratione est maximè proprium nomen Dei. Primò propter sui significationem: non enim significat formam aliquam, sed ipsum* esse. *Vnde cùm* esse Dei *sit eius essentia &c.* Ex quibus verbis probatur efficacitèr hæc conclusio: Nam nomen proprium alicuius rei est institutum ad significandam eius essentiam, vt tradit D. Thomas ibi art. 8. ad 2. ergo nomen maximè proprium est, quod significat eius essentiam metaphysicam; sed iuxta D. Thomam hoc nomen *Qui est* est maximè proprium Dei, & significat existentiam: ergo existentia est de essentia metaphysica Dei identificata absque distinctione virtuali cum eius natura. ¶ Secundum depromitur ex quæst. 7. *de Potent.* art. 2. vbi ait, quòd *esse*, seu existentia est proprius effectus Dei: ergo oportet, quòd existentia sit de essentia metaphysica Dei. Probatur consequentia: nam quælibet causa intendit persè primò assimilare sibi effectum in sua natura, vt constat inductive in omnibus agentibus: ergo si existentia est proprius effectus Dei, & in ea præcipuè intendit assimilare sibi omnes effectus, debet esse de essentia metaphysica ipsius.

Deinde probatur ratione: Deus est actus purus in linea entis: ergo debet identificare existentiam in *esse* entis absque distinctione virtuali. Antecedens admittitur ab omnibus. Consequentia verò probatur: Natura non identificans existentiam absque distinctione virtuali non excludit omnem potentialitatem; sed natura non excludens omnem potentialem non est actus purus; ergo si Deus est actus purissimus, identificat suam existentiam in *esse* entis absque distinctione virtuali. Maior probatur: Natura, quæ non dentificat suam existentiam absque distinctione virtuali, non identificat vltimam actualitatem pertinentem ad primam lineam entis; sed natura non identificans vltimam actualitatem pertinentem ad primam lineam entis non excludit omnem potentialitatem: ergo natura non identificans existentiam absque distinctione virtuali non excludit omnem potentialitatem. Maior videtur certa: nam existentia est vltima actualitas in qualibet linea; & sic existentia substantiæ facit vnum ens persè cum substantia creata, & existentia accidentis cum accidenti. Minor similiter est non minùs certa: nam natura non identificans absque distinctione virtuali suam existentiam est in potentia virtuali ad illam. Quam rationem dub. seq. ab evasionibus vindicabimus.

§. III.

Sententiæ contrariæ.

ADversus primam conclusionem sentiunt N. Cornejo tract. *de Scientia Dei*, disp. vnica num. 24. N. Andreas à Cruce disp. 83. dub. 1. 2. & 3. & Franciscus de Lugo disp. 16. cap. 7. qui licèt discriminentur inter se in aliquo modo; in hoc autem conveniunt, quòd conceptus *naturæ*, & conceptus *essentiæ* distinguuntur virtualiter cum fundamento in re.

31 Arguitur *primò* ex D. Thoma infrà quæst. 39. art. 2. ad 3. vbi sic ait: *Dicendum, quòd, quia natura designat principium actus, essentia verò ab essendo dicitur, possunt dici aliqua* vnius naturæ, *quæ conveniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia. Sed* vnius essentiæ *dici non possunt, nisi quorum est vnum* esse: *& ideò magis exprimitur vnitas divina per hoc quod dicitur, quòd tres personæ sunt* vnius essentiæ, *quàm si diceretur, quòd sint* vnius naturæ. Ergo iuxta Ang. Doctorem hi conceptus distinguuntur virtualiter in Deo.

Secundò: Plura, quæ in creatis non distinguuntur nisi virtualiter ex limitatione, in divinis similiter distinguuntur virtualiter cum fundamento in re: Siquidem conceptus *in* absolutus, & conceptus *ad* relationis in creatis distinguuntur tantùm virtualiter; & tamen in divinis natura, quæ correspondet conceptui *in* absoluto, & relatio etiam virtualiter distinguuntur; Pariter habitus principiorum, & scientia in Angelis adsummùm distinguuntur virtualiter; & in divinis gaudent simili distinctione: Deinde potentia executiva, & intellectus in creatis solùm virtualiter distinguuntur; & similiter in divinis etiam distinguuntur virtualiter: Tandem veritas, & bonitas virtualiter distinguuntur in creatis; & nihilominus in divinis gaudent eadem distinctione: Ruit ergo fundamentum conclusionis.

Tertiò: Proterea conceptus *naturæ* in creatis distinguitur virtualiter à conceptu *essentiæ*, quia probatur à priori ex conceptu essentiæ; sed etiam in divinis ex summa immaterialitate probat D. Thomas à priori summam intellectualitatem radicalem, in qua consistit conceptus *naturæ*: ergo etiam distinguuntur virtualiter in divinis conceptus *naturæ*, & conceptus *essentiæ*.

Ad primum respondetur, D. Thomam ibi accepisse naturam latissimè, inquantùm videlicèt, quæ habent eandem operationem, possunt in aliqua lata acceptione dici, quòd habent eandem naturam, vt liquet in sole, & igne. Sumpta tamen natura in sensu stricto & proprio, gaudet eadem distinctione, seu identitate, ac essentia. At quia vnitas in essentia sumitur per ordinem ad *esse*, propterea D. Thomas ait, quòd vnitas divina melius exprimitur, si dicatur, quòd tres personæ sunt *vnius essentiæ*, quia habent vnum *esse*, quàm si dicatur, quòd sunt *vnius naturæ*, quia per vnitatem in natura non satis exprimitur vnitas rei, vt liquet in exemplis relatis.

Ad secundum respondetur, negando antecedens. Et ad primum exemplum dicendum est, quòd conceptus *in* absolutus, & conceptus *ad* distinguuntur in creatis ex conceptu formali illorum, & ex limitatione; & qua parte distinguuntur ex genere suo, etiam natura divina, & relatio debent distingui virtualitèr; sed qua parte distinguuntur ex limitatione, alitèr concipienda est hæc distinctio in creatis, ac in divinis. Distinguuntur namque illi conceptus ex genere suo: quia alter conceptus est absolutus, & alter relativus; & propterea in divinis etiam distinguuntur virtualiter. Distinguuntur etiam ex limitatione: quia conceptus *in* est actuabilis per conceptum *ad*; in divinis autem essentialitèr includitur natura in relatione: ob quam rationem intra lineam distinctionis virtualis alitèr accipitur in divinis, ac in creatis. Alitèr se habent conceptus *naturæ*, & *essentiæ*: nam in creatis tantùm distinguuntur virtualitèr, quia *esse*, & *operari* distinguuntur realitèr, quæ distinctio solùm oritur ex limitatione; vnde in divinis non distinguuntur adhuc virtualitèr. Quod ex dicendis dub. seq. magis constabit.

Ad secundum exemplum respondetur, quòd si intelligentia, & scientia distinguuntur virtualitèr in Deo: est quia ex suo conceptu formali distinguuntur: vnde non mirum, si in creatis nō alitèr distinguantur. Cum hoc tamen discrimine, quòd in homine ob sui maximam limitationem in intellectualitate distinguuntur realiter; sed in Angelis, quia carent discursu, ex eo quòd carent corpore (in quo analogantur cum Deo) distinguuntur tantùm virtualitèr. ¶ Ad tertium constabit ex dicendis tract. *de Scientia Dei*, vbi examinabitur, in quo consistat potentia executiva in Deo. ¶ Ad quartum tandem respondetur *in primis*, non esse parvam difficultatem circa distinctionem virtualem inter ens, & eius proprietates. Nam ad denegandam huiusmodi distinctionem vrget, quòd ens non minùs transcendit transcendentia rationis per eius proprietates, ac per sua inferiora: vnde si ob hanc causam ens non distinguitur virtualitèr à suis inferioribus, paritèr non debet distingui a suis proprietatibus.

Ad stabiliendam autem distinctionem suadet *primò*, esse proprietates illius, quæ à priori cum fundamento in re demonstrantur per ens. Secundò, quòd proprietates entis, nempe verum, & bonum, specificant diversas potentias tàm in creatis, quàm in divinis. Nihilominus *vltimò* respondetur, quòd si in creatis distinguuntur virtualitèr, etiam in divinis: quia illa distinctio non procedit ex limitatione, sed ex suo conceptu formali. Si verò in divinis non distinguuntur virtualitèr, nec in creatis: quia non minùs ens creatum transcendit transcendentia rationis, quàm ens divinum, per has proprietates comunes entis.

Ad tertium respondetur, conceptum *naturæ* propterea distingui virtualitèr in creatis à conceptu *essentiæ*, quia probatur à priori per illum tàm ex modo concipiendi, quàm ex parte rei conceptæ. At intellectualitas divina solùm ex modo concipiendi probatur à priori per conceptum *immaterialitatis*: Vnde non debet deduci distinctio adæquata inter conceptum *naturæ*, & *essentiæ* in divinis, sed inadæquata & tantùm ex nostro modo imperfecto concipiendi.

Secundæ conclusioni adversantur plures, & gravissimi Theologi tàm antiqui, quàm moderni, Contenson, Illust. Palanco, Mag. Ildephonsus Michaël, qui referunt pro se Capreolum, Caietanum, Alvarez, Ferrara, Cornejo, & plures ex Societate. Pro quibus:

32 Arguitur *primò*: Nam illud est constitutivum metaphysicum Dei, quo primò intelligitur à nobis vt distinctus ab omni *non Deo*; sed ratio *actus puri* in linea entis est id, quo primò Deus distinguitur ab omni *non Deo*: ergo Deus constituitur metaphysicè per rationem *actus puri* in linea entis. Maior potest inductivè ostendi: Nam propterea homo constituitur per rationale, & non per risibile, quia rationale est quo homo primò distinguitur à *non homine*, non risibile. Idemquè apparet in cœteris rebus. Minor verò probatur: Nam ex ratione *actus puri* in linea entis rectè probat D. Thomas tamquam à priori alias perfectiones Dei (ideò enim probat quæst. 4. art. 1. à priori Deum esse perfectissimum, quia maximè est in actu. Ideò etiam probat quæst. 3. art. 2. esse spiritualem, quia nullam habet potentialitatem, & sic de reliquis) sed per *esse ens per essentiam*, seu actum purum in linea entis distinguitur Deus ab omni *non Deo*: ergo est, quo primò distinguitur ab omni *non Deo*.

Respondetur distinguendo maiorem: *Quo primò intelligitur &c.* in gradu perfectissimo, concedo maiorem; alitèr, nego maiorem. Pro cuius intelligentia notandum est cum communi calculo Philosophorum, quòd quatuor sunt gradus entis, nempe, gradus essendi, vivendi, sentiendi, & intelligendi: inter quos gradus intellectivus est perfectissimus, & qui in illo est constitutus (vt Angelus, & homo) est propriè

crea-

creatus ad imaginem Dei, vt docet D. Thom. infrà quæst. 93. art. 2. Ex hoc iam constat solutio: Nam Deus ita distinguitur à creatura per rationem *actus puri* in linea entis, quòd non intelligitur constitutus vltimatè in sua vltima differentia, vsquedum intelligatur constitutus in gradu perfectissimo intellectivo per modum *actus puri*: quia per rationem *actus puri* in linea entis solùm intelligitur constitutus in gradu essendi, qui quò concipitur vniversalior, eò concipitur potentialior: & sic non distinguitur adæquatè ab omni *non Deo* per rationem *actus puri* in linea entis. ¶ Neque ex eo, quòd D. Thomàs probat à priori cæteras perfectiones per rationem *actus puri* in linea entis, sequitur hanc esse differentiam adæquatam. Nam per hanc rationem etiam probat quæst. 3. art. 2. à priori, quòd Deus est substantia immaterialissima; & tamen in sententia contraria Deus etiam constituitur metaphysicè per rationem *substantiæ immaterialissimæ*: Paritèr ergo, licèt probetur à priori conceptus *substantiæ intellectivæ* per rationem *actus puri* in linea entis, non infertur debere constitui vltimatè per hunc conceptum. Et ratio huius tradita est num. præced. quia scilicet ad demonstrationem à priori sufficit, quòd vnus conceptus sit prior alio ex nostro imperfecto modo concipiendi, quo pacto se habent conceptus *essentiæ*, & *naturæ* in Deo, id est, conceptus essendi per rationem actus puri in linea entis, & conceptus intelligendi radicalitèr.

33 Arguitur *secundò*: Essentia divina debet constitui per rationem vniversalissimam entis vt immediatè contractam ad *esse* Dei; sed ratio vniversalissima entis immediatè contrahitur in Deo per rationem *actus puri* in linea entis: ergo per hanc rationem constituitur metaphysicè. Minor patet: Nam differentiæ contractivæ immediatè entis sunt *esse persè*, quod est proprium substantiæ præscindentis à creata, & increata, quæ ob hanc rationem non est immediatè contractiva ad *esse* Dei; vel *esse in alio*, quæ differentia est propria accidentis, & idcirco repugnans Deo: vel *esse à se*, vel *ab alio*, quarum prima non est immediatè contractiva ad *esse* Dei ob rationes tactas num. 25. & secunda repugnat Deo: vel tandem *esse actum purum* in linea entis, seu per essentiam, aut per *participationem*, ex quibus secunda repugnat Deo: vnde differentia immediatè contractiva ad *esse* Dei est ratio *actus puri* in linea entis. Maior verò probatur: Nam quò aliquod individuum est perfectius, tantò proximiùs contrahit rationem entis qua ratione Angelus est perfectior omnibus speciebus creatis; sed Deus est ens perfectissimum: ergo constituitur in se per id, quod immediatè contrahit rationem entis ad suum *esse*.

Ad hoc argumentum, quod prolixè proponit Mag. Palanco à num. 76. respondetur concedendo maiorem, si intelligatur de ratione entis adæquatè contracta; & negando minorem ad hunc sensum, quòd ratio actus puri in linea entis sit ratio immediatè, & adæquatè contractiva entis in Deo. Nam ratio vniversalissima entis non solùm contrahitur immediate in Deo per rationem *actus puri* in *esse* entis; sed etiam per rationem substantiæ spiritualissimæ, & immaterialissimæ, & consequentèr *intellectivæ*: quia inter ens, & hos conceptus nullus alius conceptus mediat. Neque probatio maioris ex terminis est vera: Nam substantia corporea, v. g. corpus cœleste, immediatiùs participat rationem entis, quàm homo, cùm inter ens, & hominem medient sex genera, nempè conceptus substantiæ, corporis, generabilis, mixti, viventis, & animalis; & inter corpus cœleste, & ens solùm mediant duo genera, nempè substantia, & corpus: & tamen homo est perfectior corpore cœlesti. Idemque apparet in accidenti.

Arguitur *tertiò*: Illa est essentia metaphysica Dei, quam significat nomen proprium Dei; sed nomen proprium Dei significat *esse persè* subsistens, quod coincidit cum ratione *actus puri* in linea entis: ergo constituitur per rationem *actus puri* &c. Maior patet ex dictis in nostra assertione. Minor verò probatur: Nomen maximè proprium Dei est *Qui est*; sed hoc nomen nihil aliud significat nisi ipsum *esse* persè subsistens, & existens: ergo.

Ad hoc argumentum respondetur, hoc nomen *Qui est* posse significare *esse* persè subsistens in linea entis, & *esse* persè subsistens in linea intellectiva: Nam etiam in hac linea datur sua existentia, vt infrà dicemus. Cum igitur Deus debeat constitui per significatum perfectissimum & adæquatum huius nominis *Qui est*, quod significatum non est præcisè *esse* persè subsistens in linea entis, sed etiam *esse* persè subsistens, & existens in linea intellectiva, ex hoc argumento potiùs deducitur non debere constitui per rationem *actus puri* in linea entis,

34 Adversus tertiam conclusionem sentiunt Illustris. Godoy referens pro se num. 327. plures Thomistas, Jesuitas, & Scotistas, Ferre in præs. §. 5. Albelda dist. 36. conc. 2. Mag. Ildephonsus Michaël, qui Authoris proximè citati meritò notat inconsequentiam, quia nullam distinctionem reconoscens inter Deum, & intellectionem, illam admittit inter Deum, & existentiam. Quorum fundamenta sunt hæc.

Primum: Nam D. Thomas quæst. 10. *de Verit.* art. 12. ad 9. expressè asserit, quòd in Deo distinguuntur ratione *quod est*, & *esse*. Et in præs. quæst. 14. art. 4. ait, quòd *esse* in Deo consequitur formam, sicut *intelligere* speciem intelligibilem; sed *intelligere* non est idem, absque distinctione virtuali, cum specie in Divinis: ergo nec *esse* est taliter

idem

idem cum essentia. Et in 2. dist. 22. quæst. 1. art. 3. ad 4. docet, quòd ratio *bonitas*, & *sapientię* differunt virtualitèr in Deo, quia hæc prædicantur analogicè de Deo, & creaturis, in quibus distinguuntur realitèr; sed essentia & existentia se habent hoc modo: ergo distinguuntur virtualitèr. ¶ Tandem 3. part. quæst. 17. art. 2. asserit in Christo esse duas naturas, non verò duas existentias, quia humanitas existit existentia divina. Ergo communicatur formaliter existentia divina; aliàs non potest communicari humanitati sub ratione *essentiæ*: ergo distinguuntur virtualitèr.

Hoc autem fundamentum ex his testimonijs conflatum levissimum est, vt vidit Ferre. Nam ad primum respondetur, quòd D. Thomas non loquitur ibi de distinctione rationis cum fundamento in re, sed tantùm ex modo imperfecto concipiendi. ¶ Ad secundum similitèr, quòd ibi non loquitur de consecutione existentiæ, & intellectionis cum fundamento in re, sed tantùm ex nostro modo concipiendi. Quod non obscurè colligitur ex his, quæ proximè addit: *Et sic patet ex omnibus prœmissis, quòd in Deo intellectus, & id, quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum* intelligere *sunt omninò vnum, & idem.* ¶ Ad tertium dicendum est, quòd ratio *bonitatis*, & *sapientiæ* in Deo distinguuntur quidem virtualitèr; sed hoc quia in creaturis distinguuntur non solùm ex limitatione, sed etiam ex suo conceptu formali, eò quòd pertinent ad diversas lineas At essentia, & existentia solùm distinguuntur ex limitatione, quia pertinent ad eandem lineam adæquatam substantiæ, & existentia est vltimus actus. Et certè si illa convenientia analoga concluderet, probaret etiam personalitatem, & relationem in Deo distingui virtualitèr, quia nimirùm sunt prædicata analoga ad Deum, & creaturas, Quod tamen non concedent Adversarij. ¶ Denique ad quartum testimonium respondetur retorquendo illud in arguentem: Nam ipse concedit, quod essentia est idem virtualitèr cum specie; & tamen secundùm expressionem *speciei* communicatur intellectui creato, & non secundùm conceptum *naturæ*, seu essentiæ. Etiam concedit, relationem divinam posse communicari lapidi sub ratione *subsistentiæ*, & non sub ratione *personalitatis*; & nihilominus non distinguuntur virtualitèr.

Propterea, his fundamentis omissis, arguit Ferre ex D. Thoma infrà quæst. 13. art. 11. ad 1. vbi ait: *Sed quantùm ad id, ad quod imponitur nomen ad significandum, est magis proprium hoc nomen* Deus *quàm hoc nomen* Qui est, *quia imponitur ad significandum naturam divinam.* Si ergo hæc ratio est efficax, hoc nomen *Qui est* significant existentiam, & non significat naturam. ¶ Deinde arguit: Nam in Deo debemus ponere essentiam, & existentiam: ergo debent distingui virtualitèr. Consequentia probatur: Tum, quia non possumus concipere veram essentiam, & veram existentiam, nisi intelligamus essentitm esse actum primum, & existentiam actum vltimum; sed actus primus, & actus vltimus distinguuntur virtualitèr: ergo si concipimus veram essentiam, & veram existentiam, debent distingui virtualitèr. Tum etiam: Nam si ponimus in Deo verum conceptum *essentiæ*, & *existentię*, etiam ponere debemus verum conceptum *sustantiæ*, qui mediet inter vnum & alium: ergo conceptus *essentię* non vnitur immediate conceptui *existentię*: ergo distinguuntur virtualitèr.

Tandem arguit: Ideò existentiæ non distingueretur virtualitèr ab essentia, quia hæc est actus purus; sed hæc ratio est nulla: ergo. Probatur minor: Nam etiam voluntas est actus purus; & tamen non identificat virtualitèr existentiam: ergo estò essentia sit actus purus, non debet esse idem virtualitèr cum existentia.

Zamorensis arguit: Voluntas distinguitur virtualitèr à volitione: ergo etiam essentia ab existentia. Probatur consequentia: Non est ratio, cur in voluntate inveniamus fundamentum ad actum primum, & secundum, & non in essentia; sed essentia est actus primus, & existentia actus secundus: ergo etiam debent distingui virtualitèr.

Sed hæc etiam levia sunt. Ad primum enim ex D. Thoma satis constat ex dictis num. 30. vbi vidimus ex Angelico Mag. hoc nomen *Qui est* esse maximè proprium Dei, quia significat *esse*, in quo consistit eius essentia. Nec in testimonio relato negat, prædictum nomen significare essentiam divinam; aliàs sibi esset contrarius. Dicit tamen, quòd hoc nomen *Deus* est magis proprium Dei ex parte rei significatæ, sed hoc nomen *Qui est* ex modo significandi, quia nomen *Deus* propriè est impositum ad significandam naturam divinam; sed nomen *Qui est* potiùs imponitur ad explicandam illam, quàm ad significandam, quia continet definitionem Dei. Sicut hoc nomen *Homo* est magis proprium, quàm *animal rationale*, quia, nimirum imponitur præcisè ad significandam natura hominis, non ad explicandam; è contra verò *animal rationale* imponitur ad illam explicandam, quod est præter rationem nominis.

Ad secundum fundamentum, quo arguit Ferre: Respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem dicimus, quòd ita concipimus cum fundamento in re veram essentiam, & existentiam, quòd tamen in ipsa existentia concipimus ipsam essentiam. Undè non concipimus essentiam per modum actus primi, & existentiam per modum actus secundi: hoc enim est contra sublimem ideam, quam de Deo efformà-

mare debemus; cùm eius eſſentiam concipere debeamus per modum actus puriſsimi, de cuius ratione eſt, quòd ſit actus ſecundus abſque aliqua diſtinctione. Per quod patet ad ſecundam: Nam ita ponimus in Deo conceptum *eſſentiæ*, *ſubſiſtentiæ*, & *exiſtentiæ*, quòd Deus ſit ipſum *eſſe* perſè ſubſiſtens. Et ſic idem formaliſsimè conceptus ex parte rei conceptæ eſt, conceptus *eſſentiæ*, *ſubſiſtentiæ*, & *exiſtentiæ*; licèt ex imperfecto modo concipiendi dividamus illum in tres, cum prioritate, & poſterioritate aſsignata in argumento: quod quidem non ſufficit ad veram diſtinctionem virtualem; ſicut in ſententia arguentis priùs intelligitur ex modo concipiendi in Patre conceptus *ſubſiſtentiæ*, quàm conceptus *relationis*, quin hi conceptus diſtinguantur virtualitèr.

Ad vltimum reſpondetur, eſſe notam diſparitatem inter eſſentiam, & voluntatem: Nam eſſentiæ competit perſè, & ratione ſui exiſtere, & quaſi ex propria linea: quare vel debet identificare abſque diſtinctione virtuali exiſtentiam, vel non eſt actus purus; cùm non identificet vltimam actualitatem propriæ lineæ. Cæterùm voluntas, ſicut & cætera attributa, non habet propriam exiſtentiam, ſed exiſtit per exiſtentiam eſſentiæ, ſeu per exiſtentiam alterius lineæ. Undè non mirum, quòd ſit actus purus intra propriam lineam, quin identificetur abſque diſtinctione virtuali cum exiſtentia. Ut ergo paritas teneret, oportebat, quòd voluntas haberet propriam exiſtentiam, vt contingit in creatis, & quòd ab illa diſtingueretur virtualiter. Fundamentum Zamorenſis continet ſpecialem difficultatem tract. *de Voluntate Dei* excitandam, & in præſ. ſupponendam.

DUBIUM III.

Nùm intelligere *radicale ſit vltimatum Conſtitutivum Naturæ Divinæ; vel potiùs* intelligere *actuale*?

DEterminatè procedit hoc dubium de *intelligere* actuali, & non de intellectu, qui concipitur principium proximum intellectionis, quia in noſtra ſententia idem formaliſsimè ſunt abſque diſtinctione virtuali intellectus, & *intelligere*, vt in tract. *de Voluntate Dei* ſtabiliemus. Nomine autem *intellectionis* ſolùm intelligimus intellectionem primordialem, prout diſtinctam à ſcientifica, & alijs, quæ in Deo virtualitèr ab illa diſtinguuntur, & per quam procedit Verbum divinum. Quo ſuppoſito:



§. I.

Concluſio præcipua, & eius primum fundamentum.

35 DIcendum eſt *primò*, intellectualitatem radicalem non diſtingui virtualitèr cum fundamento in re ab intellectione, ac proindè *intelligere* actuale non eſſe extra conſtitutivum metaphyſicum naturæ divinæ. Hanc concluſionem tenent Albelda quæſt. 14. diſp. 16. Nazar. ibidem art. 5. conc. 2. Mag. à Sancto Thoma diſp. 16. art. 2. conc. 2. Gonet. diſp. 2. §. 5. Lezana diſp. 2. dub. 1. §. 5. N. Salmant. tract. 3. diſp. 4. dub. 2. vbi referunt Ferraram, Aureolum, Suarium, Hericè, & alios, quibus adhæret N. Cornejo quæſt. 14. art. 4. Licèt non parùm ſibi adverſetur, dum ex vna parte ait, conceptum *naturæ* conſtitui per *intelligere* actuale; & ex alia docet, *intelligere* diſtingui virtualitèr cum fundamento in re ab intellectu, & intellectualitate radicali. Videatur fol. 26. col. 2. & ibi in ſolutione ad 2. argum.

Huic etiam noſtræ ſententiæ non parùm ſuffragatur D. Thomas, qui in hac 1. part. quæſt. 14. art. 4. in corp. ait: *Et ſic patet ex omnibus præmiſsis, quòd in Deo intellectus, intelligens, & id quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis, & ipſum* intelligere *ſunt omninò* (perpende verba) *vnum & idem. Vnde patet, per hoc quòd Deus dicitur* intelligens, *nulla multiplicitas ponitur in eius ſubſtantia*; ſed quæ ſunt omninò idem, nullamque admittunt multiplicitatem, nequeunt diſtingui adhuc virtualitèr cum fundamento in re: ergo iuxta D. Thomam *intelligere* actuale non diſtinguitur virtualitèr ab *intelligere* radicali.

36 Probatur ratione, per quam explanantur præfata verba D. Thom. Nam ratio *ſpeciei*, & ratio *verbi* non diſtinguuntur virtualitèr cum fundamento in re ab eſſentia divina: ergo nec intellectio debet diſtingui virtualitèr ab illis. Antecedens quoad rationem *ſpeciei*, præterquàm quòd admittitur à pluribus Adverſarijs, probatur: Nam conceptus *naturæ* non diſtinguitur virtualitèr ab eſſentia divina, vt tenent omnes Adverſarij, contra quos nunc agimus: ergo neque conceptus *ſpeciei*. Conſequentia probatur: Tum, quia eſſentia divina, vt habet rationem *ſpeciei*, nihil addit ſupra ſeipſam niſi reſpectum ad ſpeciale connotatum, ſcilicèt intellectum, ſicut conceptus *naturæ*; ſed additio huius connotati non ſufficit ad diſtiguendum conceptum *naturæ* à conceptu *eſſentiæ*: ergo nec ſufficit ad diſtinguendum conceptum *ſpeciei* ab eſſentia ſumpta ſecundùm ſe. Tum etiam: nam propterea conceptus *naturæ* non diſtinguitur virtualitèr à conceptu *eſſentiæ* in ſen-

ten-

tentia horum Authorum, quia aliàs conceptus *naturæ* esset primum attributum, & non intellectus; sed hæc ratio æquè militat de conceptu *speciei*, vt ex se liquet: ergo sicut conceptus *naturę* non distinguitur virtualitèr ab essentia, ita nec conceptus *speciei*.

Deindè probatur idem antecedens quoad conceptum *verbi*: Tum, quia essentia divina in ratione *verbi* non addit nisi quoddam conotatum speciale, nempè intellectionem, quam terminat: ergo si ob hanc rationem conceptus *naturæ*, & conceptus *speciei* non distinguuntur virtualitèr ab essentia, nec ratio *verbi*. Antecedens videtur certum: Tum quia ad terminandam intellectionem natura divina non indiget aliquo attributo. Tum etiam: nam essentia divina est actus purus in linea intelligibili: ergo debet identificare vsque ad vltimam actualitatem lineæ intelligibilis; sed vltima actualitas in linea intelligibili est ratio *verbi*: ergo ratio *verbi* non distinguitur virtualiter ab essentia divina.

Tandem consequentia primi enthimematis probatur: Tum, quia intellectio mediat inter rationem *speciei*, & rationem *verbi*; sed ratio *speciei*, & ratio *verbi* non distinguuntur virtualitèr: ergo neque intellectio debet distingui virtualitèr ab illis, & consequentèr nec ab essentia divina. Tum etiam: nam essentia divina non minùs immaterialis est & actus purus in linea intellectiva activa, quàm in linea intelligibilitatis passivæ; sed quia est actus purus in linea intelligibilitatis passivæ, identificat absque distinctione virtuali vsque ad vltimam actualitatem, quæ est ratio *verbi*: ergo etiam debet identificare virtualitèr vsque ad vltimam actualitatem intellectualitatis activæ: Hæc autem est intellectio: ergo intellectio divina non distinguitur virtualitèr ab essentia divina.

37 Respondebis cum Godoy in hac 1. part. disp. 24. num. 168. negando antecedens. Sentit enim conceptus *speciei*, & *verbi* distingui virtualitèr à natura divina: eò quòd explicant rationem *obiecti* vel motivi, vel terminativi, quæ ratio dicit pro expresso rationem *veri*, quod est vna ex proprietatibus entis, ac proinde virtualitèr distincta ab essentia divina.

Sed hæc solutio & doctrina multiplicitèr refellitur. *Primò*: nam essentia divina in ratione *obiecti* motivi, & terminativi non magis debet distingui à seipsa secundùm se, quàm ens mobile, prout est obiectum terminativum Philosophiæ, à seipso secundùm se; sed ens mobile, prout est obiectum Philosophiæ, seu in ratione *obiecti* terminativi illius, non distinguitur virtualitèr à seipso secundùm se: ergo nec essentia divina in ratione *obiecti* motivi, & terminativi distinguitur virtualitèr à seipsa secundùm se. Maior est innegabilis. Minor verò ad hominem probatur; Nam ens mobile sub ratione *mobilitatis radicalis*, quo pacto explicat conceptum *naturæ*, est obiectum terminativum Philosophiæ, sed conceptus *naturæ* non distinguitur virtualitèr à conceptu *essentiæ* adhuc in creatis in sententia huius Authoris, vt probat disp. 4. à num. 16. ergo ens mobile in ratione *obiecti* terminativi Philosophiæ non distinguitur virtualitèr à seipso secundùm se.

Secundò: Natura divina constituitur in ratione obiecti terminativi per *intelligi*; sed *intelligi* non distinguitur virtualitèr à natura divina: ergo non distinguitur virtualitèr à seipsa in ratione *obiecti* terminativi, ac proinde nec in ratione *obiecti* motivi. Minor probatur: Nam propterea in sententia huius Autoris, & omnium Thomistarum processio Verbi est generatio tàm in *esse* intelligibili, quàm in *esse* naturali, quia communicatur formalitèr natura divina in vtroque ordine; sed si *intelligi* distingueretur virtualitèr à natura divina, non communicaretur formalitèr, & persè primò natura divina in *esse* naturali: ergo non distinguitur virtualitèr ab ea. Minor probatur: Nam terminus formalissimus intellectionis est *intelligi*, estquè omnino indivisibilis: ergo si *intelligi* distinguitur virtualitèr à natura divina, non communicaretur persè primò formalitèr in *esse* naturali.

Tertiò: Ideò rationes *speciei*, & *verbi* essent virtualitèr distinctæ à natura divina, quia constituuntur per rationem *veri*; sed hæc ratio est nulla: ergo &c. Minor probatur: Quia ratio *subqua*, quæ in nostro casu est ratio *veri*, non est quæ constituit speciem, & verbum in *esse* talium: ergo ex eo quòd ratio *veri* distingueretur virtualitèr à natura divina, non sequitur eadem distinctio inter eam, & rationes *speciei*, & *verbi*. Antecedens probatur: Nam ratio *speciei*, & *verbi* consistunt in essentia obiecti prout in *esse* intelligibili; sed ratio *veri* est quid consecutum ad essentiam tàm in *esse* entitativo, quàm in *esse* intelligibili; vt liquet in specie sensibili, quæ, eadem manente in *esse* repræsentativo, sub diversa ratione est in potentia visiva, in sensu communi, & alijs potentijs internis: ergo ratio *veri* non constituit speciem, & verbum in *esse* talium. *Vlteriùs*: Quia non est adeo certum, quòd ratio *veri* distinguatur virtualitèr ab essentia divina, maximè in sententia huius Authoris, & plurium aliorum, qui ex vna parte docent, quòd intellectus est primum attributum Dei; & ex alia, quòd quælibet ratio virtualitèr distincta ab essentia est speciale attributum: quæ vtiquè implicatoria sunt, si semel ratio *veri* distinguitur ab essentia; cùm sit prior intellectu, vt ex se liquet. Pro quo etiam videnda sunt, quæ diximus num. 31. de proprietatibus entis.

38 Respondebis *secundò*, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Quia intellectio non est purum medium inter rationem

spe-

speciei, & rationem *verbi*, sed se habet per modum operationis vitalis, quæ, quantum est ex se, supponit rationem *speciei*, & rationem *verbi* ad eum modum quo visio beatifica supponit essentiam divinam tàm in ratione *speciei*, quàm in ratione *verbi*: & intellectus angelicus supponit essentiam Angeli per modum *speciei*. At sicut respectu intellectus creati non potest essentia divina hæc munia exercere, nisi posito connotato luminis gloriæ, & visionis, nec natura angelica rationem *speciei*, nisi intellecto iam intellectu, ita contingit in divinis.

Sed hæc evasio, licèt videatur maiorem allusionem habere, non evacuat vires prædicti fundamenti: Tum, quia intellectio divina potiùs habet rationem *vnionis actualissimæ* intellectus cum obiecto, quàm rationem *operationis*; sed intellectus non vnitur cum obiecto in actu secundo, nisi vt actuatus cum specie, & prout obiectum dicit *intelligi*: ergo est purum medium inter speciem, & verbum. Maior probatur ex D. Thoma infrà quæst. 41. art. 4. ad 3. vbi ait: *Vnde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantùm, prout diversi nodè significatur in Deo intellectus, & intelligere; cùm tamen ipsum* intelligere *Dei sit eius essentia non habens principium.* Sed de hoc fusiùs in tract. *de Voluntate Dei.* Tum etiam: Nam vt docet D. Thomas 4. Contr. gent. cap. 11. loquens de Angelis: *Nondum ad vltimam perfectionem vita eorum pertingit: quia licèt intentio intellecta sit eis omnino intrinseca; non tamen ipsa eius intentio intellecta est eorum substantia: quia non est in eis idem intelligere, & esse.* Ex qua ratione, si est efficax, evidenter dehiscit prædicta evasio. Nam propterea substantia Angeli non habet rationem *verbi*, quia eius intellectio distinguitur realiter ab essentia; sed nisi intellectio præiret rationem *verbi*, non probaret efficaciter, rationem *verbi* esse distinctam à sua substantia; nam quod precedit intellectionem, benè potest identificari cum essentia, quin id, quod subsequitur, identificetur, vt liquet in conceptu *speciei* in Angelo: ergo si ratio *verbi* in Deo non distinguitur virtualiter ab essentia; nec intellectio debet ab ea distingui.

Nec illa duo exempla convincunt. Nam essentia divina per modum *speciei*, & *verbi* non respicit intellectum creatum, vt terminabile primarium: ideòque non est mirum, quòd essentia divina, quantum est ex se, præsupponatur sub vtroque conceptu ad visionem beatificam: sicut ob eandem rationem scientia divina illam sub vtroque munere supponit, & distinguitur ab ea. At intellectio divina primordialis respicit rationem *verbi*, vt suum terminativum connaturalissimum & primarium: & ob hanc causam priùs intelligitur conceptus *intellectionis*, quàm conceptus *verbi*, sicut in qualibet intellectione creata contingit: Quocircà si conceptus *verbi* identificatur virtualiter, etiam conceptus *intellectionis*. ¶ Circa secundum exemplum sufficiat nunc dicere, quòd in Angelo propterea est prior tàm in actu signato, quàm in actu exercito conceptus *speciei*, quia intellectus dimanat à substantia, tàm vt est intellectiva, quàm vt intelligibilis: In qua suppositione etiam dicendum est, quòd priùs intelligitur natura divina sub munere *speciei*, quàm *intellectus*. Sed ratio *verbi* in Angelo oppositum persuadet circa conceptum *verbi* in Deo: quare, si iste non distinguitur à natura divina virtualiter, nec conceptus *intellectionis*.

§. II.

Secundum Fundamentum.

39 SEcundò probatur ratione: Nam intellectus divinus non distinguitur virtualiter ab essentia Dei: ergo nec *intelligere* primordiale, ac proinde pertinet ad constitutionem naturæ divinæ. Consequentia constabit ex dicendis in tract. *de Voluntate Dei*, & in præs. supponendis. Antecedens verò probatur: Intellectus divinus debet identificari absque distinctione virtuali cum eius obiecto primario & connaturalissimo; sed obiectum primarium & connaturalissimum intellectus divini est essentia divina: ergo intellectus divinus non distinguitur virtualiter ab essentia Dei. Maior probatur: Nam intellectus divinus debet convenire in eodem gradu immaterialitatis cum suo obiecto primario & connaturalissimo; sed hoc stare non potest, si non identificatur absque distinctione virtuali cum eius obiecto primario, quod est essentia divina: ergo sic debet identificari cum eius obiecto primario connaturalissimo. Maior communiter admittitur ab Adversarijs: Et meritò, quia fundatur in D. Thoma infrà quæst. 14. art. 1. in corp. vbi sic concludit: *Vnde cùm Deus sit in summo immaterialitatis, sequitur quòd ipse sit in summo cognitionis.* Minor verò probatur: Immaterialitas essentiæ divinæ consistit in eo, quòd sit suum *esse* absque distinctione virtuali, vt non obscurè colligitur ex D. Thoma infrà quæst 12. art. 2. & nos probavimus num. 30. ergo, vt intellectus divinus conveniat cum ea in hoc summo immaterialitatis gradu, debet etiam sic identificari cum *esse* Dei. ¶ Quam rationem desumpsimus ex D. Thoma quæst. 14. suprà citata art. 5. vbi ait: *Sicut enim* esse *consequitur formam; ita* intelligere *sequitur speciem intelligibilem: In Deo autem non est forma, quæ sit aliud, quàm suum* esse: *vnde cùm ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ex necessitate sequitur, quòd ipsum eius* intelligere *sit eius essentia, &*

eius esse. Ex quibus liquidò constat, eandem identificationem debere interveniri inter essentiam & *intelligere*, ac inter eam & existentiam.

40 Respondebis *primò* cum Godoy, Ferre, & alijs, negando, naturam divinam esse identificatam cum sua existentia absque distinctione virtuali: Et sic corruit totum fundamentum. ¶ Respondebis *secundò* cum Palanco, ad omnimodam convenientiam intellectus cum natura divina sufficere, quòd intellectus sit suum *esse* realiter: vt liquet in scientia divina, quæ omnino convenit in eodem gradu immaterialitatis cum essentia divina, quæ est eius obiectum primarium connaturalissimum; & tamen non est suum *esse* absque distinctione virtuali. Maximè quia, vt daretur debita proportio inter intellectum, & essentiam divinam, sufficeret, quòd sicut essentia identificat absque distinctione virtuali suum *esse*; etiam intellectus suum *intelligere*.

Neutra ex his evasionibus satisfacit. Non prima, propter dicta num 30. & 34. Nec secunda: Nam propterea divina scientia distinguitur virtualiter à suo obiecto primario, quod est essentia divina, quia non habet omninò per sè primò esse obiectum primarium illius; cùm supponat intellectum, cuius immediatiùs & connaturaliùs est obiectum primarium: ergo licèt ad scientiam divinam sufficiat illa immaterialitas, quæ affert secum identificationem realem cum *esse*; ad immaterialitatem verò intellectus requiritur identificatio absque distinctione virtuali cum *esse*. Patet consequentia: maior enim immaterialitas, & connaturalitas inter potentiam, & obiectum maiorem identificationem exposcit. ¶ Tertia fundatur in sinistra intelligentia nostræ rationis. Quæ proinde sic vlteriùs instauratur: Nam natura divina intellectiva in ratione intellectivæ debet esse æquè immaterialis ac ipsa natura in ratione intelligibilis; sed quia natura divina est in summo immaterialitatis gradu in ratione intelligibilis, identificat suum *esse*, rationem speciei, & rationem verbi absque distinctione virtuali: ergo quia est in summo immaterialitatis gradu in ratione intellectivæ, debet identificare absque distinctione virtuali suum *esse*, intellectum, & intellectionem. Patet consequentia: Nam non est ratio, cur summa immaterialitas in linea intelligibili passiva pertingat absque distinctione virtuali à prima radice intelligibilitatis vsque ad vltimum actum illius, qui est *intelligi*; & non pertingat absque distinctione virtuali in linea activa à prima radice vsque ad vltimam actualitatem talis lineæ, quæ est intellectio.

41 Sed objicies contra hoc: Natura angelica est eiusdem immaterialitatis tàm formalis, quàm materialis in ratione intelligibilis, & in ratione intellectivæ, cùm oriantur ab eadem radice, nempè, ab entitate naturæ angelicæ; & tamen in ratione intellectivæ permittit maiorem distinctionem inter radicem, & actum primum proximum, quàm in *esse* intelligibili: ergo similiter, estò natura divina sit æquè immaterialis tàm in *esse* intelligibili, quam in *esse* intellectivo, non sequitur, quòd si in *esse* intelligibili identificat sine distinctione virtuali à prima radice, vsque ad vltimam actualitatem, etiam debeat sic identificare vltimam actualitatem lineæ intellectivæ. Consequentia patet à paritate: Nam idem dicendum est de natura divina in actu secundo in vtraque linea, quod dicitur de natura angelica in actu primo, vt sic salvetur omnimoda proportio. Minor etiam constat: quia natura angelica est absque aliquo superaddito species intelligibilis, seu actus primus in linea intelligibili: cùm non sit suus intellectus, seu actus primus proximus in linea intellectiva. ¶ *Adde*: Nam intellectus Gabrielis respicit vt obiectum connaturalissimum substantiam Michaëlis; & tamen maior convenientia, saltem materialis, est inter substantiam Michaëlis, & eius intellectum, quàm inter eandem substantiam, & intellectum Gabrielis: ergo ad convenientiam persè exactam ab intellectu divino, & connaturalitatem sui obiecti non requiritur omnimoda adæquatio.

Ad obiectionem respondetur, quòd hoc *quòd natura angelica sit per seipsam absque aliquo addito species intelligibilis, seu actus primus in linea intelligibili passiva, & non suus intellectus, seu actus primus in linea activa* oritur ex diverso capite. Nam *esse intelligibilem in actu, seu actum primum in linea intelligibi* oritur ex eo, quòd Angelus est medius inter hominem, & Deum; & qua parte non pertingit ad immaterialitatem Dei, non est vltimus actus in linea intelligibili; & qua parte excedit immaterialitatem hominis non est in potentia pura, sed est actus primus in linea intelligibili, vt docet D. Thomas infrà quæst. 56. art. 1. At *non esse suum intellectum* oritur ex eo, quòd substantia debet specificari ab *esse*, & intellectus ab intellectione, quod est generale cuilibet substantiæ, & potentiæ creatæ; & cùm *esse*, & *operari* distinguantur realiter, inde oritur, quòd natura angelica nequit esse suus intellectus. Quod expressè tradit Ang. Doctor infrà quæst. 54. art. 3. Deus autem, cum sit æquè actus purus in vtraque linea, non est cur absque distinctione virtuali sit vltimus actus in linea intelligibili, & non in linea intellectiva.

Ad additamentum respondetur, potiùs confirmare, quæ suprà diximus. Nam si natura Michaëlis, non obstante quòd sit obiectum connaturale sui intellectus & intellectus Gabrielis, magis proportionatur in immaterialitate materialiter sumpta cum proprio intellectu, quàm cum intellectu Gabrielis, ob quam rationem

in-

intellectus Michaëlis excedit intellectum Gabrielis in immaterialitate materialiter sumpta propter maiorem connaturalitatem inter obiectum, & intellectum; cur, non obstante conuenientia in immaterialitate inter intellectum diuinum, & eius scientiam cum obiecto, non poterit intellectus diuinus habere maiorem immaterialitatem intra eundem gradum immaterialitatis diuinæ; itaut intellectus sit suum *esse* absque distinctione virtuali; & scientia sit suum *esse* realiter, sed cum distinctione virtuali?

§. III.

Tertium Fundamentum.

42 PRo cuius intelligentia, nota, intellectionem esse existentiam totius lineæ intelligibilis, vt perpetuò tradunt N. Salmant. præcipuè tract. 4. disp. 1. à num. 21. Et ratio est duplex. Prima: Nam forma intelligibilis pertinet ad duplicem lineam adæquatè diversam, nempè intelligibilem, & entitativam: ex quo provenit, quòd in linea entis sit accidens, & in linea intelligibili sit substantia, quando repræsentat substantiam: ergo diversa existentia debet correspondere ei, vt est substantia, ac vt est accidens; & per consequens si in *esse* entis existit per existentiam entitativam, in *esse* intelligibili debet existere per intellectionem, quæ est vltimus actus in linea intelligibili. ¶ Secunda est: quia sicut ex materia, forma, & sua existentia naturali fit vnum ens persè; ita ex intellectu, specie, & intellectione fit vnum ens persè: immò Comment. 3. *de Anim.* docet ex intellectu, & re intellecta fieri magis vnum, quàm ex materia, & forma. Quod etiam approbat D. Thomàs infrà quæst. 55. art. 1. ad 2. Quid indè? quòd sicut materia est pura potentia, forma actus primus, & existentia actus vltimus; ita intellectus est pura potentia, species actus primus, & intellectio actus vltimus, seu existentia totius lineæ intelligibilis.

Ex his ergo probatur *tertiò* nostra conclusio: Nam intellectio Dei habet rationem existentiæ intelligibilis, per quam existit in linea intelligibili essentia diuina per modum speciei; sed existentia intelligibilis non distinguitur virtualiter ab existentia entitativa: ergo nec intellectio debet distingui virtualiter à natura diuina. Consequentia est legitima: quia existentia naturalis non distinguitur virtualiter à natura, vt vidimus suprà num. 26. Maior constat ex prænotatis. Et minor probatur: Nam si distinguerentur virtualiter, essentia diuina, vt pertinens ad lineam entitativam, & intelligibilem esset formalissimè vnum ens peraccidens; sed hoc non potest dici de ea: ergo non distinguitur virtualiter ab existentia naturali. Minor constat: Nam propterea Thomistæ, & præsertim N. Salm. tract. 6. disp. 7. dub. vnic. cum D. Thoma *pluribus in locis* docent, relationes non habere proprias existentias distinctas virtualiter ab existentia essentiæ, quia resultaret formalissimè vnum ens peraccidens, licèt essent vnum identice. Maior verò probatur: Nam ex pluribus existentijs virtualiter distinctis nequit resultare formalissimè vnum ens persè, sicut ex pluribus existentijs realiter distinctis nequit resultare vnum ens persè realiter: ergo si existentia intelligibilis, & naturalis in Deo distinguerentur virtualiter, non resultaret vnum ens persè formalissimè, sed tantùm peraccidens.

43 Per quod præclusus manet recursus ad existentias partiales. Tum quia, hoc non obstanti, adhuc Thomistæ non admittunt (propter rationem præfatam) existentias proprias in relationibus, nec materiæ primæ concedunt existentiam propriam partialem. Tum etiam: nam estò hoc posset concedi in composito substantiali, seu in existentijs relationum; non verò potest habere locum in existentia intelligibili. Quod sic ostenditur, & simul instauratur prædicta ratio: Nam non est ratio, cur essentia diuina identificet absque distinctione virtuali suum *esse* in linea naturali, & species diuina non identificet eodem modo suum *esse*, seu *intelligere* (quod est idem) in linea intelligibili; cùm non minùs infinita, & actus purus sit essentia diuina in ratione *speciei*, ac in linea entis, si ergo ob hanc rationem essentia diuina est suum *esse* in linea entis, etiam debet esse suum *intelligere*; sed repugnat essentiam diuinam sic identificari cum ratione *speciei*, & quòd *esse* entitativum, & *esse* intelligibile non similiter identificentur inter se: ergo. Minor subsumpta probatur: Tùm, quia si species identificatur absque distinctione virtuali cum essentia, similiter debet identificari cum existentia naturali; sed aliundè species est identificata absque distinctione virtuali cum intellectione: ergo intellectio debet similiter identificari cum existentia naturali. Tum etiam: nam non magis debent distingui inter se termini persè primò inspecti, ac ipsa respectiva: ergo repugnat, quòd essentia, & species respicientes persè primò *esse* naturale, & *esse* intelligibile sint idem absque distinctione virtuali, & quòd *esse* intelligibile, & naturale distinguantur virtualiter.

44 Per quod præoccupata manet alia evasio, quæ non reputat inconveniens concedere in Deo vnitatem peraccidens, dummodo sit vnitas persè identicè. Nam si hoc non esset inconveniens, posset concedi in Deo vnitas peraccidens resultans ex existentia absoluta, & relativa virtualiter distinctis, quæ simul esset vnitas persè identicè; sed hanc non con-

cedunt Adversarij, cum quibus nunc agimus: ergo neque admittenda est vnitas peraccidens formalissimè talis resultans ex existentia naturali, & intelligibili. *Maximè*: Quia vnitas, quæ ex suo conceptu formali dicit imperfectionem, releganda est à Deo; sed talis est vnitas, quam permittit hæc evasio: ergo non debet in Deo concedi. Minor probatur: Nam huiusmodi vnitas est formalissimè loquendo vnitas secundùm quid; sed vnitas formalissimè secundùm quid, licèt indenticè sit vnitas simpliciter, dicit ex suo conceptu formali imperfectionem (sicut bonitas ex suo conceptu formali secundùm quid illam dicit, estò esset bonitas simpliciter identicè,& propterea relegatur à Deo) ergo vnitas, quam adstruit in Deo hæc evasio, dicit ex suo conceptu formali imperfectionem.

Sed dices:Si intellectio est existentia,etiam hoc habebit intellectio scientifica: ergo iam in Deo resultabit formalissimè vnum ens peraccidens ex hac existentia intelligibili, & naturali.

Respondetur, quòd vbi non est nisi vnica species, non est ponenda nisi vnica existentia intelligibilis. Ac proinde nec essentia divina existit intelligibiliter per intellectionem scientificam, nec ipsa scientia est sua existentia intelligibilis, sed existit intelligibiliter per intellectionem primordialem in ea inclusam; sicut etiam existit per existentiam naturæ divinæ in *esse* naturali iuxta sententiam Adversariorum.

§. IV.

Vltimum Fundamentum.

45 VLtimò probatur nostra conclusio: Nam constitutivum naturæ divinæ debet pertinere ad gradum intelligendi; sed hoc ipso debet constitui per *intelligere* actuale, & persè subsistens: ergo natura divina constituitur per *intelligere* actuale. Maior est certa:Nam constitutivum naturæ divinæ debet collocari non solùm in summo gradu entis, sed etiam in supremo gradu vitæ, qui est gradus intelligendi. Minor verò probatur: Nam hoc ipso quòd eius constitutivum pertineat ad supremum gradum vitæ intellectivæ, debet constitui per vitam intellectualem perfectissimam; sed vita intellectualis perfectissima consistit in *intelligere* actuali: ergo si constitutivum naturæ divinæ pertinet ad gradum intelligendi, debet constitui per *intelligere* actuale. Minor probatur: Quia vita in actu secundo est perfectior vita in actu primo, seu in potentia; sed vita intellectualis radicalis est vita tantùm in actu primo seu in potentia, & intellectio est vita in actu secundo, vt docet Arist. *de Anim.* text. 10. vbi Doctor Ang. lect. 2. exponens vltima verba dennitionis animæ, nempè *potentia vitam habentis*, sic ait: *Dicitur autem aliquid esse in potentia dupliciter: vno modo, cùm non habet principium operationis: alio modo,cùm habet quidem, sed non operatur secundùm ipsum. Corpus autem, cuius actus est anima, est habens vitam in potentia, non primo modo, sed secundo.* Et 1. part. quæst. 76. art. 4. ad 1. dicit: *Anima est potentia vitam habens; sed actus primus dicitur respectu actus secundi, quod est operatio.* In quibus clarè docet, vitam radicalem esse in potentia ad vitam actualem, quæ est operatio: ergo intellectio est vita perfectissima.

Confirmatur *primò*: Nam natura divina, cùm sit actus purissimus, debet constitui per illam vitam, quæ excludit omne vestigium potentialitatis; sed vita, quæ consistit in intellectione,est huiusmodi; non autem vita intellectualis radicalis: ergo debet constitui per intellectionem. Minor probatur; Nam vita radicalis est habens in potentia vitam; vita verò, quæ consistit in intellectione, est vita actualissima: ergo vita radicalis non excludit omne vestigium potentialitatis, sed præcisè vita actualis intellectionis. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam interroganti quid sit Deitas? Rectè respondebitur, quòd est ipsa intellectio persè subsistens, & existens: ergo constituitur per eam.

46 Respondent communiter Adversarij, concedendo quidem naturam divinam constitui per vitam intellectualem perfectissimam: hæc autem (aiunt) non consistit in actu, sed in radice: quia ab illa tanquam à radice non solùm oritur vita actualis, quæ est in intellectione, sed etiam quæ est in volitione, & cæteris actibus attributalibus. ¶ Neque repugnat, quòd constitutivum naturæ divinæ, secundùm id quod dicit pro explicito, non excludat formaliter omnem potentialitatem, dummodo pro implicito dicat vitam,quæ consistit in intellectione. Et profectò (dicunt) si hæc ratio esset efficax, probaret etiam, naturam divinam constitui per *velle* actuale, & alios actus vitales attributales; cùm etiam concipiatur vt in potentia ad illos.

Sed contrà est primò: Nam iuxta solutionem præfatam constitutivum naturæ divinæ debet esse vita perfectissima; sed vita actualis est perfectior in linea vitæ, quàm vita præcisè radicalis (quidquid sit in esse entis) ergo intellectio debet pertinere ad constitutivum naturæ divinæ. Minor probatur ex D. Thoma infrà quæst. 18. art. 3. vbi docet, quòd illa vita in ratione *vitæ* est perfectior, quæ non determinatur ab alio; sed vita actualis est huiusmodi, & non vita radicalis; cùm hæc determinetur à vita actuali seu intellectione: ergo vita perfectissima consistit in intellectione.

Secundò: Nam per illam vitam debet constitui natura divina per nostros conceptus theo-

theologicos, quæ ex parte rei conceptæ excludit omnem potentialitatem, & quæ iuxta prædictos conceptus explicat formaliſsimè rationem *actus puri* in linea vitæ, quidquid ſit iuxta imperfectum modum concipiendi relatè ad vitam creatam; ſed tantùm vita, quæ eſt in intellectione, eſt huiuſmodi, non verò vita radicalis: ergo. Minor probatur: Nam vita radicalis, ſi concipitur diſtincta à vita actuali, concipitur in potentia ad illam: ergo non concipitur vt actus purus in ratione vitæ. Antecedens (præterquàm quòd illud admittit reſponſio data) eſt expreſſum D. Thomæ teſtimonijs ſuprà relatis. Et ſuadetur ex eo, quòd concipitur per modum *actus primi*; ſed de ratione *actus primi* eſt, quòd ſit in potentia ad actum ſecundum: ergo vita radicalis, ſi concipitur diſtincta ab intellectione, concipitur in potentia ad illam.

Explicatur hoc: Nam de ratione *actus primi* eſt, quòd identificet abſque diſtinctione virtuali primam vſque ad vltimam actualitatem eiuſdem lineæ; ſed data diſtinctione virtuali inter vitam radicalem, & actualem, Deus non identificaret vſque ad vltimam actualitatem eiuſdem formaliſsimè lineæ: ergo non eſſet actus purus in ratione *vitæ*. Minor, præterquàm quòd admittitur à pluribus ex Adverſarijs, facilè conſtat: Nam ad vnam formaliſsimam lineam debet pertinere vita intellectiva radicalis vſque ad intellectionem, non minùs quàm potentia intellectiva & intellectio, cùm omnia hæc tendant per lineam rectam ad attingentiam eiuſdem formaliſsimè obiecti. Minor verò probatur: Tum ad hominem contra plures ex Adverſarijs: Nam propterea aſſerunt ad conſtitutionem naturæ pertinere exiſtentiam de linea entis, quia Deus eſt actus purus in linea entis, & exiſtentia entitativa pertinet ad primam lineam eſſendi, cùm ſit vltima actualitas illius: ergo cùm intellectio non ſit minùs actus vltimus pertinens directè ad lineam intellectivam, debet identificare primam radicem intelligendi vſque ad ipſam intellectionem abſque diſtinctione virtuali. Tum etiam: quia, hoc ipſo quòd intelligamus Deum identificare ſine diſtinctione virtuali à primo actu vſque ad vltimum eiuſdem lineæ, perfectiorem conceptum formamus de illo, quàm ſi concipiamus primum actum diſtingui à ſecundo: ergo de ratione *actus puri* eſt identificare à primo actu vſque ad vltimam actualitatem eiuſdem lineæ. Propter quod ſuprà num. 18. prænonuimus, hoc dubium non procedere nec de natura divina prout eſt in ſe, nec prout à nobis imperfectè concepta; ſed de natura divina, prout à nobis perfectè adhuc pro hoc ſtatu concepta per conceptus perfectos theologicos, quibus relegamus omnem vmbram potentialitatis.

Tertiò, & *vltimò*: Nam ſi natura divina non conſtitueretur per *intelligere* actuale, non includeret illud *intelligere* radicale; ſed hoc ipſo ex nullo capite poteſt concipi vt actus purus: ergo. Minor patet: quia eſſet propriè in potentia ad illud; cùm non illud diceret per tranſcendentiam. Maior verò probatur: Nam ad incluſionem, ſeu tranſcendentiam (quæ ſunt idem) vnius prædicati divini in alio requiritur, quòd prædicatum tranſcendens quaſi formalizetur per illud, per quod tranſcendit: vnde fit, quòd illud prædicatum, per quod tranſcendit, debeat præſupponi in vltima perfectione ſuæ lineæ; ſed *intelligere* radicale, vt obiectivè excludens *intelligere* actuale, non dicit vltimam perfectionem ſuæ lineæ, neque carentiam contrahibilitatis intra illam, cùm intelligatur vt potentialis intra eandem lineam, vt non renuunt concedere Adverſarij: ergo non includeret *intelligere* actuale. Pro quo videantur omnino N. Salmant. tract. 4. diſp. 4. à num. 17. vſque ad 21. & tract. 6. diſp. 5. à num. 72. §. 3.

Neque inſtantia volitionis ab Authoribus huius ſolutionis inculcatæ illis plurimùm favet. Nam volitio ex ſuo formali conceptu non conſtituit gradum vitæ, ſed conſequitur ad illam: appetitivum enim in viventibus non conſtituit gradum, ſicut intellectivum, vel ſenſitivum, ſed ſe habet per modum inclinationis naturæ ſupponentis formam, ad quam conſequitur. Unde eſtò intellectio divina ex ſuo conceptu formali poſsit cum fundamento in re concipi vt persè ſubſiſtens, non verò volitio. Et ob hanc rationem volitio magis habet de conceptu *operationis*, quàm intellectio.

Ex his etiam apparet, cur natura divina debeat conſtitui per lineam adæquatam intellectivam, & non per aliquod attributum de lineæ eſſendi, v. g. per Æternitatem, Immenſitatem, vel Immutabilitatem. Nam Deus ex vna parte ſufficienter conſtituitur in linea eſſendi per exiſtentiam, ex qua cum fundamento in re percipitur prædicta attributa dimanare: Ex alia conſtitui debet in linea operativa non ſolùm radicali, ſed etiam proxima & actualiſsima, in qua intellectus & intellectio primatum tenent, ex quibus dimanant per lineas tranſverſales virtutes intellectuales. Unde fit, quòd aptè, & ſufficienter conſtituimus naturam divinam per *intelligere* primordiale. Alia ratio vrgentiſsima eſt pro noſtra aſſertione deducta ex proceſsione Verbi Divini. Cuius exactam ponderationem differimus vſque ad tractatum *de Trinit.*

§. V.

Secunda concluſio.

47 DIcendum eſt *ſecundò*, quòd licèt ad conſtitutionem naturæ divinæ pertineant conceptus exiſtentiæ, *intelligere* radicale, intellectus, intellectio, ſpecies intelligi-

gibilis, & *intelligi*, necnon ipsum obiectum, melius explicatur per *intelligere*, quàm per alium conceptum ex dictis. Hæc conclusio non obscurè colligitur ex D.Thoma 4. Contra gent. cap. 11. & in hac 1. part. quæst. 27. art. 2. In quibus locis ait, processionem Verbi esse generationem, quia *esse* & *intelligere* sunt idem in Deo; sed constitutivum naturæ melius explicatur per *intelligere*, quàm per *esse*: ergo iuxta D. Thomam constitutivum natura divina melius explicatur per *intelligere*, quàm per alios conceptus. Minor constabit ex dicendis ratione immediatè sequenti.

Probatur ergo hac ratione: Nam de ratione *actus puri* est, quòd constituatur in qualibet linea per vltimam actualitatem prædictæ lineæ, & quòd eius constitutivum explicetur potissimè per illam; sed Deus est actus purus, & aliàs constituitur in prima linea per lineam adæquatam intellectivam: ergo eius constitutivum explicatur melius per vltimam actualitatem prædictæ lineæ: Tunc sic; sed intellectio est vltima actualitas totius lineæ intellectivæ: ergo constitutivum naturæ divinæ melius explicatur per *intelligere* actuale persè subsistens, quàm per alium conceptum pertinentem ad constitutivum naturæ divinæ. Maior est certa: quia constitutivum actus puri melius explicatur per id, quod melius explicat ipsam rationem *actus puri*, vt est vltima actualitas, quæ ex se pro explicito excludit omne vestigium potentialitatis. Minor subsumpta probatur: Nam *in primis* linea entitativa concipitur vt potentialis in ordine ad lineam intelligibilem, & quasi formalizatur per eam; aliàs ex tota linea intelligibili omnia formalizantur per *intelligere* actuale, cùm sit existentia illorum, vt diximus suprà num. 42. ergo intellectio est vltima actualitas totius lineæ primordialis Dei.

48 Sed contra hoc objicies: Constitutivum naturæ divinæ melius explicatur per *intelligi*, quàm per *intelligere*: ergo. Antecedens probatur *primò*: Nam *intelligi* est vltima actualitas lineæ intellectivæ, non *intelligere*; cùm hoc mediet inter intellectum & speciem ex vna parte, & inter verbum, quod consistit in *intelligi*, ex alia, vt docuimus num. 36. ergo melius explicatur per *intelligi*, quàm per *intelligere*. Secundò: nam propterea D. Thomas *locis citatis* tandem resolvit, processionem Verbi esse generationem, quia communicatur *intelligi*, in quo consistit *esse*, & natura Dei: ergo.

Respondetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem dic, quòd intellectio potest considerari dupliciter, in *fieri* & in *facto esse*. Tunc consideratur in *fieri*, quando producit verbum & est in via ad eius productionem, quo pacto explicat munus *dictionis*: Tunc autem consideratur in *facto esse*, quando tàm verbum, quàm ipsa intellectio considerantur in *esse* quieto, seu in statu *contemplationis*. Licèt ergo intellectio priori modo sumpta præcedat *intelligi* seu verbum, in quo sensu locuti sumus loco citato; posteriori autem modo est post verbum, cùm sit existentia intelligibilis illius. ¶ Vel dic (& melius) quòd intellectio taliter est medium inter intellectum, & verbum, quòd simul est finis totius lineæ intellectualis: Et sic *intelligere* non est propter *intelligi*, sed è converso *intelligi* est propter *intelligere*: sicut finis vltimus voluntatis non est impulsus, sed amor seu actus voluntatis; & sic semper consideratur vt vltima actualitas. ¶ Vel dic *tertiò*, quòd *intelligi* nihil aliud importat pro explicito præter *intelligere*: Nam *intelligi* nihil aliud dicit præter *esse obiectum terminativum intellectus in esse intelligibili*; & sic non ponit in numero adhuc pro explicito cum obiecto. Porrò licèt obiectum in *esse* intelligibili consistat in *intelligi*; in *esse* autem entitativo aliquid amplius dicit pro explicito, quod quidem non est aliud præter ipsum *intelligere*, quod est in Deo persè primò repræsentatum per *intelligi* seu per Verbum. Quocircà ipsum *intelligere*, prout intelligitur procedere ab intellectu per modum operationis, exprimitur per *intelligere*; sed prout consideratur in verbo, explicatur per *intelligi*. Unde licèt natura divina, prout est præcisè in *esse* intentionali, melius explicetur per *intelligi*, quàm per *intelligere*; absolutè tamen melius explicatur per *intelligere*, quàm per *intelligi*. Sicut natura humana melius absolutè explicatur per rationalitatem prout in re, quàm per rationalitatem prout in verbo, quia hoc ordinatur ad illud. Per quod constat ad id quod adducitur ex D.Thoma, quin sit necessum aliquid addere.

§. VI.

Sententia contraria.

49 OPpositam sententiam defendunt plures Authores, quos refert Mag. Ildephonsus Michaël in hac 1.part.quæst. 14. art. 4. quos sequitur in hac parte ipse, & alij moderni, videlicet Ferre, Godoy, Contenson, Carraseo, Palanco, & alij.

Pro qua arguitur *primò* à ratione, & authoritate: Nam intellectio actualis supponit naturam divinam constitutam: ergo non pertinet ad constitutivum naturæ divinæ. Antecedens probatur *primò*: Intellectio divina est actio; sed actio supponit naturam constitutam: ergo intellectio illam supponit. Minor probatur: Actio significatur, vt egrediens ab eo cuius est actio: ergo supponit naturam constitutam. Quæ ratio desumitur ex D. Thoma quæst. 1. *de Potent.* art. 1. in corp. vbi ait: *Est autem de ratione operationis habere principium, non autem de ratione essentiæ. Vnde licèt essentia di-*

vi-

vina non habeat principium aliquod nec re, nec ratione; tamen operatio divina habet aliquod principium ſecundùm rationem.

Secundò: Natura divina eſt obiectum primarium intellectionis; ſed quodlibet obiectum præſupponitur actui, cuius eſt obiectum: ergo intellectio præſupponit naturam conſtitutam. Minor probatur ex D. Thoma infrà quæſt. 26. art. 2. ad 2. vbi ait: *Dicendum, quòd beatitudo, cùm ſit bonum, eſt obiectum voluntatis: obiectum autem præintelligitur actui potentiæ.*

Tertiò: Nam de ratione beatitudinis formalis eſt præſupponere obiectum beatificabile; ſed obiectum beatificabile eſt natura divina, & beatitudo formalis conſiſtit in intellectione: ergo intellectio præſupponit naturam divinam. Huic probationi alludit quod tradit Div. Thomas loco proximè citato ad 1. per hæc verba: *Dicendum, quòd ex illa ratione probatur, quòd Deus ſit beatus ſecundùm ſuam eſſentiam; non autem quòd beatitudo ei competat ſecundùm rationem eſſentiæ, ſed magis ſecundùm rationem intellectus.*

Confirmatur: Nam intellectio actualis diſtinguitur virtualiter à natura divina: ergo non pertinet ad illius conſtitutivum. Antecedens poteſt oſtendi pluribus teſtimonijs D. Thomæ, ex quibus tantùm duo interſecabimus: primum ex loco proximè citato 1. part. vbi in corp. ſic ait: *In Deo autem non eſt aliud* eſſe, & intelligere *ſecundùm rem, ſed tantùm ſecundùm intelligentiæ rationem.* Secundum ex primo *ad Annib.* diſt. 35. quæſt. 1. art. 2. ad 3. vbi inquit: *Dicendum, quòd ſicut* intelligere *eſt idem re cum eſſentia, ſed differens ratione, ita* & velle; ſed diſtinctio inter *velle*, & naturam divinam eſt cum fundamento, ſufficienſquè vt *velle* ſit extra conſtitutivum naturæ divinæ: ergo idem dicendum eſt de intellectione.

50 Ad hoc argumentum (quod ſufficit ad præſtandam non modicam probabilitatem ſententiæ contrariæ) reſpondetur negando antecedens. Et ad illius primam probationem in primis dicendum eſt, æquè vrgere de principio proximo, ſcilicèt intellectu, ac de natura radicali, quia operatio petit egredi à principio radicali mediante principio proximo. Quapropter ſi, hoc non obſtante, intellectio non præſupponit intellectum niſi ex modo imperfecto concipiendi, pariformiter non debet inferri, quòd præſupponat naturam ex parte rei conceptæ, ſed tantùm ex noſtro imperfecto modo concipiendi. Vndè in ſententia admittente, intellectum divinum non habere rationem potentiæ virtualiter diſtinctæ ab intellectione, parùm vrget ad ponendam intellectionem extra conſtitutivum naturæ. Pro quo videatur Carraſco *de Scientia Dei neceſſaria* dub. 4. à num. 15. Et miſſa ſolutione Mag. Albeldæ diſp. 36. conc. 3. & 5. vbi docet, intellectionem per modum *operationis* eſſe extra conſtitutivum naturæ divinæ, non verò ſub conceptu *vltimæ actualitatis*: Quia hic conceptus, vtpotè vltimus, præſupponit alium, & ſic repugnat, quòd ſub conceptu *vltimæ actualitatis* ſit conſtitutivum naturæ divinæ, & quòd ſub conceptu *operationis* ſit extra eius conſtitutionem (Quam ſolutionem falsò aliqui attribuunt noſtris Salmant.)

Reſpondetur ad primam probationem, quòd intellectio primordialis eſt formaliter eminenter operatio, intellectus, & natura. Unde licèt, qua parte eſt formaliter operatio, peteret ſupponere naturam divinam, & egredi ab ea virtualiter: qua parte tamen eſt eminenter formaliter natura & intellectus, non illam ſupponit, neque ab ea virtualiter egreditur. Qua ratione D. Thomas infrà quæſt. 41. art. 4. ad 3. loquens de intellectione, in qua conſiſtit proceſsio Verbi divini, quæ vtique eſt primordialis, docet, quòd *reſpectu illius non poteſt ſalvari ratio potentiæ in Deo niſi ſecundùm modum intelligendi, & ſignificandi tantùm, prout diverſimode ſignificatur in Deo intellectus*, & intelligere: *cùm tamen ipſum* intelligere *Dei ſit eius eſſentia non habens principium.* Per quod patet ad teſtimonium D. Thomæ. ¶ Ex quo duo colliguntur: primum, quòd licèt poſsit concedi, quòd Deus movetur virtualiter per alios actus vitales, v. g. per volitionem, & intellectionem ſcientificam, quia totaliter ſupponunt naturam conſtitutam; ſecus verò per intellectionem primordialem: vt docet D. Thomas infrà quæſt. 18. art. 3. ad 2. per hæc verba: *Dicendum, quòd ſicut Deus eſt ipſum ſuum* eſſe, & *ſuum* intelligere, *ita eſt ſuum* vivere; & *propter hoc non habet vivendi principium.* Et ratio horum eſt: quia actus vitalis debet in Deo conſtitui ſublatis imperfectionibus: In creatis autem provenit ex imperfectione, quòd vivens ſe moveat ab actu primo ad ſecundum. Et ideo reſpectu volitionis competit ſe movere virtualiter, quia non pertingit ad tantam perfectionem ex ſuo conceptu formali, quòd ſit perſè ſubſiſtens; cùm ſit alterius lineæ adæquatæ. Cæterùm intellectioni primordiali ita competit ratio *vitæ*, quòd Deus dicatur per ſeipſum in actu ſecundo ſubſiſtens, ſine eo quòd moveatur à ſe, vel ab alio nec realiter, nec virtualiter, ſed tantùm ex modo ſignificandi. ¶ Colligitur *ſecundò*, quòd generatio Verbi rectè intelligitur conſtituta per hanc intellectionem per modum *operationis*: quia reſpectu Patris, à quo virtualiter diſtinguitur, optimè poteſt exercere præcisè munus *operationis*, & dicere egreſsionem virtualem ab illo. Qua ratione probat D. Thomas infrà quæſt. 40. art. 4. Perſonas divinas

non

non constitui per origines. Per quod prę occupatæ manent plures replicæ.

Ad secundam probationem respondetur, concedendo maiorem ; sed negando minorem, vniversalitèr intellectam. Neque contra eam vrget authoritas D. Thomæ, quæ intelligenda est per distributionem accommodam : ita vt si actio est creata, debeat præsuponere realitèr suum obiectum ; si autem divina de linea scientiæ, seu voluntatis(de qua præcipuè loquitur ibi D. Thomas)debeat illud præsupponere virtualitèr ; si verò est actio primordialis, debeat illud præsupponere ex modo concipiendi seu significandi; non verò ex parte rei conceptæ, seu cum fundamento in re : quia prædictus actus est formalitèr eminentèr actus, & obiectum: eò quòd sit vnio perfectissima cum illo, qua maior alia excogitari non possit, ac proinde petit identificari cum illo absque distinctione virtuali.

Ad tertiam respondetur, quòd licèt de ratione beatitudinis creatæ sit prę supponere obiectum beatificabile, secùs verò de ratione beatitudinis divinæ, quæ ob sui summam perfectionem est formalitèr eminentèr beatitudo formalis,& obiectiva. ¶ Neque contra hoc obest testimonium D. Thomæ. Nam intelligendum est secundùm imperfectum nostrum modum concipiendi, secundùm quem verum est, quòd beatitudo non convenit Deo secundùm rationem *essentiæ*, sed secundùm rationem *intellectus*, quia concipitur adinstàr beatitudinis creatæ. Quæ interpretatio fundatur in ipsa littera D. Thomæ ibidem in corp. vbi ait : *Cuiuscumque naturę intellectualis beatitudo consistit in intelligendo. In Deo autem non est aliud* esse, & intelligere, *sed tantùm secundùm intelligentiæ rationem.*

Per quod constat ad confirmationem coalescentem ex testimonio proximè relato,& alio ex primo *ad Annib.* Ex nullo enim illorum colligitur distinctio rationis ratiocinatæ inter naturam, & *intelligere* primordiale, sed distinctio rationis ratiocinantis. Nam estò ibi comparet D. Thomas *intelligere* cum *velle*, quod ratione ratiocinata distinguitur à natura divina;nihilominùs dicendum est,quòd ibi nõ loquitur de *intelligere* primordiali, sed de scientifico, de quo verum est distingui à natura divina eodem prorsùs modo, ac *velle*. ¶ Vel solùm attendit ad genus distinctionis, scilicèt quòd non distinguatur realitèr, sed ratione tantùm; non verò ad modum distinctionis rationis, in qua etiam datur sua divisio, nam alia est rationis ratiocinatæ, & hoc modo distinguitur *velle* à natura divina, quia consequitur ad naturam; & alia rationis ratiocinantis, quo pacto distinguitur *intelligere* primordiale ab ea.

51 Sed hanc divisionem distinctionis rationis ægrè fert Mag. Palanco à num 24. vbi totis viribus conatur eam enervare, præcipuè quia videtur commentitia, & voluntaria ; vtpotè absque fundamento in D.Thoma.¶ Sed in hoc certè recedit à communi consensu Theologorum, qui vniformitèr illam supponunt,& explicant. Recedit etiam à seipso, qui in sua Logica tract. 3. *de Universalibus* num. 3. illam etiam admittit, dicendo, quòd distinctio rationis ratiocinatæ est, quæ supponit fundamentum in re,quatenus vna entitas æquivalet rebus realitèr distinctis;& distinctio rationis ratiocinantis,quæ est absque vllo prorsùs fundamento : Et velit,nolit illam concedit in præs.num.129.circa essentiam,& existentiam in Deo. Quam divisionem in ordine ad prædicta non inveniet dissertis verbis explicatam in D. Thoma ; & tamen illam admittit,asserens,*nullum in hoc dissentire.* Ergo estò D.Thomas expressis verbis non explicet hanc divisionem in Deo,non propterea ableganda est à Scholis.¶ Maximè, quia plura sunt in divinis, quæ ægrè possunt explicari, nisi per distinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis. Nam intellectus, & voluntas, relatio, & essentia ita distinguuntur inter se,quòd hæc distinctio sit rationis ratiocinatæ: E contrà verò in relatione divina ægrè possunt concipi conceptus *In*, & conceptus *Ad* absque aliqua distinctione ; cùm per eos exprimaatur diversi respectus ad naturam, & terminum : aliundo hæc distinctio nequit esse cum fundamento in re, seu rationis ratiocinatę ; cùm ex suo conceptu formali sit idem formalissimè conceptus, & sic in creatis non distinguitur realitèr,& fortè nec virtualitèr adæquatè. Idem apparet in conceptu *naturæ*, & conceptu *speciei* : inter quos conceptus non datur, in sententia huius Authoris, distinctio rationis ratiocinatæ: & tamen tenetur concedere distinctionem rationis ratiocinantis, quia sub vno conceptu potest adextrà communicari, & non sub alio. ¶ Hanc divisionem distinctionis alij appellant nominibus *distinctionis adequatæ*, & *inadæquatę*; itaut distinctio, quæ datur inter munera pertinentia ad vnam formalissimè lineam, sit inadæquata, vt inter essentiam, & existentiam in sententia huius Authoris, & inter conceptum *In*, & *Ad*. Quæ distinctio meritò coincidit cum distinctione rationis ratiocinantis : quia ex parte rei conceptæ non datur nisi vnica simplicissima formalitas ; & sic non datur vlla distinctio cum fundamento in re. Et distinctio, quæ intervenit inter intellectum, & voluntatem, dicitur *adæquata*: quia ex suo conceptu formali pertinent ad diversas linas adæquatas : quæ quidem non debent regulari per correspondentiam ad res creatas realitèr distinctas vtcumque; sed quatenus constituunt lineas adæquatè distinctas, vt non se habent natura intellectiva, intellectas, & intellectio, quæ recto tramite tendunt ad idem obiectum, & ideò pertinent ad integritatem vnius lineæ.

§.VII.

§. VII.

Reliqua argumenta.

52 SEcundò arguitur: Nam gratia habitualis, iuxta omnes Theologos, est natura divina participata vel formalitèr, vt asserunt Thomistæ, vel specialitèr, vt asserunt alij; & tamen non est intellectio divina participata: ergo intellectio divina est extra constitutivum naturæ divinæ. ¶ Confirmatur: Nam visio beata est participatio formalis intellectionis primordialis Dei, cùm in illa consistat beatitudo nostra, sicut in hac consistit beatitudo divina; & tamen non est natura divina participata: ergo signum est, quòd intellectio divina est extra constitutivum naturæ divinæ. Patet consequentia: quia quod est participatio specialis naturæ divinæ debet participare illud speciale, in quo consistit natura divina.

Augetur difficultas: Nam conceptus *radicis* intellectionis est perfectior, quàm conceptus *intellectionis*: ergo intellectio est extra constitutivum naturæ divinæ. Antecedens probatur: Tum, quia omne prædicatum creatum formalitèr participans prædicatum divinum specificatur ab illo; si ergo specificatum est perfectius, etiam specificativum; sed gratia solùm participat conceptum *radicis*, cùm tamen sit absolutè perfectior visione beata, quæ participat conceptum *intellectionis*: ergo conceptus *radicis* in divinis est perfectior, quàm conceptus *intellectionis*. Tum etiam: nam sub munere *radicis*, & non sub munere *intellectionis*, est radix attributorum: ergo est perfectior. Patet consequentia: Nam radix continens eminentèr omnia attributa perfectior est, quàm quælibet operatio determinata, estò hæc explicet maiorem actualitatem: immò quælibet potentia continens in se plures actus specie diversos est perfectior absolutè quolibet actu determinato, estò iste dicat maiorem actualitatem. Antecedens verò probatur: Nam sub conceptu *intellectionis* non est radix processionis Spiritus-sancti, neque attributorum, quæ dimanant à natura sub munere entis & non sub munere operativo, vt immutabilitas, æternitas, & fortè immensitas.

Ad hoc argumentum (quod est potissimum sententiæ contrariæ) respondetur, quòd intellectio divina est formalitèr eminentèr operatio, intellectus, & radix: & ex hoc principio oritur, quòd, estò natura divina consistat in *intelligere* actuali non excludente conceptum *radicis*, gratia habitualis sit natura divina participata, & non visio, nec lumen gloriæ. Et ratio huius est: quia visio solùm participat intellectionem divinam (in qua aliàs consistit natura divina, ob sui eminentiam, & maiorem actualitatem intra eandem lineam) sub munere *operationis*, & lumen gloriæ sub munere *intellectus*: Gratia verò participat intellectionem, quatenus eminenter est radix non solùm videndi, sed etiam amandi Deum. Dicitur tamen gratia *natura divina participata*, & non visio beata, seu lumen gloriæ, estò in Deo sint formalissimè idem: quia visio solùm participat sub munere operationis determinatæ, sed gratia sub munere radicis vniversalis. Et similiter, quia gratia est prima participatio illius formalitatis divinæ indivisibilis; visio autem secunda, vel tertia: Et cùm aliàs in creatis isti conceptus ob sui limitationem inveniantur realitèr divisi, meritò gratiæ solùm competit conceptus *naturæ*, & non lumini gloriæ, seu visioni, quia hæ participationes supponunt illam adæquatè, vt contingit proportionabilitèr in anima rationali. In Deo autem, quia omnes hi conceptus inveniantur absque vestigio alicuius potentialitatis adhuc virtualis, necessum est, quòd natura non fiat vltimate in conceptu *radicis*, sed transeat vsque ad intellectionem. Per quod constat ad confirmationem.

Ad augmentum difficultatis respondetur, quòd antecedens est verum, si procedat iuxta nostrum imperfectum modum concipiendi; secùs verò si natura divina concipiatur per nostros conceptus perfectos theologicos. Et ad primam probationem dicendum est, quòd estò conceptus *radicis* præcisivè sumptus sit perfectior in ratione specificativi; secùs verò in *esse* entis. Primum sufficit, vt gratia sit absolutè perfectior visione in creatis; non verò vt in divinis radix intellectionis sit perfectior ipsa intellectione: quia in divinis pertinent ad eandem formalissimè lineam, quare si non identificarentur absque distinctione virtuali, sub conceptu *radicis* conciperetur divina essentia vt potentialis, & non esset actus purus in prima linea: & propter hanc rationem, sicut intellectio est actus vltimus adæquatus primarius pertinens ad primam lineam, ita ex suo conceptu obiectivo explicat maiorem perfectionem in *esse* entis. ¶ Quam distinctionem, in *esse* scilicèt specificativi, & in *esse* entis, possumus explicare aliquibus exemplis: Nam color est perfectior in *esse* entis quàm ens rationis; & tamen ens rationis est perfectius in *esse* obiecti; cùm specificet intellectum, & color potentiam visivam. Relatio est imperfectior quantitate in *esse* entis; & tamen in *esse* obiecti est perfectior illa; cùm relatio specificet intellectum. & quantitas Matemathicas.

Ad secundam respondetur negando antecedens. Quia sub munere *intellectionis* est radix omnium attributorum, sivè pertineant ad lineam entis, sivè ad lineam operativam: quippè hoc ipso, quòd hæc intellectio sit ex suo formali conceptu forma per se subsistens, ab ea sub proprio conceptu dimanare debent tanquam proprietates omnia attributa: Et ipsa simili-

tèr est radix proxima processionis Spiritus-sancti ; sicut est radix, à qua proximè dimanat voluntas divina. Unde duplicitèr ob sui eminentiam concurrit ad hanc processionem, & per modum *operationis*, eo proportionali modo quo intellectio creata concurrit ad amorem, & per modum *radicis*. Et quia propter eandem eminentiam est existentia entitativa, & intelligibilis absque distinctione virtuali, dimanant ab intellectione non solùm attributa, quæ pertinent ad lineam operativam, sed etiam quæ pertinent ad lineam entis.

53 Arguitur *tertiò* : Nam illæ formalitates distinguuntur virtualitèr adæquate in divinis, quæ æquivalent rebus creatis realitèr distinctis; sed huiusmodi sunt conceptus *radicis*, & conceptus *intellectionis* : ergo conceptus *radicis* distinguitur virtualiter adæquatè à conceptu *intellectionis*, ac proinde hæc est extra constitutivum adæquatum naturæ divinæ. Maior videtur certa : quia tunc præstant propria plurium, ac si essent plura, quod sufficit ad distinctionem virtualem adæquatam.

Ad hoc argumentum respondetur, quòd formalitas divina non dicitur multiplex virtualitèr, quia correspondeat pluribus realiter distinctis præcisè, sed quia correspondet illis prout pertinent ad diversas lineas adæquatas. Et sic licèt in creatis essentia, & existentia distinguantur realitèr ; in divinis non distinguntur virtualitèr adhuc in sententia plurium Adversariorum. Et econtrariò, licèt in Angelo non distinguantur realitèr intelligentia & scientia; in divinis distinguuntur virtualitèr in sententia ferè communi Arguentium. Et ratio horum èst: quia quando correspondet rebus creatis realitèr distinctis pertinentibus ad eandem lineam, non correspondet illis, vt plura sunt ; sed vt vnum: quia constituunt vnam lineam adæquatam. Linea autem adæquata non desumenda est per æquivalentiam rebus creatis vtcumque, sed extendentia directa ad idem formalissimè obiectum. Quam tendentiam directam dicunt natura, intellectus, & intellectio: quarè non debent distingui virtualitèr adæquatè.

54 Sed dices : *Ergo velle actuale, & consequenter cæteræ perfectiones divinæ non distinguuntur virtualitèr à natura divina ; ac proinde non minùs natura divina debet constitui per* velle, *quàm per* intelligere. Consequentia probatur : Ideo *intelligere* actuale non distinguitur virtualiter ab *intelligere* radicali, quia *intelligere* radicale constituit eandem formalissimè lineam cum intellectione actuali ; sed eadem ratio militat in *velle* radicali cum *velle* actuali; cùm recto tramite tendant ad idem obiectum : ergo non distinguitur virtualiter *velle* radicale à *velle* actuali.

Confirmatur : Ex eo *intelligere* radicale non distingueretur virtualitèr ab intellectione, quia debet identificare vltimam actualitatem suæ lineæ ; sed hoc est falsum : ergo. Probatur minor : Nam bonitas divina est causa finalis suæ voluntatis ; sed bonitas divina in genere causæ finalis non identificat virtualitèr suam causalitatem: ergo pariter, estò *intelligere* radicale pertineat ad eandem lineam cum *intelligere* actuali, non debent identificari absque distinctione virtuali. Minor est certa : Nam causalitas causæ finalis est amor, qui vtique virtualitèr distinguitur à bonitate divina.

Ad replicam respondetur, negando consequentiam. Et ratio disparitatis inter *intelligere* radicale, & *velle* similiter radicale fundatur in eo, quòd linea voluntatis, & intellectus sunt duæ lineæ adæquatè diversæ in communi sententia Theologorum, maximè Arguentium ; linea autem volitiva subsequitur ad lineam intellectivam ; consequenterquè linea intellectiva est prima absolute in divinis, eo quòd natura divina debeat constitui in perfectiori gradu vivendi, cui est intellectivus. Ex quo oritur, quòd *intelligere* radicale debet identificari absque distinctione virtuali cum *intelligere* actuali ; & similitèr quòd *velle* radicale sit ipsum *intelligere* actuale. Et cùm *velle* actuale sit alterius lineæ adæquatæ cum *intelligere*, inde est, quòd *velle* radicale non pertinet ad eandem lineam cum *velle* actuali. Unde sicut intellectus est radicaliter voluntas, & non propterea ex genere suo pertinet ad eandem lineam volantatis ; ita intellectio actualis divina est radicalitèr voluntas, quin ex hoc arguatur, quòd *velle* radicale sit eiusdem lineæ cum *velle* actuali, quia nimirùm *velle* radicale intransitivè est ipsa linea intellectiva, & hæc intransitivè est linea naturæ, quia gradus vitæ intellectualis debet in Deo poni absque vmbra potentialitatis.

Ad confirmationem respondetur, concedendo maiorem ; sed negando minorem. Ad cuius probationem, concessis præmissis, negari debet consequentia. Et ratio disparitatis est per se nota: Nam vltima actualitas causæ finalis non est de linea naturæ, vel aliarum perfectionum divinarum, sed determinatè de linea voluntatis; causa verò finalis vel dicit bonitatem præcisè essentiæ, vel omnium perfectionum divinarum; vnde non est mirum, quòd distinguatur virtualitèr à sua vltima causalitate. Neque ex hoc sequitur aliqua potentialitas in Deo : quia causalitas causæ finalis non recipitur in causa finali, sed in efficienti. Qua ratione nec natura divina distinguitur virtualiter ab intellectione, nec voluntas ab amore : alias verè, & propriè daretur potentialitas. ¶ Vel dic, quòd sicut respectu charitatis creatæ non est amor causalitas bonitatis divinæ, sed purè effectus ; nam ipsa bonitas est causa, & causalitas in genere causæ finalis (ad eum modum quo personalitas divina est actus primus, & secundus in ratione terminandi

nandi humanitatem Christi adhuc concessa vnione distincta) ita potest dici, quòd bonitas divina est causa, aut quasi causa, & causalitas in genere causæ finalis; & amor voluntatis divinæ est quasi purè effectus.

DISPUT. III.

De Simplicitate Dei.

HAbita notitia de existentia, & essentia Dei, rectus ordo postulat, vt de eius attributis disseramus. De quibus D. Thomas incipit tractare à quæst. 3. Et primò de simplicitate Dei per octo articulos. Quam vt stabiliat, excludit ab eo omne genus compositionis tàm intrinsecæ, quàm extrinsecæ. Excludit enim in primis *art.* 1. compositionem intrinsecam quantitativam, seu ex partibus integralibus, quia non est corpus, sed purè spiritus, iuxta illud Ioann. 4. *Spiritus est Deus.* Pro quo tres adducit rationes. *Prima*: Quia Deus est primum movens immobile; sed nullum corpus movet immotum, vt experientia liquet: ergo non est corpus, & consequenter caret compositione integrali. *Secunda*: Quia primum ens nequit esse in potentia; sed corpus est in potentia, quia est divisibile: ergo. *Tertia*: Quia Deus est ens nobilissimum; sed corpus non est ens nobilissimum: Nam vel non est vivum, quo perfectius est vivum; vel est vivum, & sic vivit per aliud, sicut corpus vivit per animam, ac proinde perfectius est id, per quod vivit: ergo. ¶ Quibus addi possunt aliæ duæ. *Prima*: Quia Deus est infinitus; nullum autem corpus potest esse infinitum, vt tradunt N. Complut. in lib. Physic. disp. 18. quæst. 4. ergo. *Secunda*: Quia nullum corpus est immensum, alias occuparet omnem locum, proindeque vel non daretur aliud corpus, vel duo naturaliter essent in eodem loco; sed Deus est immensus: ergo non est corpus.

Deinde *art.* 2. excludit compositionem ex materia, & forma. *Primò*: Quia materia est corpus; sed Deus non habet corpus: ergo. *Secundò*: Quia Deus est actus purus; sed materia est ens in potentia: ergo. *Tertiò*: Quia Deus est ens per essentiam; sed compositum ex materia, & forma est ens per participationem, cùm materia participet esse à forma: ergo. *Quartò*: Quia vnumquodque agit per suam formam: ergo primum agens debet esse persè primò forma; sed Deus est primum agens: ergo.

Rursùs *in tertio* excludit compositionem ex supposito, & natura. Cuius ratio est: quia in his, quæ non sunt composita ex materia, & forma, non individuantur per materiam, sed formæ ipsæ sunt persè individuæ, hoc est, continentes totam perfectionem suæ speciei: ergo persè sunt ipsa suppositа; sed Deus non est compositus ex materia, & forma: ergo in eo non est aliud natura à supposito, proindeque non est in eo compositio ex natura, & supposito. ¶ Occasione huius rationis dubitant in præs. Authores, an in Angelis subsistentia distinguatur à natura. Sed hanc difficultatem decisam habes in N. Complut. abbrev. *de Gener.* disp. 15. dub. 1.

Præterea *in quarto* excludit compositionem ex essentia, & existentia. Quod sufficienter probatum relinquitur ex dictis disp. præced. num. 30. Sed ratio D. Thomæ in præs. est huiusmodi: Nam Deus est ens per essentiam: ergo in eo non est aliud essentia ab existentia, ac proinde non faciunt compositionem. Probatur consequentia: Nam illud, quod habet *esse*, & non est suum *esse*, habet illud per participationem; sicut illud, quod habet ignem, & non est ignis, est ignitum per participationem: si ergo Deus non est suum *esse*, sed est aliud à seipso, erit vtiquè ens per participationem, & non per essentiam.

Vlteriùs *in quinto* excludit compositionem ex genere, & differentia. Cuius prima ratio est: quia quidquid est in Deo, est simpliciter infinitum; sed genus est simpliciter finitum, cùm limitetur per differentiam: ergo Deus non constat ex genere, & differentia. *Secunda*: Quia Deus est suum *esse*: ergo si constat genere, & differentia, debet eius genus esse ens; sed ens nequit esse genus alicuius, vt ostendit Philosoph. 3. Metaphys. ergo non constat ex genere, & differentia. Quibus rationibus ducti, communiter docent Dialectici, Deum non collocari in prædicamento substantiæ. Videantur N. Complut. abbrev. in Logic. disp. 12. num. 16. & in Physica disp. 18. num. 9.

Denique *in sexto* excludit compositionem ex substantia, & accidenti. *Primò*: Quia subiectum comparatur ad accidens, sicut potentia ad actum; sed Deus nullam habet potentialitatem: ergo neque potest habere aliquod accidens. *Secundò*: Quod est actus purus in linea entis, nequit esse subiectum sui *esse*; sed quod est actus purus in linea entis est actus purus in linea talis, & talis entis, v. g. in linea iustitiæ, sapientiæ, scientiæ: ergo cùm Deus sit actus purus in linea entis, nequit esse subiectum accidentis, v. g. scientiæ, potentiæ; sed est ipsa scientia per essentiam.

Ex his *art.* 7. colligit *primò* D. Thomas, Deum esse in se intrinsecè omninò simplicem. Et quidem rectè, quia nullum compositionis genus restat præter dicta. Et art. 8. colligit *secundò*, non posse venire in compositionem aliorum. Quia nimirum non potest componere tanquàm materia, quia Deus non est materia:

Neque tanquàm forma, quia forma est quid incompletum, & imperfectum, Deus autem est perfectissimus: Neque tanquàm genus, quia Deus non est genus: Neque tanquàm subiectum cum accidenti, quia Deus nequit recipere aliquod accidens. An verò possit venire in compositionem alterius tanquàm suppositi cum natura, vel tanquàm existentiæ cum supposito, aliqua quæstio est pendens ex dicendis à nobis in tract. *de Incarnat.* disp. 3. à num.8.

Hæc cursìm diximus, quia non exposcunt maiorem discussionem, & vt demus locum dubijs sequentibus, quæ conducunt non parùm ad hanc simplicitatem Dei firmandam.

DUBIUM I.

Vtrùm detur distinctio formalis, & ex natura rei inter aliqua prædicata divina, exceptis Personis?

2 HÆC controversia duo supponit, & aliud inquirit. Supponit quippè, inter nulla prædicata divina dari distinctionem rei à re, seu entitativam, exceptis tantummodò Personis. Quæ suppositio definita fuit tanquàm de fide in Concilio Remensi sub Eugenio Pap. III. contra Gilbertum Porretanum Episcopum Pictaviensem, testibus Div.Thoma infrà quæst. 28. art. 2. qui ait, suum errorem in Concilio revocasse, Doctore Subtili, & D. Bernardo, qui contra illum disputavit, & convicit, vt legitur serm. 80. in Cant. Hic idem error, quem tenuit Ioachimus Abbas, damnatur in Concil.Lateran. sub Innocent. III. cap. 2. vt refertur cap. *Damnamus, de Summa Trinit.* ¶ Supponit etiàm, Personas divinas distingui realiter inter se tanquàm rem à re, vt exprofessò dicemus tract. *de Trinit.* ¶ Inquirit tamen, an detur aliqua distinctio realis? quæ dicitur à Scoto, & eius Asseclis *formalis*, & *ex natura rei*. Dicitur *formalis*, quia non est inter entitates, & res diversas, sed inter formalitates eiusdem rei, seu entitatis. Dicitur etiam *ex natura rei*, quia prædicta distinctio non dependet à beneficio intellectus, sed ipsis rebus convenit ex propria natura earum. Et quia lis nostra est cum Scoto, & tota eius Schola, opportet in limine huius difficultatis eius mentem aperire, ne videamur fingere hostem, quem feriamus. Quod haud melius fieri valet, quàm aliqua eius testimonia in fronte proponendo. Igitur in 1. dist. 2. quæst. 7. §. *Sed hìc restat vlteriùs difficultas*, sic pro sequitur: *Non videtur intelligibile, quòd essentia non pluralificetur, & suppositi sint plura, nisi aliqua distinctio ponatur inter rationem* essentiæ, *& rationem* suppositi. *Et dico sine præiudicio sententiæ melioris, quòd ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, vt* essentia, *habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati.* Et infrà ibi §. *Breviter igitur dico*, explicans magis hanc distinctionem, ait: *Omittendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, non quia sint malè dicta, sed quia non oportet eis vti. Dico, quòd in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & entitas B, & hæc non est formaliter illa.* Tandem in 1. dist.8.quæst. 4. §. *Ad quæstionem respondeo*, sic loquitur: *Dico, quòd inter perfectiones essentiales non est tantùm differentia rationis, hoc est diversorum modorum concipiendi idem obiectum formale: talis enim distinctio est inter sapiens, & sapientiam, & vtique maior inter sapientiam, & veritatem. Nec est ibi tantùm distinctio obiectorum formalium in intellectu. Est ergo ibi distinctio tertia* (ob quæ nuncupatur ab omnibus *media*) *precedens intellectum omnimodò. Et est ita, quòd sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei: sapientia autem formaliter in re non est bonitas in re.* Quibus suppositis:

§. I.

Sententia Communis.

3 DIcendum est, inter nulla prædicata divina dari prædictam distinctionem formalem, & ex natura rei. Hanc conclusionem tenent communiter Theologi tàm intra, quàm extra Scholam D. Thomæ, præter Scotum, & eius Scholam. In qua propugnanda præscindimus à censuris, quibus oppositam plures inurunt. Probatur ergo *primò* authoritate Conciliorum: Nam in Concil. Remensi contra Gilbertum definitum est, relationem, & essentiam non esse distinguendas *ratione Theologica, sed mathematica abstractione*; sed per *rationem Theologicam* intelligunt adhuc Adversarij distinctionem ex natura rei, & per *mathematicam abstractionem* distinctionem rationis: ergo inter essentiam, & relationem non datur distinctio formalis, & ex natura rei, sed tantùm distinctio rationis. Expressior modus loquendi habetur in Concil. Florent. sess. 18. vbi Ioannes Theologus nomine Ecclesiæ latinæ sic ait: *Divina substantia, & persona, re quidem sunt idem; secundùm autem modum intellectionis nostræ differre videntur.* Et sess. 19. *Haud quaquam putare debetis, quòd re differant, quandoquidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur.* Similia repetuntur in sess. 25.

Confirmatur aliquibus testimonijs SS.PP. qui tantùm agnoscunt distinctionem rationis inter essentiam, & alia prædicata divina. Aug. enim 7. *de Trinit.* ait: *Magnitudinem, bonita-*

tatem, iustitiam pluribus vocabulis in eadem sapientia intelligi. Damasc. *de Fide* cap. 11. *Quod autem in ea dictum est, sola cogitatione distinguitur.* Et D. Thomas pluribus in locis, in quibus notabis eundem modum loquendi ac in Concilijs, & Patribus. Cum ergo Scotistæ non erubescant procedere expressè contra Div. Thomam, etiam fateri debent se opponere Concilijs, & Patribus.

4 Nec refert, si dicas *primò* cum Mastrio disp. 2. *de Divinis attributis* quæst. 2. num. 68. Concilia, & Patres excessivè locutos fuisse. Quod non rarò (ait) in illis videbis: nam vt eliminarent errorem, in quem agebant, declinabant nimis in extremum contrarium. ¶ Non, inquam, refert: Tum quia idipsum posset dici de Angelico Preceptore; & tamen modum loquendi D. Thomæ reputant vt proprium: ergo idipsum debet dici de modo loquendi aliorum Patrum, & Conciliorum. Tum etiam: quia licèt hæc evasio posset habere locum in Patribus; secùs verò in Concilijs, quorum authoritas maxima semper visa est in Ecclesia.

Nec refert, si cum eodem *num. 69.* dicas *secundò*, Patres, & Concilia loqui probabiliter, vt non obscurè indicant illa verba *videntur, creduntur.* ¶ Non, inquam, refert: quia licèt hoc de Patribus posset aliquando sustineri; secus verò de Concilijs propter rationem dictam: Et quia Concilia nunquam loquuntur probabiliter, sed dogmaticè.

Nec tandem refert, si dicas cum eodem, & suo Mag. 2. dist. 16. *in fine*, quòd in rebus, quæ non sunt de fide, in quibus Patres dissentiunt, possumus sententiam vnius, qui favet nostræ sententiæ, recipere; & sententiam alterius cum reverentia dimittere. ¶ Nec hoc (aiebam) refert: Tum, quia hoc non habet locum in sententijs Conciliorum, quæ quidem sunt dogmata totius Ecclesiæ. Tum etiam: quia nullum est Concilium, nullusvè Pater, qui distinctioni formali Scoticæ faveat; sed distinctioni præcisè rationis apertè suffragantur, vt liquet ex testimonijs allatis, & non dissentit hæc evasio.

5 Deinde probatur ratione: Deus est summè simplex: ergo inter essentiam, & relationem non potest dari distinctio formalis ex natura rei. Antecedens concedunt Adversarij: Et meritò, quia continet veritatem prædicatam à SS. PP. & definitam in Concilio Lateran. suprà relato. Consequentia verò probatur: Nam si daretur huiusmodi distinctio, daretur à parte rei formalis compositio; sed quælibet compositio à parte rei pugnat cum summa simplicitate: ergo si Deus est summè simplex, nequit dari vlla distinctio formalis à parte rei inter essentiam, & relationem. Maior probatur: Nam compositio est distinctorum vnio; sed essentia, & relatio vniuntur inter se: ergo si daretur distinctio formalis à parte rei, daretur cõpositio ex natura rei.

6 Huic communissimo fundamento respondent Scotistæ, maximè prælaudatus Mag. num. 79. quòd compositio solùm infertur ex distinctione entitativa aliquorum, vel ex distinctione formali involuta cum limitatione, vt contingit in creatis; secus verò ex genere talis distinctionis. Sicut in sententia Thomistarum ex distinctione rationis ex genere non sequitur compositio, sed ex distinctione rationis involuta cum limitatione.

Sed contrà est *primò*: quia illa definitio compositionis traditur communiter à Philosophis: ergo tradita solutio est prorsùs voluntaria. *Secundò*: Quia vnio per modum actus, & potentiæ est propriè compositio; sed, supposita distinctione formali à parte rei inter essentiam, & relationem, vnirentur inter se per modum actus, & potentiæ: ergo esset inter eas vera compositio. Minor probatur: Nam formalitates *essentiæ*, & *relationis* vnirentur persè, & non peraccidèns sicut acerbus lapidum; sed vnio persè est vnio per modum actus, & potentiæ: ergo vnirentur per modum actus, & potentiæ.

Explicatur hoc: Nam propterea hæc vnio non esset per modum actus, & potentiæ, quia realiter entitativè identificantur; sed hoc non obstat veræ compositioni per modum actus, & potentiæ: ergo &c. Minor probatur: Nam in sententia Adversariorum, inter naturam Angelicam, & eius intellectum solùm datur distinctio hæc *ex natura rei* cum reali identificatione; & tamen datur, in omnium sententia, compositio per modum actus, & potentiæ: ergo vnio essentiæ divinæ, & intellectus etiam esset per modum actus, & potentiæ.

7 Nec valet recursus ad infinitatem vnius, & finitatem alterius: Tum, quia hoc est manifestè petere principium; dum, stante hac distinctione, incompossibilem esse infinitatem reputent Thomistæ. Tum etiam: quia supposita æquali distinctione inter essentiam divinam, & eius intellectum, ac inter naturam Angelicam eiusque intellectum, nullum discriminis caput est, cur natura Angelica sit finita, & natura divina infinita: ergo idem dicendum est de vna, ac de alia. Antecedens probatur: Nam sola distinctio ex natura rei non esset fundamentum ad limitationem in natura Angelica; vel si hæc sufficeret, etiam sufficeret in natura divina: aliàs compositio ex genere, & differentia non est fundamentum: ergo nullum est caput huius discriminis. Minor probatur: Tum, quia plures Scotistæ concedunt in Deo compositionem ex genere, & differentia. Tum & præcipuè: quia omnis compositio metaphysica fundatur supra compositionem physicam, sicut gradus metaphysicus fundatur supra entitatem physicam: ergo vel hæc distinctio formalis ex natura rei affert ex genere compositionem à parte rei; vel

intl-

inter naturam Angelicam, & eius intellectum nulla datur compositio ex natura rei, cùm idem dicendum sit in sententia Adversariorum de natura, & existentia: ac proinde compositio ex genere, & differentia non est principale fundamentum ad limitationem naturæ Angelicæ, & non divinæ.

8 Si verò recurrant ad inclusionem essentialem vnius formalitatis in alia, vt faciunt Thomistæ. Rectè. Sed obstat contra eos *primò*, quòd oportet assignare, cur vna formalitas in Angelo non includitur in alia; & in Deo includitur. Secundò, quia si vna formalitas includitur essentialiter in alia; hæc prædicatio esset essentialis, *Bonitas est sapientia*; sed iuxta sententiam Adversariorum illa prædicatio est falsa, vt vidimus ex Scoto suprà num. 2. ergo vel vna non includitur in alia, & consequenter est finita; vel non datur distinctio formalis à parte rei. Maximè: quia hanc inclusionem perpetuò negant Adversarij inter essentiam & relationem, vtpotè quæ directè opponitur suæ distinctioni formali.

9 Per quod constat ad id, quod aiunt de distinctione rationis. Pro quo habenda est præ oculis illa duplex distinctio assignata disp. præc. num. 18. alia ex modo concipiendi; & alia ex parte rei conceptæ. Inter quas hæc est diversitas, quòd sub prima, cùm fundetur præcisè in imperfecto modo concipiendi, nulla adest repugnantia, quòd concipiatur natura divina cum aliqua potentialitate. Ad quod videtur alludere id quod N. Cyrill. lib. 11. Thesauri ait: *Substantiam Dei seipsa perfectam esse; sed tamen nos cogi nonnunquam accidentium modo concipere.* Secunda verò consistit in eo, quòd eadem formalitas propter sui eminentiam æquivaleat rebus, in creatis realiter distinctis, & pertinentibus ad diversas lineas. Quare tam longè abest, vt officiat simplicitati divinæ, quòd potiùs illam arguit: quia nimirùm tantò crescit simplicitas, & vnitas Dei, quantò vna eademque formalitas adunat in se plura in alijs diuisa.

Quæ omnia elucidari valent ex præclara doctrina D. Bernardi lib. 5. *de Consid.* cap. 7. vbi pro eodem reputat vnitatem, & simplicitatem per hæc verba: *Non est compositus Deus, merum simplex est. Et vt liquidò noveris, quid* simplex *dicam? Idem quod vnus. Tàm simplex Deus, quàm vnus est.* Ergo eo modo, quo aliquid opponitur vnitati, opponitur etiam simplicitati; sed iuxta prælaudatum Mag. distinctio opponitur vnitati, seu identitati: ergo etiam simplicitati: ac proinde distinctio ex natura rei opponitur simplicitati formali ex natura rei.

10 Tandem probatur eadem conclusio ratione, per quam præcipuè impugnatur evasio Adversariorum: Nam distinctio formalis ex natura rei inter essentiam, & relationem, inter sapientiam, & iustitiam coincidit cum distinctione entitativa, seu rei à re; sed hæc non datur iuxta sententiam Adversariorum, propter compositionem, & alias imperfectiones quas secum affert: ergo nec datur distinctio formalis ex natura rei. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Tum, quia illa prædicata in creatis sunt res, & entitates, non præcisè formalitates eiusdem rei: ergo etiam in divinis: si ergo distinguuntur formaliter à parte rei, etiam entitativè. Tum etiam: quia si relatio (v. g.) non esset res, sed formalitas, sequeretur, quòd personæ divinæ distinguerentur præcisè formaliter ex natura rei, ac proinde non daretur maior distinctio inter personas, ac inter attributa inter se; sed hoc est contra fidem: ergo distinctio formalis coincidit cum distinctione simpliciter rei à re. Tum denique: Nam propterea hæc distinctio esset præcisè formalis, quia non est inter res, seu entitates, sed inter formalitates eiusdem rei; sed hoc est contra suum Scotum loco in limine citato, vbi aiebat, quòd *in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & entitas B; & hæc non est formaliter illa*: ergo distinctio ex natura rei coincidit &c.

§. II.

Fundamenta præcipua Scoti.

11 ARguitur *primò*: Nam ea, quæ diversis definitionibus definiuntur, distinguuntur formaliter ex natura rei; sed essentia (v. g.) & relatio, intellectus, & voluntas &c. definiuntur in Deo diversis definitionibus: ergo distinguuntur formaliter ex natura rei. Maior est certa, quia definitio explicat naturam rei. Minor autem probatur: Nam essentia definitur in ordine ad se, & relatio in ordine ad suum correlativum: similiter intellectus definitur per ordinem ad verum; voluntas autem per ordinem ad bonum: ergo definiuntur diversis definitionibus.

Ad hoc argumentum respondetur, quòd solùm ea, quæ definiuntur diversis definitionibus adæquatis, distinguuntur realiter (immò entitativè) secùs verò quæ definiuntur diversis definitionibus inadæquatis. Essentia autem, & relatio, intellectus etiam, & voluntas possunt definiri dupliciter, scilicet, prout videntur à Beatis, & prout imperfectè cognoscuntur à nobis. Si ergo definiantur, prout cognoscuntur à Beatis; sic essentia, & relatio vnica tantùm definitione definiuntur; vt si dicatur de vna indivisibili entitate, & formalitate, quòd est ad se, & ad aliud; & de vna indivisibili formalitate, quòd est ad verum, & ad bonum. Si verò definiantur, prout à nobis imperfectè concipiuntur; tunc intellectus solùm definitur per ordinem ad verum, & voluntas per ordinem ad bonum, essentia in ordine ad se, & relatio in ordine ad alterum; sed inde

tan-

tantùm arguitur distinctio per rationem. Hæc solutio (quæ in se est clarissima, neque habet contra se aliquam obiectionem in Mastrio, qui hanc rem acuratiùs alijs Scotistis attingit) maiorem lucem accipiet ex dicendis in solutione argumenti sequentis.

12 Arguitur *secundò*: Ea, de quibus verificantur à parte rei prædicata contradictoria; debent distingui actualitèr, & formaliter à parte rei: sed de essentia, & relatione, de intellectu, & voluntate verificantur à parte rei prædicata contradictoria: ergo distinguuntur actualitèr formaliter à parte rei. Maior videtur certa: Nam oppositio contradictoria fundatur in illo vniversali principio *Quodlibet est, vel non est*, proindeque, si à parte rei verificantur prædicata contradictoria, vnum à parte rei non est aliud. Minor similitèr videtur evidens: Nam in primis de essentia verificatur, quòd identificat personas; de relatione, quòd illas distinguit, & sic de communicabilitate, & non communicabilitate: deinde de intellectu verificatur, quòd realitèr generat Verbum, & non de voluntate; & de voluntate, quòd realitèr spiratSpiritum-sanctum, & non de intellectu.

Hoc argumentum, quod est lapis lydius in hac controversia, & quod primò adductum fuit à Gilberto pro maiori distinctione, quàm formali ex natura rei, duplicitèr potest retorqueri in eius defensores. *Primò*: Nam ex eo sequitur, quòd iuxta qualitatem contradictoriarum sit qualitas distinctionis; aliàs nihil vrget; si ergo contradictoria verificantur non solùm in sensu formali, sed etiam realitèr simplicitèr; debent ea, de quibus sic verificantur, realitèr simplicitèr (hoc est entitativè) distingui: sed de essentia, & relatione in sensu reali, & simplicitèr verificatur, quòd distinguit, & non distinguit personas; quòd realitèr entitativè communicatur, & non communicatur: similitèr de Verbo verificatur, quòd realitèr entitativè procedit per intellectum, & non per voluntatem: ergo hoc genus arguendi vel adstruit maiorem distinctionem, quàm formalem illam quam concedit Scotus; vel non est efficax ad probandam distinctionem formalem ex natura rei. *Secundò è converso*: Deus, & Deitas non distinguuntur ex natura rei, iuxta sententiam Scoti relatam num. 2. vbi ex eo vidimus, quòd inter concretum, & abstractum, v. g. inter sapiens, & sapientiam, solùm datur distinctio ex modo concipiendi; & tamen de eis verificantur a parte rei prædicata contradictoria, nam de Deo verificatur, quòd generat filium, & non de Deitate. Ecce ergo quàm infirmum detegitur fundamentum Scoti, & quòd non minus vrget illum, quàm nos.

Respondetur iam ad argumentum, permittendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd sicut de essentia divina verificatur à parte rei, quòd identificat personas, & de relatione quòd illas distinguit; ita de relatione verificatur, quòd identificat, & de essentia, quod distinguit: quia nimirùm sunt vna simplicissima formalitas à parte rei, & sic non verificantur de illis prædicata contradictoria. ¶ Quod vt manifestius fiat: Nota, quòd de essentia divina non verificatur, quòd adæquatè sumpta identificat personas, sed inadæquatè accepta: neque de relatione adæquatè accepta verificatur, quòd eas distinguit, sed similitèr inadæquatè. Vt autem essent prædicata contradictoria, opus erat, quòd de essentia verificaretur, quòd tota identificat, & tota non identificat; & de relatione, quòd tota distinguit, & tota non distinguit. Cæterùm *identificare inadæquatè*, & *non identificare adæquatè* non sunt prædicata contradictoria, vt ex se liquet. Similitèr sicut de filio verificatur à parte rei, quòd procedit per intellectum; ita verificatur, quòd procedit per voluntatem: & sicut de Spiritu-sancto verificatur à parte rei, quòd procedit per voluntatem; ita de eo verificatur, quòd procedit per intellectum, quia intellectus, & voluntas est eadem indivisibilis formalitas. At hæc formalitas, estò indivisibilis, ob sui eminentiam in processione Verbi solùm explicatur inadæquatè secundùm munus intellectus connotativè ad nostros conceptus, & in processione Spiritus-sancti secundùm munus voluntatis: quia quæ in creatis faciunt res realitèr diversæ, in diuinis facit vna & indivisibilis formalitas eminentialitèr. Et hac ratione de filio dicitur, quòd procedit per generationem, & non de Spiritu-sancto, quin ex hoc arguatur distinctio aliqua à parte rei inter generationem, & processionem ex parte recti, sed tantùm ex parte connotati, quatenus illa formalitas in processione Verbi connotat Patrem vt principium *quod*, quà ratione illa formalitas est generatio; & in processione Spiritus-sancti connotat Patrem, & filium, & hac ratione non est generatio, sed processio.

Quæ doctrina est D. Augustini lib. *de Triplici habitaculo* cap. 27. vbi loquens de Beatorum cognitione, respectu quorum nulla datur distinctio inter intellectum, & voluntatem Dei, sic ait: *Tunc iustis manifestum erit, quid intereſt inter* nasci, *quod ad filium pertinet*, & procedere, *quod ad Spiritum-sanctum, excepto quòd vnus ex vno natus, alter ex duobus.* A quo illam hausit Div. Thomas, dum in 1. dist. 13. quæst. 1. art. 2. hæc ait: *Dico igitur secundùm hoc, quòd est in diuinis aliqua processio, secundùm quam vna persona procedit ab vna, & hæc est processio generationis, secundùm quam filius est à Patre. Et ideo dicitur per modum esse naturè, vel intellectus; procedit enim vt filius, & vt verbum; quia in vtroque modo istarum*

pro-

processionum, scilicèt naturę, & intellectus, est vnius ab vno processio. Item est aliqua processio in divinis, quę est simul à duobus::: & hæc distinguitur à prima secundùm originem:: & inde est, quòd ista processio dicitur per modum voluntatis esse. Ex quibus testimonijs, vt vides, duo colliguntur : quòd de Verbo dicitur, quòd procedit per generationem, quia procedit ab vna tantùm persona, & per *intellectum*, secundùm quòd significatur à nobis nomine proprio formali; & de Spiritu-sancto, quòd non procedit per generationem, quia procedit à duabus, & per modum *voluntatis*, prout hæc à nobis significatur nomine proprio. Ad quod non est necessarius recursus ad distinctionem formalem ex natura rei, sed sufficit recursus ad distinctionem eminentialem inter intellectum, & voluntatem, quatenus vna & indivisibilis formalitas ob sui eminentiam præstat à parte rei ea omnia, quæ præstant in creatis intellectus, & voluntas cum distinctione reali.

13 Sed dices : Nam Deo convenit à parte rei identificare inadæquatè, & Verbo convenit à parte rei procedere per intellectum inadæquate ; sed hoc repugnat, quin detur à parte rei aliquid penes quod identificat, nempè essentia, & aliquid penes quod non identificat, scilicèt relatio : & aliquid, per quod Verbum realitèr procedit, & aliquid per quod realitèr non procedit : ergo debet dari distinctio à parte rei inter essentiam, & relationem ; & inter intellectum, & voluntatem.

Respondetur, hanc replicam non continere aliud mysterium maius mysterio Trinitatis, in quo vnitas, non distinguitur à trinitate. Unde sicut in Deo tanta est eminentia, vt simul sit vnus, & trinus ; ita vna formalitas est vnitas & trinitas, communicatio & oppositio : & hæc eadem formalitas, prout explicatur nomine proprio *essentię*, est communicatio, & prout significatur nomine proprio *relationis*, est oppositio. Similitèr tanta est eius eminentia, vt intellectus, & voluntas sit eadem indivisibilis formalitas ; ita vt, inquantùm significatur à nobis nomine proprio *intellectus*, producat realitèr Verbum, & prout significatur nomine proprio *voluntatis*, producat Spiritum-sanctum. Et sic cum illa summa vnitate, tàm inter essentiam & relationes, quàm inter intellectum & voluntatem, non stat illa multiplicitas partium, sed ad verificandas has prædicationes inadæquatas sufficit illa summa eminentia, quæ æquivalet rebus creatis realitèr diversis.

14 Sed contra hanc solutionem objicit Mastrius num. 29. Nam eminentia, seu æquivalentia rebus creatis non tollit contradictionem actualem, & realem : ergo alia maior distinctio concedenda est. Antecedens probatur *primò* : Cum tali eminentia adhuc stat omnimoda identitas actualis illarum formalitatum, de quibus enuntiantur contradictoria ; sed de eodem nequit verificari, quòd est, & non est, quod est principium contradictoriarum : ergo non tollit contradictionem actualem realem. *Secundò* : Nam si hæc æquivalentia sufficeret ad tollendam contradictionem, nulla apparet via ad probandam contra hæreticum distinctionem realem personarum : cùm hæreticus posset dicere, quòd datur producens, & productum eminentialitèr, & non formalitèr.

Ad hanc obiectionem respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd cum illa eminentia naturæ divinæ stat identitas omnimoda formalis, non verò identitas virtualis, seu eminentialis, cum qua optimè verificari possunt à parte rei duo prædicata contradictoria sine contradictione. Neque illud principium, *Quodlibet est, vel non est*, petit ad sui veritatem maiorem distinctionem, vt tradit D. Thomas 1. dist. 5. quæst. 1. art. 1. ad 1. vbi ait : *Plura requiruntur ad alias oppositiones, quàm ad oppositionem contradictionis, quia se habent ex additione ad ipsam.* Et paulò infrà : *Immò sufficit etiam distinctio rationis ad affirmationem, & negationem, cum quelibet distinctio, vt dictum est, includat affirmationem, & negationem ; & talis distinctio, scilicèt rationis, est inter essentiam, & personam : sed opposita relativè aliquando requirunt diversitatem, vel distinctionem realem, & talia sunt, quę divinas personas distinguunt.* Per quod præclusa manet quædam tacita obiectio, quæ hìc fieri solet.

Ad secundam respondetur, quòd mysterium Trinitatis cum vnitate est adeò inexplicabile, & à nobis incomprehensibile, vt omni ratione efficaci destitutum maneat in hac vita. Unde potius supponi debet, & fide sincera credi, quàm contra hæreticum probari. Supositis tamen trinitate personarum in vnitate essentiæ, debemus discurrere medium aptius ad defendenda prædicata, quæ sunt propria vnitatis, & trinitatis. Et nullum aptius est præter illam eminentiam vnius formalitatis, quę æquivalet pluribus realitèr distinctis, ratione cuius potest formalitèr dicere communicationem, & oppositionem, in quibus stat summa totius trinitatis.

DUBIUM II.

Vtrùm præter distinctionem fundamentalem, & formalem rationis, detur inter divinas perfectiones distinctio virtualis intrinseca?

15 SUpponimus in titulo quæstionis cum communi sententia Thomistarum, & Jesuitarum, in Deo dari præter distinctionem realem personarum distinctionem ratio-

rationis ratiocinatæ, ac proinde fundamentalem. Sic D. Thomas in 1. dist. 22. art. 3. ad 4. vbi inquit: *Dicendum, quòd differunt nomina attributorum secundum rationem, non tamen quę sit solùm in ratiocinante, sed quę salvatur in ipsa re secundùm veritatem, & proprietatem rei.* Et brevitèr probatur: Nam ea distinguuntur in Deo ratione ratiocinata, seu fundamentali, quæ æquivalent in creatis rebus realitèr distinctis, & pertinentibus ad diversas lineas; sed plura sunt prædicata formaliter in Deo, quæ æquivalent in creatis rebus realitèr distinctis, pertinentibusque ad diversas lineas: ergo distinguuntur ratione ratiocinata, & consequenter distinctione fundamentali. Minor liquet in essentia, & attributis; in attributis inter se; & in prædicatis absolutis, & relativis. Difficultas tamen est, an inter hæc prædicata detur distinctio virtualis actualis intrinseca ante omnem operationem intellectus.

§. I.

Nostra Sententia.

16 Dicendum est, inter essentiam, & relationes, & attributa dari in Deo distinctionem virtualem actualem intrinsecam ante omnem operationem intellectus. Hanc conclusionem tenent Caiet. 1. p. q. 39. art. 1. Ferre in præs. quæst. 5. §. 3. asserens esse communem Thomistarum, N. Salm. tract. 3. disp. 1. à num. 57. & tract. 6. disp. 5. num. 47. alijsque in locis, quibus ex parte adhæret Esparza, quatenus hanc distinctionem concedit inter absoluta, & relativa, licèt non inter absoluta inter se. Quæ conclusio non obscurè colligitur ex illo Sapient. 7. vbi Deus, prout est in se, dicitur *Spiritus vnicus, multiplex*: vnicus propter summam eius simplicitatem; multiplex verò ob virtualem distinctionem, & pluralitatem eorum, quæ in eo sunt, vt exponit D. Aug. ep. 102. lib. 11. de Civit. Dei, cap. 10. Non leviterque insinuatur à D. Thoma in 1. dist. 22. art. 3. ad 4. vbi ait: *Dicendum, quòd differunt nomina attributorum secundùm rationem, non tamen quæ sit solùm in ratiocinante, sed quæ salvatur in ipsa re secundùm veritatem, & proprietatem rei.* Inquibus verbis satis insinuat, distinctionem rationis supponere aliam secundùm proprietatem, in qua fundetur.

17 Ratione probat hanc conclusionem Ferre hoc modo: Nam in Deo non sunt idem distinctio fundamentalis rationis, & distinctio virtualis; sed in Deo datur distinctio virtualis, & fundamentalis: ergo præter distinctionem fundamentalem datur inter prædicata divina distinctio virtualis intrinseca. Maior probatur: Nam stat in Deo distinctio fundamentalis rationis, quæ non sit virtualis, vt liquet inter essentiam vt radicem attributorum, & ipsam vt habet rationem *speciei intelligibilis*, & inter potentiam intellectivam, & executivam, inter quæ prædicata datur distinctio fundamentalis, quæ non est virtualis.

Sed hæc ratio non est efficax, quia falsò supponit inter illa prædicata dari distinctionem fundamentalem. Distinctio enim fundamentalis versatur inter ea, quæ pertinent ad lineas adæquatè diversas; sed essentia divina, vt habet rationem *speciei*, pertinet ad eandem formalissimè lineam cum seipsa, vt habet rationem *radicis* attributorum, vt vidimus disp. præced. num. 36. Idemque apparet in intellectu, vt habet rationem *potentiæ intellectivæ*, & *potentiæ executivæ*, supposito quòd in eo consistat, de quo alibi: Nam vt potentia executiva non addit supra seipsum nisi rationem *practici*; sed inter intellectum practicum, & speculativum non datur distinctio fundamentalis adhuc increatis: ergo.

18 Missa igitur hac ratione, probatur nostra conclusio: Nam virtualis distinctio actualis realis est multiplicitas virtualis actualis realis; sed datur in Deo multiplicitas virtualis actualis realis: ergo datur distinctio virtualis actualis realis. Maior ex se liquet. Et minor probatur: Tunc datur multiplicitas virtualis actualis realis, quando vna simplicissima formalitas est realitèr actualitèr plures rationes, quæ increatis realitèr formaliter distinguuntur, pertinentque ad diversas lineas; sed in Deo datur vna simplicissima formalitas, quæ est realiter actualitèr plures rationes, quæ increatis realitèr formaliter distinguuntur: ergo datur in Deo multiplicitas virtualis actualis realis. Maior videtur certa: Nam per multiplicitatem virtualem actualem realem nihil aliud intelligimus, nisi vnam indivisam formalitatem à parte rei, quæ ante omnem operationem intellectus præstat formalitèr totum, quod præstant in creatis res realitèr distinctæ, pertinentesque ad diversas lineas, nam hoc ipso illa formalitas est virtualiter actualitèr, & realitèr multiplex: sicut lux est realitèr actualitèr virtualitèr calor, quia producit formalitèr realitèr calorem sicut ignis. Minor probatur: Nam essentia divina realitèr formaliter est ad se, relatio divina realitèr formaliter est ad alterum: Deus per intellectum intelligit, & per voluntatem amat; sed hæc præstantur in creatis à rebus realitèr distinctis, pertinentibusque ad diversas lineas: ergo.

Roboratur hæc ratio, & simul præcluditur tacita evasio: Si repugnaret intellectus creatus, repugnaret in Deo distinctio fundamentalis; & tamen esset in eo distinctio virtualis actualis: ergo præter distinctionem rationis, vel fundamentalem, vel formalem, datur in Deo distinctio virtualis actualis. Maior est certa: Nam repugnante forma, etiam repugnat fun-

damentum formæ, ad formam enim chimericam, nec fundamentum petitur, nec datur: repugnante verò intellectu creato, repugnaret distinctio rationis, quæ est forma illius fundamenti, ac per consequens necesse erat, quòd repugnaret fundamentum. Minor verò probatur: Nam in illa suppositione adhuc formalitas simplicissima Dei esset eminentissima per continentiam actualem diversarum perfectionum creatarum, illasque præstaret formaliter, sicut ipsæ res creatæ; sed in hac eminentia consistit distinctio virtualis actualis, quam adstruimus: ergo distinctio virtualis actualis daretur inter prædicata divina sine distinctione præcisè fundamentali, quam adstruunt præcisè alij Thomistæ.

Confirmatur *primò*: Nam hæc distinctio virtualis actualis à parte rei in primis non lædit, sed potiùs auget simplicitatem Dei; aliunde melius conducit ad hoc, vt de eadem formalitate verificentur prædicata contradictoria: ergo ponenda est in Deo. Maior probatur: Nam hæc multiplicitas virtualis consistit in vnitatè vnius formalitatis, qua Deus in se continet plura, quæ in alijs sunt formaliter disperſa: ergo quantò res est simplicitior, tantò est multiplicior virtualiter, sicut maior est simplicitas in eo, qui habet vim adunandi decem, quàm in eo, qui habet vim adunandi præcisè quinque: ergo hæc multiplicitas virtualis non lædit simplicitatem, sed potius eam auget:

Minor deinde probatur: Nam aliqua distinctio requiritur, vt à parte rei verificentur prædicata contradictoria; sed distinctio formalis ex natura rei non datur, distinctio rationis non sufficit: ergo datur distinctio hæc virtualis à parte rei, ratione cuius verificatur prædicata contradictoria. Minor probatur: Tum, quia ea, quæ tantùm ratione differunt, licèt sint plura connotativè ad nostros conceptus, à parte rei sunt actualiter, & formaliter idem; ergo ratione distinctionis rationis nequeunt à parte rei prædicata contradictoria verificari. Tum etiam: Nam Deus pro priori ad cognitionem creaturarum perfectissimè cognoscit seipsum in seipso: ergo independenter à distinctione rationis, orta vel actualiter, vel posſibiliter, vel signatè ab intellectu creato, cognoscit essentiam suam esse communicabilem, & Paternitatem esse incommunicabilem: ergo distinctio rationis, vel fundamentalis, vel actualis, non deservit ad verificanda prædicata contradictoria.

19 Respondent Mastrius, & Palanco, quibus hæc distinctio non placuit, negando esse necessariam ad verificanda de Deo à parte rei duo prædicata contradictoria: Nam suppositâ hac distinctione, vel verificatur à parte rei de essentia, quòd formaliter communicatur, & non relatio; vel verificatur, quòd vtraque formaliter communicatur. Si dicatur secundum: ergo essentia est virtualiter relatio. Si dicatur primum: ergo non solum virtualiter, sed etiam formaliter distinguuntur. Hæc Palanco. *Alijs terminis*: Distinctio virtualis vel ponit aliquid actu distinctum inter essentiam, & relationem, vel non? Si primum: ergo non solùm est distinctio virtualis, sed etiam actualis formalis. Si secundum: ergo nequit à parte rei fundare veritatem contradictionis. Hæc Mastrius.

Sed contrà est *primò* contra Mag. Palanco: Nam iuxta eiusmodum dicendi, de eadem formalitate essentiæ à parte rei verificatur, quòd inadæquatè communicatur, & quòd inadæquatè non communicatur: ergo à parte rei dari debet distinctio inter partem (vt sic dicamus) quæ communicatur, & partem, quæ non communicatur; sed hæc distinctio nequit esse formalis ex natura rei; aliunde in eius sententia inutilis est distinctio rationis, sive fundamentalis, sive formalis: ergo concedenda est à parte rei aliqua distinctio virtualis intrinseca inter essentiam, & relationem. Itaque dicimus, quòd in Deo datur à parte rei formaliter essentia, & datur à parte rei formaliter relatio, vtraque est vna simplicissima formalitas, de qua à parte rei verificatur, quòd secundum id, quod dicit de absoluto, est communicabilis; & secundùm id, quòd dicit de relativo, non est communicabilis. Hoc autem facit ex vna parte summa simplicitas Dei, cui repugnat omnis distinctio formalis à parte rei; & ex alia summa eminentia illius formalitatis, ratione cuius æquivalet rebus realiter distinctis in creatis, & præstat formaliter à parte rei totum, quod res creatæ præstant. Et in hoc consistit distinctio virtualis.

Per quod evacuatum manet id, quod Mastrius proponebat. Nam hæc distinctio virtualis nihil actu ponit distinctum formaliter, sed tantùm virtualiter: Quod quidem sufficit ad verificanda à parte rei prædicata contradictoria: quia eminentia illius formalitatis sine distinctione non est minùs potens ad præstandos illos effectus, res creatæ cum distinctione quàm præstant.

20 Sed pro maiori luce huius distinctionis virtualis: Nota, quòd licèt reipsà omnis distinctio virtualis sit etiam fundamentalis, & omnis distinctio fundamentalis sit etiam virtualis; non tamen sunt formalissimè eadem distinctio, ad hunc sensum quòd ab eodem capite sumatur vna, & alia. Nam distinctio fundamentalis sumitur per ordinem ad intellectum creatum; sed distinctio virtualis sumitur ab ipsa formalitate divina prout est in se. Et sic prius intelligimus in Deo hanc distinctionem virtualem; quam posteà intelligimus esse fundamentalem, seu præstare fundamentum, vt intellectus noster illam dividat formaliter; & ex vi huius datur in Deo distinctio formalis per rationem.

***

§. II.

§. II.

Refellitur sententia contraria.

21 DIstinctionem virtualem inter prædicata divina ægrè ferunt plures Authores tàm extra, quàm intra Scholam D. Thomæ, maximè Godoy tract. 1. in 1. part. disp. 5. à num. 46. Palanco 1. part. disp. 2. quæst. 10. & alij. Et arguunt *primò* authoritate negativa D. Thomæ: Qui quidem nunquam talem distinctionem recognoscit; neque ad veritatem duarum contradictoriarum recurrit ad illam, sed præcisè ad distinctionem rationis: ergo signum est non dari huiusmodi distinctionem virtualem, nec esse necessarium ad verificanda à parte rei prædicata contradictoria.

Et confirmatur hoc ex Concilio Florent. & PP. relatis num. 3. vbi vidimus, solùm meminisse distinctionis rationis inter essentiam, & personas: Et ex Concil. Lateran. quod fatetur in Deo summam simplicitatem realem: ergo non datur à parte rei hæc multiplicitas virtualis.

Ad argumentum respondetur, retorquendo *primò* illud in Illust. Palanco. (cuius est) Nam iste Author apertè ait loco suprà citato num. 37. distinctionem rationis sive formalem, sive fundamentalem inutilem esse ad veritatem duarum contradictoriarum; cùm tamen D. Thomas ad illam recurrat. *Secundò*: Quia D. Thomas nunquam expressis verbis divisit distinctionem rationis in distinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis; & tamen iste Author loco citato quæst. 11. num. 3. ait, dari inter prædicata divina vtramque distinctionem respectivè: ergo sicut hoc argumentum negativum non est efficax ad non admittendam vtramque hanc distinctionem, ita non erit efficax ad negandam distinctionem virtualem. *Maximè*: Quia verbis suprà num. 15. relatis non obscurè fatetur aliam distinctionem in Deo præter distinctionem rationis: Cumque hæc distinctio nequeat esse formalis à parte rei in eius sententia, planè infertur non esse aliam præter distinctionem virtualem à nobis hucusquè probatam. ¶ Adde, quòd distinctio rationis ratiocinatæ est valdè affinis distinctioni nostræ virtuali: quia hæc est, quæ præbet fundamentum ad illam; vel est fundamentalitèr illa. Unde sub nomine *distinctionis rationis* implicitè comprehendit illam. Præterquàm quòd loquitur de distinctione prædicatorum Dei, prout à nobis concipiuntur, vel connotatis nostris conceptibus; non de distinctione illorum prout sunt in se. Quia ratione Concilium Florentinum etiam recurrit ad illam, & non ad distinctionem virtualem. ¶ Ad id quod additur de Concil. Later. Respondetur ex dictis num. 18. quòd hæc distinctio non lædit divinam simplicitatem, sed potiùs illam auget; vt quidam etiam ex adversarijs fatentur: vnde ex hac parte non est, cur Deo denegetur.

22 Arguitur *secundò*: Nam si deberet poni distinctio virtualis intrinseca inter prædicata divina, maximè vt de eadem formalitate à parte rei possent verificari prædicata contradictoria; sed ad hoc præstandum ex vna parte hæc distinctio non est necessaria; & ex alia falsum est, quòd hæc distinctio sufficiat: ergo non est adstruenda in Deo. Minor quoad primam partem suadetur: Nam vt verificentur à parte rei prædicata contradictoria sine contradictione, sufficit distinctio fundamentalis: eo enim ipso quòd detur diversum fundamentum, est aliqua diversitas obiectiva, quæ quidem sufficit ad affirmanda prædicata contradictoria. ¶ Quoad secundam partem etiam probatur: Nam, salva vnitate formali inter essentiam & relationem, implicat, quòd de essentia affirmetur à parte rei, quod de relatione negatur; sed distinctio virtualis non tollit; quòd essentia & relatio à parte rei sint eadem simplicissima formalitas: ergo hæc distinctio non sufficit ad affirmanda sine contradictione à parte rei prædicata contradictoria. Maior probatur: Nam, salva vnitate formali inter essentiam & relationem, relatio est realiter formalitèr communicabilis: nam si realiter formalitèr non est communicabilis, realitèr formaliter non est essentia; cùm eo modo vnum ex duobus non sit aliud, quo de eo verificatur vnum prædicatum, quod de alio non verificatur: ergo, salva vnitate formali inter essentiam & relationem, implicat, quòd de essentia affirmetur à parte rei, quod de relatione negatur. ¶ Explicatur: *Verificari realitèr aliquid de essentia, quod realiter non verificatur de relatione*, est *essentiam esse realitèr aliquid, quod realitèr non est relatio*; sed ex hoc arguitur maior distinctio, quàm distinctio virtualis: ergo distinctio virtualis non sufficit ad verificanda prædicata contradictoria à parte rei.

Ad hoc argumentum facilè respondetur. *Primò*, quòd distinctio virtualis non ponitur in Deo ex capite verificationis duplicis prædicati contradictorij: sed ex capite eminentiæ vnius indivisibilis formalitatis à parte rei, quæ vnit & continet in se formalitèr perfectiones diversarum rerum (quia eo ipso est eminentèr, æquivalentèr, seu virtualitèr multiplex) ad quod de materiali est, quòd de essentia à parte rei verificetur aliquid, quod de relatione non verificatur. *Maximè*, quia si distinctio fundamentalis est sufficiens ad affirmanda à parte rei sine contradictione duo prædicata contradictoria, non est cur ad hoc non sufficiat distinctio virtualis; cùm distinctio hæc sit ipsissima distinctio fundamentalis, hoc est, quæ præbet fundamentum ad distinctionem formalem rationis, vt suprà notavimus: nam supposita identitate in-

trinseca excludente distinctionem virtualem,difficile est intelligere diversitatem fundamentalem.

Respondetur *secundò*, quòd salva identitate formali inter essentiam & relationem,licèt de entitate & realitate relationis non possit à parte rei negari, quod de entitate & realitate essentiæ conceditur; salva tamen identitate formali, potest à parte rei de virtualitate relationis negari,quod de virtualitate essentiæ affirmatur. Ratio primi est:quia cùm essentia & relatio sint vna indivisibilis realitas & entitas,idem est aliquid affirmari de essentia, ac affirmari de entitate, quæ est essentia & relatio :& sicut de essentia verificatur, quòd est communicabilis à parte rei; ita de entitate relationis verificatur, quòd à parte rei est communicabilis : & sicut de relatione verificatur à parte rei,quòd est incommunicabilis; ita de entitate ,quæ est essentia,verificatur hoc à parte rei. Ratio verò secundi est: quia illa formalitas ita est formaliter à parte rei indivisibilis, quòd ob sui eminentiam æquivalet distinctioni reali actuali formali, & est virtualiter multiplex. Ideòque sicut distinctio realis actualis formalis sufficit in creatis ad affirmanda duo prædicata contradictoria ; ita distinctio hæc eminentialis æquivalens, seu virtualis sufficit in divinis. Ac proinde de virtualitate essentiæ verificatur à parte rei formaliter, quòd est communicabilis; & de virtualitate relationis, quòd est formaliter incommunicabilis, quin inter virtualitatem essentiæ, & virtualitatem relationis salvetur distinctio formalis à parte rei. Sicut in sententia arguentium à parte rei verificantur illa prædicata contradictoria, quin ex hoc arguatur nisi distinctio præcisè fundamentalis, vt vult Godoy num. 74.vel distinctio inadæquata, vt vult Palanco, quæ difficilior est explicatu.

Ad probationem, & ad illius maiorem explicationem respondetur, verum esse, quòd de virtualitate relationis verificatur, quòd formaliter est incommunicabilis; & de virtualitate essentiæ, quòd formaliter est communicabilis. Cum hoc tamen optimè cohæret, quòd *esse communicabile formaliter*, & *esse incommunicabile formaliter* non sit aliud,& aliud formaliter, quod erat necesse ad distinctionem formalem à parte rei,sed tantùm aliud,& aliud virtualiter:quia de eadem formalitate realiter tali, & virtualiter multiplici possunt ob sui eminentiam pradicari,communicari formaliter, & non communicari formaliter.

23 Sed dices: De virtualitate essentiæ verificatur, quòd formaliter à parte rei est communicabilis; sed de virtualitate relationis negatur, quòd formaliter à parte rei est communicabilis: ergo aliquod prædicatum formale negatur à parte rei de virtualitate relationis, quod à parte rei affirmatur de virtualitate essentiæ: ergo hoc prædicatum formale, quod prædicatur formaliter de virtualitate essentiæ, distinguitur formaliter à virtualitate relationis.

Respondetur, hanc replicam magis vrgere Authores num. 21. relatos, qui non admittunt à parte rei distinctionem virtualem, vt ex se liquet: Dicimus ergo, quòd aliud est, quòd *esse communicabile* sit prædicatum formale in se; & aliud, quòd formaliter non prædicetur de virtualitate relationis. Ita enim est prædicatum formale in se, quòd *esse incommunicabile* non est aliud prædicatum formale ab ipso; sunt tamen duo virtualiter.Unde,qua parte sunt vnum prædicatum formale, nullum prædicatum formale affirmatur de virtualitate essentiæ, quod non affirmetur de virtualitate relationis, vt explicantur nomine *vnius simplicissimæ formalitatis*: Sed qua parte essentia, & relatio, communicabile, & incommunicabile sunt duo prædicata virtualia, *esse communicabile* potest prædicari formaliter de virtualitate essentiæ, & non de virtualitate relationis: ad quod sufficit distinctio virtualis eminentialis.

24 Sed contrà objicit immediate Mastrius num. 30. (& erit tertium argumentum) Nam *communicari*, & *non communicari* formaliter & simpliciter reperiuntur in divinis: ergo subiecta, de quibus prædicantur, debent in Deo esse formaliter & simpliciter : non ergo poterunt eis convenire per id, quod in Deo est tantùm secundùm quid; sed distinctio virtualis est distinctio tantùm secundùm quid, cùm compatiatur cum identitate formaliter & simpliciter tali: ergo hæc distinctio virtualis inepta est ad affirmanda formaliter à parte rei duo prædicata contradictoria.

Sed hoc argumentum retorquetur in Mastrium. Nam distinctio formalis ex natura rei est distinctio tantùm secundùm quid; sed *communicari* & *non communicari* reperiuntur in Deo simpliciter: ergo distinctio ex natura rei inepta est ad affirmanda duo prædicata contradictoria: necessaria ergo erit distinctio simpliciter.Quod est incidere in sententiam Gilberti.

Respondetur ergo ad illud, quòd sicut in Deo ob sui infinitatem,vt volunt Scotistæ cum suo Subtili Doctore, sufficit distinctio formalis ex natura rei (quæ est distinctio secundùm quid) vt verificentur in eo realiter simpliciter *communicari*, & *non communicari*; ita ob sui eminentiam cum summa simplicitate sufficit ad illa affirmanda sine contradictione distinctio virtualis intrinseca.Quæ distinctio, estò virtualis,non tollit,quòd subiecta,de quibus prædicantur,sint formaliter in Deo;sed tantùm tollit, quòd sit vnum, & aliud formaliter ex natura rei: sicut veritas illorum prædicatorum in sententia Scoti tollit distinctionem entitativam. Quæ solutio explicatur hoc exemplo: Sol tantùm est calidus virtualiter in se; & tamen de eo prædicatur, quòd formaliter producit calorem: ergo

ergo similiter, estò inter essentiam, & relationem solùm detur distinctio virtualis, poterit ratione illius prædicari formaliter de illis *communicari*, & *non communicari formaliter*.

25 Arguitur *vltimò*: Nam ideò daretur distinctio virtualis intrinseca inter prædicata divina, quia vna formalitas æquivalet rebus creatis realiter distinctis; sed hæc æquivalentia nec requiritur, nec sufficit ad hanc distinctionem: ergo in Deo non datur distinctio virtualis intrinseca. Minor quoad primam partem probatur: Nam bonitas, & veritas distinguuntur virtualiter, supposito quòd alia prædicata divina sic distinguantur; & tamen non æquivalent distinctioni reali in creatis, cùm non distinguantur realiter in creatis: ergo ad distinctionem virtualem non requiritur æquivalentia rebus creatis realiter distinctis. Quoad secundam partem etiam probatur: Nam personalitas æquivalet relationi, & personalitati creatis, quæ realiter distinguuntur; & tamen in illa non datur distinctio virtualis: ergo æquivalentia rebus creatis realiter distinctis non sufficit ad distinctionem virtualem.

Ad hoc argumentum respondetur negando minorem quoad vtramque partem. Et ad probationem prioris dicendum est, quòd inter veritatem, & bonitatem divinas, propriè loquendo, non datur distinctio virtualis intrinseca. Distinguuntur tamen obiectivè seu extrinsecè, quatenus eadem formalitas & virtualitas est potens terminare duas potentias virtualiter distinctas, quia ex genere non requiritur tanta distinctio in obiectis, ac in habitibus, seu potentijs. Et sic essentia divina secundùm se, & vt est persè nota, & vt est causa & radix attributorum, specificat intellectum, intelligentiam, & scientiam; quæ vtiquè virtualiter intrinsecè distinguuntur, quin hæc distinctio reperiatur intrinsecè in ipsa essentia divina.

Ad probationem posterioris respondetur, non quamcumque æquivalentiam rebus creatis realiter distinctis esse sufficientem pro hac distinctione virtuali, quam adstruimus; sed æquivalentiam rebus creatis pertinentibus ad diversas lineas ex genere suo. Porrò personalitas & relatio creatæ non pertinent ad diversas lineas ex genere, sed præcisè ex limitatione, ex qua provenit, quòd personalitas sit substantia, & relatio accidens; personalitas quid absolutum, & relatio quid relativum: aliàs etiam in divinis personalitas esset quid absolutum, & non relativum. Qua de causa inter personalitatem divinam, & relationem non datur hæc distinctio virtualis intrinseca.

26 Sed dices: Essentia divina correspondet conceptui *in* absoluto, qui reperitur in relatione creata, & relatio divina æquivalet conceptui *ad*; sed inter hos conceptus in creatis non datur distinctio realis: ergo vel non datur distinctio virtualis intrinseca inter essentiam divinam, & relationem; vel ad illam non requiritur æquivalentia rebus creatis.

Respondetur, æquivalentiam rebus creatis realiter distinctis non omninò requiri ad distinctionem virtualem intrinsecam, sed sufficere æquivalentiam rebus creatis, quæ distinguuntur tantùm virtualiter; imbibunt tamen ex vi huius distinctionis limitationem: nam eo ipso, quòd hæc verificentur in creatis, non exuuntur ab omni compositione; benè verò in divinis. Ex quo sequitur, quòd reipsa in Deo reperiuntur cum maiori simplicitate & eminentia, quàm in creatis; quòd est sufficiens ad distinctionem virtualem. Et hoc pacto se habent essentia divina, & relatio in Deo; & in creatis conceptus *In* absolutus, & relativus: propterea que possunt in divinis gaudere distinctione virtuali. Maximè, quia estò ex hoc capite non distinguerentur virtualiter, distinguerentur ex alio, scilicet, quia essentia divina dicit ex suo conceptu formali substantiam, & existentiam absolutam, quæ ex genere distinguuntur à relatione, & in creatis realiter.

27 Ex his omnibus colligitur *primò*, quòd hæc distinctio virtualis est actualis, & realis: actualis, quia actu virtualitas essentiæ non est virtualiter virtualitas relationis: realis, quia est ante omnem operationem intellectus, & ante omnem connotationem ad illum. Neque òb hoc coincidit cum distinctione Scotica: Nam hæc est à parte rei formalis destruens omnimodam simplicitatem; illa autem non est formalis, neque destruit divinam simplicitatem: ista enim dicit exclusionem realem vnius formalitatis ab alia; illa verò potiùs dicit inclusionem vnius formalitatis in alia, vt dicemus dub. seq.

28 Colligitur *secundò*, quòd licèt *communicari*, & *non communicari adintrà* arguat distinctionem virtualem intrinsecam in divinis; secùs verò *communicari*, & *non communicari extrinsecè*. Undè estò essentia divina per modum *speciei* communicetur adextrà, & non sub conceptu *naturæ*, & natura sub conceptu *existentiæ* communicetur humanitati, & non sub conceptu *essentiæ*, non debet inter hos conceptus inveniri hæc distinctio virtuais intrinseca. Et ratio discriminis est: quia quælibet virtualitas divina adintrà communicatur, quantùm potest, quia non adest repugnantia ex parte recipientis, quocircà si sub vno conceptu, nempè *essentiæ*, communicatur filio, & non sub conceptu *paternitatis*, signum est, quòd inter essentiam, & paternitatem datur distinctio virtualis intrinseca. Cæterùm quia adextrà non communicatur quælibet virtualitas quantùm potest, propter incapacitatem recipientis, quod ob sui limitationem non est subiectum capax vnius virtualitatis infinitæ, propterea potest communicari adextrà sub aliquo conceptu,

& non sub alio, quin ex hoc arguatur distinctio virtualis intrinseca.

DUBIUM III.

Vtrùm Paternitas, quatenus virtualitèr distincta à natura divina, includat illam intrinsecè per transcendentiam, & è converso?

EX resolutione huius dubij pendet maior explicatio simplicitatis Dei, propterea illud præcedentibus immediatè annectimus. Sed vt faciliùs vtramque partem, quam proponit, resolvamus, aliqua notabilia præmittemus.

§. I.

Explicatio tituli.

29 NOta *primò* ex dictis duobus dubijs præcedentibus, Paternitatem divinam posse considerari dupliciter, vel prout est idem actu & formalitèr cum essentia divina; vel prout virtualitèr distinguitur ab ea. Certum omnino est, quòd si consideretur priori modo, includit essentialiter naturam divinam; cùm sit vna simplicissima formalitas eminentissima continens formalitèr eminenter absolutum, & relativum. Et hac ratione difficultas non procedit cum Scotistis. Solùm ergo procedit de ipsa Paternitate, quatenus virtualitèr distinguitur à natura divina. Et sic concertatio hæc est tantùm inter Thomistas,& Iesuitas.

30 Nota *secundò*, Paternitatem posse sumi adhuc dupliciter, vel in concreto, quo pacto meliùs explicatur nomine *Patris*; vel in abstracto, & hoc modo exprimitur nomine proprio ipsius *Paternitatis*. Igitur titulus quæstionis non procedit de Paternitate priori modo sumpta: nam certum omnino est,Patrem dicere intrinsecè naturam divinam adhuc vt virtualitèr distinctam. Tum, quia in ratione *personæ* constituitur intrinsecè per naturam divinam: Tum,quia Deus in concreto prædicatur essentialitèr, & formalitèr de Patre. Non tamen est æquè certum, an in abstracto considerata Paternitas includat naturam divinam eodem modo sumptam.

Nota *tertio*, duplicem esse transcendentiam, aliam rationis, & alteram rei. Inter quas est hæc differentia, quòd ad transcendentiam rationis requiritur, quòd ita transcendens fiat de linea illius, per quod transcendit, absque distinctione virtuali, vt multiplicetur, & distinguatur ad multiplicationem, & distinctionem illorum, per quæ transcendit. Et hoc pacto est ens in communi. Ad transcendentiam verò rei non requiritur tanta hæc identitas, neque quòd conceptus transcendens fiat eiusdem lineæ cum conceptu, per quem transcendit, sed vnusquisque remanet cum propria ratione virtuali: & per consequens servari debet inter eos distinctio intrinseca, quæ pro priori ad transcendentiam inter illos considerabatur. Ex quibus modis transcendentiæ certum omnino est,essentiam divinam non transcendere transcendentia rationis per Paternitatem, aliàs non esset distincta virtualitèr ab ea, neque pertineret ad diversam lineam adæquatam. Quocircà titulus quæstionis solùm intelligitur de transcendentia rei.

32 Nota *quartò*, naturam divinam posse considerari dupliciter; vel sub expresso conceptu *naturæ*, seu *essentiæ*, vel sub ratione *transcendentis*. Inter quos conceptus licèt non detur distinctio virtualis, dubio præcedenti stabilita inter alia prædicata divina, consequenterquè vnus conceptus non addat aliquam virtualitatem positivam supra alium; nihilominus distinguuntur inter se penes diversas carentias, quas explicant:nam sub conceptu *naturæ* dicit carentiam vlterioris contractionis intra propriam lineam, & dicit positivè vltimum conceptum, per quem metaphysicè constituitur in sua linea adæquata.Sub ratione verò *transcendentis*, seu secundùm se dicit carentiã *vltimitatis*,& *terminationis* in quacumque linea; imo dicit post se illam rationem, per quam transcendit, vt vltimam & rationis transcendentis determinativam.Et sub vtraque consideratione procedit quæstio.

33 Nota *quinto* (ne multiplicemus terminos) idipsum, quod de natura divina dictum fuerit erga Paternitatem,dicendum esse de attributis, quia militat de eis eadem ratio, vt ex disputatione constabit: & similiter, quod dictum fuerit de ea per ordinem ad Paternitatem, dicendum est per ordinem ad alias relationes:Immò id ipsum dicendum est de spiratione activa per ordinem ad Paternitatem, & filiationem, quod stabilitum fuerit de essentia in ordine ad Paternitatem, vel de Paternitate in ordine ad essentiam: quia sicut essentia est communis tribus personis, ita spiratio activa est communis Patri, & filio. Quibus prænotatis;

§. II.

Prima conclusio.

34 DIcendum est *primò*, naturam divinam secundùm se consideratam, seu vt transcendentem includi intrinsecè in Paternitate, essèque de essentia illius, quin obstet distinctio virtualis intrinseca. Sic D.Thomas infrà quæst. 33. art. 3. ad 1. vbi ait: *Communia absolutè dicta secundùm ordinem intellectus nostri sunt priora, quàm propria: quia includuntur in intellectu propriorum*;sed natura divina est prædicatum commune, & Paternitas proprium: ergo iuxta D. Thomam essen-

ſentia divina includitur eſſentialitèr in Paternitate. Ang. Præceptorem ſequuntur communiter eius Diſcipuli.

Deinde probatur ratione : Nam hæc propoſitio eſt vera , *Paternitas eſt Deus*: ergo eſſentialitèr Paternitas eſt Deus : ergo eſſentia includitur eſſentialitèr in Paternitate. Hæc vltima conſequentia eſt legitima. Antecedens eſt certum adhuc in ſententia Scoti. Et tandem prima conſequentia probatur : Nam idem eſt *Paternitatem eſſe Deum* , ac *eſſe ens divinum* ; ſed Paternitas eſſentialitèr eſt ens divinum : ergo etiam eſt eſſentialitèr Deus. Maior videtur certa. Et minor probatur : Nam eſſentialiter eſt ens : ergo eſt eſſentialitèr ens divinum. Antecedens eſt certum:quia non minùs de formalitate qualibet divina prædicatur ens , ac de formalitate qualibet creata : vnde cùm ens eſſentialitèr prædicetur de relatione creata , non eſt cur non prædicetur de Paternitate divina. Conſequentia etiam liquet : Nam ens prædicatur eſſentialitèr de Deo, prout immediatè determinatur per ens divinum , & non niſi medio ente divino:ergo idem dicendum eſt de quacumque eius formalitate.

Confirmatur:Nam relatio creata in abſtracto includit eſſentialitèr conceptum *In* abſolutum,& conceptum *Ad* : ergo relatio divina in abſtracto includit eſſentialiter eſſentiam.Antecedens videtur certum : Nam relatio creata includit eſſentialitèr rationem communiſsimam *accidentis*,& dicit propriam exiſtentiam ; ſed ratio communiſsima *accidentis* eſt *In* abſolutum , cùm dicat ordinem ad ſubiectum , cui inhæret , & ratione alicuius prædicati abſoluti dicit perſè ordinem ad exiſtentiam : ergo relatio creata includit eſſentialitèr conceptum *In* abſolutum. Conſequentia verò probatur : Nam cuilibet formalitati repertæ in relatione creata debet correſpondere ſua formalitas ex parte relationis divinæ, vt contingit in alijs prædicatis,& in ipſa relatione,cui ſecundum *Ad* correſpondet conceptus *Ad* divinæ relationis:ergo ſi in relatione creata datur conceptus *In* abſolutus,& conceptus *Ad* relativus,etiam in relatione divina debet dari eſſentialitèr aliquis conceptus abſolutus illi correſpondens;qui non eſt alius,niſi eſſentia divina.

35 Reſpondebis : fatendo quidem relationem creatam includere eſſentialitèr *In* abſolutum ; cæterum conceptus *Ad* non includit conceptum *In* : aliàs tranſcendentia rei non eſſet proprium prędicatum Dei. Vnde cùm eſſentia divina æquivaleat conceptui *In* abſoluto, & relatio divina conceptui *Ad*, potiùs ex hoc infertur , quòd natura divina non includatur eſſentialitèr in Paternitate.

Sed contrà eſt : Nam eo ipſo quòd relatio creata includat eſſentialitèr *In* abſolutum,etiam relatio divina debet eſſentialitèr illud includere; ſed cum hoc non ſtat , quòd conceptus *In* abſolutus comparetur ad conceptum *Ad* in divinis ſicut in creatis : ergo eſtò conceptus *In* abſolutus non includatur eſſentialitèr in conceptu *Ad* in creatis , non ſequitur , quòd natura divina non includatur eſſentialitèr in conceptu *Ad* relationis divinæ. Maior conſtat ex perfecta æquivalentia relationis divinæ relationi creatæ. Minor verò probatur : Nam ea, quæ formalitèr reperiuntur in creatis , debent inveniri in divinis, ſecluſis imperfectionibus ; ſed ex limitatione provenit , quòd conceptus *In* abſolutus non includatur eſſentialitèr in conceptu *Ad* in creatis : ergo cùm limitatio ſit ex genere nota magnæ imperfectionis , neceſſario fatendum eſt, quòd natura divina includitur eſſentialitèr in relatione divina. Minor probatur: Nam ex limitatione provenit,quòd conceptus abſolutus faciat compoſitionem cum conceptu *Ad*;ſed compoſitio ex genere dicit excluſionem vnius ab alio:ergo ex limitatione provenit, quòd conceptus *In* abſolutus in creatis non includatur eſſentialitèr in conceptu *Ad*.

36 Nec valet recurſus aliquorum ad alium conceptum abſolutum valde diverſum ab eſſentia , & attributis , ſicut ſapientia divina illum dicit. ¶ Non , inquam , valet : Tum quia ſapientia præter *In* abſolutum proprium ſuæ lineæ petit includere eſſentiam, vt ex dicendis infrà alijs rationibus conſtabit : ergo , permiſſo hoc conceptu *In* abſoluto proprio ipſius relationis , adhuc debet includere eſſentialitèr eſſentiam divinam. Tum etiam , & præcipuè : Nam hic conceptus *In* abſolutus vel eſt proprius Paternitatis , vel eſt communis : ſi eſt proprius:ergo Pater non conſtituitur & diſtinguitur adæquatè per conceptum purè relativum ; ſed etiam per aliquid abſolutum ; ſicut relatio creata ab alijs prędicamentis & relationibus. Quo quid abſurdius?Si eſt communis:ergo idem dicendum eſt de natura divina. Patet conſequentia : Tum quia daretur eadem diſtinctio virtualis. Tum etiam , quia eò negatur hæc incluſio eſſentiæ, quia eſt communis ; & relatio propria : ac proinde ſi aliquis conceptus *In* abſolutus includitur eſſentialitèr in conceptu *Ad* , etiam natura divina proterit includi.

37 Probatur *ſecundò* ratione : Nam eſſentiæ divinæ , vtpotè actui puro , debet attribui eminentior & perfectior infinitatis modus, qui poſsit excogitari ; ſed niſi tranſcendat per attributa & relationes , hic modus ei non conveniret:ergo includitur eſſentialitèr in illis per tranſcendentiam. Minor probatur : ſolùm conveniret ei identificatio cum relatione excludens vnum conceptum ab alio metaphyſicè ; ſed hic modus eſt imperfectiſsimus , immò neque eſt infinitatis modus:ergo &c. Minor probatur: Nam modus afferens ſecum compoſitionem metaphyſicam , non ſolùm non eſt perfectiſsimus infinitatis modus , ſed eſt finitus & limitatus;ſed ſi re-

la-

latio non includit essentialitèr naturam,faceret cum ea compositionem metaphysicam (quid enim est compositio metaphysica,nisi vnio duorum conceptuum in aliquo tertio se invicem excludentium ? vt contra Scotum arguunt communitèr Theologi,supposita distinctione formali) ergo identificatio essentiæ divinæ cum relationibus , nedum perfectissimus , sed nec est infinitatis modus.

Roboratur hæc ratio : Repugnat summæ simplicitati Dei, & eius summæ actualitati compositio aliqua , quæ sit tanta ac compositio ex genere, & differentia ; sed si essentia non includitur essentialitèr per transcendentiam in relatione,inter illas daretur tanta compositio,quanta est compositio ex genere, & differentia : ergo essentia debet includi essentialitèr in relatione. Maior liquet : Nam omnis compositio , cùm sit ex actu , & potentia , affert indispensabilitèr aliquam potentialitatem & limitationem oppositam actui puro , & summæ simplicitati. Minor probatur : Nam compositio duorum extremorum , quorum vnum virtualitèr excludit aliud , est tanta , quanta compositio ex genere, & differentia : ergo si essentia non includitur in relatione essentialitèr , diceret cum ea tantam compositionem , quanta est compositio ex genere, & differentia.

38 Hac ratione parùm implicatur Vazquez cum alijs eiusdem instituti, qui non renuunt admittere in Deo compositionem metaphysicam ex genere , & differentia. ¶ Sed hoc , præterquàm quòd opponitur expressè D. Thomæ in præs. art. 5. communitèr refellitur à Thomistis, necnon à Scotistis , & à pluribus Societatis. Et quidem meritò : Nam si Deus constaret ex genere & differentia , tàm genus , quàm differentia , quæ intrinsecè in Deo darentur , essent positivè finita & limitata ; sed repugnat Deo aliquid finitum & limitatum : ergo repugnat illi compositio ex genere & differentia. Probatur sequela: Nam illud genus non determinaretur in Deo per differentiam simpliciter infinitam : ergo tàm genus , quàm differentia non essent simpliciter infinita. Antecedens probatur: Nam differentia relinquens genus vlteriùs contrahibile per aliam differentiam , non determinat illud infinitè ; sed differentia divina relinqueret genus vlteriùs contrahibile per aliam differentiam ; aliàs non esset genus : ergo non determinaretur in Deo per differentiam simpliciter infinitam. Mitto alias rationes efficacissimas D. Thomæ loco citato.

39 Sed dices : Ex hac ratione , si est efficax, sequitur , non solùm debere excludi omnem compositionem metaphysicam , sed etiam omnem distinctionem virtualem , cùm exclusio huius distinctionis explicet perfectiorem modum infinitatis. ¶ Contrà est : Nam talis infinitas in Deo constituenda est , quæ æquivaleat distinctè omnibus perfectionibus creatis cum omnimoda simplicitate; sed in hac æquivalentia, supposita exclusione totius compositionis , stat maior infinitas , quæ excogitari potest : ergo, cùm in hac æquivalentia consistat distinctio virtualis intrinseca , non debet officere maiori infinitatis modo. Minor constat ex dictis duobus dubijs præced. Nam in hac æquivalentia consistit maior simplicitas ; in maiori autem simplicitate stat maior infinitatis modus; ergo hæc distinctio virtualis non officit maiori infinitatis modo , qui potest excogitari ; sed potiùs infert.

§. III.

Aliæ duæ Conclusiones.

40 Dicendum est *secundò* , naturam sub conceptu *naturæ* non includi essentialitèr in Paternitate. Hanc tenent Lisbonienses *de Trinit.* disp. 13. art.2. num. 4. & N. Salm. ibidem disp.5. num. 74. & alij. Et est evidens ex dictis num. 32. Quia natura sub conceptu *naturæ* dicit conceptum repugnantem conceptui *transcendentis* : ergo non includitur essentialitèr per transcendentiam in Paternitate. Antecedens probatur : Natura sub conceptu *naturę* dicit carentiam vlterioris contractionis, itaut non habeat post se alium conceptum vltimum ; sed de ratione *transcendentis* est oppositum : ergo natura sub conceptu *naturæ* dicit conceptum repugnantem conceptui *transcendentis*.

Explicatur : Nam licèt natura divina sub conceptu *naturę* dicat in nostra sententia *intelligere* primordiale , prout est radix attributorum , & relationum per modum proprietatum; non tamen concipitur vt ratio communis respectu illorum : sicut licèt natura humana sit radix suarum proprietatum , ab illis hoc modo determinabilis ; non tamen concipitur vt ratio communis determinabilis per eas tanquam per differentias inferiores , sed ipsa concipitur cum sua differentia vltima essentiali ; sed de ratione *transcendentis* est , quòd concipiatur vt ratio communis determinabilis per differentias rerum, per quas transcendit , vt liquet in ente : ergo natura sub conceptu *naturæ* nequit transcendere per Paternitatem.

41 Sed ad maiorem huius lucem : Objicies cum Godoy , & Ferre, qui oppositum sentiunt tract. *de Trinit.* Primus disp. 76. num. 20. secundus verò quæst. 4.§. 17. Nam si natura divina sub conceptu *naturæ* non includeretur per transcendentiam in Paternitate , ex natura sub conceptu *naturæ* , & Paternitate fieret compositio metaphysica : ergo rueret præcipuum fundamentum conclusionis præcedentis. Antecedens probatur : Nam compositio

tio

tio metaphysica resultans, iuxta commune principium Thomistarum, ex duobus conceptibus, quorum vnus virtualitèr excludit alium. ¶ Nec refert, quòd conceptus *naturæ* sub munere *transcendentis* includatur in illa. Nam quòd sub ratione *transcendentis* includatur, non tollit, quòd sub munere *naturę* non includatur: ergo sub munere *naturæ* excludit Paternitatem; sed hoc sufficit ad compositionem: ergo ex illis fieret compositio metaphysica.

Et confirmatur: Nam conceptus naturæ sub conceptu *naturę* est eadem virtualitas cum seipsa sub munere *transcendentis*: ergo si sub munere *transcendentis* includitur in Paternitate, etiam sub munere *naturæ*. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Implicat, quòd eadem virtualitas includatur essentialitèr adintrà, & non includatur: sicut implicat, quòd eadem virtualitas adintrà communicetur, & non communicetur.

Respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam. Ad cuius impugnationem dicendum est, quòd eo ipso quòd sub munere *transcendentis* includatur in Paternitate, nihil est positivum in natura, quod in ea non includatur, sed solùm prout exprimit carentiam vlterioris contrahibilitatis. Ut autem daretur vera compositio metaphysica, erat necesse, quòd esset aliquid positivum in natura, quod non includeretur in Paternitate.

Per quod constat ad confirmationem: Nam eadem virtualitas, diverso modo considerata, includi essentialitèr, & non includi in alia; vtpotè si omne positivum includatur; & prout addit aliquam carentiam non includatur. Neque aliquid aliud probat exemplum communicationis adintrà. Et licèt in generatione Verbi communicetur natura divina sub munere *naturæ*: hoc ideò est, quia est terminus formalis generationis; & aliundè ex vi huius communicationis non prædicatur essentialitèr de filio, vt liquet in natura humana; sed ex vi communicationis per modum *transcendentis*.

42 Dicendum est *tertiò*, Paternitatem non includi essentialitèr in natura divina; esse tamen illi essentialem adinstàr modi inadæquati, licèt collectio omnium relationum sit ei adæquata. Hæc conclusio est iuxta mentem D. Thomæ loco citato vbi ait: *Communia includuntur in intellectu propriorum, sed non è converso.* Et quæst. 8. *de Potent.* art. 2. ad 6. ait, istam non esse persè; *Essentia est Paternitas.* Ac proindè debet esse omnium Thomistarum, licèt aliqui voce tenus videantur contrarij.

Probatur quoad primam partem hac solida ratione: Quod transcendit per essentiam, etiam debet transcendere per omnia, per quæ ipsa transcendit; vt patet in voluntate divina, quæ transcendens per essentiam, etiam transcendit per omnia, quæ ipsa transcendit: si ergo Paternitas transcendit per essentiam divinam, etiam debet transcendere per omnia, quæ transcendit ipsa essentia; sed essentia transcendit per filiationem: ergo etiam Paternitas transcenderet per filiationem: hoc autem est contra fidem: ergo Paternitas non transcendit per essentiam. Quæ ratio probat etiam, quòd estò spiratio activa transcendat per Paternitatem; secùs verò Paternitas, seu filiatio per spirationem activam.

Explicatur: Nam quia animal est de essentia hominis, & homo est de essentia Socratis, etiam animal est de essentia Socratis: ergo si Paternitas est de essentia Dei, & Deitas est de essentia filiationis, etiam Paternitas erit de essentia filiationis. Quod tamen est contra fidem. Quæ ratio desumitur ex cap. *Firmiter*, & cap. *Damnamus*, *de Summa Trinitate*. Ubi definitur, quòd quidquid est de ratione essentiæ, etiam est de ratione singularum personarum.

Explicatur magis: Nam quidquid est de essentia Dei vt sic, etiam est de essentia filij: ergo si paternitas est de essentia Dei, etiam paternitas erit de essentia filij: Quod est hæreticum. Antecedens probatur: quia aliàs filius non esset essentialitèr & complete Deus.

43 Nec refert, si dicas *primò*, quòd hæc ratio esset efficax, si Paternitas includeretur in essentia, secundùm totum quod essentialitèr dicit; vel natura essentialitèr includeretur in Paternitate, secundùm quod includit filiationem. At non est ita, sed Paternitas non includitur in natura, prout imbibit filiationem; nec natura imbibitur in Paternitate, prout hæc imbibit filiationem.

Non, inquam, refert: Quia si Paternitas includitur in natura divina, includitur in ea vt prædicatum quidditativum illius: ergo vel natura divina non includitur secundùm suum prædicatum quidditativum in filiatione; vel Paternitas includitur in ea: primum dici non valet: ergo dicendum est, quòd Paternitas non includitur essentialitèr in natura divina; vel fatendum est, quòd Paternitas includitur in filiatione.

44 Nec refert, si dicas *secundò*, ex hac ratione tantùm inferri, quòd Paternitas includatur per modum *transcendentis* in filiatione; secùs verò sub munere proprio & atomo *Paternitatis*: quia sub primo munere non exprimit oppositionem, benè verò sub secundo.

Non, inquam, refert. Nam si includeretur sub munere *transcendentis*, etiam includeretur secundùm omne positivum Paternitatis; sed positivum Paternitatis opponitur filiationi: ergo vel non includitur sub munere *transcendentis*, vel includitur secundùm id, quod opponitur filiationi. Maior liquet in natura divina inclusa in voluntate; & quidem in hoc consistit transcendentia rei, de qua in præsenti. Minor etiam

etiam est certa: Nam Pater constituitur per paternitatem; sed non constituitur per eam secundùm aliquam carentiam: ergo secundùm positivum quod dicit: Idem autem est constitutivum & distinctivum: ergo per positivum, quod dicit, opponitur filiationi.

45 Secunda pars conclusionis probatur: Paternitas (& idem dicendum est de alijs relationibus) requiritur essentialitèr ad explicandam infinitam fœcunditatem naturæ divinæ: ergo est modus essentialis illius. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Quod omnino & intrinsecè requiritur ad prædicatum essentiale alicuius, se debet habere respectu illius vel vt prædicatum quidditativum, vel vt modus essentialis illius: ergo, cùm Paternitas non sit absolutè prædicatum quidditativum essentiæ, restat, quòd sit modus essentialis illius.

Confirmatur: Si Paternitas non esset modus essentialis naturæ divinæ, posset natura præscindi ab ea; sed hoc implicat: ergo se habet ad illam adinstar modi essentialis: non adæquati; aliàs essent convertibiles: ergo inadæquati. Minor constat: Nam idem omninò est *præscindere à relatione*, ac *facere cum ea compositionem metaphysicam*; quæ tamen Deo repugnat. Maior probatur: Nam si substantia, & accidens non essent modi essentiales entis (vt rectè inferunt Thomistæ) ens posset ab illis præscindi; sicut hac ratione animal præscinditur à rationali, & irrationali, quia nimirum vnumquodque potest præscindi ab eo, quod nec tanquam prædicatum quidditativum, nec tanquam modus intrinsecus & essentialis pertinet ad eius essentiam: ergo posset natura præscindi à relatione.

46 Sed objicies *primò*: Nam ideo natura divina est de intrinseco conceptu *Paternitatis*, quia hæc prædicatio, *Pater est Deus*, est essentialis & persè; sed etiam hæc, *Deus est Pater*, est essentialis & persè, vt docet D. Thomas infrà quæst. 39. art. 6. ad 2. ergo idem dicendum est de Paternitate in ordine ad naturam, ac de natura in ordine ad Paternitatem. ¶ *Secundò*: Paternitas est idem formalissimè cum natura divina, & solùm virtualitèr distinguuntur, vt constat ex dictis duobus dubijs præced. ergo est de essentia Dei. *Explicatur*: De essentia Dei est, quòd sit trinus, & vnus: ergo relationes, quibus est trinus, sunt de essentia Dei: sicut natura & attributa, quibus est vnus, sunt de essentia illius. ¶ *Tertiò*: Nam Paternitas est de essentia Patris: ergo est de essentia Dei, Patet consequentia: quia non est alia essentia Patris ab essentia Dei.

Ad primam obiectionem respondetur cum Caietano *loco citato*, quòd illa propositio, *Deus est Pater*, solùm dicitur *persè* cum adddito, nempè identice; sed ista, *Pater est Deus*, est per sè absolutè. Et ratio est: quia ista est prædicatio directa; illa verò indirecta: ideoque ista est persè secundùm primum modum perfectatis, quia prædicatum est de essentia subiecti; sed illa tantùm est persè iuxta secundum modum perfectatis, quatenus scilicet subiectum est de essentia prædicati. Quæ solutio fundatur in D. Thoma loco citato ad 4. vbi ait: *Dicendum, quòd dum dicitur* Deus est Pater, *est prædicatio per identitatem.* ¶ Per quod constat ad secundam: Nam ex eo, quòd essentia, & Paternitas sit eadem simplicissima formalitas, sequitur vtique, quòd essentia sit de essentia Paternitatis, non verò quòd Paternitas sit absolutè de essentia Dei, sed tantùm modo suprà descripto: vt liquet in modis entis. ¶ Per quod etiam respondetur ad illam explicationem. Nam licèt Deus essentialitèr sit trinus, & vnus; alitèr tamen & alitèr: Nam est vnus omnino essentialitèr; sed trinus tantùm est essentialitèr adinstar modi intrinseci adæquati. ¶ Ad tertiam demùm facilè respondetur: quod nimirùm Paternitas est de essentia Patris; sed non de essentia naturæ Patris: sicut subsistentia Petri est quidem de essentia Petri; at non est de essentia naturæ humanæ Petri, sed modus illius.

§. IV.

Sententia primæ Conclusioni oppositæ.

47 MOlina 1. part. quæst. 28. art. 2. disp. 6. Vazquez disp. 121. Ægidius tom. 1. *de Beatitud.* lib. 5. quæst. 13. art. 2. num. 13. & alij, quibus adhæret Mastrius disp. 2. quæst. 2. à num. 44. & communiter Scotistæ cum suo Subtili Doctore in 1. dist. 2. quæst. 7. defendunt, essentiam non includi per transcendentiam in Paternitate. ¶ Pro qua sententia arguitur *primò* ex D. August. 7. *de Trinit.* cap. 2. vbi ait: *Non eo verbum, quo sapientia: quia verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad eum, cuius verbum dicitur: sicut filius ad Patrem.* Et cap. 4. ait: *Aliud est esse Deum, aliud Patrem esse.* In quibus verbis insinuare videtur, quòd natura non est de essentia Patris.

Sed ad hoc respondetur cum D. Thoma loco suprà citato *de Potent.* ad 14. *Dicendum, Deus non eo Deus, quo Pater propter diversum modum concipiendi Paternitatem, & divinitatem, vt expositum est.* Et eodem modo exponendum est aliud testimonium. Et certè si hæc testimonia aliquid suaderent contra nostram conclusionem, inferri liceret, quòd Paternitas non includit formalitèr essentiam; immò nec realitèr: consequenterque inter Paternitatem, & essentiam dari nedum distinctionem formalem Scoticam, sed etiam realem, vt somniavit Gilbertus: quia nimirùm ex prædictis verbis non datur minus fundamentum ad deducendum vnum, quàm aliud.

Ar-

Arguitur *secundò*: Quando duo comparantur vt determinans, & determinabile, ita distinguuntur inter se, vt neutrum includatur in conceptu alterius, vt patet in genere, & differentia; sed relatio concipitur vt determinans, essentia verò vt determinabilis, cùm intelligatur advenire essentiæ, illamque contrahere: ergo essentia non includitur in Paternitate.

48 Nec valet recursus ad ens: Quia ens non est verè commune respectu inferiorum (aliàs diceret aliquem conceptum præcisum) nec distinguitur virtualitèr à suis inferioribus; sed natura divina est verè communis tribus personis, & distinguitur virtualitèr ab illis: ergo eo ipso quòd concipiatur vt determinabilis, non debet includi essentialitèr in relatione.

Ad hoc argumentum (quod adducunt Scotistæ ad suam distinctionem formalem ex natura rei) respondetur, quòd estò natura divina concipiatur vt determinabilis per relationem, concipitur tamen vt actus purus excludens omne genus compositionis cum illa; secùs verò genus respectu differentiæ. Et ob hoc discrimen genus ita est determinabile per differentiam, quòd differentia non debet includere essentialitèr genus; natura vero divina, quia modo longè diverso, & perfectissimo concipitur vt determinabilis, includitur essentialitèr in relatione. ¶ Ad id quod additur de ente: dicendum est, quòd ex vno, vel alio capite oritur, quòd aliquid includatur in alio per modum *transcendentis*, vel quia non est propriè commune respectu inferiorum, neque distinguitur virtualitèr ab illis (ex hoc capite ens includitur essentialitèr in suis inferioribus.) Vel ex capite *infinitatis*, seu *actus puri*: & ex hoc natura divina includitur essentialitèr in attributis, & relationibus. Quidquid sit de communitate rei, & distinctione virtuali, quæ competit ei ratione suæ infinitatis, seu eminentiæ perfectissimæ.

49 Arguitur *secundò*: Pater secundùm aliquid differt à filio, quod non est in filio: ergo secundùm illud, quo differt, non includit essentiam. Probatur consequentia. Quia alias secundùm illud, quo differt à filio, conveniret, & non conveniret cum illo: non conveniret, vt supponitur; conveniret autem, quia secundùm illud, quo differt, includeret essentiam, in qua vtique conveniret.

Et confirmatur. Nam si essentia includeretur in Paternitate, esset hæc communicabilis sicut illa; sed hoc est contra fidem: ergo non includitur in ea. Probatur sequela: Nam essentia prædicaretur essentialitèr de Paternitate: quidquid ergo prædicaretur de essentia, prædicaretur essentialitèr de Paternitate; sed de essentia prædicatur, quòd sit communicabilis: ergo etiam de Paternitate idem prædicaretur.

Ad argumentum respondetur concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Cuius probatio frivola est. Nam essentia ita includitur in Paternitate, quòd tàm essentia, quàm Paternitas remanent cum suis prædicatis pertinentibus ad proprias lineas, itaut essentia non transferatur (vt sic dicamus) ad lineam relationis. Ex quo infertur, quòd relatio secundùm essentiam, quam includit, habet aliquid, quo convenit cum filio; & secundùm id, quod est de propriissimo eius conceptu relativo, importat aliquid, per quod distinguatur à filio. Aliter dicendum esset, si transcenderet per Paternitatem eo modo, quo ens transcendit per sua inferiora.

Ad confirmationem respondetur, negando sequelam. Et ad eius probationem, concesso antecedenti, negatur consequentia. Et ratio est: quia ex eo quòd essentia prædicetur essentialitèr de relatione, & esse communicabilem prædicetur essentialitèr de essentia, tantùm infertur, quòd de relatione prædicetur esse communicabilem ratione essentiæ, quod verissimum est; non verò sequitur, quòd de Paternitate secundùm propria prædicata suæ lineæ prædicetur esse communicabilem. Sicut ex eo, quòd de Petro prædicetur essentialitèr, quòd sit homo; & de homine prædicetur quòd sit communis, solùm infertur, quòd Petrus ratione naturæ humanæ fundet communicabilitatem, non vero ratione individuationis.

50 Arguitur *tertiò*: Paternitas est forma constitutiva Patris: ergo non includit essentialitèr naturam. Probatur consequentia: Tum quia constitutum, nempè Pater, nihil aliud includit præter essentiam, & Paternitatem: ergo si Paternitas includit essentiam, non erit forma constitutiva, cùm diceret totum, quod constitutum; quod est contra rationem constitutivi. Tum etiam: quia si Paternitas est forma constitutiva Patris, necesse est, quòd constitutio illius resolvatur in essentiam, & Paternitatem, vt in extrema se mutuò excludentia; aliàs non esset vera resolutio, sicut nec vera compositio, cùm totum, quod includit persona, includatur etiam in Paternitate.

Respondetur ad hoc argumentum concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ad primam probationem distinguo antecedens: *Præter essentiam* eodem modo inclusam ac in Paternitate, nego antecedens; diverso modo, concedo antecedens. Nam licèt Pater æternus nihil includat præter essentiam, & Paternitatem, & Paternitas in se includat essentiam; diverso tamen modo Pater, & Paternitas includunt essentiam: Nam Paternitas solùm illam includit per modum *transcendentis*, sed Pater per modum *transcendentis*, & per modum *naturæ*, licèt in obliquo. Neque inconvenit, quòd essentia bis includatur in Patre, si hoc oriatur ex diverso capite: nam *dicere illam per modum transcendentis* oritur ex capite infinitatis, &

actus puri : at *includere illam per modum naturæ* oritur ex generali ratione personæ, quæ petit includere naturam intrinsecè in obliquo. Per quod constat ad secundam. Quæ solùm teneret, si Pater includeret essentiam eo tantùm modo, quo aliæ personæ includunt suas naturas, quas quia præcisè includunt per modum *naturæ*, & in obliquo, propterea resolvitur persona in naturam, & personalitatem tanquam in duo extrema se invicem excludentia. At Pater æternus includit essentiam per modum *naturæ* & in obliquo, & per modum *transcendentis* ratione Paternitatis, in qua hoc modo includitur. Unde oportet, quòd resolvatur bis in naturam, & in illam ratione sui, & in illam ratione Paternitatis, in quam etiam resolvitur. *Adde* : quòd in divinis constitutivum, & constitutum multoties non distinguuntur nisi ex modo significandi, sicut Deitas & Deus.

51 Arguitur *vltimò* : Si essentia includeretur essentialitèr in Paternitate, verificaretur, quòd Pater intelligit per Paternitatem ; hoc dici non valet : ergo non includitur essentialitèr in ea. Sequela ostenditur : Nam si includitur in Paternitate, hæc prædicatio erit vera & essentialis, *Paternitas est essentia* ; sed Pater intelligit per essentiam, cùm essentia consistat in nostra sententia in *intelligere* : ergo etiam intelligeret per Paternitatem. Patet consequentia: quia non alia ratione verificatur de homine, quòd rationalitate est ens, nisi quia ens includitur in rationalitate : ergo si essentia includitur in Paternitate, etiam verificabitur, quòd Paternitate intelligit.

Ad hoc argumentum respondetur, distinguendo maiorem : *Per Paternitatem* secundùm expressum *Paternitatis* ; nego maiorem ; *per Paternitatem* entitativè sumptam, hoc est, per rem quæ est Paternitas, concedo maiorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd ad veritatem illius propositionis sufficit essentiam divinam includi per modum *transcendentis* in Paternitate; sed vt intelligeret formalitèr Paternitate, oportebat, quòd includeretur in illa sub conceptu *naturæ*, quia intelligere non habet natura nisi sub conceptu *naturæ*. Ob quam rationem, estò intellectus includatur in voluntate, non sequitur, quòd si verbum procedit per intellectum, etiam procedat per voluntatem, quia nimirùm non procedit per intellectum sub ratione *transcendentis*, sed sub proprio conceptu *intellectus*, hoc est, prout explicat vltimam contractionem propriæ lineæ. In quo sensu Div. Thomas infra quæst. 32. art. 3. ad 3. ait : *Non dicimus, quòd attributum potentiæ sit attributum scientiæ, licèt dicamus, quòd scientia sit potentia.* ¶ Ad id quod additur de rationalitate, & ente: Respondetur, quòd est magnum discrimen inter ea : Nam ens includitur sub expressione *entis* in rationalitate, nec ista distinguitur virtualitèr ab ente ; ideòque non est mirum, quòd de homine verificetur, quòd rationalitate est ens. Sed per oppositum sicut de Patre non verificatur, quòd Paternitate est Deus, ita nequit verificari, quòd Paternitate intelligit : quia nimirùm inter Paternitatem, & Deitatem datur distinctio virtualis ; & Deitas non includitur sub vltimo conceptu suæ lineæ in Paternitate.

DISPUT. IV.

De Immensitate Dei.

POstquàm D. Thomas quæst. 3. egit de simplicitate Dei, immediatè differit per quatuor quæstiones sequentes de perfectione, de bonitate, & infinitate Dei, necnon de bono in communi. De quibus tamen non instituimus specialem disputationem, quia notitia horum attributorum sufficienter habetur ex lectione litteræ, & quia de infinitate latè discurrunt N. Complut. in lib. Physic. disp. 18. & de bono in communi solent plura dici in tract. *de Vltimo fine*. Quocircà gradum facimus ad existantiam Dei in rebus, seu ad attributum immensitatis, de quo D. Thomas differit in præs. q. 8.

DUBIUM I.

Vtrùm Deus sit in omnibus rebus : Et an ratione D. Thomæ probetur efficacitèr, & demonstrativè?

D. Thomas incipiens agere de attributo immensitatis, primò inquirit, *An Deus sit in omnibus rebus?* secundò, *Vtrùm sit vbique* ? Nos verò solùm in disputationem vocamus primum quæsitum, quia eius resolutione facilis paratur via ad decisionem secundi. Nota tamen, titulum quæstionis non procedere de quacumque existentia Dei in rebus, sed de existentia intima, & immediata immediatione substantiæ, seu suppositi : Nam Deum existere in omnibus rebus saltem virtualitèr, seu mediatè nullus hucusque dubitavit : Et meritò, quia omnis effectus creatus dependet à Deo.

§. I.

Dubij resolutio quoad vtramque partem.

1 DIcendum est, Deum esse in omnibus rebus intimè, & immediatè immediatione suppositi: rationemque D. Thomæ esse ad hoc probandum efficacem, & demonstrativam. Hæc conclusio quoad primam par-

partem eſt de fide, vt tenent communiter Theologi. Oſtendique ſolet pluribus teſtimonijs ſacræ Scripturæ: ex quibus vnum proponimus electum ex milibus ex 17. Actor. vbi de Deo dicitur: *Non longe eſt ab vnoquoque noſtrum: in ipſo enim movemur, & ſummus.*

Deinde probatur ratione D. Thomæ, per quam probatur concluſio quoad ſecundam partem, quæ eſt præcipuum punctum huius controverſiæ: Vbicumque aliquid operatur, ibi eſt; ſed Deus operatur in omnibus, iuxta illud Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*: ergo Deus eſt in omnibus. Quam rationem adducit in argumento *Sed contrà*, & in corpore artic. magis expendit. Et poteſt reduci ad hanc formam:

Nam omne agens debet eſſe coniunctum ei, in quod immediatè agit, vt probatur in 7. Phyſic. vbi dicitur, quòd *movens, & motum debent eſſe ſimul*; ſed Deus agit intimè & immediatè in omnibus rebus: ergo eſt intimè coniunctus omnibus rebus. Minor probatur: Deus immediatè cauſat in omnibus rebus, quod eſt illis intimius: ergo agit immediatè, & intimè in omnibus rebus. Antecedens probatur. Nihil eſt intimius rebus, quàm ſuum *eſſe*; ſed *eſſe* eſt proprius effectus Dei in *fieri*, & *conſervari*: ergo cauſat immediatè in omnibus rebus, quod eſt illis intimius. Conſequentia patet: Nam proprium effectum Dei ſolus Deus poteſt cauſare. Et maior videtur certa: Nam *eſſe* eſt formaliſsimum omnium, quæ in aliqua re ſunt, cùm omnia penetret; ideoque debet nimis intimum eſſe omnibus rebus. Minor verò probatur: Ideo *ignire* eſt proprius effectus ignis, quia ignis per ſuam eſſentiam eſt ignis; ſed Deus per ſuam eſſentiam eſt ipſum *eſſe*: ergo *eſſe* eſt proprius effectus Dei. Quam rationem vnico verbo complexus eſt in ſolutione ad 1. vbi ait: *Deus eſt in omnibus rebus, vt cauſans omnium* eſſe.

Quod autem hæc ratio ſit efficax, probatur primò ex Scriptura: Nam illa ratio, qua Scriptura ſacra ſuadet exiſtentiam Dei in omnibus, non poteſt non eſſe efficax, & demonſtrativa; ſed huiuſmodi eſt ratio proximè expenſa: ergo eſt efficax, & demonſtrativa. Minor probatur: Tum ex illo Actor. ſuprà relato, vbi reddens Apoſtolus rationem, cur Deus ſit in nobis, ait: *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* Tum etiam ex illo Pſalm. 138. vbi poſtquàm Propheta dixit: *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es*, ſtatim ſubiungit: *Etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* In quibus verbis reddit rationem, quare Deus ſit in cœlo, ſivè inferno, quia nimirùm ibi Deus operatur. Eundem prorsùs modum probandi Dei exiſtentiam in omnibus habemus paſsim in SS. PP. quorum teſtimonia ſuperfluum eſt recenſere. ¶ Secundò probatur: Nam ea ratio, contra quam nullum poteſt ſubſiſtere argumentum, efficax eſt & demonſtrativa; ſed huiuſmodi eſt ratio præfata: ergo efficax eſt, & demonſtrativa. Minor conſtabit ex facili ſolutione argumentorum.

§. II.

Argumentorum ſolutio.

2 NOminales, Scotiſtæ cum ſuo Subtili Doctore, necnon Vazquez, Valentia, & alij ex Societate, licèt non negent concluſionem D. Thomæ, impetunt acriter eius rationem. Contra quam argùunt *primò*: Nam propterea Deus eſſet intimè in omnibus rebus, quia agens, & paſſum debent eſſe ſimul; ſed ex hoc principio non rectè probatur, Deum eſſe intimè in omnibus per ſuam ſubſtantiam: ergo ex ratione D. Thomæ non probatur, Deum eſſe in omnibus per ſuam ſubſtantiam. Minor probatur: Tum quia ſol producit effectum in viſceribus terræ; & tamen non eſt ibi per ſuam ſubſtantiam, vt ex ſe liquet; idemque apparet in igne producente ignem in ſtupa à ſe diſtanti: ergo. Tum etiam: quia illud axioma Ariſtot. ſolùm procedit de agente corporeo, quod propter ſuam limitationem non poteſt operari niſi in corpus ſibi coniunctum; non verò de agente ſpirituali, præſertim infinitæ virtutis, qualis eſt Deus.

Confirmatur: Nam Deus poteſt operari per aliqua inſtrumenta diſtantia à paſſo, abſque eo quòd prædicta inſtrumenta operentur in medio: ergo etiam Deus poteſt aliquid producere in paſſo, quin ſit ei intimè coniunctus. *Explicatur*: Nam quando operatur medio inſtrumento, tunc operatur effectum media virtute à ſe diffuſa, & intrinſecè recepta in inſtrumento: ergo non eſt neceſſe, quòd Deus immediatè per ſuam ſubſtantiam producat talem effectum, conſequenterque non debet ex hoc principio deduci, Deum per ſuam ſubſtantiam eſſe intimè in omnibus rebus.

Arguunt *ſecundò*: Nam ratio D. Thomæ eſt petitio principij: ergo nec eſt efficax, nec demonſtrativa. Antecedens probatur: Nam vel probat Deum eſſe præſentem omnibus rebus, quia agit in illis immediatè immediatione virtutis, vel immediatione ſuppoſiti? Si dicitur primum: ergo non debet inferri eſſe in omnibus immediatè per ſuam ſubſtantiam, vt liquet in pluribus agentibus corporalibus, quæ agunt hoc modo ſuos effectus, quin ſint ſubſtantialiter, vbi ſunt tales effectus. Si verò dicatur ſecundum: ergo ſupponit, Deum eſſe immediatum ſuppoſitum in ordine ad omnes effectus, quod erat probandum: ergo petit principium.

Arguunt *tertiò*: Nam quò aliquod agens eſt perfectius, tantò poteſt operari in magis diſtans:

distans : ergo cùm Deus sit infinitæ virtutis & perfectionis , poterit operari , vbi non est per suam substantiam.

Arguunt *quartò* : Nam ratio D. Thomæ continet æquivocationem:ergo non est efficax. Probatur antecedens : Nam in maiori dicit, quòd agens debet esse coniunctum ei, in quod immediatè agit ; in minori autem,quòd *esse* est effectus Dei: sed effectus non est idem quod passum seu subiectum; vt ex se liquet : ergo continet in se æquivocationem.

Arguunt *vltimò* : Nam ideo Deus esset intimè in omnibus rebus , quia *esse* est effectus proprius Dei , quod est intimius rebus ; sed hoc est falsum : ergo ex hoc non probatur rectè, Deum esse in omnibus per suam substantiam. Minor probatur : Nam in primis intimior rebus est essentia quàm existentia ; cùm existentia creata distinguatur realitèr ab essentia : Deinde existentia etiam producitur ab alijs causis: ergo neque est effectus proprius Dei, nec est quid intimius omnibus rebus.

3 Pro perfecta , & facili harum obiectionum solutione : Nota *primò* , quòd inter agens creatum , & divinum est hęc differentia , quòd agens creatum non potest coniungi cùm passo media actione tanquàm cum effectu proprio in genere causæ efficientis,quia eductiva est,ideoque debet supponere subiectum , ex quo egrediatur : neque potest ob eandem rationem producere effectum extra subiectum ; aliàs actio non penderet ab illo , ac proindè esset creatio , non eductio. Cum effectu tamen debet agens necessariò coniungi media actione:quia est terminus procedens ab ipsa actione,ac proinde ipsa actio est ratio coniungendi agens cum effectu. Agens verò divinum,maximè per actionem creativam , non supponit passum , sed ipsummet est effectus , cum quo coniungitur media actione illius productiva , iuxta proximè dicta.

4 Nota *secundò* , quòd licèt Deus possit extra se emittere virtutem ad elevandum instrumentum , quod agit in distans ; non tamen potest communicare creaturæ virtutem ad producendum *esse* secundùm totam suam amplitudinem , vt docet D. Thomas 3. Contra gent.cap. 68. art. 4. Et ratio est: quia omnis virtus creata est finita & particularis ; & sic nequit producere ens sub vniversalissima ratione *entis*.Deus econversò licèt non semper producat per creationem ; omnia tamen dependent ab eo , ac si per creationem producerentur ; cùm possit illa anihilare per suspensionem concursus , quod vtique signum est, quòd secundùm totum suum *esse* , seu secundùm totam rationem *entis* dependent à Deo , non minùs ac si absolutè crearentur. Ex quo infertur , quòd Deus , dùm operatur medio aliquo instrumento , debet etiam immediate producere effectum ; aliàs non esset in potestate eius illum anhilare.

5 Tertiò nota , quòd licèt forma substantialis (v. g.) sit magis intima in constituendo quàm existentia; hæc tamen est magis intima in ratione rei productæ , quia est ratio ponendi rem secundùm omnes suas formalitates extra causas , & pro priori ad illam est nihil , & in potentia ad essendum extra causas. Unde in ratione informandi est magis intima,quàm quælibet quidditas essentialis:quia cùm tollat omnem potentialitatem , quam res habet ad essendum, oportet , quòd actuet omnia , quæ pertinet ad eius quidditatem, & penetret omnes formalitates illius.

6 Nota *vltimò* , intelligentiam huius propositionis , *Esse est proprius effectus Dei* , consistere in eo , quòd ille effectus dicitur *proprius* alicuius causæ,qui convenit ei secundùm propriam formam , prout per illam ab alijs distinguitur. Deus autem ita est suum *esse per essentiam* , quòd per hoc distinguitur ab omni habente *esse*, eò quòd *esse* est extra essentiam cuiuslibet creaturæ. Quocircà licèt *esse* quandoquè producatur à creaturis , non propterea negari debet , quòd est proprius effectus Dei: vel quia tantùm instrumentalitèr producunt illud: vel quia non producunt per *esse*, quòd sit de earum natura. Ex quo infertur, quòd estò Deus sit vivens & intelligens per suam essentiam , *intelligere* & *vivere* non dicuntur effectus *proprij Dei*: quia nimirùm etiam Angelus & homo intelligunt & vivunt per suam essentiam. Neque ex hoc sequitur , Deum constitui per *esse per essentiam* , & non per *intelligere per essentiam*. Quia vt habeat rationem *actus puri* petit esse suum *esse* tàm in linea entitativa , quàm in linea intelligibili. Et hac ratione potissimè suprà disp. præced. diximus constitui per *intelligere* actuale : Quia , nimirùm , licèt per *intelligere* actuale præcisivè sumptum non intelligatur Deum sufficientèr & primò distingui à creatura ; benè verò per ipsum *intelligere* prout est suum *esse* entitative , & intelligibilitèr. His prænotatis:

7 Respondetur ad primum concedendo maiorem ; sed negando minorem. Et ad primam probationem dicendum est, quòd nullum agens creatum producit effectum secundùm totum suum *esse* : & propterea per virtutem à se diffusam, & receptam in subiecto à quo effectus educendus est , potest illum producere : maximè agens corporeum, quod potest diffundere suam virtutem per medium corporale. Deus autem producit effectum secundùm totum suum *esse*, itaut eius suspensio sit anihilatio; propterea que effectus debet dicere immediatam dependentiam à Deo.Si produceret talem effectum per virtutem diffusam & creatam, non posset illum producere secundùm suum *esse*, neque suspensio totius concursus divini posset dici *anihilatio*.¶ Ad secundam respondetur, quòd licèt Philosophus

in

in illo axiomatè ſolùm loquutus fuerit de agente corporeo; ratio verò eſt vniverſalis pro omni agente, quia fundatur in ratione *agentis*, & *paſsi*; *moventis*, & *moti*: Nam nullum agens poteſt producere effectum in paſſo, niſi illud contingat; & non poteſt illud contingere, niſi ſint ſimul vel virtualitèr, vel formaliter. Deus autem ob ſpecialem rationem iam præfatam non poteſt dicere coniunctionem præcisè virtualem cum effectu & paſſo, ſed neceſſaria eſt coniunctio immediata per ſuam ſubſtantiam, vt, videlicet, effectus dicat totalem dependentiam ab ipſo. Ad confirmationem ſatis conſtat ex proximè dictis, & ex dictis num. 4.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd idem eſt probare, Deum eſſe immediatè in omnibus rebus per ſuam virtutem, ac ratione ſuppoſiti, ſeu per ſuam ſubſtantiam: quia ſua virtus non diſtinguitur ab ipſo Deo. Unde eo ipſo quòd D. Thomas probet, Deum eſſe in omnibus immediatione virtutis non diffuſæ adextrà, ſed reſidentis intrinſecè in ipſo Deo, probat efficaciter eſſe etiam in illis per ſuam ſubſtantiam. Et ſic non petit principium.

Ad tertium reſpondetur, quòd nullus agentis, quantumvis virtuoſi, actio poteſt agere in magis diſtans, niſi inquantùm agit per medium; & quantò agens eſt virtuoſius, tantò agit per longiſsima intermedia. Cœterùm nullum agens creatum ita producit effectum ad talem diſtantiam, quòd conſervet illa loca intermedia, per quæ virtus tranſit, neque locum vltimum, & effectum, qui in eo producitur: & propterea non requiritur, quòd ſit in illis per ſuam ſubſtantiam. Deus autem, eſtò poſsit diffundere ſuam virtutem ad quancumque diſtantiam, eſt cauſa conſervativa omnium locorum, quæ mediant, & virtutis à ſe diffuſæ, necnon effectus, qui in vltimo loco producitur: & hac ratione debet eſſe intimè in omnibus à ſupremo cœlo vſque ad centrum terræ.

Ad quartum reſponſio ſufficienter conſtat ex dictis num. 3. Ex quibus apparet, nullam æquivocationem continere ratiocinium D. Thomæ: Nam licèt faciat tranſitum de ſubiecto ad effectum; in ordine ad Deum, à quo dependent omnia in *conſervari*, idem prorsùs ſunt ſubiectum, & effectus; ſecùs verò in agentibus creatis.

8 Ad vltimum reſpondetur concedendo maiorem; ſed negando minorem. Et ad eius probationem reſpondetur ex dictis num. 5. Etenim eſtò eſſentia ſit rebus intimior in *conſtituendo*, quàm exiſtentia; hæc autem eſt intimior in *informando*, ſeu in ratione *rei productæ*: quia eſt ratio formalis, cur res ſecundùm omnes ſuas formalitates ſit extra cauſas, & tollitur omnis eius potentialitas ad eſſendum. Quod ſufficit ad intentum D. Thomæ: Nam hoc ipſo, quòd exiſtentia ſit actus generaliſsimus penetrans omnes formalitates rei, petit, quòd Deus etiam penetret vſque ad omnes formalitates ipſius rei: quia ratione propriſsimi ſui effectus ponitur res ſecundùm omnes ſuas formalitates extra cauſas. ¶ Ad ſecundam reſpondetur, quòd aliæ cauſæ non producunt exiſtentiam vt cauſæ principales, ſed vt cauſæ inſtrumentales in virtute Dei, vt tradunt N. Complut. abbrev. *de Generat.* diſp. 15. num. 60. Vel eſtò producerent illam vt cauſæ principales; non tamen producerent ſic illam, vt eſt vniverſaliſsimus actus entis, ſed vt determinatam; proindequè hoc non tolleret, quòd Deus eſſet propria cauſa illius, prout eſt actus vniverſaliſsimus entis.

9 Ex dictis infertur intelligentia ſecundi articuli. In quo inquirit D. Thomas, *Vtrum Deus ſit vbique?* & reſpondet affirmativè. Quæ reſolutio eſt de fide, iuxta illud Ierem. 23. *Cælum, & terram ego impleo.* Cuius ratio poteſt reduci ad hanc formam: Nam quælibet res vel eſt in loco, ſicut aliquid eſt in alijs rebus quocumque modo, ſicut accidentia rei ſunt in illa: vel eſt in illo per modum proprium *loci*, ſicut locata ſunt in loco replendo illum; ſed Deus eſt vtroque modo in omni loco: ergo eſt vbique. Minor quoad primam partem ſatis conſtat ex dictis in tota hac quæſtione: in qua cum D. Thoma diximus, Deum eſſe in omnibus rebus, quia dat illis *eſſe*, & virtutem; & conſequenter debet eſſe in omni loco, quia dat illis *eſſe*, & virtutem locativam. Quoad ſecundam etiam probatur: nam Deus eſt in omnibus locatis dans illis *eſſe*: ergo replet omnia loca, ſicut ipſa locata.

DUBIUM II.

Quænam ſit Deo ratio formalis exiſtendi in rebus, ſeu in omni loco?

10 SUpponimus cum communi calculo Thomiſtarum (contra Scotum, & Vazquez) Deum non eſſe in rebus, ſeu locis per ſuam ſubſtantiam tanquàm per rationem formalem, ſi per ly *ſubſtantiam* intelligatur eſſentia Dei vt virtualitèr diſtincta ab attributis, eo proportionali modo quo prædicti Authores aiunt, ſubſtantiam corpoream, & Angelum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam tanquam per rationem formalem. Et ratio eſt: quia ipſa eſſentia Dei non eſt ratio proxima operandi adextrà, neque coëxiſtendi omni durationi creatæ, neque eſt ratio proxima amandi ſeipſum, ſeu creaturas: ergo nequit eſſe ratio proxima exiſtendi in omnibus rebus, ſeu locis. Unde difficultas ſolùm poteſt reduci ad attributum omnipotentiæ, quod eſt de linea operandi; vel ad aliud attributum de linea eſſendi, quod dicitur attributum *immenſitatis*. Cuius reſolutio duabus aſſertionibus elucidabitur.

§. I.

Prima Conclusio.

11 DIcendum est *primò*, rationem formalem in Deo existendi in rebus, & locis esse solam operationem virtualiter transeuntem. In hac conclusione perpetuus est D. Thomas, præsertim in præs. art. 1. vbi ait: *Dicendum, quòd Deus est in omnibus rebus, sicut agens adest ei, in quod agit.* In art. 2. docet, *quod Deus est in loco, vel tanquàm res quedam est; & sic Deus est in omnibus locis dans eis* esse, *& virtutem locativam: vel quatenus locus est; & sic Deus replet omnem locum, non sicut corpus, sed per hoc, quòd dat* esse *omnibus locatis, quæ replent omnia loca.* Idem docet 3. Contra gent. cap. 68. art. 1. & 1. dist. 37. quæst. 1. 2. & 3. Angelicum Præceptorem sequuntur omnes eius Discipuli.

Et probatur *primò* authoritatibus sacræ Scripturæ suprà num. 1. relatis. In quibus Spiritus sanctus recurrit ad operationem, ratione cuius Deus est in omni loco: ergo cùm Spiritus sacer sit formalissimus, oportet dicere, quòd ratio formalis proxima in Deo existendi in loco est operatio. ¶ Confirmatur ex SS.PP. Nam D. August. lib. 2. *de Serm. Domini in monte* cap. 9. ita ait: *Vbiquè Deus est præsens, non locorum spatijs, sed maiestate potentiæ.* Et 7. de Civitate Dei: *Deus vbique totum implens Cœlum, & terram præsente potentia.* Quæ verba nequeunt intelligi de præsentia materiali, quia hoc pacto etiam est præsens cum voluntate, & cæteris perfectionibus: ergo ipsa potentia est ratio formalis existendi in loco. D. Gregor. Nissen. orat. 2. *de Christi resurrect.* ait: *Qui per divinam potentiam vbique est.* D. Fulgentius lib. *de Fide ad Petrum* inquit: *Firmissimè tene, Deum immensum esse virtute, non molè.*

Neque prodest recursus Valentiæ, dicentis non esse necessarium omnes consequentias sacræ Scripturæ, & Sanctorum PP. esse formales, neque efficaces, spectatis solùm rationibus formalibus vocum. ¶ Non, inquam, prodest: Tum quia hanc evasionem nota *temeritatis* inurit P. Molina in præs. disp. 2. Tum etiam: quia iuxta regulam valdè tritam, & ab omnibus acceptam, quam tradit D. August. lib. 3. *de Doctrina Christ.* cap. 9. & 10. verba sacræ Scripturæ semper interpretanda sunt in sensu proprio, nisi ex eo sequatur aliquod inconveniens; aliàs quisque prolibitò posset illa interpretari in sensu improprio, & rationes illius dicere inefficaces, minùs formales, & ineptas ad intentum.

Per quod præoccupatus manet alius recursus P. Vazquez. Qui ait, in prædictis locis non assignari reipsà causam essendi in creaturis, sed causam, vt nos cognoscamus hanc veritatem. Nam (præterquàm quòd verba Scripturæ sacræ si accipiantur in sensu rigoroso & proprio, non accipienda sunt connotativè ad cognitionem nostram, sed prout significant rem reipsà) adversatur Glossæ Interlineali, & Ordinariæ, & SS. PP.

12 Deinde probatur ratione: Nam id est in Deo ratio formalis existendi in locis, quod est ratio formalis tangendi loca; sed operatio in Deo est ratio formalis tangendi loca, vt loca sunt: ergo operatio est in Deo ratio formalis existendi in locis. Maior liquet, tum in quantitate molis, in qua ratio formalis existendi in loco est ipse contactus actualis quantitatis cum loco. Tum quia id docet D. Greg. hom. 8. super Ezechiel. vbi ait: *Vbique Deus, & vbique totus, quia omnia tangit.* Et minor probatur: Nam ratio proxima in actù primo tangendi loca in Deo est quantitas virtutis: ergo operatio est ratio formalis in actu secundo. Patet consequentia, quia ratio proxima in actu primo, & ratio formalis in actu secundo pertinere debent ad eandem lineam. Antecedens verò probatur: Nam ratio proxima existendi in loco debet esse aliqua quantitas residens in locato; sed in Deo non est quantitas molis: ergo debet esse quantitas virtutis. Consequentia probatur: Nam non datur nisi duplex contactus, quantitatis molis, & quantitatis virtutis, teste Arist. 8. Phys. cap. 5. & lib. 1. *de Generat.* & D. Thoma ibidem & lib. 2. Contra gent. cap. 56. ergo si in Deo quantitas molis non est ratio existendi in loco, debet esse quantitas virtutis.

13 Respondebis *primò* cum Adversarijs: fatendo quidem, Deum & quancumque substantiam spiritualem solùm esse in loco per contactum virtutis: At verò hic contactus virtutis non solùm consistit in operatione, sed etiam in alia vnione immediata cum loco, quæ pertinet ad lineam essendi, quam vnionem aliqui vocant *iuxtapositionem*; Alij *penetrationem.*

Sed hæc responsio multipliciter refellitur. *Primò*: Nam iuxta Arist. & D. Thomam non datur nisi duplex contactus, alius videlicet molis, & alius virtutis; sed Deus non habet contactum cum loco per quantitatem molis; ergo solùm dicit contactum cum illo quantitate virtutis: Tunc sic; sed contactus virtutis iuxta ipsos fit per operationem: ergo Deus solùm est in locis per operationem. ¶ *Secundò*: Nam Arist. & D. Thomas comparant contactum in Deo, & substantia spirituali per operationem cum contactu quantitatis molis; sed corpus non habet alium contactum cum loco præter vnicum contactum quantitatis molis: ergo nec Deus, vel substantia spiritualis habet ad locum alium contactum præter contactum operationis. *Expli-*

plicatur: Existentia in loco, iuxta Arist. & D. Thomam, debet afferre connexionem & dependentiam inter locatum & locum; cum hoc discrimine; quòd corpus existens in loco dependet ab illo; econversò autem Deo existente in loco, potiùs locus dependet à Deo; sed secluſa operatione inintelligibilis est dependentia loci à Deo: ergo Deus, seu substantia spiritualis solùm est in loco per operationem.

14 Nec valet recursus ad operationem, à qua locus dependet radicaliter; non verò formaliter. ¶ Nam corpus, dum est in loco, præter dependentiam, quam habet ab agente ponente illud in loco, dicit dependentiam immediatam ab eo: ergo econversò locus, præter dependentiam, quam aliàs habet iuxta hanc solutionem à Deo, debet ab eo dependere, vt locus est; sed nulla dependentia à Deo excogitari valet per simplicem vnionem: ergo Deus nequit dicere cum loco aliam vnionem, præter eam quæ formaliter, & proximè provenit à sua operatione.

Explicatur hoc: Si duo corpora penetrarentur, vnum alteri esset præsens; sed neutrum esset in altero tanquam in loco: ergo gratis concessa illa vnione, quam adstruunt hi Authores, Deus non esset in loco tanquam in loco, & ratione illius. Minor videtur certa: Quia locus, vt locus est, debet exercere aliquam superioritatem supra locatum: quapropter D. Thomas quodlib. 6. art. 3. ex eo probat primam sphæram non esse in loco, quia non habet aliud corpus supra se, quod exercere valeat superioritatem erga illam: vnde cùm, duobus corporibus penetratis, non esset maior ratio in vno, ac in alio ad hanc superioritatem, planè infertur, nullum esse in alio tanquam in loco. Consequentia verò probatur: Nam secluſa omni operatione, neque Deus dependeret à loco, vt ex se liquet; neque locus dependeret à Deo, cùm omnis dependentia loci proveniat ab operatione. Quocircà D. Thomas 1. dist. 37. quæst. 3. art. 1. ad 4. ait: *Non reputo inconveniens, quòd Angelus sine loco possit esse, & non in loco, quando nullam operationem habet: nec est inconveniens, vt tunc nusquam vel in nullo loco esse dicatur. Sicut etiam non est inconveniens, quòd nullo colore coloratus dicatur.*

15 Respondebis cum aliquibus Thomistis, quos infrà referemus, quòd estò Deus non sit in locis, vt loca sunt, nisi per operationem, habet tamen alium modum existendi in locis, per intimam, scilicèt, penetrationem cum illis: quam penetrationem exercet per immensitatem virtualiter distinctam ab operatione, pertinentemque ad lineam essendi, non operandi. Vndè aiunt, quòd in Deo est duplex *vbi*: aliud omninò absolutum à loco, quod vocant *intrinsecum*, & in hoc consistit formaliter attributum immensitatis; & aliud respectivum loci quodammodò dependens ab illo. Per hoc secundum est in loco, vt locus est, & non distinguitur ab operatione; per primum autem est in illo intimè & penetrativè, eo proportionali modo, quo, duobus corporibus penetratis, vnum est intimè præsens alteri. Quem modum discurrendi applicant cuicumque substantiæ immateriali. Sed vt hanc doctrinam clariùs explodamus, sit:

§. II.

Secunda Conclusio.

16 DIcendum est *secundò*, attributum immensitatis non esse virtualiter distinctum ab omnipotentia; neque in Deo dari *vbi* aliquod, quod pertineat ad ordinem essendi. Hanc conclusionem tenent N. Salmant. tract. 7. disp. 2. num. 83. & 123. Lezana cum illis in præf. num. 16. quam videtur insinuare Ferre, dum negat in Deo quodlibet *vbi* distinctum ab operatione.

Quoad primam partem probatur: Deus est in loco, vt locus est, per operationem; sed Deus est in loco, vt locus est, per attributum immensitatis: ergo attributum immensitatis non distinguitur virtualiter ab operatione, seu omnipotentia. Maior est certa etiam apud Adversarios. Et minor probatur: Nam *esse actu in omnibus locis, vt loca sunt, & esse*, quantùm est ex se, *in infinitis locis*, si existerent, est proprium munus immensitatis: ergo Deus est in loco, vt locus est, per attributum immensitatis. Antecedens probatur: Tum, quia sicut se habet æternitas in ordine ad durationes extrinsecas creatas, ita se habet immensitas in ordine ad loca extrinseca creata; sed proprium munus æternitatis est, & non alterius attributi virtualiter distincti ab ea, coëxistere omnibus durationibus creatis, vt extrinsecæ sunt: ergo etiam est proprium munus immensitatis existere in omnibus locis, vt loca extrinseca sunt. Tum etiam: Quia si daretur corpus simpliciter infinitum, infinitèque extensum, diceretur *immensum*, per hoc præcisè quòd occuparet omnia loca, vt loca sunt, independenter ab alia quacumque vnione: ergo Deus esse actu in omnibus locis, vt loca sunt, & in infinitis, si existerent, habet tanquam à ratione formali ab attributo immensitatis.

Confirmatur: Deum esse vbique tanquàm in loco est proprium munus attributi immensitatis; sed Deus per operationem est vbique tanquàm in loco: ergo attributum immensitatis non distinguitur virtualiter ab operatione, seu omnipotentia. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Quia non est maior ratio, cur esse vbique per intimam penetra-

netrationem (vt fingunt hi Authores) pertineat ad attributum immensitatis: & quòd esse vbique tanquam in loco non pertineat. Vel reddant rationem discriminis.

17 Dicunt, quòd attributum immensitatis est distinctum ab attributo omnipotentiæ, quod sufficit, vt *vbi* consistens in operatione, non sit proprium munus immensitatis. ¶ Sed quis non videat in hac evasione manifestam petitionem principij? quia nimirùm in hoc est dissidium præcipuum inter nos, & illos. *Rursùs*: In quantitate corporea eadem virtus est, quæ fundat vtrumque *vbi*, intrinsecum videlicèt, & independens à loco; & extrinsecum, ac dependens ab illo, nempè quantitas: quia duobus corporibus penetratis (in qua penetratione imbibitur primum *vbi*, vt aiunt illi) penetratio incipit à quantitate: ergo eadem virtus divina est, quæ etiam in Deo fundat vtrumque *vbi* fictum ab Adversarijs. Patet consequentia: Nam licèt ex distinctione reali in creatis non semper deducatur distinctio virtualis in divinis; ex identitate tamen absque distinctione virtuali in creatis optimè deducitur in divinis. Maximè, quia haùd facilè effugere possunt exemplum illud æternitatis.

18 Quapropter alij Thomistæ, qui non recognoscunt aliud *vbi* præter id, quod resultat ex loco, vt locus est, respondent *primò*, attributum immensitatis non esse in Deo rationem formalem existendi actu in loco, sed operationem, quia Deus immensus ab æterno est, etiamsi nullam creaturam produxisset. Cæterùm ipsa est ratio formalis in actu primo, per quam potest in rebus existere, supposito quòd illas producat. Sic Gonet. Ex quo infertur, quòd attributum immensitatis distinguatur virtualiter ab operatione, seu omnipotentia, & præcedat operationem.

Sed solutio hæc sustineri non valet. *Primò*: quia iuxta laudatum Authorem actus primus, & actus secundus in quacumque linea non distinguuntur virtualiter; sed iuxta doctrinam præfatam operatio est actus secundus immensitatis: ergo non distinguitur virtualiter ab illa. ¶ *Secundò*: Nam licèt in creaturis ob sui imperfectionem, quod est ratio formalis in actu primo ad præstandum aliquem effectum, sit diversum ab eo, quod est ratio formalis in actu secundo; semper tamen debent pertinere ad eandem lineam directam, ad eum modum, quo voluntas, & volitio; ergo si operatio est ratio formalis in actu secundo, per quam Deus existit in rebus, supposita earum productione, omnipotentia debet esse ratio formalis in actu primo, ante productionem illarum: ergo immensitas, & omnipotentia non sunt duo attributa. ¶ *Tertiò*: Nam duo attributa virtualiter adæquatè distincta petunt duos actus secundos adæquatè diversos: ergo vel attributum immensitatis non est diversum ab omnipotentia; vel operatio non est actus secundus ratione cuius immensitas est actu, & exercitè in rebus. Maximè, quia difficile est explicare, in quo consistat essentia attributi immensitatis, si ex vna parte distinguitur ab omnipotentia; & ex alia non est ratio formalis existendi actu in locis.

19 Respondent *secundò*, attributum immensitatis sequi ad duo attributa, videlicet ad infinitatem, & omnipotentiam; ad illam ratione extensionis virtualis, vi cuius potest in rebus infinitis existere, si darentur; & ad istam, quia supponit modum illas tangendi per operationem. Distinguuntur tamen virtualiter immensitas, & omnipotentia: quia diverso modo respiciunt creaturas, nam omnipotentia ex se non respicit terminum per modum assistentis in illo, sed præcisè per modum dantis *esse*; immensitas verò respicit terminum, quatenus tribuit *esse*, immediatè illi assistendo per immediatam & intimam coniunctionem cum illo. Sic Mag. à Sancto Thoma in præsent. §. *Secundò colligitur*, præsertim §. *Quòd si dicas*.

Nec hæc solutio potest sustineri: *Primò*: quia vel operatio est ratio formalis in Deo, per quam sit in loco; vel non? Aliter: vel ipsa operatio est vbicatio Dei in rebus; vel non? Si dicatur primum: ergo operatio non respicit terminum præcisè per modum *puri termini producti*, sed etiam per modum *assistentiæ* in illo. Si dicatur secundum: ergo operatio non est ratio formalis, per quam Deus est in loco, sed se habet præcisè vt quædam conditio antecedens: quod est contra præcipuum assertum illius, & D. Thomæ. ¶ *Secundò*: Nam omnipotentia non respicit terminum, quatenus præcisè dat illi *esse*, sed etiam per modum *coniunctionis*, *contactus*, & *assistentiæ intimæ* in illo; hoc est munus proprium immensitatis: ergo falsum est omninò, quòd habeant diversum modum respiciendi creaturas. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Nam de ratione creaturæ, vt est terminus divinæ omnipotentiæ, est, quòd dependeat immediatè à Deo secundùm totum suum *esse* in *esse*, & *conservari*; sed hoc affert secum indispensabiliter coniunctionem intimam & assistentiam in termino, vt fatetur hic præludatus Mag. ergo id, per quod formaliter dependet terminus à Deo in *esse*, & *conservari*, habet intimum contactum, coniunctionem, & assistentiam in eo: Operatio autem est id, ratione cuius effectus dependet à Deo formalissime in *esse*, & *conservari*, cùm conservatio sit continuata productio: ergo omnipotentia non respicit terminum præcisè vt dans illi *esse*, sed etiam per modum *coniunctionis*, & *existentiæ* in illo.

20 Per quod facilè probatur secunda pars conclusionis: Nam Deus non habet duplicem æternitatem virtualiter distinctam; aliàm, per

quam

quam sit æternus in seipso; & aliam, ratione cuius coëxistat durationibus extrinsecis: ergo neque Deus habet duplex *vbi*: aliud intrinsecum, ratione cuius sit immensus in seipso, & penetrativè in omnibus rebus; & aliud, ratione cuius sit in locis, vt loca sunt. Consequentia patet à paritate. ¶ Confirmatur *primò*: Deus non habet duplicem præsentiam, alteram ab æterno, & alteram in tempore: ergo neque habet duplex *vbi*. Antecedens probatur: Nam omnis præsentia competit Deo ex tempore, vt docet D. Thomas in 1. dist. 39. quæst. 2. art. 3. vbi ait: *Esse vbique importat relationem Dei ad creaturam fundatam super actionem Dei, & ideò non convenit ei ab æterno.* Vbi, vt vides, non meminit alterius modi essendi in creaturis, nisi per *vbi* fundatum in actione. ¶ Confirmatur *secundò*: Si Deus haberet duplex *vbi*, aliud æternum, quo est in se immensus; & aliud temporale, quo existit in locis, primum haberet aliquem effectum formalem; sed nullum habet: ergo non est admittendum. Minor probatur: Nam talis effectus vel est in ordine ad se, vel in ordine ad creaturas; non in ordine ad se, quia Deus non est sibi præsens præsentia quasi locali, cùm non detur contactus ad seipsum; neque in ordine ad creaturas, quia Deus non habet alium contactum ad illas nisi per operationem, ratione cuius præcisè exercet superioritatem erga illas. ¶ Confirmatur *tertiò*: Attributum immensitatis non distinguitur virtualiter ab attributo omnipotentiæ: ergo *vbi* proveniens ab omnipotentia non est distinctum ab eo, quod provenit ab immensitate. ¶ Confirmatur *quartò*: Nam iuxta D. Thomam 11. Metaphy. cap. 10. lect. 12. omne *vbi* dependet à loco: quapropter ait: *Erunt igitur tria genera entis, in quibus potest esse motus, scilicet quantitas, qualitas, & vbi: loco cuius ponit* (Arist.) *locum, quia nihil aliud significat vbi nisi esse in loco, & moveri secundùm locum nihil aliud est, quàm moveri secundùm vbi*: ergo nullum est *vbi*, quod non dependeat à loco: cùm igitur divina sint talia per correspondentiam ad res corporales, sequitur, quòd Deus non habeat aliud *vbi*, præter id quod correspondet corpori, prout est in loco. *Explicatur*: Nam Arist. & D. Thomas non recognoscunt aliud *vbi* in corpore præter prædicamentale, & definitur: *Circunscriptio passiva corporis à circunscriptione activa loci proveniens*: ergo neque in Deo debet dari aliud *vbi*, præter id quod correspondet huic *vbi* corporeo; sed in Deo est operatio:

ergo non datur aliud *vbi* in Deo præter operationem.

***

*** ***
***

§. III.

Sententiæ oppositæ.

21 COntra nostras conclusiones sentiunt communiter Scotistæ cum suo Subtili Doctore 1. dist. 37. quæst. vnic. amplectentes in hac parte sententiam antiquam Nominalium. Quibus adhærent plures ex Societate, Suarez, Vazquez, Molina, Valentia, & alij. Cum quibus ex Thomistis ex parte consentiunt Illmo. Palanco, & Mag. Ildephons. Michaël, quatenus asserunt, Deum præter existentiam, quam habet in locis, vt loca sunt, per operationem, esse in illis penetrative per attributum immensitatis distinctum ab attributo omnipotentiæ. Pro quo modo dicendi refert num. 9. alios plures gravissimos Thomistas. His etiam aggregari possunt Gonet, Lisbonienses, & alij, qui estò concedant, operationem esse rationem formalem, per quam Deus existit in loco, & non agnoscant nisi vnicum *vbi*; admittunt tamen attributum immensitatis (& consequenter *vbi*) distingui virtualiter ab omnipotentia.

Arguitur *primò*: Nam id est ratio formalis, per quam Deus est in loco, quod est ratio formalis tangendi loca; sed præter operationem datur in Deo alius modus tangendi loca: ergo operatio non est ratio formalis, per quam Deus est in loco. Consequentia liquet: nam Deus est in locis per immensitatem: si ergo datur alius modus tangendi loca præter contactum operationis, in illo profectò consistere debet attributum immensitatis. Minor probatur *primò* ex D. Thoma quodlib. 1. art. 4. vbi affirmans de Angelo esse in loco per contactum operationis, sic se explicat: *Ita tamen, quòd per operationem non intelligatur sola motio, sed quecumque vnitio, qua sua virtute se corpori vnit, præsidendo, continendo, vel alio quocumque modo.* Ergo in Angelo datur alius modus vnionis cum loco præter contactum operationis: cum ergo de Deo idem dicendum sit, proportione servata, manifestè infertur, Deum habere alium contactum in loco præter contactum operationis. *Secundò*: Dato impossibili, quòd existeret aliquod corpus à Deo non factum, Deus esset intimè in illo; sed tunc non esset per operationem: ergo præter operationem &c. *Tertiò*: Nam duo corpora possunt penetrari, ratione cuius penetrationis vnum corpus est alteri præsens: ergo etiam Deus, proportione servata, debet sic rebus penetrari; sed hic modus non provenit formaliter ab operatione, vt ex se liquet: ergo præter operationem datur in Deo alius modus tangendi loca.

Ad hoc argumentum respondetur *imprimis* distinguendo maiorem: *Quod est ratio formalis tangendi loca* per aliquam superioritatem

tem, concedo maiorem; alio modo, nego maiorem. Etenim sicut locus, vt locus est, explicat continentiam, & superioritatem supra corpus locatum; ita econversò Deus existens in loco, vt locus est, explicat hanc superioritatem: quam exercere non valet, nisi per operationem. Unde, gratis admisso alio modo tangendi loca, non esset Deus ratione illius in loco, vt locus est, quod est præcipuum punctum huius controversiæ.

Deinde respondetur concedendo maiorem; sed negando minorem. Et ad primam probationem ex authoritate D. Thomæ deprompta: Dicendum est, quòd locis ex 1. part. citatis num. 11. mutavit sententiam, si in prædicto testimonio meminit alterius vnionis distinctæ ab vnione per modum *operationis* : eò quòd Summa fuerit vltimum eius scriptum iuxta communem receptionem Authorum, quidquid insinuet Zamorens. Diximus *si in prædicto testimonio meminit alterius vnionis.* Quia revera in illo solùm meminit vnionis per modum *operationis*: hoc enim indicant illa verba *præsidendo, & continendo*, quia præsidentia, & continentia nequit aliter explicari nisi per operationem, seu virtutem eius. ¶ Ad secundam respondetur, quòd dato illo impossibili, non esset Deus in illo corpore tanquàm in loco, sed tantùm penetrativè, iuxta proximè dicta. Vel dicatur, & meliùs, quòd Deus nullo modo esset in illo. Nam sicut Angelus nullum effectum producens in mundo absolvitur ab omni loco, vt vidimus num. 14. ex D. Thoma, neque haberet aliquam vnionem cum illo; ita Deus, in suppositione quòd detur corpus ab illo non productum, nullo modo esset vnitus cum illo. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd, penetratis duobus corporibus, vnum alteri esset præsens, quin vnum exerceret aliquam superioritatem supra aliud (quod quidem possibile est iuxta extraordinariam providentiam: quia ad hoc sufficit, quòd Deus auferat ab vtroque corpore effectum secundarium expulsionis) Deus autem nequit cum creatura penetrari, & illi vniri, nisi in ipsa vnione formalissimè exerceat aliquam superioritatem supra eam: quæ vtiquè nequit aliunde provenire nisi ab operatione.

22 Arguitur *secundò*: Attributum immensitatis distinguitur virtualitèr ab attributo omnipotentiæ; sed Deus est in omnibus locis per attributum immensitatis tanquàm per rationem formalem: ergo non est per operationem. Maior probatur *primò* ex Symbolo Athanasij, vbi fit mentio omnipotentiæ, immensitatis, & æternitatis; sed æternitas est attributum distinctum ab omnipotentia: ergo etiam immensitas. *Secundò*: Omnipotentia pertinet directe ad lineam operandi, & immensitas ad lineam essendi: ergo distinguuntur virtualitèr. Patet consequentia: Nam hac ratione æternitas distinguitur virtualitèr ab attributo omnipotentiæ. Antecedens verò probatur ex D. Thoma infrà quæst. 14. in Prolog. vbi sic ait: *Post considerationem eorum, quæ ad divinam substantiam pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad operationem.* Et in Prolog. ad quæst. 25. *Post considerationem divinæ scientiæ, & voluntatis restat considerandum de divina potentia.* Ergo anteà non egerat de his, quæ pertinent ad operationem; sed in quæst. 8. agit de existentia in rebus, & locis; quæ est munus proprium immensitatis: ergo signum est, quòd hoc attributum, non est de linea operandi, sed de linea essendi. *Tertiò*: Immensitas est participabilis à creatura, quin participetur operatio, vt liquet in modo sacramentali, quo corpus Christi est in multis speciebus eucharisticis: ergo distinguitur ab omnipotentia.

Ad hoc argumentum respondetur negando maiorem. Et ad eius primam probationem dicendum est, quòd ex Symbolo Athanasij solùm sequitur, quòd sicut in Deo datur propriè omnipotentia, & æternitas, ita debet dari propriè immensitas: an verò sint omnia hæc attributa distincta, potiùs colligendum est ex ratione theologica. Ex hac autem rectè quidem deducitur, æternitatem esse attributum virtualitèr distinctum ab omnipotentia: quia videlicèt, hæc est de linea operandi, & æternitas de linea essendi; secùs verò immensitas ob oppositam rationem firmatam per totum dubium. ¶ Ad secundam respondetur, quòd si ex existentia Dei in rebus rectè colligitur Deum agere, de attributo immensitatis etiam debet deduci, hoc attributum consistere in operatione: quia Div. Thomas per totam quæst. 8. docet, operationem esse rationem formalem, per quam Deus existit in rebus. Potuit tamen in locis citatis affirmare se agere de operatione, & potentia Dei, licèt anteà egerit de existentia Dei in rebus, quæ consistit in operatione: quia omnipotentia habet duplex munus inadæquatum, itaut secundùm vnum est expressè de linea operandi; & secundùm aliud quodammodò, ac metaphoricè de linea essendi: ratione ergo huius secundi muneris agit de operatione in præsenti q. & ratione primi incipit agere à quæst. 14. Exemplum huius habemus in *intelligere*, quod ex vna parte est constitutivum divinæ essentiæ; & tamen agit de illo quæst. 14. citata. ¶ Ad tertiam respondetur ex proximè dictis: quod, nimirùm, sicut natura divina constituitur metaphysicè per *intelligere* radicale & actuale, itaut formalitèr eminentèr pertineat ad lineam essendi & operandi, quin ex hoc arguatur, quòd gratia participans conceptum *essendi*, participet etiam conceptum *operationis*, quia eadem virtualitas ob sui eminentiam potest à diversis creaturis participari; ita modus sacramentalis potest participare omnipotentiam, prout quodam-

dammodò pertinet ad lineam essendi, quin participet operationem formaliter, vt operatio est.

23 Ultimò arguitur: Deus habet speciale *vbi* intrinsecum, per quod est intrinsecè in se ipso, & penetrativè in omnibus rebus distinctum ab operatione: ergo operatio non est ratio formalis, per quam Deus omnimodò est in rebus. Antecedens probatur *primò*: Nam operatio divina correspondet contactui quantitatis cum loco; sed ex contactu quantitatis in loco, & ex ipso loco resultat *vbi* distinctum ab vtroque (idem apparet in contactu corporis Christi cum speciebus eucharisticis, ex quo resultat præsentia distincta:) ergo etiam in Deo ex contactu operationis cum loco debet resultare *vbi* virtualiter distinctum ab operatione. *Secundò*: Deus per operationem solùm est in loco, quatenus dat *esse* locatis; sed per hoc *vbi* non explicatur sufficienter *vbi* adæquatum Dei: ergo aliud debet poni. Minor probatur: Nam *Deum esse in locis, quatenus dat esse locatis*, est *esse in loco extrinsecè*; sed Deus non solùm est in loco extrinsecè, sed etiam intimè & penetrativè: ergo per illud *vbi*, quo dat esse locatis, non explicatur sufficienter modus adæquatus existendi in loco. *Tertiò*: Tàm corpus, quàm Angelus habent speciale *vbi* intrinsecum, sicut suam intrinsecam durationem: ergo etiam Deus debet habere speciale *vbi* intrinsecum, ratione cuius sit immensus in se, sicut habet durationem, ratione cuius est infinitus in linea durandi. Quibus adde plura testimonia SS.PP. Sed hæc commodiùs proponemus dub. seq.

Ad hoc argumentum respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, quòd estò ex contactu quantitatis cum loco, & corporis Christi cum speciebus sacramentalibus resultet *vbi*, seu præsentia, non verò in Deo. Et ratio disparitatis est duplex: prima, quia *vbi* in creatis est terminus motus localis, qui petit distingui realiter tàm à motu, quàm à mobili; in Deo autem terminus intrinsecus non debet distingui ab ipsa actione adhuc virtualiter. In cuius signum videmus, quòd verbum, & impulsus in creatis distinguuntur realiter ab operatione; à qua in divinis verbum, & impulsus communiter dicta non distinguuntur virtualiter. Secunda est: quia præsentia quantitatis, & corporis Christi sunt propriè loquendo præsentiæ; præsentia verò Dei est metaphorica: ideoquè non debet servari omnimoda proportio.

Ad secundam respondetur, Deum dupliciter quidem esse in loco, primò quatenùs dat *esse* locatis per operationem; & hoc pacto certum est, quòd tantùm penetrativè est in locatis, & non in loco. Secundò quatenùs dat loco *esse*, & virtutem locativam; & hoc modo penetrativè est in loco: At hæc duplex existentia non est aliud *vbi* ab ipsa operatione, vt docet D. Thomas in præs. art. 2. quòd est multiplex inadæquatè. ¶ Ad tertiam respondetur negando assumptum: Nam neque corpus, neque Angelus habent illud *vbi* intrinsecum, omninò fictum ab Adversarijs.

DUBIUM III.

Vtrùm Deus actu sit in spatijs imaginarijs?

PER *spatia imaginaria* nihil aliud intelligimus nisi illam infinitam latitudinem, quam supra primam sphæram imaginamur, in qua Deus potest producere infinitos mundos syncathegorematicè. De his ergo spatijs est difficultas, an Deus existat in eis, seu extra mundum. Cuius resolutio erit maior confirmatio doctrinæ stabilitæ in dub. præced.

§. I.

Nostra Conclusio.

24 DIcendum est, Deum non existere actu in spatijs imaginarijs, seu extra mundum. Hanc conclusionem tenent communiter Thomistæ, Capreolus, Hispalensis, Bañez, Gonçalez, Navarrete, Lisbonensis, Araujo, Serra, Contenson, Ferre, N. Salmant. tract. 7. disp. 2. num. 83. & N. Complut. abbrev. in Logic. disp. 16. num. 4. & alij. Quibus adhærent ex Societate Vazquez, Granados, Tamerus, Fasolis, & alij. Et communiter Scotistæ cum suo Subtili Doctore in 1. dist. 37. part. 2. art. 1. quæst. 3. à quibus non recedit D. Bonavent. ibidem.

Et probatur *primò* authoritatibus SS.PP. Nam D. August. in Psalm. 122. ait: *Antequàm faceret Deus Cœlum & terram, vbi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* Si ergo esset actu in spatijs imaginarijs, non solùm esset in seipso. Et contra Manichæos cap. 7. ait: *Stultam esse interrogationem ipsorum dicentium, vbi erat Deus, antequàm mundum conderet? quia non erat alicubi, sed in se ipso.* Ergo dum positivè asserit esse tantùm in seipso, manifestè negat esse in spatijs imaginarijs. Eundem modum loquendi habet D. Bern. lib. 5. *de Consider.* vbi ait: *Vbi erat Deus, antequàm mundus fuerit, ibi est. Non est, quòd quæras vltrà vbi erat? ante ipsum nihil erat: ergo in seipso erat.*

Confirmatur *primò* vnicè ex D. Thoma: Nam in 1. dist. 39. quæst. 2. art. 1. ait, quòd Deus implet locum, sicut corpus locatum, non quidem distantia dimensionum, sed causalitate effectuum; sed in spatijs imaginarijs nihil causat: ergo non est in illis. Et art. 3. inquirit, an Deus ab æterno fuerit vbique? Et respondet negativè. Cuius ratio est: Quia in nihilo

nihil

nihil omninò est; sed neque locus, neque res ab æterno fuerunt: ergo neque Deo ab æternò convenit vbique, vel in rebus esse.

Confirmatur *secundò*: Si Deus esset in spatijs imaginarijs, esset ex necessitate suæ essentiæ (sic discurrunt Adversarij:) sed Deus nullibi extra seipsum est ex necessitate essentiæ, vt tradit D. Thomas 3. Contra gent. cap. 68. §. vltim. ergo non est in illis.

Confirmatur *tertiò*: Ideo Deus esset in spatijs imaginarijs, quia alitèr non potest intelligi infinitum *vbi* Dei; sed hoc est falsum, & contra D. Thomam, qui quodlib. 11. art. 4. sic ait: *Persè igitur convenit alicui vbique esse, quando tale est, quòd, qualibet suppositione facta, sequitur illud esse vbique: Et hoc propriè convenit Deo, quia quæcumque loca ponantur, etiamsi ponerentur infinita, præter ista quæ sunt, oporteret in omnibus esse Deum, quia nihil potest esse nisi per ipsum. Sic igitur primò, & persè convenit Deo esse vbique, & est proprium eius, quia quecumque loca ponantur, oportet, quòd in quolibet sit Deus.* Vbi, vt vides, independentèr ad extensionem infinitam actualem salvat infinitatem immensitatis, per hoc præcisè quòd possit esse actu in infinitis locis, si existerent: ergo superfluus est recursus ad existentiam in spatijs imaginarijs.

25 Deinde probatur ratione: Deus non habet aliud *vbi* prætet operationem; sed Deus non est in spatijs imaginarijs per operationem: ergo non existit in illis. Minor cum consequentia constat. Et maior (præterquàm quòd manet probata ex dictis num. 20.) vlteriùs suadetur: Nam si haberet aliud *vbi* præter operationem, ratione cuius existeret in spatijs imaginarijs, præstaret aliquem effectum formalem; sed nullum effectum formalem præstat spatijs imaginarijs: ergo nullum *vbi* habet in ordine ad spatia imaginaria. Minor probatur: Nam nullum effectum præstare potest, nisi replere totam illam vacuitatem, quam replerent corpora, si ibi ponerentur; sed Deus non replet illam vacuitatem, quam replerent corpora, si ibi ponerentur: ergo nullum effectum formalem præstat spatijs imaginarijs. Minor probatur: Deus non repleret intimè illa corpora, quæ ibi ponerentur, secluſa omni operatione: ergo neque replet defactò illam vacuitatem. Antecedens probatur: Deus nequit esse, vbi non habet aliquem contactum superioritatis; sed, secluſa omni operatione in illa corpora, Deus non haberet intimum contactum superioritatis, cùm hic proveniat vnicè ab actione: ergo non repleret corpora, quæ ibi ponerentur, secluſa omni operatione.

Confirmatur hoc: Propterea corpus, si poneretur in spatijs imaginarijs, diceretur esse in illis, licèt non tanquàm in loco, quia in se habet extensionem corpoream; sed Deus nullam habet extensionem corpoream, nisi extensionem suæ virtutis activæ, quæ, quantum est ex se, potest se extendere ad illud spatium infinitum: ergo non replet actu illa spatia imaginaria.

Confirmatur vlteriùs: Nam ad hoc poneretur hæc specialis præsentia in spatijs imaginarijs, vt salvetur, quòd sit infinita, quod videtur salvari non posse, nisi Deus existat actu intimè & penetrativè, vbi existerent infinita corpora, sivè producerentur à Deo, sivè non; sed ad hoc non est necessarius recursus ad existentiam actualem in spatijs imaginarijs: ergo illam non habet. Minor probatur, tum ex Div. Thoma quodlib. 11. proximè relato. Tum: quia infinitas divinæ vbicationis sufficienter salvatur, per hoc quòd, quantum est ex se, possit esse in infinitis locis, si ab ipso producantur: sicut infinitas omnipotentiæ sufficienter salvatur, per hoc quòd possit producere infinitos effectus, quin sit necesse, quòd illos actu producat: ergo ad infinitam præsentiam Dei non est necessarius recursus ad existentiam actualem in spatijs imaginarijs.

Confirmatur *vltimò*: Nam Deum habere actualem præsentiam in spatio imaginario non possumus percipere, nisi inquantùm intelligimus Deum intimè penetrare totam illam vacuitatem, seu nihilitatem; sed inintelligibile est, quòd Deus penetretur cum intimis illius vacuitatis, sicut inintelligibile est, quòd ens reale sit in nihilo, vt suprà vidimus ex D. Thoma: ergo Deus non est in spatijs imaginarijs.

§. II.

Motiva sententiæ oppositæ.

26 OPpositam sententiam tuentur plures tam ex Schola Thomistica, quàm ex schola Societatis, & Scoti. Ex prima Zumel, Curiel, Nuño, N. Cornejo, Cabrera, quos refert, & sequitur Ildephonsus Michaël in præs. num. 18. adducens ad suam sententiam Caiet. & Ferraram. Quibus adhærent novissimè Mag. Palanco, & alij. Ex secunda Suarez, Molina, Valentia, Amicus, Arriaga, & alij. Ex tertia Mastrius disp. 2. *de Attribut.* quæst. 5. vbi refert prædictos Patres Societatis.

Pro qua arguitur *primò* ab authoritate Scripturæ: Nam 3. Reg. 8. dicitur: *Cœlum, & cœli cœlorum te non capiunt.* Et Iob. 11. *Excelsior cœlo est.* Baruch. 3. *O Israël, quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius! Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Ex quibus testimonijs Ecclesia illud effatum decantat, *Quem totus non capit orbis.* In his enim testimonijs non est locutio de præsentia tantùm aptitudinali, sed de exercita & actuali: ergo Deus est suprà cœ-

lum;

tum ; & consequenter in spatijs imaginarijs.

Confirmatur *primò* authoritate multorum SS. PP. Nam D. Greg. lib. 2. Moral. cap. 8. ait de Deo : *Ipse manet intra omnia, ipse extra omnia.* Damianus ep. 4. *de Dei omnipot.* cap. 6. *Ipse supra omnia, ipse infra omnia.* Hilarius 2. de Trinitate: *Deus intra omnia, & extra, & supereminens.* Athanas. epist. ad Serap. *Vbique est, & extra omnia ; implet omnia, manens extra omnia.* Hugo Victorin. in Summ. Sent. tract. 1. cap. 4. *Deus, antequàm creatura vlla esset, vbique esset, ibidem erat, vbi illa facta est.* Richard. Victor. *Si essentialitèr vbique est : ergo vbi locus est, & vbi locus non est.* Hos modos loquendi imitantur alij Patres, August. lib. *de Cognit. veræ vitæ* cap. 29. & lib. 7. Confession. cap. 5. Damascen. lib. 1. *de Fide ortodoxa* cap. 16.

Confirmatur *secundò* ex D. Thoma: Nam quodlib. 11. art. 1. ait : *Non solùm Deus est in his, quæ actu sunt, sed etiam in his, quæ imaginatione concipi possunt.* Et 3. part. quæst. 52. art. 3. ad 3. *Omnia loca simul accepta Dei immensitatem comprehendere nequeunt, immo ipse omnia suâ immensitate comprehendit ; neque ita est in mundo, vt non sit extrà.* Quibus verbis quid clarius ? ergo iuxta D. Thomam & alios Patres Deus est extra mundum, seu in spatijs imaginarijs.

Ad hoc argumentum cum suis confirmationibus respondetur, quòd tàm sacra Scriptura, quàm sancti Patres solùm intendunt, Deum totum ita esse in hoc vniverso, quòd ab ipso non limitetur ; sed, quantum est ex se, possit esse in alijs infinitis, si ab ipso producerentur: quia Deus non definitur ab hoc vniverso tanquàm à loco adæquato. Dicitur tamen esse *extrà omnia:* quia non est in hoc vniverso tanquàm contentus in illo, sed potiùs tanquàm continens: in quo explicatur superexcellentia illius. Vel quia potest producere extra mundum infinitas creaturas, in quibus esset. Quapropter D. August. lib. *de Natura boni* cap. 3. ait : *Deus est supra mundum, & extra mundum, non spatijs locorum, sed ineffabili, & singulari potentia.* ¶ Ad testimonia D. Thomæ satis constat ex dictis num. 24. quæ sit mens eius. Maximè si recolantur verba, quæ habet in lib. 1. *de Cœlo* lect. 21. vbi ait : *Deus dicitur esse extra Cœlum, non tanquàm in loco, aut vacuo, sed quia non continetur, nec clauditur sub continentia rerum corporalium.* Dicit tamen in testimonio nobis obiecto, quòd *est in his, quæ imaginatione concipi possunt.* Quia non possumus imaginari aliquem locum dari de facto, in quo Deus actu non sit : quasi diceret, quòd si spatia imaginaria aliquid essent, proculdubiò Deus esset in illis.

27 Arguitur *secundò* : Deus existit in suo *vbi* immenso, & infinito ; ergo actu existit, vbi existerent spatia & loca possibilia, si existerent ; & consequenter in spatijs imaginarijs. Antecedens videtur certum : quia Deus non minùs est infinitus in linea vbicationis, ac in linea durationis: cùm igitur Deus habeat durationem intrinsecam, quâ durat intrinsecè in seipso, non est, cur non debeat concedi *vbi* intrinsecum immensum & infinitum, quo existat in se ipso. Consequentia verò probatur : Loca illa si existerent independenter à Dei operatione, *vbi* Dei esset penetratum cum illis, & econversò : ergo existit actu, vbi existerent loca illa possibilia. Antecedens probatur : Illud *vbi* Dei est actu infinitum: ergo debet esse penetratum cum omnibus locis, estò ab operatione Dei non dependerent, & econversò.

Ad hoc argumentum respondetur negando antecedens. Quia Deus non habet *vbi* intrinsecum, ratione cuius in seipso existat, sed sufficit ipsa entitas & identitas illius absque alio attributo distincto, vt in se ipso existat. Ad cuius probationem, admisso antecedenti, negatur consequentia. Et ratio disparitatis est: quia æternitas Dei est absoluta, & respectiva, quia est attributum pertinens ad lineam essendi; sed omne *vbi* tàm in Deo, quàm in creaturis est tantùm respectivum: ac proinde nequit exercere suum effectum nisi in effectu, & spatio reali extrinseco. Propter quod D. Thomas loco num. 20. citato nos docuit, quòd *esse vbique importat relationem ad creaturam fundatam supra actionem Dei : & ideò non convenit ei ab æterno.* Quod intelligendum est quoad denominationem, non quoad entitatem ; non de relatione reali, sed de relatione rationis; sicut in eo se habet relatio dominij, & aliæ similes. Neque *vbi* Dei ob hoc definit esse infinitum, quia ad hoc sufficit, quòd, quantum est ex se, possit esse in spatijs actualibus infinitis, si darentur, vt suprà dictum est.

Arguitur *tertiò* : Si Deus non esset actu in spatijs imaginarijs, non esset actu proximè potens in illis aliquid producere ; sed hoc repugnat : ergo est actu in spatijs imaginarijs. Sequela probatur : Nam nihil potest alicubi producere, nisi per priùs sit ibi existens, & præsens, cùm prius sit alicubi *esse*, quàm ibi *operari*: sicut prius est *existere*, quando tempus poterat existere, quàm quòd producatur tempus : ergo si Deus non est actu in spatijs imaginarijs, non est actu proximè potens ad producendum aliquid in illis.

Ad hoc facilè respondetur, negando sequelam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt approximatio agentis cum passo sit conditio prærequisita, vt agens corporeum possit in illo agere, quia agit per virtutem receptam in quantitate, & dependentem ab illa, & loco ; secùs verò in agentibus spiritualibus, vt Angelis & Deo, qui ratione operationis existunt

in

in loco, & sunt simul cum passo, non pro priori ad illam. Quæ solutio desumitur ex Arist. & D. Thoma 7. Physic. qui solùm dixerunt, quòd *agens, & passum debent esse simul*: quod dictum est vniversale pro omni agente sivè corporeo, sivè spirituali; licèt hæc simultas diverso modo se habeat in agente corporeo, ac in spirituali ob disparitatem tactam.

29 Arguitur *quartò*: Angelus potest existere in vacuo; & tamen ibi nihil operari potest: ergo etiam potest esse in spatio imaginario; sed Deus & Angelus habent similem modum essendi in rebus: ergo Deus est actu in spatio imaginario. Antecedens probatur: Nam Angelus potest esse super cœlum empyreum, vt docet D. Thom. quodlib. 6. art. 3. ergo etiam in vacuo.

Et confirmatur *primò*: Angelus potest moveri per spatium imaginarium: ergo potest esse in illo. Antecedens probatur: Corpus potest moveri per vacuum, vt docent communitèr Philosophi 4. Physic. & consequenter per spatium imaginarium: ergo etiam Angelus.

Confirmatur *secundò*: Nam si corpus aliquod poneretur in spatio imaginario, ibi haberet specialem præsentiam absolutam: ergo etiam Deus debet illam habere.

Ad argumentum respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd D. Thomas eò dixit Angelum esse extra cœlum empyreum, quatenus est in vltima superficie convexa illius, vbi aliquid operatur. Ex quo nihil contra nos. ¶ Ad primam confirmationem respondetur negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum est, quòd eò corpus potest moveri per vacuum, quia in se habet suam extensionem & repletionem intrinsecam, ratione cuius potest moveri per illud respectivè ad primum continens, ex cuius continentia potest resultare novum *vbi* respectivum: *vbi* enim absolutum nullatenus concedendum est, quia hoc petit esse distinctum à corpore, & non resultat, nisi ex circunscriptione loci. In spatio autem imaginario aliter discurrendum est: Nam ibi estò possit corpus aliquod poni; non tamen intra illud spatium propriè moveretur perdendo vnum *vbi*, & acquirendo aliud, quæ omninò requiruntur ad motum localem per modum termini *à quo*, & per modum termini *ad quem*: occuparet tamen nunc vnam partem imaginariam illius spatij, & postea aliam per suammet extensionem intrinsecam, absque eo quòd acquirat vnum *vbi*, & deperdat aliud: quia omne *vbi* resultat ex circunscriptione loci, qui ibi non datur. Idemque dicendum est de corpore glorioso, quod nimirùm nullum *vbi* acquirit, quando movetur à terra vsque ad vltimam superficiem convexam cœli empyrei. Angelus autem (& similiter Deus) non habet alium modum essendi in loco, vel movendi se, nisi per operationem: ideoque nequit moveri per spatium vacuum, nec imaginarium, cùm ibi nihil possit operari. Per quod constat ad secundam confirmationem.

§. III.

Cuidam interrogationi fit satis.

30 HIC solet inquiri cum D. Thoma art. 3. quomodò verificetur, quòd Deus est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, atque potentiam. Pro quo notandum est *primò*, quòd licèt particula *In*, impropriè loquendo, sumatur, quatenus vnum est in alio per quancumque coniunctionem, quo pacto dicitur aliquid esse in toto, aut in parte; propriè tamen loquendo sumitur, quatenus vnum dicit dependentiam continentiæ ab alio; & quatenus vna res triplicitèr potest dependere ab alia, dicitur Deum esse in omnibus *per essentiam, præsentiam, atque potentiam.*

31 Notandum est *secundò*, quòd vna res potest esse in alia, primò per suam substantiam, quatenus est in quadam sphæra valdè limitata, in qua eius substantia secundùm omnia sua accidentia continetur tanquam in loco: Quo pacto corpus est in loco maximè limitato iuxta limitationem ipsius corporis, & Angelus est in loco tanto amplo, quanto eius virtus activa defactò extenditur. Secundò potest esse in alia per suam præsentiam, quatenus hæc nequit effugere prospectum illius. Qui modus existendi in alio per præsentiam est valdè diversus ab eo, ratione cuius cognitum est in cognoscente per suam similitudinem: nam res dum cognoscitur, cognoscens non dicitur esse in cognito, sed econversò; at *existere vnam rem in alia per suam præsentiam*, modo explicato, est *esse rem hanc subiectam conspectui illius.* Quod proculdubiò est non parva subiectio distincta à subiectione gubernationis: quia Rex habet supremam gubernationem supra totum regnum; non tamen omnia, quæ in eo aguntur, sunt subiecta conspectui illius. Tertiò vna res potest esse in alia per potentiam, quatenus non dicit continentiam actualis contactus cum illa, sed continentiam potestatis gubernativæ; & hoc modo dicitur Rex esse in toto regno, cùm habeat in illo potentiam gubernativam. Ex quibus infertur, hos modos essendi vnius rei in alia reduci ad genus causæ efficientis.

32 Ex his probatur, simulque explicatur, Deum esse in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam: Nam in primis est in omnibus per essentiam: quia per contactum virtutis intimè penetratur secundùm suam substantiam in omnibus rebus, prout dat illis immediatè *esse*, in quo consistit existentia substantiæ spiritualis in alia à se producta. Deinde est in illis per potentiam; quia omnia sunt sub-

ſubiecta ſuæ potentiæ, non ſolùm quatenus dat illis *eſſe* immediatè, ſed etiam quatenus illa gubernat per cauſas ſecundas. Tandem eſt in omnibus per præſentiam: quia nulla res eſt, quæ valeat effugere conſpectum eius, iuxta illud ad Hebræ. 4. *Et non eſt vlla creatura inviſibilis in conſpectu eius; omnia autem nuda ſunt, & aperta oculis eius.*

33 Quibus modis explosis manent tres errores Antiquorum. Nam per primum exiſtendi modum, nempè per eſſentiam, iugulatus manet error Avicennæ: qui aſſerebat, Deum immediatè immediatione virtutis & ſuppoſiti tantùm creaſſe primam intelligentiam; à qua ſecunda promanavit; & à ſecunda tertia, & ſic de reliquis; & ab vltima, anima noſtra, quæ tandem produxit omnia ſublunaria. Per ſecundum modum exiſtendi, ſcilicèt per potentiam, eliminatur error Manichæorum: qui dixerunt tantùm ſpiritualia & inviſibilia eſſe ſubiecta potentiæ Dei, non verò corporalia. Per tertium modum exiſtendi, videlicet per præſentiam, evertitur error Averroiſtarum: qui cum ſuo Principe ſomniaverunt, quòd eſtò omnia eſſent ſubiecta potentiæ Dei, hæc infima in individuo effugiebant providentiam Dei; licèt faterentur, cauſas motrices cœlorum, & fortè ipſa prima corpora cœleſtia eſſe in conſpectu illius. In quorum perſona dicitur Job. 22. *Circa ordines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat.*

Et ne doctrina hæc deſtituta maneat authoritate D. Thomæ, operæ pretium duximus, illius verba, quibus concludit corpus artic. in medium adducere, quæ ſunt hæc: *Sic ergo eſt in omnibus per potentiam, inquantùm omnia eius poteſtati ſubduntur. Eſt per præſentiam in omnibus, inquantùm omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius. Eſt in omnibus per eſſentiam, inquantùm adeſt omnibus, vt cauſa eſſendi.*

34 Sed vt hæc explicatio maius robur accipiat, oportet aliquas obiectiones proponere, ex quarum ſolutione magis eluceſcet. Arguitur ergo *primò*: Nam modus exiſtendi in rebus per eſſentiam non eſt diverſus à modo eſſendi per potentiam: ergo non rectè aſsignantur hi tres modi, quibus eſt in omnibus. Antecedens probatur: Nam *eſſe in rebus per eſſentiam* eſt *eſſe in illis per operationem*; ſed *eſſe in illis per potentiam* eſt *eſſe in illis etiam per operationem*: ergo non ſunt diverſi. ¶ *Secundò*: Modus exiſtendi per potentiam eſt præcisè moralis, non phyſicus; ſed modus, quo Deus dicitur exiſtere *per potentiam*, eſt phyſicus, & non præcisè moralis, aliàs eſſet metaphoricus: ergo vel non eſt in illis per potentiam: vel hic modus coincidit cum modo eſſendi per eſſentiam. ¶ Tertiò: *Eſſe Deum in omnibus per potentiam* idem eſt, ac *poſſe operari in omnibus*; ſed hoc non ſufficit, vt dicatur eſſe in omnibus *verè*, & *propriè*, aliàs eſſet in ſpatijs imaginarijs & poſsibilibus: ergo inutilis eſt modus exiſtendi per potentiam. ¶ *Quartò*: Nam *eſſe in omnibus per eſſentiam* eſt *eſſe in illis ſimplicitèr*; & *eſſe in omnibus per potentiam* eſt *eſſe in illis* ſecundùm quid: ergo ſi eſt Deus in omnibus per eſſentiam, nequit eſſe in illis per potentiam. Patet conſequentia: quia cui convenit prędicatum ſimpliciter, nequit convenire idem prædicatum ſecundùm quid: qua ratione aiunt Theologi, Chriſtum non eſſe filium Dei adoptivum, quia ſcilicet eſt filius Dei naturalis, inter quas filiationes vna eſt ſimpliciter, & alia ſecundùm quid.

Quintò) & erit contra modum eſſendi per præſentiam (Nam ideo dicitur Deus eſſe in omnibus *per præſentiam*, quia ſunt præſentia conſpectui eius; ſed plura ſunt, quę ſubjiciuntur conſpectui eius, & tamen non dicitur Deum aſsiſtere illis *per ſuam præſentiam*, vt ſunt poſsibilia, futura, præterita, & eſſentia ſua: ergo non rectè explicatur modus eſſendi per præſentiam. ¶ Confirmatur: Nam cognitio fit, quia congnitum eſt in cognoſcente media ſui ſimilitudine; ſed hoc modo potius res ſunt in Deo, quàm Deus in illis: ergo non quia Deus cognoſcit omnia, eſt in illis.

Tandem: Nam modus exiſtendi per potentiam arguit, Deum eſſe in rebus per alia attributa: ergo modi, quibus Deus exiſtit in rebus, non rectè aſsignantur. Antecedens probatur: Nam etiam alijs attributis ſubduntur omnia: vt intellectui, & voluntati, iuxta illud Eſther 13. *Omnia in ditione voluntatis tuæ ſunt poſita.* Et ſimiliter ſuæ æternitati, quatenus trahit omnia ad ſuam menſuram: Et ſuæ miſericordiæ, quia tollit omnium defectus. Et ſic de alijs.

35 Ad primum reſpondetur, quòd eſtò modus eſſendi per eſſentiam ex parte rei conceptæ non diſtinguatur à modo eſſendi per potentiam, ſicut nec potentia, & operatio hoc modo diſtinguuntur; ex modo tamen concipiendi diſtinguuntur. Et hoc ſufficit, vt dicatur, quòd non ſolum eſt in rebus *per eſſentiam*, ſed etiam *per potentiam*. Addimus: quòd eſtò modus eſſendi per potentiam ſit in Deo per operationem, ſicut modus eſſendi per eſſentiam; alitèr tamen & aliter: nam modus eſſendi per eſſentiam eſt per operationem, quatenus immediatè dat *eſſe* omnibus rebus; modus autem eſſendi per potentiam eſt mediatè, inquantùm movet cauſas ſecundas vi directiva, & executiva efficaciſsima ad producendos ſuos effectus. Et hæc differentia ſufficit ad illos diverſos modos eſſendi in rebus aſsignandos.

Per quod conſtat ad ſecundum: Nam in humanis propterea poteſtas gubernativa reducitur ad motionem moralem: quia Rex (v.g.) habet limitatum & imperfectum modum gubernandi, caretque poteſtate executiva ad alios

movendos: Deus autem habet supremum regimen omnium, simulque potestatem executivam physicam ad movendas causas secundas. Quare modus eius essendi per potentiam non debet esse metaphoricus præcisè & moralis, sed etiam physicus.

36 Ad tertium respondetur, quòd *esse Deum in omnibus per potentiam* non est *posse operari vtcumque*, sed respectu eorum quæ actu existunt, in quibus potest cum proprietate dici, quòd habet dominium. Respectu autem possibilium, seu in spatijs imaginarijs, licèt possit operari aliquid, qua ratione est in illis virtualiter; actu tamen & formaliter nullum dominium potest erga illa exercere in sensu composito illius status. Et propterea nequit propriè dici, quòd est in illis *per potentiam*.

Ad quartum respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Quia tunc prædicatum secundùm quid nequit convenire alicui habenti idem prædicatum simpliciter, quando non fundatur super aliquid, quod simpliciter convenit ei: & ob hanc rationem Christus non est filius Dei adoptivus, quia scilicèt filiatio adoptiva petit fundari in suppositò extraneo simpliciter tali, quod de supposito Christi verificari non potest. Quando verò prædicatum secundùm quid fundatur super aliquo, quod ei propriè & simpliciter convenit, potest coniungi cum prædicato simpliciter. Et hac ratione licèt sanctitas per participationem sit talis secundùm quid respectivè ad sanctitatem per essentiam; potest tamen in Christo coniungi cum illa, quia nimirùm fundatur in prædicato, quod convenit ei simpliciter, nempè gratia habituali. Vnde quia *esse Deum per potentiam in omnibus*, quod est *esse in illis secundùm quid*, fundatur in plena subiectione activa Dei, & passiva creaturarum, quæ sunt prædicata simpliciter illis convenientia, potest esse in illis per potentiam, estò sit etiam in illis per essentiam.

37 Ad quintum respondetur, modum essendi per præsentiam non fundari in cognitione rerum vtcumque, sed in cognitione rei physicè existentis in propria mensura, quatenus non potest subterfugere conspectum eius, & ab illo se occultare. Et hoc non competit possibilibus, præteritis, & futuris. Id, quod tangit de essentia divina, vnico verbo dispellitur. Dic ergo, quòd essentia Dei non subjicitur sibi ipsi, cùm non distinguatur ab eo: quæ subiectio omninò requiritur ad hanc existentiam in alio per præsentiam: & sic solùm habet locum in intuente respectu subditorum. ¶ Per quod constat ad confirmationem: Nam *esse rem aliquam in alia per præsentiam* non est præcisè *cognoscere illam intra se*; sed *tendere vsque ad penetrandam illam in seipsa secundùm suas vltimas differentias*, itaut non possit effugere conspectum eius. Et hoc modo res cognita non est in cognoscente, sed econtrà cognoscens est penetrativè in re cognita.

38 Ad vltimum optimè respondet Lisbonensis: Dicendo, quòd prædicata divina in ordine ad creaturas triplicitèr possunt se habere: vno modo trahendo creaturas ad se: & hoc modo cognitum est in cognoscente, & amatum in amante: quo pacto Deus non est in creatura, sed econversò; neque æternitas est in rebus, sed potiùs res sunt in æternitate, quatenus mensurantur per eam tanquam per mensuram superiorem. Alio modo, quatenus respiciunt aliquos effectus supponendo præsentiam in rebus, quia in suo conceptu formali non faciunt præsentiam neque formaliter, neque antecedenter, neque consequenter: & hoc pacto se habent misericordia, & iustitia, & aliæ virtutes in Deo; quæ estò ad producendos suos effectus indigeant aliqua aplicatione, vel productione; ex se tamen iam supponunt præsentiam in rebus. Tertio modo, quatenus ex suo conceptu formali afferunt præsentiam ipsam: & hoc pactò tantùm est in illis per contactus relatos per essentiam, præsentiam, & potentiam.

DUBIUM IV.

Vtrùm Deus ratione solius Gratiæ habitualis habeat aliquem modum specialem existendi in anima Iusti?

AD perfectam, & exactam notitiam modorum, quibus Deus existit in creaturis, desiderabatur scire modum specialem, quo Deus existit in anima iusti ratione gratiæ habitualis. De quo licèt exprofessò agat D. Thomas infrà quæst. 43. sub nomine *Missionis invisibilis*, non incongruè tractatur in præsenti. Tum quia huiusmodi meminit Ang. Doctor in attic. 3. huius quæst. tàm in corp. art. quàm in solutione ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd nulla aliæ perfectio superaddita substantiæ facit esse in aliquo, sicut obiectum cognitum & amatum, nisi gratia: & ideo sola gratia facit singularem modum essendi Deum in rebus.* Cæterùm hic modus specialis, quo Deus est in anima iusti, est adeo inexplicabilis, vt sincerè fateatur Seraphica D. N. Sancta M. Teresia lib. Mansi. mans. 7. cap. 1. *Que no sabe decir como es.* Vnde ad expositionem eius descendere non possumus, nisi invocato lucis divinæ auxilio. Vtinam præiret experientia!

§. I.

Suppoſitiones nonnullæ.

39 SUpponendum eſt *primò* cum communi conſenſu Theologorum contra Greg. in 1. diſt. 14. conc. 2. modum ſpecialem, quo Deus eſt in anima iuſti, non poſſe fieri per aſsiſtentiam præcisè extrinſecam. Et ratio eſt: Nam Deus nequit eſſe aliquo modo ſpeciali in creatura, ſine aliqua mutatione intrinſeca, vel ex parte Dei, vel ex parte creaturæ: cùm ergo hæc mutatio intrinſeca nequeat ſe tenere ex parte Dei, manifeſtè ſequitur debere dari ex parte creaturæ; ſed mutatio intrinſeca nequit ſtare cum aſsiſtentia præcisè extrinſeca: ergo hic modus ſpecialis aſsiſtentiæ nequit eſſe ſine receptione alicuius doni intrinſeci ex parte creaturæ. Maior ſuadetur: Nam ex vi huius modi ſpecialis reſultat nova denominatio realis, aliàs eſſet quid fictum; ſed nulla denominatio realis poteſt reſultare ſine mutatione intrinſeca alicuius extremi: ergo Deus nequit aliquo modo ſpeciali, & reali eſſe in creatura ſine mutatione aliqua intrinſeca, ſive ex parte Dei, ſive ex parte creaturæ.

Quod adeò vniverſalitèr verum eſt, quòd neque Deus poteſt eſſe in creatura per ſpecialem aliquem modum ſecundumquid, iuxta infrà dicenda, niſi medio aliquo dono intrinſeco. Hanc ſuppoſitionem ſic extendimus propter Herreram Scotiſtam: qui in 1. Sent. diſp. 11. q. 18. §. *Quod ſi quæras* ſententiam Gregorij ſic temperat, dicens, quòd ad aliquod opus ſpeciale ſufficit aſsiſtentia extrinſeca divina; licèt non ſufficiat ad inhabitationem Dei, qua anima redditur digna vitæ æternæ. Pro cuius ſcitu: Nota, quòd hic modus ſpecialis prærequiſitus debet eſſe ad aliquod opus ſupernaturale: nam ad opus naturale ſufficit aſsiſtentia Dei vniverſalis per intimum illapſum, in præcedenti dubio explicatum. Quo notato, probatur ſic: Tum, quia nulla creatura, viribus propris relicta, præcontinet opus aliquod ſupernaturale; ſed nec per aſsiſtentiam præcisè extrinſecam redditur potens illud præcontinere (vel ſi hoc poteſt, etiam poterit quodlibet opus ſupernaturale, v. g. amorem Dei ſupernaturalem ſuper omnia, & viſionem beatam; conſequenterque medijs his actibus ſolùm eſſet Deus in anima per aſsiſtentiam extrinſecam) ergo &c. Tum etiam: Nam quando creatura ad aliquod opus ſupernaturale aſſumitur, dicitur Deum eſſe in illa aliquo ſpeciali modo reali; ſed hæc denominatio nova nequit reſultare ſine aliqua mutatione intrinſeca ex parte ipſius creaturæ: ergo non eſſet Deus in illa præcisè per aſsiſtentiam extrinſecam.

40 Supponendum eſt *ſecundò*: Dum dicitur Deum eſſe in anima iuſti per ſpecialem aliquem modum, non ſic intelligendum eſt, quòd tantùm dona creata illi donentur, ſed etiam quòd Deus Unus, & Trinus eſt in ea ſubſtantialitèr, & realitèr. Quæ ſuppoſitio eſt adeò certa, quòd oppoſita eius doctrina errori adſcribatur à D. Thoma infrà q. 43. art. 3. arg. 1. vbi pro inconvenienti deducit: *Si igitur divina perſona mittitur ſolùm ſecundùm dona gratiæ gratum facientis, non donabitur ipſa perſona divina, ſed ſolùm dona eius. Quod eſt error dicentium Spiritum-ſanctum non dari, ſed dona eius.* Eundem modum loquendi habet in 1. diſt. 14. vbi ait: *Magiſtrum excludere ibi errorem dicentium Spiritum-ſanctum non dari in proceſſione temporali, ſed tantùm dona eius.* Et haùd meliùs poteſt oſtendi, niſi ex ſacra Scriptura: Nam ad Rom. 5. dicitur: *Charitas Dei diffuſſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum, qui datus eſt nobis.* Ubi Apoſtolus aperte diſtinguit Spiritum-ſanctum à dono creato charitatis. Et 1. ad Corinth. 3. *Neſcitis, quòd templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

In quibus teſtimonijs licèt fiat ſolùm mentio de Spiritu-ſancto; ex alijs tamen, & ex ratione deducitur, totum Deum Unum, & Trinum nobis donari. Tum, quia Ioann. 14. dicitur: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Tum etiam: Nam hæc donatio fit media gratia habituali; ſed media gratia habituali neque vna perſona nobis donari, quin totus Deus Unus, & Trinus nobis donetur (Eſt enim omnibus perſonis communis tàm in genere cauſæ efficientis, quàm in genere cauſæ obiectivæ, ſeu amicitiæ; cùm ſit participatio formalis naturæ divinæ, de cuius ratione eſt, quòd primariò terminet cognitionem, & amorem, ſivè divinum, ſivè creatum, & nequeat terminare ſecundùm vnam perſonam, & non ſecundùm alias) ergo totus Deus ratione gratiæ habitualis nobis datur.

Quibus ſuppoſitis, duplex difficultas eſt circa quæſitum. Prima eſt, in quo conſiſtat hic modus ſpecialis, quo Deus exiſtit in anima ratione gratiæ habitualis. Secunda, an ratione aliorum donorum Deus habeat in ea hanc ſubſtantialem, & intimam præſentiam. Quarum reſolutio duabus aſſertionibus declarabitur.

§. II.

Prima Concluſio.

41 DIcendum eſt *primò*, modum ſpecialem, quo Deus eſt ſubſtantialiter in anima iuſti ratione gratiæ habitualis, conſiſtere præcisè in eo, quòd eſt in illa tanquàm cognitus in cognoſcente, & amatus in amante. Hæc concluſio eſt D. Thomæ in præſ. art. 3. vbi in corp. ſic ait: *Dicendum, quòd Deus dicitur eſſe in re aliqua dupliciter. Vno*

modo per modum causæ agentis; & sic est in omnibus rebus creatis ab ipsa (videlicet per modum communem, quo est in illis per immensitatem) *Alio modo sicut obiectum operationis est in operante, quod proprium est in operationibus animæ, secundùm quòd cognitum est in cognoscente, & desideratum in desiderante. Hoc igitur secundo modo Deus specialitèr est in rationali creatura, quæ cognoscit, & diligit illum actu, vel habitu. Et quia hoc habet creatura rationalis per gratiam, dicitur esse hoc modo in sanctis per gratiam.* Idem repetit ad 3. Non minùs perspicuè id tradit infrà quæst. 43. art. 3. per hęc verba: *Super istum modum communem* (nempè essentiam, præsentiam, & potentiam) *est vnus specialis, qui convenit naturæ rationali: in qua Deus dicitur esse, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante.* Id ipsum passim docet alijs in locis, in 1. dist. 37. quæst. 1. art. 2. in 1. *ad Annibald.* dist. 14. quæst. vnic. art. 3. Angelicum Doctorem sequuntur communitèr Theologi.

Et probatur ratione D. Thomæ ex loco vltimo proximè citato: Nam duobus modis tantùm potest Deus substantialitèr esse in anima, seclusa vnione hypostatica, vel per modum *agentis*, vel per modum *obiecti*; sed modus specialis, quo ratione gratiæ est substantialitèr, & intrinsecè in anima iusti, non pertinet ad genus causæ efficientis: ergo pertinet ad genus obiecti: ergo est in illa ratione gratiæ habitualis, tanquam obiectum cognitum, & amatum. Vtraque consequentia est legitima. Et maior, præterquam quòd est D. Thomæ, communitèr admittitur à Theologis: vel assignent alium modum substantialem, & intrinsecum, quo Deus potest esse in rebus. Minor verò probatur: Nam licèt Deus sit intimè in anima, quatenus dat ei *esse* supernaturale per gratiam, hic modus est generalis, pertinens ad modum, quo Deus est per immensitatem, seu per intimum illapsum; sed modus, quo Deus est in anima iusti per gratiam, est modus specialis: ergo restat, quòd sit per modum obiecti, non verò efficientis.

Confirmatur: Nam Deus ratione gratiæ habitualis, & virtutum illam subsequentium, nempè fidei, seu luminis gloriæ, & charitatis, necnon donorum, maximè doni sapientiæ, est potens elicere amorem perfectissimum amicitię; sed hic amor affert secum coniunctionem substantialem, & physicam amati cum amante: ergo Deus ratione gratiæ habitualis est substantialitèr in anima iusti, tanquam cognitum incognoscente, & tanquam amatum in amante. Minor probatur: Tum ex D. Dionys. cap. 4. *de Divinis Nomin.* vbi distinguit duplicem vnionem amoris, aliam secundùm affectum, & alteram secundùm rem: ergo amor perfectissimus Dei, qualis est amor amicitiæ supernaturalis, seu charitatis, affert secum coniunctionem physicam, & substantialem amati cum amante. Tum ex D. August. lib. 8. *de Trinit.* cap. 10. vbi sic describit amorem: *Amor est quasi iunctura quædam duo aliqua copulans, amantem scilicet, & quod amatur.* Tum ex D. Thoma 1. 2. quæst. 28. art. 4. ad 2. vbi ait: *Quædam verò vnio est effectus amoris, & hæc est vnio realis, quam amans quærit de re amata.* Tum etiam ratione: Nam dum Deus est perfectè cognitus, nempè, per visionem beatificam, est intimè, & realitèr coniunctus cum cognoscente, & amante: ergo de ratione amoris perfectissimi est afferre secum coniunctionem intimam, & realem amati cum amante: cum ergo amor charitatis viæ, & patriæ sint eiusdem rationis quoad speciem, afferre debet etiam pro statu viæ hanc coniunctionem Dei cum anima. Antecedens probatur: Nam inter cognitionem, & amorem datur non parva proportio, & sympathia: ergo si Deus est realitèr intrinsecè præsens animæ vt obiectum cognitum per visionem beatificam, etiam debet esse vt obiectum amatum. Tum denique: Nam eo ipso, quòd anima habeat erga Deum hunc amorem perfectum, quiescit in illo: ergo signum est, quòd illum intra se habet actualitèr, & substantialitèr ratione talis amoris. Patet consequentia: nam propterea non quiescimus, dum ardenter res temporales diligimus, quia amor ipsarum non causat hanc vnionem realem. Et antecedens est D. Thomæ opusc. 4. §. *Sic ergo*, vbi ait: *Nullus enim verè gaudium habet, nisi existens in charitate.* Et post pauca: *Sed non sic est in spiritualibus: immo qui Deum diligit, habet ipsum. Et ideò animus diligentis, & desiderantis quietatur in eo. Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

42 Huic rationi, & confirmationi respondet Illust. Godoy tract. 14. disp. 100. à num. 36. præcipuè à num. 84. quòd ex illis tantùm arguitur præsentia Dei obiectiva extrinseca, non verò physica, & intrinseca personarum; licèt hæc debeat præsupponere præsentiam physicam intrinsecam per immensitatem ratione gratiæ, & donorum, prout sunt à Deo efficienter.

Optimè: Sed hæc evasio in re convenit cum modo loquendi aliorum Theologorum. Nam dum asserunt, Deum esse intimè præsentem animæ iusti per modum *obiecti cogniti*, & *amati*, non volunt statuere, quòd Deus vniatur cognitioni fidei per modum obiecti intrinseci, eo modo quo vnitur intrinsecè visioni beatæ per modum *verbi*; neque quòd vniatur dilectioni per modum *impulsus*: hæc enim est nimis crassa intelligentia nostrorum Authorum. Volunt ergo dicere, quòd eo ipso, quòd totus Deus secundùm suam substantiam donetur animæ

mæ iuſti phyſicè ratione gratiæ habitualis, quatenus ratione illius dat illi *eſſe* ſupernaturale, quod pertinet ad immenſitatem, radicat dona, ratione quorum experimentalitèr poteſt cognoſcere ipſum Deum, prout ſubſtantialitèr, & phyſicè eſt intra animam ratione ipſius; & poteſt illum diligere, prout etiam eſt intra ipſam animam, quin ſit neceſſe, quòd obiectum cognitum, & amatum quærat extra ſe: nam hoc ipſò quòd ſic Deum cognoſcat, & diligat, vel actu, vel habitu, iam Deus eſt abſolutè phyſicè præſens cognitioni, & amori. Quocirca ita totus Deus donatur animæ iuſti ratione productionis gratiæ (quod pertinet ad immenſitatem) quod præbet virtutem, vt poſsit anima regredi ad ipſum Deum prout eſt intrà, illo vti, frui, & delectari. Et in hoc ſita eſt hæc intima, & ſpecialis præſentia phyſica per modum *obiecti cogniti*, & *dilecti*.

Quod vt clariùs fiat, poteſt tribus exemplis explicari. Primum eſt animæ noſtræ: Nam homo cognoſcit animam ſuam cognitione experimentali, quatenus cognoſcit ab illa vivificari, & accipere *eſſe*, & virtutem omnium ſuarum operationum; & hoc pacto redditur illi præſens phyſicè per modum *obiecti*: ad quod maximè conducit, quòd homo illam habeat intimè præſentem, & aſsiſtentem. Secundum eſt ſubſtantiæ Angelicæ: quæ vnita intellectui tàm per modum *radicis*, quàm per modum *ſpeciei*, eſt phyſicè præſens eius cognitioni, & amori, vt obiectum intrà cognitum, & amatum. Tertium eſt ipſius Dei: qui eſtò non vniretur intellectui Beati per modum *ſpeciei impreſſæ*, & *expreſſæ*, adhuc eſſet obiectum vt intrà cognitum, & amatum reſpectu viſionis, & amoris experimentalis.

43 Ex quibus conſtat, modum dicendi Godoy non eſſe diverſum in re à modo dicendi aliorum. Per quę conciliari poſſunt ea, quæ doctiſsimus Magiſt. à Sancto Thoma dixit circa hanc ſpecialem præſentiam Dei in anima iuſti, cum his quæ dicunt N. Salmant. tract. 6. diſp. 19. inter quos videtur dari aliqua diſſenſio. Nam præludatus Mag. in præſ. diſp. 8. §. *Ex his ergo*, & quæſt. 43. diſp. 17. art. 3. num. 10. ait, quòd modus iſte ſpecialis, quo Deus exiſtit in anima iuſti, licèt ſit diverſus à modo exiſtendi per immenſitatem; modus tamen exiſtendi per immenſitatem omninò præſupponi debet ad illum, itaut ſi per impoſsibile auferretur immenſitas; auferretur ex conſequenti hæc ſpecialis vnio Dei cum anima. N. Salm. loco citato num. 77. aſſerunt, quòd ratione gratiæ daretur hæc intima vnio, eſtò non eſſet in anima per immenſitatem. Ut ergo ad concordiam vocentur, primus non loquitur de attributo immenſitatis, prout terminatur præcisè ad *eſſe* naturale animæ; ſed prout terminatur ad *eſſe* ſupernaturale illius ratione gratiæ. Et ſic rectè dicit, iuxta proximè dicta. Secundi loquuntur de immenſitate, prout terminatur ad *eſſe* naturale animæ. De qua verum eſt, quòd eſtò non eſſet intimè in ea per contactum tribuentem illi *eſſe*, adhuc Deus haberet præſentiam intimam cum ea modo hoc ſpeciali per gratiam: quia eſſet in illa per immenſitatem, quatenus dat illi *eſſe* ſupernaturale cum gratia. Et hic modus eſſendi per immenſitatem neceſſariò prærequiritur ad modum eſſendi per modum *obiecti cogniti*, & *amati*. Quæ explicatio deſumitur ex doctrina illorum alibi: docent enim, quòd vt Deus communicetur per modum *ſpeciei intelligibilis*, ſeu per modum *ſuppoſiti* humanitati, debet præire vnio per intimum illapſum: aliter enim non poſſet vniri vno, vel altero modo. Videantur inſuper loco ſuprà citato num. 68. & num. 99. vbi doctrinam Lisbonienſis erudite tradunt, & propugnant.

Sed dices: Si per impoſsibile producerentur lumen gloriæ in intellectu creato, & non à Deo; ibi reſultaret eſſentia divina vnita per modum *ſpeciei*; cùm virtualitèr illam exigat, ſicut vltima diſpoſitio formam: ergo idem dicendum eſt de gratia habituali reſpectivè ad hanc vnionem ſpecialem ſubſtantialem Dei; proindeque non requiritur exiſtentia Dei per immenſitatem.

Reſpondetur negando antecedens: Nam ad vnionem eſſentiæ divinæ per modum *ſpeciei* omninò requiritur, quòd præcedat vnio Dei per intimum illapſum dantis *eſſe* in linea ſupernaturali, vel alia vnio ſubſtantialis phyſica. Ob quam rationem aiunt prædicti Patres tract. 7. diſp. 6. dub. 2. Angelum non poſſe vniri per modum *ſpeciei* alteri Angelo, quia deficit ei vnio per intimum illapſum, & alia quæcumque vnio ſubſtantialis phyſica.

§. III.

Obiectiones contra præfatam concluſionem.

44 ARguitur *primò*: Nam *eſſe Deum ſubſtantialitèr in anima iuſti vt obiectum cognitum, & amatum* non eſt *eſſe in illa intrinſecè*: ergo non rectè à nobis explicatur modus ſpecialis, quo Deus eſt in animæ ratione gratiæ habitualis. Antecedens probatur: Nam *eſſe cognitum, & amatum* ſolùm eſt denominatio extrinſeca, ſicut *parietem eſſe viſum*: ergo *eſſe Deum in anima iuſti vt obiectum cognitum, & amatum*, non eſt *eſſe in illa intrinſecè*.

Confirmatur *primò*: Nam inter Angelos datur amicitia perfecta, ad quam præcedunt cognitio perfecta, & amor fruitivus; ſed hæc amicitia inter Angelos non affert ſecum præſentiam realem intrinſecam, ſed tantùm extrinſecam: ergo eſtò gratia ſit radix amoris amicabilis

bilis Dei, non inde infertur, quòd afferat præsentiam intrinsecam substantialem inter amantem, & amatum.

Confirmatur *secundò*: Nam Deus vt obiectum cognitum in via non dicit præsentiam physicam,& substantialem cum cognoscente: ergo neque vt obiectum amatum. Consequentia videtur legitima, propter proportionem,& sympathiam inter has duas operationes repertam. Antecedens verò probatur: Nam Deus solùm potest cognosci in via per fidem; sed cognitio fidei non affert hanc physicam & intrinsecam præsentiam obiectivam, cùm non respiciat obiectum vt habitum, sed vt habendum in se: ergo &c.

Ad argumentum respondetur, quòd licèt *esse cognitum*, & *amatum* sit ex se denominatio extrinseca; cùm hoc tamen componitur, quòd cognitum, & amatum sit intrinsecè substantialiter in cognoscente, & amante. Nam Deus ratione gratiæ est substantialiter in anima; & anima potest regredi ad Deum, qui est intra eam secundùm suam substantiam: quod sufficit, vt dicatur, Deum esse intrinsecè per suam substantiam novo modo, tanquam cognitum scilicèt in cognoscente, & tanquam amatum in amante. Verum quidem est, ad hoc oportere, quòd per modum *agentis*, seu per immensitatem priùs intelligatur, esse Deum intrinsecè in anima ratione gratiæ; supposita tamen hac existentia Dei per immensitatem, resultat existentia Dei in eadem anima per modum *obiecti cogniti, amati*, & *gustati*; sicut de exemplis num. præced. adductis dictum est. Quibus addimus,quòd cùm Deus per modum *agentis* sit secundùm suam substantiam non solùm in anima ratione gratiæ, sed etiam in potentijs ratione virtutum, donorum, & operationum, potest anima reflecti suprà ipsas, & in illis inveniet Deum intrinsecè per suam substantiam, quo de facto fruatur, licèt imperfectè.

45 Sed contra hanc solutionem objicies: Nam ex ea sequitur, quòd Deus sit speciali modo secundùm suam substantiam, vt obiectum amatum amore naturali; sed hoc non est admittendum, iuxta dicenda conclusione sequenti: ergo neque in anima gratia habituali ornata est speciali modo, scilicet, *obiecti cogniti*, & *amati*. Probatur sequela: Nam in perfecto amore naturali etiam Deus est intimè secundùm suam substantiam: ergo Angelus (v. g.) poterit reflecti ad ipsum amorem in quo inveniet Deum, quem amet; consequenterque Deus, vt author naturalis, seu vt finis naturalis, erit in Angelo per modum *obiecti cogniti*, & *amati*.

Respondetur, esse notam disparitatem inter amorem charitatis provenientem radicaliter à gratia, & inter amorem naturalem: nam hic non attingit Deum prout est in se amabilis,alias esset charitas, sed prout resplendet in creaturis, in quas directè tendit: ac proindè nec curat, nec potest reflecti in Deum præsentem suæ radici, & principio per immensitatem: Ex quo infertur, quòd non vnitur illi vt obiectum cognitum, & amatum. Oppositum accidit in gratia præditis, estò actualitèr in amorem non prorumpant, cuiusmodì sunt dormientes, seu carentes vsu rationis: siquidem per gratiam non solùm habent substantialitèr vnitum Deum, prout est in se amabilis, sed etiam illum possunt sic attingere, tàm in via, quàm in patria.

46 Ad primam confirmationem respondetur, quòd vnus Angelus nunquàm illabitur, neque illabi potest alterius substantiæ: quare eorum amicitia, & convictus non potest pertingere ad gradum intimitatis repertæ inter Deum, & iustos. Sanè staret quodammodò exemplum, si poneretur in amore Angeli ad se, siquidem supponitur coniuncta substantialitèr eius essentia vt obiectum primarium cum suis potentijs. Et ad hunc modum Deus,semel præsens creaturis vt author supernaturalis per immensitatem ratione gratiæ,potest manifestari ratione illius vt obiectum amicabile.

Per quod constat ad secundam. Nam actus fidei potest considerari duplicitèr;vel secundùm se, vel vt procedit à gratia. Inter quæ est insigne discrimen, quòd quando non procedit à gratia,non supponit Deum, prout est in se,substantialitèr vnitum cum anima simplicitèr,sed tantùm secundumquid: quia sola gratia, vtpotè participatio formalis naturæ divinæ, facit Deum vnum, & trinum existentem simplicitèr in anima. Si verò procedit à gratia, iam supponit ratione illius hanc substantialem vnionem simplicitèr talem, non minùs propriè quàm charitas. Unde sicut respectu charitatis comparatur per modum *obiecti intrinsecè amabilis super omnia*; ita respectu fidei formatæ comparatur per modum *obiecti intrinsecè cogniti*. Quæ solutio fundamentum habet in D. Thoma in 1.dist.37. quæst. 1. art. 2. vbi ait: *Creatura attingit ad ipsum Deum secundùm suam substantiam considératum, & non secundùm similitudinem tantùm, scilicet, quando aliquis fide adhæret ipsi primæ veritati, & charitate ipsi summæ bonitati.*

47 Arguitur *secundò* ex D. Thoma 1. 2. quæst. 11. art. 4. in corp.vbi ait: *Vltimus finis habetur dupliciter, vno modo perfectè, alio modo imperfectè: perfectè quidem, quando habetur non solùm in intentione, sed etiam in re; imperfectè autem, quando habetur in intentione tantùm.* Ex quo infert, quòd fruitio perfecta solùm potest haberi de vltimo fine, prout habetur in re; sed fruitio huius vitæ est solùm fruitio imperfecta, vt ibidem docet D.Thomas: ergo Deus non est in amante secundùm præsentiam physicam, seu in re, sed tantùm in intentione.

Ex-

Explicatur : Nam ſi Deus eſſet ſubſtantialitèr præſens vt obiectum fruibile, iuſtus poſſet illo frui, & non poſſet eum deſiderare, quia fruſtrà deſiderantur, quæ iam habentur in re; ſed hoc eſt falſum, quia iuſtus deſiderat beatitudinem ex vna parte, & ex alia fruitio eſt de Deo iam poſſeſſo per viſionem beatam: ergo &c.

Argumentum hoc potiùs militare videtur contra ſuppoſitionem factam num. 40. de exiſtentia hac intrinſeca, & ſubſtantiali Dei in anima, quam contra noſtram concluſionem. Nihilominus reſpondetur, quòd D. Thomas in prædicto teſtimonio ſolùm loquitur de poſſeſſione Dei, prout habetur à Beatis per viſionem beatificam, ratione cuius, præter exiſtentiam Dei in anima per intimum illapſum ſupernaturalem, habetur perfectè, & intrinſecè per modum *ſpeciei*, & *verbi*: ad quam poſſeſſionem propendit gratia in via per ſpem; & ſic nequit dari perfecta fruitio de Deo vt hoc modo poſſeſſo. Cum hoc tamen ſtat, quòd Deus ratione gratiæ ſit in anima per immenſitatem; & quòd anima poſsit regredi per cognitionem viæ, & per amorem ad ipſum Deum, prout phyſicè, & ſubſtantialitèr hoc modo illi aſsiſtit: & in hoc conſiſtit intima præſentia phyſica, & ſubſtantialis per modum *obiecti cogniti*, & *amati*. Per quod conſtat ad illam explicationem.

47 Vltimò arguitur: Nam cognitio experimentalis, & guſtativa habita de Deo in hac vita non exigit realem præſentiam obiecti: ergo nec Deus ratione gratiæ talem cognitionem radicantis petit eſſe phyſicè præſens. Antecedens probatur: Nam hæc cognitio non eſt certa, ſed coniecturalis; ſed cognitio præcisè coniecturalis non petit realem præſentiam obiecti; ergo &c. Maior eſt expreſſa D. Thomæ 1. diſt. 15. quæſt. 4. art. 1. ad 1. vbi ſic ait: *Me habere actuale donum, in quo perſona divina datur, non poſſum ſcire certitudinaliter in actu, propter ſimilitudinem actuum moralium ad actus meritorios, etſi poſsim ex aliquibus ſignis conjicere.* Minor probatur: Nam ſi cognitio eſt præcisè coniecturalis poteſt exiſtere, obiecto non exiſtente: ergo non petit realem præſentiam obiecti.

Ad hoc facilè reſpondetur: Nam aliud eſt, quòd nos non cognoſcamus certò in hac vita habere veros actus fidei, & charitatis; aliud quod in ſe ſint veri actus fidei, & charitatis. Licèt ergo cognitio coniecturalis reflexa, quæ terminatur ad hos actus, ex ſe non petat præſentiam realem illorum, vt benè probat argumentum; actus tamen charitatis, & fidei, qui procedunt reipſa à gratia, illam neceſſariò exigunt, propter dicta in tota hac quæſtione. Unde ſi revelatione divina nobis conſtaret, huiuſmodi actus eſſe actus veros procedentes à gratia, per legitimam conſequentiam inferendum eſſet, quod Deus eſt realitèr præſens.

§. IV.

Secunda Concluſio.

48 DIcendum eſt *ſecundò*, nullum donum præter gratiam habitualem eſſe rationem formalem ad hanc aſsiſtentiam ſpecialem Dei in anima. Hæc etiam eſt expreſſa D. Thomæ in præſ. art. 3. ad 4. vbi ait: *Nulla perfectio ſuperaddita ſubſtantiæ facit Deum eſſe in aliquo, ſicut obiectum cognitum, & amatum, niſi gratia. Et ideo ſola gratia facit ſingularem modum eſſendi Deum in rebus.* Idem tradit exprofeſsò infrà quæſt. 43. art. 3. vbi hoc ipſum inquirit, & affirmative reſolvit. Propterea eque eum ſequuntur communitèr Theologi.

Et probatur *primò* ex Scriptura: Nam 1. Sapient. dicitur: *Spiritus-ſanctus diſciplinæ fugiet fictum.* Super quę D. Thomas in 1. diſt. 14. quæſt. 2. art. 1. ait: *Quicumque caret gratia ſanctificante, pro ficto habetur.* Ergo Spiritus-ſanctus non habitat ſpecialitèr in eo, qui caret gratia habituali. In eodem lib. 8. cap. etiam dicitur: *In malevolam animam non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

Confirmatur *primò* ex illo 1. ad Corinth. 3. vbi Apoſtolus ait: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus-ſanctus habitat in vobis?* Et vt declaret, quid requiratur, vt anima ſit templum Dei, poſteà ſubdit: *Templum enim ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Cùm ergo ſola gratia ſit, quæ animam ſanctificat, per ſolam gratiam Spiritus-ſanctus habitabit ſimplicitèr in anima. ¶ Confirmatur *ſecundò*, ex D. Auguſt. 15. *de Trinit.* cap. 18. vbi ait: *Dantur alia munera per Spiritum-ſanctum; ſed ſine charitate nihil poſſunt: Niſi ergo tantùm impertiatur cuique Spiritus ſanctus, vt eum Dei & proximi faciat amatorem, à ſiniſtra non tranſfertur ad dexteram: neque Spiritus propriè dicitur* Donum *niſi propter dilectionem.*

49 Deinde probatur triplici ratione D. Thomæ infrà quæſt. 43. ſuprà citata. Prima deſumitur ex argumento *Sed contrà*: Nam Spiritus-ſanctus dicitur eſſe in anima, inquantùm procedit temporalitèr, & mittitur ad nos; ſed proceſsio, & miſsio temporalis Spiritus-ſancti ſolùm eſt ratione gratię ſanctificantis: ergo Spiritus-ſanctus, & conſequentèr totus Deus, ſolùm eſt in anima ratione gratiæ ſanctificantis. Minor eſt certa: Nam Spiritus-ſanctus non venit ad nos, niſi per miſsionem à Patre, & Filio; & non mittitur ab eis, niſi inquantùm procedit ab illis, vt pronunc ſupponimus cum D. Thoma loco proxime citato. Et minor probatur ex D. Aug. 3. *de Trinit.* cap. 4. vbi ait: *Spiritus-ſanctus procedit temporaliter ad ſanctificandam*

ani-

animam; sed anima præcise sanctificatur ratione gratiæ habitualis: ergo processio, & missio Spiritus-sancti est tantùm ratione gratiæ habitualis.

50 Neque ex hac ratione inferas, Spiritum-sanctum substantialitèr sanctificare animam, sicut Verbum sanctificat humanitatem. Nam sanctitas animæ potest considerari duplicitèr, vel vt effectus Spiritus-sancti in genere causæ efficientis, vel vt effectus in genere causæ formalis: Dicitur ergo, quòd Spiritus-sanctus venit ad sanctificandam animam in genere causæ efficientis, quia causat gratiam creatam, à qua sanctitas animæ nostræ provenit in genere causæ formalis. Hæc autem gratia facit, quòd Spiritus-sanctus substantialitèr sit in anima, tanquàm in templo sanctificato: & sic potest dici, quòd completivè illam sanctificat, quatenus est ratione gratiæ per modum *dispositionis* vt obiectum cognitum, & amatum; seu quatenus terminat, prout est intrà, actum cognitionis, & amoris, qui sunt complementum sanctitatis.

51 Secunda ratio D. Thomæ desumitur ex prima, quæ habetur in corpore articuli. Nam specialis modus, quo Deus potest esse in anima, est per modum *obiecti cogniti*, & *amati*, ratione cuius Deus dicitur esse in ea, tanquàm in templo suo; sed solùm ratione formæ sanctificantis potest esse intrinsecè, & substantialitèr per modum *obiecti cogniti*, & *amati*: ergo Deus tantùm ratione gratiæ sanctificantis est in anima hoc speciali modo. Minor probatur: Nam *esse per modum obiecti cogniti*, & *amati* est *esse per modum obiecti amicabilis*; sed sola gratia vnit Deum substantialitèr per modum *obiecti amicabilis*: ergo sola gratia vnit nobiscum Deum per modum *obiecti cogniti*, & *amati*.

52 Respondebis, quòd Deus potest esse intimè in anima per modum *obiecti cogniti*, & *amati* independenter à gratia, ratione scilicèt actus fidei, quem in omnium sententia potest elicere peccator; & ratione actus charitatis, qui potest elici medio auxilio in plurium sententia.

Sed hæc responsio, quantùm ad actum charitatis, in nostra sententia non habet locum: quia putamus actum charitatis essentialitèr dependere à gratia habituali. Qui aliter sentiunt, hanc evasionem haud facilè confutare possunt. Quantùm ad actum fidei sufficienter refellitur ratione sequenti, quæ est tertia in articulo citato.

53 Tertia ergo ratio D. Thomæ, quæ etiam habetur in 1. dist. 14. quæst. 2. art. 2. ad hanc formam reducitur: Ratione illius formæ est Deus simplicitèr in anima hoc modo speciali, ratione cuius est intra eam, vt vltimus finis fruendus; sed nullum donum præter gratiam habitualem trahit ad animam Deum, vt vltimum finem fruendum: ergo Deus ratione solius gratiæ sanctificantis est in anima hoc speciali modo. Minor est certa: nam sola gratia est, quæ radicat charitatem, cuius proprium obiectum est Deus vltimus finis. Maior verò est D. Thomæ loco citato, vbi ait: *Sicut processio personarum est ratio productionis creaturarum à primo principio; ita etiam eadem processio est ratio redeundi in finem: quia per Filium, & Spiritum-sanctum, sicut & conditi sumus, ita etiam & vltimo fini coniungimur. Secundùm hoc processio divinarum personarum potest attendi, inquantùm est ratio redeundi in finem: & sic est secundùm illa dona tantùm, quæ proximè coniungunt nos fini vltimo, scilicet Deo, quæ sunt gratia gratum faciens, & gloria.*

54 Ex his infertur *primò*, quòd Deus non solùm est in anima iusti hoc speciali modo, quando primò iustificatur, sed etiam novitèr in ea, quando proficit in gratia. Hoc constat *primò* ex D. Thoma in quæst. 43. citata 1. part. art. 6. ad 2. vbi ait: *Dicendum, quòd etiam secundùm profectum virtutis, aut augmentum gratiæ fit missio invisibilis.* Constat *secundò* ex illo Lucæ 1. *Spiritus-sanctus superveniet in te*: Si quidem nova hæc missio nequit intelligi per productionem gratiæ quoad substantiam, cùm iam Virgo Beatissima ea plena esset: ergo facta est ratione augmenti gratiæ. Constat *tertiò* ex illo Ioann. 15. & 16. vbi Christus promittit Apostolis se missurum eis Spiritum-sanctum; sed ante hanc missionem iam Apostoli gratia sanctificante erant præditi, iuxta illud *Vos mundi estis*: ergo nova missio in die Pentecostes facta fuit ratione augmenti gratiæ. ¶ Constat denique ratione: Ita enim se habet magis ad magis, sicut simplicitèr ad simplicitèr; sed gratia est ratio, cur Spiritus-sanctus, & totus Deus speciali modo assistat in anima: ergo magis gratiæ etiam erit ratio, cur magis, & de novo ei assistat. ¶ Et confirmatur: *Esse Deum per modum obiecti novo modo cogniti, & dilecti* est ratio formalis huius specialis assistentiæ Dei; sed ratione augmenti gratiæ est Deus in anima per modum *obiecti novo modo cogniti*, & *dilecti*: ergo Deus est in anima novo modo intra eandem speciem ratione augmenti gratiæ.

55 Infertur *secundò*, Deum esse hoc speciali modo in anima noviter per gratiam consummatam. Constat hoc *primò* ex D. Thoma loco proximè citato ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd ad Beatos est facta missio invisibilis in ipso principio beatitudinis.* ¶ Constat etiam ratione: Quia in principio beatitudinis Deus novo modo incipit esse intra Beatos, non solùm per vnionem essentiæ diviné sub ratione *speciei intelligibilis*, sed etiam ratione intensionis gratiæ; vel ratione alicuius modi, quem habet gratia consummata, vt radicat lumen gloriæ. ¶ In progressu autem beatitudinis, addit Div. Thomas loco citato, & in 1. Sent. dist. 15. quæst.

quæſt. 5. art. 1. quæſtiunc. 3. *Fit miſsio inviſibilis non ſecundùm intenſionem gratiæ, ſed ſecundùm quòd aliqua myſteria eis revelantur de novo.* Quod duplici ratione probat loco citato Sent. Prima eſt: *Quia ſecundùm illas novas revelationes conſurgunt ad Dei amorem, non quidem vt magis ament, ſed vt ſub alia ratione eorum amor dirigatur in Deum.* Secunda deſumitur ex ſolut. ad 1. vbi ait: *Quia, quamvis non fiat ad eos miſsio ſecundùm augmentum gratiæ intenſivè, fit tamen ſecundùm quòd quodam modo eorum gratia extenſivè ad plura augetur ex novis revelationibus.* Quæ rationes efficaces ſunt, ſi radicentur in gratia, vt in Beatis.

56 Nota tamen pro perfecta notitia huius ſpecialis aſsiſtentiæ Dei in anima, quòd eſtò gratia habitualis ſit ratio vnica, cur Deus hoc ſpeciali modo exiſtat ſimpliciter in anima; ratione verò aliorum donorum ſupernaturalium extra gratiam, putà fidei, auxiliorum, & illuminationum, poteſt dici, quòd eſt in illa *ſecundumquid*. Quod non obſcurè colligitur ex Magno Parent. Aug. 4. *de Trinit.* cap. 20. vbi ait: *Tunc cuiquam mittitur Filius, cùm à quocumque cognoſcitur, atque percipitur, quantùm cognoſci, & percipi poteſt pro captu.* Sed percipitur aliquo modo per fidem extra gratiam: ergo cùm Deus non aſsiſtat ſimpliciter in anima niſi per gratiam, ſequitur, quòd aſsiſtat in ea ſecundùm quid. Hoc etiam colligitur ex D. Thoma quæſt. 43. citata 1. part. art. 3. ad 4. vbi ait: *Si daretur ſignum gratiæ gratum facientis ſine gratia, non diceretur dari Spiritus-ſanctus* ſimpliciter, *niſi fortè cum aliqua determinatione, ſecundùm quòd dicitur, quòd alicui datur ſpiritus propheticus, vel miraculorum, inquantùm à Spiritu-ſancto habet ſpiritum prophetandi, vel miracula faciendi.* Id ipſum tradit in 1. diſt. 14. quæſt. 2. art. 2. ad 1.

Quod duplici via poteſt explicari, & probari. Prima eſt deducta ex D. Thoma loco proximè citato ex 1. part. Nam Deus donatur nobis iuxta qualitatem doni creati conducentis ad ſanctitatem: ergo ſi donum eſt ſimpliciter tale, vt gratia habitualis, cauſans formaliter ipſam ſanctitatem perfectam & completam, debet eſſe in ea ſimpliciter: ſi verò eſt in ordine ad ſanctitatem initiativam, & diſpoſitivam, tantùm erit in ea ſecundùm quid. *Vel aliter*: ergo ſi donum eſt vniverſale, & radix omnium operationum ſupernaturalium, maximè earum, quæ nos coniungunt Deo vt vltimo fini; tunc erit in anima ſimpliciter: ſi verò donum ſit particulare, & ad aliquem effectum determinatum; tunc erit in ea ſaltem ſecundùm quid. Patet conſequentia: nam tunc Deus poteſt cognoſci, vt obiectum intrinſecum dans virtutem credendi, ſperandi, prophetandi, vel miracula faciendi; non verò vt eſt Author vniverſalis in linea ſupernaturali, nec vt finis vltimus in tali linea. ¶ Secunda via deſumitur ex eodem Ang. Præceptore loco citato Sent. Nam ita ſe habet Deus generans filios ſpirituales in gratia, ſicut generans filios generatione naturali; ſed generans generatione naturali, etſi non coniungatur genito ſimpliciter in ſimilitudinem ſpeciei, niſi in vltimo generationis, coniungitur tamen ſecundùm quid, ſeu virtualiter medijs diſpoſitionibus: ergo etſi Deus non coniungatur ſimpliciter cum anima media generatione ſpirituali, vſquedum producatur gratia, quę facit hominem filium Dei adoptivum, coniungitur tamen cum ea ſecundùm quid, ſeu virtualiter, quando producit diſpoſitiones præcedentes gratiam. Per quod evacuatæ manent omnes obiectiones, quibus aliqui noſtram hanc ſecundam concluſionem impugnant, quin oporteat eas ſigillatim referre.

DISPUT. V.

De Æternitate Dei.

1 Duratio cuiuslibet rei adeò affinis eſt exiſtentiæ illius, vt dubitent haud pauci de diſtinctione reali inter vtramque: Licèt in probabiliori ſententia diſtinguantur realiter in creatis (pro quo omninò videndi ſunt N. Complut. ab brev. in lib. Phyſic. diſp. 21. quæſt. 3. *per totam*) conſequenterquè in divinis debent diſtingui virtualiter. Meritò ergo, poſt ſermonem de exiſtentia Dei, tàm in ſe, quàm in rebus, D. Thomas ſubiungit quæſtiones de eius duratione, quę eſt attributum æternitatis, de quo diſſerit quæſt. 10. Et licèt ordine methodico prius agendum eſſet de immutabilitate Dei, quia vt docet D. Thomas quæſt. proximè relata art. 2. & cum eo communiter Theologi, immutabilitas eſt radix & ratio à priori æternitatis, ſicut motus eſt radix temporis; omittitur hic ordo, quia immutabilitas Dei eſt adeò perſè nota, vt ſola ratione philoſophica nobis patefiat. Nam Deus eſt primum movens; ſed primum movens debet eſſe omninò immutabile; aliàs non eſſet movens primum; nam omne, quod movetur, ab alio movetur: ergo Deus eſt omninò immutabilis. Cui veritati catholicæ ſuffragantur plures ſacræ paginæ textus: nam Malach. 3. dicitur: *Ego Dominus, & non mutor.* Et Iacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio.*

2 Ex hac veritate luce meridiana clariori ſequitur alia non minùs evidens, nempè, quòd nulla eſt creatura poſsibilis, quæ mutabilis non ſit; ac proinde ſolus Deus eſt omninò immutabilis. Nam nulla eſt poſsibilis creatura, quæ ſit primum movens; ſed quod non eſt primum movens,

vens, potest moveri à primo movente, vt ex se liquet: ergo non est possibilis creatura aliqua, quæ omninò immutabilis sit. Unde hac duplici veritate suppositâ, restat, vt de æternitate Dei cum D. Thoma differamus. Erga quam primò inquirit, quid sit æternitas. Pro quo sit:

DUBIUM I.

Quid sit Æternitas: Et an convenienter diffiniatur?

HOC dubium in limine huius disputationis præmittimus, quia ab eo non parum lucis accipient infrà dicenda. Pro quo nota, æternitatem posse sumi dupliciter; vel adæquatè, vel inadæquatè: æternitas adæquatè sumpta idem est, ac duratio sine principio, & sine fine: sed inadæquatè accepta, est duratio sine fine, licèt cum principio durandi. Titulus ergo quæstionis solùm procedit de æternitate adæquata, quæ coincidit cum duratione Dei: nam alia quæcumque duratio, sivè sit tempus, sive ævum, sivè æternitas participata; seu accidentalis, habet initium durandi. Quo prænotato:

§. I.

Dubij resolutio duplici conclusione.

3 DIcendum est *primò*, quòd æternitas per essentiam est *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Ita Boëtius lib. 3. *de Considerat.* prosa 2. quem sequitur D. Thomas in præs. art. 1. & cum eo communiter Scholastici. ¶ Et probatur breviter: Nam bona definitio prædicatur de suo definito; sed in prædictis verbis consistit definitio æternitatis per essentiam, quæ recte explicat naturam illius: ergo &c. Minor quoad primam partem potiùs supponi debet, quam probari. Quoad secundam verò constabit ex conclusione sequenti.

4 Dicendum est *secundò*, æternitatem per essentiam rectè definiri per verba prælata in præcedenti conclusione. Et probatur explanando singulas particulas: In primis dicitur de æternitate, quòd est *vitæ possessio*: nam *possidere vitam* idem est, ac duratio rei viventis. In cuius signum videmus, quòd pro eodem accipitur, *multum iste vixit*, ac *multum duravit*: *vixit viginti annis*, ac *duravit viginti annis*. Unde hæc verba ponuntur loco generis, quia in hoc, quod est *possidere vitam*, Deus convenit cum qualibet creatura viventi, maxime intellectuali. Ponitur *interminabilis*: quia vita Dei, cuius est possessio æternitas per essentiam, caret termino, tàm à parte *ante*, quàm à parte *post*: ex quo sequitur, quòd ly *interminabilis* concordat cum ly *vitæ*, & est in casu genitivo. Potest etiam accipi in casu nominativo concordans cum ly *possessio*; & facit hunc sensum, quòd æternitas est quieta, & firma possessio vitæ. Per quæ verba sufficienter distinguitur æternitas à tempore, & ævo: quia neutrum est mensura vitæ interminabilis, hoc est, carentis initio, & fine; nam tempus habet principium, & finem: ævum verò, licèt careat fine, habet principium. Adduntur tamen illæ particulæ *tota simul*: quia æternitas est possessio vitæ (sivè consistat in *esse*, sivè in operatione) absque successione; itaut nec in vita, nec in duratione sit antè, nunc, pòst; hodie, heri, cras, sed est tota simul. Per quæ verba propriissimè explicatur differentia æternitatis ab omni alia duratione: nam tempus non est possessio tota simul vitæ temporalis, nec quoad *esse*, nec quoad operationem. Ævum, licet sit possessio tota simul quoad *esse*, non verò quoad operationem, vt docet Div. Thomas in præs. art. 5. Cæterùm æternitas est tota simul, tàm quoad *esse*, quàm quoad *operari*.

Ex dictis patet ratio probativa conclusionis: Nam illa est recta diffinitio, quæ sufficienter explicat naturam diffiniti per proprium genus, vel quasi genus, & per propriam, & adæquatam differentiam; sed ita se habet supradicta diffinitio æternitatis per essentiam, vt ex præfata explicatione terminorum constat: ergo rectè, explicatur per eam essentia æternitatis per essentiam. Sed vt magis declaretur, proponemus aliquas obiectiones.

5 Objicies ergo *primò*: Nam essentia æternitatis melius explicatur per hoc quòd sit possessio essendi, quàm possessio vitæ. Quod sic suadetur: Nam diffinitio essentialis rei melius explicatur per id, quod convenit ei primario, quam per id, quod convenit ei secundariò; sed æternitati convenit primariò possidere *esse*, & secundariò vitam, quæ in operatione consistit: ergo melius explicatur essentia æternitatis per hoc, quòd sit possessio essendi, quàm possessio vitæ.

Ad hanc obiectionem respondetur, quòd *existere* secundùm se non significat vitam; *vivere* autem significat *esse*, & *operari* in viventibus, quia *esse* in viventibus etiam est *vivere*: vt ergo significetur, quod æternitas est duratio non solùm existentiæ, sed etiam operationis, melius dicitur, quòd est possessio vitæ, quàm existentiæ. *Maximè*: Quia *esse* Dei consistit in operatione, quæ est *intelligere*; vt latè diximus disp. 2. dub. 3. per illudque aptius explicatur constitutivum naturæ divinæ: Unde iure optimo ponitur in diffinitione æternitatis, quòd est possessio vitæ (quæ magis eluescit in operatione) quàm existentiæ. *Adde*: Quod sicut tempus melius explicatur per hoc, quòd sit mensura motus, quàm substantiæ corruptibilis, quia per priùs mensurat motum, & medio illo

ipsam

ipsam substantiam; sic de æternitate debet dici in ordine ad operationem, quæ intelligitur per nomen *vitæ*.

6 Objicies *secundò*: Nam ævum est duratio *tota simul*: ergo per hæc verba ineptè explicatur differentia propriſsima æternitatis. Antecedens constat, tùm ex D. Thoma in præſ. art. 5. Tum: quia non habet prius, & posterius, cùm hoc sit proprium temporis.

Respondetur ex dictis, quòd per illam particulam *vitæ* non solùm intelligitur vita substantiæ, sed etiam vita operationis. Ævum autem ita est duratio tota simul quoad *esse* substantiale, quòd permittit priùs, & posterius in operatione. Cæterùm æternitas est duratio tota simul, tam in ordine ad *esse*, quàm in ordine ad operationem; proindeque propriſsimè secernitur æternitas ab ævo, per hoc quòd æternitas est duratio *tota simul*.

7 Objicies *vltimò*: Nam illa particula *perfecta* videtur esse superflua: ergo ex hac parte diffinitio æternitatis non est conveniens. Antecedens probatur: Nam *totum*, & *perfectum* sunt idem; sed de æternitate dicitur, quod est *tota simul*: ergo particula *perfecta* est superflua.

Ad hanc obiectionem respondet D. Thomas in præſ. art. 1. ad 5. per hæc verba: *Dicendum, quòd in tempore est duo considerare; scilicèt ipsum tempus, quod est successivum, & nunc temporis, quod est imperfectum. Dicit ergo* tota simul *ad removendum tempus, &* perfecta *ad excludendum nunc temporis.* Quibus addimus, quòd ratione eiusdem particulæ æternitas distinguitur ab ævo: quia per eam designatur, quòd æternitas est duratio sine limite, itaut repugnet ei esse destructibilem, seu interruptibilem. At ævum licèt non habeat, vnde petat annihilari; non tamen habet, vnde petat oppositum: vnde ex hac parte non distinguitur ab instanti nostri temporis, quod tantùm petit durationem momentaneam. Ideòque sicut æternitas per ly *perfecta* secernitur ab instanti nostri temporis, ita distinguitur ab ævo.

§. II.

Quoddam Corollarium præcedentis Doctrinæ.

8 EX dictis infertur, æternitatem per essentiam esse vnicè mensuram Dei. Et ratio est: quia inter mensuratum, & eius mensuram homogeneam debet dari omnimoda proportio; sed inter æternitatem per essentiam, & nullam creaturam potest dari omnimoda proportio, vt ex dictis liquidò constat; benè verò inter illam, & Deum, cum Deus sit æquè immutabilis, infinitus, & simplex tàm in ratione *entis*, quàm in ratione *durantis*, ac æternitas in ratione *durationis*: ergo est vnicè mensura Dei.

9 Diximus *æternitatem per essentiam*: quia non dubitamus, aliquam rem creatam mensurari æternitate participata, cùm id satis deducatur ex D. Thom. in præſ. art. 5. ad 1. vbi *in fine* sic ait: *Sed quantùm ad visionem gloriæ participant æternitatem.* An verò Beati ratione huius æternitatis participatæ cognoscant intuitivè futura, hæcque in illa existant physicè, alia quæstio est, quæ decidenda ibit à nobis in tract. *de Scientia Christi* disp. 2. dub. 3. vbi cum probabiliori Thomistarum sententia eligemus partem negativam: & de alia quacumque cognitione creata, disp. 3. dub. 2. idem dicimus.

10 Diximus etiam esse *vnicè mensuram Dei*. Quod non ita debet intelligi, vt sit mensura realis formalis illius: Tum: quia mensura eo modo quo est distincta à suo mensurato, est mensura illius; sed æternitas Dei non distinguitur realiter formaliter ab illo, vt latè diximus disp. 3. dub. 1. ergo non est mensura realis formalis Dei. Tum etiam: quia infinitum nequit realiter mensurari, sicut nec terminari: ergo cùm *esse* Dei sit infinitum, nequit mensurari realiter æternitate. In quo sensu videtur loqui D. Thomas in 1. dist. 19. quæst. 1. art. 1. ad 4. vbi ait: *Divina magnitudo nullo modo est mensurabilis, vel mensurata, nec ab alio, nec à se, quia mensuratio ponit terminationem.*

Cum quo rectè cohæret, quòd sit mensura virtualis, seu ex nostro modo concipiendi, vt tradit Angelic. Mag. in præſ. art. 2. ad 3. vbi inquit: *Dicendum, quòd æternitas non est aliud, quàm ipse Deus: vnde non dicitur Deus æternus, quasi sit aliquo modo mensuratus, sed accipitur ibi ratio* mensuræ *secundùm aprehensionem nostram tantùm.* Et ratio satis efficax id suadet: Nam sicut obiectum est mensura potentiæ, ita duratio est mensura rei; sicut enim mensura est, qua amplitudo rei cognoscitur, ita perfectio potentiæ cognoscitur per suum obiectum; sed estò scientia Dei (v. g.) seu voluntas divina non habeat obiectum, à quo mensuretur realiter, habet tamen obiectum, à quo mensuretur virtualiter, seu ex nostro modo concipiendi: ergo etiam æternitas potest dici *mensura Dei virtualis*, seu ex nostro modo concipiendi.

11 Contra hoc potest objici: Mensura debet esse perfectior mensurato; sed æternitas non est perfectior *esse* Dei, adhuc ex nostro modo concipiendi: ergo nequit esse mensura virtualis illius, seu ex nostro modo concipiendi. Minor probatur: Nam *esse* Dei est prædicatum primordiale, Dei æternitas attributale; sed nullum prædicatum attributale est perfectius primordiali, adhuc ex nostro modo concipiendi, sed potius res econversò se habent: ergo æternitas non est perfectior *esse* Dei, adhuc ex nostro modo concipiendi.

Hæc obiectio facilè dispellitur, si distinguatur maior: *Est perfectior mensurato* absolutè, nego maiorem; in ratione *mensuræ*, con-

cedo maiorem : Nam ſicut ævum eſt abſolutè imperfectius *eſſe* angelico , & tamen eſt illo perfectius in ratione *menſuræ* ; & ſicut ens rationis eſt abſolutè imperfectius Logica , & ſimiliter in ratione *obiecti*, ſeu *menſuræ* eſt illa perfectius ; ita æternitas, licèt ſit *eſſe* Dei imperfectior ex noſtro modo concipiendi in *eſſe* rei ; eſt tamen illo perfectior in ratione *menſuræ*. Quod evidentiùs conſtat in vlna lignea menſurante longitudinem aliquam argenteam.

12 Diximus ſuprà num. 8. *inter menſuratum , & menſuram illius homogeneam dari omnimodam proportionem* , quia non inconvenit , quòd aliquid ſit menſura alterius ætherogenea , quin inter huiuſmodi menſuram, & rem menſuratam detur proportio omnimoda. Et hoc pacto dixit D. Thomas infrà quæſt. 13. art. 5. ad 3. quòd *eſſe* Dei eſt menſura improportionata *eſſe* creaturarum : quia nimirùm omne id, per quod certificamur de alijs (licèt ob ſui ſuperexcedentiam non habeat cum illis proportionem mathematicam , ſicut illam habet vlna lignea cum vna vlna panni , & quælibet menſura intrinſeca cuiuſcumque rei, v.g. æternitas per eſſentiam cum Deo , ævum primi Angeli cum vita illius , & tempus intrinſecum motu cum illo ; nec geometricam , ſicut illam habet vlna lignea ad pannum vigenti vlnarum , quæ habet proportionem vnius ad viginti , in quo conſiſtit proportio geometrica) poteſt dici *menſura illorum*. Et hoc modo Deus eſt menſura ætherogenea creaturarum ; quia cùm ſit origo totius perfectionis , ex maiori, vel minori acceſſu ad ipſum certificamur de maiori , vel minori perfectione creaturarum. Et in hoc ſenſu ſtat illud commune axioma , *Primum in vnoquoque genere eſt menſura cæterorum , quæ ſunt in tali genere*. Pariformiter ergo de æternitate per eſſentiam in ordine ad omnes durationes creatas dicendum eſt.

13 Sed rogabis pro complemento quæſtionis : An æternitas Dei contineat formaliter durationes creatas, an tantùm eminenter ? Certum enim eſt, omnem durationem creatam contineri eminenter in duratione divina , quia illa eſt participatio quædam iſtius , quam ob cauſam *eſſe* creaturarum continetur eminenter in *eſſe* divino , & omnis amor creatus in amore eſſentiali Dei. Dubium tamen eſt , an contineatur in illa etiam formaliter.

Reſpondetur , omnem durationem creatam ſub conceptu *durationis* contineri formaliter eminenter in æternitate per eſſentiam. Et ratio eſt : quia omnis perfectio ſimpliciter ſimplex continetur formaliter eminenter in perfectione divina eiuſdem generis , v.g. intellectus creatus in intellectu divino , voluntas creata in voluntate divina; ſed duratio ſub conceptu formaliſſimo *durationis* eſt perfectio ſimpliciter ſimplex , alias non inveniretur formaliter in Deo : ergo omnis duratio creata continetur formaliter eminenter in æternitate per eſſentiam.

Verum quidem eſt (præocupantur quædam tacitæ replicæ) quòd omnis duratio creata , maximè tempus , habet in ſe reipsà incluſas plurimas imperfectiones ; hoc tamen non tollit continentiam formalem illius in ratione durationis in æternitate. Sicut generatio viventium in creatis habet in ſe permixtas plures imperfectiones , quin ex hoc argui poſsit , quòd ſub conceptu formaliſsimo *generationis* non contineatur formaliter in generatione divina: quia ſub conceptu formaliſsimo *generationis vitalis* ſolùm exprimitur , quòd ſit origo viventis à principio viventi coniuncto in ſimilitudinem naturæ , in quo nulla exprimitur imperfectio. Sic ergo licèt tempus importet in ſe imperfectiones ſucceſsionis , & extenſionis temporalis , necnon mutationis ; ex ſuo tamen conceptu formali ſolùm dicit durationem hodiernam , & craſtinam : in quo nulla imperfectio explicatur : nam Deus durat formaliter herì, hodiè , & cras per modum ſimpliciſsimum , & invariabilem , quia ſecum identificat hodiè, herì , & cras , non ſolùm eminenter , ſed etiam formaliter.

14 Sed dices : In diffinitione temporis eſſentialiter involvitur imperfectio : ergo tempus non continetur formaliter in æternitate Dei. Antecedens probatur : Nam diffinitio temporis eſt *Menſura motus ſecundùm prius , & poſterius* ; ſed motus eſſentialiter involvit imperfectionem : ergo in diffinitione temporis eſſentialiter involvitur imperfectio.

Reſpondetur , tempus duo præſtare motui , & quòd duret hodiè , & cras ; & quòd duret cum ſucceſsione formali , ſivè extenſione temporali , ac proinde cum diſtinctione reali. Inter quæ munera hæc datur differentia , quòd primum eſt eſſentiale tempori in ratione *durationis* : Secundum eſt eſſentiale tempori , vt eſt duratio temporalis, & creata. Verum igitur eſt, quòd tempus, ſicut & motus, prout dicit prius, & poſterius cum ſucceſsione , & diſtinctione reali , dicit imperfectionem ; ſecùs verò *durare hodiè , & cras ſecundùm ſe* : ac proinde ſi inveniantur hæ differentiæ durandi cum omnimoda identificatione , nullam importabunt imperfectionem. Ex quo infertur , quòd licèt tempus in ratione *durationis temporalis* , ſeu prout dicit ſucceſsionem formalem , non poſsit formaliter contineri in æternitate per eſſentiam; at prout ſolùm explicat rationem durandi hodiè , & cras , optimè poteſt in illa formaliter contineri ; maximè ſi accedat continentia eminentialis , quæ facit , quòd in æternitate hæ differentiæ contineantur formaliter cum omnimoda ſimplicitate, & identificatione , & quòd æternitas ſit vnum ſimpliciſsimum *durare* formali-

militer *hodiè, cràs*, & *herì*, cum infinito excessu, & amplitudine sine limite antè, & pòst.

DUBIUM II.

Vtrùm futura sint ab æternitate physicè præsentia in Æternitate?

15 PRo maiori luce æternitatis per essentiam hoc dubium non pauci versant in præsenti. In quo illos imitamur, quia quæ in illo dicenda sunt, non discedunt à doctrina, quam in hac quæst. 10. tradit D. Thomas; licet alij, cum quibus N. Salmant. illud differant vsque ad quæst. 14. art. 9. vel 13. ¶ Nota tamen *primò*, duplicem esse præsentiam: alia purè obiectivam, ad quam tantùm requiritur, quòd res cognoscatur, cùm proprium sit cognitionis trahere ad se res: Altera est realis, & physica, ad quam omninò petitur, quòd res secundùm suam essentiam & existentiam sit verè præsens, & existens in aliqua duratione independenter ab omni cognitione. Supponimus ex dicendis tract. 3. futura omnia præsentia, & præterita habere in Deo ab æterno primam illam præsentiam obiectivam, quia ab æterno cognoscit Deus omnia, prout sunt in suis differentijs temporum. Unde titulus quæstionis solùm procedit de præsentia physica, an, nimirùm, futura sint ab æterno physicè præsentia in æternitate, estò nulla daretur cognitio illorum, ratione cuius essent Deo præsentia obiectivè. Propterea ponitur in titulo quæstionis particula *physicè*.

16 Additur etiam *in æternitate*: quia aliud est *futurum existere in propria, & intrinseca duratione*, aliud verò *in æternitate*; quæ est ipsa duratio Dei. Quia ergo omnia inceperunt tempore, vt fides sancta docet, propterea non procedit dubium de existentia physica futurorum ab æterno in propria, & intrinseca duratione, sed in æternitate, seu duratione Dei. Ratione cuius particulæ duo innuuntur: primum, quòd æternitas non solùm sit extremum coëxistens cum futuris, ad eum modum quo Petrus, & Paulus sunt duo extrema hodie coëxistentia, sed etiam sit ratio formalis enuntiandi veritatem propositionis, & simul quòd futura physicè existant ab æterno. Secundum est, quòd hæc coëxistentia non fiat per hoc, quòd ipsa futura retrotrahantur ratione propriæ durationis futuræ vsque ad durationem æternam à parte antè, sed quòd ipsa æternitas ratione suæ infinitatis se extendat vsque ad durationem intrinsecam futurorum, ambiens actu & simul tempus præsens, & futurum. Sicut si daretur tempus ab æterno, & vsque in æternum durans, & imaginaremur, quòd haberet simul omnes suas partes, se extenderet actu, & simul à tempore præsenti vsque ad tempus (v. g.) Antichristi. His ita explanatis:

§. I.

Sententia Thomistica authoritate SS. PP. fulcita.

17 DIcendum est, futura fuisse ab æterno, & esse nunc præsentia physicè in æternitate. Ita omnes Thomistæ: quibus adhærent plures Iesuitæ, Molina, Granados, Fonseca, Ruiz, Quiros, Ribadeneyra, & alij; necnon Emmanuel à Conceptione Trinitarius Excalceatus.

Et probatur *primò* authoritate SS. PP. Nam D. August. lib. 5. *de Trinit.* cap. 16. ait: *Apud Deum nec præterita transeunt, & futura iam facta sunt.* Et lib. 2. ad Simplician. *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora?* D. Greg. lib. 4. Moral. cap. 27. inquit: *Fuisse, vel futurum esse æternitas non habet, cui nimirùm neque præterita transeunt, neque, quæ futura sunt, veniunt, quia cuncta per præsens videt.* Et lib. 20. super Iob cap. 23. *Quia ea, quæ nobis futura sunt, videt*, præscius *dicitur, quamvis nunquàm futurum prævideat, quod præsens: quia in æternitate eius modo quodam incomprehensibili cuncta volumina sæculorum transeuntia manent, currentia stant.* Accedat Anselm. qui lib. *de Concord. prædestin. cum lib. arbit.* sic ait: *Non magis opposita sunt mutabile in tempore, & immutabile in æternitate, quàm* non esse *in aliquo tempore, ac* esse *semper in æternitate. Siquidem non dico, aliquid nunquàm esse in tempore, quod tempus est in æternitate; sed tantùm dico, in aliquo tempore non esse. Non enim dico, actionem meam crastinam nullo tempore esse; sed tantùm hodie non esse, quæ tamen semper est in æternitate. Quod facit vis æternitatis, quæ claudit omne tempus.* D. Petrus Damian. tom. 3. Biblioth. epist. 4. cap. 8. *In illo scilicèt* hodiè (nempe æternitatis) *dies adhuc ille immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem: in illo iam & ille nihilominùs est, quo iudicandus est.* Quem modum loquendi imitantur S. Boëtius, D. Bern. Ricard. de Sancto Victore, D. Isidor. D. Prosper. & alij.

Confirmatur ex D. Thom. infrà quæst. 14. art. 13. vbi ait: *Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solùm prout sunt in suis causis, sed etiam prout vnumquodque eorum est actu in seipso. Et licèt contingentia fiant actu successivè; non tamen Deus successivè cognoscit contingentia prout sunt in suo* esse, *sicut nos, sed simul, quia sua cognitio mensuratur æternitate; æternitas autem, tota simul existens, ambit omne tempus. Vnde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solùm ea ratione qua habet rationes rerum præsen-*

sentes apud se, vt quidam dicunt; sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate. Et quæst. 2. *de Verit.* art. 12. ait: *Tunc aliquid cognoscitur vt futurum, quando inter cognitionem cognoscentis, & rei eventum invenitur ordo præteriti ad futurum. Hic autem ordo inveniri non potest inter cognitionem divinam, & quancumque rem contingentem, sed semper ordo divinæ cognitionis ad rem quancumque est sicut præsentis ad præsens.* Et concludens sic ait: *Ita ergo nos videmus futurum vt futurum, quia visioni nostræ futurum est, cùm ipsa tempore mensuretur; sed divinæ visioni, quæ extra tempus est, futurum non est.* Sed dissimulare non possumus aliud testimonium ipsius, quod nullatenus subterfugere possunt Adversarij. Id habetur supra Boëtium, vbi loquens de futuro, quod est non ens, sic ait: *Licèt huiusmodi non ens non possit coëxistere tempori præsenti; potest tamen coëxistere æternitati: quia æternitas, cùm sit infinita, excedit tempus præsens extendendo se ad tempus præteritum, & futurum, & sic præteritum, & futurum sunt æternitati coëxistentia præsentialitèr, quia in æternitate non est successio.*

18 Quæ testimonia adeò clara sunt pro nostra conclusione, vt sola quadam reflexione suprà illa præcludatur commune effugium Adversariorum, qui aiunt, SS. PP. & præcipuè D. Thomam loqui præcisè de præsentia obiectiva.

Primò: Nam præsentia obiectiva non est præsentia in duratione divina, sed præcisè in cognitione; sed futura non solùm habent ab æterno præsentiam respectu cognitionis, sed etiam respectu durationis Dei, quæ est æternitas, vt SS. PP. proclamant: ergo sunt physicè præsentia in æternitate. *Secundò*: Præsentia sola obiectiva nequit auferre præscientiam propriè talem futuri vt futuri; sed Patres in prædictis testimonijs non admittunt præscientiam propriè talem futurorum: ergo nequeunt rectè interpretari de præsentia obiectiva tantùm. *Tertiò*: Nam cum præsentia obiectiva futuri respectu cognitionis optimè componitur, quòd sit propriè futurum; vt liquet in cognitione nostra, respectu cuius (vt inquit D. Thomas) futurum verè futurum est, estò habeat præsentiam obiectivam; sed præsentia, quam iuxta sensum SS. PP. habent futura respectu Dei, tollit ab eis veram rationem *futuri* respectu illius: ergo &c. *Tandem*: Nam ratio, cur omnia futura haberent præsentiam obiectivam respectu Dei, non physicam, esset præcisè, quia cognitio divina est infinita, ac proinde si per impossibile huiusmodi cognitio esset infinita, estò non mensuraretur æternitate, adhuc esset sufficiens ratio, vt haberent præsentiam obiectivam; sed Sancti PP. aiunt, futura esse præsentia æternitati, & ratione illius, nempè, quia actu ambit cum infinito excessu omne tempus; ergo non loquuntur de præsentia purè obiectiva. Patet consequentia: Nam præsentia in æternitate non est idem, ac præsentia obiectiva: quia præsentia in æternitate est de linea entis, & præsentia obiectiva est de linea intentionali: ergo si præter præsentiam futurorum respectu cognitionis, seu ratione illius: admittunt Patres præsentiam in æternitate, & ratione illius, manifestum est, quòd admittunt præsentiam physicam respectu Dei.

Confirmatur efficaciter: Nam præsentia, quæ petit notitiam intuitivam, est præsentia non solùm intentionalis, sed etiam physica; sed notitia, quam Deus habet ab æterno futurorum, est propriè intuitiva: ergo non solùm habent præsentiam intentionalem, sed etiam physicam, & realem. Maior est certa: Quia notitia intuitiva ab abstractiva distinguitur per hoc, quòd illa tangit obiectum physicè præsens, non verò abstractiva; nam in præsentia obiectiva conveniunt, vt ex se liquet. Minor verò probatur: Tum, quia notitia futuri vt *futuri* est notitia abstractiva propriè talis, cùm sit notitia rei absolutè absentis; sed SS. PP. relegant notitiam futuri vt *futuri*: ergo quia ab æterno habet notitiam intuitivam illius. Tum etiam: Nam Deus ab æterno cognoscit futura per scientiam visionis, vt tradit expressè D. Thomas infrà q. 14. art. 9. in corp. sed scientia visionis est notitia intuitiva; cùm per hoc tantundem distinguatur à scientia simplicis intelligentiæ, quæ est cognitio absolutè abstractiva: ergo &c. Maximè: quia modus loquendi SS. PP. per *intuitum*, per *visionem*, & alia similia verba, notitiam intuitivam demonstrat.

§. I.

Ratio fundamentalis.

19 DEinde probatur ratione fundamentali deducta ex prælatis testimonijs: Nam æternitas est duratio infinita in ratione *durationis*: ergo coëxistit physicè ab æterno actu, & simul omnibus differentijs temporis; & consequentèr coëxistit ab æterno physicè futuris: ergo ista sunt physicè præsentia ab æterno in æternitate. Antecedens est certum: Nam quidquid in Deo est, infinitum est: & sicut scientia divina est infinita in ratione *scientiæ*, & ars in linea *artis*; ita æternitas, seu duratio divina debet esse infinita in ratione *durationis*. Consequentia verò prima probatur: Nam duratio, quæ non coëxistit physicè actu, & simul omnibus differentijs temporis, est finita & limitata in ratione *durationis*: ergo si duratio divina, videlicet æternitas, est infinita in ratione *durationis*, ab æterno actu, & simul debet coëxistere omnibus differentijs temporis. Antecedens

cedens probatur: Nam duratio, quæ non coëxistit, & ambit actu, & simul omnes differentias temporis, solùm existit actu tempore determinato; sed duratio tantùm existens actu tempore determinato, est finita, & limitata in ratione *durationis*: ergo duratio, quæ non coëxistit actu & simul physicè omnibus differentijs temporis, est finita, & limitata.

Explicatur hoc: Duratio divina, scilicèt, æternitas, vel hodie coëxistit diei crastinæ, vel non? Si dicas primum: ergo coëxistit illi ab æterno. Patet consequentia: quia cùm sit infinita in ratione *durationis* à parte *antè*, & à parte *pòst*, eadem ratio est, vt ab hodie possit coëxistere actu diei crastinæ, ac ab æterno. Si dicas secundum: ergo est finita, & limitata in ratione *durationis*. Probatur consequentia: Propterea enim instans nostri temporis est duratio finita, & limitata, quia non se extendit à *nùnc* nostri temporis vsque ad diem crastinam: propterea etiam vlna lignea est finita, & limitata in ratione mensurandi pannum, quia estò possit mensurare infinitas vlnas panni, non tamen potest omnes illas simul actu ambire: ergo si æternitas hodie non se extendit actu ad existendum actu, & simul die crastina, & illi coëxistendum, erit finita, & limitata.

Explicatur magis: Duratio divina est tota simul, vt vidimus suprà n. 3. ex eius definitione: ergo tota exercetur in *nùnc* æternitatis: ergo à *nùnc* æternitatis coëxistit tempori (v. g.) Antichristi. Probatur hæc vltima consequentia: nam si à *nùnc* æternitatis non coëxisteret tempori Anti-christi; vel tota simul non exerceretur in *nunc* æternitatis, & consequentèr haberet partes successivas, sicut tempus, vel tota replicaretur in instantibus sequentibus, sicut ævum, seu duratio Angelica; sed vtrumque est contra rationem durationis infinitæ: ergo æternitas ratione suæ infinitatis ita est duratio tota simul, vt ab æterno coëxistat tempori futuro. Maior videtur evidens: quia inter vtramque partem dilemmatis nullum potest excogitari medium. Et minor, præter quàm quòd satis constat in exemplis adductis temporis, ævi, & vlnæ, probatur sic: Nam in primis *habere partes successivas* est contra rationem durationis infinitæ, vt non negabunt Adversarij; deinde totam replicari modo successivo in instantibus sequentibus, quæ exercebatur in *nunc* æternitatis, non minùs proprium est durationis finitæ, imò finitissimæ, cùm actu non excedat momentum, vel instans: ergo vtrumque est contra rationem durationis infinitæ.

20 Respondent Adversarij, quòd licèt æternitas sit tota simul ab æterno, & non constituat Deum actu durantem pluſquàm vnico instanti, est adhuc infinita: Tum, quia constitui Deum necessitatum ad durandum infinitè, quod non habet instans, nec ævum. Tum: quia, quantum est ex se, simul actu coëxisteret omnibus differentijs temporis, si existerent; non tamen illis simul actu coëxistit propter defectum rerum creatarum, quæ ab æterno non existunt: ad modum quo de ratione immensitatis est, quòd repleat omnia loca; si verò non replet loca futura, non est ex defectu immensitatis, sed ex defectu illorum.

Sed hæc responsio quoad vtramque partem facilè, & multiplicitèr refellitur. Et quoad primam *primò*: Nam scientia Dei non est simplicitèr infinita ex eo, quòd Deus est necessitatus ad scienda omnia obiecta, licèt modo successivo, sed ex eo quòd est necessitatus ad scienda simul actu obiecta omnia, estò infinita: ergo pariformiter infinitas æternitatis solùm potest colligi ex eo, quòd Deus est necessitatus ad existendum simul actu omnibus differentijs temporis. *Secundò*: Nam si Deus non existit actu, & simul omnibus differentijs temporis, estò sit necessitatus ad existendum in illis successivo modo sequitur, quòd sit necessitatus ad existendum actu, & simul pro vnico instanti: ergo solùm est necessitatus ad existendum actu, & simul in duratione finita. Patet consequentia, quia duratio instantanea duratio finitissima est. Et antecedens admittitur in solutione data.

21 Quoad secundam rationem sic refellitur: Nam si æternitas, seu duratio divina constituit, quantum est ex se, ab æterno Deum actu durantem in tempore Antichristi, nullus defectus potest esse ex parte durationis Antichristi, vt illi physicè ab æterno non coëxistat: ergo vel æternitas est duratio finita; vel defactò coëxistit ab æterno tempori Antichristi. Antecedens probatur: Nam hoc ipso, quòd Antichristus aliquando habeat existentiam, ex se est tangibilis infinito modo à duratione infinita: ergo defectus non se tenet ex parte durationis Antichristi.

Vrgetur hoc, & simul explicatur: Si daretur tempus actu infinitum, tàm à parte *ante*, quàm à parte *pòst*, quod simul haberet omnes suas partes, nullus defectus recognosceretur ex parte diei crastinæ, vt simul coexisterent ab æterno (quia illud tempus infinitum protenderetur actu, & simul vsque ad diem crastinam, non minùs propriè, ac tempus nunc existens protenditur successivè secundùm partem futuram correspondentem diei crastinæ; sicut si daretur annus, qui simul haberet omnes suas partes, nullus defectus esset in alio tempore inferiori futuro, vt à principio illius anni superioris coëxisterent simul) sed æternitas est duratio superior, immutabilior, & simplicior omni tempore imaginabili: ergo etiam defactò coëxistit ab æterno actu tempori futuro, & ipsum futurum coexistit æternitati.

Maximè: quia hæc solutio iam admittit, quòd æternitas ex parte sua extenditur ab æterno actu

vsque

vsque ad tempus Antichristi : existit ergo ab æterno actu in illa duratione, in qua existet Antichristus: ergo coëxistunt actu ab æterno. Patet hęc consequentia : Nam implicat , quòd vnum extremum sit alteri præsens in propria duratione istius; & istud non sit illi præsens: Tum, quia præsentia vtriusque est mutua , & correlativa. Tum & præcipue: nam istud iam existit in se in propria duratione : ergo si ęternitas verè existit actu ab æterno in tempore Antichristi, debent ab ęterno inter se coëxistere.

Exemplum immensitatis potiùs illi obest, quàm prodest. Nam sicut differentiæ omnes durationis sunt præsens , præteritum, & futurum; ita differentiæ virtutis vbicativæ sunt antè, & retrò, sursùm , & deorsùm , propinquum , & remotum secundùm locum ; sed quia immensitas est infinita in linea virtutis vbicativæ replet actu, & simul omnia loca: ergo quia æternitas est infinita in linea virtutis durativæ debet actu, & simul durare in omni differentia temporis. Quòd autem immensitas non se extendat actu ad loca futura , oritur ex eo , quòd præsens , præteritum , & futurum non sunt differentiæ virtutis repletivæ loci , sed præcise virtutis durativæ; & ideò immensitas ex vi infinitatis suæ lineæ solùm petit, quòd sit simul actu in omnibus locis, quando actu existunt. Cœterùm ęternitas ratione infinitatis proprię lineæ exigit , quòd simul actu duret ab ęterno vsque in æternum.

Aliam rationem afferunt N. Salmant. in tract. *de Scientia Dei* desumptam ex immutabilitate divinæ scientiæ. Cuius exactam expensionem reservamus vsque ad prædictum tractatum , in quo agemus de prærequisitis, & dotibus huiusmodi scientię.

§. III.

Argumentorum solutio.

22 OPinionem adversam tuentur Durandus, Gabriel , Ochamus , Aureolus, Scotus, & tota eius Schola , cui suffragantur ex Jesuitis Suarez , Vazquez, Valentia, Arrubal, & alij.

Arguunt *primò* ab authoritate tàm Scripturæ , quàm SS. PP. in quibus asserunt , nullam rem creatam fuisse ab ęterno : ex quo inferunt, nec esse existentem ab æterno in æternitate. ¶ Sed hic modus arguendi procedit ex sinistra & non penetrata intelligentia nostræ sententiæ, quæ existentiam futurorum in æternitate solùm probat ex infinitate durationis Dei , quæ vnico, & indivisibili sui exercitio durat ab æterno vsque in æternum, continens intra suum ambitum omnes differentias temporis, sicut concavus cœli continet sub se superexcedenti modo loca inferiora ; ac proinde ab ęterno actu, & simul protenditur ad durandum vsque ad durationem Antichristi , & vsque in æternum , quin in ea detur aliqua successio , nec formalis, nec virtualis in durando. Non verò probat existentiam futurorum in æternitate ex longitudine , & duratione antiqua illorum in seipsis: quia contra hoc clamat Scriptura sacra, & nos iam suppositum relinquimus num. 16. Unde solùm id testimonium potest vrgere , quòd probaret, æternitatem non protendi actu, & simul ab æterno vsque ad tempus Antichristi : quod erit idem , ac probare, æternitatem non esse infinitam in ratione *durationis*, vt satis probatum manet ex dictis §. præcedenti. Nihilominus:

23 Arguitur *primò* quibusdam authoritatibus SS. PP. Nam D. Aug. serm. 11. *de Verb. Apost.* sic ait: *Habet Deus electos apud semetipsum , non in eorum natura , sed in sua præscientia.* Et D. Isidorus lib. *de Summo Bono* cap. 8. ait: *Si tempora semper essent Deo præsentia , non essent tempora , sed æternitas : quia non mutarentur, sed starent.*

Et confirmatur ex D. Thoma : qui solùm meminit præsentię obiectivæ futurorum respectu Dei : ergo non sunt physicè præsentia in æternitate. Antecedens probatur: Tum ex illis verbis suprà adductis num. 17. ex hac 1. part. quæst. 14. art. 13. vbi ait , quòd futura contingentia sunt Deo præsentia in eternitate: *quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Tum etiam ex his, quæ docet 1. 2. quæst. 91. art. 1. ad 1. vbi ait : *Dicendum , quòd ea , quæ in seipsis non sunt , apud Deum existunt , inquantùm sunt ab ipso cognita & præordinata, secundum illud Rom. 4. Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquàm ea , quæ sunt.* Sed hic modus loquendi tantùm innuit prędentiam obiectivam: ergo.

Ad argumentum respondetur , non rectè legi testimonium D. Aug. *in eorum natura* ; sed *non in sua natura* : quasi dicat , quòd Deus non habet electos apud se per identitatem, sed in præsentia Dei. Non verò negat, quòd secundùm eorum naturam , & propriam durationem contineantur physicè ab æterno intra ambitum æternitatis, & sint ei physicè præsentes in sua æternitate. ¶ Ad authoritatem D. Isidori respondetur , sensum illorum verborum non esse, quòd tempora non sint præsentia Deo; sed quòd non sunt ei præsentia adæquatè, aliàs non essent tempora. Cum quo rectè cohæret, quòd inadæquatè sint præsentia in æternitate , tanquam in mensura superexcedenti, & indivisibili.

Ad confirmationem satis constat ex dictis num. 17. in confirmatione , maximè in vltimo testimonio , vbi expressè meminit præsentiæ physicæ. Vnde quòd in testimonijs obiectis non memnerit, nisi præsentiæ obiectivæ , nihil refert: quia vna non opponitur alteri ; & sic est argumentum negativum. *Maximè*: Quia in illis non obscura mentio fit huius præsentiæ physi-

cæ

cæ : nam nomen *Intuitus*, & nomen *Præordinatio* significant notitiam practicam, & intuitivam, ratione cuius res constituuntur physicè præsentes in mensura æternitatis.

24 Arguitur *secundò* : Futura non existunt ab æterno in propria duratione : ergo neque existunt ab æterno in æternitate. Antecedens est de fide. Et consequentia probatur: Nihil potest existere in duratione aliena, nisi prius sit existens in se, sivè in duratione propria : ergo si ab æterno non existunt in duratione propria, nequeunt existere ab æterno in æternitate. Antecedens probatur : Res, antequàm existat in propria duratione, reipsà est nihil ; sed nihil non potest existere in duratione aliena : ergo nulla res potest existere in duratione aliena, si non existit prius in duratione propria.

Confirmatur *primò* : Res, antequàm existat in propria duratione, nequit mensurari æternitate : ergo nequit existere in illa. Antecedens probatur : Tum, quia prius est rem mensurari mensura propria, intrinseca, & immediata, quàm mensurari mensura extrinseca, & mediata; sed æternitas est mensura extrinseca, & mediata, & propria duratio est intrinseca, & immediata : ergo res, antequàm existat in propria duratione, nequit mensurari æternitate. Tum etiam : quia res, antequàm existat in propria duratione, non est quid productum à Deo, cùm res producatur in propria duratione; sed antequàm sit producta à Deo, nequit mensurari æternitate, quia æternitas solùm mensurat res productas, & existentes: ergo res, antequàm existat in propria duratione, nequit mensurari æternitate.

Confirmatur *secundò* : Si res existeret ab æterno in æternitate, esset per propriam existentiam ; sed nulla res creata potest existere ab æterno per propriam existentiam adhuc in æternitate : ergo non existit ab æterno in illa. Maior est certa : Nam *rem non existere per propriam existentiam* est idem, ac *non existere, nec in se, nec in alia mensura superiori*. Minor probatur : Nam si existit per propriam existentiam, iam est producta : ergo cum propria duratione: ergo iam existeret cum propria duratione ab æterno.

25 Ad argumentum (quod simul cum confirmationibus etiam laborat impenetratione nostræ sententiæ) respondetur concedendo antecedens ; & negando consequentiam. Ad cuius probationem distinguo maiorem: *Nisi prius sit existens in propria duratione* absolutè, nego maiorem ; *nisi prius intelligatur existens secundùm propriam durationem* in æternitate, concedo maiorem. Nam vt aliquid sit existens ab æterno in æternitate seu respectu æternitatis, non requiritur, quòd in se absolutè sit existens; alias mensura, seu duratio propria illius esset æqualis æternitati ; sed sufficit, quòd aliquando sit existens in propria duratione, & quòd sit ens reale pro eadem duratione. Nam cùm æternitas sit duratio infinita, ac proinde tota simul, & indivisibilis, simplicissima, & perfectissima, potest actu, & simul modo superexcedenti ambire durationem propriam omnium creaturarum, illamque ab æterno actu præcontinere.

Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd cùm res futura, & eius duratio intrinseca contineantur actu ab æterno in æternitate, prius intelligitur mensurari mensura intrinseca in genere causæ materialis, prout sunt in æternitate, quàm ipsa æternitate; quia in illa continetur actu ab æterno res vt mensurata propria, & intrinseca mensura. Absolutè tamen prius mensuratur æternitate, quàm propria mensura : quia hæc, vtpotè finita, solùm mensurat absolute rem, dum est existens absolutè : Cæterùm æternitas, cùm sit mensura superexcedens, & tota simul, ab æterno extenditur actu ad mensurandam rem creatam, & eius mensuram intrinsecam, vsque ad durationem, in qua extituræ sunt ; proindeque actu illam ambit non minùs propriè, ac si res in se, & absolutè esset existens. Per quod constat ad secundam: Nam vt res dicatur *mensurari ab æterno æternitate*, non requiritur, quòd sit absolutè producta ab æterno, sed sufficit, quòd producatur in propria duratione : Nam eo ipso dicitur producta *ab æterno in æternitate*, seu respectu æternitatis, quæ ab æterno complectitur actu, vt mensura superior & superexcedens, durationem propriam, in qua res absolutè producitur.

Ad secundam confirmationem respondetur, distinguendo maiorem: *Per propriam existentiam*, vt exercitam ab æterno in propria duratione, seu absolutè, nego maiorem ; vt exercitam in æternitate, seu respectu æternitatis, concedo maiorem. Iuxta quam neganda est minor. Et ad eius probationem distinguo minorem: *Si existit per propriam existentiam* eo modo, quo illam habet, concedo minorem; alio modo, nego minorem. Unde cùm ab æterno non sit absolutè existens, sed tantùm cum addito diminuente, nempè in æternitate, seu respectu æternitatis; solùm sequitur, quòd sit in illa producta, non verò absolutè. Et in hoc nullum recognoscitur inconveniens, sed maxima proportio cum infinitate æternitatis, seu durationis divinæ, quæ se extendit actu ab æterno vsque ad tempus productionis rerum.

26 Sed dices: Rex, quæ incipit esse, non est semper, & ab æterno ; sed nulla res est, de qua non verificetur, quòd incœpit esse in æternitate : ergo nulla res fuit semper, & ab æterno in æternitate. Maior persè patet : Nam inceptio rei est transitus de *non esse* ad *esse*. Minor pro-

batur: Nam res, quæ incipit esse in tempore, incipit esse in æternitate, aliàs inceptio rerum non existeret in æternitate; sed nulla res est, de qua non verificetur, quòd incœpit esse in tempore: ergo etiam in æternitate.

Respondetur, distinguendo maiorem: *Res, quę incipit esse* modo proprio, & connaturali, concedo maiorem; modo superiori, & indefectibili: nego maiorem. Et distinguo minorem: *Sed nulla est, de qua non verificetur, quòd incœpit esse in etrnitate* modo fluxibili, & transitorio, nego minorem; modo permanenti, concedo minorem. Et tandem nego consequentiam. Fatemur itaque, quòd omnes res incipiunt esse in æternitate; fatemur etiam, quòd inceptio est transitus de *non esse* ad *esse*: Sed dicimus, quòd hæc inceptio rei in æternitate non existit in ea, eo modo quo existit in tempore, sed alio longè superiori, & superexcedenti. Nam res ita incipit in tempore, quòd eius inceptio solùm exerceatur in quodam tempore determinato; & propterea res illa ante illud tempus non erat, neque eius inceptio. Cæterum ita incipit in æternitate, quòd eius inceptio, eiusque transitus non exerceatur in illa modo transitorio, sicut exercetur respectu *nùnc* nostri temporis; sed modo permanenti, & immobili: quia respectu illius transitus ille semper & ab æterno est existens, quia semper, & ab æterno ambit actu illud tempus, in quo absolutè exercetur ille transitus. In quo nihil mirabilius invenitur, quàm in ipso tempore, quod essentialitèr constitit in continuo transitu, & motu; & tamen D. Greg. ait: *Tempus ibi non defluit, quod apud nos foris decurrit.*

§. IV.

Cætera Argumenta.

27 ARguitur *tertiò*: Si futura fuissent ab æterno physicè præsentia in æternitate, modò, & ab æterno fuissent, & essent physicè coëxistentia æternitati; sed Antichristus (v.g.) non est modò, nec fuit ab æterno physicè coëxistens æternitati: ergo non est ab æterno physicè præsens in æternitate. Minor probatur *primò*: Quia nihil potest alteri, nec Deo coëxistere, nisi quando existit in se, cùm *vnum coëxistere alteri* nihil aliud sit, quàm *existere in se, quando alterum*; sed Antichristus nec ab æterno, nec modò existit in se: ergo non coëxistit modò, nec ab æterno æternitati. *Secundò*: Antichristus non est existens, quandocumque existit æternitas: ergo non fuit ab æterno coëxistens æternitati. Antecedens videtur certum: Nam modò existit æternitas, & modò non existit Antichristus. Consequentia verò probatur: Nam *coëxistere æternitati* nihil aliud significat, nisi *existere collaterale vt paralle-lum æternitati, & extra æternitatem, & seorsìm ab illa*: ergo si Antichristus non est existens, quandocumque æternitas, nequit modò, & ab æterno illi coëxistere.

Respondetur, distinguendo maiorem: *Modò, & ab æterno essent physicè coëxistentia æternitati*, vt mensuræ superiori & superexcedenti, concedo maiorem; vt mensuræ æquali, nego maiorem. Et distinguo minorem: *Sed Antichristus non est ab æterno physicè coëxistens æternitati* tanquàm mensuratum inferius, nego minorem; tanquam mensuratum æquale, concedo minorem. Et exindè negatur consequentia. Contra quam distinctionem nullam vim habere potest vtraque probatio. Non prima: nam futura, eo modo quo existunt in æternitate, coëxistunt illi. Existunt tamen in illa, tanquàm in mensura superiori, & superexcedenti, & tota simul, claudenti actu, & simul ab æterno tempus præsens, præteritum, & futurum, & prout existunt in illa, illi coëxistunt modò, & ab æterno, quin oporteat, quòd vtrumque existat in se, sed quòd Deus, & sua æternitas existat in se, & Antichristus existat physicè in æternitate. Quod explicari valet exemplo vnius diei, quæ haberet omnes suas partes simul: proculdubiò in isto die hora prandij esset coëxistens diei, tàm in principio illius, quàm in medio; quia ab eius principio verificaretur, quòd illa dies extenditur actu vsque ad horam prandij, & quòd hæc actu, & physicè continetur à principio diei in illa. Pariformitèr discurrendum est de æternitate. ¶ Nec secunda probatio vrget: Nam estò Antichristus non existat in se, quandocumque existit æternitas, existit tamen in æternitate, quandocumque existit æternitas; & hoc pacto potest etiam dici, quòd est illi coëxistens in æternitate. Et licèt coëxistens alteri vt parallelum æquale petat existere in se, quandocumque alterum existit; coëxistens tamen alteri vt mensuratum inferius non perit existere in se, quandocumque alterum existit, sed sufficit, quòd in se existat in aliqua duratione, quam claudat in se actu ab æterno mensura superior alterius; & hoc pacto est æternitas.

Arguitur *quartò* (& erit replica contra solutionem datam) Nam æternitas aliter respicit rem, dum actu existit, ac dum est præterita, vel futura; sed hæc diversitas nequit in alio consistere, nisi in eo quòd, dum est actu existens, est illi physicè præsens, & coëxistens, non verò dum est futura, vel præterita: ergo futura, vel præterita non sunt physicè præsentia in æternitate. Minor constat: vel assignetur alia diversitas. Et maior probatur: Nam res, dum est existens, aliter respicit æternitatem, ac dum est futura, vel præterita; cùm existens dicat relationem realem ad æternitatem, non verò dum est præterita, vel futura: ergo etiam æternitas aliter respicit rem &c.

Con-

Confirmatur: Nam si futura essent physicè præsentia Deo in æternitate, ab æterno dicerent relationem realem ad ipsum, sicut defactò illam dicunt, dum actu existunt in seipsis; sed futura, vt futura sunt, nullam relationem realem dicunt ad ipsum: ergo neque sunt ab æterno præsentia physicè Deo in æternitate. Minor, præterquàm quòd est D. Thomæ infrà q. 14. art. 5. ad 1. & alibi, est evidens: quia quod nihil est, nequit aliquam relationem realem importare; futurum autem, dum est futurum, nihil est. Maior verò probatur: Nam præsentia physica, & realis est fundamentum relationis realis: ergo si sunt physicè præsentia Deo ab æterno in æternitate, ab æterno dicunt relationem realem ad ipsum.

Ad argumentum respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem: Nam diversitas illa solùm sita est in eò, quòd æternitas, quatenus continet tempus præsens, respectu cuius Antichristus est futurus, respicit illum semper, & immutabili modo vt futurum; & quatenus continet tempus futurum, in quo erit existens in se, semper, & immutabili modo respicit illum vt existentem; itaut tàm existentia, quàm futuritio, & præteritio illius existant immobiliter in æternitate, eo modo quo futuritio, & præteritio habent *esse*: nam tempus, quod apud nos decurrit, semper, & fixè stat in æternitate, cùm simul, actu, & ab æterno contineat tria illa tempora, nempè tempus, in quo Antichristus est futurus, & tempus, in quo erit præsens, & tempus in quo apud nos erit præteritus.

Si verò inferas: *Ergo Antichristus est, & non est in æternitate; est vivus, & est mortuus*: quod erit concedere duo contradictoria. Respondetur, negando consequentiam quoad primas propositiones; & concedendo quoad secundas. Ratio discriminis est: quia in primo genere propositionum propositio negativa est absolutè falsa: quia negat absolutè, quòd Antichristus sit in æternitate; nam negatio est maligantis naturæ destruens totum, quod post se invenit, quod est innegabile. In propositionibus autem secundi generis vtraque propositio est vera, ratione diversorum temporum, quæ æternitas connotat, & ab æterno actu continet.

29 Pro cuius maiori luce: Nota, quòd licèt æternitas sit reipsà omninò indivisibilis, & tota simul; potest tamen concipi cum diversis virtualitatibus; itaut secundùm vnam virtualitatem tangat præcise tempus, in quo Antichristus est futurus; & secundùm aliam, tempus in quo erit præsens; & secundùm aliam, tempus in quo erit præteritus: secundùm vnam virtualitatem tangat tempus, in quo erat Adamus existens; & secundùm aliam, tempus in quo erit existens Antichristus. Et ratione harum virtualitatum, ex nostro imperfecto modo concipiendi distinctarum, ita ambit ab æterno vnum tempus secundùm vnam virtualitatem, quòd per illam non ambiat aliud, sed per aliam virtualitatem. Ex quo infertur, quòd in eadem æternitate possunt simul coëxistere Adamus, & Antichristus, & consequenter eius futuritio: quia licèt in virtualitate, in qua est Adamus, & futuritio Antichristi, non concipiatur existentia Antichristi; est tamen alia virtualitas durans ab æterno vsque in æternum sine vlla successione inter eas, in qua existit Antichristus. Et ob hanc rationem Adamus, & Antichristus sunt modò, & ab æterno coëxistentes in æternitate; existentia Antichristi, & eius carentia; generatio, & corruptio, non inter se, neque in æternitate ratione eiusdem virtualitatis ambientis præcisè tempus Adami, vel Antichristi. Quo benè intellecto, præclusæ manent hæ, & similes replicæ, in quibus, si benè perpendantur, nullum apparet vestigium contradictionis: quia cùm æternitas sit mensura superexcedens, respectu cuius quælibet mensura creata est inadæquata, & non contineat Antichristum, & eius carentiam nisi medijs proprijs durationibus, potest simul verificari absque contradictione de Antichristo, quòd existit in illa, & quòd existit suo modo futuritio; quòd est vivus, & quod est mortuus.

30 Ad confirmationem optimè respondet D. Thomas loco in ea citato per hæc verba: *Dicendum est, quòd Dominus, Creator, & huiusmodi important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipsas creaturas, secundùm quòd in seipsis sunt: & ideò huiusmodi relationes variè de Deo dicuntur secundùm variationem creaturarum.* Ex qua solutione clarè constat, quòd sicut creatura non dicit ab æterno relationem realem subiectionis ad Deum, quia in se non est existens; ita non dicit relationem realem præsentiæ ad ipsum, vsquedum existat in se, & in propria duratione, quia nimirùm huiusmodi relationes sequuntur mutationem creaturarum in seipsis. *Addimus tamen*: quòd sicut Antichristus, & eius duratio sunt physicè præsentes ab æterno in æternitate; ita relatio præsentiæ, quam dicet, dum fuerit existens, est physicè præsens in illa. Et iuxta hunc sensum potest concedi, quòd creaturæ dicunt ab æterno hanc relationem ad Deum in æternitate. Ex quo nequit inferri, quòd absolutè illam dicunt ab æterno; sicut ex eo, quòd creatura sit producta ab æterno in æternitate, nequit deduci, quòd absolutè est ab æterno producta.

31 Vltimò arguitur ab inconvenientibus: Nam si omnia tàm præterita, quàm futura essent physicè præsentia in æternitate, sequitur *primò*, quòd daretur multitudo actu infinita in aliqua mensura reali: vt liquet in omnibus cogitationibus Beatorum, quæ ejtò sint in

se infinitæ in potentia, in æternitate essent infinitæ in actu, quia actu, & simul omnes essent physicè præsentes in ea. ¶ Sequitur *secundò*, quòd eadem res bis producatur: semel quidem in tempore, vt supponitur; & semel in æternitate; cùm nequeat esse ab æterno, nisi producatur. ¶ Sequitur *tertiò*, quòd nulla res possit produci in tempore ex nihilo; cùm supponatur producta cum suo *esse* physico in æternitate. ¶ Sequitur *quartò*, quòd futura pari modo sint physicè præsentia Angelo: cùm ævum, quod est mensura illius, sit totum simul, sicut æternitas. ¶ Sequitur *vltimò*, quòd tollatur libertas liberi arbitrij: cùm actus liberi sint ab æterno producti in æternitate cum omnibus suis circumstantijs, quas habebunt in tempore: & sic non erit in potestate liberi arbitrij illos ponere alio modo, ac facti sunt in æternitate. Alia inconvenientia his similia iam præoccupata manent ex dictis in toto hoc dubio, maxime num. 28. vel solutio illorum facilè potest depromi ex dictis, vel dicendis in solutione istorum.

Pro quibus vno verbo infirmandis, dicendum est, nullum inconveniens sequi ex nostra sententia. Non primum: Nam esto sit absurdum concedere multitudinem actu infinitam existentem in propria duratione; nullum verò est absurdum illam concedere in æternitate: quia ea, quæ existunt in propria duratione, existunt absolutè, & simpliciter; ideòque admittere multitudinem infinitam in actu existentem in se, est concedere multitudinem infinitam in actu absolutè, & simpliciter, quod est absurdissimum; sicut & quòd detur aliquis numerus actu, qui non sit in aliqua specie numeri. Ea autem, quæ existunt in æternitate, non existunt actu, & simpliciter, sed tantum secundùm quid: quia ex eo, quòd existant in æternitate, non sequitur existere simpliciter: sicut ex eo, quòd futura sint existentia in æternitate, non sequitur, quòd desinant esse futura absolutè, & simpliciter. Unde ex eo, quòd illæ infinitæ cogitationes sint actu simul in æternitate, non desinunt esse absolutè infinitæ in potentia. In quo nullum datur inconveniens: quia tota illa multitudo infinita in actu in æternitate non constituit aliquam speciem numeri, neque est in potentia ad speciem multitudinis infinitæ; sed est in actu in specie numeri finiti, & in potentia vt possit alia, & alia in infinitum dari.

Ad secundum respondetur, quòd creaturę non producuntur bis, sed semel in propria duratione, quæ productio in propria duratione est semper præsens in æternitate. Et sic res, quando in se producitur, non producitur ex *esse*, quod habet in æternitate, tanquàm à termino *à quo*; sed sicut tempus, in quo habet *esse*, est semper in æternitate, ita tempus, in quo habet *non esse*, est semper in æternitate. Vnde sicut in nostro tempore verificatur, quòd est productio rei ex *non esse*; ita in æternitate est productio rei in æternitate ex *non esse in æternitate*.

Ad tertium respondetur, quòd estò ævum sit totum simul subiectivè seu entitativè, quatenus non habet partes successivas, sicut tempus; non tamen est totum simul in ratione *durationis*, hoc est, non est duratio actu, & simul durans hodiè, & crás: Aliàs esset simpliciter infinita, sicut æternitas, & esset indestructibilis pro die crastina, sicut æternitas: quia res in suppositione, & mensura, qua est, nequit destrui. Verum quidem est, quòd est mensura perfectior, quàm omnia tempora; non tamen est superior, itaut illa actu contineat. Sicut anima nostra est perfectior alijs formis, & non propterea continet illas eminenter.

Ad vltimum respondetur, quòd actus liberi eatenus dicuntur producti ab æterno in æternitate, quatenùs producuntur in seipsis in propria duratione, ad quam se extendit ipsa æternitas actu & ab æterno; proindeque eo modo, quo producuntur à creatura in propria duratione, dicuntur produci in æternitate. Vnde nequit æternitas, in qua ab æterno existunt, officere liberæ productioni eorum à creatura. Adsummùm quippè potest inferri necessitas aliqua consequens, & in sensu composito, sicut ex præsentia, & determinatione divina illorum: cum qua necessitate optimè stat libertas absoluta, & simpliciter talis.



TRA-

TRACTATUS II.

DE VISIONE DEI.

DE Vnitate Dei, de qua agit Div. Thomas quæſt. 11. nihil occurrit diſputandum, præter ea quæ diximus agentes de ſimplicitate illius. Ideòque gradum facimus ad viſionem, ſeu viſibilitatem Dei, prout eſt ſpeciale illius attributum. De qua Angelic. Doctor diſſerit in quæſt. 12. per 13. articulos. Hunc tractatum in quatuor diſputationes ſecamus. In prima agimus de poſsibilitate, & exiſtentia viſionis beatæ. In ſecunda de ſpecie ad eam requiſita. In tertia de lumine gloriæ. Et in quarta de eius obiecto. Præeunte tamen face tanti Magiſtri.

DISPUT. I.

De Poſsibilitate viſionis Dei.

IUxta rectum ordinem ſemper invaluit illa methodus, in qua priùs agitur de poſsibilitate rerum: quia cætera, quæ de eis tractantur, ex poſsibilitate ipſarum non parum pendent. Pro qua ſit:

DUBIUM I.

Utrùm clara viſio Dei ſit poſsibilis intellectui creato?

TItulus dubij evadet clarus, ſi notes poni in eo *clara viſio Dei*: per quæ verba inuitur, dubium procedere de cognitione intuitiva & quidditativa Dei per propriam ſpeciem, itaut per eam ſciat terminare de Deo quæſtionem *Quid eſt*? Poni etiam in eo *poſsibilis*: qui terminus intelligi debet abſolutè, ſivè per vires proprias, ſivè per vires gratiæ. Addi tandem *intellectui creato*, & non precisè *humano*, vel *angelico*, quia dubium procedit de vtroque.

§. I.

Sententia Catholica

1 DIcendum eſt, viſionem claram intuitivam & quidditativam Dei, ſeu per eſſentiam eſſe poſsibilem intellectui creato. Hęc concluſio eſt de fide: vndè probanda eſt ex revelatis potiùs, quàm ex ratione naturali. Igitur Math. 5. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Item ex 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: Nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Et tandem ex illo 1. Ioann. 3. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Quæ verba accipienda eſſe in ſenſu vero, & rigoroſo ex eo probatur, quòd ita credit vniverſalis eccleſia, definitur in pluribus Concilijs, & authoritate SS. PP. ſtabilitur.

Confirmatur *primò*: Nam in cap. *Damnamus, de Summa Trinit.* & in Conc. Florent. ſeſſ. vltima in decreto *Sanctę vnionis* definitur: *Animas exutas corporibus, quæ in gratia Dei deceſſerint, in cœlum mox recipi, & intueri clarè Deum trinum, & vnum, ſicuti eſt.* Et Concilium Vienn. declarat, lumen gloriæ eſſe neceſſarium ad videndum Deum. Et deniquè in extravag. Benedicti XII. dicitur, quòd Sancti, qui poſt mortem, & aſcenſionem Chriſti decedunt, erunt in cœlo, & videbunt eſſentiam Dei, ſe illis clarè, & immediatè manifeſtantem.

Confirmatur *ſecundò* ex SS. PP. (ſupponendo, quòd ſacer textus, iuxta mandatum Concilij Trid. exponendus eſt iuxta genuinam Patrum traditionem, & explicationem) Nam S. Chryſoſtomus (quem Vazquez circa viſionem quidditativam Dei facit erroneum, ne Eunomium, & Anomęos faciat amentes, quos ipſe Chryſoſtom. appellat *deliros*, & *inſanos*) hom. 69. ad popul. ait: *Beatos Regem ipſum contueri non per ænigma, non per ſpeculum, ſed facie ad faciem, non per fidem, ſed per ſpeciem.* Similia habet epiſt. 5. ad Theodorum lapſum. Et

hom.

hom. in epist. ad Philipp. D. Basilius, quem Chrysostomo recenset Vazquez, super Psalm. 33. sic ait: *Nos postquàm filij resurrectionis erimus, tunc nosse Deum facie ad faciem dignabimur, sicut Angeli nunc vident ipsum.* Id ipsum tradunt alij Patres Græci, quibus Vazquez affingit eundem errorem, vt SS. Cyrillus lib. 5. Strom. Epiphanius lib. 3. Contra hæreses *hæresi* 70. Nissenus lib. *de Beatitudinibus* Theophylat. in cap. 1. Ioann. & Euthim. ibidem. De alijs Patribus nullus dubitat, & propterea non illos recensemus. Videantur apud Vazquez in præf. cap. 5. & N. Salmant. dub. 2.

2 Deinde probatur duabus congruentijs, seu rationibus D. Thomæ hic, quæ estò evidentes non sint, disponunt tamen saltem negativè, vt promptè, & facilè revelationi divinæ credatur. Prima proponitur sub hac forma: Nam beatitudo perfecta creaturæ intellectualis est possibilis; sed hæc consistit in visione clara Dei, prout est in se: ergo visio Dei quidditativa est possibilis intellectui creato. Maior videtur certa: nam creatura intellectualis non est peioris conditionis, quàm creaturæ materiales, quibus possibilis est sua qualis qualis beatitudo. Minor verò probatur: Tum, quia beatitudo cuiuscumque creaturæ consistit in coniunctione cum suo principio; sed quia creaturæ materiales non participant supremum gradum entis, beatitudo illarum solùm consistit in quadam coniunctione mediata cum Deo, quatenus attingunt suos fines particulares, qui sunt participationes Dei supremi illarum principij; ergo cùm creatura intellectualis pertingat vsque ad supremum gradum entis, beatitudo illius consistere debet in visione clara Dei. Tum etiam: Nam perfecta beatitudo creaturæ intellectualis consistere debet in aliquo eius appetitum satiante, & quietante; sed nihil præter visionem claram Dei, & eius fruitionem perfectam, quæ illam supponit, satiat & quietat appetitum creaturæ intellectualis, vt experientia liquet: ergo beatitudo perfecta creaturæ intellectualis consistit in visione clara Dei, vel in fruitione illam necessariò supponente.

3 Secunda est: Nam, visis effectibus, adest homini naturale desiderium cognoscendi perfectè causam: ergo, visis effectibus Dei, adest homini naturale desiderium videndi, & cognoscendi ipsum secundùm suam essentiam. Patet consequentia: quia in effectibus solùm cognoscitur imperfectè, & valdè limitatè, prout præcisè relucet in eis. Tunc sic: sed tale desiderium nequit esse inane, & frustraneum: ergo possibile est Deum videri, & cognosci secundùm suam essentiam ab intellectu humano.

4 Confirmatur alia congruentia D. Thomæ 1. 2. quæst. 3. art. 8. Deus enim, prout est visibilis secundùm suam essentiam, continetur sub obiecto adæquato intellectus creati: ergo visio Dei secundùm suam essentiam est ei possibilis. Antecedens probatur: Nam Deus prout est imperfectè cognoscibilis, & quoad *an est*, continetur sub obiecto adæquato intellectus creati: ergo etiam Deus vt est in se visibilis secundùm suam essentiam. Antecedens à nullo negatur. Consequentiæ verò bonitas sic ostenditur: Tum, quia *obiectum intellectus est, quod quid est* (id est essentia rei) vt docet Arist. 3. *de Anima*: ergo si vt imperfectè cognoscibilis, seu quoad *an est*, continetur sub obiecto intellectus creati, etiam vt cognoscibilis secundùm suam essentiam. Tum etiam: quia intellectus, qui imperfectè, & absque elevatione potest attingere aliquod obiectum, potest elevari ad illud attingendum secundùm suam essentiam: sicut visus Noctuæ, qui non potest percipere lucem nisi imperfectè, potest elevari ad videndum in se supremum visibile, videlicet solem: ergo si Deus vt imperfectè cognoscibilis continetur intra obiectum intellectus creati, etiam vt cognoscibilis immediatè, perfectè, & secundùm suam essentiam. Sed de hoc iterùm reddibit sermo dub. seq.

§. II.

Argumenta Hæreticorum.

5 ERror contrarius tribuitur conniti Philosophis antiquis lumine fidei destitutis: qui ob hanc causam beatitudinem constituebant in divitijs, in honoribus, & alijs, vt refert D. Thom. 1. 2. quæst. 2. & 3. Non longè ab his erant Armenij: qui, teste Castro *de Hæresibus* verbo *Beatitudo*, asserebant, intellectum creatum posse tantùm videre quandam claritatem à Deo diffusam, non verò ipsam divinitatem in seipsa. A quibus non recedebant illi Iudæi, qui, vt refert D. Hieronym. in cap. 1. Isaiæ, hunc Prophetam interfecerunt, eo quòd dixit, se vidisse Deum facie ad faciem, putantes hominem non posse elevari ad claram Dei visionem, propter id, quod Exod. cap. 33. dicitur: *Non videbit me homo, & vivet.* A quibus non multùm distare plures Patres Ecclesiæ tàm Latinæ, quàm & maximè Græcæ contendunt Vazquez, Lorca, & Herice.

Primum argumentum solet desumi ab authoritate, tàm sacræ Paginæ, quàm SS. PP. A quo nos abstinemus, quia eorum mens planè constat ex dictis num. 1. Maximè, quia omnia testimonia triplici expositione explicantur communiter à Theologis cum D. Thoma: Nam vel loquuntur de invisibilitate per oculum corporeum: vel de visione spirituali, & per intellectum, sed in hac vita mortali, & secundùm providentiam ordinariam: vel tandem de visione comprehensiva. Ex quibus illa accommodanda est, quæ textui magis consona fuerit. Quas expositiones eò libentius admittimus, quò à

tan-

tantis Patribus quamlibet vmbram erroris ablegamus, & quò fortè sincerius Vazquezio, & cum maiori veneratione illos legimus. Quidquid ipse dicat.

6 Arguitur ergo *primò* ratione: Intellectus creatus nequit elevari ad cognoscendam simul totam collectionem possibilium secundùm suas species: ergo neque potest elevari ad videndum Deum, prout est in se. Antecedens apud nos est certum, vt dicemus in nostro tract. *de Scientia Christi* disp. 3. dub. 1. Consequentia verò probatur: Nam Deus, prout est in se, infinitè excedit in perfectione totam collectionem possibilium: ergo si non potest intellectus creatus elevari ad cognoscendam simul totam collectionem possibilium, neque ad videndum Deum, prout est in se. Antecedens est certum: Nam Deus est infinitus per essentiam, ac proindè debet excedere infinitè quodlibet ens per participationem, sivè finitum, sivè infinitum. Et consequentia probatur: Quod excedit aliud in *esse entis*, etiam excedit illud in genere *obiecti*, seu *cognoscibilis*; cùm cognoscibilitas sit passio entis: ergo si Deus, prout est in se, excedit infinitè totam collectionem possibilium, non poterit cognosci ab intellectu creato, sicut nec ipsa collectio possibilium.

Et confirmatur *primò*: Nam minùs distat res purè spiritualis ab oculo corporeo, quàm Deus, prout est in se, ab intellectu creato; sed oculus corporeus nequit videre vllam rem purè spiritualem, vt docet D. Thomas in præs. art. 3. ergo neque intellectus creatus queit videre Deum, prout est in se. Maior est persè nota: Nam res spiritualis tàm in *esse entis*, quàm in genere *obiecti* solùm distat ab oculo corporeo finitè; Deus verò, vtpotè infinitus, tàm in *esse entis*, quàm in genere *cognoscibilis*, distat infinite à qualibet potentia creata, vt est noster intellectus, & Angelicus.

Confirmatur *secundò*: Nulla potentia naturalis vt *talis* potest attingere obiectum supernaturale vt *tale*; sed intellectus creatus essentialitèr est potentia naturalis; & Deus, prout est visibilis in se, seu secundùm suam essentiam, est, & explicat obiectum supernaturale: ergo nullus intellectus creatus potest attingere Deum, prout est in se. Maior cum consequentia constat. Et minor quoad secundam partem est expressa D. Thomæ pluribus in locis infrà referendis. Videatur interim q. 8. *de Verit.* art. 3. Quoad primam autem sic ostenditur: Nam talis est potentia, qualis est natura, à qua dimanat; sed repugnat substantia creata supernaturalis: ergo omnis intellectus creatus est essentialitèr potentia naturalis.

Ad argumentum respondetur, concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd licèt Deus sit infinitus tàm in *esse entis*, quàm in *esse cognoscibilis*: potest tamen cognosci, prout est in se, finito modo: quia eius essentia finito modo potest vniri per modum *speciei* intellectui creato: sicut defactò personalitas divina, & existentia Dei finito modo vniuntur humanitati Christi, estò sint infinitæ: ac proinde ad cognoscendum Deum, prout est in se, sufficit lumen finitum, & cognitio finita. Cæterùm ad cognoscenda simul omnia possibilia requiritur omninò species infinita, & lumen infinitum; sicut virtus potens producere omnia possibilia necessariò est infinita. Hacque de causa nullus intellectus creatus potest cognoscere simul omnia possibilia secundùm suas species; benè tamen potest videre Deum, prout est in se. Ad quod parùm refert excessus Dei tàm in *esse entis*, quàm in *esse cognoscibilis*: quia hoc adsummùm arguit, cognitionem comprehensivam Dei esse perfectiorem cognitione omnium possibilium; licèt per consequentias mediatas ex cognitione omnium possibilium sivè in essentia divina, sivè in seipsis, etiam deduceretur cognitio comprehensiva Dei, vt dicemus loco in argumento relato.

7 Sed dices: Cognitio Dei quidditativa est perfectior absolutè cognitione quidditativa omnium possibilium in seipsis; sed cognitio omnium possibilium in seipsis esset simpliciter infinita: ergo cognitio quidditativa Dei est simpliciter infinita. Minor à nobis supponitur. Maior verò probatur: Nam Deus est quid perfectius, quam tota collectio possibilium; cùm Deus sit infinitus in omni linea, & non collectio: ergo cognitio quidditativa Dei est absolutè perfectior cognitione quidditativa omnium possibilium. Patet consequentia: nam cognitio quidditativa crescit ad incrementum obiecti.

8 Respondet Ferre, concedendo præmissas; & negando consequentiam. Sentit enim, cognitionem finitam obiecti omnibus modis infiniti excedere in perfectione cognitionem infinitam obiecti infiniti tantùm secundùm quid, nempe in multitudine.

Sed hæc solutio nequit sustineri. *Primò*: Nam cognitio simpliciter infinita secundùm suam essentiam est absolutè perfectior omni cognitione finita, cuiuscumque ordinis sit; sed cognitio quidditativa omnium possibilium, (quæ coincidit cum comprehensiva illorum in Ferre sententia tract. 3. q. 9. §. 8.) esset infinita secundùm suam essentiam, sicut species omnia repræsentans: ergo cognitio omnium possibilium esset perfectior cognitione quidditativa Dei. ¶ *Secundò*: Cognitio comprehensiva omnipotentiæ est perfectior absolutè cognitione quidditativa illius; sed cognitio omnium possibilium in seipsis est comprehensiva omnipotentiæ, vt contra ipsum Ferre, & alios nunc supponimus: ergo &c.

9 Missa ergo hac solutione: Respondetur negando maiorem: Nam licèt cognitio adæquata

quata obiecti omnibus modis infiniti, vt est Deus, sit perfectior cognitione quidditativa omnium possibilium(quo sensu verificatur illud dictum D. Thomæ quæst. 20. *de Veritat.* art. 1. ad 1. *Quidquid Deus potest facere, etiam collectivè, est minus, quàm ipse Deus*) non solum in genere *entis*, sed etiam in ratione *obiecti*;secus verò cognitio inadæquata, & non comprehensiva: Quia cognitio inadæquata,& non comprehensiva Dei, prout est in se, est finita, & quid creatum; cognitio autem quidditativa omnium possibilium esset infinita secundùm essentiam, ac proinde ipse Deus. *Maximè*: quia cognitio quidditativa omnium possibilium est etiam comprehensiva omnipotentiæ, quæ infinitè excedit cognitionem præcisè quidditativam Dei. *Adde*: quia ex impossibili sequitur quodlibet. ¶ Per quæ iam constat ad probationem: ad quam dicendum est,quòd estò Deus in *esse entis* sit quid perfectius, quàm collectio omnium possibilium in seipsis, secùs verò in ratione *obiecti*; cùm ad attingentiam collectionis omnium possibilium necessariò requiratur cognitio divina, & ad cognoscendum Deum quidditativè sufficiat cognitio creata. Præterquàm quòd perfectius quid in genere *obiecti* est tota collectio possibilium, & ipse Deus comprehensivè cognitus, quàm solus Deus quidditativè cognitus, vt ex se liquet.

Ad primam confirmationem respondetur, distinguendo maiorem: *Minùs distat* in esse *entis*, concedo maiorem; in genere *obiecti*, nego maiorem. Et ratio huius discriminis est:quia res purè spiritualis nullo modo participat rationem *coloris*, quę est ratio *subqua* specificativa potentiæ visivæ corporeæ; Deus autem,estò infinitè distet ab intellectu creato, includit in se rationem *subqua* specificativam illius: quia intellectus, vtpotè spiritualis, respicit ens sub vniversalissima ratione *entis*, & *veri*, quæ rationes in Deo supremè inveniuntur, & ideò est supremum intelligibile ab intellectu creato.

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd estò intellectus creatus sit entitativè & essentialitèr potentia naturalis, formalitèr verò, seu terminativè est potentia obedientialis, supernaturalis,quatenus potest elevari per virtutē entitativè supernaturalem,& sic elevata attingere in se obiectum supernaturale.Sed de hac duplici formalitate amplior discussio erit in dub. seq.

11 Arguitur *secundò* (& erit replica contra prædictas solutiones) Nam si Deus, prout est in se, esset visibilis ab intellectu creato; vel esset sub ratione finita, vel sub ratione infinita; neutrum dici potest: ergo visio Dei, prout est in se, est impossibilis intellectui creato.Minor probatur quoad primam partem dilemmatis: Tum, quia actus specificatus ab obiecto eò crescit, quò crescit obiectum; ac proinde, si obiectum est infinitum, actus crescit infinitè ad incrementum obiecti; sed visio Dei haberet pro obiecto ipsum Deum, qui infinitus est: ergo non potest videri nisi sub ratione infinita. Patet consequentia:Nam visio infinita obiecti infiniti non attingit illud sub ratione finita. *Explicatur hoc*: Nam à cognitione quidditativa obiecti finiti vsque ad cognitionem quidditativam obiecti infiniti non potest perveniri, nisi per infinita incrementa,& gradus, qui mediant inter obiectum vnius,& alterius cognitionis; sed hoc non potest fieri,nisi obiectum infinitum attingatur sub ratione infinita: ergo visio clara Dei petit ipsum attingere sub ratione infinita ¶ Tum etiam: Nam ratio *sub qua* attingitur obiectum,debet esse ipsi intrinseca;sed Deus nullam rationem intrinsecam habet finitam: ergo non potest attingi in se sub ratione finita.¶ Quoad secundam partem dilemmatis probatur eadem minor: Nam cognitio attingens obiectum ratione *subqua* infinita,est infinita: hac quippè ratione cognitio, qua Deus seipsum cognoscit, est infinita;sed repugnat cognitio creata Dei simpliciter infinita: ergo Deus nequit attingi à creatura sub ratione infinita.

Respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius primam probationem pro prima parte dilemmatis adductam (quem modum arguendi Lugo erga aliam materiam vocat *calculatorium*)dicendum est,quòd estò rectè probet in alijs materijs; secùs verò in actibus, seu habitibus respicientibus suum obiectum,tanquàm mensuram extrinsecam, cum qua non commensurantur arithmeticè, sed tantùm geometricè.In cuius signū videmus,quòd amor, quo Deum authorem naturalem, vel supernaturalem diligimus super omnia,non est simpliciter infinitus,estò Deus vtroque modo sit infinitus.Verum quidem est,quòd si actus est adæquatus obiecto,debet crescere arithmeticè ad incrementum illius, & sic obiectum cognoscibile vt octo,si cognoscitur adęquatè,prærequirit cognitionem intensam vt octo; & si est infinitè cognoscibilę, exigit cognitionem simpliciter infinitam. Cæterùm in actibus attingentibus obiectum inadæquatè non requiritur, quòd crescat actus per gradus determinatos ad incrementum obiecti; sed sufficit, quòd crescat per gradus proportionales,seu indeterminatos,& geometricos.Et huiusmodi potest esse cognitio quidditativa Dei possibilis intellectui creato. Per quod constat ad illam maiorem explicationem.

12 Antequàm ad secundam probationem respondeatur: Nota priùs, quòd in quolibet obiecto datur ratio *quę* coincidens cum obiecto materiali; & datur ratio *subqua*, quæ est idem, ac obiectum formale, vel est forma, quasi formalizans obiectum materiale, seu rationem *quæ*. Exemplum vtriusque patet in Deo respectu luminis glorię, seu visionis &

respectu charitatis: nam ratio *quæ* respectu luminis gloriæ est ipse Deus, qui simul est ratio *que* respectu charitatis. Ratio verò *subqua* respectu luminis est ratio *veri*, & respectu charitatis ratio *boni*, quæ rationes sunt sufficientèr distinctivæ prædictorum habituum. Sed pro maiori intelligentia huius rationis *subqua*: Adhuc nota, quòd ratio *veri*, quę est ratio *subqua* luminis gloriæ, potest sumi dupliciter; vel materialiter, quo pacto solùm dicit veritatem intrinsecam Dei, quæ absdubiò est simplicitèr infinita, sicut alia prædicata divina: Vel formalitèr, quatenus connotat aliam rationem *subqua* extrinsecam, per cuius connotationem ratio illa *subqua* intrinseca evadit magis determinata ad specificandum, & distinguendum actum, & habitum. Quod non rarò contingit: nam præter rationem *coloris*, quæ est ratio *subqua* intrinseca specificativa potentiæ visivæ, indiget albedo, quæ est ratio *que*, determinari per lumen, tanquàm per rationem *subqua* extrinsecam: & præter rationem *veri*, quæ est ratio *subqua* specificativa fidei, Deus determinatur per revelationem, vt illam specificet, & distinguat à lumine gloriæ. Hæc tamen ratio *subqua* intrinseca nequit intelligi, vsquedum connotet modum tendendi potentiarum, habituum, seu actuum. Hacque de causa ratio *boni*, quę est *subqua* specificativa charitatis, prout præscindit à creata, & increata, nequit intelligi sufficientèr completa, vsq; dum connotet volũtatem creatam, & divinã.

Ex his respondetur ad illam secundam probationem: fatendo, rationem *subqua* intrinsecam materialitèr sumptam esse simplicitèr infinitam. Cœterùm hæc eadem ratio *subqua* formalitèr accepta, quatenus, videlicèt, connotat diversum modum tendendi intellectus creati, & divini, constituit diversas formalitèr rationes *subquibus*, sufficientes ex se distinguere essentialitèr penes finitum, & infinitum prædictos intellectus. Quod necessariò fatendum est; aliàs sequeretur, impossibilem esse amorem Dei naturalem, & supernaturalem super omnia, tàm in via, quàm in patria, quod nullus hucusque dixit. ¶ Per quod constat ad probationem, quæ intendebat probare secundam partem dilemmatis: nam solùm illa cognitio attingens obiectum sub ratione infinita, tàm materialitèr, quàm formalitèr est simplicitèr infinita; secùs verò cognitio attingens obiectum sub ratione infinita materialitèr, & finita formalitèr: Et hoc modo est ratio *subqua* specificativa luminis gloriæ, & amoris naturalis, seu supernaturalis Dei super omnia, quia per connotationem modi tendendi creati evadit formalitèr finita.

In præsenti solet inquiri: an per vires naturæ possit cognosci possibilitas visionis beatæ? Hanc tamen difficultatem differimus vsque ad tractatum *de Angelis*, vbi sub ampliori titulo illam versabimus.

DUBIUM II.

Vtrùm Deus vt clarè visibilis *contineatur sub obiecto specificativo intellectus humani?*

DEcisio huius controversiæ sufficientèr constat ex dictis à N. Complut. abbrev. *de Anima* disp. 16. quæst. 1. Sed quia dubium præcedens non parum lucis accipiet ex dicendis in præsenti, maluimus hoc singillatim ad exactius examen vocare, vt promisimus num. 4. Pro quo aliqua prælibare oportebit, & alia supponere.

§. I.

Notabilia aliqua, & suppositiones nonnullæ.

13 NOta *primò* pro vera intelligentia obiecti, cuius sermo frequentèr occurrit in omni tractatu, quòd obiectum solet dividi in obiectum formale, & materiale. Obiectum formale illud est, quod attingitur persè, & ratione sui: obiectum verò materiale est, quod attingitur ratione obiecti formalis. In obiecto tamen formali duas rationes distinguunt communitèr Theologi, nempè rationem *subqua*; & rationem *que*: inter quas hoc datur discrimen, quòd ratio *quæ* non attingitur, nisi prout formalizatur & actuatur per rationem *subqua*. Qua de causa D. Thomas multoties rationem *subqua* appellat obiectum *formale*, & rationem *quæ* obiectum *materiale*. Et meritò: nam ratio *quæ*, seu obiectum *quod* est ipsa res quę attingitur, & hæc non respicitur à potentia ratione sui, sed prout stat sub ratione *subqua*; ideòque potuit D. Thomas rationem *subqua* appellare obiectum omnibus modis *formale*, & rationem *quæ* obiectum quodammodò *materiale*. ¶ Verumtamen, re benè inspecta, ratio *quæ* immediatè actuata per rationem *subqua* absolutè debet dici obiectum *formale* prout distinctum ab obiecto absolutè materiali: nam obiectum formalizatum immediatè, & intrinsecè à ratione *subqua* est quoddam complexum, quod attingitur persè, & ratione sui; & obiectum materiale non nisi ratione prædicti complexi. Quæ divisio coincidit cum obiecto *quod* primario, & secundario, ob rationem præfatam. Exemplum vtriusque obiecti liquet in Deo, & creaturis respectu visionis beatificæ: nam ipse Deus est obiectum *quod*, seu primarium respectu illius; formalizatur tamen ab ipsa Deitate sub ratione *veri*, tanquàm à ratione formali *subqua*; & creaturæ sunt obiectum secundarium, quia visio non attingit illas nisi ratione Dei.

Relicta tamen ratione *subqua*, seu obiecto *quo*, ratio *quæ* formalis, seu primaria subdivi-

dicur in obiectum *quod* primarium adæquatum, & inadæquatum, seu partiale. Obiectum adæquatum primarium est illud, quod adæquat totam latitudinem primariam potentiæ. Et hoc solet confundi cum obiecto attributionis : quia nihil attingitur à potentia, nisi ratione prædicti obiecti, & per ordinem ad illud, à quo etiam sumit suam vnitatem, & distinctionem specificam, quæ munera sunt propria obiecti adæquati primarij : Et hac ratione diximus suprà tract. præced. disp.1. num.64. Deum esse obiectum primarium adæquatum, seu attributionis Theologiæ. Obiectum inadæquatum est illud, quod est pars subiectiva obiecti adæquati, vt albedo est obiectum inadæquatum primarium potentiæ visivæ.

14 Ulteriùs obiectum *quod* potest dividi in intensivum, seu proportionatum, & in extensivum, seu improportionatum. Obiectum intensivum est illud, respectu cuius potentia habet efficaciam, & virtutem proximam ad illud connaturaliter attingendum, & hac de causa obiectum hoc vocatur *connaturale*, & *proportionatum*. Obiectum verò extensivum est illud, ad quod potentia potest vtcumque se extendere, sivè connaturaliter, sivè cum improportione; sivè primariò, sivè secundariò. ¶ Ex quo infertur, quòd, cùm divisio obiecti in primarium, & secundarium sit adæquata, obiectum extensivum necessariò debet pertinere ad rationem obiecti primarij, vel secundarij. Quocirca quoties obiectum aliquod attingitur ratione alterius prius attacti, & cum subordinatione ad illud, dicendum est obiectum *absolutè* secundarium, ad quod de materiali se habet, quòd attingatur connaturaliter, sivè cum improportione, vt creaturæ respectu intellectus divini, seu respectu charitatis creatæ. Si verò attingatur persè, & ratione sui, necessariò dicendum est obiectum *primarium* (ad quod de materiali etiam se habet, quòd habeat ex se virtutem proximam ad illud attingendum, vel non) quia obiectum hoc non est absolutè secundarium; cùm non attingatur ratione alterius priùs attacti, & cum subordinatione ad illud, in quo consistit definitio obiecti absolutè secundarij communiter accepta à Theologis, & Philosophis. ¶ Nec valet recursus ad aliam rationem obiecti extensivi, quod nec est pars subiectiva absolutè primarij, nec absolutè secundarij. Tum, quia divisio obiecti in primarium, & secundarium est divisio adæquata. Tum etiam : quia illud obiectum, quod non sit obiectum primarium, nec secundarium, absque vlla authoritate, sivè fundamento novitèr introduceretur in Scholis; vel assignetur aliquis Princeps, vel Philosophus, vel Theologus, in cuius authoritate possit fundari : merum ergo figmentum esset.

Ex quibus liquidò constat de quo obiecto sit impræsentiarùm sermo, dum inquirimus, an Deus vt *quidditativè visibilis* contineatur intra obiectum specificativum intellectus humani? Quod, nimirùm, est idem, ac inquirere, an Deus sit pars subiectiva obiecti specificativi intellectus humani, ad eum modum quòd color albus est pars subiectiva obiecti specificativi potentiæ visivæ?

15 Pro quo nota *secundò*, intellectum humanum posse considerari triplicitèr; vel *secundum se*; quo pacto dicit sua prædicata essentialia præscindentia ab omni statu, & ab eo quod habeat efficacitatem proximam, vel non, quia tantùm dicit coaptationem, seu commensurationem essentialem, & radicalem ad percipiendum suum obiectum specificativum: In qua aceptione, estò adæquatè, & entitativè sit potentia naturalis, præscindit in suo conceptu explicito ab eo, quòd sit entitativè naturalis. Vel potest considerari vt *potentia naturalis*, tàm pro implicito, quàm pro explicito : Et secundùm istam considerationem addit supra seipsum connotationem ad suum obiectum proportionatum, & connaturale, & efficacitatem proximam ad illud naturaliter attingendum, tàm pro statu coniunctionis, quàm pro statu separationis. Vel tandem potest considerari sub ratione, & expresione *potentiæ obedientialis* : Et sub hac expresione specialiter connotat obiecta supernaturalia, & capacitatem passivam proximam ad dona supernaturalia, & virtutem radicalem activam ad prædicta obiecta percipienda, quatenus supernaturalia sunt,

16 Difficultas non parva est, an intellectus, vt est potentia naturalis, & vt est potentia obedientialis, involvat aliquam distinctionem cum fundamento in re? ¶ Circa quod omnino certum est, huiusmodi potentias non distingui realiter entitativè: cùm intellectus, vt est potentia naturalis, & vt est potentia obedientialis, non addat aliquam entitatem physicam, vel modalem supra entitatem intellectus secundùm se; aliàs daretur processus in infinitum, vt perspicienti constabit. Eadem ferè certitudine relegenda est ab his duabus potentijs distinctio formalis ex natura rei : quia hoc genus distinctionis nullum locum habet inter prædicata sivè creata, sivè divina in aliqua Schola, excepta Scotica.

Putamus tamen, has duas potentias inter se distingui virtualiter cum fundamento in re. Hæc fuit perpetua mens N. Salmant. in præs. à num. 13. tract. 13. disp. 1. num. 15. tract. 14. disp. 8. num. 21. & alijs in locis. Ratio potest desumi ex proximè dictis, & ex dictis tract. præced. disp. 2. num. 26. Nam tunc duæ expresiones eiusdem indivisibilis entitatis distinguuntur in creatis virtualiter cum fundamento in re, quando connotant diversa prædicata pertinentia ad diversas lineas, & ordines adæquatè diversos : qua ratione loco citato diximus, con-

cep-

ceptum *naturæ*, & conceptum *essentiæ* distingui virtualitèr cum fundamento in re, ratione, scilicèt. diversæ connotationis ad *esse*, & *operari*; sed potentia naturalis *vt talis* connotat obiecta naturalia; & potentia obedientialis obiecta,& dona supernaturalia, vt suprà vidimus: ergo hæ duæ potentiæ distinguuntur virtualitèr cum fundamento in re.

Et confirmatur: Nam intellectus humanus, & angelicus distinguuntur essentialitèr in ratione *potentiarum naturalium*, non verò in ratione *potentiæ obedientialis*; cùm in hac ratione respiciant eadem obiecta supernaturalia,& operationes;sed hoc stare non valet, quin detur distinctio virtualis inter potentiam naturalem, & obedientialem eiusdem intellectus humani: ergo &c.

Quæ doctrina non parum subsidij accipiet à D. Thoma: qui frequentèr meminit harum duarum potentiarum, & illas distinguit, quia respiciunt diversa agentia, & diversos fines, consequenterque diversa obiecta. Videatur 3. part. quæst. 1. art. 3. ad 3. ibi quæst. 11. art. 1. vbi ait: *Est autem considerandum, quòd in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva: Vna quidem per comparationem ad agens naturale: Alia verò per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale: & hæc consuevit vocari potentia* obedientiæ *in creatura.* Idem tradit 2. dist. 1. quæst. 1. art. 2. vbi assignat pro his potentijs diversos fines, naturalem videlicèt, & supernaturalem;diversa agentia,quibus subjiciuntur; & diversa obiecta, quæ connotant. Id clariùs docet quæst. *de Virtut.* art. 10. ad 13. vbi inquit: *Dicendum, quòd quando aliquod passum natum est consequi diversas perfectiones à diversis agentibus ordinatis, secundùm differentiam, & ordinem potentiarum activarum in agentibus, est differentia, & ordo potentiarum passivarum in passivo: quia potentiæ passivæ respondet potentia activa. Sicut patet, quòd aquâ habet aliquam potentiam, secundùm quam nata est moveri à corpore cœlesti: & vlteriùs aliam, secundùm quam nata est moveri à Deo.*

17 Præsens difficultas præcipuè procedit de intellectu secundùm se, & de eius specificativo, an nimirùm Deus, prout est in se visibilis,contineaaur sub obiecto specificativo intellectus humani?Ex consequenti agemus de obiecto vtriusque potentiæ naturalis, & obedientialis.¶ Pro quo nota *tertiò*, intellectum humanum posse considerari triplicitèr: vel prout dicit conceptum analogum *intellectus*,in quo convenit analogicè cum intellectu divino; vel prout dicit conceptum genericum, in quo convenit cum intellectu angelico; vel tandem prout dicit conceptum differentialem intellectus humani vt *humani*:qui quidem gradus,licèt sit distinctus formaliter ab intellectu angelico, si intellectus humanus consideretur secundùm se, vel vt potentia naturalis;convenit tamen cum angelico considerato etiam secundùm suam vltimam differentiam in ratione *potentiæ obedientialis*: hæc enim non solùm convenit intellectui humano secundùm rationem genericam, sed etiam secundùm suam rationem differentialem, aliàs intellectus hominis,vt homo est,non esset beatificabilis; sed potentia obedientialis consecuta ad gradum genericum, seu ad gradum differentialem est eiusdem rationis in homine, & Angelo: ergo intellectus humanus vt humanus,hoc est,secundùm suam vltimam differentiam, est eiusdem rationis cum angelico. ¶ In quo sensu iudicamus procedere Illust. Godoy tract. 2. in 1. part. disp. 7. §. 2. dum negat, Deum contineri sub obiecto specificativo intellectus humani secundùm suam vltimam differentiam, & concedit contineri sub illo vt specificativo intellectus secundùm rationem Angelo, & homini communem. Nam estò homo sit beatificabilis secundùm vltimam differentiam; non tamen explicat distinctionem per ordinem ad Deum, visibilem prout est in se; ac proinde dicit in sua vltima differentia rationem communem homini,& Angelo, quateuus potentia obedientialis consecuta ad vltimam differentiam vtriusque est eiusdem rationis in vtroque. Et si aliud dicit,non computabitur inter fautores nostræ vltimæ resolutionis.

18 Sed vt hoc magis declaretur, objicies cum Godoy: Nam intellectus humanus essentialitèr differt ab intellectu angelico:ergo obiectum specificativum intellectus humani secundùm suam vltimam differentiam differt essentialitèr ab obiecto intellectus angelici; sed Deus vt *clare visibilis* non continetur intra obiectum essentialitèr diversum ab obiecto intellectus angelici:ergo neque continetur sub obiecto specificativo intellectus humani secundùm suam vltimam differentiam. Patet consequentia:nam specificativum,& distinctivum sunt idem.

Pro solutione huius obiectionis, & pro maiori intelligentia cuiuscumque obiecti specificativi: Nota *quartò*, obiectum non specificare potentiam, nisi prout subest rationi *subquæ*, vt suprà notavimus: & hanc,quamvis sit formaliter indivisibilis,non specificare, prout abstrahit abstractione totali,seu potentiali à suis inferioribus: nam obiectum sub hac abstractione non attingitur à potentia: vel si attingitur, non est per actum adæquatum potentiæ. Exemplum primi est in ratione communi *coloris*, quæ non attingitur à potentia visiva; & tamen est ratio specificativa illius. Exemplum secundi est in bono in communi, quod est specificativum voluntatis: quod quidem estò possit amari à vo-

luntate; attingitur tamen per quendam actum inadæquatum. Obiectum ergo specificativum solùm specificat potentiam, quatenus abstrahit ab omnibus suis inferioribus abstractione formali, hoc est, quatenus actu dicit omnia obiecta partialia, & terminat actualem habitudinem potentiæ medio aggregato omnium actuum partialium. Quocirca si aliquod obiectum partiale exigit diverso modo essentiali attingi ab hac, & illa potentia, quamvis conveniant in alio obiecto partiali, ratio *subqua* indè resultans, seu abstrahibilis abstractione formali, debet necessariò esse essentialiter diversa. Nam estò hæc ratio sit vna, & indivisibilis respectu cuiuscumque potentiæ; ratio verò *subqua*, essentialiter exigens modũ essentialiter diversum attingendi aliquod obiectum partiale, sufficiens est ad specificandam diversam potentiam, estò permittat eundem modum tendendi erga aliud obiectum partiale. Ad eum modum, quo compositum resultans ex materia sublunari, & forma cœlesti esset essentialiter diversum à composito integrato ex materia cœlesti, & forma cœlesti: quia ad distinctionem specificam duorum sufficit distinctio specifica alicuius partis essentialis. Et hac de causa, licèt intellectus duorum Angelorum inferiorum conveniant specificè in attingentia Angeli supremi, sicut eius species in illis residentes ex nullo capite distinguuntur; differunt tamen specie, quia petunt diverso modo attingere alia obiecta partialia.

Ex his iam constat liquidò ad obiectionem: Ad quam respondetur, concesso antecedenti, & consequentia, negando minorem subsumptam: Nam vt Deus, prout est in se visibilis, contineatur intra obiectum specificativum & distinctivum intellectus humani secundùm vltimam sui differentiam, non requiritur, quòd ratio *subqua* specificativa explicet suam distinctionem erga omnes actus partiales, sed sufficit, quòd in aliquibus illam necessariò exigat. Quod evidenter liquet in ratione *subqua* nostri intellectus: quæ quidem permittit, imò & exigit discursum in pluribus obiectis partialibus; & tamen pro statu connaturaliori ipsius intellectus, & in Angelo illum positivè excludit. Insuper omnia obiecta naturalia connaturaliter attacta modo longè diverso petunt attingi ab intellectu Angelico, ac ab intellectu humano, sicut modo longè immaterialiori. Quæ solutio coincidit cum ea, quam tradunt N. Complut. abbrev. *de Anima* disp. 16. num. 6. & cum alia simili N. Salmant. tract. 2. disp. 2. num. 18.

19 Ex his omnibus planus est sensus quæstionis, dum inquirit, an Deus, prout est in se, contineatur sub obiecto specificativo intellectus humani secundùm se, & secundùm vltimam suam differentiam? Pro quo duo vt *certa* supponenda sunt. Primum, quòd Deus non continetur intra obiectum quasi specificativum intellectus humani secundùm vltimam suam differentiam, & prout potentia naturalis est. In quo convenire debent omnes Theologi: quia vt potentia naturalis exprimit efficacitatem proximam adæquatam in ordine ad obiectum sibi proportionatum, & connaturale; sed ad videndum Deum, prout est in se, intellectus vt potentia naturalis, iuxta communem sensum Theologorum contra Pelagium, non habet efficacitatem proximam adæquatam; & in sententia omnium Thomistarum nec efficacitatem partialem proximam: ergo Deus, prout est in se visibilis, non continetur sub obiecto quasi specificativo intellectus humani, vt potentia naturalis est. ¶ Secundum est, quòd Deus, prout est in se visibilis, continetur sub obiecto extensivo intellectus humani secundùm suam vltimam differentiam. In hoc etiam debent convenire omnes catholici: Nam illud comprehenditur sub obiecto extensivo alicuius potentiæ, ad quod potentia potest vtcumque se extendere; sed intellectus humanus potest attingere Deum, prout est in se, vt vidimus dub. præced. ergo. ¶ Nec valet recursus ad influxum instrumentalem, quem concedunt intellectui creato elevato lumine gloriæ non contemptibiles Theologi: iuxta quem videtur negandum, Deum contineri sub obiecto extensivo intellectus: sicut species intelligibilis est extra obiectum extensivum phantasiæ, & phantasmatis, erga quam præstant concursum mere instrumentalem. ¶ Sed hoc repagulum non attinet ad nos, nec ad Thomistas, qui perpetuò negant concursum strictè instrumentalem in visionem beatam: sed ad Authores huius novitatis: qui ex vna parte sentiunt, Deum, prout est in se, contineri sub obiecto nedum extensivo, sed etiam specificativo; & ex alia tantùm concedunt intellectui creato concursum stricte instrumentalem in visionem beatam.

Quibus suppositis, duplex militat sententia ex diametro opposita. Prima defendit, Deum, prout est in se, contineri sub obiecto extensivo, non verò sub specificativo. Huius sententiæ Patroni sunt Magist. Ferre in præs. à num. 691. Mag. Bolivar in præs. dub. 2. præsertim num. 36. quos posteà illustrarunt plures sapientissimi Magistri in suis Manuscriptis. Secunda tenet, Deum, prout est in se, contineri non solum sub obiecto extensivo intellectus humani modo suprà explicato, sed etiam sub specificativo. Sic cæteri Theologi tàm antiqui, quàm moderni. Quam sententiam duabus assertionibus explicamus.

§. II.

Sententia communior nostra, & prima conclusio.

20 DIcendum est *primò*, Deum contineri sub obiecto specificativo intellectus humani secundùm vltimam suam differentiam. Ita N. Complut. abbrev.& N. Salmant. locis suprà relatis. Et probatur duplici testimonio D. Thomæ: Nam 3. Contra gent. cap.54. ad primam obiectionem sic ait: *Divina substantia non sic est extra facultatem intellectus creati, quasi aliquid omninò extraneum ab ipso, sicut est sonus à visu, & substantia immaterialis à sensu (nam ipsa divina substantia est primum intelligibile, & totius intellectualis intellectionis principium) sed est extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem eius: sicut excellentia sensibilium sunt extra facultatem sensuum. Vnde Philos. in 2. Metaphys. dicit, quòd intellectus noster se habet ad rerum manifestissima, sicut oculus noctuæ ad lucem solis.* In quibus verbis excellentissimum intelligibile (quod est Deus) comparat in ordine ad intellectum creatum cum excellentissimo visibili (quod est sol) in ordine ad visum noctuæ; sed estò visus noctuæ indigeat elevatione ad videndum solem, non est extra obiectum specificativum illius: ergo iuxta D. Thomam, idem dicendum est de supremo intelligibili, quod est Deus prout in se visibilis.

21 Nec refert, si dicas cum Ferre loco suprà citato num.693. quòd paritas non tenet in omnibus, quia visus noctuæ, & alterius animalis sunt eiusdem speciei, ideòque assignari oportet idem specificativum, sub quo comprehenditur lux solis. Econtrà verò potentiæ intellectivæ differunt specie in homine, & Angelo; & conveniunt in modo attingendi Deum, prout est in se: cum quo haùd facilè componi valet, quòd comprehendatur sub obiecto specificativo.

Non, inquam, refert. Tum quia prædicta evasio est prorsùs voluntaria; cùm non nitatur alicui solido fundamento. Tum & præcipuè: Nam ex eo, quòd duæ potentiæ specie distinctæ conveniant in attingentia alicuius obiecti partialis, non sequitur hoc esse extra obiectum illarum specificativum: sicut ex eo, quòd duo composita materialia sin specie diversa, non sequitur, vtramque partem pertinentem ad integritatem essentialem, & specificam vniuscuiusque esse essentialiter, & specie diversam. Paritèr ex eo, quòd intellectus duorum Angelorum inferiorum conveniant specie in attingentia Angeli supremi, non sequitur, Angelum supremum esse extra obiectum specificativum illorum: ergo quòd Angelus, & homo conveniant in attingendo Deum, prout est in se, & intellectus distinguantur specie, non est ratio efficax, vt Deus, prout est in se, sit extra obiectum specificativum illorum. ¶ Nec valet recursus in hoc secundo exemplo ad maiorem claritatem, qua vnus Angelus inferior attingit supremum. Non, inquam, valet. Nam visio beata Christi Domini attingit Deum, prout est in se, cum claritate longè maiori respectu alterius Beati, quàm vnus Angelus inferior attingit supremum respectu alterius se inferioris; & tamen visiones Christi, & Beati non distinguuntur specie: ergo neque cognitiones, quibus duo Angeli inferiores cognoscunt supremum, distinguuntur specie ratione maioris claritatis. Ratione alterius capitis nequit desumi distinctio specifica, cùm attingant omnia formalia, & virtualia Angeli supremi.

22 Secundum testimonium habetur 1.part. quæst. 79. art. 7. in corp. vbi inquit: *Intellectus respicit suum obiectum secundùm communem rationem entis: eo quòd intellectus possibilis est, quo est omnia fieri. Vndè secundùm nullam differentiam entium diversificatur differentia intellectus possibilis.* Ex quibus verbis sic probatur conclusio: Secundùm D. Thomam nulla differentia entis distinguit intellectum possibilem: ergo nulla differentia entis specificat intellectum: ergo ens, vt abstrahit à naturali & supernaturali, est specificativum intellectus. Patet consequentia: aliàs iam differentia entis naturalis distingueret intellectum humanum ab intellectu angelico, quod negat D. Thomas. ¶ Et confirmatur: Nam, quia obiectum Philosophiæ specificativum non est ens in omni sua latitudine, sed ens præcisè mobile, addiderunt Philosophus, & D. Thomas ad ens aliam particulam determinativam illius, nempè *mobile*: ergo dum D. Thomas asserit, nullam differentiam entis distinguere intellectum, sensus illius est, quòd ens præcisè naturale non distinguit, nec specificat intellectum.

23 Deinde probatur ratione fundamentalis: Nam id continetur sub obiecto specificativo alicuius potentiæ, quod attingitur ab illa persè, & ratione sui; sed intellectus humanus secundùm suam vltimam differentiam attingit Deum, prout est in se, persè, & ratione sui: ergo Deus, prout est in se, continetur sub obiecto specificativo intellectus humani secundùm suam vltimam differentiam. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Nam id, quod attingitur à potentia persè, & ratione sui, non est obiectum secundarium illius; continetur ergo sub obiecto primario illius; sed id, quod continetur sub obiecto primario, continetur sub obiecto specificativo: ergo quod attingitur persè, & ratione sui, continetur sub obiecto specificativo. Cætera liquent præter

antecedens. Quod sic probatur : Nam de ratione obiecti absolutè secundarij est, quòd attingatur ratione obiecti primarij, & cum subordinatione ad illud, vt inductivè potest ostendi in omnibus obiectis secundarijs cuiuscumque potentiæ, vel habitus, & millies repetit D.Thomas præcipuè 1.part. quæst.1. art.7. ergo econversò quod attingitur persè, & ratione sui, sine subordinatione ad aliud, non annumerari debet inter obiecta secundaria.

Confirmatur *primò* : Quod attingitur à potentia per propriam speciem, continetur sub obiecto specificativo illius ; sed Deus, prout est in se, attingitur ab intellectu humano per propriam speciem: ergo continetur sub obiecto specificativo illius. Minor constabit ex dicendis disp.seq. Maior verò probatur: Propterea color albus continetur sub obiecto specificativo potentiæ visivæ, quia attingitur per propriam speciem : econversò quantitas est obiectum secundarium visus, quia attingitur per speciem coloris : ergo quod attingitur à potentia per propriam speciem, continetur sub obiecto specificativo illius. ¶ Nec valet recursus ad singulare materiale, quod pro hoc statu potest attingi per propriam speciem; & tamen est obiectum secundarium intellectus nostri pro hoc statu. Non, inquam,valet : quia singulare materiale,quando primò attingitur pro hoc statu, non attingitur, nisi virtualiter, & in confuso ; estò per speciem quandam reflexam relictam ex cognitione primaria quidditatis materialis in communi possit cognosci formaliter,& expressè:ergo cùm Deus, prout est in se, cognoscatur per speciem propriam directam ab intellectu humano, non est cur non comprehendatur sub obiecto specificativo illius.

Confirmatur *secundò*: Nam lumen gloriæ specificatur à Deo, prout est in se : ergo Deus, prout est in se, comprehenditur sub obiecto specificativo intellectus humani. Consequentia probatur : Nam id, quod est obiectum primarium, & specificativum alicuius habitus, continetur sub obiecto specificativo potentiæ,in qua est huiusmodi habitus : ergo si Deus, prout est in se, est obiectum specificativum luminis gloriæ, etiam debet contineri sub obiecto specificativo intellectus humani, in quo recipitur. Antecedens patet : Nam quilibet habitus receptus in aliqua potentia est determinatio illius per ordinem ad id, quod continetur sub obiecto specificativo illius : habitus enim non determinat potentiam ad attingendum obiectum secundarium, cùm hoc non addat difficultatem formalem supra obiectum primarium. ¶ Neque huic confirmationi officit instantia Logicæ, quæ specificatur ab ente rationis ; quod tamen non continetur sub obiecto specificativo intellectus. Tum, quia longè probabilius est oppositum. Tum & præcipuè, quia ideò non continetur sub obiecto specificativo intellectus, quia attingitur ab illo ratione entis realis, ad modum scilicèt illius, & per eius speciem ; sed hoc non habet locum in Deo attacto, prout est in se : ergo &c.

Confirmatur *tertiò* ex testimonio secundo D.Thomæ suprà relato: Nam intellectus noster secundùm vltimam suam differentiam est potentia vniversalissima, immaterialis,& potens omnia fieri ; sed potentiæ huiusmodi debet correspondere obiectum vniversalissimum sub vniversalissima ratione specificativa:ergo ratio vniversalissima *entis* est ratio *subqua* specificativa intellectus humani : ergo quidquid continetur sub hac ratione vniversalissima, continetur sub obiecto specificativo illius : Tunc sic ; sed Deus continetur sub vniversalissima ratione *entis* : ergoDeus continetur sub obiecto specificativo intellectus humani. Quæ doctrina non parum subsidij habet à D. Thoma, qui multoties repetit, quòd ens sub vniversalissima ratione *entis*, & *veri* est obiectum intellectus : & consequentèr ad hoc docet pluribus in locis, quòd ens est primum cadens in intellectu : & non minùs consequentèr docet, quòd Deus est primum obiectum intellectus, hoc est, principalitatis ; obiectum autem principalitatis est, quod præcipuè continetur sub obiecto specificativo, quod nequit intelligi de Deo quoad *an est* cognito, cùm prout sic cognoscatur indirectè per species creaturarum : ergo Deus, prout est in se, continetur sub obiecto specificativo intellectus humani.

Ad hæc: Intellectus secundùm se, & secundùm vltimam suam differentiam habet coaptationem, & commensurationem essentialem cum ente in commnni : ergo specificatur ab ente in communi : ergo quidquid continetur sub ente in communi, continetur etiam sub obiecto specificativo intellectus : cùm ergo Deus, prout est in se, contineatur sub ente in communi,etiam contineri debet sub obiecto specificativo intellectus nostri secundùm vltimam suam differentiam. Secunda, & tertia consequentia legitimè inferunt. Et prima patet ex antecedenti : nam idem omninò est *intellectum habere commensurationem essentialem cum ente in communi*, ac *habere suam essentiam per ordinem ad illud*, & consequenter suam speciem. Antecedens verò probatur: Nam intellectus cum illo obiecto habet commensurationem essentialem, quod potest secundùm suam essentiam attingere, vel per vires proprias, vel per elevationem (& hac ratione visus noctuæ habet commensurationem essentialem cum visibili in communi:) sed ita se habet intellectus noster in ordine ad ens in communi : ergo habet commensurationem cum illo. ¶ Nec huic probationi refragatur exemplum obiecti secundarij. Nam hoc non attingitur, nisi cum subordinatione ad primarium, quæ non hâ-

habet locum in Deo clarè attacto in ordine ad aliud obiectum.

24 Huic rationi cum suis confirmationibus vnam solutionem communem adhibet Ferre à num. 693. quòd, nimirùm, pro obiecto specificativo cuiuscumque potentiæ solùm intelligitur illud, quod virtute propria potest attingere: quia tunc proprie verificatur; quòd illud attingit ratione sui. Intellectus autem noster virtute propria nequit attingere Deum, prout est in se, nec aliquod obiectum supernaturale, sed in virtute alterius naturæ superioris participatæ, per ordinem ad quam nequit desumi essentia intellectus humani: Sicut essentia ferri nequit desumi per ordinem ad calefactionem, quam elicere potest in virtute caloris participati ab igne; neque cœlum lunæ accipit speciem per ordinem ad motum, quem habet in virtute primi mobilis.

Sed hæc evasio, præterquàm quòd non tangit nervum rationis, & primæ confirmationis, multiplicitèr refellitur. *Primò*: nam ex ea sequitur, quòd essentia intellectus desumatur per ordinem ad aliquod ens determinatum, & non per ordinem ad ens in communi; sed hoc est contra D. Thomam loco relato num 22. vbi ex eo vidimus, nullam differentiam distinguere intellectum posibilem, & consequentèr nec illum specificare: ergo contra mentem D. Thomæ agit, qui asserit, essentiam intellectus desumi per ordinem ad id, quod potest virtute propria attingere, seu per ordinem ad ens naturale.

Secundò: Nam amplius est obiectum, per ordinem ad quod desumitur essentia intellectus, ac essentia Metaphysicæ, sicut amplior est potentia secundùm sua essentialia, quàm quicumque habitus in ea receptus; sed essentia Metaphysicæ desumitur per ordinem ad ens reale sub ratione communi *entis realis*: ergo essentia intellectus debet desumi per ordinem ad ens sub vniversalissima ratione *entis* præscindentis ab ente naturali, & super naturali. *Explicatur*: Nam ratio *subqua* specificativa intellectus est vniversalior, quàm ratio *subqua* specificativa Metaphysicę; sed hoc stare non potest, si ratio *subqua* specificativa intellectus non comprehendit ens naturale, & supernaturale, cùm cœtera omnia contineantur sub ratione specificativa Metaphysicę: ergo. Nec prodest recursus ad ens rationis. Nam in sententia Adversariorum solùm pertinet ad obiectum secundarium, vt tenet Ferre in præs. num. 698. quod sufficit ad vim impugnationis in Adversarios.

25 *Tertiò*: Nam si essentia intellectus desumeretur præcisè per ordinem ad ens naturale, sequeretur, quòd intellectus in ordine ad visionem beatam se haberet purè passive, vel concurreret instrumentalitèr proprie ad illam; neutrum concedunt, Adversarij: ergo. Minor probatur: Quia essentia ferri non desumitur per ordinem ad calefactionem, ferrum se habet merè passivè respectu caloris: paritèr quia aqua non habet suam essentiam per ordinem ad gratiam, concurrit ad eam præcisè instrumentalitèr: ergo si essentia intellectus desumeretur præcisè per ordinem ad ens naturale, sequeretur, quòd se haberet merè passive in ordine ad visionem beatam, vel concurreret ad eam instrumentalitèr. *Explicatur*: Nam intellectus per modum *potentiæ* concurrit principalitèr, & vitalitèr ad visionem beatam; licèt ratione luminis gloriæ per modum virtutis totalis proximæ: ergo obiectum visionis, & luminis debet contineri sub obiecto specificativo intellectus per modum *potentiæ*. Consequentia probatur: Nam inintelligibile est, quòd ad eliciendam visionem essentialitèr requiratur intellectus per modum *potentiæ*, & lumen per modum *virtutis*; & tamen quòd obiectum virtutis sit specificativum illius, & sit extra specificativum potentię per modum *potentię*. ¶ Nec prodest recursus ad ens rationis, sicut recurrit Ferre. Quia in eius sententia est obiectum secundarium attactum ad modum *entis realis*: ob quam rationem attingitur principalitèr ab intellectu, tàm per modum *potentiæ*, quàm per modum *virtutis*. At Deus, prout est in se, non est obiectum secundarium, neque attingitur ratione entis naturalis. Unde nec hoc, neque exempla suprà allata illi favere valent.

§. III.

Explicatur potentia obedientialis.

26 Dicendum est *secundò*, intellectum sub expresione *potentiæ obedientialis* specificari ab omni ente supernaturali. Hæc conclusio est quasi corrollarium præcedentis, & maior confirmatio illius: illamque proponimus pro enucleanda quadam doctrina N. Salmant. in præs. num. 13. quæ pluribus visa est difficilis. Et probatur ex dictis duobus. §§. præcedentibus: Nam potentia naturalis, & obedientialis distinguuntur virtualitèr cum fundamento in re; sed hoc stare non potest, nisi ens supernaturale sit obiectum specificativum intellectus creati sub expresione *potentiæ obedientialis*: ergo intellectus sub ratione *potentiæ obedientialis* specificatur ab ente supernaturali. Minor probatur: Nam potentijs virtualitèr diversis correspondent obiecta specificativa formalitèr distincta: ergo stante distinctione virtuali inter potentiam naturalem, & obedientialem, si obiectum intellectus sub expresione *potentię naturalis* est ens naturale, obiectum potentiæ obedientialis debet esse ens supernaturale.

Confirmatur: Ens, vt abstrahit à naturali, & supernaturali, est obiectum specificativum intellectus: ergo ens supernaturale est determinatè obiectum specificativum potentiæ obedientiæ

tiæ

tialis. Probatur consequentia: Nam id, quod est obiectum primarium partiale alicuius potentiæ, potest esse obiectum specificativum alicuius partis potentiæ, vt condistinguitur virtualiter ab alia comparte; sed eo ipso quòd ens abstrahens à naturali, & supernaturali sit specificativum intellectus secundùm se, ens supernaturale non potest esse obiectum partiale intellectus sub expressione *potentiæ naturalis*, quæ est vna pars intellectus secundùm se: ergo est obiectum illius sub expressione *potentiæ obedientialis*, quę est altera pars illius.

Explicatur: Nam obiectum specificativum intellectus secundùm se, seu alterius potentiæ, non illam specificat, prout abstrahit abstractione totali, sive potentiali à suis inferioribus, sed prout abstrahit abstractione formali includens actu sua inferiora: idemque dicendum est de actu adæquato, medio quo obiectum specificat potentiam: ergo ens in communi specificat intellectum, prout actu includit ens naturale, & supernaturale: ergo sub ratione *potentiæ obedientialis* potest specificari ab ente supernaturali. Probatur hæc vltima consequentia: Quia non est maius inconveniens in eo, quòd intellectus sub ratione *potentiæ obedientialis* specificetur ab ente supernaturali, ac in eo quòd intellectus secundùm se specificetur ab ente prout partialiter includit ens supernaturale: ergo inconsequenter procedunt, qui ex vna parte admittunt, ens in tota sua latitudine esse obiectum specificativum intellectus; & ex alia negant, ens supernaturale esse obiectum specificativum illius sub ratione *potentiæ obedientialis*.

27 Sed vt hæc veritas magis eluceścat: Objicies *primò*: Intellectus sub ratione *potentiæ obedientialis*, si haberet pro obiecto adæquato entia supernaturalia, esset formaliter supernaturalis; sed intellectus est potentia adæquatè naturalis: ergo sub ratione *potentiæ obedientialis* non specificatur ab ente supernaturali. Maior videtur certa: quia potentia est eiusdem ordinis cum obiecto specificativo illius. Minor verò suadetur: Nam intellectus adæquatè sumptus producitur à Deo vt authore naturali: ergo est adæquatè naturalis.

Explicatur: Quælibet potentia dicit respectum transcendentalem positivum ad suum obiectum specificativum; sed intellectus sub nulla consideratione dicit respectum transcendentalem positivum ad ens supernaturale: ergo non specificatur ab eo sub ratione *potentiæ obedientialis*. Maior videtur innegabilis. Et minor probatur: Nam si diceret ordinem positivum ad ens supernaturale, haberet connexionem cum illo; sed repugnat, entitatem adæquatè naturalem habere connexionem cum ente supernaturali: ergo intellectus sub nulla consideratione dicit respectum positivum transcendentalem ad ens supernaturale.

Adde: quia cognita comprehensivè entitate cuiuscumque creaturæ per vires naturæ, nihil cognoscitur, quod pertineat ad ordinem supernaturalem: ergo intellectus sub nulla consideratione dicit ordinem positivum ad ens supernaturale. Antecedens est certum; aliàs per vires naturæ possent cognosci mysteria gratiæ, & consequenter possibilitas visionis beatificæ. Consequentia verò probatur: Nam si diceret ordinem positivum ad ens supernaturale, cognito comprehensivè intellectu, cognosceretur ordo positivus ad ens supernaturale; consequenterque cognosceretur ens supernaturale quoad *an est*.

Objicies *secundò*: Intellectus sub expressione *potentiæ obedientialis* non respicit immediatè, & ratione sui actum, medio quo attingit ens supernaturale, sed solùm ratione virtutis proximæ: ergo non specificatur ab ente supernaturali. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Nam propterea substantia non specificatur ab operatione, quia non illam respicit immediatè, sed media virtute proximè operativa: ergo si intellectus non respicit ens supernaturale immediatè, non specificatur ab eo.

Objicies *tertiò*: Si obiectum specificativum potentiæ obedientialis esset ens supernaturale, potentia naturalis, & obedientialis eiusdem intellectus distinguerentur realiter, & specie; sed hoc est inauditum: ergo intellectus sub ratione *potentię obedientialis* non specificatur ab ente supernaturali. Maior probatur: Tunc duæ potentię distinguuntur realiter, & specie, quando habent obiecta formaliter, & realiter diversa; sed ita se haberent potentia naturalis, & obedientialis, vt ex se liquet: ergo &c. *Vrgetur*: Potentia, & eius habitus distinguuntur realiter, & specie: ergo vrgentiùs debent distingui duæ potentiæ habentes specificativa formaliter, & realiter diversa. Patet consequentia: quia vrgentiùs distinguuntur potentiæ respicientes obiecta realiter & specie diversa, & inter se disparata, quàm potentia, & habitus respicientes obiecta inter se sub ordinata, & ex quibus obiectum istius continetur sub obiecto illius.

28 Ad primam obiectionem respondetur, concessis præmissis, negando consequentiam. Nam aliud est, quòd intellectus sit entitativè adæquatè naturalis; aliud verò quòd sub aliqua expressione sit formaliter supernaturalis, & entitativè naturalis. Quia per hoc solum datur intelligi, quòd potentia per modum *potentiæ* respiciat ens supernaturale, non tamen per modum *virtutis proximæ*. Licèt ergo potentia respiciens per modum *virtutis proximæ* ens supernaturale sit non solùm formaliter supernaturalis, sed etiam entitativè; cæterùm potentia respiciens tantùm per modum *potentiæ* ens supernaturale potest esse entitativè adæquatè naturalis, & formaliter supernaturalis. Sic intelligimus Doctissimos, & Venerandos PP. N. Salmant.

à num. 13.& alijs in locis.¶ Neque ex eo,quòd sit formaliter supernaturalis, sequitur, debere produci ab authore supernaturali, & per ordinem ad finem supernaturalem: quia hoc tantùm probat de potentia, quæ per modum *virtutis proximæ* respicit finem superuaturalem, secùs verò de potentia, quæ tantùm per modum *potentiæ* est formaliter supernaturalis.

29 Sed dices: *Ergo iam datur in eodem intellectu formalitas formaliter naturalis, & formalitas formaliter supernaturalis : ergo erit partim naturalis entitativè, & partim supernaturalis entitativè.* Probatur consequentia: Nam sicut formalitas formaliter naturalis nequit fundari, seu oriri,nisi ab entitate naturali; ita formalitas formaliter supernaturalis nequit fundari, seu originari,nisi ab entitate supernaturali. ¶ Respondetur, concedendo primam consequentiam; & negando secundam. Ad cuius probationem dicimus, quòd quia formalitas naturalis non constituit tantùm potentiam, sed addit virtutem proximam, petit fundari in entitate naturali: formalitas autem supernaturalis intellectus sub expressione *potentiæ obedientialis* non est formalitas per modum *virtutis proximæ*, sed tantùm per modum *potentiæ*,seu *virtutis radicalis*; & hæc, estò sit formaliter supernaturalis,potest fundari in entitate naturali. Hæc enim tantùm dicit capacitatem passivam, ratione cuius connotat, & respicit dona superaturalia,à quibus est perfectibilis, quam capacitatem non dicit sub expressione *potentiæ naturalis*. Necessariò ergo fatendum est, quòd est formaliter supernaturalis modo explicato.

30 Ad illam explicationem respondetur, aliud esse potentiam dicere connexionem cum suo obiecto specificativo per modum *virtutis proximæ*, & *proportionatæ*;aliud verò illam importare per modum præcisè *potentiæ*.Potentia igitur quoad entitatem adæquatè naturalis non potest dicere respectum positivum, neque connexionem cum ente supernaturali primo modo; non verò repugnat, quòd illam dicat secundo: Et hoc posteriori modo se habet intellectus sub expressione *potentiæ obedientialis* cum omni ente supernaturali.

Ad additamentum respondetur,quòd cognita entitate intellectus comprehensive per vires naturæ, non cognoscitur possibilitas alicuius mysterij supernaturalis. Sed hoc ideo est, quia illa entitas non comprehenditur adæquatè per vires naturæ, sed tantùm sub ratione *potentiæ naturalis*. Etenim sub expressione *potentiæ obedientialis* in nulla sententia potest cognosci per vires naturæ, sed ad hoc necessaria est cognitio supernaturalis. In cuius signum videmus, quòd entia naturalia sub expressione *potentiæ obedientialis* non cognoscuntur à Christo per scientiam aliquam naturalem, sed petunt cognitionem supernaturalem, vt latè docent N. Salmant. tract. 21. disp. 19. num. 3. & num. 8. Si ista ergo cognosceretur comprehensivè, procul-dubiò posset cognosci possibilitas mysterij supernaturalis quoad *an est*. Sed nil mirum, cùm expoſcat cognitionem entitativè supernaturalem.

31 Ad secundam obiectionem respondetur, distinguendo maiorem: *Non respicit immediatè actum supernaturalem* per modum *potentiæ*, nego antecedens; per modum *virtutis*, concedo antecedens: Et neganda est consequentia. Intellectus enim sub expressione *potentiæ obedientialis* respicit immediatè per modum *potentiæ* omnes actus supernaturales:quia ex potentia per modum *potentiæ*,& ex dono elevante integratur vnum principium adæquatum, proximum, & principale operationis supernaturalis: cum intellectus sit,qui denominatur *vivens*, & *intelligens* per eam: ac proinde ab eadem operatione debent specificari potentia, & donum elevans;licèt diversimodè, videlicet per modum *potentiæ*,& per modum *virtutis*.¶ Vnde duplex capacitas obedientialis in intellectu considerandа est:Alia purè passiva per connotationem ad dona elevantia; & per hanc fatemur, non specificari intellectum ab eis, sed est quoddam prædicatum transcendentale cuilibet creaturæ: de qua loquutus est D. Thomas in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 3. ad 4. vbi ait: *Sicut creaturæ inest obedientiæ potentia,vt in ea fiat, quidquid Creator disposuerit; ita etiam vt ea media fiat, quod pertinet ad rationem instrumenti.*Alia est capacitas per modum *potentiæ activæ*: quæ licèt purè passivè se habeat ad dona elevantia; activè tamen per modum *potentiæ* proximè concurrit ad actus, ad quos concurrit donum elevans per modum *virtutis proximæ*: respectu quorum modo longè diverso se habent entia naturalia, quando elevantur per modum *instrumenti* ad opera supernaturalia, & miraculosa. ¶ Ex quo infertur, quòd hæc capacitas,seu potentia obedientialis est specie diversa ab ea,quæ competit generaliter omni creaturæ;licèt in homine,& Angelo sit eiusdem rationis.Hoc tamen discrimen nequit stare, quin intellectus per modum *potentiæ obedientialis* specificetur ab actibus,& obiectis supernaturalibus; cùm potentia intellectiva, & visiva specificetur ab intellectione, & visione, sicut ea est,quæ principaliter denominatur *videns*, & *intelligens* per actus, non minùs propriè ac potentia visiva corporea,quando attingit excellentissimum sensibile. Substantia verò eò non specificatur ab operatione,quia neque respicit aliquid extrinsecum: neque concurrit ad illam per modum *potentiæ proximæ*, nec per modum *virtutis*. Vnde non est par ratio in vtroque casu.

Ad tertiam respondetur, negando maiorem. Cuius probatio non convincit: quia hæ duæ potentiæ sunt duæ rationes inadæquatæ

eiusdem essentiæ, seu entitatis, ad quam obiectum potentiæ obedientialis comparatur vt obiectum inadæquatum illius, & similitèr obiectum potentiæ naturalis: cuius signum est, quòd neutrum eorum extrahit intellectum à propria sphæra illius. Quam ob causam voluntas vt *natura*, & vt *libertas* sunt duæ potentiæ virtualitèr diversæ, licèt respiciant obiecta formalitèr diversa, & actus modalitèr realitèr diversos: Et idem contingit in ipsa voluntate vt *libera*, & vt *morali*. Quòd autem habitus, & potentia distinguantur realitèr, oritur ex eo, quòd habitus est determinatio realis potentiæ ad aliquem actum specialem illius, & ob hanc rationem potentia, & habitus attingunt idem obiectum sub diversa ratione. Per quod ad vrgentiam constat.

§. IV.

Argumenta sententiæ contrariæ.

32 CONtra primam, & præcipuam conclusionem arguitur *primò* ratione simul, & authoritate. Nam intellectus non specificatur ab obiecto, nisi media operatione, qua illud cognoscit; sed operatio, qua intellectus creatus potest videre Deum, prout est in se, non pertinet ad eius specificativum: ergo neque Deus, prout est in se, continetur sub obiecto specificativo illius. Maior est expressa D. Thomæ infrà quæst. 77. art. 3. Et minor probatur: Nam species cuiuscumque potentiæ non iudicatur secundùm operationem competentem ei ex participatione alterius naturæ, sed secundùm operationem, quæ competit ei ex propria natura; sed visio clara Dei non competit intellectui creato ex propria natura, sed ex gratia, quæ est participatio superioris naturæ, nempè, divinæ: ergo non pertinet ad eius specificativum. Maior probatur authoritate, & exemplo D. Thomæ quæst. vnica *de Anima* art. 7. ad 4. vbi ait: *Dicendum, quòd species rei iudicatur secundùm operationem competentem ei secundùm propriam naturam; non autem secundùm operationem, quæ competit ei secundùm participationem alterius naturæ. Sicut non iudicatur species ferri secundùm aduſtionem, quæ competit ei, secundùm quòd est ignitum: sic enim esset eadem species ferri, & ligni, quod etiam ignitum adurit. Dico autem, quòd videre in Verbo est supra naturam animæ, & Angeli, vtrique conveniens secundùm participationem superioris naturæ, scilicet, divinæ, per illustrationem gloriæ. Vnde non potest concludi, quòd anima, & Angelus sunt eiusdem speciei.* Idem docet 1. part. quæst. 75. art. 7. ad 1.

Et confirmatur *primò*: Sicut potentia specificatur ab operatione, ita substantia ab *esse*; sed substantia creata non specificatur ab *esse*, prout præscindit ab *esse* creato, & divino, licèt secundùm potentiam obedientialem possit existere existentia divina: ergo intellectus non respicit pro obiecto specificativo ens, prout præscindit à naturali, & supernaturali.

Confirmatur *secundò*: Quod non continetur intra obiectum distinctivum potentiæ, non continetur sub obiecto specificativo illius; sed Deus, prout est in se, non continetur sub obiecto distinctivo intellectus humani: ergo neque continetur sub obiecto specificativo illius. Maior patet: specificativum enim & distinctivum sunt omnino idem. Minor verò probatur: Nam si Deus, prout est in se, contineretur sub obiecto distinctivo intellectus humani, visio hominis, & Angeli essent diversæ speciei, sicut intellectus humanus, & angelicus, & eorum obiecta distinguuntur specie; sed hoc est falsum, vt infrà videbimus: ergo Deus, prout est in se, non continetur sub obiecto distinctivo intellectus humani.

33 Ad argumentum respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, aliud esse, quòd species adæquata potentiæ desumatur vnicè ab operatione competente ei secundùm propriam naturam; aliud, quòd iudicetur sufficienter per ordinem ad huiusmodi operationem. Ut ergo species vnius potentiæ iudicetur alia ab specie alterius, sufficit, quòd operatio vnius competens ei secundùm propriam naturam sit diversa ab operatione alterius competente ei etiam secundùm propriam naturam. Cum quo rectè cohæret, quòd species non desumatur adæquatè per ordinem ad operationem competentem ei secundùm propriam naturam. Sicut rectè iudicaretur, animam rationalem esse specie diversam ab Angelo, per hoc præcisè quòd anima rationalis vtitur discursu, non verò Angelus; quòd anima rationalis pro hoc statu indiget ad intelligenda sua obiecta conversione ad phantasmata, non tamen Angelus: penes quas diversitates iudicat frequenter D. Thomas speciem vnius, & alterius. Licebit ergo hinc inferre: *Ergo operatio discursiva, & intellectio convertens se ad phantasmata constituunt actum adæquatum specificativum intellectus humani?* Mala consequentia: aliàs cognitio principiorum, & cognitio animæ separatæ essent extra specificativum adæquatum illius, quod nullus dicet. Exemplum ferri, & aliorum, quibus vtitur Ferre, tenet quoad aliquid, non verò quoad omnia. Convenit cum intellectu in eo, quòd sicut ferrum non adurit secundùm propriam naturam, sed ex participatione alterius; ita intellectus non videt Deum, nisi ex participatione divinæ naturæ. Differunt tamen in eo, quòd ferrum secundùm propriam naturam se habet merè passivè ad calorem non concurrendo activè ad calefactionem: cæterùm intellectus concurrit

vt ciusa principalis per modum *potentiæ* in visionem, per eam vivit, & intelligit. Vnde non est mirum, quòd calefactio nullo modo conducat ad speciem ferri, & visio Dei sit specificativum inadæquatum intellectus creati.

34 Ad primam confirmationem respondetur cum Ferrara 2. Contra gent. cap. 94. §. *Circa hanc rationem*, negando maiorem. Substantia namque non specificatur ab *esse*, sed potius *esse*, seu existentia specificatur à substantia: quia existentia non est de essentia alicuius creaturæ, sed consequitur speciem & naturam cuiuscumque naturæ. *Vnde arguere à distinctione specifica esse ad specificam distinctionem naturarum non est arguere à priori, sed à posteriori*, inquit Ferrara. Iuxta quam doctrinam nullam vim habet instantia substantiæ.

Sed quia oppositum docent, & rectè probant N. Complut. abbrev. in lib. Physic. disp. 10. num. 6. aliter respondetur; concedendo, scilicèt, maiorem, & negando minorem. Quia sicut intellectus habet illas duas rationes inadæquatas potentiæ *naturalis*, & *obedientialis* in ordine ad operationem naturalem, & supernaturalem, & ob hanc rationem respicit vt specificativum inadæquatum ens supernaturale, seu operationem supernaturalem; ita substantia habet potentiam naturalem ad *esse* naturale, ad quod habet conatum ratione illius; & potentiam obedientialem ad *esse* divinum, quod respicit vt sui specificativum: consequenterque hoc *esse* divinum debet esse specificativum partiale substantiæ. Neque quoad hoc recognoscimus maius inconveniens in substantia, quàm in intellectu. Et quamvis hoc, quod est *respicere esse divinum*, sit commune substantiæ, & accidenti; accidens tamen non specificatur ab eo tanquam ab specificativo partiali; sicut neque sub ratione *potentiæ naturalis* specificatur ab *esse* naturali: quia *specificari* ab *esse* est solius substantiæ completæ. Per quod præoccupata manet quædam obiectio. ¶ Neque hæc potentia obedientialis, qua substantia specificatur ab *esse* divino, coincidit cum potentia obedientiali passiva generali omni creaturę, media qua tanquam per modum *instrumenti* Deus potest facere, quidquid voluerit: Quia estò sit passiva, sicut potentia obedientialis communis, est tamen specialis in substantia ad determinatum donum supernaturale, nempè, ad *esse* divinum, non minùs propriè, ac potentia obediętialis intellectus per modum *potentię*, proportione servata. Per quod præoccupatur alia obiectio. ¶ Neque ex hoc inferri licet quòd substantia specificatur ab aliquo extrinseco. Quia *esse* divinum est complementum intrinsecum intra lineam substantiæ, sicut *esse* naturale, & non pertinet ad aliud prædicamentum, neque specificatur ab illo, tanquam si esset quid extrinsecum ei.

35 Ad secundam confirmationem respondetur, concedendo maiorem; sed negando minorem. Cuius probatio non vrget: Nam vt aliquod obiectum particulare contineatur sub obiecto distinctivo potentiæ, non requiritur, quòd ratio *subqua* adæquata distinctiva explicet suam distinctionem in omnibus obiectis, & actibus partialibus, sed sufficit, quòd in aliquibus illam positivè exigat. Sicut ratio *subqua* specificativa potentiæ perfectioris non petit explicare suam maiorem perfectionem in omnibus obiectis inadæquatis: Et sic videmus, quòd ratio *subqua* specificativa intellectus est perfectior absolutè ratione *subqua* specificativa voluntatis; & tamen actus charitatis est absolutè perfectior secundùm omnem sui formalitatem, quàm cognitio naturalis alicuius obiecti creati. Ad perfectionem enim perfectioris potentiæ sufficit, & requiritur, quòd tota collectio actuum, seu obiectorum partialium includat in se actum determinatum, qui absolutè excedat totam collectionem actum partialium inferioris potentiæ. Et quidem non potest negari, quòd amor, quo homo diligit Deum super omnia authorem naturalem, est absolutè perfectior amore naturali, quo Angelus diligit aliquam creaturam, & fortè potest esse maior illo, quo Angelus diligit naturaliter ipsum Deum, vt constat in Christo, & B. Virgine; & tamen voluntas Angeli est perfectior voluntate humana.

36 Arguitur *secundò*: Ideò Deus, prout est in se, contineretur sub obiecto specificativo intellectus humani, quia contineretur sub ratione specificativa illius, quæ est vniversalissima ratio *entis*; sed hæc ratio vel assumit falsum; vel non est efficax: ergo. Probatur minor: Deus vt *comprehensibilis* continetur sub ratione communi *entis*; & tamen non continetur sub obiecto specificativo intellectus humani: ergo ratio nostra vel assumit falsum; vel non est efficax.

Confirmatur: Deus non continetur sub ratione communi *entis*: ergo ex eo quòd ens sub ratione communi *entis* sit specificativum intellectus humani, non infertur, Deum prout est in se contineri sub obiecto specificativo illius. Antecedens probatur: Deus non est membrum dividens ens *vt sic*; aliàs esset ens finitum, & aliquid esset prius, & simplicius Deo: ergo non continetur sub ratione *entis* communi.

Ad argumentum respondetur, negando minorem. Ad cuius probationem, concessa maiori in sensu proximè explicando; negatur minor: Quia vt Deus vt *comprehensibilis* contineatur sub obiecto intellectus creati, non requiritur, quòd possit comprehendi ab illo, sed sufficit, quòd comprehendatur ab intellectu divino, & vt comprehensibilis ab intellectu divino cognoscatur quidditativè ab intellectu creato: quia obiectum formale intellectus non est ens sub latissima ratione *entis* infinito modo attin-

tingibile, sed finito. Et reverà si argumentum haberet aliquam vim, probaret, Deum prout est in se non contineri sub obiecto extensivo; cùm nequeat comprehendi ab intellectu creato. ¶ Confirmatio tantùm probat, quòd Deus non contineatur sub ratione entis in *esse entis* vt membrum dividens, quia est suum *esse* continens eminenter omnem plenitudinem essendi; non tamen probat, quòd non contineatur sub ratione entis in *esse obiecti*, vt supremum analogatum illius: quia ad hoc satis est, quòd Deus terminet specialem cognitionem intellectus creati, & conveniat cum creaturis in modo illum immutandi.

37 Arguitur *vltimò*: Ratio latissima *entis* non est specificativa intellectus creati: ergo neque Deus, prout est in se, continetur sub ratione specificativa illius. Antecedens probatur: Nam ratio *subqua* specificativa intellectus creati debet esse vnivoca; sed ratio latissima *entis* non est vnivoca: ergo ratio latissima *entis* non est specificativa intellectus creati. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Nam intellectus accipit suam vnitatem specificam à suo obiecto; sed ab obiecto, cuius ratio *subqua* est tantùm analoga, nequit accipere vnitatem specificam; cùm hæc sit vnitas simpliciter, & illa sit tantùm secundùm quid, & simpliciter diversitas: ergo ratio *subqua* debet esse vnivoca.

Hoc argumento aliquos vidimus implicari. Sed immeritò, cùm sit facilis illius solutio. Respondetur ergo, quòd estò ratio *entis*, & *veri* sit analoga in *esse entis*, est tamen vnivoca in *esse obiecti*; & hoc sufficit, vt ab ea potentia accipiat suam vnitatem specificam atomam. Sicut homo, & Angelus, & omnes quidditates materiales in *esse obiecti*, iuxta omnium sententiam, conveniunt in ratione *subqua* specifica atoma, cùm præstent vnitatem specificam atomam, quin hanc vnitatem & convenientiam habeant in *esse entis*. Et ratio huius est: quia obiectum non specificat potentiam, nisi iuxta modum illam perficiendi, & terminandi, & non nisi connotando modum tendendi ipsius potentiæ: Inqua suppositione rectè cohæret, quòd Deus, & creatura conveniant solùm analogicè in ratione communi *entis*, & quòd conveniant vnitate specifica atoma in ratione *obiecti*: quia, nimirùm, potentia eodem modo pro formali tendit ad omnia sua obiecta, & hæc pro formali eodem modo terminant, & perficiunt potentiam; & quælibet diversitas in illis reperta quoad modum exactum à potentia est de materiali, quia finis præcipuus potentiæ est attingere omne intelligibile in se, seu quidditativè, & quoad hoc eodem modo intellectus creatus tendit ad cognoscendum verum divinum in se per visionem beatam, ac tendit ad cognoscendam quamlibet creaturam. Et quidem, si hoc argumentum esset efficax, sequeretur, substantiam materialem, & accidens non contineri sub ratione specificativa intellectus creati, cùm respectu eorum nulla detur ratio vnivoca. Qua solutione rectè intellecta, manet præoccupata quædam replica satis implexa.

DUBIUM III.

Vtrùm in creatura intellectuali secundùm se sit aliquis appetitus innatus, vel elicitus ad visionem claram Dei?

38 POnimus in titulo quæstionis *secundùm se*, quia de natura vt *elevata per gratiam* nulla est dubitandi ratio, gaudere vtroque appetitu. Horum autem alius est innatus, qui nihil aliud dicit, quàm propensionem, seu inclinationem inditam ab Authore naturæ in bonum sibi conveniens absque prævia cognitione, qualis est inclinatio gravis ad locum deorsùm; vnde hic appetitus non est specialis potentia distincta à natura, cui competit. Alius verò est elicitus: & est inclinatio in bonum apprehensum, qui necessariò supponit cognitionem illum regulantem, & constituit speciale genus potentiæ distinctæ à natura. Rursùs appetitus elicitus dividitur in absolutum & efficacem, & in inefficacem & conditionatum. Prior est ille, qui ex se infert efficaciter electionem, & executionem mediorum perse conducentium ad consecutionem boni apprehensi, qui explicatur per verbum *volo*: posterior est, qui ad prædictam executionem mediorum non movet; & solet appellari *velleitas*; obquam rationem potest terminari ad rem impossibilem, sub conditione quòd esset possibilis: & optimè explicatur per verbum *vellem*, vt *vellem habere infinitas divitijs, si mihi essent possibiles*. Iterùm appetitus elicitus potest esse liber, & necessarius: & sicut datur libertas quoad specificationem tantùm, & quoad specificationem, & exercitium; ita appetitus vel potest esse necessarius quoad specificationem & exercitium, vt in brutis circa bonum conveniens apprehensum, & in Beatis erga Deum clarè visum; vel potest esse necessarius quoad specificationem tantùm, quo pacto homo inclinatur ad beatitudinem in communi, circa quam licèt possit nullum exercere actum, si tamen illum exerceat; debet esse (v. g.) amoris. Et de his omnibus procedit quæstio. ¶ Nota tamen, Deum posse considerari duplicitèr, vel vt est author naturæ, & secundùm ea prædicata, quæ ex creaturis naturaliter de eo cognoscuntur, quo pacto consideratur Deus vt vnus; vel vt est trinus, & author gratiæ. Et de Deo secundùm vtramque considerationem intelligendus est titulus dubij.

§.I.

§. I.

Nostra sententia triplici conclusione explicata.

39 DIcendum est *primò*, creaturam intellectualem secundùm se non habere appetitum innatum ad visionem claram Dei, sivè vt est author gratiæ, & trinus, sivè vt author naturæ, & vnus. Hæc conclusio est communis inter Thomistas in præsent. quibus adhærent Suarez lib. 2. *de Attributis negati.* cap. 7. num. 10. & 11. Vazquez 1. 2. disp. 22. & alij. Estque expressa D. Thomæ in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. vbi ait: *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat, vt in beatitudinem feratur secundùm communem rationem, tamen quòd feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non est ex inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis, quæ adinvenit, in hoc, vel in illo summum bonum hominis constare.*

Et probatur ratione fundamentali: Nam appetitus innatus, & naturalis est propensio, seu inclinatio naturalis ad bonum rei appetenti conveniens: ergo si natura intellectualis secundùm se habet appetitum naturalem innatum ad visionem claram Dei, sivè vt authoris supernaturalis, sivè vt authoris naturalis, secundùm se habet propensionem, & inclinationem naturalem ad illam; sed repugnat, naturam intellectualem secundùm se dicere inclinationem, & propensionem naturalem ad visionem claram Dei, sivè consideretur vt est vnus, sivè vt est trinus, sivè vt est author gratiæ, sivè vt prima causa naturæ: ergo non habet appetitum innatum naturalem ad eam. Minor subsumpta probatur: Nam visio clara Dei est actus quoad substantiam supernaturalis, vt ex infrà dicendis pleniùs constabit (quod intelligendum est de visione non solùm Dei authoris gratiæ, sed etiam authoris naturæ) cùm ad illam prærequiratur vnio essentiæ divinæ per modum *speciei*, & lumen gloriæ confortans intellectum; sed repugnat, naturam creatam secundùm se dicere inclinationem, & propensionem ad actum entitativè, & quoad substantiam supernaturalem: ergo. Minor probatur: Tùm, quia nulla natura secundùm se potest propendere in rem se superexcedentem, & improportionatam, cùm solùm conetur in bonum sibi connaturale; sed omnis actus supernaturalis est improportionatus, & superexcedens omnem naturam creatam secundùm se: ergo nequit dicere propensionem, & inclinationem in actum supernaturalem. Tum etiam: quia omnis inclinatio, & propensio naturalis naturæ ad rem sibi convenientem est positiva exigentia illius: quid enim est aliud *inclinari*, quàm *appetere*; & quid *appetere*, quàm *petere*, seu *exigere*? sed repugnat, naturam creatam dicere positivam exigentiam ad actum supernaturalem, cùm hic sit supra exigentiam naturæ, sicut est supra ipsam naturam, vt nomen *supernaturale* sonat: ergo idem.

40 Confirmatur *primò*: Appetitus naturalis rei absentis est desiderium, vt non obscurè colligitur ex D. Thoma 1. part. quæst. 19. art. 1. sed iuxtà D. Thomam 1. 2. quæst. 114. art. 2. nulla creatura secundùm se habet appetitum desiderij ad visionem claram Dei: ergo nullum appetitum naturalem habet ad illam. Minor probatur: Ex eo quòd visio beata sit *quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ, quia etiam excedit cognitionem, & desiderium eius*, vt inquit D. Thomas ibi. Ex quo infertur, in nulla creatura secundùm se esse sufficiens principium actus meritorij vitæ æternæ.

Confirmatur *secundò*: Appetitus naturalis naturæ secundùm se est à Deo authore naturali: ergo nequit se extendere per modum *inclinationis* ad finem supernaturalem, qualis est visio clara Dei. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Tum, quia principium alicuius inclinationis, & finis illius sunt eiusdem ordinis. Tum etiam: quia ab authore naturæ non potest esse appetitus in ordine ad finem, ad quem non potest perducere; sed Deus vt author naturæ nequit perducere creaturam in finem supernaturalem: ergo neque appetitus productus à Deo authore naturali potest se extendere in finem supernaturalem.

Confirmatur *tertiò*: Si creatura secundùm se haberet appetitum naturalem ad visionem beatam, etiam haberet media efficacia ad consecutionem illius, vel haberet ius, vt illi conferrentur ab authore naturæ; sed nulla creatura secundùm se habet media efficaciter conducentia ad visionem claram Dei, nec ius ad illa: ergo neque habet appetitum naturalem ad visionem beatam. Maior probatur: Tum ex Arist. 2. *de Cœlo* text. 30. vbi ait, astra non inclinari naturaliter in motum progressivum; alias haberent necessariò organa, quibus moverentur. Tum etiam: quia si non haberet media efficaciter conducentia ad visionem, & aliunde haberet appetitum, talis appetitus esset frustraneus: frustrà enim conferret author naturæ appetitum ad aliquem finem, cui non confert, neque conferre potest vt *talis* media conducentia ad talem finem, neque ius ad illa.

41 Dicendum est *secundò*, in natura intellectuali secundùm se non posse dari appetitum elicitum efficacem ad visionem claram Dei, vel vt est trinus, vel vt est vnus. Ita similiter Thomistæ. Estque non minùs expressa D. Thomæ 1. 2. quæst. 62. art. 1. ad 3. vbi ait: *Ad Deum naturaliter ratio, & voluntas ordinatur, prout est naturæ principium, & finis, secundum tamen proportionem naturæ; sed ad ipsum, secundùm quod est obiectum beatitudinis supernaturalis.*

naturalis, ratio, & voluntas secundùm suam naturam non ordinantur sufficientèr. Tunc sic; sed voluntas est appetitus elicitus, vtpotè sequens rationem, & visio clara Dei est beatitudo supernaturalis: ergo &c. Id ipsum docet in 3. Sent. dist.37.quæst.2.art.2.ad 4.

Probatur ratione: Nam appetitus elicitus efficax est applicativus, & executivus mediorum; sed voluntas creata secundùm se nequit applicare efficacitèr media persè conducentia ad visionem claram Dei: ergo neque potest habere appetitum efficacem ad illam. Minor probatur: Nam media persè conducentia ad visionem claram Dei sunt entitativè supernaturalia; sed repugnat, voluntatem creatam secundùm se applicare, & exequi efficacitèr media supernaturalia, aliàs posset ex viribus naturæ se disponere ad gratiam, quod est hæreticum: ergo voluntas secundùm se nequit applicare efficacitèr media conducentia persè ad visionem claram Dei.

Confirmatur: Si natùra intellectualis secundùm se posset appetere desiderio efficaci, & absoluto visionem beatam Dei, posset simili modo appetere media, sine quibus haberi non potest (non enim est maior ratio ad vnum, quàm ad aliud) sed hoc concedere est incidere in pelagianismum: ergo nequit appetere desiderio efficaci visionem claram Dei. Quæ ratio, & confirmatio in præsenti sufficiant, quia tangunt præcipuum punctum *de Auxilijs.*

42 Dicendum est *tertiò*, suppositâ divina revelatione circa possibilitatem visionis Dei, naturam secundùm se posse habere appetitum inefficacem absolutum, sivè conditionatum erga eam: iste tamen appetitus non esset necessarius quoad specificationem. In hac etiam conveniunt Thomistæ. Et quoad primam partem probatur: Nam vt natura secundùm se possit habere appetitum absolutum inefficacem ad visionem, sufficit, quòd possit apprehendi (etsi falsò) vt possibilis viribus naturæ, & sibi conveniens; sed suppositâ divina revelatione, iam apprehenditur ipsa visio Dei vt possibilis, & nullum est caput, ex quo repugnet apprehendi vt conveniens: ergo natura secundùm se potest habere appetitum inefficacem absolutum visionis claræ Dei. Et hoc pacto Pelagiani habebant hunc appetitum: qui appetitus dicitur *inefficax*, quia, estò moveat efficacitèr ad media, quæ sibi videntur proportionata ad illius assecutionem, non applicat media, quæ reipsà proportionata sint, & necessaria.

43 De appetitu inefficaci, & conditionato, qui coincidit cum velleitate, minor difficultas est: Nam hic versari potest circa impossibilia, vt docet Arist. 3. Ethic. cap. 2. & D. Thomas 1. 2. quæst. 13. art. 5. ad 1. vbi ait: *Voluntas completa non est, nisi de possibili, quod est bonum volenti; sed voluntas incompleta est de impossibili, quæ secundùm quosdam* velleitas *dicitur: quia, scilicèt, aliquis vellet illud, si esset possibile.* Et sic multi vellent semper vivere, habere infinitas divitias, & alia huiusmodi.

Quoad secundam etiam probatur: Nam voluntas solùm necessitatur quoad specificationem à suo obiecto adæquato specificativo; sed Deus vt *clarè visibilis* non est obiectum adæquatum voluntatis: ergo non potest ab eo necessitari quoad specificationem ad appetitum inefficacem absolutum, seu conditionatum. Minor ex dictis dub. præced. constat. Et maior probatur: quia cùm obiectum inadæquatum non adæquet totam facultatem potentiæ, vt ex ipsis terminis liquet, non est cur, si vult operari, debeat exercere actum circa obiectum aliquod partiale, sed circa hoc, vel illud.

44 Dices, quòd, vt dicatur determinata quoad specificationem circa hoc obiectum particulare, sufficit, quòd si velit erga illud operari, non possit exercere actum odij. ¶ Contrà est: Tum, quia necessitas quoad specificationem non solùm exigit, quòd voluntas nequeat exercere actum odij erga obiectum, ad quod est necessitas, sed etiam quòd non possit exercere actum circa aliquod obiectum, nisi cum ordine ad illud, ad quod est necessitata. Tum etiam, & præcipuè: Nam hoc ipso, quòd sit obiectum partiale; non habet in se omnem rationem *boni*: ergo habet in se aliquam rationem *mali*, & consequentèr potest odio haberi. Qua de causa visio albi habet in se aliqam rationem *mali*, ob quam visus vt *subditus voluntati* non necessitatur quoad specificationem ad illam.

Confirmatur, simulque præcluditur quædam evasio. Nam vt voluntas necessitetur quoad specificationem erga aliquod obiectum partiale, non sufficit, quòd in se sit summum bonum satiativum voluntatis, neque sufficit, quòd speculativè vt tale iudicetur, sed insuper requiritur, quòd practicè non possit proponi sub ali. qua ratione *mali*, & sibi disconveniens; sed visio clara Dei non sic proponitur voluntati: ergo non est necessitata quoad specificationem erga visionem claram Dei. Maior patet: Nam si ex vno capite proponitur vt *bonum*, & ex alio vt *malum*, non est cur, vt propositum sub ratione *mali* non possit illùd respuere; sicut vt propositum sub ratione *boni* potest illud prosequi. Minor verò probatur: Nam estò homo iudicet speculativè, visionem claram Dei esse summam fœlicitatem & aggregationem omnium bonorum; potest tamen practicè proponi ei vt disconveniens, aut quia difficilis est eius consecutio, aut quia impedit consecutionem bonorum sensibilium, ad quæ pronus est homo ab adolescentia sua. Qua ratione estò per lumen fidei firmissimè proponatur, Deum clarè visum esse summum bonum, quia tamen practicè non pro-

po-

ponitur vt tale, eo quòd proponitur vt obſcurè, & imperfectè cognitum, non neceſsitat voluntatem viatorum ad illud amandum. In cuius ſignum videmus, plures non ſolum ethnicos, & hæreticos, ſed etiam fideles Deum odio habere.

§. II.

Prima ex Sententijs oppoſitis.

45 PRima ſententia nobis oppoſita tenet, in natura intellectuali ſecundùm ſe dari appetitum innatum ad viſionem claram Dei. Quam tenent Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 10. quem frequenter ſequuntur eius Diſcipuli, Durand. ibidem quæſt. 8. Valentia 1. 2. quæſt. 5. art. 8. diſp. 1. punct. 1. & alij. Pro qua:

Arguitur *primò* ex D. Auguſt. lib. 1. *Confeſ.* cap. 1. vbi ait: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec revertamur ad te.* Ex quibus verbis ſic arguitur: Natura intellectualis ſecundùm ſe non quieſcit, vſquedum perveniat ad videndum Deum, prout in ſe: ergo habet appetitum innatum ad viſionem claram Dei Antecedens probatur, tum ipſa experientia id ipſum teſtante. Tum etiam: quia appetitus naturalis intellectus non ſatiatur, neque quieſcit, niſi per omne verum, ſicut nec appetitus voluntatis, niſi per omne bonum; ſed in nullo obiecto particulari continetur omnis veritas, ſicut nec omnis bonitas, niſi in ſolo Deo clarè viſo: ergo intellectus ſecundùm ſe non quieſcit, niſi in Deo clarè viſo. Prima etiam conſequentia probatur: Nam intellectus ſecundùm ſe habet appetitum innatum ad evadendam omnem miſeriam; ſed hoc ipſo, quòd non ſatietur, niſi per viſionem claram Dei, ſola illa tollit ab eo omnem miſeriam: ergo ſi ſolùm ſatiatur in viſione clara Dei, habet vtique appetitum innatum ad illam.

Explicatur hoc: Poſsibilis eſt beatitudo, qua creatura intellectualis ſecundùm ſe in ſuo appetitu naturali ſatietur; aliàs intra ordinem naturæ neceſſariò eſſet miſera; ſed nulla eſt beatitudo ſatians hunc appetitum naturalem, niſi viſio clara Dei: ergo habet appetitum naturalem ad eam.

Confirmatur *primò* ex eodem D. Auguſt. lib. 3. *de Trinit.* cap. 8. vbi ait: *Ad appetendam beatitudinem natura compellit, cui ſummè bonus, & immortalis creator hoc indidit.* Ex quibus verbis ſic arguitur: Natura intellectualis habet appetitum innatum ad ſuam beatitudinem, & vltimum finem; ſed beatitudo naturæ intellectualis eſt viſio clara Dei: ergo habet appetitum innatum ad eam. Maior patet, tum teſtimonio proximè relato. Tum etiam: quia omnes aliæ res habent hanc inclinationem ad ſuam talem qualem beatitudinem, & vltimum finem.

Confirmatur *ſecundò* ex D. Thoma in præſ. art. 1. & 1. 2. quæſt. 3. art. 8. vbi ex eo probat poſsibilitatem viſionis beatæ, quia *ineſt homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, cùm intuetur effectum.* Quibus addit 3. Contra gent. cap. 51. prædictum appetitum non poſſe fruſtrari. Per quod rejicitur recurſus ad appetitum elicitum inefficacem, ad quem communiter recurrunt noſtri Thomiſtæ, quia hic poteſt eſſe fruſtraneus.

46 Ad argumentum reſpondetur, concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Ad cuius probationem dicendum eſt, appetitum naturalem creaturę intellectualis ſecundùm ſe terminari ad effugiendam omnem miſeriam poſitivam, quam non effugiet, niſi per cognitionem, & amorem omnis veritatis, & bonitatis naturalis. Sed quia non poteſt omnes illas ſimul cognoſcere, & amare, nunquam ſatiatur appetitus intellectus, ſeu voluntatis, ſed eſt ſemper in *ſatiari*, non abſimili modo, quo appetitus materiæ primæ ad omnes formas ſublunares nunquàm eſt in *ſatiato eſſe*, ſed in *ſatiari*. Unde ſi beatitudo naturalis creaturæ intellectualis conſiſtit in aliqua operatione determinata, ſcilicet, vel in cognitione Dei abſtractiva, vel in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum, ſolùm ſatiat appetitum ſecundùm quid, non ſolum quia eſt vltima beatitudo tantùm in linea naturali, ſed quia adhuc in hac linea appetit cognitionem aliarum veritatum. Et ob hanc rationem natura ſecundùm ſe nullum habet appetitum innatum ad hoc, quod eſt abſolutè ſatiatum eſſe, quia hoc eſt ei impoſsibile, vel per beatitudinem ſupernaturalem, vt ſupponimus; vel per beatitudinem naturalem ob rationem dictam. Cum quo recte cohæret, quòd intellectus non ſit miſer poſitivè, ſed tantùm negativè, quia naturaliter poteſt habere, quidquid expoſcit eius natura. Non minùs cohæret cum hac ſolutione, quòd appetitus naturalis intellectus non ſit fruſtraneus, vt liquet in appetitu materiæ primæ. Pro quo videndi ſunt N. Complut. abbrev. in lib. Phyſic. diſp. 3. num. 36. & recolendum illud exemplum viſionis albi ſuprà adductum, quod eſt valde accommodatum præſenti materiæ. Iuxta quod rectè explicari poteſt D. Auguſt. dicendo, quòd, vel loquitur de homine iam elevato ad finem ſupernaturalem: vel ſi loquitur de homine ex vi nudæ creationis, & ſecundùm ſe, ſolùm quieſcit ſecundùm quid in contemplatione abſtractiva Dei authoris naturalis.

Per quod conſtat ad explicationem. Ergà quam neganda eſt maior, ſi loquatur de ſatietate ſimpliciter: quia creatura intellectualis ſecundùm ſe non habet appetitum naturalem ad beatitudinem, ratione cuius ſit in *ſatiato eſſe*; non ſupernaturalem, quia hæc eſt impoſsibilis naturę ſecundū ſe, & cognitioni intellectus creati vi-

viribus proprijs; nec naturalem, quia cum hæc consistat in cognitione abstractiva Dei authoris naturalis, in quo, prout sic cognito, non continetur omnis veritas naturaliter ab illo cognoscibilis, & ad quam intellectus habet appetitum naturalem, nequit absolutè quiescere in ea. Nec ob hoc dicendus est homo positivè miser, sed tantùm negativè, quia hoc, & non amplius petit conditio naturæ humanæ secundùm se.

Ad primam confirmationem eodem modo respondetur, explicando D. August. qui tantùm loquitur de appetitu naturali elicito inefficaci in beatitudinem supernaturalem; vel de appetitu innato ad beatitudinem naturalem, sivè consistat in hac, vel illa cognitione naturali. Quæ interpretatio est valdè consona doctrinæ D. Thomæ quæst. 27. *de Verit.* art. 1. vbi ait: *Homo secundùm suam naturam proportionatus est ad quendam finem, cuius habet appetitum naturalem, qui finis est contemplatio divinorum, qualis est homini possibilis secundùm facultatem naturæ, in qua Philosophi vltimam fœlicitatem posuerunt. Sed est aliquis finis, ad quem homo à Deo præparatur, naturæ humanę proportionem excedens, scilicet vita æterna, quæ consistit in visione Dei per essentiam, quæ excedit proportionem cuiuslibet naturę creatę, soli Deo connaturalis existens.* Idem docet in 3. dist. 37. art. 2. ad 4.

Ad secundam communiter respondent Thomistæ moderni cum N. Salmant. tract. 9. disp. 5. à num. 7. D. Thomam non probare possibilitatem visionis beatæ ex appetitu innato, sed ex appetitu elicito inefficaci, vt rectè probant prælaudati PP. ¶ Pro cuius intelligentia nota *primò*, D. Thomam nunquàm intendere probare possibilitatem visionis beatæ, sicut nec aliud mysterium supernaturale, quibus sola fide assentimur, efficaciter positivè, & demonstrativè, sed tantùm assumere quasdam rationes probabiles, quæ tantùm ostendunt negativè, prædicta mysteria proposita à fide non repugnare, solvendo argutias Adversariorum. ¶ Secundò nota, quòd estò metaphysicè non repugnet omnem appetitum naturalem elicitum inefficacem esse inanem, & moraliter possit in omnibus frustrari erga obiectum naturæ repugnans; moraliter tamen in pluribus petit impleri appetitus alicuius finis, qui neque repugnat, neque positivè excluditur à natura, quia nullum similem appetitum videmus esse in omnibus frustratum. Ex his iam constat, quomodò ex appetitu inefficaci elicito non inepte probet D. Thomas possibilitatem visionis beatæ, & quòd talis appetitus, estò inefficax, non sit frustraneus.

47 Arguitur *secundò*: Nam intellectus respicit pro obiecto specificativo ens, prout abstrahit à Deo clarè viso, & alijs entibus naturalibus; sed quælibet potentia dicit inclinationem naturalem ad suum obiectum specificativum: ergo intellectus secundùm se dicit appetitum innatum ad ens in tota sua latitudine: ergo etiam illum dicit ad videndum Deum, prout est in se. Maior à nobis supponitur. Et minor probatur: Nam vnaquæque res nequit non dicere inclinationem ad id, per ordinem ad quod sumitur sua specificatio, & essentia: quid enim magis appetere potest, quàm suam essentiam? sed quælibet potentia habet suam specificationem, & essentiam per ordinem ad suum obiectum specificativum & dependenter ab illo; ergo dicit appetitum innatum ad suum obiectum specificativum. Ex quo constat prima, & vltima consequentia: nam essentia potentiæ, sicut dependet essentialiter ab obiecto adæquato, pariformiter dependet ab obiecto inadæquato. In cuius signum videmus, quòd potentia respiciens plura obiecta partialia primaria esset diversæ speciei ab ea, quæ omnia illa nequiret attingere, quia inde argueretur, rationem *subqua* esse abstractiorem. Ob quam etiam rationem intellectus est perfectior voluntate.

Confirmatur *primò*: Nam intellectus, vt est potentia obedientialis, determinatè specificatur ab ente supernaturali, vt vidimus à num. 26. ergo intellectus saltem sub ratione *potentiæ obedientialis* dicit appetitum ad illud, & consequenter ad visionem claram Dei. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam homo habet appetitum innatum ad propriam perfectionem; sed visio clara Dei est propria perfectio creaturæ intellectualis: ergo &c.

Ad argumentum respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Nam tunc potentia dicit appetitum ad suum obiectum specificativum, quando totum illud potest attingere viribus proprijs, secùs verò quando indiget virtute elevante superioris agentis: quia eo ipso obiectum præscindit à proportionato, & improportionato; & potentia solum dicit appetitum ad suum obiectum proportionatum. Ad probationem dicendum est, quòd de ratione potentiæ solùm est dicere commensurationem essentialem cum suo obiecto specificativo; at inclinatio addit supra illam connaturalitatem, & proportionem cum illo, quæ necessariò præsupponunt vires proportionatas in potentia. Instaturque argumentum, & simul confirmatur hæc solutio exemplo sensuum exteriorum. Sub quorum obiecto specificativo continetur vehemens sensibile; & tamen visus (v. g.) non habet appetitum innatum ad illud; aliàs illum haberet ad suam destructionem. Pro quo videantur N. Complut. abbrev. *de Anima* disp. 8. à num. 20. ¶ Nec refert, quod habeat appetitum ad suam essentiam. Nam nihil certè est cuilibet rei magis proportionatum, quàm sua essentia; sed essentia multoties dependet tanquam à connotato, seu specificativo extrinseco ab aliquo excedente eius proportionem.

Red

Per quod conſtat ad primam confirmationem. Quòd nimirùm intellectus ſub ratione *potentiæ obedientialis*, eſtò ſpecificetur ab ente ſupernaturali, non ſpecificatur ab eo per modum *virtutis proximæ*, ſed tantùm per modum *potentiæ*: ob quam rationem non habet cum eo proportionem, quæ indiſpenſabiliter deſideratur ad appetitum innatum, de cuius ratione eſt ſupponere vires proportionatas ad rem concupitam aſſequendam: ¶ Ad ſecundam reſpondetur eodem modo: nam appetitus innatus ſolùm eſt ad propriam perfectionem proportionatam, & viribus proprijs aſſequibilem.

48 Arguitur *tertiò*, & *vltimò*: Datur appetitus innatus ad terminum abſque vi activa proxima ad eius conſecutionem: ergo eſtò intellectus ſecundùm ſe non habeat vires proximas ad attingendum Deum prout eſt in ſe, poterit illum habere ad viſionem claram Dei. Antecedens multiplicitèr probatur. *Primò*: Materia prima habet inclinationem naturalem ad formam; & tamen non habet vires ad illam acquirendam. *Secundò*: Luna habet appetitum ad illuminandum; & tamen ex ſe non habet lucem, niſi ex influxu ſolis. *Tertiò*: Anima ſeparata habet appetitum innatum ad reunionem; & non habet vires ad illam. *Quartò*: In quacumque natura datur appetitus naturalis ad immortalitatem, ſicut ad ſui conſervationem, vt docet Ariſt. 2. *de Gener.* cap. 10. & 2. *de Anima* cap. 4. & tamen in ea non datur vis ad illam. *Quintò*: In homine eſt appetitus innatus ad omnes ſcientias, ſeu ad cognoſcendas omnes veritates naturales: ſimiliter eſt appetitus innatus ad vivendum ſecundùm rectam rationem; & tamen ad hæc omnia indiget ſpeciali gratia: Ergo datur appetitus innatus ad terminum abſque vi activa proxima ad eius conſecutionem.

Ad hoc argumentum reſpondetur, negando antecedens, ſi intelligatur de appetitu innato potentiæ activæ, qualis eſt intellectus. Ad primum exemplum dicendum eſt, quòd cùm appetitus materiæ ſit per modum *potentiæ paſsivæ*, ſufficit, quòd exigat, & præſupponat agens eiuſdem ordinis, quod poſsit illum reducere ad actum. ¶ Per quod conſtat ad ſecundum: Nam luna non habet appetitum innatum per modum *potentiæ activæ* ad illuminandum, niſi inquantùm prius habet appetitum innatum per modum potentiæ paſsivæ ad recipiendam lucem à ſole, qui eſt agens eiuſdem ordinis. ¶ Ad tertium reſpondetur, negando antecedens. Nam eſtò anima ſeparata habeat appetitum naturalem ad corpus ſecundùm ſe, ad quod ſufficit, quòd naturaliter ei fuerit vnita; non habet tamen appetitum naturalem ad reunionem: quia petit principium ſupernaturale, ad cuius influxum nequit importare inclinationem naturalem. Ad quod de materiali ſe habet, quòd vnio ſit naturalis entitativè; ſicut ob hanc rationem materia prima non dicit appetitum naturalem ad illam. Vide N. Complut. abbrev. in Phyſic. diſp. 3. num. 35. vbi interpretantur D. Thomam appetitum naturalem animæ ſeparatæ concedentem. ¶ Ad quartum reſpondetur, naturam appetere naturaliter ſui immortalitatem ſecundùm quid, ſyncathegorematice, & inadæquatè: quia ad hoc ſufficit, quòd appetat ſuam durationem, & conſervationem, quantum illi poſsibilis eſt magis, & magis ſine fine determinato; hoc autem modo poſsibilis eſt naturaliter. Non verò ſimpliciter, adæquatè, & cathegorematice, quia hoc eſt ei impoſsibilis. ¶ Ad quintum dicendum eſt, quòd *vivere* in omnibus ſecundùm rectam rationem, & veritates naturales poteſt ſumi duplicitèr, vel collectivè, vel diviſivè. Homo autem licèt indigeat aliqua gratia ſpeciali ad vivendum ſecundùm rectam rationem in omnibus collectivè, & ad aſſequendas naturales veritates omnes collectivè; non verò requiritur gratia ſpecialis ad illas acquirendas diviſivè, neque ad vitanda omnia peccata ſivè mortalia, ſivè venialia diviſivè. Et hoc ſufficit ad appetitum innatum naturæ humanæ, qui non conſiſtit in *ſatiato eſſe*, ſed in *ſatiari*.

§. III.

Aliæ duæ Sententiæ oppoſitæ.

49 CONtra ſecundam concluſionem ſentiunt ex parte Herice 1. part. diſp. 38. Ripalda lib. 1. *de Ente ſupernaturali*, quatenus aiunt, naturam ſecundùm ſe habere appetitum elicitum efficacem in viſionem claram Dei, connotando elevationem virtutum ſupernaturalium. Cum quibus conveniunt Caiet. in præſ. & 1. 2. quæſt. 3. art. 8. Conrad. ibidem, & alij.

Et arguitur *primò* ex D. Auguſt. lib. 4. *Contra Iulian.* cap. 3. vbi inquit: *Non omnes homines inſtinctu naturali Beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus; ſed hoc ſummum bonum præſtari hominibus non poteſt, niſi per Chriſtum.* Vbi loquitur de appetitu beatitudinis ſupernaturalis, vt textum meditanti conſtabit. Non minus conſtat, loqui de appetitu elicito efficaci naturali; & quia loquitur de actu voluntatis, qui coincidit cum appetitu elicito; & quia requirit poſsibilitatem, quam non præterquirit inefficax; & quia appetitus procedens ex inſtinctu naturali ſupernaturalis eſſe non poteſt: ergo iuxta Magn. Parentem Auguſtinum homo ſecundùm ſe habet appetitum elicitum efficacem ad viſionem beatam.

Reſpondetur, D. Auguſtinum loqui ibi de appetitu inefficaci. Qui eſtò in vno, vel alio verſari poſsit circa impoſsibile; ſi tamen in omnibus datur, probat ſufficienter, modo num. 46. præſcripto, poſsibilitatem viſionis beatæ.

Vel dicatur, loqui de beatitudine in communi, quæ, prout est in summo bono, præstari hominibus non potest, nisi per Christum; licèt obiter multa dicat de ipsa beatitudine in particulari in visione Dei consistente.

50 Arguitur *secundò*: Datur iuxta nostram sententiam appetitus naturalis inefficax ad videndum Deum, prout est in se: ergo etiam efficax. Consequentia probatur: Sicut de ratione appetitus efficacis eliciti est movere efficaciter ad media persè conducentia ad finem, ità de ratione appetitus inefficacis est movere inefficaciter ad illa; sed, concesso appetitu inefficaci ad visionem claram Dei, non reputatur inconveniens; quòd moveat inefficaciter ad media persè conducentia ad illam: ergo neque erit inconveniens, quòd moveat efficaciter ad ea.

Et confirmatur: Nam potest dari appetitus naturalis inefficax, qui ad actus supernaturales moveat solùm inefficaciter, quia desunt vires ad illos: ergo, suppositis his, potest dari appetitus naturalis movens efficaciter ad eos. Patet consequentia: nam id præstat appetitus naturalis efficaciter, suppositâ possibilitate in natura, quod præstat inefficaciter, ea non suppositâ.

Ad argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius probationem negatur maior: quia appetitus non dicitur talis, quia moveat inefficaciter ad media persè conducentia ad visionem beatam: hoc enim est chimæricum in quolibet appetitu purè naturali, cùm non possit movere vires superadditas gratiæ; aliàs initium salutis posset desumi à principijs naturalibus, quod absurdum non mediocre est. Dicitur ergo *inefficax*, quia nullo modo movet ad media persè conducentia ad visionem beatam; vel quia movet efficaciter ad media apparentia, seu falsò existimata. Quæ ratio maiorem vim habet ad excludendum appetitum efficacem, vt ex se liquet. ¶ Per quod constat ad confirmationem: Nam idem est *movere inefficaciter ad actus supernaturales*, ac *movere omnino frustrà*: quia appetitus naturalis solùm potest applicare potentiam, & vires naturales illius, quæ secundùm se nequeunt elicere actus supernaturales, adhuc quando adsunt vires gratiæ; ipsas verò vires gratiæ nequit vllo modo applicare, quia hæ non subjiciuntur affectui naturali.

51 Adversus tertiam conclusionem, quoad eius primam partem nulla extat oppositâ sententia. Potest tamen argui contra eam. Nam si daretur appetitus elicitus inefficax ad visionem claram Dei, etiam daretur innatus; sed per nos non datur appetitus innatus ad illam: ergo nec elicitus inefficax. Sequela maioris probatur: Nam si datur appetitus elicitus inefficax ad visionem, etiam datur appetitus innatus ad ipsum appetitum elicitum, cùm hic sit perfectio connaturalis naturæ; sed dato appetitu innato ad appetitum elicitum respicientem visionem Dei, etiam extenditur ad ipsam visionem; cùm videatur impossibile, inclinationem nullo pacto præcisivam extendi ad aliquem actum, & non extendi ad terminum illius: ergo si natura secundùm se habet appetitum elicitum inefficacem ad visionem Dei, etiam innatum.

Ad hoc argumentum respondet Illustr. Godoy concedendo, quòd natura secundùm se habet appetitum innatum ad visionem claram Dei, prout est obiectum appetitus eliciti, qui tantùm videtur inferri ex hoc arguendi modo; secùs vero ad ipsam visionem secundùm se. ¶ Sed meliùs respondetur, concedendo appetitum innatum ad appetitum elicitum inefficacem; & negando innatum ad visionem quomodocumque accipiatur. Quia appetitus innatus tantum extenditur erga id, ad quod natura habet vires, secùs verò ad id, quod est supra vires illius, etiò sit terminus alterius. Et ratio est: quia appetitus innatus solùm extenditur ad id, quod est sibi possibile, & intra sphæram proportionatam illius; appetitus verò elicitus extendi potest etiam ad impossibile, & vltra id, quod continetur intra proportionem naturæ. Et ideo natura habens appetitum ad cognitionem peccati non extenditur ad appetendum ipsum peccatum, etiò sit terminus illius. Similiter amor terminatus ad omnipotentiam terminatam ad possibilia, non extenditur ad ipsa possibilia, vt sunt terminus illius.

52 Contra secundam partem tertiæ conclusionis sentiunt Vazquez, Suarez, Pesantius, Valentia, Montesinos, & alij relati à N. Salmant. in præf. num. 73. quibus ex parte suffragatur Ferrara 3. Contra gent. cap. 50. quatenus ait, appetitum elicitum ad videndum Deum vt authorem naturæ esse necessarium quoad specificationem. Pro qua:

Arguitur *primò*: Nam in visione clara Dei nulla apparet ratio *mali*: ergo appetitus terminatus ad eam est necessarius quoad specificationem. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Propterea appetitus terminatus ad beatitudinem in communi est necessarius quoad specificationem, quia nunquàm potest apprehendi sub ratione *mali*: ergo si in visione clara Dei nulla apparet ratio *mali*, appetitus terminatus ad eam erit necessarius quoad specificationem.

Confirmatur *primò*: Nam id, in quod omnes naturaliter tendunt, necessitat quoad specificationem; sed ita se habet vltima beatitudo, in quam omnes naturali instinctu inclinantur, vt docet D. Aug. loco suprà citato: ergo &c.

Confirmatur *secundò*, cum Ferrara: Necessarium est homini, seu Angelo, viso effectu, desiderare videre causam sub ratione talis: ergo appetitus Angeli, & hominis in visionem claram Dei, vt est causa prima effectuum naturalium,

eſt neceſſarius quoad ſpecificationem. Antecedens probatur: Tum, quia cognitio cauſæ, prout eſt in ſe, comparatur ad cognitionem illius quoad *an eſt* tanquàm vltima perfectio, & complementum intellectus; ſed imperfectum, & incompletum neceſſariò tendit ad ſuam vltimam perfectionem, & completionem: ergo &c. Tum etiam: nam quævis natura intellectualis neceſſariò deſiderat ſcientias in communi; ſed non minùs connaturale eſt illi deſiderium videndi cauſam, dum videt effectum: ergo quælibet natura intellectualis neceſsitatur ad appetitum videndi Deum, vt eſt cauſa prima.

Ad argumentum ſatis conſtat ex dictis num. 44. Nam eſtò in viſione clara Dei non detur aliqua ratio *mali*; prout tamen apprehenditur, & cognoſcitur practicè in hoc ſtatu, poteſt apprehendi ſub aliqua ratione *mali*; & ſic poteſt odio haberi. Ob quam rationem in habentibus fidem non datur appetitus neceſſarius quoad ſpecificationem in viſionem claram Dei. ¶ Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd licèt omnes tendant in beatitudinem in communi, de qua loquebatur D. Auguſt. non verò in beatitudinem in particulari. Si tamen loquatur de iſta, debet intelligi, non de omnibus abſolutè, ſed de omnibus communiter, ſeu regulariter: ſicut regulariter omnes appetunt ſcientiam, vitam, & ſimilia; quod non tollit, vt aliquis deſideret oppoſitum. Et ſic huiuſmodi appetitus poteſt dici neceſſarius *ſecundùm quid*, non verò *ſimpliciter*.

Ad ſecundam reſpondetur, quòd Deus, prout eſt prima cauſa naturæ, nequit videri, quin videatur, vt eſt author gratiæ. Ideoque ſemel conceſſo, quòd non detur appetitus neceſſarius ad videndum Deum, prout eſt trinus, neque poteſt dari ad videndum Deum, prout eſt prima cauſa naturæ. *Maximè*: Quia eſtò poſſet præſcindi in viſione Dei ipſe, vt eſt author naturæ, à ſeipſo, vt eſt author gratiæ, adhuc hęc viſio eſſet entitativè ſupernaturalis, cùm ad eam requiratur eſſentia divina per modum *ſpeciei*, & lumen gloriæ per modum *virtutis*; aliunde non eſt obiectum adæquatum voluntatis, neque in præſenti ſtatu cognoſcitur perfectè: vnde nullum eſt caput, cur voluntas maneat neceſsitata ad huiuſmodi viſionem appetendam. Per quod præoccupatur quædam tacitæ replicæ.

DUBIUM IV.

Vtrùm poſsibilis ſit aliqua ſubſtantia naturalis creata, quæ poſsit naturaliter videre Deum, prout eſt in ſe?

HOc dubium, de quo exprofeſsò agit D. Thomas in præſ. art. 4. meritò annectimus huic diſputationi, quia affinis eſt viſibilitati, ſeu inviſibilitati Dei, quæ eſt præcipuus ſcopus illius. Ante cuius reſolutionem duo ſupponenda ſunt.

§. I.

Duæ ſuppoſitiones.

53 SUpponendum eſt *primò*, oculum corporeum nec de potentia Dei abſoluta poſſe elevari ad videndum Deum, prout eſt in ſe. Hæc ſuppoſitio vt ſic propoſita, eſtò non ſit de fide, eſt communiſsima inter Theologos. Et probatur ratione D. Thomæ in præſ. art. 3. Nam nulla potentia poteſt elevari ad attingendum, quod eſt extra ſphæram ſui obiecti ſpecificativi; ſed Deus, prout eſt in ſe, eſt extra ſphæram obiecti ſpecificativi viſus corporei: ergo viſus corporeus non poteſt elevari ad videndum Deum, prout eſt in ſe. Maior eſt certa: nam hac ratione viſus nequit elevari ad attingendum ſonum, neque auditus ad percipiendum colorem. Minor verò probatur: Nam obiectum ſpecificativum viſus corporei eſt lucidum coloratum; ſed Deus non continetur ſub lucido colorato, cùm hoc ſit quid corporeum, & Deus ſit ſpiritus puriſsimus: ergo &c.

Confirmatur: Si potentia viſiva corporea poſſet elevari ad videndum Deum, prout eſt in ſe, vel eſſet per viſionem corporalem, vel per viſionem intelligibilem; neutrum dici poteſt: ergo non poteſt elevari ad videndum Deum, prout eſt in ſe. Minor quoad primam partem probatur: Viſio corporalis ſolùm poteſt extendi ad viſibile corporale; ſed Deus non eſt viſibile corporale: ergo nequit videri per viſionem corporalem. Quoad ſecundam partem etiam probatur: Nam actus, per quem eſſentialiter vna potentia diſtinguitur ab alia, nequit per potentiam Dei abſolutam alteri convenire (qua ratione neque viſus poteſt audire, neque auditus videre, neque intellectus amare, neque voluntas intelligere) ſed viſio ſpiritualis, quæ nihil aliud eſt, quàm *intelligere*, eſt actus proprius intellectus, per quem diſtinguitur ab alia quacumque potentia: ergo viſus corporalis per nullam viſionem poteſt videre Deum, prout eſt in ſe. Quæ ratio cum confirmatione convincit idem erga Angelum, & aliam quancumque rem ſpiritualem, & de quacumque potentia interna corporea, vt ex ſe liquet.

Contra iſtam ſuppoſitionem ſtat quidam error hæreticorum, qui dicti ſunt *Antropomorphitę*, ponentium Deum eſſe corporeum, quem poſteà ſequutus eſt quidam Epiſcopus coætaneus D. Auguſtini, contra quem agit epiſt. 111. Hunc errorem temperant Valentia ad citatum artic. punct. 8. §. *Sed quæres*, & Salas 1. 2. quæſt. 3. tract. 2. diſt. 5. ſect. 1. quatenus aiunt, non implicare contradictionem, quòd potentia aliqua corporea ſic elevetur dono aliquo gra-

tuito, vt possit videre obiecta spirirualia. Quibus suffragantur Gregor. Martinez, & Victoria *ad dictum artic.*

Obijciunt ergo *primò* ex D.August.lib.22. *de Civit.Dei* cap. 29. vbi ait: *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, scilicet, glorificatorum, non vt acutiùs videant, quàm quidam perhibentur videre serpentes, vel aquilæ ::: Sed vt videant & incorporalia.* ¶ Secundò: Nam aqua elevatur ad producendam gratiam, & ignis inferni ad torquendos spiritus: ergo vel per actionem corporalem, vel spiritualem: si per corporalem: ergo iam potentia visiva, vel quævis alia potentia corporea potest per actionem corporalem attingere spiritum. Si per spiritualem: ergo pariter de potentia corporea idem potest dici. ¶ *Tertiò*: Nam intellectus essentialiter est ens potentiale, & naturale; & tamen potest elevari ad videndum ens summè actuale, & supernaturale: ergo etiam potentia corporea potest elevari ad attingendum ens spirituale. Consequentia videtur legitima, ob maiorem distantiam entis purè actualis, & summè supernaturalis ab ente potentiali, & naturali. ¶ *Quartò*: Potest potentia corporea instrumentaliter respicere suum obiectum, vt liquet in potentiæ nutritiva, & generativa, quæ instrumentaliter, & vitaliter attingunt substantiam, quæ est illarum obiectum: ergo etiam poterit elevari ad attingendum spiritum instrumentaliter, & vitaliter. ¶ *Tandem*: Nam cogitativa ex coniunctione ad animam potest elicere aliquos discursus, qui spirituales sunt: ergo potest potentia corporea elevari ad eliciendam actionem spiritualem.

Ad primam obiectionem respondetur, mentem D.August. ex his, quæ docet epist.12.super illa verba Ioann. 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*, latis constare, dum ait: *Inde igitur videbimus, vnde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? In interiori igitur homine ista similitudo est.* Idem tradit epist.6. Verba autem nobis obiecta explicat D. Thomas loco citato *ad secundum* dicendo, quòd loquebatur inquisitivè, hoc est proponendo quæstionem; & sub conditione, seu hypothesi, quòd natura incorporea videri posset ab oculo glorificato, potentia visiva esset diversæ rationis. Videatur omnino D. Thomas, & in illo D. August.

Ad secundam respondetur, quòd estò potentia, seu res corporea possit elevari ad attingendam, seu producendam rem spiritualem per actionem spiritualem purè instrumentaliter, & non vitaliter; secùs verò ad eam attingendam vitaliter, & principaliter. Aqua autem, seu ignis inferni solum concurrit instrumentaliter, & non vitaliter; atsi potentia visiva corporalis elevaretur ad videndum Deum prout est in se, vel ad illum cogitandum, concurreret vitaliter, & principaliter: nam visio nequit non esse actio vitalis, & consequenter debet procedere principaliter à potentia. Quare estò non repugnet rem corpoream elevari ad producendam rem spiritualem instrumentaliter; repugnat tamen, quòd elevetur visus corporeus ad videndum Deum, prout est in se.

Sed dices: In corpore potest recipi qualitas spiritualis: ergo etiam in spiritu potest recipi qualitas corporalis vt color; & consequenter potest per potentiam Dei absolutam spiritus videri ab oculo corporeo.

Respondetur, quòd, permisso colorem posse recipi in spiritu, tantùm infertur, quòd spiritus sit visibile peraccidens, ad modum quo substantia, & anima nostra est visibile peraccidens, proportione servata. Intentum autem nostræ suppositionis est, quòd nequeat videri spiritus in sua substantia per oculum corporeum. *Sed addimus*: quòd estò qualitas spiritualis possit recipi in subiecto corporali, secùs verò qualitas corporalis in spiritu. Et ratio discriminis est: quia dum qualitas spiritualis recipitur in corpore, solùm est per modum *transeuntis*, & incomplete, ob quam rationem non commensuratur cum subiecto, sed cum termino, ad quem est in via, & quem instrumentaliter producit. Pro quo videantur D. Thomas 3 part.quæst.62. art. 4. ad 1. & N.Complut. abbrev. in Physic. disp. 12.num.6.& 7. Cæterùm qualitas corporalis, vel nullo modo recipitur in spiritu, vel recipitur per modum *permanentis* (cùm nequeat recipi in eo per modum *motionis transeuntis* ad causandum aliquem effectum instrumentaliter) quod repugnat, vt docet D. Thomas quodlibet. 7.art.10.ad 3.

Ad tertiam respondetur, concessis præmissis, negando consequentiam. Cuius probatio non vrget: nam estò ens summè actuale magis distet in *esse entis* ab ente potentiali, secùs verò in *esse obiecti*: ad quod conducit, quòd intellectus, estò ens potentiale, sit immaterialis habens pro obiecto omne intelligibile; spiritus verò nullo modo contineatur sub lucido colorato. ¶ Ad quartam respondetur, quòd potentia generativa, & nutritiva non sunt rigorosa instrumenta in ordine ad attingendum suum obiectum specificativum, videlicet, substantiam: tolùm enim concurrunt per modum *virtutis instrumentarie* naturæ, in qua sunt: Vnde sufficit, quòd ipsa natura, à qua dimanant, producat principaliter, & vitaliter ipsam substantiam. At si visus corporeus posset elevari ad attingendum Deum, prout est in se, illum videret omnino principaliter, tam ex parte potentiæ, quàm ex parte suppositi, quod repugnat. *Adde*: quòd cum vivens vegetativum sit in infimo gradu vitalitatis, non repugnat, quòd eius potentia concurrat instrumentaliter, & partim non vitaliter ad terminum ex-

excedentem se. Pro quo videantur N. Complut. abbrev. *de Anima* disp. 4. num. 5. Cæterùm quælibet potentia vitiva est perfectè vitalis, ac proinde debet attingere suum obiectum principaliter: quia de illa non minùs propriè verificaretur in omni hypotesi, quòd videt, & sentit, ac de intellectu, quòd intelligit. ¶ Ad vltimum respondetur: fatendo, cogitativam in homine elicere posse aliquos discursus imperfectos circa singularia. Sed hi discursus sunt materiales, & corporei: quia licèt supremum infimi possit participare infimum supremi, qua ratione cogitativa in homine potest ob coniunctionem cum intellectu elicere aliquos discursus faciles, & circa singularia; nequit tamen participare supremum supremi (alias potentia infima non distingueretur à potentia suprema) supremum autem intellectus est discurrere spiritualiter, & sic nequit cogitativæ convenire.

55 Supponendum est *secundò* (vt sic ad rem magis accedamus) nullam substantiam naturalem creatam iuxta communem providentiam posse naturaliter videre Deum, prout est in se. Hæc suppositio, quæ est D. Thomæ in præs. art. 4. est de fide, quia oppositus error damnatus fuit in Concilio generali Vienensi in Delfinatu sub Clem. V. pro quo referuntur quidam Monachi *Beguardi* dicti, & quædam fœminæ, quæ appellantur *Beguinæ*. Ratio verò pro nostra suppositione potest desumi ex his, quæ D. Thomas habet in argum. *Sed contrà*: Nam gratia Dei est vita æterna; sed vita æterna consistit in visione beata, iuxta illud Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum*: ergo videre Deum per essentiam convenit intellectui per gratiam, non per naturam. ¶ Confirmatur: Nam plus est videre Deum per essentiam, quàm illum diligere super omnia, in eo sperare, & ipsi credere; sed est de fide, quòd nulla natura creata potest per sola naturalia Deum diligere, in eo sperare, & illi credere, vt definitum est in pluribus Concilijs contra Pelagium: ergò neque potest naturaliter Deum per essentiam videre. Aliam rationem, quam affert in corp. art. infrà proponemus. Undè tota difficultas reducitur ad potentiam Dei absolutam, ideoque inquirit, an sit possibilis aliqua substantia naturalis, quæ tantùm per sua naturalia possit videre Deum, prout est in se?

§. II.

Sententia nostra, & communis Theologorum.

56 DIcendum est, implicare contradictionem, quòd detur substantia naturalis, quæ naturaliter possit videre Deu, prout est in se. In hac conspirant communiter Theologi, vno, vel altero excepto. Et probanda erit ratione efficaci D. Thomæ hic art. 4. in corp. Pro cuius tamen clariori intelligentia, nota duo cum D. Thoma loco citato, & N. Salmant. in hoc tract. disp. 2. n. 155. Primum est, quòd cognitio non procedit à suo principio, nisi prout cognitum est in cognoscente. Vt autem principium aliquod connaturaliter cognoscat aliquod obiectum, omninò desideratur, quòd cognitum, & cognitio non sint supra modum connaturalem ipsius cognoscentis; aliàs non essent in illo connaturaliter. Ex quo infertur, quòd inter obiectum cognitum, & principium connaturaliter cognoscitivum debet dari omnimoda proportio, & conuenientia in immaterialitate. ¶ Secundum est, quòd quatuor gradus immaterialitatis communiter assignantur iuxta quatuor modos essendi elevatos à materia: primus est earum rerum, quæ omninò habent *esse* in materia, & dependenter ab ea, neque à sua individuatione præscindunt; possunt tamen immutare potentiam modo aliquo elevato à materia, nempè, per species intentionales: & his ex parte cognoscitivorum correspondent animæ sensitivæ, quarum potentia est quoddammodò elevata supra materiam. Secundus gradus est earum rerum, quæ partim sunt in materia individuali, & partim ab ea separatæ; & huiusmodi sunt quidditates materiales abstractæ à conditionibus individualibus per intellectum agentem: & his ex parte cognoscentium correspondet intellectus noster pro hoc statu, quia anima, à qua dimanat, partim est in materia, eò quòd est forma corporis, & partim est ab ea separata, eò quòd eius *esse* non dependet ab ea: cuius signum est, quòd intellectus non recipitur in organo corporeo. Tertius est earum rerum, quæ omninò sunt separatæ à materia, non verò ab omni potentialitate, cùm non sint actus purus: & huiusmodi sunt substantiæ angelicæ, quibus correspondet intellectus angelicus gaudens simili immaterialitate. Vltimus est illius entis, quod est actus purissimus, & actualissimus, separatus ab omni materia tàm physica, quàm metaphysica, & suum *esse* in se subsistens: & huic correspondet intellectus, qui etiam sit suum *esse*, & actus purissimus.

57 Ex his formatur ratio D. Thomæ: Nam si possibilis esset substantia naturalis creata, quæ naturaliter posset videre Deum, prout est in se, visio Dei, prout est in se, esset illi connaturalissima, & ipse Deus obiectum connaturalissimum; sed repugnat substantia naturalis creata, cui sit connaturalis visio Dei, prout est in se, & ipse Deus clarè visibilis: ergo repugnat substantia naturalis creata, quæ possit naturaliter videre Deum, prout est in se. Maior ex dictis in primo notabili constat: nam inter modum proprium cognoscentis, & ipsum cognitum prout in cognoscente debet esse proportio, & conuenientia in immaterialitate. Minor verò probatur: Tum, quia visio Dei, prout est in se, est

supernaturalis, & ipse Deus clarè visus est obiectum supernaturale; sed repugnat aliquid supernaturale esse naturale alicui substantiæ naturali; aliàs esset; & non esset supernaturale, vt ex terminis constat: ergo repugnat substantia creata, cui sit connaturalis visio Dei, prout est in se, & ipse Deus clarè visus. Tum etiam: Nam inter obiectum naturaliter cognitum, & potentiam cognoscitivam debet dari convenientia in gradu immaterialitatis, vt gradatim potest ostendi in rebus pertinentibus ad quatuor gradus suprà relatos; sed repugnat substantia naturalis creata, quæ possit convenire cum Deo in eodem gradu immaterialitatis: ergo repugnat substantia naturalis creata, cui sit connaturalis visio Dei, prout est in se. Minor constat ex dictis in secundo notabili.

58 Respondebis *primò* cum Scoto, cui hæc ratio D. Thomæ non placet, quòd, vt obiectum naturaliter cognoscatur ab aliqua potentia, non requiritur, quòd detur proportio inter cognoscens, & cognitum in *esse entis*, sed sufficit, quòd dicant proportionem per modum perfectivi, & perfectibilis: ad modum quo materia, & forma spiritualis habent inter se proportionem sufficientem, vt materia possit recipere animam rationalem.

Sed hæc evasio oritur ex non penetratione rationis D. Thom. quæ sic refellitur: Nam nequit dari proportio connaturalis inter cognoscens, & cognitum in *esse obiecti*, seu in *esse perfectibilis*, & *perfectivi*, quin similis proportio servetur inter ea in *esse entis*: ergo hæc solutio ruit. Antecedens probatur: Inde colligimus, inter potentiam sensitivam, & naturam abstractam à materia non dari proportionem connaturalem in *esse obiecti*, quia natura abstracta in *esse entis* est abstracta à materia singulari, & potentia sensitiva non abstrahit ab illa: & ob hanc rationem nequit naturam sic abstractam attingere. Deinde ideò intellectus noster pro hoc statu nequit cognoscere naturaliter Angelos quidditativè, quia in *esse entis* Angelus nullo modo est in materia, secùs verò anima rationalis. Tandem, vt ad rem magis accedamus, ideò nulla substantia creata defactò existens potest naturaliter attingere Deum prout est in se, quia habent inter se improportionem in *esse entis*: ergo si visio Dei, prout est in se, & ipse Deus clarè visus habent improportionem in *esse entis* cum substantia naturali creata possibili, nequit naturaliter ab ea videri.

59 Maximè, quia estò obiectum se habeat, vt perfectio cognoscentis, & hoc comparetur merè passivè ad illud consideratum in actu primo; obiectum tamen debet præsupponere vires ex parte potentiæ, vt illud possit attingere, aliàs obiectum manet omninò improportionatum; sed nulla substantia creata naturalis possibilis habet ex se vires ad eliciendum actum entitativè supernaturalem, qualis est visio beata, aliàs non esset super naturam illius, seu supernaturalis; ergo &c. Exemplum non venit ad rem: quia materia sufficienter est proportionata cum anima rationali, quia hæc est corporea vt *quo*. Et aliunde id, quod se habet merè passivè ad aliquam perfectionem, non requirit omnimodam proportionem cum ea, vt liquet in potentia obedientiali respectu perfectionum supernaturalium; secùs verò quando perfectio debet præsupponere in subiecto vires sufficientes ad illam attingendam.

60 Respondebis *secundò* cum Molina in præs. art. 5. disp. 2. quòd estò visio clara Dei sit improportionata cum substantia naturali nunc existenti, non verò cum omni substantia naturali possibili: quia visio beata non dicitur *supernaturalis*, quia sit supra omnem substantiam creabilem naturalem; sed quia est supra omnem substantiam naturalem defactò existentem, seu extituram pro aliqua differentia temporis.

Sed hæc evasio haud melior est præcedenti, estque prorsùs voluntaria, destituta solido fundamento in re gravi, & sic manet obnoxia eisdem impugnationibus. Nam omnis substantia naturalis possibilis est intra lineam naturalem, vt supponimus: ergo visio beata est non solùm supra substantiam existentem pro aliqua differentia temporis, sed etiam supra omnem substantiam naturalem possibilem. Probatur cõsequentia. *Tum*: Ideò namque est supra substantiam defactò existentem, quia hæc est intra ordinem naturalem, & visio beata est entitativè supernaturalis: non enim apparet alia ratio efficax, cur visio beata non sit connaturalis substantiæ naturali defactò existenti, neque facilè assignari posset discrimen, cur ex duabus substantijs pertinentibus ad eundem ordinem naturalem vni sit supernaturalis, & alteri naturalis: ergo si substantia est naturalis, & visio supernaturalis, nequit esse ei connaturalis. *Tum etiam*: Nam quantuncumque crescat substantia intra gradum tertium supra relatum, in quo continẽtur Angeli, semper est eiusdem immaterialitatis cum Angelis defactò existentibus, vt consideranti essentiam prædicti gradus constabit: ergo vel visio beata est connaturalis substantiæ angelicæ defactò existenti, vel non est connaturalis substãtiæ angelicæ possibili; sed impossibilis est alia substantia naturalis gradus superioris substantia angelica existenti, & possibili, cùm non detur medium inter gradum substantialem, qui importat actum purum, & gradum substantialem permittentem potentiam tantùm metaphysicam, cùm ab hac denudari non possit aliqua substantia creata: ergo. *Tum denique*: Nam quantuncumque crescat substantia sensitiva in suo gradu, non est dabilis aliqua substantia purè sensitiva, cui sit connaturalis cognitio quidditatum materialium in communi: similiter quan-

tum

cunque crescat anima rationalis, non est possibilis anima, cui pro hoc statu sit connaturalis cognitio substantiarum separatarum: ergo pariter, quantuncumque crescat substantia intra ordinem naturæ, nequit dari aliqua, cui sit connaturalis visio clara Dei.

Confirmatur totum hoc: Nam actio, quæ est connaturalis naturæ superiori, nequit esse connaturalis naturæ inferiori: ergo actio connaturalissima naturæ divinæ, nequit esse connaturalis alicui substantiæ naturali creatæ; sed visio clara Dei est actio connaturalissima naturæ divinæ: ergo nequit esse connaturalis alicui substantiæ naturali creatæ possibili. Antecedens constat exemplis suprà adductis, & alijs sexcentis. Maximè quia actio propria naturæ superioris non potest elici per virtutem naturæ inferioris, sed per formam saltem participatam à natura superiori; & sic aqua non calefacit, nisi per calorem acceptum ab igne, neque Luna illuminat, nisi per lucem provenientem à Sole. Et minor subsumpta probatur ratione D. Thomæ in 3. Contra gent. cap. 52. Nam actio proveniens à propria forma est connaturalis ei, cui est connaturalis talis forma; sed visio Dei sit media essentia divina, quæ solùm est connaturalis ipsi Deo: ergo *videre Deum, prout est in se*, est actio propria, & connaturalissima naturæ divinæ. Sed hanc confirmationem magis expendemus dub. 6. & ab impugnationibus propugnabimus.

§. III.

Argumenta contraria.

61 Licèt nullus catholicorum audeat defendere expressè sententiam nostræ conclusioni oppositam, plures sunt, quibus ratio D. Thomæ hucusque ponderata displicet. Inter quos referuntur Scotus in 4. dist. 49. quæst. 11. Vazquez, & Molina, qui in oppositam videtur inclinari loco suprà relato, vbi ponderat, & magnificat fundamenta adversantia, & spernit rationem D. Thomæ.

Arguitur ergo *primò*: Nam vt aliqua potentia cognoscat naturalitèr aliquod obiectum quidditativè, non requiritur, quòd conveniant in modo essendi cognoscens, & cognitum: ergo ex hac parte non repugnat, substantiam naturalem creatam videre naturaliter Deum, prout est in se. Antecedens probatur: Tum, quia Angelus inferior naturalitèr cognoscit Angelum superiorem secundùm suam essentiam, imò in nostra sententia illum cognoscit comprehensivè; & tamen non habet convenientiam in modo essendi, cùm Angelus superior sit perfectior specificè Angelo inferiori: ergo &c. Tum etiam: Nam anima nostra in statu separationis naturalitèr cognoscit Angelos; & si hoc negatur, connaturalitèr cognoscit seipsam; & tamen Angelus, & anima separata non conveniunt in eodem gradu immaterialitatis, quia gradus animæ nostræ solùm assignatur à D. Thoma, prout est determinata ad cognoscendas quidditates materiales abstractas ab individuatione: ergo &c. Tum deinde: Nam Deus, & Angelus cognoscunt res materiales; & tamen non habent proportionem, & convenientiam in modo essendi: ergo &c. Tum denique: Nam intellectus, vt perfusus lumine gloriæ, connaturaliter videt Deum; & tamen non habet modum essendi ipsius Dei; aliàs esset actus purus: ergo &c.

Respondetur negando antecedens. Et ad primam eius probationem dicendum, quòd estò Angelus superior excedat in perfectione specifica, & essentiali Angelum inferiorem; iste tamen excessus est valde materialis quoad suum gradum, qui solùm exposcit abstractionem à materia physica cum concretione materiæ metaphysicæ, in quo omnes Angeli conveniunt. In cuius signum videmus, quòd obiectum proportionatum, ac proinde connaturalissimum intellectus angelici est omnis substantia spiritualis completa, vt pluries docet D. Thomas. ¶ Ad secundam respondetur, probabile esse in via D. Thomæ, animam separatam agnoscere quidditativè Angelos, & probabile oppositum: quod non libet in præsenti examine (Videantur à nobis dicenda tract. *de Scientia Christi* disp. 4. à num. 48.) Si asseratur primum, facile assignari potest convenientia in modo essendi: nam sicut Angelus est forma persè subsistens abstracta a materia physica, etiam anima separata; & ob hanc rationem conveniunt in eodem gradu immaterialitatis. Si asseratur secundum (quod longe probabilius est) nullam vim habet probatio, vt ex se liquet. Id, quod tangit de anima respectu sui ipsius, facilè dispellitur, dicendo, quòd D. Thomas in assignatione illorum modorum solùm attendit ad modum connaturalissimum rerum secundùm se: Status autem, quem anima habet, vt coniuncta corpori, est connaturalior statu separationis; ideò assignat cognitum, cum quo habeat debitam proportionem. Hoc tamen non tollit, quòd status animæ separatæ sit ei naturalis, in quo obiectum cognitum illi correspondens habet cum ea omnimodam proportionem in *esse entis*: nam sicut tunc anima est independens omnino à corpore, ita illi correspondet obiectum spirituale, nempe, ipsa anima. ¶ Ad tertiam respondetur, concedendo maiorem, & minorem; sed negando consequentiam. Quia illud dictum D. Thomæ debet intelligi ad hunc sensum, quòd cognoscens connaturalitèr aliquod obiectum non debet esse inferius obiecto in modo essendi; sed non tollit, quòd quandoque sit superius, quia superius cognoscens modo elevatiori potest cognoscere, quidquid cognoscit inferius. ¶ Ad vltimam respondetur, quod intellectus perfusus lumine gloriæ

riæ habet modum essendi ipsius Dei participativè, & accidentaliter: quod sufficit, vt cognoscat Deum, prout est in se, quidditativè. Licèt non omnino connaturaliter: quia ad hoc requiritur, quòd substantia, & intellectus per modum *potentiæ simplicis* possint videre Deum, prout est in se; & hoc nequit convenire alicui substantiæ naturali. Sed de hoc iterùm redibit sermo.

62 Arguitur *secundò*: Nam Deus, prout est in se, continetur intra obiectum specificativum intellectus creati: ergo naturaliter potest illum cognoscere. Antecedens est certum in nostra sententia: Et consequentia probatur: Nam quælibet potentia potest attingere naturaliter suum obiectum specificativum, & quidquid sub eo continetur: ergo si Deus, prout est in se, continetur sub obiecto specificativo intellectus creati, poterit naturaliter illum attingere.

Confirmatur: Nam, quia visibile vt sic est obiectum specificativum visus secundùm se, potest produci visus naturalis adeò perfectus, vt possit videre absque elevatione quodlibet excellentissimum visibile, putà, solem, & corpus glorioſum: ergo si Deus, prout est in se, continetur sub obiecto specificativo intellectus, poterit naturaliter illum attingere.

Hoc argumentum cum sua confirmatione, si habet aliquam vim, probat, nedum intellectum possibilem, sed etiam intellectum existentem per sua naturalia posse videre Deum, prout est in se, quia, nimirùm, continetur sub obiecto specificativo illius, & defactò datur visus, qui videat visibile excellentissimum. Respondetur ergo ad argumentum, quòd sub obiecto specificativo potentiæ continetur non solum obiectum proportionatum illius, sed etiam obiectum improportionatum, & excedens. Obiectum autem specificativum nunquàm attingitur vt *quod* per aliquem actum determinatum, quia quidquid attingitur per actum determinatum, est obiectum præcisè partiale. Ex quo infertur, quòd si sub obiecto specificativo continetur obiectum aliquod improportionatum, non potest obiectum specificativum secundùm totam suam extensionem attingi à potentia.

Ad confirmationem respondetur sub distinctione: Nam vel datur visibile corporeum supernaturale, vel non datur: Si non datur, poterit quidem produci visus, qui naturaliter possit videre omne visibile: Sed hoc non est præcisè, quia contineatur sub obiecto visus, sed quia nullum est improportionatum respectu visus vt sic, licèt sit improportionatum respectu alicuius visus particularis ratione materiæ, & malæ dispositionis, qui indiget elevatione competenti, vt attingat visibile excellens. Si verò datur visibile supernaturale, vt non improbabiliter docent N. Salmant. tract. 9. disp. 5. num. 40. de corpore glorioso: fatendum est, nullum visum naturale m esse possibilem, qui naturaliter, & absque elevatione possit illud videre. Reliqua argumenta, quæ huc spectare possunt, melius proponuntur dub. 6.

DUBIUM V.

Vtrùm de potentia Dei absoluta intellectus creatus possit Deum videre solùm per auxilium extrinsecum?

63 VIsa impossibilitate visionis beatæ à quacumque substantia naturali per sua præcisè naturalia, restat investigare, an detur, & sufficiat elevatio aliqua purè extrinseca (quam moderni appellant *auxilium extrinsecum*) vt intellectus creatus possit videre Deum, prout est in se. Pro quo supponendum est, de potentia ordinaria esse necessarium lumen gloriæ per modum habitus infusi, intrinsecè elevantis intellectum ad visionem claram Dei. Hoc adminùs infertur ex decreto Concilij Vienensis, quod habetur in Clement. *Ad nostrum*, *de Hæreticis*, vbi damnatur quintus error Beguardorum, & Beguinarum asserentium, animam non indigere lumine gloriæ elevante ad Deum videndum. Non minus constat ratione suprà tacta num. 55. Nam non minùs requiritur lumen gloriæ ad visionem beatam, quàm auxilia intrinseca supernaturalia ad actus salutares; sed est de fide, iuxta providentiam ordinariam, nullam substantiam creatam posse elicere actus salutares sine elevatione intrinseca auxiliorum supernaturalium: ergo secundum præsentem providentiam non sufficit auxilium extrinsecum Dei ad elicientiam visionis beatæ. Unde præsens controversia, quæ procedit inter Iesuitas, & Thomistas, solùm habet locum attenta potentia Dei absoluta.

§. I.

Sententia Thomistica.

64 DIcendum est, implicare contradictionem intellectum creatum posse per solum favorem extrinsecum elicere visionem quidditativam Dei. Hæc est communissima inter Thomistas. Eique favet D. Thomas pluribus in locis, maximè quæst. 20. *de Verit.* art. 2. vbi ait: *Oportet in anima Christi aliquid superadditum ad videndam divinam essentiam ponere. Ratione quidem naturæ, quia videre divinam essentiam est supra conditionem cuiuslibet naturæ creatæ. Vnde nulla creatura potest ad hoc pertingere, nisi aliquo lumine elevetur in illam visionem. Quod quidem lumen in aliquibus recipitur per modum passionis quasi pertranseundo, vt in raptis: in Christo autem fuit habitus.* Idem tradit ibidem quæst. 13. art. 2. & 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 2.

Et

Et vt communis Adversariorum recursus ad providentiam Dei ordinariam præoccupetur: Confirmatur ex eodem Ang. Magist. Nam visio beata non minùs excedit facultatem intrinsecam intellectus, quàm actus charitatis vires intrinsecas voluntatis; sed actus charitatis ita dependet ab auxilio charitatis per modum *principij*, quòd divinitùs repugnet procedere ab aliquo principio extrinseco: ergo idem de visione beata asserendum est. Minor suadetur cum D. Thoma in quæst. disp. *de Charitat.* art. 1. vbi rejiciens sententiam Magistri, qui ponebat charitatem non esse aliquid creatum in anima, sic ait: *Similiter non potest hoc divinitùs fieri, vt aliquis motus hominis, vel interior, vel exterior, qui sit à principio extrinseco, sit voluntarius::: Actus igitur, qui excedit totam facultatem naturæ humanæ, non potest esse homini voluntarius, nisi superaddatur voluntati aliquod principium voluntatem perficiens, vt talis actus à principio intrinseco procedat. Si igitur actus charitatis in homine non ex aliquo habitu interiori procedat naturali potentiæ superaddito, sed ex motione Spiritus-sancti, sequitur alterum duorum; vel quòd actus charitatis non sit voluntarius, quod est impossibile; aut quòd non excedat facultatem naturæ, quod est hæreticum.* Similia habet 2. 2. quæst. 23. art. 2. Quæ ratio, si efficax est, relinquit probatam consequentiam: nam sicut actus charitatis est essentialiter voluntarius; ita visio est essentialiter vitalis: & sicut actus, ex eo quòd est voluntarius, petit procedere à principio intrinseco, ita ex eo quòd est vitalis; sed actus charitatis, ex eo quòd supernaturalis, & voluntarius, ita dependet à principio intrinseco elevante, quòd neque divinitus aliter fieri potest: ergo idem de visione beata asserendum est.

65 Probatur ratione fundamentali Div. Thomæ in præf art. 5. alijsque in locis ad hanc methodum redacta. Nam potentia ex se impotens ad eliciendam aliquam actionem; nequit reddi potens per solum favorem extrinsecum; sed intellectus ex se est impotens ad eliciendam visionem beatam: ergo neque potest adhuc divinitus illam elicere per solam assistentiam extrinsecam. Consequentia legitimè infertur ex præmissis. Minor constat ex dictis dub. præced. Maior verò probatur: Nam potentia eliciens aliquam actionem debet intrinsecè esse potens ad illius elicientiam; sed implicat in terminis, quòd ex se intrinsecè impotens reddatur intrinsecè potens per solum favorem extrinsecum: ergo potentia, quæ ex se est impotens ad eliciendam aliquam actionem, nequit reddi potens per solum favorem extrinsecum.

66 Huic efficacissimo fundamento (relictis alijs solutionibus) respondent communiter Adversarij negando maiorem: Existimant enim, causam ex se impotentem intrinsecè ad producendam aliquam actionem, posse reddi intrinsecè potentem per connotationem, & subordinationem ad aliud agens superius sibi extrinsecè assistens. Quod necessariò fatendum est (aiunt) de causa efficienti, quæ, ex eo quòd talis, potest à Deo suppleri; & aliunde ex se habet virtutem ad aliquam formalitatem actionis, cui si adiungatur alia causa superior extrinseca producens illam sub formalitate excedente se, nihil illi deest, vt possit illam producere. Et ita se habet intellectus in ordine ad visionem beatam, ad quam sub ratione *vitalis* habet virtutem proximam intrinsecam; & lumen gloriæ solùm requiritur ad supernaturalitatem illius, quam Deus potest producere supplendo defectum luminis.

Sed hæc solutio supponit plura falsa. Supponit in primis, quòd quælibet causa activa, eo quòd talis, potest à Deo suppleri. Quod tamen est omnino falsum de causa vitali, & voluntaria, de quarum ratione est, quòd moveantur ab intrinseco. Supponit etiam, quòd intellectus habeat virtutem partialem ad visionem beatam sub ratione *vitalis*. Quod quàm falsum sit, constabit ex dicendis disp. 3. dub. 4. Tandem supponit, quòd agens inferius dicit connotationem & subordinationem ad agens superius absque receptione alicuius intrinseci. Cuius falsitas liquet ex eò, quia nequit intelligi, quòd agens inferius dicat novam, specialem, & intrinsecam subordinationem, quam anteà non habebat, si manet intrinsecè sicut anteà.

67 Deindè impugnatur prædicta solutio. Nam lumen gloriæ omnino requiritur, vt intellectus eliciat visionem sub ratione *supernaturalis*: ergo vel intellectus illam non elicit; vel non sufficit assistentia extrinseca. Antecedens admittitur ab Adversarijs: Et meritò, ne coincidant cum Beguardis, Beguinis, & Pelagianis. Et consequentia probatur: Nam posito, quòd causa producat aliquam actionem, debet illam intrinsecè præcontinere, sub ea formalitate qua illam intrinsecè producit; aliàs productio illius sub illa formalitate esset illi causæ omninò ab extrinseco, & peraccidens; sed assistentia extrinseca non sufficit, vt intellectus præcontineat intrinsecè visionem beatam sub ratione *supernaturalis*: ergo vel intellectus non eliceret illam sub ratione *supernaturalis*; vel assistentia extrinseca non sufficit ad illam eliciendam.

Confirmatur hoc, simulque explicatur: Voluntas non solùm concurrit in omni eventu, & hypothesi ad actum charitatis vt *vitalem*, & *voluntarium*, sed vt *supernaturalem*; sed voluntas nequit intrinsecè præcontinere actum charitatis, quin intrinsecè elevetur per donum supernaturale creatum: ergo neque intellectus potest elicere visionem beatam vt *supernaturalem*, quin intrinsecè elevetur per donum creatum supernaturale. Maior videtur certa: aliàs actus

charitatis non esset voluntarius, neque absolutè meritorius; cùm solùm sit meritorius, prout procedit à voluntate, & vt *supernaturalis*. Minor probatur: Nam causa ex se non præcontentiva actus intrinsecè, nequit reddi intrinsecè præcontentiva illius, quin accipiat vires intrinsecas: per assistentiam enim extrinsecam causæ superioris, sicut non adduntur ei vires intrinsecæ, ita intrinsecè manet, sicut anteà: ergo voluntas nequit intrinsecè præcontinere actum charitatis, quin intrinsecè elevetur per donum supernaturale creatum.

68 Confirmatur *secundò*: Nam dum intellectus connotat assistentiam extrinsecam Dei, vi cuius redditur potens intrinsecè ad eliciendam visionem beatam, vel connotat ipsam assistentiam extrinsecam in recto per modum comprincipij partialis attingentis vnicè illam vt *supernaturalem*, vel solùm in obliquo; ita vt voluntas, illa connotata extrinsecè, persè producat visionem totam, & totaliter? Neutrum dici potest: ergo assistentia extrinseca non sufficit, vt eliciatur visio beata ab intellectu creato. Minor quoad primam partem probatur: Si Deus per modum assistentis extrinseci vnicè concurrit ad visionem vt *supernaturalem*, ipsa vt *supernaturalis* non esset vitalis, sicut nec actus charitatis esset vitalis, & voluntarius; sed implicat in terminis, quòd visio vt *supernaturalis* non sit vitalis; sicut implicat, quòd actus charitatis non sit voluntarius: ergo nequit connotare assistentiam Dei extrinsecam per modum comprincipij partialis attingentis vnicè visionem vt *supernaturalem*. Quoad secundam etiam partem suadetur: Nam si intellectus redderetur intrinsecè potens ad eliciendam visionem totam, & totaliter, assistentia Dei extrinseca se habente præcisè de connotato, & per modum *conditionis*, in se, & ex se haberet virtutem intrinsecam adæquatam ad eam producendam: ergo solùm indigeret concursu generali Dei per modum *causæ primæ*. Patet consequentia: Nam posita virtute adæquata intrinseca ad producendum effectum, solùm requiritur concursus generalis Dei ad eius productionem, imo ipsa causa creata dicit exigentiam connaturalem ad talem concursum; sed repugnat, intellectum creatum habere virtutem proximam adæquatam ad producendam visionem beatam totam, & totaliter, & exigere ex se connaturaliter concursum prærequisitum ex parte Dei ad illius productionem, vt liquet in voluntate respectu actus charitatis, aliàs incideretur in errorem Pelagij: ergo assistentia Dei extrinseca, se habente merè deconnotato, & per modum *conditionis*, non sufficit, vt intellectus eliciat visionem totam, & totaliter.

69 Confirmatur *tertiò*: Si influxus luminis gloriæ posset suppleri per omnipotentiam extrinsecè assistentem, visio procedens ab intellectu connotante assistentiam extrinsecam esset eadem specie actio cum ea, quæ procederet à lumine gloriæ creato, & non esset: ergo nequit suppleri per assistentiam extrinsecam Dei. Sequela probatur: In primis esset eadem: tum, quia nequit rationabiliter dici, quòd Deus supplet defectum alicuius causæ creatæ, quando necessariò produceret effectum diversæ rationis. Tum etiam: quia visio elicita ab intellectu connotante assistentiam extrinsecam Dei haberet idem obiectum motivum, & terminativum: ergo esset eadem specie. Deinde esset necessariò diversa: Nam actio non minùs specificatur à suo principio, quàm ab obiecto: ergo, stante diverso principio, nequit non esse diversa specificè actio; sed si Deus suppleret defectum luminis gloriæ, staret diversum principium: ergo esset diversa specie visio. Maior pronunc supponitur. Et minor probatur: Illa visio specificaretur vnicè ab intellectu per modum *virtutis*; sed visio elicita à lumine gloriæ specificaretur ab ipso: ergo staret diversum principium.

70 Nec refert, si dicas *primò*, quòd visio non tam specificatur ab intellectu, quàm à specie, quæ esset eadem in vtroque casu, nempè, essentia divina. ¶ Nam contrà est: quia visio specificatur à suo principio adæquato proximo; sed principium adæquatum proximum integratur ex intellectu & essentia divina, vel ex lumine gloriæ, & ipsa essentia divina: ergo cùm intellectus solus cum essentia divinæ, & lumen gloriæ cum ipsa essentia sint diversa principia, non possunt non habere principia specificativa specie diversa. ¶ Ne refert, si dicas *secundò*, visionem eliciendam ab intellectu, connotante assistentiam extrinsecam, non specificari præcisè ab intellectu per modum *virtutis*, sed etiam à Deo vt concurrente extrinsecè. ¶ *Contrà est*: Nam visio tunc solùm compararetur per modum *actionis* in ordine ad intellectum: ergo vnicè specificaretur ab illo. Antecedens videtur certum: nam repugnat, quòd id, quod comparatur ad creaturam per modum *actionis*, comparetur ad Deum etiam per modum *actionis*; aliàs Deus, & creatura agerent per eandem actionem per modum *actionis*. Consequentia verò probatur: Nam actio solùm specificatur ab illo principio, ad quod comparatur per modum *actionis*, & non per modum *effectus*. ¶ Nec refert, si dicas *tertiò*, visionem elicitam medio lumine gloriæ specificari ab intellectu, non verò à lumine; & sic in vtroque casu haberet idem principium specificativum. ¶ Nam contrà est: quia semel concesso, quòd actio specificatur à principio, repugnat, quòd actio supernaturalis non specificetur à princio supernaturali: ergo nequit specificari à solo intellectu.

* * * * * * * * * * * *

§. II.

§. II.

Sententia Adversariorum.

71 SEntentiam oppositam communitèr defendunt Scotistæ, & Iesuitæ relati à Mag. Ferre in præs. Pro qua arguitur *primò* ex D. Thoma 4. dist. 49. art. 7. vbi sic ait: *Contingit aliquando divina virtute, quòd aliqua res miraculosè perducatur in aliquid, in quod nullo modo potest per aliquas dispositiones sibi inhærentes, sicut quòd virgo pariat, quòd ignis in aqua comburat. Et similitèr potest miraculosè fieri, quòd divina virtute aliquis intellectus creatus, non habens nisi dispositionem viæ, elevetur ad videndum Deum per essentiam.* Quam doctrinam magis explanans ad 4. sic ait: *Quod illa non erat ex dispositione in intellectu inhærente, sed ex sola divina virtute quasi miraculosè, vt dictum est*: Ergo secundùm D. Thomam fieri potest miraculosè, quòd intellectus sine dispositione patriæ, quæ est lumen gloriæ, elevetur ad videndum Deum prout est in se.

Confirmatur ex eodem Ang. Præcept. *de Verit.* quæst. 10. art. 11. vbi hæc habet: *Sicut autem divinæ omnipotentiæ subiecta sunt corpora, ita & mentes. Vnde sicut potest aliqua corpora perducere ad effectus, quorum dispositio in ipsis non inveniatur, sicut Petrum fecit super aquas ambulare, sine hoc quòd ei dotem agilitatis tribueret; ita potest mentem ad hoc perducere, vt divinæ essentiæ vniatur in statu viæ, modo illo quo vnitur sibi in patria, sine hoc quòd à lumine gloriæ perfundatur*: Ergo non repugnat, intellectum creatum per solam assistentiam extrinsecam videre Deum.

Respondetur ad argumentum, D. Thomam in suo testimonio non negasse necessitatem auxilij intrinsecè elevantis, cùm ibidem præmisserit, quòd *ad hoc vt creatura rationalis sit beata per visionem Dei in essentia sua, oportet, quòd in hanc visionem sit potens per aliquam dispositionem sibi inhærentem, quam dicimus lumen gloriæ.* Vult tamen, quòd lumen gloriæ per modum *habitus*, & permanenter non requiratur ad visionem beatam eliciendam. Quod est verum, & iuxta mentem D. Thomæ, vt suprà vidimus. Cum quo rectè cohæret, quòd requiratur lumen gloriæ per modum *dispositionis transeuntis* intrinsecè inhærentis: cui tamen denegat inhærentiam, non quia verè non inhæreat intellectui; sed quia non servat modum inhærentis, cum communicentur transeunter: ad differentiam luminis gloriæ in patria, quod & habet verè inhærere, & servat modum inhærentiæ, quæ magis explicatur in habitu, seu dispositione permanenti.

Per quod constat ad confirmationem: Respoondetur ergo, D. Thomam non negasse in illo loco necessitatem auxilij intrinseci: nam in eodem artic. prius dixerat, quòd essentia divina non potest fieri forma intelligibilis intellectus creati, *nisi ad hoc per lumen gloriæ disponatur.* Mens ergo D. Thomæ est, quòd sicut miraculosè factum est, quòd D. Petrus ambularet super aquas, sine eo quòd dos agilitatis illi communicaretur permanenter, quo pacto propriè obtinet rationem *dotis*, vt in Beatis; ita miraculosè fieri potest, quòd visio beata procedat ab intellectu, quin lumine gloriæ perfundatur permanenter. At sicut D. Petrus sine dote agilitatis per modum *transeuntis* non poterat ambulare super aquas; ita D. Paulus sine lumine gloriæ per modum *transeuntis* non poterat videre Deum.

72 Arguitur *secundò*: Lumen gloriæ solùm est necessarium ad supplendam efficientiam, quæ deest intellectui ad visionem; sed omne genus causæ efficientis potest à Deo suppleri: ergo concursus luminis gloriæ potest à Deo suppleri per seipsum. ¶ Si autem dicatur *primò*, lumen gloriæ non solum esse necessarium ad supplendam efficientiam, quæ deest intellectui, sed etiam ad specificandam visionem. Contrà est: Nam Deus potest elicere calefactionem, quam eliceret ignis; sed tunc non specificaretur ab igne, cùm ab illo non procederet: ergo potest Deus supplere, id quod deficit intellectui ad specificandam visionem. ¶ Si dicatur *secundò*, quòd lumen gloriæ est necessarium ad supplendam efficientiam vitalem, quæ deest intellectui ad visionem, & hanc efficientiam vitalem Deus nequit supplere per assistentiam purè extrinsecam. Contrà est: Tum, quia intellectus ex se habet sufficientem vim ad producendam visionem vt *vitalem*, & solùm requirit lumen ad illam vt *supernaturalem*. Tum etiam: quia lumen gloriæ non est principium vitale, cùm sit omninò ab extrinseco: ergo Deus poterit supplere totam efficientiam luminis gloriæ.

Et confirmatur: Nam Deus in pluribus causis potest supplere concursum vitalem: ergo potest supplere concursum vitalem luminis gloriæ. Antecedens probatur *primò*: Anima concurrit vitalitèr in dimanationem suarum potentiarum; sed Deus se solo potest producere illius potentias: ergo &c. *Secundò*: Intellectus agens vivit producendo species intelligibiles; & tamen Deus potest supplere concursum illius infundendo prædictas species, vt contigit Adamo: ergo &c. *Tertiò*: Potentia vitalis, v. g. voluntas, vivit producendo habitus acquisitos; & tamen Deus se solo potest illos infundere: ergo Deus potest supplere concursum vitalem.

Ad argumentum respondetur, sustinendo primam solutionem inter arguendum datam. Cui nihil officit replica ibi adducta: Nam sup-

posito quòd calefactio, & quælibet actio non vitalis possit à Deo solo produci, sicut ab eo solo potest conservari, vt tradunt N. Complut. abbrev. in lib. Physic. disp. 11. n. 11. dicendum est, quòd calefactio non specificaretur à Deo, quia non procederet ab ipso per modum *actionis*, sed præcisè per modum *effectus*, de cuius ratione non est, quòd specificetur à suo principio. Undè calefactio semper respiceret ignem vt sui specificativum per modum *principij*, licet actualiter non sit illius principium, quia per modum *actionis* non respiceret aliud principium, estò peraccidèns proveniret à solo Deo per modum *effectus*. Ex quo clarè constat discrimen inter visionem beatam, & calefactionem: illa enim per modum *actionis*, vel vnicè proveniret ab intellectu solo; vel ab intellectu, & assistentia Dei extrinseca? si primum: ergo solùm specificaretur ab intellectu per modum *principij*: si secundum: ergo specificaretur ab intellectu, & omnipotentia tanquam à causis partialibus, & consequenter esset actio speciei diversæ à visione, quæ proveniret à lumine gloriæ creato. At calefactio semper specificaretur ab igne, à quo vnicè petit procedere per modum *actionis*, & nunquàm à Deo nisi præcisè per modum *effectus*.

73 Deinde respondetur iuxta secundam solutionem inter arguendum datam, contra quam nulla ex illis duabus probationibus vrget. Non prima: nam visio non habet vitalitatem quancumque, sed vitalitatem supernaturalem: quia sicut in linea naturali datur vitalitas, tam in actu primo, quàm in actu secundo, naturalis; ita in linea supernaturali datur etiam vitalitas formaliter supernaturalis, tàm pro implicito, quàm pro explicito, tàm in actu primo, quàm in actu secundo, iuxta illud Apost. ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Cùm autem Deus nequeat supplere, quod deficit intellectui ad efficientiam vitalem, vt supponit obiectio, manifestè infertur, non posse per assistentiam extrinsecam supplere defectum luminis gloriæ. *Maximè*: quia ex hoc sequitur, quòd per solam assistentiam Dei extrinsecam intellectus non attingat visionem vt *supernaturalem*; cùm per illam non addantur ei vires intrinsecè supernaturales ad eam vt sic producendam: ex quo infertur, quòd intellectus non maneat elevatus per illam, quod est præcipuum punctum huius controversiæ. ¶ Nec secunda vrget: Nam permisso, quòd lumen gloriæ non esset vitale, & consequenter quòd Deus posset supplere se solo concursum illius, solùm sequitur, quòd intellectus non eliciat id, quod eliceret lumen gloriæ. Ex quo nihil contra nos: quia solùm asserimus, quòd intellectus nec de potentia Dei absoluta potest elicere per assistentiam extrinsecam Dei id, ad quod est necessarium lumen gloriæ. Quod adeò verum est, vt implicet contradictionem, quòd causa creata, sivè vitalis, sivè non vitalis producat effectum, deficiente ei principio intrinseco præcontentivo illius; & aliter discurrere est tribuere influxum vnicè causæ extrinsecæ assistenti, non verò causæ intrinsecæ, cui deficit virtus intrinseca. *Adde*: Nam falsum est, quòd lumen gloriæ non sit vitale: quia sicut intellectus est potentia vitalis, eo quòd dimanat ab anima, quæ est vita radicalis naturalis; ita lumen gloriæ dimanat à gratia, quæ est vita radicalis supernaturalis. Si verò de gratia dubites, quomodo sit vitalis, cùm procedat ab extrinseco? Responsio in promptu est: quomodò anima est vitalis, cùm proveniat ab extrinseco?

Ad confirmationem respondetur, distinguendo antecedens: *Deus potest supplere concursum causæ vitalis in pluribus causis* in ordine ad actiones vitales, nego antecedens; in ordine ad effectus vitales, vel principia, subdistinguo antecedens, ita vt causa creata vivat per productionem illorum, nego antecedens; ita vt non vivat, concedo antecedens. Et negatur consequentia. Solutio constabit explicatis terminis distinctionis. Permittimus enim, quòd Deus se solo possit producere potentias, habitus, & species, quæ regulariter oriuntur, & dimanant ab intrinseco. Est tamen discrimen inter potentias, habitus, seu species ex vna parte, & operationem vitalem ex alia: quòd hęc, vtpotè vita perfectissima & in actu secundo, dicit essentialem egressionem à principio; aliàs in nihilo distingueretur ab operatione non vitali. Potentia verò, habitus, seu species non sunt vita perfectissima in actu secundo, sed tantùm in actu primo, ad quorum proinde vitalitatem sufficit, quòd sint determinata ad operandum vitaliter, & quòd nequeant operari, vt separata à subiecto, neque possit existere separata ab illo. Insuper, dato quòd à solo Deo producantur, anima non viveret per productionem potentiarum, neque potentiæ per productionem habituum, seu specierum. Oppositum autem docent Adversarij de visione, nempè quòd intellectus viveret vita supernaturali, Deo solo concurrente ad vitalitatem supernaturalem: & quidem si non vivit per eam, neque per eam potest videre; cùm implicet in terminis *videre*, & *non vivere*.

74 Tertiò, & vltimò arguitur: Plures causæ inferiores cum sola subordinatione extrinseca ad causam superiorem redduntur potentes ad eliciendam operationem, seu effectum, quem ex se non possunt elicere: ergo etiam intellectus cum sola subordinatione ad Deum sibi specialiter assistentem poterit producere visionem beatam. Antecedens probatur pluribus exemplis: Nam *in primis* species deservientes fidei supernaturali ex se non possunt elicere cognitionem supernaturalem, cùm sint entitativè naturales; & tamen redduntur potentes ad illam produ-

cen-

tendam abſque elevatione intrinſeca ſupernaturali per ſolam ſubordinationem,& coniunctionem cum fide. *Deinde*: Anima influit in actus fidei, & ſpei per modum *radicis*; & tamen in peccatore non elevatur per aliquid intrinſecum ſupernaturale. *Rursùs*: Ad eliciendam concluſionem theologicam multoties concurrit præmiſſa naturalis; ſed ex ſe non poteſt illam elicere, cùm ſit ſupernaturalis, & aliunde non elevatur per aliquid intrinſecum ſupernaturale:ergo per ſolam coniunctionem, & ſubordinationem ad præmiſſam ſupernaturalem reditur ſufficienter potens ad illam producendam.

Sed adhæc, & alia exempla, quæ aggerunt Adverſarii, facilè reſpondetur. Ad primum enim,quòd ſpecies deſervientes fidei infuſæ,eſtò ſint entitativè naturales, ſupernaturalizantur per quoddam auxilium intrinſecum ſupernaturale,vt tradit expreſsè D. Thomas 2. 2. q. 173. art. 2. ad 3. An hæc elevatio ſufficiat pro influxu activo ſpeciei in actum fidei; an verò requiratur ad novum modum repræſentationis? alia difficultas eſt, quę commodiùs alibi decidetur. ¶ Ad ſecundum dicendum, quòd anima ſufficienter elevatur per habitum fidei, ſeu ſpei, qui potentiam elevat intrinſecè immediatè, & animam mediatè: ſicut præmotio vnica recepta intrinſecè in potentia ſufficit ad movendam efficaciter proximè potentiam, & remotè animam, ſeu ſuppoſitum. ¶ Ad tertium reſpondetur, omnem concluſionem theologicam, maxime quæ procedit ex aliqua præmiſſa naturali, eſſe entitativè naturalem in noſtra ſententia; ac proinde hoc exemplum non venit ad rem.

DUBIUM VI.

Vtrùm per divinam potentiam poſsit dari aliqua ſubſtantia ſupernaturalis creata, quæ ex proprijs viribus poſsit videre Deum,prout eſt in ſe.

EX duobus dubijs præcedentibus ſatis conſtat, ſubſtantiam defactò exiſtentem, vel poſsibilem ordinis naturalis indigere indiſpenſabiliter lumine gloriæ entitativè ſupernaturali intrinſecè recepto in intellectu ad videndum Deum per eſſentiam. Supereſt pro coronide huius diſputationis, vt diſcutiamus impoſsibilitatem cuiuſvis ſubſtantiæ creatæ poſsibilis.Quod haud meliùs fieri valet, quàm probando repugnantiam metaphyſicam ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ. Pro clariori autem huius difficultatis expeditione eam in duas concluſiones ſecamus.

§. I.

Prima concluſio.

75 DIcendum eſt *primò*, ſubſtantiam completam creatam entitativè ſupernaturalem eſſe omninò impoſsibilem.Hanc concluſionem tenent omnes Thomiſtæ,quibus ſuffragantur Scotus in 4. diſt.49. quæſt. 10.cum pluribus eius Diſcipulis; necnon plures Patres Societatis, quos refert Mag. Ferre in præſ.

Et probatur *primò* ratione: Nam *ſupernaturale*, idem eſt, ac *ſupra omnem naturam creatam, & creabilem*; ſed implicat in terminis ſubſtantia creata ſupra omnem naturam creatam, & creabilem: ergo repugnat ſubſtantia completa ſupernaturalis creata. Maior continet definitionem entis ſupernaturalis. Et minor probatur: Nam implicat in terminis ſubſtantia, quæ ſit ſupra ſeipſam: ergo repugnat ſubſtantia creata, quæ ſit ſupra omnem naturam creatam,& creabilem.

Reſpondent Adverſari, ens ſupernaturale illud eſſe, quod eſt ſupra omnem naturam creatam, & creabilem eiuſdem ordinis, tàm in *eſſe* phyſico, quàm in *eſſe* intentionali cum natura defactò exiſtenti;ſecùs verò quod eſt ſupra omnem naturam abſolutè poſsibilem.¶ Sed contrà eſt *primò*: Nam ſupernaturale communiter definitur *Quod eſt ſupra exigentiam naturæ creatæ*; ſed ly *naturæ creatæ* in hac definitione ſupponit pro omni natura tàm exiſtenti,quàm abſolutè poſsibilis. Minor probatur: Nam in omni definitione eſſentiali termini ſupponunt naturaliter pro omnibus exiſtentibus, & poſsibilibus, vt tradunt N.Complut.abbrev. in Logic. lib. 2. Inſtitut. §. *Deinde*: nam cùm definitio eſſentialis ſit in materia neceſſaria,& quiddtativa,eius termini,eſtò indefiniti,nequeunt ſupponere accidentaliter,ſed naturaliter, & vniverſaliter: ergo ly *naturæ creatę* in definitione entis ſupernaturalis debet ſupponere pro omni natura,ſivè exiſtenti, ſivè abſolutè poſsibili. ¶ *Secundò*: Nam dona ſupernaturalia defactò exiſtentia ſunt ſupra omnem naturam creatam,ſeu abſolutè poſsibilem: ergo ens ſupernaturale eſt ſupra omnem naturam creatam exiſtentem, & abſolutè poſsibilem. Antecedens probatur:Nam ſi dona ſupernaturalia defactò exiſtentia non eſſent ſupra omnem ſubſtantiam creatam exiſtentem, ſeu poſsibilem, hæc eſſent connaturalia alicui ſubſtantiæ creatæ,vel exiſtenti,vel poſsibili; ſed nulla ſubſtantia creata eſt poſsibilis, cui prædicta dona ſint connaturalia: ergo ſunt ſupra omnem ſubſtantiam creatam abſolutè poſsibilem. Maior videtur certa. Et minor probatur: Nam ſi dona ſupernaturalia nunc exiſtentia eſſent connaturalia alicui ſubſtantiæ creatæ poſsibili, Deus produxiſſet hoc vniverſum priva-

vativè defectuosum : sicut si Deus produxisset aliquod accidens naturale,quin produxisset substantiam naturalem , cui esset connaturale,proculdubiò vniversum hoc maneret defectuosum privativè ; sed hoc est falsum : nam Deus non minùs perfectè operatur in ordine supernaturali,quàm in ordine naturali,in quo nullum vtique accidens produxit absque substantia, cui sit connaturale: signum est ergo , quòd nulla est posibilis substantia creata , cui sint connaturalia dona supernaturalia nunc existentia.

77 Secundò probatur conclusio: Repugnat substantia creata ordinis divini : ergo repugnat substantia creata supernaturalis. Patet consequentia : nam ens supernaturale consistit in ratione *entis divini* ; vt liquet in gratia, quæ est quædam divinitas accidentalis , & participata. Antecedens verò probatur : Repugnat substantia creata,quæ substantialitèr sit Deus; sed substantia creata divina substantialitèr esset Deus; sicut substantia completa humana substantialitèr est homo : ergo repugnat substantia creata ordinis divini.

78 Respondebis , prædictam substantiam solùm fore divinam per participationem : In quo nullum est absurdum; sicut nec in eo,quòd divinitas participetur per gratiam. ¶ Qui hoc respondent non callent vim prædictæ rationis. Quæ proinde sic instauratur : Repugnat , aliquam substantiam esse divinam substantialitèr, & esse divinam per participationem : ergo substantia supernaturalis esset ipse Deus per essentiam. Antecedens probatur : Nam substantia, quæ per suam naturam substantialem est divina, est substantialitèr eiusdem naturæ specificæ cum Deo ; sicut substantia, quæ non est accidentalitèr ignita , sed per suam naturam substantialem, vt carbones accensi, est eiusdem speciei cum igne, à quo accipit hanc naturam : ergo substantia, quæ esset divina substantialitèr , non esset divina per participationem.

Explicatur hoc : Substantia , quæ est ipsa gratia persè subsistens , nequit esse divina per participationem ; sed talis esset substantia completa creata supernaturalis:ergo non esset divina per participationem,sed esset substantialiter ipse Deus. Minor videtur certa:nam in hoc distinguitur gratia creata,& per participationem à gratia per essentiam,quòd illa non est persè subsistens, sed quædam accidentalis participatio recepta in subiecto,à quo limitatur:econtrà verò gratia per essentiam est persè subsistens, vtpotè irrecepta in alio,& illimitata,consequenterque infinita in ratione *divinitatis* ; sicut ob hanc rationem natura angelica in sua specie est infinita. Minor verò probatur: Omnis substantia completa est persè subsistens;& si est ordinis divini,est gratia persè subsistens:ergo substantia supernaturalis nequit non esse ipsa gratia persè subsistens. Ex quo sequitur,quòd esset filius Dei naturalis : Nam filiatio adoptiva est assumptio gratuita personæ extraneæ;sed hæc substantia esset non minùs filia Dei per suam substantiam,ac homo est per gratiam , & aliàs non esset gratuita assumptio , sed persè ipsam esset ipsa gratia : ergo esset filia naturalis Dei.

Ex qua ratione duo prædicata contradictoria colliguntur, nempè , quòd prædicta substantia esset peccabilis , & esset impeccabilis: Esset quidem peccabilis ob conceptum generalem naturæ substantialis creatæ , vt alibi , Deo dante , exprofesò probabimus. Esse etiam impeccabilis: nam repugnat operatio entitative supernaturalis , quæ sit peccaminosa , sicut repugnat aliquam virtutem, maximè supernaturalem, elicere aliquam operationem peccaminosam;sed omnis operatio substantiæ supernaturalis esset supernaturalis , sicut omnis eius potentia esset supernaturalis : ergo prædicta substantia esset impeccabilis.

79 Antequam probetur hæc nostra conclusio alia ratione efficacissima , supponenda sunt duo. Primum est, Deum, & omnia prædicata, quæ in ipso sunt , esse supernaturalia , hoc est, supra omnem naturam creatam , & creabilem. Et ratio est : quia omnia prædicata divina sunt ens a se , actus purus , & infinitus , quæ , vt ex se constat , nequeunt competere alicui creaturæ. ¶ Secundum est , omnem supernaturalitatem creatam esse talem per specialem participationem à Deo ; & cùm de ratione participationis sit partem sumere , & partem relinquere,oportet , quòd supernaturalitas creatæ non sumat, quod infinitatem importat , sed tantùm quod ex suo conceptu formali importat prædicatum divinum ; ita quòd gratia participet naturam divinam , prout est radix cognoscendi,& amandi Deum , non verò sumat esse ens à se , actum purum , & infinitum: idemque dicendum est de lumine gloriæ , & charitate. Ex quo deducitur, supernaturalitatem creatam dicere habitudinem specialem ad prædicatum divinum participatum , ab eoque specificari. Nam ab eo quælibet res specificatur , per quod in suo *esse* constituitur , & distinguitur ab omnibus alijs ; sed quælibet res supernaturalis est constituta in distincto ordine & *esse*, ac quælibet res naturalis, & nullum prædicatum persè primò rem supernaturalem à naturali distinguit,nisi habitudo specialis,quam dicit ad prædicatum divinum participatum:ergo ab eo distinguitur,& per habitudinē ad illud in suo *esse* constituitur.*Explicatur*:Nam res supernaturalis à naturali non distinguitur, per hoc quòd habeat esse magis abstractum à materia;alias abstraheret ab omni potentialitate, à qua non abstrahit Angelus , qui est suprema substantia inter omnes naturales existentes,& posibiles : ergo solùm potest ab ente naturali distingui , per hoc quòd sit specialis participatio Dei , ad quem proinde nequit non dicere spe-

specialem habitudinem: ergo specificatur à prædicato divino participato. *Explicatur amplius*: Nam nulla substantia naturalis intelligitur, per hoc quod sit participatio substantiæ divinæ: nam hoc est prædicatum commune & transcendens in omni substantia naturali; & præter hoc habet speciale aliud prædicatum, per quod quælibet substantia ab alia distinguitur, vt inductivè constat: econversò autem in substantia supernaturali, si esset possibilis, nullum est prædicatum, per quod à naturali distinguatur, nisi quòd diceret specialem habitudinem ad ens divinum: hæc ergo esset, quæ illam in suo speciali *esse* constitueret, & distingueret ab omni ente naturali. *Tandèm*: Nam licèt charitas (v.g.) dicat habitudinem ad Deum vltimum finem supernaturalem tanquam suum obiectum; prius tamen intelligitur in ea, quòd respiciat charitatem, seu voluntatem divinam sub munere *amandi Deum*, quàm quòd respiciat ipsum Deum per modum *obiecti*: ergo cùm respectus ad Deum sub munere *participati* sit rectus, & respectus ad eum sub munere *obiecti* sit obliquus, ille debet esse, qui constituit, & distinguit. Maneat ergo, quòd substantia supernaturalis eò est talis, vel quia ipse Deus est, vel quia specificatur à Deo.

80 Ex his deducitur ratio Thomistarum efficacissima. Nam omne ens supernaturale, vel est ipse Deus, vel est tale per patticipationem; sed nulla substantia creata est possibilis, quæ aliquo ex his modis habeat supernaturalitatem: ergo chimærica est substantia supernaturalis creata. Minor quoad primam partem constat. Et quoad secundam probatur: Nam repugnat substantia creata, quæ specificetur ab aliquo extrinseco, vt docent N. Complut. abbrev. in lib. Physic. disp. 10. dub. 2. & communiter Philosophi; sed de ratione substantiæ supernaturalis per participationem est specificari ab aliquo extrinseco, vt liquet ex secundo notabili: ergo repugnat substantia creata supernaturalis.

81 Sed vt hæc ratio magis eluceat: Objicies *primò*: Datur modus substantialis supernaturalis, qui eo ipso specificatur ab aliquo extrinseco: ergo non repugnat substantia supernaturalis creata ex eo capite, quòd specificaretur ab aliquo extrinseco. ¶ *Secundò*: Nam saltem ex hoc capite non repugnabit, quòd detur aliqua forma supernaturalis creata; cùm de ratione illius sit specificari ab aliquo extrinseco: & idem dicendum erit de substantia creata. ¶ *Tertiò*: Quia defactò omnis substantia creata dicit habitudinem ad Deum creatorem. ¶ *Quartò*: Quia non est contra rationem substantiæ subsistentis, & existentis persè, quòd dependeat ab alio tanquam à specificativo.

Ad primam obiectionem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ob notam disparitatem inter modum substantialem, & substantiam completam: Nam modus substantialis supernaturalis est possibilis, quia connotat Verbum divinum terminans naturam humanam, cuius est respectus transcendentalis. Quippe, eo ipso quòd sit modus, & supponat Verbum divinum potens naturam humanam terminare, potest specificari ab aliquo extrinseco, nempè, ab vnione Verbi divini cum natura divina, cuius est participatio; connotando tamen ipsum Verbum, quod immediatè vnit cum natura humana. In quo sensu explicandi sunt N. Salmant. quando dicunt, vnionem hypostaticam specificari à Verbo divino: sicut in eodem sensu intelligi debent, quando dicunt, habitus supernaturales specificari à suis obiectis, quæ persè primo respiciunt: vt sic maneat doctrina generalis suprà tradita, nempè, quòd dona supernaturalia specificantur à prædicatis divinis participatis. Nisi mavis dicere, quòd vnio hypostatica, cùm sit ens incompletum, habet hoc speciale, quòd specificetur à Verbo divino, quod nectit; sicut relatio prædicamentalis, estò supernaturalis, non specificatur à relatione divina participata, sed à suo termino, quem respicit, ob specialem rationem huius prædicamenti.

Ad secundam respondetur, aliud esse, quòd forma substantialis specificetur ab alio à seipsa distincto, nempè, à materia prima; aliud, quòd specificetur ab alio extra proprium prædicamentum substantiæ. Primum est verum: Sed hoc arguit, quòd materia etiam esset supernaturalis, consequenterque totum compositum: vnde ex eodem capite repugnat forma substantialis supernaturalis, ac substantia completa. Secundum autem est omninò falsum: nam licèt materia specificetur à forma, & forma à materia; neutra tamen specificatur ab aliquo extra prædicamentum substantiæ. Quam solutionem tradit D. Thomas 1. 2. quæst. 110. art. 2. ad 2. Idemque militat in subsistentia: quæ quidem petit specificari à natura, quam complet; ideòque, si repugnat natura supernaturalis creata, pariter debet repugnare subsistentia. ¶ Ad tertiam respondetur, concedendo, quòd omnis substantia creata dicit habitudinem ad Deum creatorem; at hæc habitudo non pertinet ad prædicatum specificativum illius, vt docet D. Thomas in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 2. ad 2. sed est quidam modus transcendens omnes rationes creatas: præter quem in ente supernaturali datur alius respectus magis specialis terminatus ad Deum sub munere *participati*, qui illud in suo *esse* constituit, & ab entibus naturalibus distinguit. In rebus tamen naturalibus dantur specialia prædicata, ratione quorum adinvicem distinguuntur; & per hoc quòd non dicunt illum specialem respectum ad Deum sub munere *participati* secundùm modum proprium Dei, distinguuntur ab omni ente supernaturali. ¶ Ad quartam sufficienter constat ex doctrina generali, cur substan-

stantia nequeat specificari ab aliquo extrinseco, quia, nempè, est persè existens, & subsistens: ad differentiam accidentium, quæ, cùm sint entis entia, possunt ab alio extra se specificari, & individuari.

§. II.

Secunda Conclusio.

82 DIcendum est *secundò*, repugnare substantiam creatam, cui sit connaturale videre Deum. Hæc conclusio, eiusque rationes sunt ingens confirmatio præcedentis. Eamque similiter tenent Authores relati num. 75. Et probatur hoc vnico fundamento: Nam si *videre Deum prout est in se* esset connaturale alicui substantiæ creatæ possibili, etiam lumen gloriæ esset connaturale intellectui illius; sed lumen gloriæ nequit esse connaturale alicui intellectui creato possibili: ergo neque *videre Deum prout est in se* est illi connaturale. Minor probatur: Vltima dispositio ad aliquam formam nequit esse connaturalis, nisi cui est connaturalis ipsa forma, ad quam disponit, sicut calor vt octo, qui est vltima dispositio ad formam ignis, nequit esse connaturalis, nisi ei, cui est connaturalis forma ignis; sed lumen gloriæ est vltima dispositio ad essentiam divinam habendam per modum *speciei intelligibilis*: ergo implicat, quòd sit connaturale intellectui illi, cui non est connaturalis essentia divina per modum *speciei*: Nullus autem est intellectus creatus possibilis, cui sit connaturalis essentia divina per modum *speciei*: ergo nullus intellectus creatus est possibilis, cui sit connaturale lumen gloriæ. Minor subsumpta probatur: Nam inter speciem, & intellectum, cui est connaturalis, debet dari convenientia in gradu immaterialitatis; sed nullus intellectus creatus est possibilis, qui conveniat in eodem gradu immaterialitatis cum essentia divina, alias esset actus purus, sicut ipsa essentia divina: ergo nullus est intellectus creatus possibilis, cui sit connaturalis essentia divina per modum *speciei*. Quam rationem accepimus à D. Thoma in præs. art. 5. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd dispositio ad formam ignis non potest esse naturalis, nisi habenti formam ignis. Vnde lumen gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi creatura esset naturæ divinæ, quod est impossibile.*

Confirmatur hæc ratio alia doctrina Div. Thomæ in præs. art. 4. quam suprà expendimus num. 56. vbi ait: *Cognitio contingit, secundùm quòd cognitum est in cognoscente; cognitum autem est in cognoscente secundùm modum cognoscentis: si igitur modus essendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet, quòd cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis.* Ex quibus verbis confirmatur præcedens ratio: Nam inter modum proprium, & connaturalem cognoscentis, & modum obiecti cogniti, atq; ipsam cognitionem debet dari proportio, & convenientia in eodem gradu immaterialitatis; sed nullus est intellectus creatus possibilis, qui habeat ex se proportionem, & convenientiam in eodem gradu immaterialitatis cum Deo. *Relinquitur ergo* (concludit D. Thomas) *quòd cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui diuino, & quòd sit supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati.*

83 Missis evasionibus, quas loco citato à num. 58. suprà impugnavimus, & in præsenti poterant adhiberi: Respondent primò, quòd lumen gloriæ solùm est dispositio ad essentiam divinam per modum *formæ intelligibilis*: quando autem dispositio ita se habet, optimè potest esse connaturalis subiecto, quin forma intelligibilis sit ei connaturalis.

Contrà est *primò*: Nam vltima dispositio physica ad formam physicam non est connaturalis, nisi cui est connaturalis ipsa forma physica: ergo vltima dispositio physica ad formam intelligibilem nequit esse connaturalis, cui non est connaturalis forma intelligibilis. Antecedens admittunt Adversarij. Et consequentia à paritate liquet: vel assignent radicem disparitatis. ¶ *Secundò*: Nam, quia intellectus Michaëlis ex se est vltimò dispositus ad habendam suam substantiam per modum *speciei intelligibilis*, ipsa substantia est ei connaturalis: ergo si intellectus creatus esset connaturaliter dispositus per lumen gloriæ ad habendum essentiam divinam per modum *formæ intelligibilis*, etiam esset ei connaturalis ipsa essentia divina per modum *formæ intelligibilis*. ¶ *Tertiò*: Nam, quia substantia Angeli, nec in *esse entis*, nec in *esse* intelligibili est connaturalis intellectui humano pro hoc statu, nulla est dispositio excogitabilis, quæ sit ei connaturalis: ergo si essentia divina per modum *formæ intelligibilis* non est connaturalis vlli intellectui creato possibili, neque lumen gloriæ, quæ est eius vltima dispositio, poterit esse ei connaturale. ¶ *Quartò*, & *vltimò*: Nam inter intellectum, cognitionem connaturalem illius, & eius obiectum debet dari omnimoda convenientia in gradu immaterialitatis: ergo etiam inter lumen, seu habitum, & obiectum cognitum: ergo non stat, quòd lumen gloriæ sit connaturale intellectui creato, & non essentia divina. *Adde*: Nam intellectui connaturaliter disposito debetur connaturaliter cognitio, & forma intelligibilis, quæ ad illam prærequiritur: ergo si est possibilis intellectus creatus, qui connaturaliter disponatur per lumen gloriæ, etiam erit connaturalis forma intelligibilis, ad quam disponit; hæc non est alia præter essentiam divinam: ergo essentia divina esset eius connaturalis forma.

Prop-

84 Propterea respondent alij concedendo, quòd essentia divina est connaturalis per modum *formæ intelligibilis* alicui intellectui creato possibili, estò nequeat esse in *esse* naturali. In quo (aiunt) nullum apparet absurdum.

Sed hæc evasio subiacet eisdem impugnationibus, si ad aliam formam redigantur. Tum, quia substantia Angeli per modum *obiecti cognoscibilis* est improportionata cum intellectu humano pro hoc statu, non alia ratione, nisi quia in *esse entis* habent diversum gradum immaterialitatis: ergo si essentia divina in *esse entis* est supra naturam cuiuslibet intellectus creati possibilis, etiam in *esse* intelligibili. Tum etiam: Nam essentia divina per modum *formæ intelligibilis* est actus purus, & connaturalis intellectui divino: ergo nequit adhuc per modum *formæ intelligibilis* esse connaturalis alicui intellectui creato possibili. Patet consequentia: aliàs intellectus creatus huiusmodi, & intellectus divinus essent in *esse* intelligibili eiusdem immaterialitatis.

85 Sed contra hoc objicies *primò*: Ex his infertur, nullum intellectum creatum posse elevari ad videndum Deum, prout est in se. Quod sic ostenditur: Nam inter cognitionem, & obiectum cognitum debet dari convenientia in gradu immaterialitatis; sed nulla est possibilis cognitio creata, quæ conveniat cum Deo in gradu immaterialitatis, si vera sunt dicta: ergo intellectus creatus nequit elevari ad videndum Deũ, prout est in se. ¶ *Secundò*: Nam lumen gloriæ debet esse connaturale alicui intellectui: ergo si nullus est intellectus creatus possibilis, cui sit connaturale, soli intellectui divino erit connaturale; sed hoc repugnat, aliàs accidens esset Deo connaturale, & posset connaturaliter illum afficere: ergo est connaturale alicui intellectui creato possibili.

Ad primam obiectionem respondetur, quòd convenientia omnimoda in gradu immaterialitatis solùm salvatur inter cognitionem omninò connaturalem, & obiectum cognitum, secùs verò inter cognitionem non omninò connaturalem, qualis est visio Dei. Inter quas hoc est discrimen, quòd cognitio omninò connaturalis, seu connaturalitate absoluta, petit procedere à principio adæquatè connaturali: ad quod omninò requiritur, quòd intellectus per modum *potentiæ simplicis* connaturaliter petat cognitionem obiecti, proindeque etiam petere debet connaturaliter speciem, & lumen ad eam requisitum. Dato igitur, quòd potentia hoc modo petat speciem, lumen, cognitionem, & obiectum, omnia hæc debent convenire in eodem gradu immaterialitatis: & hoc salvaretur in sententia concedente, seu permittente possibilitatem substantiæ creatæ supernaturalis. Visio autem beata nunc existens, neque procedit ab intellectu per modum *potentiæ simplicis* pertentis connaturaliter visionem, vt ex se liquet; neque à lumine gloriæ, cùm solùm concurrat per modum *virtutis* elevantis potentiam. Vndè non requiritur, quòd detur omnimoda convenientia in gradu immaterialitatis, neque inter lumen, & speciem, neque inter cognitionem, & obiectum cognitum; sed sufficit, quòd sicut lumen gloriæ est participatio accidentalis inadæquata, & imperfecta virtutis Dei connaturaliter, & per modum *potentiæ simplicis* cognoscitivæ illius, prout est in se; ita visio creata sit participatio accidentalis inadæquata, & imperfecta cognitionis connaturalis Dei, inter quam, & obiectum cognitum datur convenientia suprà assignata. Ex quo infertur, quòd visio beata non est omninò connaturalis adhuc lumini gloriæ: quia non est principium adæquatum illius, cùm hoc coalescat ex intellectu, lumine, & essentia divina. Non tamen est supra exigentiam illius, quia adhoc sufficit, quòd sit dispositio essentiæ divinæ per modum *speciei*.

Ad secundam respondetur, quòd de lumine gloriæ dupliciter possumus loqui: vel quatenus est perfectio simpliciter simplex, quo pacto præscindit ab omnibus imperfectionibus, & ab eo, quòd sit creatum, vel increatum; & de lumine hoc modo accepto verificatur, quòd est connaturale soli Deo, vt sæpè docet Div. Thomas, maximè in præs. art. 4. & 3. part. quæst. 9. art. 4. Si verò loquamur de illo prout est involutum imperfectionibus accidentis, entis in potentia &c. Certum omninò est, quòd non est connaturale ipsi Deo. Sed neque debet esse connaturale alicui substantiæ: quia ex sua natura solùm est quædam elevatio accidentalis potentiæ ordinis inferioris petens gratuitò communicari subiecto, cui inest. Petit tamen vt subiectum inhęsionis ipsam substantiam, quam elevat: quia virtus ex se elevativa ad superiorem ordinem ex vna parte naturaliter petit pro subiecto naturam, quam elevat, & ex alia nequit connaturaliter peti ab aliqua substantia, aliàs hæc substantia per modum *potentiæ simplicis* contineret visionem Dei, consequenterque esset, & non esset ipse Deus.

§. III.

Sententia contraria.

86 OPpositam opinionem vtrique conclusioni tuentur Herice in præs. disp. 48. cap. 4. Valentia, Becanus, Alarcon, & alij, licèt non sine timore. Illo tamen excusso, eam absolutè defendit Ripalda tom. 1. *de Ente supernat.* disp. 23. per 18. sect. & tom. 2. disp. vltima. Inter quos licèt detur hoc discrimen, nempè, quòd alij propugnant possibilitatẽ substantiæ supernaturalis, cui sint tantùm connaturales virtutes morales persè infusæ: Alij possibi-

litatem substantiæ supernaturalis, quæ sit radix connaturalis fidei, & spei: & alij possibilitatem substantiæ, cui debentur charitas, & lumen gloriæ, inter quas necessariò fatenda est distinctio specifica: Semel tamen admissa aliqua substantia supernaturali, vi consequentiæ tenentur omnes concedere possibilitatem substantiæ supernaturalis, cui sit connaturale videre Deum, prout est in se, vt ex eorum argumentis constabit.

Arguitur ergo *primò*: Nam substantia creata supernaturalis non repugnat ex eo, quòd sit substantia creata, cùm dentur plures substantiæ creatæ: neque ex eo, quòd sit supernaturalis, cùm dentur plura entia supernaturalia creata: neque ex eo, quòd sit substantia creata supernaturalis: tum, quia si non repugnat ex parte alicuius extremi, neque potest repugnare ex parte coniuncti: tum, quia defactò vnio hypostatica est substantia supernaturalis. Ergo ex nullo capite repugnat substantia supernaturalis creata.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens quoad vltimam partem: Nam estò extrema non repugnent divisivè accepta; coniunctum tamen ex substantia, & supernaturalitate repugnat. Sicut chimæra non repugnat ex aliquo extremo divisivè sumpto, v.g. homo-cervus non repugnat ex capite, quòd sit homo, neque ex capite, quod sit ceruus; repugnat tamen coniunctum ex vtroque, nempè, homo-cervus. Pariter ergo estò non repugnet substantia creata, neque repugnet ens supernaturale divisivè; repugnat tamen substantia supernaturalis creata propter rationes suprà adductas. Ad probationem de vnione hypostatica sufficienter constat ex dictis num. 81.

87 Arguitur *secundò*: Non repugnat, substantiam divinam formaliter participari: ergo neque repugnat substantia supernaturalis creata. Antecedens probatur: Nam visio divina potest formaliter participari per visionem beatam, charitas etiam divina defactò participatur formaliter per charitatem creatam, idemque contingit in alijs prædicatis divinis: ergo etiam conceptus *substantiæ divinæ* potest formaliter participari per aliquam substantiam creatam; sed visio beata, & charitas sunt supernaturales: ergo non repugnat substantia supernaturalis creata.

Et confirmatur: Nam possibilis est intellectus creatus, qui possit esse formalis participatio intellectus divini: ergo etiam est possibilis similis participatio substantiæ divinæ. Consequentia à paritate constat. Et antecedens probatur: Nam participatio intellectus divini non repugnat ex capite intellectus divini. Tum, quia repugnantia, vt aliquod prædicatum divinum participetur ab aliquo creato, magis provenit ex incapacitate entis creati, quod nequit habere ipsam excellentiam Dei persè exactam à prædicato illam participante: sicut repugnantia, vt aliqua creatura producatur, potius provenit ex contradictione talis creaturæ, quàm ex defectu potentiæ Dei, vt docet Div. Thomas quæst. 25. art. 3. Tum, quia defactò intellectus divinus participatur per lumen gloriæ.

Neque repugnat ex capite intellectus creati. Tum, quia conceptus specialis intellectus non petit dimanare à natura, proindeque potest à Deo produci per diversam actionem ab ea, per quam producitur substantia: in qua suppositione eius specialis conceptus consistit præcisè in eo, quòd intrinsecè recipiatur in anima tribuens ei *posse* proximum ad intelligendum; sed hoc ipso non repugnat, quòd producatur intellectus supernaturalis dans *posse* proximum ad visionem beatam, sicut ob eandem rationem datur lumen gloriæ, quæ est participatio intellectus divini: ergo non repugnat participatio intellectus divini per intellectum creatum ex parte ipsius intellectus creati. Tum etiam: quia si aliquod caput repugnantiæ esset ex parte intellectus creati, maximè quia esset eiusdem immaterialitatis cum Deo (cætera absurda non habent locum in intellectu, vt ea perspicienti constabit) sed intellectus, qui esset participatio formalis intellectus divini, non esset eiusdem immaterialitatis cum Deo: tum, quia lumen, quod est participatio formalis illius, non est: tum & præcipuè, quia convenientia in eodem gradu immaterialitatis non attenditur secundùm principium proximum, sed secundùm radicale, vt non obscurè colligitur ex testimonio Div. Thomæ suprà num. 56. adducto, vbi ait: *Cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundùm modum suæ naturæ*; sed natura tunc compararetur ad intellectum præcisè vt elevabilis, non minùs propriè, ac comparatur ad lumen gloriæ: ergo &c.

88 Ad argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Nam aliud est, naturam divinam substantialem participari accidentaliter, aliud est participari substantialiter. Primum est verum, & sic participatur per gratiam; secundum autem est falsum, propter rationes à nobis adductas. Vnde sicut repugnat, quòd attributa divina participentur à creatura per modum substantiæ, ob quam rationem repugnat amor creatus supernaturalis substantialis; ita repugnat, quòd participetur per modum substantiæ natura divina. Et ratio est eadem vtrobique: nempè, quia amor substantialis, intellectus substantialis, & substantia supernaturalis est persè subsistens, & divina; & divinitas persè subsistens est ipse Deus.

89 Ad confirmationem sunt ex Thomistis, qui respondeant, concedendo possibilitatem intellectus creati supernaturalis: quia in illo (aiunt) non militant absurda, quæ in substantia supernaturali creata. Quod late intendunt probare. Sic Ferre in præf. num. 822. & Illustr. Montalvan

in

in ſuo Manuſcripto *de Viſione* dub.6.à num.37. Sed, pace habita cum tantis Magiſtris, hæc doctrina non videtur conveniens propter duo. *Primum eſt*: quia nullum datur *poſſe* proximum, quod connaturaliter non exigat naturam, à qua dimanet, vt inductione conſtat tàm in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus: in naturalibus enim nullam potentiam proximè operativam Deus poteſt producere, quin poſsit aliquam naturam ſubſtantialem producere, à qua petat dimanare, in eaque radicari: ſicut in ſupernaturalibus omnes habitus ſupernaturales petunt dimanare à gratia: ergo, ſemel conceſſa poſsibilitate intellectus creati ſupernaturalis, neceſſariò concedenda eſt poſsibilitas ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ. *Explicatur*: Non minus perfectum agens eſt Deus in ſupernaturalibus, quàm in naturalibus; ſed in naturalibus nullam potentiam proximè operativam producere poteſt, quæ non correſpondeat per modum proprietatis alicui ſubſtantiæ naturali poſsibili: ergo idem dicendum de potentia ſupernaturali creata. *Adhæc*: Nam ſi eſſet poſsibilis intellectus creatus ſupernaturalis, iam in eadem anima poſſet eſſe duplex intellectus, alius naturalis pro intellectionibus naturalibus, & alius ſupernaturalis pro intellectionibus ſupernaturalibus: ad intellectiones enim naturales nequit concurrere principium adæquatè ſupernaturale, vt liquet in gratia, & lumine gloriæ; ſed hoc eſt falſum: Tum, quia eſt inauditum: Tum & maximè, quia intellectus naturalis per modum potentiæ habet ex ſe activitatem in viſionem beatam: ergo intellectus ſupernaturalis non reciperetur in anima per modum potentiæ, ſed tantùm per modum virtutis, quia ſolum poſſet tribuere id, quod ab intellectu naturali non habet: ergo, ſi tantùm reciperetur per modum virtutis, & poſſet elevare intellectum naturalem, ſicut defactò illum elevat lumen gloriæ, non diſtingueretur à lumine gloriæ. *Secundum eſt*: quia inter obiectum, & eius cognitionem procedentem ab intellectu per modum principij proximi datur convenientia in eodem gradu immaterialitatis, quia habet omnimodam connaturalitatem cum illo: ergo tàm intellectus huiuſmodi, quàm viſio ab eo procedens convenirent cum Deo in eodem gradu immaterialitatis. Dicere autem, quòd connaturalitas potius attenditur ſecundùm principium radicale, quàm ſecundùm principium proximum: verum eſt, quando principium proximum ſe habet præciſè per modum virtutis. Cæterum quando principium proximum eſt per modum potentiæ ſimplicis, idem eſt attendi connaturalitatem ſecundùm principium proximum, ac ſecundum principium radicale.

90 Nunc reſpondetur ad probationes, quæ perſuadere conantur poſsibilitatem intellectus creati ſupernaturalis. Ad primam enim dicendum eſt, quod eſtò permittamus poſsibilitatem intellectus creati, qui defactò non dimanet à natura (in hoc enim non recognoſcimus aliquam implicationem) huiuſmodi tamen intellectus ex natura ſua petit ab illa dimanare, proindeque debet eſſe illi connaturalis. Cuius ſignum eſt, quòd anima non per quemcumque intellectum poteſt intelligere: non enim intelligeret per intellectum Angeli, dato quòd per poſsibile, vel impoſsibile reciperetur in ea, quia talis intellectus ſemper eſſet virtus Angeli: qua ratione ſicut calor in aqua, & accidentia euchariſtica ſemper operantur vt virtutes ſubſtantiæ, à qua profluunt, aqua nullo modo concurrente, ita anima per intellectum Angeli non intelligeret. Solum ergo poteſt intelligere per intellectum, qui ex natura ſua eſt virtus illius. Ad quod de materiali ſe habet, quòd producatur de potentia abſoluta per diverſam actionem, ac ipſa anima: quia eo ipſo, quòd petat in ſui productione connaturali dimanare ab anima, eſto defactò, & attenta omnipotentia non dimanet, ſemper eſt virtus eius, vt in exemplis adductis liquet. Ex quo infertur, quòd data poſsibilitate intellectus creati ſupernaturalis, neceſſariò eſſet virtus, & *poſſe* proximum alicuius ſubſtantiæ ſupernaturalis. Per quod conſtat ad ſecundam probationem: nam cum huiuſmodi intellectus ſemper exigeret aliquam naturam, à qua connaturaliter peteret dimanare, ſemper intelligeret vt virtus eius, conſequenterque idem eſſet immaterialitatem illius attendi ſecundùm principium proximum, ac ſecundùm principium radicale.

91 Sed contrà hæc objicies (& erit tertium argumentum) Nam defactò datur lumen gloriæ, quod eſt ſupernaturale: ergo poſsibilis eſt aliqua ſubſtantia ſupernaturalis, cui ſit connaturale prædictum lumen. Conſequentia probatur: Nullum eſt accidens, quod non ſit connaturale alicui ſubſtantiæ; ſed accidens ſupernaturale nequit eſſe connaturale ſubſtantiæ naturali: ergo eſt connaturale ſubſtantiæ ſupernaturali creatæ. Maior probatur: tum ex paritate accidentium naturalium: tum paritate intellectus ſupernaturalis, qui ſi eſſet poſsibilis, poſsibilis etiam eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, cui eſſet connaturalis, vt ſuprà arguebamus.

Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Ad cuius probationem neganda eſt maior, cuius nulla probatio vrget. Non prima: nam ideò nullum eſt accidens naturale, quod non ſit connaturale ſubſtantiæ naturali, quia ex ſe non eſt elevatio ſubſtantiæ naturalis ad ordinem ſuperiorem. Cæterum lumen gloriæ eſt elevatio accidentalis ad ordinem ſuperiorem, & divinum, in quo ordine nequit dari ſubſtantia completa creata, aliàs eſſet ſubſtantialiter divina, filia Dei naturalis, ab intrinſeco impeccabilis, & ſpecificaretur ab aliquo extrinſeco, quæ ratio-

nes pugnant cum qualibet substantia creata. Neque secunda : nam potentia proximè operativa licèt defactò non dimanet ab aliqua natura, defactò tamen petit ab ea dimanare, quia sicut nulla est natura, à qua non petat dimanare aliqua proprietas, ita nulla est potentia, quæ non sit proprietas alicuius naturæ, & à qua non petat dimanare. Quocircà rectè concluditur, quòd si datur intellectus supernaturalis, etiam dari posset substantia supernaturalis. Cæterùm accidens ex conceptu communi *accidentis* non petit dimanare ab aliqua natura; & si est supernaturale, non inconvenit, quòd nulli substantiæ creatæ sit connaturale. Pro quo recolenda sunt, quæ diximus num. 85.

92 Vltimò arguitur : Nam substantia supernaturalis ex suo conceptu non importat infinitatem : ergo est possibilis substantia supernaturalis creata. Antecedens probatur: Tum, quia complexum ex natura, & gratia habituali non importat infinitatem ; sed substantia supernaturalis æquivalet complexo ex natura, & gratia: ergo neque substantia supernaturalis ex suo conceptu formali importat infinitatem. Tum etiam: Nam conceptus *substantiæ supernaturalis* non est ratio specifica, aut numerica Dei, sed est quidam conceptus præscindens à Deo, & creaturis, sicut conceptus *substantiæ* vt sic: ergo non importat infinitatem.

Et confirmatur : Nam si non esset possibilis substantia supernaturalis creata, participatio ordinis supernaturalis esset imperfecta; sed hoc non est admittendum : ergo est possibilis. Maior videtur certa : nam si participatio ordinis naturalis fieret solùm per accidentia, proculdubiò esset imperfecta : quare ergo non erit imperfecta participatio ordinis supernaturalis per accidentia? Minor verò probatur: Nam eo ipso, quòd ordo supernaturalis est superior, non petit, quòd eius participatio ex genere sit imperfecta, sed potius oppositum.

Ad argumentum respondetur *primò*, permittendo antecedens ; & negando consequentiam. Quia ex alijs capitibus repugnat substantia supernaturalis creata præter caput infinitatis, nempè, quia esset, & non esset supernaturalis ; quia specificaretur, & non specificaretur ab aliquo extrinseco. Deinde respondetur negando antecedens. Et ad eius primam probationem dicendum est, quòd estò complexum ex natura, & gratia non sit infinitum, vtrumque autem identificari in vna simplici entitate arguit infinitatem, vt mille instantijs potest probari. Conflatum enim ex essentia, & existentia distinctis non est infinitum ; & tamen identificatio vtriusque in eadem indivisibili entitate arguit infinitatem : Hoc etiam liquet in complexo naturæ, intellectus, & intellectionis. Ad secundam dicimus, quòd conceptus *substantiæ supernaturalis*, licèt pro explicito non sit ratio specifica, aut numerica Dei, pro implicito tamen est vtraque ratio illius, quia dicit ipsam gratiam per essentiam, actum purum, & ens à se omninò illimitatum.

Ad confirmationem respondetur, quòd participationem esse perfectam, vel imperfectam non pensari debet ex eo, quòd participetur accidentalitèr, vel substantialitèr, sed ex eo præcisè quòd participetur eo modo, quo aliquid participabile est. Vnde cùm prædicata divina solùm possint participari in ordine supernaturali per accidentia, inde est, quòd huiusmodi participatio erit perfecta. Neque ob hoc participatio in ordine supernaturali imperfectior est (proportione servata) participatione ordinis naturalis: Nam propterea in ordine naturali datur participatio per substantiam, quia participatio in hoc ordine est imperfectissima, non imitans perfectè modum ipsius Dei, ob quam rationem non repugnat substantia creata naturalis. Vnde tantùm abest hæc ratio participationis à perfectione, quòd potiùs eius imperfectio sit radix huiusmodi participationis substantialis. Cæterùm si daretur substantia supernaturalis creata, haberet ipsissimum modum Dei, quod repugnat. Sufficit ergo ad perfectionem participationis supernaturalis, quòd participetur per accidentia : nam hæc arguit perfectionem possibilem in suo ordine, quæ ortum ducit partim ex perfectione talis ordinis, & partim ex imperfectione, nempè accidentis.

DISPUT. II.

De Specie requisita ad visionem Dei.

Sicut duo concurrunt ad quamlibet intellectionem, nempè, potentia intellectiva, & obiectum ; ita duo sunt principia visionis beatæ, scilicet, lumen gloriæ, & obiectum, quod concurrit ratione sui per modum *speciei*, vel per speciem distinctam, quæ se habet adinstar seminis. De his duobus principijs agendum est in hac disputatione, & sequenti, ita vt prius instituamus sermonem de specie, & posteà de lumine.

DUBIUM I.

Vtrùm essentia divina in ordine ad visionem beatam vniatur cum intellectu Beati per modum speciei ; *vel an defactò detur aliqua species creata?*

1 Licèt ad cognitionem nonnunquam concurrat triplex similitudo, alia impressa, quę coincidit cum specie ; alia expressa, quæ reipsà est idem, ac verbum, quod se ha-

habet adinstar prolis ; & tandem alia obiectiva, quæ est aliud obiectum priùs cognitum vt *quod* ducens potentiam ad cognitionem alterius;præsens autem dubium solùm procedit de prima. ¶ Pro quo supponendum est cum PP. & Philosophis, dari necessariò speciem impressam ad quancumque intellectionem,proindeque necessariam esse aliquam speciem ad visionem beatam. Difficultas tamen est, an hæc species sit ipsa essentia divina,vel aliquid creatum.Pro qua multiplex datur sententia. Alij enim docent dari speciem creatam deservientem pro cognitione abstractiva Dei , quam etiam vocant *distinctam*, & *quidditativam* illius. Sic communiter Scotistæ. Sed de hac nihil modò agemus , quia non est præsentis tractatus. Alij illam admittunt pro cognitione etiam intuitiva;illam tamen distinguunt à lumine glorię. Ita Aureolus apud Capreolum in 1. dist. 49. quæst. 5. art. 5. cui suffragantur plures Scotistæ,& Ægidius Lusitan. lib. 8. *de Beatitud.* part. 2.quæst. 3. art. 2. Alij tandem aiunt , lumen gloriæ habere rationem speciei ; itaut,si addatur essentia divina supplens vices speciei, superfluat lumen gloriæ: vel si datur lumen gloriæ, non sit necessaria essentia divina. Sic Vazquez in præs. disp. 39. cap. 1. & alibi , Alarcon cum alijs paucis Iesuitis. Omnes tamen conveniunt in vno , quòd essentia divina non vnitur defactò intellectui Beati per modum *speciei*.

§. I.

Sententia communis.

2 DIcendum est , nullam speciem impressam creatam intervenire in ordine ad visionem beatam, sed ipsam essentiam divinam vniri per modum *speciei*. In hac conspirant omnes Thomistæ, & communiter Theologi moderni. Estque expressa D. Thomæ pluribus in locis : & in præs. art. 2. postquàm ait, quòd ad visionem, tàm corporalem,quàm spiritualem,duo requiruntur,nempè, virtus visiva, & vnio rei visibilis, expressè asserit , quòd lumen gloriæ est virtus visiva intellectus , non essentia divina ; & quòd essentia divina per seipsam vnitur ex parte rei visæ , *quia per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest*: ergo sententia D. Thomæ diametraliter opponitur sententiæ Vazquezij. Idem tradit 3. Contra gent. cap. 51. per hæc verba: *Oportet, si Dei essentia videatur , quòd per ipsamet essentiam divinam intellectus ipsam videat , vt sic in tali visione divina essentia sit , & quod videtur, & quo videtur.* Tandem opusc. 3. cap. 30. excludens omnes modos dicendi Adversariorum sic ait: *Patet etiam ex suprà dictis , quòd Deus non intelligitur per aliam speciem, quàm per essentiam suam: quia,cùm in Deo nihil sit in potentia , sed actus purus , oportet , quòd non per aliam speciem , sed per essentiam suam intelligat.* Videatur 3. part. quæst. 9. art. 3. ad 3. vbi expressè docet, quòd essentia divina vnitur menti Beati,sicut intelligibile intelligenti : ergo per modum *speciei*.

3 Ex quibus authoritatibus duplex conficitur ratio probativa. Alia vniversalis, quæ reducitur ad hanc formam: Essentia divina defactò exercet munus *speciei* respectu visionis beatæ: ergo superfluit alia quæcumque species creata. Antecedens probatur : Nam obiectum per seipsum actu intelligibile,proportionatum, & intimè præsens intellectui per seipsum exercet munus *speciei* ; sed essentia divina est huiusmodi respectu intellectus creati illustrati lumine glorię: ergo defactò est species respectu visionis. Maior liquet in essentia Angeli,quæ,quia habet prædictas conditiones respectu proprij intellectus, exercet rationem *speciei* ad sui cognitionem per proprium intellectum. Minor quoad singulas partes probatur. Et in primis quod sit actu intelligibilis, facilè ostenditur : Nam quòd est summè immateriale , est summè intelligibile (immaterialitas enim est radix intelligibilitatis) sed essentia divina est summè immaterialis:ergo etiam est summè intelligibilis in actu. Deinde quòd sit proportionata,probatur: Nam intellectus elevatus per lumen gloriæ constituitur in ordine divino: ergo essentia divina est sufficienter proportionata cum illo, vt finito modo vnibilis. Tandem quòd sit ei intimè præsens, probatur:Nam essentia divina ratione immensitatis est intimè præsens intellectui per intimum illapsum,sicut cuicumque creaturæ.Igitur essentia divina respectu intellectus creati elevati per lumen gloriæ habet omnes conditiones requisitas ad munus *speciei*.

4 Deinde probatur alia ratione magis peculiari contra sententiam Vazquez : Nam species intelligibilis supponit lumen gloriæ in intellectu: ergo lumen gloriæ non exercet munus *speciei* ad visionem beatam. Antecedens probatur : Nam omnis species intelligibilis supponit virtutem intelligendi ex parte intellectus ; sed lumen glorię est virtus elevans intellectum ad intelligendum per visionem beatam : ergo species intelligibilis supponit lumen gloriæ in intellectu. ¶ Et confirmatur *primò* : Nam ad quamlibet cognitionem requiritur concursus obiecti , & potentiæ, iuxta illud axioma Philosophorum,& Theologorum acceptum à D. Augustino,*Ex obiecto,& potentia paritur notitia*: ergo diversus est concursus potentiæ à concursu obiecti:Tunc sic; sed lumen gloriæ concurrit vt virtus intellectus faciens vnum comprincipium cum illo ex parte potentiæ , non minùs propriè, ac ipse intellectus in ordine ad intellectionem naturalem est per seipsum ipsa virtus requisita ex parte potentiæ,vltra quam datur species distincta,vt virtus obiecti: ergo lumen gloriæ

riæ nam habet rationem *speciei*. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam ex oppositò fieret, ad nullam cognitionem, sivè sensitivam, sivè intellectivam, sivè naturalem, sivè supernaturalem esse necessariam speciem intelligibilem, sed ipsum lumen cognoscitivum suppleret munus *speciei*, & concursum obiecti: proindeque lumen fidei, donum intellectus, & sapientiæ sufficerent ad cognitiones proprias eliciendas. Quibus præclusa manet communis evasio Vazquezij asserentis non requiri concursum specialem obiecti in ratione *speciei*: nam hac ratione, & confirmationibus manifestè constat oppositum, quas in præsenti non vltrà expendimus, quia tangit rem philosophicam, & in N. Complut. abbrev. in lib. *de Anima* disp. 17. quæst. 1. stabilitam.

5 Sed responderi potest ex doctrina Suarij, concedendo non dari defactò speciem creatam ad visionem; sed non propterea essentia divina vnitur per modum *speciei*: quia omnis species debet vniri per inhærentiam, aut informationem; quod propter suas imperfectiones repugnat essentiæ divinæ: sufficiet ergo, quòd essentia divina per modum *obiecti* concurrat cum intellectu coëfficiendo cum illo visionem claram Dei.

Hæc tamen solutio involvit duo falsa, & aliud imperceptibile ab intellectu. Et incipiendo ab hoc vltimo, imperceptibile omnino est, quòd obiectum præbeat specialem concursum in cognitionem, quin vniatur cum potentia cognoscitiva: ergo vel per inhærentiam, vel per informationem, vel alia vnione magis elevata denudata ab omni imperfectione. Antecedens videtur certum: nam iniutelligibile est, quòd suppositum Verbi præbeat specialem concursum in operationes Christi, nisi vniatur speciali aliqua vnione cum humanitate: idem ergo de influxu obiecti dicendum est. ¶ Nisi mavis dicere, quòd obiectum se habet vt principium extrinsecum, ad eum modum quo comparantur inter se duo portantes eundem lapidem. ¶ Si hoc dicas, adversaris communi philosophiæ. Nam iuxta communem philosophiam tota intellectio procedit ab intellectu; sed iuxta modum præfatum discurrendi tota intellectio non profluereret ab intellectu, sicut neque tota portatio lapidis profluit ab vnoquoque illum portante: ergo.

6 Deinde duo involuit falsa. Primum est, quòd de ratione speciei sit inhærere, aut informare. Hoc, inquam, est falsum: Nam essentia divina respectu intellectus divini est vera species intelligibilis, & tamen illi non inhæret, neque informat. ¶ Nec proderit recursus ad omnimodam identificationem essentiæ divinæ cum suo intellectu, qui non habet locum in ordine ad intellectum creatum. Non, inquam, proderit: Tum, quia etiam species identificatur cum intellectu, vt fusiùs duobus dubijs sequentibus declarabimus. Tum etiam, quia substantia Angeli vnitur per modum *speciei* cum proprio intellectu; & tamen neque informat, neque inhæret. Tum denique: nam ipsa essentia divina vnitur intellectui creato per modum *verbi*; & tamen hæc vnio neque est per inhærentiam, neque per informationem. *Maximè*: quia essentia divina neque ex conceptu communi *speciei*, neque ex conceptu peculiari importat inhærentiam, aut informationem: ergo ex hoc capite non repugnat ei exercere rationem *speciei* respectu intellectus creati. Antecedens quoad primam partem probatur: Tum quia datur species substantialis in *esse* entitativo; sed huic tàm in *esse* naturali, quam in *esse* intelligibili repugnat inhærentia: ergo multò magis essentia divina potest exercere rationem *speciei*, quin ei conveniat inhærentia, sivè ex conceptu communi, sivè ex conceptu peculiari. Tum etiam: nam estò multoties detur species, quæ in *esse* entitativo importet inhærentiam, in *esse* tamen intentionali nequit illam importare, cùm plerumque in *esse* intentionali sit substantia, cui in eo ordine, in quo est substantia, repugnet inhærentia: ergo cùm essentia divina in *esse* entitativo præsupponat vnionem per intimum illapsum, & in *esse* intelligibili sit substantia, poterit exercere rationem *speciei*, quin importet inhærentiam in intellectu creato. Quoad secundam partem etiam probatur: Nam substantia Angeli defactò vnitur cum proprio intellectu per modum *speciei*; & tamen non vnitur ei per informationem neque in *esse* naturali, vt ex se liquet; neque in *esse* intelligibili, quia est persè subsistens; & quia informatio solùm habet locum in vna parte substantiali respectu alterius compartis substantialis, & non respectu accidentis, qualis est intellectus Angeli: ergo idem dicendum est de essentia divina.

7 Et ratio radicalis horum est: Quia solùm vnitur per inhærentiam, vel per informationem, quod tribuit primam virtutem ad agendum se tenentem ex parte potentiæ, vel dat primam rationem essentialem se tenentem ex parte subiecti illud recipientis; sed nulla est species, quæ vno ex his modis comparetur ad intellectum: ergo essentia divina ita potest vniri cum intellectu creato, quòd neutro ex his modis vniatur cum illo. Maior liquet in subsistentia divina, quæ non vnitur naturæ humanæ per inhærentiam, aut informationem, sed tantùm per modum puri termini, quia nec tribuit virtutem se tenentem ex parte potentiæ ad agendum, neque dat primum *esse* essentiale. Minor ex suprà dictis constat: Nam in primis species, cùm se teneat ex parte obiecti, iam supponit in intellectu virtutem ad intelligendum: deinde intellectus iam habet suum *esse* essentiale, & supponit *esse* essentiale animæ: ergo species tantùm potest se habere per modum complementi intelligibilis se tenentis ex parte obiecti: ergo neque petit vniri per inhæren-

hærentiam, neque per informationem. Sed de hoc iterum redibit sermo locis citatis. Adde pro maiori luce huius confirmationis: Nam propterea subsistentia divina vnitur naturæ humanæ, & non per inhærentiam, aut informationem, quia est suum *esse*, & actus purus; sed hæc eadem ratio militat in essentia divina per modum *speciei*: ergo &c.

8 Secundum, quod involuit suprà dicta solutio, quòd nimirum essentia divina concurrit activè cum intellectu ad visionem claram Dei, quin exerceat munus *speciei*, est non minus falsum, quàm primum. Nam, vt obiectum concurrat activè cum potentia ad intellectionem, requiritur, quòd vniatur cum illa; sed nequit vniri in *esse* naturali: ergo in *esse* intelligibili: ergo vnitur per modum *speciei*. Maior patet, si supponatur quoddam principium commune apud D. Thom. qui multoties asserit, potentiam cognoscitivam ex se esse puram potentiam in *esse* intelligibili, ideoque indigere vnione alicuius speciei: quæ ratio est adeò vniversalis, vt probet vnionem essentiæ divinæ per modum *speciei* cum proprio intellectu, & necessitatem speciei in intellectu Angelico: ergo non stat, quòd obiectum concurrat activè cum potentia cognoscitiva, quin vniatur cum illa.

§. II.

Argumentorum solutio.

9 ARguitur *primò*: Nam permissa possibilitate speciei creatæ in ordine ad visionem beatam, connaturaliùs fit visio beata media specie creata, quàm media essentia divina vnita per modum *speciei*; sed in hoc dubio omninò præscinditur ab impossibilitate prædictæ speciei, imò possibilitas illius pro statu huius quæstionis supponi debet: ergo defactò datur. Maior probatur: Tum, quia connaturalius est ex parte intellectus creati, quòd cognitio fiat media specie sibi inhærente, & subordinata, quàm media essentia divina illi non inhærente, nec subordinata. Tum: nam etiam est connaturalius Deo concurrere per formas creatas, quàm per seipsum, vt liquet aliquibus exemplis: nam connaturaliùs producitur lux per solem, quàm immediatè per Deum. Item, supposito, quòd Deus possit vniri in ratione *luminis gloriæ*, vt falsò aliqui tenent, connaturaliùs visio fit medio lumine creato, quàm lumine divino. Tandem: Estò subsistentia divina possit terminare naturam creatam; hæc autem connaturaliùs subsistit subsistentia propria, quàm subsistentia divina. Ergo connaturaliùs fiet visio beata media specie creata, quàm media essentia divina.

Respondetur adhoc argumentum, negando maiorem. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd quando obiectum aliàs est vnitum, & proportionatum cum potentia, connaturaliùs est, tam ex parte potentiæ, quàm ex parte obiecti, quòd medio illo vnito per modum *speciei* fiat cognitio, quàm media specie distincta, vt liquet in substantia Angeli respectu proprij intellectus: nam eo ipso, quòd obiectum est intimè vnitum potentiæ, & illi proportionatum, inutile & superfluum est substitutum. ¶ Ad secundam respondetur, quòd licèt in *esse* naturali connaturalius sit Deo concurrere ad suos effectus medijs causis secundis, quàm se solo, secùs verò in *esse* intentionali. Et ratio discriminis est: quia causæ secundæ habent virtutes persè ordinatas ad operandum, ideoque connaturalius est, quòd illas permittat agere, ne sint otiosæ. Rursùs, virtutes huiusmodi, hoc ipso quòd sint persè operativæ, non ordinantur ad supplendum defectum omnipotentiæ, cùm pulchritudo huius vniversi persè exigat causas secundas; sed potiùs omnipotentia, si vniretur in ratione *virtutis*, esset quasi substitutum virtutis creatæ; quare connaturalius fit effectus medijs causis secundis, quàm econversò. Cæterum in *esse* intentionali res aliter se habent: nam obiectum, si est persè intelligibile, proportionatum, & vnitum potentiæ, nequit se habere vt substitutum alterius speciei, sed potiùs species esset substitutum obiecti: ideoque connaturaliùs fiet intellectio, quando potest fieri medio ipso obiecto, quàm media specie distincta. Per quod constat ad omnia exempla.

10 Arguitur *secundò*: Nam in lumine gloriæ datur quidquid desiderari potest ad rationem speciei: ergo habet rationem speciei; proinde superflua erit vnio essentiæ divinæ. Antecedens probatur: Lumen gloriæ elevat, & confortat potentiam ad hanc numero visionem, huiusque determinati obiecti; sed nihil aliud præstat species: ergo in lumine gloriæ datur, quidquid desiderari potest ad rationem speciei.

Confirmatur *primò*: Nam lumen gloriæ est principium proximum, cui correspondet omnis formalitas reperta in visione: ergo habet rationem speciei. Antecedens probatur: Lumen gloriæ est virtus persè determinata ad hanc numero visionem, tàm vt *vitalem*, quàm vt *supernaturalem*: ergo correspondet ei omnis formalitas visionis. ¶ *Augetur hoc*: Nam aliæ virtutes sunt indifferentes ad hoc obiectum prealio, ob quam rationem indigent specie, vt determinanti ad hoc obiectum præ alio; sed lumen gloriæ est determinatio non solùm ad speciem obiecti, sed etiam ad eandem numero intellectionem: ergo ex se est species. Patet consequentia: Nam quando vis intellectiva est necessariò determinata ad cognitionem huius obiecti præ alio, non est necessaria species distincta ab illa: quamobrem Caietanus, & Ioannes à San-

Sancto Thom. admittunt, quòd Angelus cognoscit seipsum sine specie impressa proximè determinante eius intellectum.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd tota elevatio potentiæ proveniens à lumine gloriæ solùm se tenet ex parte potentiæ: vltra quod requitur determinatio ex parte obiecti, vt liquet in omni alia intellectione naturali: vt sic verificetur illud axioma, *Ab obiecto, & potentia paritur notitia.* Et ratio huius est: quia neque cognitio potest provenire præcisè à potentia habenti virtutem activam, sive ex se, sivè ex elevatione; neque obiectum potest illam complere, vsquedum potentia habeat vim proximam intelligendi: Et cùm virtus se tenens ex parte potentiæ non sit similitudo obiecti, necessariò exposcit vnionem cum obiecto.

Ad confirmationem respondetur, quòd sivè omnis formalitas reperta in visione correspondeat lumini gloriæ, sivè non, semper requiritur, præter vim proximam se tenentem ex parte potentiæ, determinatio ex parte obiecti: quia visio, seu intellectio est quidam partus intellectualis, qui petit à duplici principio procedere adinstar partus naturalis. Et instatur in alia quacumque intellectione naturali: cuius omnis formalitas fortè correspondet virtuti naturali intellectus, quin ob hoc excludatur necessitas speciei. Et si in intellectione naturali datur aliqua formalitas correspondens speciei, & non virtuti intellectivæ, non est, cur hoc non verificetur in visione beata respectu essentiæ divinæ; cùm eodem modo se habeat intellectus illustratus lumine gloriæ in ordine ad visionem beatam, ac intellectus secundùm vim suam naturalem in ordine ad intellectionem naturalem. Ex quo constat ad eius probationem: Nam estò lumen gloriæ sit determinatio ad hanc numero visionem, solùm est determinatio se tenens ex parte potentiæ: vltra quam requiritur, quòd adsit etiam determinatio ex parte obiecti. Nam sicut virtus naturalis intellectus, & species naturales se habent ad intellectionem naturalem secundùm conceptum specificum, ita lumen gloriæ se habet ad hanc numero visionem: Unde sicut, non obstante quòd virtus naturalis, v. g. lumen principiorum, est determinata ad speciem actus, indiget specie distincta ad prædictum actum secundùm suam speciem; ita, non obstante quòd lumen gloriæ sit determinatio ex parte potentiæ ad hanc numero visionem, indiget essentia divina, vel alia specie distincta ad illam. *Maximè*: quia multoties species est adeò vniversalis, quòd eadem numero potest deservire pro pluribus cognitionibus, sivè numero, sivè specie distinctis, proindeque in ea est ferè eadem indifferentia, ac in potentia, vt in specie angelica: ergo vel non sufficiet hæc species ad hanc determinatam intellectionem, sed erit alia magis determinata necessaria; vel ex determinatione virtutis ad hanc numero visionem non arguitur superfluitas speciei.

Ad augmentum difficultatis respondetur, quòd estò intellectus Angeli sit omninò determinatus ex parte potentiæ ad cognitionem sui; in omnium autem Thomistarum sententia semper desideratur concursus ipsius substantiæ per modum *speciei*: Per quod magis roboratur tradita solutio. Est tamen inter illos hoc discrimen, quòd relati Authores docent, quòd sicut intellectus dimanat à substantia Angeli vt intellectiva, etiam ab illa vt intelligibili, proindeque vtroque modo concurrit mediante intellectu; hoc autem non habet locum in essentia divina comparativè ad intellectum creatum, sed præcisè ad intellectum divinum. Alij verò, & fortè probabiliùs docent, quòd ipsa substantia Angeli actuat de novo in *esse* intelligibili suum intellectum, concurritque proximè in ipsam intellectionem. Quicumque ex his modis teneatur, semper salvat necessitatem speciei, sicut in Deo salvatur.

11 Tertiò & vltimò arguitur: Conceptus *speciei* respectu intellectus distincti importat plurimas imperfectiones: ergo essentia divina nequit exercere munus *speciei* respectu intellectus creati. Antecedens probatur *primò*: Nam conceptus *speciei* respectu intellectus distincti est conceptus causæ formalis, cùm determinet intellectum, & tribuat speciem intellectioni; sed conceptus causæ formalis dicit pro explicito imperfectionem, qua ratione essentia divina nequit vniri in ratione luminis gloriæ: ergo &c. *Secundò*: Quod constituit potentiam in actu primo ad intelligendum, nequit non dicere imperfectionem informationis, seu inhærentiæ; sed species est huiusmodi respectu intellectus, cùm pro priori ad illam sit pura potentia in ordine intelligibili: ergo &c. *Tertiò*: Nam actus primus ex suo conceptu formali est potentialis, & imperfectus, sed de conceptu *speciei* est esse actum primum, siquidem intellectio est vltima actualitas totius lineæ intelligibilis: ergo. *Quartò*: Quia ex intellectu, & specie debet resultare vnum ens per se: ergo debet ex vtroque fieri vera compositio; sed omnis compositio affert secum imperfectionem in qualibet parte componente, & propterea Deus nequit venire in compositionem alterius: ergo &c. Aliæ imperfectiones, quæ in specie videntur relucere, potiùs deducuntur ex concursu eius effectivo, & propterea ab his abstinemus vsque ad suum proprium locum.

Confirmatur *primò*: Nam vnio essentiæ divinæ cum intellectu debet fieri per aliquam novam actionem Dei; sed nequit explicari per quam actionem fiat hæc vnio, maximè si, postquam intellectus est perfusus lumine gloriæ, Deus suspendat vnionem intelligibilem sui ipsius

(vt

(vt potest) & posteà vniat essentiam divinam: ergo signum est, quòd non vnitur per modum *speciei*.

Confirmatur *secundò*: Ita se habet intellectus cum lumine gloriæ in ordine ad visionem beatam, sicut intellectus secundùm se in ordine ad quamlibet intellectionem naturalem: ergo sicut de ratione *speciei* est vniri per identitatem cum intellectu secundùm vim suam proximam, ita de ratione essentiæ divinæ erit vniri per identitatem cum intellectu vt illustrato lumine gloriæ; sed repugnat intellectui, & lumini gloriæ vniri per identitatem cum essentia divina, aliàs esset Deus: ergo essentia divina nequit vniri cum intellectu creato per modum *speciei*.

12 Ad argumentum respondetur, distinguendo antecedens: *Conceptus speciei importat plurimas imperfectiones* ex suo conceptu formalissimo, nego antecedens; secundùm id, quod multoties pro implicito affert, concedo antecedens: Et negatur consequentia. Pro quo nota *primò* duplex discrimen repertum inter formam physicam, & formam intelligibilem: Primum est, quòd forma physica se tenet ex parte subiecti, tanquàm virtus illud perficiens, & illi accommodata; at forma intelligibilis tenet se ex parte obiecti, tanquàm imago & similitudo illius in *esse* repræsentativo. Secundum est, quòd forma naturalis limitatur in sua entitate per id, in quo recipitur; forma verò intelligibilis vt *talis* non petit limitari à subiecto, sed in eo retinet totam suam amplitudinem, & vniversalitatem; vt liquet in specie repræsentante naturam humanam vt sic, quæ in *esse* repræsentativo retinet totam suam amplitudinem, & vniversalitatem; & ideò repræsentat naturam humanam vt sic, & vt abstractam à singularibus, non aliquod singulare determinatum. Quod non obscurè insinuat D. Thomas infrà quæst. 50. art. 2. ad 2. per hæc verba: *Forma intelligibilis est in intellectu secundùm ipsam rationem formæ*: Id est (vt benè explicat Magist. Bañez) secundùm totam suam latitudinem, & vniversalitatem, quæ ei in *esse* intelligibili competit.

13 Secundò nota, quòd forma physica, & naturalis debet esse aliquid accidentale, vel incompletum intrinsecè ordinatum ad constituendum aliquod tertium, à quo intrinsecè dependet saltem tanquàm à fine: ex quo fit, quòd talis forma eò aptior sit, vt vniatur materiæ, quantò est minùs completa, ideòque anima rationalis potest esse forma corporis, non verò substantia Angeli. Forma verò intelligibilis non petit esse aliquod imperfectum, & incompletum, sed tantùm complere, & actuare intellectũ; quod tantò meliùs, & perfectiùs præstat, quantò completior, immaterialior, & actualior est: ideòque formæ completæ non repugnat ratio formæ intelligibilis. ¶ *Tertiò*, & *vltimò* nota, quòd licèt respectu plurium formarum intelligibilium præsupponi debeat aliquod *esse* accidentale in *esse* entitativo, in quo *esse* repræsentativum fundatur, ratione cuius important imperfectiones inhærentiæ subordinationis &c. hoc autem *esse* accidentale non est omnino indispensabile in omni specie; cùm detur substantia completa, quæ gerit munus *speciei*, proindeque absque prædicto *esse* accidentali. Sufficit enim ad omnem speciem, quòd habeat aliquam vnionem in *esse* naturali cum intellectu, sivè per intimum illapsum, vt contigit in essentia divina; sivè per modum essentiæ cum sua proprietate, vt accidit substantiæ angelicæ respectu proprij intellectus, vel animæ separatæ; sivè per modum accidentis, vt in alijs speciebus. Ex hoc fit, quòd nulla substantia creata potest exercere rationem *speciei* respectu alieni intellectus, benè vero essentia divina, vt docet D. Thomas 3. Contra gent. cap. 51.

Ex his facile constat ad omnes probationes. Ad primam enim respondetur, quòd estò ratio causæ formalis in genere physico importet imperfectionem, sivè inhærentiæ, qua ratione nequit Deus vniri in ratione luminis, sivè informationis, quare nequit supplere vices formæ substantialis: de ratione tamen formæ intelligibilis solùm est complere intellectum, illum actuando in *esse* intelligibili, quod non petit inhærentiam, neque informationem in *esse* entitativo, vt liquet in substantia Angeli, & propterea denudabilis est ab omni imperfectione. ¶ Ad secundam respondetur, quòd de ratione actus primi in *esse* naturali est inhærere, aut informare, secùs verò de ratione actus primi in *esse* intelligibili: cuiusmodi est species propter rationes proximè assignatas. Ad tertiam respondetur, quòd actus primus ex suo conceptu formali dicit imperfectionem, quando est in potentia ad actum secundum; secùs verò quando non est in potentia ad illum. Hæc autem est differentia inter essentiam divinam, & aliam quancumque speciem, maximè, accidentalem, quòd hæc est determinatio potentiæ persè primò ad intellectionem propriam ipsius potentiæ, & ob hanc rationem est potentialis, & imperfecta: cæterùm essentia divina solùm persè primò ordinatur ad intellectionem propriam Dei, respectu cuius non est in potentia, cùm sit actus purissimus in omni linea; sicut neque subsistentia divina est in potentia ad operationes Christi. Unde intellectui creato ita potest vniri per modum actus primi, quòd denudetur ab omni potentialitate. ¶ Ad quartam & vltimam respondetur, permittendo quòd ex essentia divina, & intellectũ resultet vera compositio. Sed non omnis compositio affert secum imperfectionem in qualibet parte componente: nam ex natura humana, & subsistentia Verbi resultat vera compositio; & tamen in subsistentia Verbi nulla datur imperfectio: quia persona divina non ordinatur ad ter-

tium indè resultans, sed solùm humanitas ordinatur ad personam divinam, quatenus trahitur ad communicandum *esse* personale Verbi. Pariformitèr discurrendum est de vnione essentiæ divinæ cum intellectu, in cuius compositione essentia divina non ordinatur ad totum indè resultans, sed intellectus perfusus lumine gloriæ ordinatur, & trahitur ad communicandum *esse* divinum in *esse* intelligibili. Diximus *permittendo*, propter dicenda in duobus dubijs sequentibus.

14 Ad primam confirmationem respondetur, actionem productivam luminis gloriæ esse simul communicativam essentiæ divinæ per modum *speciei*: quia est eius vltima dispositio; & actio producens vltimam dispositionem est simul communicativa, vel productiva formæ, ad quam disponit, proportione servata. Neque ex eo quòd per possibile, vel impossibile, existente lumine gloriæ, non communicetur essentia divina, sequitur, quòd, si posteà communicetur, requiratur novà actio. Quia sufficit, quòd actio productiva luminis perseveret virtualitèr in lumine gloriæ: quo connotato, ex vi eiusdem actionis potest Deus se communicare, quando voluerit. Nisi mavis dicere, quòd prædicta hypothesis est chimærica; sicut chimæricum est dicere, Deum producere gratiam, & non sequi infallibilitèr inhabitationem totius Trinitatis in anima.

Secunda confirmatio continet specialem difficultatem, & doctrinam à nobis stabilitam, sed non ab omnibus acceptam: necessariam tamen pro his quæ conducunt ad intelligentiam totius lineæ intentionalis. Pro cuius declaratione movemus singillatim duo dubia sequentia.

DUBIUM II.

Utrùm species, & obiectum sint eiusdem naturæ in esse *repræsentativo?*

LIcèt hoc, & sequens dubium tractent N. Salmant. infrà quæst. 14. art. 1. occasione cuiusdam doctrinæ D. Thomæ ab omnibus eius Discipulis, & communitèr à Philosophis, & Theologis receptæ, nempè, quòd cognoscentia in hoc à non cognoscentibus distinguuntur, quòd non cognoscentia tantùm habent suam formam, & cognoscentia formas aliarum rerum, videlicet, formas intelligibiles; quia tamen in præsenti disputatione plerumque fit mentio specierum intelligibilium, placuit plura hùc concernentia prævenire, vt in alijs dubijs inoffenso pede curramus. Vt autem aperiatur sensus huius difficultatis, aliqua prænotanda sunt, & alia supponenda.

* * * * * * * * * * * *

§. I.

Notationes aliquæ, & suppositiones.

15 NOta *primò* (ne hæc difficultas videatur de nomine) quòd licèt omnes conveniant, in eo quòd species (v.g.) hominis non est alterius naturæ repræsentatio, nisi hominis; litigium tamen est, quòd Authores contrarij ad huiusmodi repræsentationem non exigunt, quòd eadem prædicata repræsentata contineantur in specie sub aliquo modo essendi; sivè hæc repræsentatio sit tantùm virtualis, vt volunt aliqui; sivè etiam formalis, vt melius sentiunt alij. Nos verò cum Angelico Mag. sentimus, non posse salvari, speciem esse repræsentationem hominis, quin contineat in se intrinsecè sub aliquo modo essendi prædicata quidditativa illius.

16 Pro quo duo vt omnino certa supponenda sunt. Primum est, speciem (& non tantùm verbum) esse repræsentationem formalem obiecti primariò ab ea repræsentati. Ita communiter Thomistæ, necnon plures Iesuitæ. Et ratio est: quia species per se primò instituta est ad repræsentandum; sed primum prædicatum inventum in aliqua re nequit esse virtualitèr tale: ergo species est repræsentatio formalis sui obiecti. *Adde*: Nam Verbum est repræsentatio formalis sui obiecti primarij; sed etiam est repræsentatio formalis speciei impressæ, cùm producatur per generationem intentionalem, (ideòque D. Thomas opusc. 14. dixit: *Est tamen ipsum Verbum similitudo illius speciei, tanquàm eius, quo factum est sibi simillimum*) ergo etiam species est repræsentatio formalis. Pro his duabus rationibus omnino videndi sunt N. Complut. abbrev. *de Anim.* disp. 17. quæst. 2. vbi latè proponunt, & dissolvunt argumenta huic suppositioni adversantia. ¶ Secundò supponendum est, quòd species, sivè repræsentet formalitèr obiectum secundarium, sivè tantum virtualitèr (vtrumque est valde probabile in via N. Salm.) non debet habere in se intrinsecè prædicata quidditativa illius. Ratio est: quia species non repræsentat obiectum secundarium, nisi in vi obiecti primarij priùs cogniti vt *quod*, & vt connexum cum illo: sufficiet ergo, quòd præhabeat prædicata quidditativa obiecti primarij, & ratione connexionis repræsentet obiectum secundarium.

17 Nota *secundò*, quòd sicut hoc nomen (v. g.) *Albedo* absolutè prolatum est impositum ad significandam albedinem secundùm modum essendi naturalem; ita nomen *speciei* est impositum ad significandum ipsum obiectum vt existens intentionalitèr in ipsa specie, ratione cuius ipsum obiectum aptatur, & proportionatur, vt possit vniri cum potentia; non quia obiectum se-

ſecundùm *eſſe* naturale ſemper ſit extra ipſum cognoſcentem, vt liquet in eſſentia Angeli reſpectu proprij intellectus; ſed quia regulariter obiectum, vt vniatur cum potentia, indiget ſpecie diſtincta, vel nova vnione præter entitativam.

18 Nota *tertiò*, quòd prædicta ſpecies pertinet ad duos ordines, nempè, entitativam, & intentionalem. Quibus correſpondet ſuum diverſum conſtitutivum, ſuuſque proprius modus eſſendi: Nam ſpecies (v.g.) albedinis dicit in primis modum naturalem accidentis, (ſecundùm quem importat inhærentiam in potentia) cùm omne intentionale debeat fundari in *eſſe* entitativo: Cuius differentiam atomam haud meliùs poſſumus explicare, niſi per hoc, quòd fundat *eſſe* intentionale eiuſdem ſpeciei: ſicut in qualibet relatione prædicamentali præter conceptum *In* relativum datur alius *In* abſolutus ſpecificus, & atomus, cuius eſſentia deſcribitur per hoc, quòd fundet conceptus ſpeciales *In*, & *Ad* relativos. Deindè importat ſpecialem intelligibilitatem, ſeu immaterialitatem, ratione cuius poteſt obiectum vniri cum potentia, ob rationem tactam numero præcedenti. Hic tamen modus, qui reipsà eſt omninò indiſpenſabilis in omni ſpecie, vt in plurimum affert ſecum alium modum diminutum, in quo fundetur, ſicque contingit in omni ſpecie ſenſibili, & intelligibili naturæ humanæ pro hoc ſtatu; aliquando illum non importat, vt ſubſtantia Angeli reſpectu proprij intellectus, & anima noſtra in ſtatu ſeparationis. Ex illo tamen modo diminuto ſuperaddito, & ex illo modo tantæ, vel tantæ immaterialitatis oritur, quòd de illa poſsint verificari plura prædicata aliàs contradictoria, nempè, quòd ſecundùm vnam rationem ſit ſubſtantia, & ſecundùm aliam accidens; ſecundùm vnam rationem ſit limitata à potentia, & ſecundùm aliam ſit illimitata; ſecundùm vnam rationem ſit eiuſdem naturæ cum obiecto, & ſecundùm aliam non.

19 Nota *vltimò*, quòd eſtò modus diminutus, qui vt in plurimum continetur in ſpecie, quique etiam habet ſuum modum eſſendi naturalem, ſemper afferat rationem ſpeciei, & modum indiſpenſabilem immaterialitatis, obquam rationem nomen *ſpeciei* communiter vſurpatur pro ſpecie cum hoc modo diminuto; prædictus tamen modus non pertinet ad conceptum quidditativum ſpeciei, neque in ea eſt omnino indiſpenſabilis: nam quandoque obiectum per ſeipſum habet omnes conditiones, vt per ſeipſum poſsit exercere rationem ſpeciei, vt ſuprà vidimus num. 3. Ex quo infertur, quòd conceptus ſpeciei ſolùm importat prædicata quidditativa obiecti cum tanta, & tanta immaterialitate: proindeque ſubſtantia Gabrielis vt vnita per modum *ſpeciei*, & ſpecies repræſentativa eiuſdem Gabrielis reſidens in intellectu Raphaëlis, ſecundùm id quod formaliſsimè, & ex conceptu formaliſsimo afferunt, ſunt eiuſdem rationis, licet hæc ab illa diſtinguatur ratione illius modi diminuti, quem accidentaliter addit.

20 Pro quo alia duo ſupponenda ſunt. Primum eſt, quòd ſpecies, ſi ſumatur ſecundùm modum præfatum diminutum, tota reduplicatione cadente ſupra ipſum modum, non eſt eiuſdem naturæ cum obiecto. Et ratio eſt: quia modus iſte eſt accidentalis individuatus à ſubiecto, in quo eſt; ſed modus obiecti ſæpiſsimè eſt ſubſtantialis, quando, nempè, ſpecies repræſentat ſubſtantiam: ergo iſte modus non eſt eiuſdem naturæ cum obiecto. ¶ Secundum eſt, quòd ſpecies, & verbum ſecundùm modum iſtum diminutum, tota reduplicatione cadente ſupra modum, ſunt etiam propter idem diverſæ rationis. Tum, quia ſpecies multoties non affert prædictum modum, & verbum illum affert; vt contingit, quando Angelus cognoſcit ſeipſum. Tum etiam: quia modus iſte diminutus, qui eſt in ſpecie, eſt per modum habitus; modus autem, qui eſt in verbo, per modum diſpoſitionis. Tum denique: nam verbum ſecundùm modum proprium naturalem, & diminutum eſt effectus ſpeciei: ergo diſtinguuntur realiter: ergo vel ſpecie, vel numero: Si dicatur primum: habemus intentum: Si ſecundum: ergo iam duo accidentia ſolo numero diſtincta eſſent in eodem intellectu.

Ex his omnibus liquidò conſtat ſenſus huius difficultatis. Procedit ergo in hoc ſenſu, an ſpecies intentionalis contineat in ſe intrinſecè, & non tantùm terminativè, ſeu extrinſecè prædicata quidditativa, & formalia obiecti, itaut quoad hæc ſint eiuſdem naturæ ſpecificæ, ſi repræſentat tantùm prædicata ſpecifica; numericæ, ſi repræſentat obiectum ſecundùm ſuam individuationem. Quidquid verò dictum fuerit de vna ſpecie, de omnibus intelligendum eſt, ſivè pertineant ad lineam ſenſitivam, ſivè intelligibilem, quia eadem ratio militat in vna, ac in omnibus Idemque applicandum eſt verbo ſivè ſenſuum, ſivè intellectus, propter dicta num. 16.

§. II.

Sententia communis Thomiſtarum.

21 DIcendum eſt, ſpeciem intentionalem eſſe eiuſdem naturæ cum obiecto in *eſſe* repræſentativo. Hæc ſententia eſt communis inter Thomiſtas, paucis exceptis. Et probatur primò authoritate D. Auguſt. 2. in Gen. cap. 8. vbi ait, quòd creaturæ, quæ ſunt infrà Angelos, bis factæ ſunt, ſemel in mente angelica per ſpecies earum, & deinde in proprijs naturis. Sic illum refert Ang. Mag. infrà

quæst. 55. art. 2. in corp. Ergo iuxta mentem vtriusque S. Doctoris species intentionalis rerum, & res ipsæ sunt eiusdem naturæ; non secundùm suum *esse* naturale: ergo secundùm *esse* ræpræsentativum.

Confirmatur ex Div. Thoma 4. Contra gent. cap. 14. vbi ait: *Manifestum est enim, quòd si Deus se intelligit, oportet, quòd tota plenitudo ipsius contineatur in Verbo. Nec tamen substantia filio data desinit esse in Patre: quia nec etiam apud nos desinit esse propria natura in re, quæ intelligitur, ex hoc quòd verbum nostri intellectus ex ipsa re intellecta habeat, vt intelligibilitèr eandem naturam numero contineat.* Quæ paritas, vel non est ad propositum D. Thom. quod nefas est dicere de tanto Doctore; vel fatendum est, ex eius mente verbum mentis habere eandem numero naturam cum obiecto: Tunc sic; sed iuxta ipsum S. Doctorem verbum mentis procedit per generationem intelligibilem, qua ratione debet habere eandem naturam cum specie: ergo etiam species est eiusdem naturæ cum obiecto. Id ipsum tradit quodlib. 8. art. 4. per hæc verba: *Species intelligibilis, & est similitudo ipsius essentię rei, & est quodammodò ipsa quidditas, & natura rei.* Et vt prædictam particulam diminuentem explicaret, adiecit: *Secundùm* esse *intelligibile, non secundùm* esse *naturale.* Quasi diceret, quòd species non est absolutè, & simpliciter ipsa natura obiecti, sed quodammodò, id est, in *esse* intelligibili. Quæ verba continent assertum nostrum.

22 Deinde probatur ratione fundamentali desumpta ex prædictis testimonijs. Nam species intelligibilis dicit relationem realem similitudinis ad obiectum: ergo est eiusdem naturæ cum illo. Consequentia videtur bona: nam omnis relatio similitudinis fundatur in identitate naturæ, quoad id in quo extrema sunt similia, vt docent communiter Logici. Antecedens verò probatur: Species repræsentat formaliter obiectum; sed omnis repræsentatio formalis affert secum relationem similitudinis: ergo species intelligibilis dicit relationem similitudinis ad obiectum. Maior pronùnc supponitur. Et minor probatur: Repræsentatio virtualis affert secum similitudinem virtualem: ergo repræsentatio formalis affert secum similitudinem formalem. Patet consequentia: quia ita se habet *magis* ad *magis*, sicut *simpliciter* ad *simpliciter.*

23 Huic rationi potest responderi *primò* cum Adversarijs, speciem non repræsentare formaliter ipsum obiectum, sed tantùm virtualiter: quapropter non requiritur vlla conuenientia vnivoca inter speciem, & obiectum, sed sufficit analoga. Quæ responsio potest deduci ex Magno Parent. Aug. 1. *de Trinit.* cap. 12. vbi docet, quòd species se habet adinstàr seminis, & verbum adinstàr prolis: constàt autem semen solùm esse repræsentationem virtualem generantis, & geniti: ergo idem dicendum est de specie.

Hæc solutio (præterquàm quòd nititur doctrinæ, cuius opposita in præsenti supponenda est) refellitur *primò* ex D. Thoma 1. part. quæst. 84. art. 2 vbi ait: *Hoc animis omnium communitèr inditum fuit, quòd simile simili cognoscitur.* Quod principium sinistrè intellectum à Philosophis Aristotele antiquioribus in illud adduxit delirium, vt sentirent, animam igne ignem intelligere, terram terra: ergo repræsentatio, seu similitudo speciei cum obiecto non est tantùm virtualis, sed formalis. ¶ *Secundò* (per quod explicatur præfatum testimonium D. Thomæ) Nam species deservit ad cognitionem formalem obiecti; sed repræsentatio, & similitudo virtualis non sufficit pro cognitione formali obiecti, aliàs per creaturas posset cognosci Deus prout in se, & per corporalia incorporalia, & per quemlibet effectum sua causa: ergo species repræsentat formaliter obiectum. ¶ Tandem: Nam productio verbi est generatio vitalis, de cuius ratione inter alias est, quòd procedat in similitudinem sui principij: ergo verbum debet esse similitudo formalis speciei: Tunc sic; sed etiam est repręsentatio, & similitudo formalis obiecti, & propterea Verbum divinum ex vi suę lineæ est perfectissima imago Dei: ergo etiam species est repræsentatio, & similitudo formalis sui obiecti. Adde, quod diximus suprà num. 16. ¶ Neque quod adducitur ex D. Augustino aliquid iuvat. Nam sicut de specie dicitur, quòd se habet *adinstàr seminis*, ita de verbo dicitur, quòd se habet *adinstàr prolis*: Sicut ergo sufficit, quòd verbum producatur per generationem intentionalem, obquam rationem, licèt non sit strictè & absolutè, est tamen in *esse* intelligibili proles; ita quòd species emittatur ab obiecto adinstàr seminis: cum quo rectè cohæret, quòd non se habeat præcise vt semen, sed simul sit repræsentatio formalis obiecti. Disparitas tamen inter speciem, & semen stat in hoc, quòd cùm generatio naturalis rei materialis fiat per actionem transeuntem, nequit coniungi formaliter cum generante, & propterea relinquit semen sui, in quo virtualiter ipsum generans continetur. Cœterùm intellectio est generatio omnino immanens; ideòque debet coniungi formaliter cum obiecto, quod se habet per modum masculi, & cùm hoc non possit multoties exercere per seipsum, emittit speciem, in qua formaliter contineatur. Et ob hanc rationem habet quandam similitudinem cum semine, sed secernitur ab eo propter maiorem immaterialitatem, & immanentiam generationis spiritualis.

24 Respondebis *secundò*, relationem simili-

tu-

tudinis, quam importat ſpecies ad obiectum, non fundari in vnitate, ſed in menſura, & menſurato: ideòque potiùs pertinere ad relationes tertij generis, quàm primi. Sicut relatio ſimilitudinis, quam imago Cæſaris importat ad ipſum, ſolùm fundatur in menſura, & menſurabili.

Hæc etiam reſponſio obnoxia manet eiſdem impugnationibus, ac præcedens, vt cuilibet facilè conſtabit. *Quibus adde*: Nam vel datur conuenientia vnivoca inter ſpeciem vt talem, & obiectum; vel non? Si non datur: ergo nequit deſervire pro cognitione formali obiecti: neque eſſe ſimilis formalitèr obiecto. Utraque conſequentiæ pars conſtat: prima, quia conuenientia analoga inter duo, præciſis alijs, nequit deſervire, vt vnum ſit ratio formalis cognoſcendi aliud. Secunda: Nam in hoc diſtinguitur conuenientia analoga ab vnivoca, quòd hæc affert ſimilitudinem formalem, in eo in quo duo vnivocè conueniunt; & illa præcisè virtualem, vt mille exemplis verificari valet. Si dicatur primum: ergo in eo, in quo conuenit vnivoce ſpecies cum obiecto, eſt ſimilis illi formalitèr. *Maximè*: quia imago Cæſaris vel comparatur ad prædicata quidditativa illius, vel ſolùm ad externa accidentia? Si primo modo accipiatur, falſum omninò eſt, eſſe ſimilitudinem formalem illius (quidquid ſit an reſpiciat illum vt ſui menſuram) Nam non deſervit pro cognitione quidditativa illius; at ſpecies deſervit pro cognitione quidditativa obiecti: ergo aliter ſentiendum eſt de ſpecie, ac de imagine. Si ſecundo modo conſideretur imago, ipſa reſponſio retorquetur contra Adverſarios: Nam imago Cæſaris dicit repræſentationem formalem, & ſimilitudinem ad externa accidentia illius; ſed hanc non importaret, ſi imago eſſet diſſimilis illi in externis accidentibus: ergo relatio imaginis ad Cæſarem non fundatur in menſura, & menſurabili, ſed etiam in vnitate, & conuenientia vnivoca: ergo ſi ſpecies deſervit pro cognitione formali obiecti, debet eſſet ei ſimilis formalitèr ſimilitudine fundata in vnitate, & conuenientia.

25 Reſpondebis cum nonnullis Thomiſtis, ex hoc tantùm argui, ſpeciem eſſe eiuſdem naturæ genericę, ſeu ſpecificæ cum obiecto, ſecùs verò eiuſdem naturæ numericæ. Quæ ſolutio fundamentum habet in ipſa ratione noſtra: nam omnis relatio petit diſtinctionem ſaltim numericam inter fundamentum, & terminum. ¶ Hæc etiam ſolutio, & doctrina refellitur. Ideo enim ſpecies eſt eiuſdem naturæ genericæ, ſeu ſpecificæ cum obiecto, quia eſt repræſentatio, & ſimilitudo formalis illius quoad prædicata generica, & ſpecifica; ſed quandoque etiam eſt repræſentatio, & ſimilitudo formalis illius quoad prædicata individualia, vt liquet in ſpecie repræſentante perſè primò Petrum: ergo tunc eſt eiuſdem naturæ numericæ cum illo. *Explicatur*: Nam diverſa eſt ſpecies repræſentativa Petri à ſpecie repræſentativa hominis: ergo quia hæc repræſentat formalitèr, & perſè primo prædicata ſpecifica hominis, & illa prædicata individualia; ſed quia ſpecies repræſentat prædicata ſpecifica, eſt eiuſdem naturæ ſpecificæ: ergo ſi repræſentat perſè primò prædicata invidualia, debet eſſe eiuſdem naturæ numericæ cum obiecto. *Adde*: Nam ſpecies, quæ eſt accidens, & ſpecies, quæ eſt ſubſtantia, ſi ſunt eiuſdem obiecti, eſt eadem numero in *eſſe* repræſentativo ſecundùm id, quod ex conceptu formaliſsimo ſpeciei afferunt, vt notavimus num. 19. ſed hoc ſtare nequit, quin ſimul ſpecies accidens ſit eiuſdem naturæ numericæ cum obiecto: ergo &c.

Neque ex ratione noſtra debet inferri diſtinctio numerica: Nam eſtò omnis relatio prædicamentalis petat diſtinctionem realem ſaltem numericam inter fundamentum, & terminum; hæc tamen diſtinctio non debet omninò inveniri in natura, ſed ſufficit, quod verſetur in modis intrinſecis habendi talem naturam: Species autem, & obiectum, eſtò ſint eiuſdem naturæ numericæ, hæc eſt in obiecto ſub modo naturali, conſequenterque abſolutè, in ſpecie verò ſub modo diminuto, & repræſentativo, ac proinde ſecundùm quid: quare datur diſtinctio ſufficiens ad fundandam relationem realem ſimilitudinis: ſicut inter ſpeciem, & verbum datur hæc relatio ſimilitudinis ob diverſos modos repræſentativos, & diminutos habendi eandem naturam.

26 Sed contra hoc ſtat triplex obiectio. Prima eſt, quòd iam vna ſpecies diceret relationem realem ſimilitudinis ad aliam, ſi eſt repræſentativa eiuſdem obiecti; quod tunc continget, quando in diverſis intellectibus recipiuntur duæ ſpecies accidentales repræſentativæ eiuſdem numero obiecti. ¶ Secunda eſt, quòd inter perſonas divinas daretur relatio realis ſimilitudinis: quia eſtò habeant eandem numero naturam; eſt tamen in illis ſub diverſo modo. ¶ Tertia: Nam modus diverſus habendi eandem naturam potiùs conducit ad diſſimilitudinem, quàm ad ſimilitudinem: tota ergo ratio fundandi relationem ſimilitudinis erit præcisè natura: ergo vel hæc diſtinguitur ſaltem numericè in ſpecie, & obiecto; vel non fundat relationem realem ſimilitudinis.

Ad primam reſpondetur, concedendo quòd ſpecies reſidens in intellectu Petri importat relationem realem ſimilitudinis ad ſpeciem reſidentem in intellectu Pauli, & repræſentativam eiuſdem numero obiecti: quia ad hoc ſufficit, quòd eadem natura ſit in vtraque ſpecie ſub modis repræſentativis numericè, ſeu ſpecificè diſtinctis, iuxta infrà dicenda. In quo nullum recognoſcitur inconveniens: neque in eo

nihil

nihil tam mirabile statuimus, quod non inveniatur in Petro, & Paulo, inter quos datur prædicta relatio, quia habent modos naturales diversos habendi eadem prædicata specifica. Est tamen sua diversitas inter vnum, & aliud exemplum (vt sic tacitæ obiectioni occurramus) quòd Petrus, quia non est similis Paulo in prædicatis individualibus, sed specificis, solùm dicit relationem similitudinis ad illum secundùm prædicata specifica, itaut repugnet eis habere eandem naturam numero, quin haberent eundem modum naturalem habendi talem naturam: Cæterùm species est repræsentatio formalis obiecti secundum suam individuationem; & aliunde eadem numero natura est capax essendi sub diverso modo naturali, & diminutò, vel sub diversis modis diminutis: ideò, stante identitate numerica in natura, datur locus ad relationem similitudinis, sivè inter speciem, & obiectum, sivè inter duas species.

27 Ad secundam respondetur, esse non parvum discrimen inter personas divinas ex vna parte, & inter species ex alia, quoad diversos modos habendi eandem naturam. Nam modi, quibus personæ divinæ habent eandem naturam, non sunt de linea naturę, & se habent ad illam quodammodò vt connotatum extrinsecum: quare non conducunt ad fundandam relationem realem similitudinis, proindeque tota ratio fundandi est natura: quæ, quia est eadem in tribus personis divinis, nequit in illis fundare relationem realem similitudinis. Cæterum modi, quibus species verbum, & obiectum habent eandem naturam, pertinent ad lineam illius, tanquam modi intrinseci, & fundamentum; vnde modus naturalis, & intelligibilis naturæ divinæ sunt eiusdem formalissimę lineæ: & ob hanc rationem eadem natura, vt stat sub his diversis modis, potest fundare relationem realem similitudinis.

Ad tertiam respondetur, quòd estò modus repræsentativus, qui est in specie, sit valdè dissimilis modo naturali, qui est in obiecto, ob quam rationem species dicit ad obiectum relationem realem dissimilitudinis, tota ratione fundandi se tenente ex parte modi in recto connotando naturam: cæterùm potest conducere ad fundandam relationem realem similitudinis ad illud per modum connotati intrinseci; ita vt ipsa natura, vt stat sub modo repræsentativo diminuto, sit ratio fundandi præfatam relationem.

28 Potest etiam dici, quòd inter speciem, verbum, & obiectum non datur relatio similitudinis realis, sed tantùm rationis, sicut inter personas divinas non datur, nisi relatio similitudinis rationis: quæ sicut non officit identitati naturæ divinæ, sed potiùs ex ea probatur; ita non refragatur identitati eiusdem naturæ numericæ inter speciem, verbum, & obiectum. Quam solutionem desumpsimus ex N. Salmant. tract. 3. disp. 2. num. 94. §. *Adde*. Qua doctrina præoccupantur supradictæ obiectiones. ¶ Nota tamen pro complemento eorum, quæ dicta sunt in hoc §. quòd estò species dicat huiusmodi relationem ad obiectum; obiectum tamen non debet illam dicere ad speciem: quia estò eadem natura sit in vtroque, est in illis inæqualitèr, hoc est, in specie sub modo diminuto, & secundùm quid, in obiecto sub modo naturali, & absolutè; proindeque in specie est inferiori modo; superius autem non dicitur simile inferiori, sed econtrà. Et ob eandem causam species respicit obiectum, vt sui mensuram.

Aliam rationem proponunt N. Salmant. loco proximè allegato à num. 19. quæ, si benè calleatur, est ingens confirmatio nostræ resolutionis. Ab ea autem supersedemus, quia suprà iacta est sufficiens, magisque fundamentalis, & doctrinalis.

§. III.

Sententia contraria cum suis fundamentis.

29 OPpositum modum dicendi tenent Albertus Mag. 2. *de Anima* tract. 9. cap. 11. Suarez tom. 3. Summæ Theologiæ lib. 3. cap. 2. num. 9. Vazquez 1. part. quæst. 12. art. 2. Molina ibidem, & communitèr Patres Societatis. Ex Thomistis novissimè Colleg. S. Thom. Complut. lib. 2. *de Anim.* quæst. 5. art. 3. à num. 111. Cum quibus ex parte conveniunt nonnulli alij Thomistæ, qui negant identitatem in eadem natura numerica inter speciem, & obiectum. Pro quibus:

Arguitur *primò* ex D. Thom. quæst. 8. *de Verit.* (non 4. vt falsò refert prælaudatum Collegium) art. 11. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd inter cognoscens, & cognitum non exigitur similitudo, quæ est secundùm convenientiam in natura, sed secundùm repræsentationem tantùm. Constat enim, quòd forma lapidis in anima est longè alterius naturæ, quàm lapis in materia.*

30 Neque refert, si dicas, speciem lapidis esse quidem alterius naturæ, si in *esse* naturali sumatur, in quo sensu loquutum fuisse D. Thom. secus verò in *esse* repræsentativo, vt satis innuit illa particula *secundùm repræsentationem tantùm*, quod est additum diminuens: quasi dicat, quòd species lapidis est natura lapidis secundùm quid, sed in se est talis absolutè, & simplicitèr.

Non, inquam, refert. Tum, quia *esse* intentionale est elevatius, quàm *esse* naturale: ergo si species est ipsa quidditas obiecti sub *esse* intentionali, habebit naturam illius sub nobiliori

liori modo ; ac proinde abſolutè, & ſimplicitèr. Tum etiam: quia prædicatum formale hominis eſt vivens ſenſibile; ſed ſpeciei non convenit eſſe vivens ſenſibile, cùm illi non minus repugnet operatio viventis, ac homini picto: ergo falſum eſt, quòd in *eſſe* intentionali habeat naturam obiecti.

Reſpondetur ſuſtinendo ſolutionem inter arguendum datam, quæ optimè declarat mentem D. Thomę. Contra quam nulla ex his duabus probationibus vrget. Non prima: nam falſum omninò eſt, quòd ſit de ratione ſpeciei ſecundùm totam ſuam amplitudinem eſſe elevatiorem: ſpecies enim Michaëlis reſidens in intellectu Gabrielis non habet *eſſe* elevatius, quàm ipſa natura Michaëlis. Fatemur tamen, ſpeciem lapidis habere *eſſe* elevatius, quàm ipſe lapis in ſe; ſed ſicut hoc non ſufficit, vt ipſa ſpecies ſit perfectior abſolutè, & ſimpliciter, quàm lapis in propria natura, cùm ſpecies ſit accidens, & eius obiectum ſit ſubſtantia; ita maior illa elevatio non ſufficit, vt ſpecies dicatur ipſa quidditas lapidis abſolutè, & ſimpliciter, ſed tantùm cum addito, & ſecundùm quid, hoc eſt, in *eſſe* repræſentativo. *Nec ſecunda*: Nam operatio propria viventis ſolùm convenit naturæ obiecti, prout eſt ſub modo naturali. Neque ob hoc ſpecies ſe habet adinſtàr hominis picti: quia homo pictus ſolùm repręſentat externa accidentia hominis veri, proindeque ſufficit convenientia in figura: Cœterùm ſpecies repręſentat etiam formaliter prædicata quidditativa illius, vnde debet in ſe illa continere ſub illo modo diſtincto: quod ſufficit, vt ſit vivens ſenſibile in *eſſe* repræſentativo, non ita quòd vivat ſicut ipſum obiectum, ſed quòd prædicata quidditativa ipſius viventis contineantur in illa ſub illo *eſſe* intentionali, & diminuto.

31 Arguitur *ſecundò*: Nam entitas ſpeciei identificatur realiter cum intelligibilitate illius; ſed entitas ſpeciei diſtinguitur realiter ab entitate, & intelligibilitate obiecti: ergo intelligibilitas ſpeciei, & intelligibilitas obiecti diſtinguuntur, proindeque non ſunt eiuſdem naturę in *eſſe* intelligibili. Minor probatur: Intelligibilitas obiecti identificatur cum entitate illius; ſed entitas ſpeciei diſtinguitur realiter ab entitate obiecti: ergo etiam entitas ſpeciei diſtinguitur realiter ab intelligibilitate obiecti.

Confirmatur *primò*: Si ſpecies impreſſa lapidis identificaretur in *eſſe* intelligibili cum natura lapidis, ſpecies expreſſa etiam identificaretur cum ea in eodem *eſſe*: ergo ſpecies impreſſa, & expreſſa lapidis identificarentur realiter inter ſe, iuxta illuc proloquium, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*; ſed hoc eſt falſum, cùm ſpecies ſit cauſa verbi, & nemo poſsit cauſare ſeipſum: ergo &c.

Confirmatur *ſecundò*: Nam ſi ſpecies impreſſa lapidis exiſtens in Petro identificaretur cum lapide, etiam ſpecies impreſſa exiſtens in Paulo: ergo etiam identificarentur realiter inter ſe, propter idem axioma: cuius falſitatem ſatis demonſtrat ſeparatio realis vtriuſque. ¶ Confirmatur *tertiò*: Quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguuntur, iuxta illud Philoſ. 7. Phyſic. cap. 1. vbi ait: *Amplius, ſi poteſt alterum ſine altero eſſe, non erit idem*; ſed ſpecies ſecundùm omnia, quæ importat, realiter ſeparatur ab obiecto: ergo realiter diſtinguitur ab eo.

32 Ad hoc argumentum cum duabus primis confirmationibus vnico verbo reſpondetur iuxta dicta §. 1. quòd ſpecies, ſivè impreſſa, ſivè expreſſa, & obiectum præter prędicata quidditativa important modos ſpeciales habendi illa, cum quibus ita identificantur realiter, quòd admittant diſtinctionem virtualem adæquatam, quia pertinent ad diverſos ordines. Quando autem res ita ſe habent, nullum eſt inconveniens, quòd illa tria diſtinguantur realiter inter ſe quoad modos, & quòd identificentur in prædicatis quidditativis: quia illud axioma tunc eſt vniverſaliter verùm, quando duo identificantur cum tertio re, & ratione, ſeu adæquatè, ſecùs verò quando non identificantur adæquatè, ſeu re, & ratione. Et hac de cauſa ex identitate perſonarum divinarum cum eſſentia non arguitur identificatio realis inter ſe. Ob eandem ergo rationem non repugnat, quòd eadem numero natura ſecundùm ſe identificetur realiter cum modo eſſendi naturali, & innumeris alijs modis intentionalibus exiſtentibus in verbo, ſeu ſpecie impreſſa, licèt prædicti modi diſtinguantur realiter, vel numericè, vel ſpecificè inter ſe. Neque ex eo, quòd verbum ſit effectus ſpeciei, & ſpecies effectus obiecti, ſequitur diſtinctio in natura ſecundùm ſe, ſed tantùm in modis habendi illam: nam ratione talium modorum verbum ſecundùm omnia, quæ dicit, eſt effectus ſpeciei, & ſpecies obiecti. Niſi mavis dicere, verbum ſecundùm naturam præciſivè ſumptam non eſſe verè effectum ſpeciei, neque ſpeciem obiecti, propter dicta n. 28.

33 Dices: *Ergo quid mirabilius cernitur in rebus creatis, quàm in Deo.* Nam in primis natura divina ſolùm invenitur in tribus perſonis; natura obiecti continetur in ſeipſa & in innumeris ſpeciebus, & verbis. Deinde natura divina vt ſuppoſitata in Patre nequit eſſe in Filio; natura autem creata adhuc vt ſuppoſitata queit contineri in Petro (v. g.) & in prædictis ſpeciebus, cùm poſsint repræſentare perſè primò Petrum vt ſubſiſtentem.

Reſpondetur, longè mirabilius eſſe, quòd natura divina ſecundùm ſuum *eſſe* naturale, & perfectum ſit tantùm in tribus perſonis, quàm quòd natura creata ſecundùm ſuum *eſſe* naturale, & perfectum ſit tantùm in Petro, & ſub alijs modis imperfectis, & diminutis, adhuc vt ſuppoſitata, ſit in innumeris ſpeciebus, & verbis. Quia

mo-

modus essendi naturalis in tribus suppositis arguit infinitatem in linea absoluta, & simplicitèr tali; & alter modus repertus in creatis arguit finitatem in eadem linea naturali, licèt importet quandam infinitudinem secundùm quid, & in linea intelligibili, sicut & amplitudinem, & vniversalitatem in prædicta linea. In qua adhuc nequit dici infiltita *absolutè*: quia nequit esse in diversis speciebus, & verbis sub eodem modo repræsentativo, quod erat necesse, vt adhuc in *esse* intelligibili esset infinita.

34 Ad tertiam confirmationem (per quod magis patebit ad secundam) respondetur, quòd natura obiecti, & speciei potest considerari dupliciter; vel secundùm se, quo pacto præscindit à modis naturali, & repræsentativo, sub quibus talis natura potest haberi; vel prout stat sub prædictis modis. Dicimus ergo, quòd estò natura obiecti, prout stat sub modo intentionali, & diminuto in specie, possit separari realitèr ab obiecto; nequit tamen separari realitèr ab illo, secundùm quòd dicit ipsam naturam secundùm se. Ex quo tantùm deduci valet, quòd species distinguatur à natura obiecti, prout est sub modo naturali, quod in tota hac quæstione libentèr concessimus; secùs verò ab ipsa natura obiecti, si consideretur secundùm se. Aliam doctrinam magis specialem hùc conducentem trademus dub. sequenti.

35 Arguitur *tertiò*: Si species esset eiusdem naturæ cum obiecto, duo accidentia tantùm numero diversa reciperentur in eodem intellectu; sed hoc est falsum in Schola Thomistica: ergo species nequit esse eiusdem naturæ cum illo. Maior probatur: Nam duæ species repræsentativæ Petri, & Pauli possunt esse in intellectu Francisci; sed huiusmodi species non possunt plus distingui, quàm Petrus, & Paulus, qui tantùm numero distinguuntur: ergo duo accidentia tantum numero distincta reciperentur in eodem intellectu. Quod argumentum magis vrget in speciebus, quæ abstrahuntur per intellectum agentem, & repræsentant tantùm naturam humanam præcisam à singularibus.

Hoc argumentum, si habet aliquam vim, non minùs vrget Adversarios. Nam prædictæ species, sivè sint eiusdem naturæ cum obiectis, sivè non, nequeunt specie distingui per repræsentationem suorum obiectorum, quæ in sententia contraria tantùm respiciunt extrinsecè, sicut neque duo actus voluntatis, aut intellectus terminati ad Petrum, & Paulum, per respectum ad illos possunt desumere distinctionem specificam; vel si illam desumunt, cur hoc repugnabit speciebus? Aliundè difficilè assignabitur aliud caput distinctionis specificæ: ergo æquè militat contra illos.

Respondetur ergo, quòd de prædictis speciebus possumus loqui dupliciter; vel de illis, secundùm quòd dicunt naturas suorum obiectorum, & modum indispensabilem immaterialitatis; vel de illis, prout explicant modos diminutos repræsentativos, & accidentales in *esse entis*. Si sumantur primo modo prædictæ species, non individuantur ab intellectu: quia, vt dicemus dubio sequenti, non comparatur ad illas per modum *subiecti*, sed vnitur cum illis per identitatem. Unde ex hoc capite non repugnat, quòd duæ species repræsentativæ Petri, & Pauli sint in eodem intellectu. Si verò petas radicem suarum individuationum iuxta hunc primum sensum: Respondetur, esse obiecta, non secundùm se, quia prout sic potius sunt ipsa obiecta, sed prout sunt sub modo naturali. Si autem sumantur secundo modo, prædictæ species non distinguuntur præcisè numero, sed etiam specie. Cuius rationem optimam tradunt N. Salmant. tract. 1. disp. 2. à num. 73. quia, nimirùm, vnaquæque species repræsentat formaliter, & persè primò suum obiectum secundùm suam individuationem, itaut ad constitutionem huius speciei, & illius se habeat de formali ipsa individuatio. Unde estò Petrus, & Paulus in *esse entis* distinguantur tantùm numero, in *esse* verò *obiecti* distinguuntur essentialiter: & ex hac distinctione species desumunt suam distinctionem specificam. Idemque applicandum est intellectionibus, & verbis: verbis propter eandem rationem; intellectionibus, quia specificantur à speciebus. Neque hæc doctrina habet locum in alio genere actuum, v. g. voluntatis; quia non tendunt formaliter, & primariò ad huiusmodi obiecta secundùm id, in quo differunt. ¶ Id per quod argumentum vrgebat, facilè dispellitur: si dicatur, quòd duæ species abstractæ per intellectum agentem à Petro, & Paulo, estò non repræsentent formaliter, nisi prædicata specifica quæ sunt eiusdem rationis in *esse rei*, connotant tamen per modum termini *à quo* ipsa prædicata individualia; aliàs neque distinguerentur numericè; vnde idem dicendum est de his speciebus, ac de speciebus persè primò repræsentantibus Petrum, & Paulum. Vel potest dici ad totum argumentum, quòd estò hæ species distinguerentur solùm numero, non repugnat, quòd recipiantur in eodem intellectu: quia species adæquatè sumpta individuatur ab obiecto. Et quidem de illa secundùm primam considerationem nullum dubium est; cùm ab obiecto recipiat naturam illius individualem. Secundùm modum etiam illum diminutum, & accidentalem, cùm sit accessorius, institutusque persè primò propter naturam obiecti, sequitur conditionem illius prout in specie, quia accessorium sequitur conditionem principalis: ideoque sicut species, secundùm id quod ex suo conceptu formalissimo affert, individuatur ab obiecto, connotando modum naturalem, ita secundùm omnia alia, quæ includit.

***

§. IV.

§. IV.

Cætera argumenta ſolvuntur.

36 ARrguitur *quartò*: Obiecta, & ſpecies habent prædicata diverſæ rationis: nam obiectum ſæpè eſt ſubſtantia, & ſpecies accidens: obiectum poſitum immediatè ſupra ſenſum impedit ſenſationem, ſecùs verò ſpecies: obiecta ſunt inter ſe incompoſsibilia, eo quòd ſunt contraria; & tamen hac contrarietate non gaudent ſpecies, vt liquet in ſpeciebus albedinis, & nigredinis in gradibus intenſis: ergo non ſunt eiuſdem naturæ adhuc in *eſſe* repræſentativo.

Ad hoc argumentum ſatis conſtat ex dictis num. 18. Nam propterea ſpecies, & obiectum adæquatè ſumpta habent prædicata diverſæ rationis, quia præter naturam, quæ eſt vna in eis, habent modos valde diverſos habendi talem naturam. Quod clarius fiet, reſpondendo ſingillatim diverſitati prædicatorum, quæ in argumento aſsignantur: Nam in primis ſicut obiectum eſt ſubſtantia, ita ſpecies formaliſsimè perſè primò illam repræſentans eſt ſubſtantia. Verum quidem eſt, quòd ſpecies continet ſæpè in ſe quendam modum accidentalem: Sed hoc ideo eſt, quia natura obiecti nequit propter ſuam improportionem cum ſuo modo naturali vniri cum potentia; vnde inſtituitur à natura quædam entitas accidentalis, in qua reluceat natura obiecti magis coaptata, & proportionata cum potentia. Inde ergo oritur, quòd quoad prædicata quidditativa ſit formaliſsimè ſubſtantia; & quòd ſit accidens quoad entitatem, quæ eſt diſpenſabilis pro conceptu formaliſsimo ſpeciei. Deinde, quòd obiectum impediat ſenſationem immediatè poſitum ſupra ſenſum, non habet ex conceptu præciſivo ſuæ naturæ, ſed ex modo naturali nimis craſſo habendi illam; & quia natura prout in ſpecie eſt immaterializata, & depurata, propterea neque entitas ſpeciei, neque natura obiecti, quæ continetur in ea, impedit ſenſationem. Tandem natura albedinis, & nigredinis tantùm habent contrarietatem, prout ſtant ſub modis proprijs naturalibus, ſub quibus ſunt tales abſolutè, & ſimpliciter, vt diximus num. 17 ſecùs verò ſi conſiderentur ſecundùm ſe, ſivè prout ſtant ſub modis diminutis ſpecierum: vt expreſsè docent Ariſt. *de Senſu, & ſenſato* lect. vltima *propè medium*, & 7. Metaphyſ. lect. 7. & D. Thomas in eiſdem locis, vt videri poſſunt in N. Salmant. tract. 3. diſp. 2. à num. 46. vſque ad num. 50.

37 Arguitur *quintò*: Species ſenſibilis, quæ recipitur in medio, aut in ſpeculo, non eſt eiuſdem naturæ cum obiecto; ſed hæc ſpecies eſt eadem numero, tàm in *eſſe* entitativo, quàm in *eſſe* repræſentativo cum ſpecie, quæ recipitur in potentia: ergo ſpecies ſenſibilis recepta in potentia non eſt eiuſdem naturæ cum obiecto. Conſequentia eſt legitima: Et minor certa; aliàs tot ſpecies replicarentur, quot ſunt media inter obiectum, & potentiam, quod videtur abſurdum. Maior verò probatur: Nam ſi eſſet eiuſdem naturæ cum obiecto, prout recipitur in medio, illi tribueret, quòd haberet formam rei alterius; ſed hoc non poteſt dici, aliàs in hoc non diſtinguerentur cognoſcentia à non cognoſcentibus: ergo nequit in medio eſſe eiuſdem naturæ cum obiecto. *Addè*: Nam effectus primarius, & formaliſsimus ſpeciei eſt importare naturam obiecti, vt ſæpè in hoc dubio diximus, cætera alia ſunt quaſi accidentalia illius: ergo vel nequit hæc ſpecies recipi in medio; vel debet communicare hunc effectum formalem. Patet conſequentia: quia nulla forma poteſt recipi in ſubiecto, vbi nequit communicare ſuum effectum primarium.

Et confirmatur: Si ſpecies prout in medio, & prout in potentia eſt eiuſdem naturæ cum obiecto, iam idem numero accidens poſſet tranſmigrare de ſubiecto in ſubiectum; hoc eſt non minùs repugnans, ac ſi duo accidentia numero diſtincta reciperentur in eodem ſubiecto, quare aiunt Thomiſtæ in corruptione ſubſtantiali dari tranſmutationem vſque ad materiam primam, ne accidens, quod fuit in compoſito corrumpendo, perſeveraret in genito: ergo non ſunt eiuſdem naturæ.

Hoc argumentum cum confirmatione æquè militat in ſententiam contrariam. Nam ſpecies, per hoc quòd ſit repræſentativa obiecti (quidquid ſit, quòd ſit eiuſdem naturæ cum illo in *eſſe* repræſentativo, vel non) denominat potentiam cognoſcitivam *habentem formam rei alterius*, vt docet D. Thomas loco in limine dubij relato, & alibi, hæcque repræſentatio eſt primarius conceptus illius. Inquiro ergo: ſpecies ſecundùm hunc conceptum vel recipitur in medio, vel non? Si dicatur primum: ergo medium pro formali recipit formam rei alterius, ſicut potentia. Si dicatur ſecundum: ergo poteſt recipi in illo, quin communicet illi ſuum potiſsimum effectum formalem. Igitur ex nullo ex his capitibus poteſt repugnare, quòd ſpecies ſit eiuſdem naturæ cum obiecto. Inquiro etiam: ſpecies, eſtò non ſit eiuſdem naturæ cum obiecto, vel recipitur eadem in medio, & in potentia; vel replicatur in illis? Si hoc vltimum dicatur: ergo eſtò ſit eiuſdem naturæ, idem accidens non tranſmigraret de ſubiecto ad ſubiectum ſecundùm ſuam entitatem, ſed adſummùm quoad conceptum naturæ repræſentantæ, quæ potius individuatur ab obiecto, quam à ſubiecto, vt diximus num 35. Si dicatur primum: ergo etiamſi ſpecies ſit eiuſdem naturæ cum obiecto, poterit recipi nunc in medio, & poſteà in potentia.

Sed ne rem semel tactam indeciſam relinquamus: Reſpondetur ad argumentum, quòd ſpecies ſenſibilis duo indiſpenſabiliter affert, nempè, naturam obiecti repræſentati, modumque immaterialitatis, & entitatem naturalem, & accidentalem; & ſecundùm vnumquodque correſpondet ei ſuus effectus formalis primarius, cum hoc tamen diſcrimine, quòd vltimum eſt fundamentum primi, vt monuimus num. 18. Species igitur ſenſibilis, eſtò recipiatur in medio, prout dicit entitatem quandam accidentalem, ſecundùm quam etiam communicat ei ſuum effectum formalem primarium, quem loco citato explicuimus; non verò recipitur in eo, prout explicat modum repræſentativum, quia huius conceptus non eſt capax. Neque eſt mirum, quòd ſub vno conceptu recipiatur, & non ſub alio. Tum: quia ſpecies non producitur propter medium, ſed propter potentiam cognoſcitivam. Tum: quia ſæpe vna forma ſecundùm vnum conceptum poteſt recipi in ſubiecto, quia eſt illius capax, & non ſecundùm alium ob oppoſitam rationem: ſicut eſſentia divina vnitur per modum ſpeciei intellectui creato, & non per modum formæ naturalis; & relatio formæ ad materiam recipitur etiam in materia ſecundùm conceptum *In*, & non ſecundùm conceptum *Ad*. Per quod conſtat ad argumentum, & additamentum.

Ad confirmationem facilè reſpondetur ex dictis num. 35. *in fine*, quòd ſpecies ſecundùm nullam ſui formalitatem individuatur à ſubiecto, ſed ab obiecto. Quare ſicut nulla repugnantia datur, in eo quòd duplex ſpecies numerò diſtincta ſit in eodem intellectu; ita nulla datur, in eo quòd vna & eadem ſpecies modò ſit in vno ſubiecto, nempè in medio, & poſteà in alio, ſcilicèt in potentia. Ob eandemque rationem eadem ſpecies, quæ eſt in ſenſu externo, eſt etiam in ſenſu communi, vt non obſcurè colligitur ex his, quæ docent N. Complut. abbrev. *de Anim.* diſp. 14. num. 6. Sed conſequentius ad doctrinam N. Salmant. Reſpondetur iterum, quòd ſpecies ſecundùm nullam ſui formalitatem individuatur à medio, ſed à potentia: quia hæc differentia eſt inter accidentia purè phyſica & accidentia intentionalia, quòd illa ſunt propter ſubiectum, in quo ſunt, ibique ſiſtunt; accidentia verò intentionalia propter potentiam: ideo in medio non ſunt vt in ſubiecto, ſed vt in medio; in potentia autem tanquàm in proprio ſubiecto. Vnde vbicumque ſit, debet individuari à potentia cognoſcitiva.

38 Arguitur *vltimò*: Nam ſi ſpecies eſſet eiuſdem naturæ numericæ cum obiecto, etiam verbum; ſed repugnat, tàm ſpeciem, quàm verbum eſſe eiuſdem naturæ numericæ cum obiecto: ergo. Minor probatur: Nulla res creata poteſt in vlla linea identificare à prima radice vſque ad vltimam actualitatem eiuſdem lineæ, hoc enim arguit eſſe actum purum; ſed dato, quòd ſpecies, & verbum ſint eiuſdem naturæ cum obiecto, iam obiectum in linea intentionali identificaret à prima radice vſque ad vltimam actualitatem eiuſdem lineæ: ſiquidem obiectum in linea intentionali ſe habet per modum radicis, ſpecies per modum actus primi, & verbum per modum actus ſecundi: ergo ſpecies, & verbum nequeunt eſſe eiuſdem naturæ cum obiecto in linea intentionali.

Confirmatur: Nam ita ſe habent obiectum, ſpecies, & verbum in linea intentionali, ſicut in linea cognoſcitiva anima, intellectus, & intellectio; ſed ſi anima identificaret vſque ad vltimam actualitatem lineæ cognoſcitivæ, hoc eſt ipſam intellectionem, eſſet actus purus: ergo pariter, ſi obiectum identificat vſque ad verbum, erit actus purus.

Ad argumentum reſpondetur, quòd tunc identificatio obiecti, ſpeciei, & verbi arguit ſummam actualitatem, & actum purum, quando obiectum per ſuammet entitatem eſt ipſa ſpecies, & verbum (quo pacto ſe habet eſſentia divina tàm reſpectu proprij intellectus divini, quàm reſpectu intellectus creati) ſecùs verò quando prædicta munia exercet per tres entitates diſtinctas: nam eo ipſo obiectum eſt in potentia ad intelligibilitatem proximam, quam tribuunt ei ſpecies, & verbum, ratione quorum obiectum redditur proximè intelligibile, & actu intellectum: vnde nequit eſſe actus purus in linea intelligibili. *Maximè*: Quia eſtò eadem numero natura, quæ eſt in obiecto, contineatur intrinſecè in ſpecie, & verbo; eſt tamen in illis ſub diverſis modis realiter diſtinctis; & aliunde intervenit inter ea diſtinctio realis potentialis (quam in dubio ſequenti explicabimus) nam obiectum poteſt dari in rerum natura, quin detur ſpecies, & ſpecies, & obiectum queunt exiſtere, quin exiſtat verbum: quæ omnia arguunt ſufficienter potentialitatem, quæ eſt contra rationem actus puri.

Ad confirmationem reſpondetur negando maiorem. Nam dato, quòd anima eſſet ſuus intellectus, ſuaque intellectio, omnia hæc identificarentur abſolutè, & ſimpliciter in eadem indiviſibili entitate, hoc eſt, in *eſſe entis*: quia per eandem entitatem exerceret conceptum *radicis*, *actus primi*, & conceptum *vltimæ actualitatis*; proindeque identificaret abſolutè, & ſimpliciter à prima radice vſque ad vltimam actualitatem; quod eſt proprium actus puri ſimpliciter talis, qualis eſt Deus, in quo æquiparatur cum obiecto, quod per ſuammet entitatem exerceret munus *ſpeciei*, & *verbi*. Obiectum autem creatum, eſtò communicet eandem numero naturam ſpeciei, & verbo, eſt tamen cum diſtinctione trium entitatum, & ſub diverſis modis: vnde non eſt par ratio inter ea.

***

DU-

DUBIUM III.

Vtrùm intellectus vniatur per identitatem cum obiecto, seu specie?

SUpponimus in hoc dubio, sicut in præcedenti, intellectum non vniri per indentitatem cum specie secundùm suum *esse* diminutum, & physicum, neque cum obiecto, prout dicit suum modum essendi naturalem. Difficultas tamen est, an vniatur cum specie, vel obiecto, secundùm id quod ex conceptu formalissimo speciei, & obiecti afferunt. Pro quo, vt omnis æquivocatio procul pellatur, & vt controversia hęc magis succintè procedat: Nota, idem esse intellectum vniri per identitatem cum obiecto, ac cum specie: quia, vt vidimus dubio præcedenti, species est ipsa quidditas obiecti in *esse* repræsentativo; ideoque solùm fiet mentio de specie.

§. I.

Sententia Arist. D. Thomæ, & nostra.

39 DIcendum est, intellectum fieri per identitatem ipsam speciem. Ista conclusio est Arist. & D. Thom. vt ex eorum testimonijs proximè referendis constabit, quos sequuntur Caiet. in hac 1. part. quæst. 14. art. 1. & quæst. 79. art. 2. Zumel, Bañez, Nazarius, Gonzalez, N. Sapientissimus Cornejo quæst. 14. citata.

Et probatur *primò* ex Arist. 3. *de Anima* text. 37. vbi ait: *Nunc autem de anima dicta recapitulantes dicamus iterum, quòd omnia ea quæ sunt, quodammodò est anima.* Quem locum exponens D. Thomas lect. 3. sic ait: *Omnia enim, quę sunt, aut sunt sensibilia, aut intelligibilia: anima autem est quodammodò omnia sensibilia, & intelligibilia, quia in anima est sensus, & intellectus, sivè scientia; sensus autem est quodammodò ipsa sensibilia, & intellectus intelligibilia.* Idem tradit text. 38. vbi inquit: *Necesse est autem aut ipsa, aut species esse: ipsa quidem igitur non sunt: non enim lapis in anima est, sed species.* Quem textum sic exponit Div. Thomas lect. citata: *Ostendit, quòd alio modo est omnia, quàm antiqui ponerent, quia lapis non est in anima, sed per species lapis. Et per hunc modum dicitur intellectus, esse ipsum intellectum in actu.* Ex quibus testimonijs sic arguitur: Quando aliquid non identificatur cum alio, non potest dici de eo, quòd fit idipsum alterius; sed ex mente Arist. & D. Thom. constat, intellectum fieri quoddammodò ipsa intelligibilia: ergo ex mente illorum intellectus vnitur per identitatem cum specie; non absolutè & simpliciter & in linea entis: ergo quodammodò, hoc est in *esse* intelligibili. His accedit illud dictum Comment. 3. *de Anima* comment. 5. communiter acceptum: *Ex intelligente, & re intellecta fit magis vnum, quàm ex materia & forma*: quod nequit stare, quin vniantur per identitatem.

40 Deinde probatur ratione desumpta ex D. Thoma in hac 1. part. quæst. 50. art. 2. ad hanc formam redacta; Nam omnis forma vnita alicui per modum *formæ*, vel vnitur illi per inhærentiam, vel per informationem, vel identitatem; sed species in *esse* intentionali vnitur intellectui per modum *formę*, & non vnitur ei per inhærentiam, nec per informationem in prædicto ordine: ergo vnitur ei per identitatem. Vtraque præmissa indiget probatione. Maior igitur: nam inter vnionem formæ per modum *formæ* vel per inhærentiam, vel per informationem, vel per identitatem nullum datur medium; siquidem estò subsistentia, & exĩstentia ex suo conceptu formali vniantur naturæ per modum *puri termini*, non tamen vniuntur per modum *formæ*; aliunde non est excogitabilis alius modus vnionis: ergo omnis forma vnita alicui per modum *formæ*, vel vnitur illi per inhærentiam, vel per informationem, vel per identitatem. ¶ Deinde minor quoad primam partem (præterquàm quòd est expressa D. Thomæ loco citato, vbi ait: *Forma intelligibilis est in intellectu secundùm ipsam rationem formæ*) facilè probatur: Nam de ratione formæ est dare speciem, vt liquet in forma substantiali, quæ proximè dat speciem toti composito, & radicaliter omnibus suis operationibus, & in forma accidentali, quæ proximè dat speciem operationi, vt calor calefactioni; sed species in *esse* intentionali dat speciem intellectioni: ergo vnitur intellectui per modum *formæ*. ¶ Quoad secundam partem etiam probatur. *Primò*: Omnis forma alteri vnita per informationem, aut per inhærentiam limitatur à subiecto, & fit *hæc* determinatè, cùm omnis receptio importet limitationem; sed species in *esse* intentionali non limitatur ab intellectu: ergo non vnitur ei per inhærentiam, aut informationem. Minor probatur: Tum, quia species repræsentans naturam vniversalem minimè ammittit suam vniversalitatem, per hoc quòd vniatur intellectui, sed manet æquè vniversalis, ac ipsum obiectum repræsentatum in *esse* obiecti: ergo non limitatur ab intellectu in *esse* intentionali. Tum etiam: Nam species exĩstens in intellectu Petri, & species exĩstens in intellectu Pauli, si repręsentent eandem numero naturam, sunt eadem numero species in *esse* intentionali propter dicta dubio præcedenti: ergo nulla limitatur ab intellectu, cum quo est vnita. Patet consequentia: aliàs traheretur vnaquæque ad diversam hæccceitatem, vt contingit in albedine receptа in Petro, & albe-

dine recepta in Paulo. ¶ Probatur *secundò* eadem minor quoad secundam partem: Eadem numero species intelligibilis, quatenus pertinet ad ordinem intentionalem, quandoque est substantia, & quandoque accidens, vt liquet in specie repræsentante Michaëlem, quæ in proprio intellectu est substantia, & in alieno accidens: ergo ex suo conceptu formalissimo neque petit vniri per inhærentiam, neque per informationem. Patet consequentia: Nam species, quæ est accidens, nequit vniri per informationem; neque quæ est substantia, per inhærentiam.

41 Huic rationi respondet Illustr. Godoy 1. part. tract. 3. disp: 22. num. 61. inter *vniri* per inhærentiam, per informationem, & per identitatem dari medium, nempè, vniri per intelligibilem determinationem, intelligibiliter determinando, & complendo intellectum in ordine ad intellectionem: quæ vnio elevatior, & immaterialior est, quàm vnio per inhærentiam, aut informationem: ideoque non petit ab intellectu individuari in ordine intentionali, licèt in *esse* physico in illo recipiatur per inhærentiam, & ab eo individuetur.

Sed hæc solutio continet aliquid, in quo prælaudatus Magist. convenit nobiscum & cum omnibus Philosophis, & Theologis: omnes enim fatemur, speciem intelligibilem in *esse* intentionali determinare intellectum, illumque complere in ordine ad intellectionem. Difficultas autem inter eum, & nos quærit, quis modum vnionis necessarius sit pro hac intelligibili determinatione? Si enim dicit, quòd est per modum intelligibilis determinationis: est respondere idem per idem. Oportet ergo declarare alium modum specialem vnionis, medio quo fiat hæc intelligibilis determinatio; sed hæc nequit fieri per inhærentiam, aut informationem, vt suprà probatum est: ergo debet fieri per identitatem. Præsertim, quia sicut omnis forma naturalis in *esse* physico determinat subiectum, in quo est, ad operationem, ita species determinat in *esse* intentionali intellectum ad intellectionem: erit ergo bona illatio: Forma in *esse* physico determinat subiectum: ergo vnitur ei per modum determinationis physicæ, & non per inhærentiam, informationem, aut per identitatem? Neutiquam: ergo species ita est determinatio intelligibilis, quòd ad hunc effectum præstandum requiratur aliquis modus specialis vnionis vel per informationem, vel per inhærentiam, vel per identitatem.

42 Propter hæc Ferre in tract. *de Visione* quæst. 2. num. 711. recurrit ad intelligibilem transformationem intellectus in obiectum. Et sapientis. Mag. à Sancto Thoma in præs. disp. 13. art. 2. §. *Ad tertium fundamentum*, & art. 5. §. *Quare ad primam partem argumenti*, ad vnionem per modum formæ purè *terminantis* in *esse* intelligibili: quos modos videtur sequi venerandum, & toto orbe celeberrimum Sancti Thomæ Collegium Complutense lib. 2. *de Anim.* quæst. 5. art. 2. à num. 137.

Sed neuter ex his modis queit subsistere, manente distinctione reali inter intellectum, & speciem. Nam in primis vera transformatio vnius in aliud nequit stare, quin vnum in aliud mutetur, teste Calepino, qui ait, *transformare* idem esse, ac *in aliam formam mutari*; sed hoc propriè verificari non potest de intellectu; vel si verificetur, intellectus fit ipsa species: ergo hæc vnio nequit dici *transformatio intelligibilis*, sed debet esse vnio per inhærentiam, vel per informationem, vel per identitatem. ¶ *Deindè*: Unio speciei intelligibilis est per modum formæ, vt inquiebat Div. Thomas, & non vtcumque, sed per modum formæ dantis speciem intellectioni: ergo nequit hæc vnio esse præcisè per modum formæ pure *terminantis*. Probatur consequentia: Nam forma per modum formæ pure *terminantis* est illa, quæ iam supponit omnem naturam sufficientem, & solum trahit subiectum ad participandum suum *esse*; sed de ratione formæ per modum formæ dantis speciem operationi est dare naturam in illa linea, & illi subiecto,, cui communicatur hoc modo: ergo, stante distinctione reali, nequit species vniri intellectui per modum formæ purè *terminantis* intelligibiliter. Maneat ergo, quòd hæc vnio est per identitatem.

§. II.

Argumenta oppositæ sententiæ.

43 OPpositam opinionem defendunt Authores relati num. 29: quibus adhærent Lisbonienſ. Oxomenſis, Ferre, Collegium Complut. locis suprà relatis, Palanco *de Deo vno* disp. 4. quæst. 1. num. 17. Pro qua adducunt plura testimonia D. Thomæ. Sed omnia illa præoccupantur dicendo, quòd D. Thomas, quando asserit intellectum non fieri ipsum obiectum, seu speciem, loquitur de illis secundùm suum *esse* entitativum, & naturale, quod verissimum est. Cum quo rectè cohæret, quòd idem intellectus fiat ipsum obiectum, prout ad ordinem intelligibilem spectat.

Arguitur ergo *primò* à ratione: Intellectus ante vnionem speciei distinguitur ab obiecto, quomodocumque sumatur: ergo etiam post vnionem speciei. Antecedens videtur certum: nam intellectus ex vna parte non est ipsa similitudo formalis obiecti, & ex alia est separatus realiter ab illo ante vnionem; constat autem, nullum maius signum dari pro distinctione reali actuali, separatione actuali duorum. Consequentia verò probatur: Nam implicat distincta realiter, realiter postea identificari, sicut impli-

plicat, realitèr identificata, realitèr posteà distingui : ergo si intellectus ante vnionem speciei distinguitur realiter actualitèr ab obiecto, etiam post vnionem.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo antecedens ; & negando consequentiam. Et ad eius probationem dicendum est, quòd nonnunquam accidit, quòd ea, quæ ante vnionem sunt realiter distincta, post vnionem realitèr identificentur; & quæ vt vnita realitèr identificantur, post separationem realitèr distinguuntur. Vtrumque liquet in duabus aquis, quæ separatæ realitèr substantialitèr distinguuntur; & vt vnitæ sunt vna, & indivisibilis substantia, vt optimè tradunt N. Complut. abbrev. *de Gener.* disp. 5. quæst. 1. *per totam* maximè num. 17. Idem (licèt ex diverso motivo) dicimus de intellectu, & specie, itaut ante vnionem distinguantur realitèr, & post vnionem fiant idem; seu ante separationem sint idem, & post separationem distinguantur realitèr. Ratio primi est: quia substantia non est ratione sui divisibilis, sed ratione quantitatis; ideoque, dum non exercetur separatio aquæ ab aqua, substantialitèr est vna, & indivisibilis absque distinctione actuali partium, alias non esset proprium quantitatis esse actu, & persè primo divisibilem. Et quia vni parti substantiæ non convenit separari ab alia, nisi ratione partium quantitatis, propterea non oportet, quòd distinctio inter partes substantiales exerceatur, vsquedum exerceatur actualis separatio. Ex quo provenit, quòd estò inter partes substantiales ante separationem non detur distinctio realis actualis; datur tamen distinctio realis potentialis, quæ reducitur ad actum per separationem; & quòd, dum separatæ, cum distinctione reali actuali detur identitas realis potentialis, quæ reducitur ad actum per vnionem earum inter se. Hæc doctrina applicari debet præsenti materiæ, licèt ex diverso motivo, vt suprà diximus: nempè quia species, dum vnitur intellectui, nequit illi vniri per inhærentiam, aut informationem, quia vnio illius est elevatior, neque excogitabilis est alter modus vnionis, vt §. præcedenti ostendimus. Manet ergo, quòd vnio illius cum intellectu sit per identitatem actualem, manente distinctione reali potentiali; & ante vnionem, vel post separationem datur distinctio realis actualis cum identitate reali potentiali.

44 Arguitur *secundò*: Intellectus non identificatur cum entitate speciei : ergo neque identificatur cum ipsa specie, secundùm id quod formalissimè affert in *esse* repræsentativo. Consequentia probatur : *Esse* repræsentativum speciei identificatur cum sua entitate : ergo si intellectus distinguitur realitèr ab entitate speciei, etiam debet distingui à specie secundùm omnia quæ continet. Patet conseq. alias rueret illud axioma, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.*

Adde *primò* : Nam species lapidis, metalli, &c. distinguuntur realitèr inter se adhuc in *esse* intelligibili: ergo etiam intellectus illas recipiens debet realitèr ab eis distingui. Patet consequentia : nam idem nequit identificari realitèr cum duobus realitèr distinctis ; alias falsificaretur supradictum axioma. Adde *secundò*: Si intellectus Petri identificaretur cum specie lapidis, etiam intellectus Pauli ; sed species existens in intellectu Petri est eadem numero in *esse* intelligibili cum specie existente in intellectu Pauli, si repræsentant eandem numero naturam: ergo etiam intellectus identificarētur realitèr inter se.

Hoc argumentum, suppositis quæ diximus num. 32. & 33. paucis indiget ad sui enodationem. Nam sicut natura divina in *esse* naturali est eadem in tribus personis, quin ipsæ personæ identificentur inter se ; ita species intelligibilis, secundùm id quod formalissimè affert in ordine intelligibili, potest identificari cum entitate ipsius, & entitate intellectus, simulque cum duobus intellectibus, quin neque intellectus inter se identificentur, neque intellectus cum entitate speciei adæquatè sumpta : Pariterque idem intellectus potest identificari cum duabus speciebus in eo residentibus, quin species adhuc in *esse* intelligibili identificentur inter se. Et ratio est eadem vtrobique : quia sicut essentia divina non identificatur adæquatè re, & ratione cum qualibet persona; ita neque intellectus identificatur adæquate cum specie. Et hæc ratio magis vrget in intellectu, & specie, quàm in natura, & personis divinis : quia identificatio naturæ divinæ cum personis est sub *esse* perfecto & naturali, identificatio verò intellectus cum specie est sub *esse* imperfecto & intelligibili: si ergo ex identitate naturæ divinæ cum personis sub *esse* perfecto non rectè arguitur identitas personarum inter se ; quid mirum, quòd ex identitate intellectus cum specie, seu speciebus sub *esse* imperfecto non arguatur identitas entitatum, sivè intellectuum, sivè intellectus, & speciei, sivè specierum inter se, quæ esset identitas sub *esse* perfecto seu entitativo? Si, inquam, in eodem ordine naturali non tenet argumentum ; quid mirum, quòd non teneat ab *esse* imperfecto & intelligibili ad *esse* perfectum & naturale?

45 Arguitur *tertiò*: Nam species secundùm omnia, quæ habet, educitur ex intellectu : ergo distinguitur realitèr ab illo. Antecedens videtur certum; alias vel crearetur, vel à nulla causa produceretur. Consequentia verò probatur: Nam si ex intellectu educitur species, intellectus habet rationem causæ materialis respectu illius; sed omnis causa inquantùm talis distinguitur realitèr à suo effectu : ergo si species educitur ex intellectu, debet distingui realitèr ab eo.

Confirmatur : Nam intellectus est receptivus specierum, & species est forma, perfectio, & mensura illius : ergo distinguuntur realitèr. Antecedens habetur in pluribus locutionibus D. Thom. qui his modis loquitur de intellectu, &

de

de specie. Consequentia verò probatur: Nam de ratione causæ materialis est distingui à forma, quam recipit, & de ratione causæ formalis etiam est distingui à subiecto; sed omne receptivum est causa materialis, & omnis forma, perfectio, & mensura est causa formalis: ergo &c.

Ad argumentum respondetur, solùm habere vim in specie sensibili, aut intelligibili producta per intellectum agentem, secùs verò in omni specie; cùm natura Angelica ita vniatur cum suo intellectu per modum speciei, quòd non educatur ex illo. In illa autem est considerandum, quod pertinet ad ordinem entitativum, & quod pertinet formalissimè ad ordinem intelligibilem. Si enim consideretur secundùm suum *esse* entitativum, quo pacto est accidens, persè petit educi ex intellectu: considerata tamen secundùm suum *esse* intelligibile non persè educitur, sed coëducitur ad eductionem sui ipsius in *esse* entitativo: ad quod sufficit, quòd *esse* entitativum speciei, & *esse* intelligibile non distinguantur realitèr. Ex quo tantùm potest colligi, quòd intellectus exercet munus causæ materialis respectu speciei secundùm suum *esse* entitativum, cui persè competit educi; secùs verò respectu ipsius secundùm suum *esse* repræsentativũ, cui competit coëduci peraccidens, ob identificationem *esse* intelligibilis cũ *esse* entitativo.

Ad confirmationem respondetur, omnes illas locutiones, proprie loquendo, solùm competere intellectui, & obiecto, secundùm quòd hoc habet modum naturalem, vel aliquem modum diminutum physicum, non verò secundùm quod dicit præcisè ipsa prædicata quidditativa, & persè petita à specie. Quod evidens fiet, si fiat reflexio supra primam locutionem: nam intellectus respectu speciei, consideratæ secundùm id, quod habet ex conceptu formalissimo *speciei*, non est in omnium sententia receptivus illius; aliàs illam limitaret, quod Adversarij constantèr negant. Comparatur ergo obiectum secundùm suum *esse* naturale vt perfectio, forma, & mensura extrinseca respectu intellectus, tanquam id quod pertinet ad specificativum extrinsecum; & hoc pacto intellectus dicit relationem tertij generis ad illud, hoc est, tanquàm rei mensurabilis ad sui mensuram, formam, & perfectionem extrinsecam. Si verò consideretur obiectum, prout dicit præcisè sua prædicata quidditativa, quæ etiam possunt contineri in specie, intellectus respicit illud vt quid imperfectum ad seipsum vt perfectum, hoc est, tanquàm quid petens vnionem elevatiorem cum forma, ac proinde tanquam vnum extremum imperfectum identificabile cum alio extremo perfecto: ad modum quo forma plantæ, dum non est sub debita quantitate, respicit partem acquisitam per nutritionem tanquàm vnum extremum imperfectum identificale cum alio extremo, medio quo absque distinctione reali acquirit suam debitam perfectionem.

46 Vltimò arguitur: Nam identificatio speciei cum intellectu nequit fieri per hoc, quòd entitas vnius perseveret, altera conversa in aliam, vt contingit in substantia panis, quæ peracta consecratione fit corpus Christi: nam hic modus suponit, quòd vnum extremum non perseverat; & quod non perseverat, nequit dici identificatum cum extremo existente. Neque potest fieri per hoc, quòd eadem entitas vtriusque perseveret: nam, perseverante entitate vtriusque, remanent cum eisdem prædicatis essentialibus, quę anteà habebant; sed anteà distinguebantur, quia habebant prędicata essentialitèr diversa: ergo, remanente entitate vtriusque cum suis prædicatis essentialibus post vnionem, manet distinctio realis, & essentialis in eis, sicut anteà.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo primum; & negando secundum. Nam estò entitas intellectus, & entitas speciei perseverent in ipsa vnione actuali cum eisdem prædicatis essentialibus, quæ anteà habebant, ex hoc tantùm deducitur, quòd prædicata essentialia intellectus non sint formalissimè, & essentialitèr prædicata essentialia speciei; secùs verò quòd prædicata essentialia intellectus non fiant identicè prædicata essentialia speciei, de quarum ratione est, quòd habeant identitatem potentialem, quando sunt separata, & quòd habeant distinctionem virtualem, & realem potentialem, quando sunt vnita. Sicut duæ partes ætherogeneæ animæ sensitivæ imperfectæ & divisibilis, dum sunt separatæ, retinent eadem prædicata essentialia, quæ habebant, quando erant vnitæ; & tamen, dum sunt separatæ, distinguuntur realitèr; & dum erant vnitæ, prædicata essentialia vnius fiebant identicè prædicata essentialia alterius, manente tamen distinctione virtuali, & distinctione reali potentiali. Idem ergo contingit in prædicatis essentialibus intellectus, & speciei propter rationem sæpè tactam.

Nota tamen *primò*, pro maiori horum intelligentia, quòd hæc identificatio inter intellectum, & speciem diversimodè se habet ex parte vtriusque: nam intellectus, prout pertinet ad ordinem entitativum, est pro formali extremum identificabile; at species solùm est extremum identificabile, prout pertinet ad ordinem intelligibilem. Et ratio est: quia ordo adæquatè intelligibilis petit persè entitatem intellectus, in qua residet virtus persè exacta ex parte potentiæ; species verò solùm petitur, secundùm id quod formalissimè habet ex obiecto, in quo solùm relucent prædicata quidditativa illius cum tanta, vel tanta immaterialitate, quæ persè non petunt modum aliquem physicum & naturalem, neque accidentalem, neque substantialem. Dicitur tamen, hoc non obstanti, hæc identificatio in *esse* intelligibili: quia radix huius identificationis est ipsa species, prout habet modum elevatiorem & immaterialiorem sæpissimè

mè ponderatum. ¶ Nota *secundò*, hanc identificationem non fieri per asimilationem, vt contingit in specie respectu obiecti; sed modo longè inferiori, quatenus, nempè, prædicata specie diversa vniuntur inter se modo elevatiori, quàm per inhærentiam, aut informationem.

47 Ex proximè dictis, & ex his quæ diximus in hoc dubio per totum, constat, quid dicendum sit ad secundam confirmationem adductam num. 11. Nam sicut intellectus vnitur per identitatem cum qualibet specie, ita identificatur cum essentia divina vnita per modum speciei. Idemque dicendum est de lumine gloriæ: vt non obscurè docet Philosophus primo testimonio num. 39. relato, & cum eo Angelic. Doctor, vbi aiebant, quòd sicut intellectus est quodammodò sua intelligibilia, & sensus ipsa sensibilia; ita scientia est ipsa scibilia. Neque ex hoc sequitur aliquod inconveniens: nam estò repugnet, quòd aliquid creatum sit formalissimè Deus ipse, hoc est, quòd formalissimè habeat eadem prædicata specifica Dei, sivè in *esse* entitativo, sivè in *esse* intelligibili; non tamen repugnat, quòd aliquid creatum sit identicè in *esse* intelligibili ipse Deus: quia iste modus identificationis non arguit, quòd prædicata formalissima intellectus sint formalissimè prædicata Dei, sed tantùm dicit quandam vnionem immaterialem, & elevatam, alienam ab omni imperfectione, quæ compatitur cum distinctione reali potentiali. Cuius signum est, quòd estò vnio intercedens inter intellectum creatum, & essentiam divinam sit per identitatem, & vnio hypostatica afferat veram compositionem realem ex termino, & re terminabili, hæc absolutè est maior illa, propter rationes tangendas à nobis tract. *de Incarnat.* disp. 3. num. 28.

DUBIUM IV.

Utrùm essentia divina, vt habet rationem speciei intelligibilis, *concurrat activè ad cognitionem?*

SUpponimus, essentiam divinam concurrere activè medio intellectu, & voluntate in visionem beatam concursu generali primæ causæ supernaturalis. Dubitamus autem, an influat in eam alio concursu magis speciali, vt gerit munus *speciei*. Et licèt hæc difficultas superata maneat sufficienter à N. Complut. abbrev. *de Anim.* disp. 17. quæst. 5. sub nomine *speciei impressæ* in communi; maluimus tamen illam vlteriùs ad examen vocare sub titulo *essentiæ divinæ*: propter aliquos Authores modernos, qui omni speciei denegant concursum effectivum in intellectionem: & quia erga eam, & speciem substantialem sunt specialia argumenta, quibus oportet occursum iri.

***

§. I.

Nostra resolutio.

48 DIcendum est, essentiam divinam concurrere activè per modum *speciei* in visionem beatam. Hæc conclusio est valdè communis inter antiquos, & modernos Thomistas, quos supervacaneum est recensere. Estque conformis doctrinæ D. Augustini, qui lib. 11. *de Trinit.* cap. 2. ait: *Gignitur ex re visibili visio, sed non ex solo, nisi adsit & videns: quocircà ex visibili, & vidente, gignitur visio.* Vndè emanauit commune illud axioma, *Ab obiecto, & potentia paritur notitia.* Ex qua authoritate præcluditur quoddam effugium Adversariorum aientium, essentiam divinam non concurrere activè ad visionem beatam, quia hæc non producit verbum. Hoc, inquam, effugium prædicto testimonio manet præclusum: nam visio corporalis non producit verbum; & tamen visio procedit effectivè non solum à vidente, sed etiam à re visibili media specie.

Non minùs consonat doctrinæ D. Thomæ: qui infrà quæst. 14. art. 5. ad 3. inquit: *Intantùm ipsum* intelligere *specificatur per obiectum suum, inquantùm forma intelligibilis est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quæ est principium operationis; sicut calefactio per calorem.* In quo testimonio per ly *principium* non debet intelligi præcisè principium formale: aliàs probaret idem per idem, nempe, esse principium specificativum, quia est principium formale, seu specificativum; quod est indignum tanto Doctore: quia ergo est principium effectivum per modum formæ, est specificativum. *Rursùs*: Ita se habet intellectio ad speciem, sicut calefactio ad calorem; sed quia calor est principium effectivum calefactionis, est etiam principium formale, seu specificativum illius: ergo dum D. Thomas probat, speciem specificare intellectionem, quia est principium illius, debet intelligi de principio effectivo, & non tantùm de principio formali.

49 Et probatur ratione desumpta ex D. Thoma loco citato, & alibi: Nam essentia divina vnita intellectui per modum speciei specificat visionem beatam: ergo concurrit activè ad eam. Antecedens admittitur ab Adversarijs: Et meritò: tum, quia ipsa est, quæ per modum obiecti determinat intellectum ad speciem actus: tum etiam, quia id expressè docet D. Thomas testimonio suprà allegato. Et consequentia probatur: Nam de ratione actionis est specificari à suo principio activo, ratione formę per quam agit: ergò si essentia divina per modum speciei specificat visionem beatam, debet concurrere activè ad eam. Antecedens probatur *primò* ex

ip-

ipsa definitione actionis, prout actio est, nempè, *egressio prout ab agente*: ergo dicit ordinem essentialem ad agens, ratione formæ per quam agit: ergo specificatur ab ipsa forma, per quam agit. Secundò ex D. Thoma 3. part. quæst. 19. art. 1. ad 3. vbi probat, ignem habere calefactionem, & illuminationem, quia habet duas formas specie diversas, quibus elicit prædictas operationes: ergo idem est, formam aliquam specificare actionem, ac concurrere activè ad eam.

50 Respondebis cum Magistro Bañez, hanc rationem convincere in specie accidentali, secus verò in specie substantiali. Et ratio istius discriminis est: quia species accidentalis non supponit potentiam sufficienter determinatam ad speciem actus, secus verò species substantialis: vt liquet in substantia Angeli, & in anima nostra in statu separationis, quarum intellectus sunt pro priori ad illas determinati, tàm quoad speciem, quàm quoad exercicium ad se cognoscendum. Idemque contingit in essentia divina respectu intellectus elevati lumine gloriæ.

Sed hæc solutio multipliciter refellitur. *Primò*: Nam essentia divina, & quælibet species substantialis, vel determinant intellectum ad speciem intellectionis, vel non? Si dicas secundum: ergo neque vniuntur intellectui per modum speciei. Patet consequentia: nam de ratione omnis speciei est determinare intellectum, determinatione se tenente ex parte obiecti: neque ad aliud videtur necessaria. Si dicas primum: ergo tribuunt speciem intellectioni, ad quam determinant. Consequentia probatur: Nam quod determinat per modum formæ ad speciem actionis, nequit non esse specificativum ipsius actionis: ergo si essentia divina determinat intellectum per modum formę intelligibilis, debet tribuere speciem visioni beatæ. *Secundò*: De ratione actionis in communi est specificari à suo obiecto; sed de ratione illius est etiam specificari à suo principio: ergo quoties objectum vnitur per seipsum intellectui, debet dare speciem intellectioni, prout se tenet ex parte principij, vel prout est forma intelligibilis illius. *Tertiò*: Quælibet species accidentalis ita est determinatio intellectus ad speciem intellectionis, quòd tribuat speciem intellectioni per modum principij effectivi, in Bañez sententia: ergo etiam species substantialis. Probatur consequentia: Nam species accidentalis est vicaria ipsius obiecti: ergo solùm potest efficere, quod efficeret obiectum, si seipso vniretur intellectui: ergo si species accidentalis concurrit activè tribuendo speciem intellectioni, etiam ipsum obiectum, quando seipso vnitur intellectui.

51 Quibus alij convicti, negant concursum effectivum omni speciei, sivè accidentali, sivè substantiali: aiuntque, obiectum, prout exercet munus *speciei*, solùm concurrere in genere causæ specificativæ, seu per modum determinationis formalis, secus verò in genere causæ effectivæ. Neque contra hoc convincit ratio nostra, seu D. Thomæ: Nam estò de ratione actionis sit specificari à suo principio effectivo, non tamen est de ratione omnis specificativi concurrere activè ad actionem: latiùs enim patet principium specificativum, ac principium effectivum. Ex quo duo inferuntur: primum est, quòd obiectum, & potentia, & quidquid se tenet ex parte potentiæ, specificant actionem: aliter tamen, & aliter: nam potentia specificat per modum principij effectivi, obiectum verò solùm in genere causæ formalis. Secundum est, quòd lumen gloriæ, cùm sit determinatio ex parte potentiæ ad speciem actus, specificat visionem per modum virtutis activæ; at essentia divina, cùm sit determinatio purè obiectiva, solùm specificat in genere causæ formalis.

Sed hæc solutio & doctrina sufficienter manet impugnata à nostris Animasticis in lib. *de Anima*, & præcipuè à N. Complut. abbrev. ibidem disp. 17. quæst. 5. Et ex ibi dictis sic vlterius refellitur. *Primò*: nam intellectio nequit specificari à suo principio effectivo, nisi ratione formæ intelligibilis: ergo forma intelligibilis specificat intellectionem per modum principij effectivi. Antecedens probatur: Intellectus est principium indifferens ad hanc, vel illam intellectionem: ergo non est sufficiens ratione sui specificare intellectionem per modum principij effectivi: ergo specificativum adæquatum illius per modum principij debet ipse intellectus esse ratione speciei: ergo etiam ipsa species specificat eam per modum principij effectivi. *Secundò*: Nam quod complet virtutem activam agentis, & determinat eam ad dandam speciem actui per modum principij effectivi, nequit non etiam dare speciem actui per modum principij effectivi; sed intellectus cum omnibus requisitis ex parte potentiæ sæpè est indeterminatus, & determinatur per speciem ad determinatum actum: ergo concurrit activè ad illum. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur inductivè: Ideò enim assensus præmissarum concurrit activè ad assensum conclusionis, vt tradunt Nostrates in Logica, quia determinat intellectum ad illum. Ideò etiam ideà concurrit effectivè ad operationem artis, quia complet, & determinat virtutem agentis ad illam, vt tradunt N. Complut. abbrev. in lib. Phys. disp. 9. num. 10. Et tandem ideò lux, calor, & quælibet virtus, sivè moralis, sivè intellectualis tribuunt speciem suis actibus per modum principij effectivi, quia sunt formæ determinativæ agentis ad suas operationes. *Tertiò*, & *vltimò*: Verbum procedit ab intellectu vt imago formalis obiecti, vt tenent Adversarij: ergo procedit cum intellectione a specie in genere causæ efficientis. Probatur consequentia; Nam

vt inquit D. Thomas 1. part. quæst. 35. art. 1. *Requiritur ad rationem imaginis origo : quia vt inquit Augustin. in lib. 83. quæst. Vnum ovum non est imago alterius, quia non est de illo expressum*; sed ab obiecto nequit effectivè procedere, nisi quatenus gerit seipso munus speciei, vel prout continetur in alia specie distincta: ergo procedit effectivè à specie.

52 Ratio autem nostra hucusque propugnata, estò fundetur in doctrina solida Angelici Præcept. vt vidimus, ab omnibus suis Discipulis accepta, patitur non leves obiectiones, quarum enodatio non parum roboris ei afferet, ideòque illas hìc proponemus, & quia passim occurrit in Philosophia, & Theologia. Objicies ergo *primò* : Nam si principium activum specificaret actionem, v. g. calor calefactionem, sequitur, quòd idem esset causa, & effectus in eodem genere causæ; sed hoc est contra commune placitum Philosophorum, & Theologorum ergo. Sequela probatur: Principium immediatè operativum specificatur à sua operatione, vt docent N. Complut. abbrev. in lib. Phys. disp. 10. num. 6. & comprobatur illo axiomate, *Vnumquodque est propter suam operationem* : ergo si operatio specificatur à suo principio immediatè elicitivo, sequitur, quòd sint causa, & effectus in eodem genere causæ formalis specificativæ. ¶ Neque valet recursus ad idem genus subalternum, & diversas species causandi. Non, inquam, valet: Nam genus causandi in ratione causæ formalis specificativæ est species infima causæ vt sic, non minùs ac causa materialis receptiva.

Secundò : Nam omnis actio specificatur à suo obiecto primario, vel à fine, vt sæpissimè docet D. Thomas, & cum eo eius Discipuli: ergo non specificatur à principio effectivo. ¶ Neque proderit dicere, quòd idem est actionem specificari ab obiecto, ac specificari à principio activo, quia obiectum movet potentiam, constituitque eam in actu primo ad operationem. Non, inquam, prodest : quia estò hæc doctrina habeat locum in potentia cognoscitiva, quæ est potentia passiva, secus verò in potentia non cognoscitiva, maximè in ea, quæ non præhabet formalitèr ipsum obiectum, seu terminum primarium, vt contingit in voluntate, & potentia augmentativa, seu nutritiva : ergo in istis actio non specificatur formalitèr à principio.

Ad primum respondetur cum Illustr. Godoy 1. part. tract. 1. disp. 3. num. 227. quòd causa formalis specificativa non est species infima causandi, sed subalterna continens sub se diversos modos causandi: Nam principium activum specificat actum per modum principij activi, & actio specificat principium activum vt finis illius: qui modi specificativè causandi constituunt diversas species in eodem genere causæ formalis specificativæ. Sicut ob eandem rationem materia prima specificatur à forma per modum actus; & forma specificatur à materia per modum potentiæ; & essentia creata specificatur ab existentia per modum actus, & existentia specificatur ab essentia per modum potentiæ.

53 Alitèr tamen potest responderi cum N. Salmant. tract. 9. disp. 1. num. 37. & 38. notando priùs differentiam actionis transeuntis, & immanentis : nam actio formalitèr transiens non est finis sui principij effectivi, sed ipsum operatum simul cum operatione, vt docet D. Thomas lib. 1. Ethic. cum Arist. lect. 12. Ex quo colligitur, quòd potentia immediatè operativa per operationem formalitèr transeuntem non specificatur ab operatione solitariè accepta, sed à termino simul cum operatione, vt faciunt vnum aliquid. Potentia verò immanens solitariè accepta respicit suam operationem solitariè etiam acceptam vt sui finem, vt docet D. Thomas quæst. 5. *de Pot.* art. 5. vbi ait : *Operatio manens in operante est finis operantis.* Idem docent tract. 11. disp. 1. num. 63. & tract. 14. disp. 3. à num. 49.

Ex his ergo potest responderi illi primæ obiectioni : quòd estò de ratione omnis actionis sivè transeuntis, sivè immanentis sit specificari à suo principio effectivo, & licèt de ratione principij effectivi sit specificari a sua operatione, non sequitur, quòd idem sit causa, & effectus in eodem genere causæ specificativæ: nam si loquamur de actione formaliter transeunti, ipsa solitariè accepta specificatur à suo principio immediatè elicitivo, v. g. calefactio a calore; calor verò non specificatur à calefactione solitariè accepta, sed à termino producto simul cum calefactione, proindeque non est idem causa, & effectus in eodem genere causæ specificativæ. Si autem loquamur de actione formalitèr immanenti, v. g. de intellectione, potentia nudè sumpta specificatur ab ea; sed intellectio, estò specificetur à suo principio effectivo, solùm specificatur ab eo, quod habet rationem actus, & formæ, qualitèr se habet species intelligibilis, quę propriè non specificatur ab intellectione, sed econversò : vnde idem non est causa, & effectus in eodem genere causæ specificativæ. Quę solutio magis constabit ex proximè dicendis.

54 Pro solutione secundę : Nota, potentiam formalitèr immanentem esse in duplici differentia: nam estò omnes conveniant in eo, quòd sunt passivæ, natæ moveri ab obiecto; aliter tamen, & aliter : quia potentia appetitiva solùm movetur à suo obiecto extrinsecè, sed cognoscitiva movetur intrinsecè : ob quam rationem hæc, ad differentiam alterius, dicitur pura potentia in linea cognoscitiva: & iuxta hanc differentiam diversimodè debet concipi specificativum actuum vnius, & alterius potentiæ. ¶

Nota *vlterius*, actum intellectus, seu voluntatis posse considerari dupliciter iuxta analogiam actionis transeuntis: nam sicut hæc potest considerari vt actio, & vt passio; & prout actio specificatur à principio elicitivo; & vt passio à termino, vt rectè tradunt N. Complut. antiqui in sua Logica disp. 16. num. 12. ita intellectio, seu quilibet actus immanens potest, proportione servata considerari vt actio, & vt passio; & vt actio specificatur ab obiecto vt motivo; & vt passio à seipso vt obiecto terminativo. ¶ Nota *tandem*, quòd estò potentia non cognoscitiva non præhabeat formaliter intrinsecè suum obiectum, nec motivè, nec terminativè; continet tamen illud virtualiter, neque obiectum specificat actum huiusmodi potentiæ, nisi vt facit idem cum principio, aut termino, vt benè docent N. Complut. abbrev. in lib. *de Anima* disp. 6. num. 6. vnde in idem reddit specificari à potentia, ac specificari ab obiecto. Maximè si vera est sententia Caietani: qui docet, obiectum potentiæ appetitivæ concurrere activè ad actum illius. Quæ est valdè probabilis in via D. Thomæ; licèt probabilior sit opposita. De quo alibi dicemus.

Ex his facilè respondetur ad secundam obiectionem, sustinendo solutionem inter arguendum datam. Ad cuius improbationem dicendum est, quòd estò obiectum potentiæ appetitivæ non contineatur formaliter intrinsecè in principio elicitivo, continetur tamen in illo virtualiter: ideòque in idem reddit, actum illius specificari ab obiecto, ac à principio activo, quia potentia est virtualiter ipsum obiectum, & facit vnum cum ipso ad specificationem actus, vt de actione transeunti simul cum suo termino, diximus in ordine ad suum principium. Vnde semper verificatur, quòd obiectum, vt est principium actus, specificat illum; vel vt concurrit formaliter, vt contingit in obiecto motivo potentiæ cognoscitivæ; vel prout concurrit virtualiter, vt accidit in obiecto potentiæ appetitivæ. De potententia vegetativa non est specialis difficultas, quia de ea quoad præsens idem dicendum est, ac de quacumque potentia activa per actionem formaliter transeuntem.

55 Secundò probatur conclusio, evertendo præcipuum motivum Adversariorum. Nam *speciem concurrere effectivè ad intellectionem* nullam dicit imperfectionem ex suo conceptu formali, si imperfectio aliqua non intervenit priùs ex vi vnionis illius cum intellectu; sed *speciem vniri cum intellectu* ex suo conceptu formali nullam importat imperfectionem, & propterea concedunt Adversarij, essentiam divinam vniri intellectui per modum speciei: ergo neque concurrere effectivè ad intellectionem affert ex suo conceptu formali aliquam imperfectionem. Maior probatur: Tum, quia genus causæ efficientis ex suo conceptu formali nullam dicit imperfectionem, & propterea in Deo invenitur formaliter. Tum etiam: quia si vnio per modum luminis gloriæ ex suo conceptu formali non importaret imperfectionem, nulla repugnantia daretur in Dei vnione per modum luminis cum intellectu, neque ex capite vnionis, neque ex capite concursus effectivi: ergo si ex capite vnionis speciei intelligibilis nulla affertur imperfectio, non est cur ex capite concursus effectivi afferatur. *Maximè*: quia subsistentia Verbi concurrit effectivè ad operationes Christi, cùm actiones sint suppositorum, quin ex hoc arguatur aliqua imperfectio. Qua ratione, si eam benè calleas, facilè evertes omnes evasiones Adversariorum, quin sit necesse eas sigillatim referre.

§. II.

Opinio contraria.

56 COntra nostram conclusionem duplex extat opposita sententia. Prima negat omni speciei concursum activum in cognitionem. Patroni huius sententiæ sunt ex Iesuitis, Henricus, Toletus, & alij. Et ex Thomistis Lardito in præs. num. 20. Illmus. Palanco lib. 3. *de Anima* quæst. 5. & alij antiqui, quos suppresso nomine refert Ferre in præs. quæst. 2. num. 711. Secunda, estò concedat concursum activum speciei accidentali, illum denegat substantiali, maximè essentiæ divinæ. Ita Bañez 1. part. quæst. 12. art. 2. & quæst. 85. art. 2. dub. vnic. concl. 2. Pro quibus solùm adducemus argumenta, quæ magis accedunt ad nostrum institutum.

Arguitur *primò*: Species impressa, si concurrit activè ad intellectionem, influit ex suo conceptu formali vt subordinata intellectui; sed hoc repugnat essentiæ divinæ: ergo essentia divina non concurrit activè in visionem beatam. Maior probatur: Species impressa, si concurrit activè in intellectionem, influit vt forma constituens in actu intellectum: ergo concurrit vt *quo*, & intellectus vt *quod*; sed principium activum vt *quo* subordinatur principio *quod*: ergo species impressa, si concurrit activè ad intellectionem, influit vt subordinata intellectui.

Confirmatur *primò*: Nam essentia divina in operando ad *extrà* nequit determinari ab aliqua creatura, quia hoc arguit inferioritatem; sed si essentia divina concurrit activè ad visionem beatam, determinaretur ad operandum ab intellectu, sicut quælibet alia species ab eo determinatur: ergo non ita concurrit.

Confirmatur *secundò*: Si essentia divina concurreret activè ad intellectionem, vel hæc compararetur ad eam vt effectus, vel vt actio, aut causalitas; neutrum autem dici potest. Non pri-

primum: quia si comparatur vt effectus, iam supponit aliam actionem Dei, media qua fiat; sed omnis actio divina profluit immediatè à potentia immediatè executiva, proindeque est diversus modus causandi à modo causandi per modum speciei: ergo non influit in eam vt in effectum. Nec secundum: quia implicat, quòd Deus agat per actionem creatam; aliàs perficeretur per eam, cùm de ratione omnis actionis, maximè immanentis, sit, quòd perficiat principium ipsius immediatum.

57 Ad argumentum respondetur *primò*: quòd quando obiectum seipso vnitur intellectui per modum speciei, non concurrit præcisè vt *quo*, sed etiam vt *quod*, quia intellectio petit procedere à duplici principio *quod*, nempè, ab intelligente, & ab obiecto intellecto (quæ doctrina potest etiam extendi ad speciem accidentalem repræsentativam suppositi:) vnde ex hoc capite nullam imperfectionem involvit concursus effectivus speciei ex suo conceptu formali. ¶ Respondetur *secundò* doctrina generali omni speciei, quòd species, estò concurrat vt principium *quo*, non influit vt virtus intellectus, sed vt virtus obiecti; vel, vt meliùs loquamur, ipsum obiectum est, quod concurrit: principium enim *quo* solùm subordinatur, quatenus se tenet ex parte principij *quod*. Unde lumen gloriæ concurrit vt subordinatum intellectui, quia propriè est virtus eius. Species verò non se habet vt virtus intellectus, sed potius est virtus obiecti: vndè potiùs deberet subordinari ipsi obiecto, nisi obstaret, vel quòd ipsum obiectum seipso vnitur intellectui, vt contingit in essentia divina respectu visionis beatæ, & in substantia Angeli respectu proprij intellectus in ordine ad sui cognitionem; vel quòd esset formalissimè ipsum obiectum in *esse* intelligibili. *Maximè*: quia potentia, & species identificantur actu in linea intelligibili; proindeque nequeunt actu subordinari, quia ad subordinationem requiritur distinctio actualis.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd estò repugnet, Deum determinari ab alio, quando agit per modum agentis completi, non verò quando agit per modum comprincipij creaturæ, dummodò totum complexum applicetur primò per voluntatem divinam. Qua ratione licèt suppositum Verbi eliceret operationes Christi, vt determinatum à voluntate humanitatis, nullam imperfectionem incurrebat, quia nimirùm reducebatur ad ipsum Deum tanquàm ad primum volens, gratiosè se communicando humanitati per modum substantiæ, in qua communicatione nulla præsupponitur imperfectio. ¶ Ad secundam respondetur, eligendo secundam partem dilemmatis. Ex quo nullum sequitur absurdum; sicut nec ex eo quòd suppositum eliciat operationes Christi per modum operationum, & non per modum effectuum. Nam tunc causalitas est perfectio agentis, quando recipitur in eo, & est causalitas persè primò inspecta ab illo per modum agentis completi: operatio autem Christi (& idem dicendum est de visione beata in ordine ad essentiam divinam) neque recipitur in supposito, neque est causalitas persè primò inspecta ab ipso supposito divino, sed est quasi causalitas secundaria illius, quod gratiosè communicatur humanitati. Unde potius est causalitas primaria humanitatis, quàm ipsius suppositi; & huic correspondet vt causalitas primaria operatio ad *intrà*.

58 Arguitur *secundò*: Nam species impressa deserviens ad actum fidei non concurrit activè ad illum: ergo neque essentia divina influit activè in visionem beatam. Consequentia patet ex paritate: nam si sola determinatio speciei sine concursu effectivo sufficit ad actum fidei, non est, cur sola determinatio essentiæ divinæ sine influxu activo non sufficiat ad visionem beatam. Antecedens verò probatur: Species deserviens ad actum fidei est naturalis, vt fatentur communiter Theologi; sed nullum principium naturale queit concurrere activè in actum supernaturalem, qualis est fidei: ergo species deserviens ad actum fidei non concurrit activè ad eum.

59 Nec refert, si dicas, speciem naturalem concurrere ad actum fidei vt elevatam per qualitatem supernaturalem. Non, inquam, refert: Nam illa qualitas, vel est repræsentativa obiecti supernaturalis, vel non? Si est repræsentativa: ergo superfluit species naturalis. Si non est: ergo ad assensum obiecti supernaturalis insufficiens est. Probatur consequentia: Nam species non concurrit, nisi vt repræsentativa: ergo si per illam qualitatem species naturalis non redditur repræsentativa supernaturaliter, insufficiens est.

Hoc argumentum in primis retorquetur contra Mag. Lardito negantem concursum speciei, & nobis illud objicientem. Nam species concurrit adminùs ad cognitionem in genere causæ formalis determinantis extrinsecè, & illam specificantis: ergo etiam species immediatè deserviens ad actum fidei concurrit in genere causæ formalis extrinsecè determinantis, & specificantis illum; sed repugnat actum entitativè supernaturalem specificari à specie merè naturali, simulque repugnat, causam merè naturalem immediatè determinare intellectum ad notitiam supernaturalem: ergo vel non sufficit absolutè species naturalis ad actum fidei; vel potest concurrere activè ad illum.

60 Deinde respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam, quæ desumpta est ex D. Thoma. 2.2. quæst. 173. art. 2. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd quascumque formas imaginatas naturali virtute potest homo formare absolutè, huiusmodi formas considerando, non vt tamen sint ordinatæ ad repræsentandas*

intelligibiles veritates, quæ hominis intellectum excedunt, sed ad hoc necessarium est auxilium supernaturalis luminis. Ad cuius impugnationem respondetur, eligendo secundam partem dilemmatis. Quæ est conformior doctrinæ D. Thomæ tum loco proximè citato in corp. & ad 2. tum quæst. 10. *de Verit.* art. 7. ad 2. pro prima parte. Vbi ait: *Dicendum, quòd divini luminis radius superlucet semper quidem velatis figuris, non ita quòd semper species infundatur, sed quia radius prædictus speciebus preexistentibus admiscetur.* Contra quam non evincit probatio: Nam estò illa qualitas supernaturalis non sit repræsentativa obiecti supernaturalis, causat formaliter novam coordinationem in speciebus naturalibus, quæ est supernaturalis, vtpotè proveniens formaliter à lumine supernaturali, & ratione illius illæ species possunt repræsentare mysteria supernaturalia connotativè ad res naturales, quas persè primò repræsentant. Sicut nec imaginativa, seu intellectus, qui ordinationem novam repræsentativam ordinis naturalis causat formaliter in speciebus præexistentibus, est ordinis repræsentativi. Pro quo videndi omninò sunt N. Salmant. tract. 24. disp. 6. à num. 100.

§. III.

Examinatur vltimum Argumentum.

61 ARguitur *vltimò*: Substantia Angeli, vt gerit munus *speciei* respectu proprij intellectus, non concurrit activè ad cognitionem sui: ergo neque essentia divina ad visionem batam. Consequentia constat à simili. Et antecedens probatur: Nulla substantia creata potest esse immediatè operativa; sed dato, quòd substantia Angeli concurrat activè in sui cognitionem, influeret in eam immediatè: ergo nequit concurrere active in eam.

Et confirmatur: Nam si essentia divina activè concurreret in visionem, concurreret in eam vitaliter; sed nequit concurrere vitaliter: ergo non influit active per modum speciei. Maior videtur certa: nam actio adæquatè vitalis nequit non à suo principio activo vitalitèr procedere; aliàs effectus excederet suam causam activam. Minor probatur: nam conceptus speciei est conceptus procedens ab extrinseco, & multoties ab obiecto omninò inanimi: ergo nequit concurrere vitaliter.

Argumentum benè perpensum æquè vrget Adversarios, sivè species concurrat activè ad intellectionem, sivè non. Non enim est cur, vt concurrit activè ad eam, ab illa specificetur; & non specificetur ab ea, estò non concurrat activè: nam propterea ex vi concursus activi inferunt Adversarij, omnem speciem impressam specificari à cognitione, quia illam persè primò respicit, & attingit; sed estò species non concurrat activè ad eam, illam persè primò respicit, cùm instituta si persè primò propter eam, tanquam propter suam vltimam perfectionem, ob quam rationem omnis virtus, sivè concurreret, sivè non concurreret ad actum virtuosum, ab eo specificatur, quia est dispositio, & determinatio ad optimum, hoc est, ad suum actum: ergo argumentum æquè vrget contra Adversarios. *Maximè*, quia estò hoc inconveniens haberet locum in essentia Angeli, vt gerit munus speciei, secus verò in essentia divina, ob latum discrimen inter vnam, & aliam: nam intellectio sui est actus primarius essentiæ Angeli, vt gerit munus speciei: at visio beata non est actus primarius essentiæ divinæ, vt gerit munus speciei, (sicut neque intellectus creatus est suum susceptivum primarium) sed intellectio divina. Unde iam supponit, vt habet rationem speciei, aliam intellectionem, a qua specificetur, vel quasi specificetur, & visionem beatam respicit quasi terminativum secundarium. Ad quod nihil refert, quòd immediatè illam attingat, hoc est, non mediante alio principio creato; sicut nec refert, quòd omnipotentia causet immediatè effectus creatos, vt sint terminativum secundarium. Ob quam rationem hoc argumentum propriè loquendo non est huius loci. Sed quia in præsenti illud adducit Mag. Lardito cum alijs, ei solutionem præstabimus, vt sic enervatum relinquamus pro alia materia.

62 Multiplex solutio solet adhiberi, ex quibus vnam, vel alteram seligemus, quæ opportunior nobis videatur: Respondetur ergo, non esse de ratione speciei vniversalitèr acceptæ concurrere activè proximè in intellectionem: nam sicut essentia Angeli per modum naturæ influit mediante intellectu, ita in ratione obiecti intelligibilis concurrit medio illo activè. Et ratio huius est: quia quando ipsa substantia gerit munus speciei, tunc intellectus dimanat ab ea hoc modo sumpta determinatus ad eius cognitionem, estque cum illo intimè vnita: quod, & nihil amplius, desideratur ad exercendum munus speciei, & ad activè concurrendum ad cognitionem. Ad quod parum, aut nihil refert, quod concurrat proximè, vel mediatè: nam eo ipso quòd species intelligatur vnita cum intellectu convenienti cum ea in eodem gradu immaterialitatis, datur quidquid requiritur ad hoc, vt intellectio profluat ab vtroque.

63 Sed dices: Nam si essentia Angeli concurreret medio intellectu, intellectus esset virtus eius non solùm vt radicalitèr intellectivæ, sed etiam vt intelligibilis: ergo intellectus esset species naturæ angelicæ: id enim, quod est virtus obiecti vt intelligibilis, gerit munus speciei respectu illius; sed hoc est contra communem calculum Thomistarum, necnon contra D. Thomam infrà quæst. 53. art. 1. ergo natura angelica

lica non concurrit ad cognitionem sui medio intellectu.

Respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Nam conceptus primarius speciei non est concurrere active in intellectionem, sed vnire obiectum cum potentia cognoscitiva, illam actuare, & determinare ad speciem intellectionis. Unde semper ac obiectum ex se est sufficienter proportionatum, & vnitum cum potentia, independenter ab alio distincto exercet munus speciei, neque relinquit locum, vt reddatur intelligibile per potentiam, sed vice versa potentia redditur intelligibilis ratione obiecti: sicut si obiectum esset actus purus, ratione sui esset actu intellectum, & potentia ab eo dimanans redderetur actu intellecta ratione illius. Cum quo rectè cohæret, quòd ab ea natura, quæ ex se ob rationem dictam est proximè intelligibilis, dimanet intellectus, medio quo concurrat activè ad intellectionem: & hoc modo se habet natura angelica, à qua vt proximè, & ratione sui intelligibili dimanat suus intellectus, & mediante illo concurrit vt intelligibilis, seu per modum speciei in intellectionem, in quo exercet suum effectum secundarium speciei, qui est effectivè influere in cognitionem.

64 Secundò respondetur, quòd estò repugnet, substantiam esse immediatè operativam in ordine entitativo, non verò in ordine intelligibili. Et ratio huius discriminis est: quia in ordine entitativo concurreret per modum potentiæ; in ordine autem intelligibili solum influit vt determinatio potentiæ. Repugnantia autem, quam recognoscunt Thomistæ in eo, quòd substantia sit in *esse* entitativo immediatè operativa, est, quia in eodem ordine & per modum potentiæ passivæ respiceret persè primò *esse*, & per modum potentiæ activæ respiceret persè primò operationem, quod absque distinctione reali potentiarum stare non potest. Hæc verò repugnantia non sequitur ex eo, quòd in ordine entitativo, & per modum potentiæ passivæ respiciat persè primò *esse*, & in alio diverso ordine, nempè, intelligibili, & non per modum potentiæ, sed præcisè per modum determinationis intelligibilis, respiciat persè primò operationem.

65 Sed pro maiori huius luce objicies: Nam propterea substantia creata in *esse* entitativo nequit esse immediatè operativa, quia absque distinctione reali nequit respicere persè primò *esse*, & *operari*; sed natura angelica, prout pertinet ad ordinem entitativum, respicit persè primò *esse*: ergo prout pertinet ad ordinem intelligibilem, nequit respicere persè primò intellectionem. Patet consequentia: aliàs eadem res absque distinctione reali respiceret persè primò actus realiter distinctos, quod est inconveniens illatum ex eo, quòd substantia sit immediatè operativa in *esse* entitativo.

Ad hanc obiectionem respondetur persistendo in tradita solutione. Nam sicut in eodem ordine entitativo repugnat, quòd idem intellectus sit pura potentia, & actus, non verò repugnat, quòd in ordine entitativo sit actus, & in alio ordine diverso, nempè, intelligibili, sit pura potentia absque distinctione reali ipsius intellectus; ita licèt repugnet, quòd eademmet res absque distinctione reali respiciat persè primò *esse*, & *operari* in eodem ordine entitativo, non tamen repugnat, quod in vno ordine, videlicet, entitativo, respiciat persè primò *esse*, & in alio diverso, nempè, intelligibili, operationem. Et ratio huius est: quia operatio creata in ordine entitativo pro formali est accidens, & substantia in eodem ordine pro formali est substantia, cui repugnat respicere accidens formaliter vt accidens, quia nequit specificari ab aliquo extrinseco. At intellectio creata, licèt pro materiali, hoc est, in *esse* entitativo (indispensabiliter tamen) sit accidens, pro formali, id est, in *esse* intelligibili, non explicat esse accidens, sed solum dicit esse vnionem formalissimam potentiæ cum obiecto. Species etiam pro formali non dicit esse substantiam, neque accidens in *esse* entitativo: in cuius signum videmus, quòd eadem numero est species pro formali, quæ entitativè est accidens, & quæ entitativè est substantia, si est idem obiectum repræsentatum, vt diximus num. 19. Et ob hanc rationem non repugnat, quòd eadem natura, quæ in *esse* entitativo respicit persè primò tantùm *esse*, in ordine intelligibili respiciat etiam persè primò intellectionem.

66 Sed dices, hanc solutionem non cohærere cum ijs, quæ diximus suprà num. 53. vbi affirmavimus, speciem non specificari ab intellectione, sed econversò. Respondetur iuxta dicta num. 54. quòd intellectio potest considerari vel vt actio, vel vt passio, desumpta analogia ab actione transeunti, vt tradit D. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 3. Obiectum autem ita comparatur ad intellectionem, quòd specificet eam adæquatè sumptam; aliter tamen, & aliter: nam intellectio secundùm conceptum *actionis* specificatur ab obiecto vt motivo, hoc est, à specie; at secundùm conceptum *passionis* specificatur ab obiecto vt terminativo. Cum quo rectè cohæret, quòd ipsa species specificetur ab intellectione secundùm conceptum *passionis*, quia prout sic explicat conceptum vltimæ actualitatis, & finis intelligentis, vt loco citato vidimus ex D. Thoma. Unde secundùm eandem formalitatem, secundùm quam intellectio specificatur à specie, species non specificatur ab intellectione.

Ad confirmationem adductam num. 61. sufficienter constabit ex dicendis disp. 3. num. 104.

DU-

DUBIUM V.

Vtrùm possibilis sit species impressa creata Deum quidditativè repræsentans

EX dictis dub. 1. huius disputationis satis constat, nullam defactò dari speciem creatam visioni beatæ deservientem; videndum restat, an per divinam potentiam huiusmodi species sit possibilis.

§. I.

Sententia D. Thomæ, & eius prima ratio:

67 DIcendum est, metaphysicè esse impossibilem speciem impressam creatam quidditativè Deum repræsentantem. Hanc conclusionem perpetuò docet Div. Thomas, præcipuè in præs. art. 2. vbi ait: *Per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest.* Angelicum Præceptorem sequuntur omnes eius Discipuli, necnon alij ex extraneis, quos referunt Mag. Ferre, & N. Salmant. in præs. Pro qua solùm adducemus tres rationes fundamentales, quibus D. Thomas in dicto articulo probat suam, & nostram conclusionem, relictis alijs eiusdem Angelici Doctoris alijs in locis brevitatis causa.

Prima ratio, quam in hoc §. iam expendimus, est: *Quia sicut inquit Dionys. de Divin. nomin. per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo superiora possunt cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ: multò igitur minùs per speciem creatam quancumque potest essentia Dei videri.*

68 Huic rationi D. Thomæ respondent *primò* Contrarij, ex ea tantùm concludi, quòd per speciem repræsentativam rerum inferiorum non possit Deus, prout est in se, repræsentari, quod verissimum est; sicut per speciem repræsentativam corporis non potest repræsentari spiritus, prout est in se. Sed vnde probat, quòd per speciem ordinis inferioris non possit repræsentari res superioris ordinis, prout est in se?

Sed contrà est: Nam si bona est illatio D. Thomæ, ratio eius non solùm suadet, Deum, prout est in se, non posse repræsentari per speciem repræsentativam rerum inferiorum, sed neque absolutè posse repræsentari per speciem creatam: ergo prædicta evasio non est ad rem. Antecedens probatur: Tum, quia illatio Div. Thomæ non est, quòd per speciem rerum creatarum non potest Dei essentia videri, sed magis absoluta, & vniversalis, nempè, quòd per nullam speciem creatam Deus, prout est in se, potest videri; sed hæc consequentia, vt rectè deducatur, debet inferri non tantùm ex eo, quòd per species rerum inferiorum nequit res superior, prout est in se, videri, sed neque per speciem ordinis inferioris: ergo. Tum etiam (vt in exemplo D. Thomæ persistamus) nam non solùm repugnat, spiritum quidditativè repræsentari per speciem rei corporeæ, sed etiam per speciem corpoream: *multò igitur minùs* (est consequentia illata à D. Thoma) *per speciem creatam quancumque potest essentia Dei videri.* Patet consequentia: quia Deus multò magis supereminet creaturis, quàm spiritus corpori.

69 Sed vt ratio D. Thomæ ad exactam intelligentiam adducatur, duo sunt supponenda. Primum est, quòd species quidditativa cuiuscumque obiecti debet habere formaliter saltem in *esse* intelligibili eadem prædicata formalia ipsius obiecti. Proquo recolenda sunt, quę diximus suprà dub. 2. *per totum*, vbi obiectiones contra hoc emergentes solutas relinquimus. Secundum est, quòd sicut inter potentiam connaturaliter cognoscitivam alicuius obiecti, & ipsummet obiectum omninò connaturaliter cognitum debet dari omnimoda convenientia in immaterialitate, pro quo disp. 1. num 56. assignavimus quatuor gradus immaterialitatis; ita inter speciem quidditativè repræsentantem aliquod obiectum, & ipsum obiectum debet inveniri eadem convenientia in immaterialitate: quia sicut sunt quatuor gradus immaterialitatis in potentijs, & obiectis, ita isti quatuor gradus immaterialitatis debent assignari in speciebus, ratione quarum obiecta sunt in cognoscentibus. Quocircà sicut potentia cognoscitiva omninò connaturaliter, hoc est, per modum potentiæ simplicis, videns Deum, debet esse eiusdem immaterialitatis cum Deo; ita species illum connaturaliter, & prout est in se repræsentans, debet convenire cum eo in eodem gradu immaterialitatis.

Ex his declaratur, & fulcitur ratio Div. Thomæ. Nam repugnat, speciem creatam esse eiusdem naturæ, & speciei cum Deo adhuc in *esse* intelligibili: ergo repugnat species creata, quæ repræsentet Deum, prout est in se. Antecedens videtur certum, & communiter receptum à Metaphysicis, & Theologis. Et meritò: tum quia Deus, & creatura in nulla ratione possunt convenire vnivocè. Tum etiam: quia repugnat, quòd prædicata quidditativa Dei non sint ipse Deus per essentiam, actus purus, liberaque ab omni potentialitate; quæ in specie creata verificari non valent.

Et confirmatur: Nam species quidditativè repræsentans aliquod obiectum debet convenire cum illo in eodem gradu immaterialitatis; sed repugnat dari vllam speciem creatam, quæ conveniat cum Deo in eodem gradu immaterialitatis: ergo repugnat species creata, quæ repræsen-

sentet quidditativè Deum, prout est in se. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur inductivè per omnes species pertinentes ad quatuor gradus immaterialitatis loco citato assignatos: nam propterea per nullam speciem sensibilem, & corpoream potest repræsentari quidditativè substantia materialis abstracta à singularibus, quia non convenit cum ea in eodem gradu immaterialitatis: substantia enim materialis abstracta à singularibus pertinet ad secundum gradum, & species corporea ad primũ. Item ideò species producta per intellectum agentem nequit quidditativè repræsentare Angelum, quia non convenit cum eo in eodem gradu immaterialitatis, cum talis species pertineat ad secundum gradum, & Angelus ad tertium: ergo species quidditativè repræsentans aliquod obiectum debet convenire cum eo in eodem gradu immaterialitatis.

70 Per quæ præoccupata manet solutio illorum, qui negant, speciem esse eiusdem naturæ cum obiecto quidditativè repræsentato per eam. Quam solutionem fundant in eò, quòd obiectum quandoque est substantia, & species accidens. Nam hæc solutio, inquam, præoccupata manet ex dictis à num. 23. vsque ad num. 29. à quibus nunc abstinemus, ne acta iterum agamus. Maximè: quia estò species repræsentativa secundum modum diminutum, quem importat, sit accidens, in *esse* tamen repræsentativo, & formalissimè sumpta, si repræsentat substantiam, est substantia, vt diximus dubio citato per totum: ergo si daretur species creata repræsentans Deum, prout est in se, in *esse* repræsentativo formaliter esset eiusdem naturæ cum Deo, quidquid sit de *esse* diminuto pro materiali importato; sed repugnat, creaturam convenire vnivocè cum Deo in aliquo vero *esse* reali: ergo ex hoc capite repugnat species creata repræsentativa Dei, prout est in se.

71 Secundò respondent Adversarij, quòd estò species repræsentans infinitè Deum, prout est in se, debeat esse eiusdem naturæ cum ipso Deo, secus verò species repræsentans ipsum finitè, inadæquatè, & per participationem: Sicut estò visio attingens Deum infinitè debeat esse ipse Deus, non verò visio attingens Deum finitè, & per participationem.

Sed contrà est: Nam propterea potest dari visio, seu lumen gloriæ attingens finite Deum, prout in se, quin sit formaliter ipse Deus, quia visio non est similitudo formalis obiecti; qua ratione non potest præcontinere formaliter in vllo ordine prædicata formalia illius; sed species habet in se in *esse* repræsentativo prædicata formalia obiecti ob oppositam rationem: ergo estò possit dari visio creata attingens finitè Deum prout in se, quin sit ipse Deus; non tamen potest dari species vllo modo repræsentans Deum quidditativè, quin sit ipse Deus. Ratio huius discriminis consistit in eo, quòd visio creata (& lumen gloriæ) se tenet ex parte potentiæ, ideoque non petit esse repræsentatio formalis Dei, sed virtualis: ad modum quo gratia est repræsentatio virtualis Dei præcisè, quia est potissimus effectus illius in genere causæ efficientis, non adæquans, sed diminutè, accidentaliter, & per participationem habens eius perfectionem; & ob eandem causam non petit esse eiusdem naturæ cum Deo: At species præcipuè se tenet ex parte obiecti, estque instituta persè primò ad repræsentandum; quare petit, saltem in *esse* repræsentativo, esse eiusdem naturæ cum obiecto. Unde ex diverso capite visio Deum attingens infinitè esset Deus, & species repræsentans Deum quidditativè: Quia illa non esset Deus formaliter, sed tantùm arguitivè, quatenus per consequentias mediatas argueretur, tantam perfectionem non posse reperiri in vlla creatura: Cæterum species repræsentans Deum, prout in se, intransitivè, & formaliter petit habere eadem prædicata formalia ipsius; quod repugnat speciei creatæ.

72 Confirmatur *primò*, ex alio discrimine inter speciem, & lumen gloriæ, seu visionem deducto ex præcedenti. Nam propterea potest dari lumen gloriæ attingens finitè Deum prout in se, quia hoc, vtpotè accidens, & se tenens ex parte potentiæ, limitatur per eam; sed ratio formalissima speciei neque petit esse formaliter accidens, neque limitari in *esse* repræsentativo ab intellectu: ergo, semel concessa specie creata repræsentativa Dei, prout in se, illum repræsentaret infinitè. Minor quoad vtrumque partem sufficienter constat ex dictis à num. 12. & à num. 18. & evidenter liquet in substantia Angeli habenti munus *speciei* respectu intellectus proprij: & in essentia divina vnita etiam per modum *speciei* respectu intellectus creati. Ex quo vrgetur hæc confirmatio: Nam essentia divina vnita per modum *speciei* intellectui creato, hoc ipso quòd non limitetur ab eo, vnitur illi cum omni sua amplitudine, ac proinde vt repræsentans infinitè seipsam (quidquid sit, quòd intellectus creatus ob sui limitationem, & luminis gloriæ nequeat percipere totam eius repræsentationem activam) sed species, quæ in *esse* entitativo est accidens, si repræsentat quidditativè idem obiectum, ac species, quæ est substantia, est formaliter in *esse* intelligibili eadem numero cum ista: ergo sicut essentia divina in ratione speciei est infinita, etiam species creata, quæ esset accidens.

73 Confirmatur *secundò*, ex alio discrimine, quod invenitur inter lumen gloriæ, & speciem. Nam ideò lumen gloriæ attingit Deum finitè, quia habet ex elevatione, & non omninò connaturaliter, hoc est, per modum potentiæ simplicis, attingere Deum, prout in se, vt diximus disp. præced. num. 85. sed permissa spe-

specie impressa creata representativa Dei prout in se, illum representaret per modum principij simplicis,& totalis: ergo representaret Deum infinitè. Consequentia liquet: nam potentia attingens Deum omninò connaturalitèr, & per modum potentiæ, seu principij simplicis esset infinita, quia hoc non haberet ex elevatione, sed connaturalitate omnimoda, ad quam desideratur convenientia in gradu immaterialitatis; quæ ratio non minùs vrget in specie. Minor verò, in qua est difficultas, probatur: Nam species non concurrit per modum elevationis, sicut lumen gloriæ: ergo se habet per modum principij simplicis,& totalis. Antecedens probatur: Nam species non est elevatio potentiæ: tum, quia ex parte sui sufficienter est elevata per lumen gloriæ: tum, & præcipuè, quia non se tenet ex parte illius, sed ex parte obiecti; sed neque est elevatio obiecti, vt ex se liquet: ergo non concurrit per modum elevationis, sed per modum principij simplicis,& totalis.

74 Propter hæc respondent alij, quòd estò repugnet, speciem creatam esse eiusdem naturæ cum Deo in *esse* entitativo, non verò in *esse* intelligibili: Sicut estò repugnet, quòd intellectus creatus identificetur cum Deo in *esse* entitativo; non tamen repugnat, quòd fiat Deus per identitatem in *esse* intelligibili, vt satis colligitur ex dictis dub. 3. *per totum*, maximè num. 47.

Sed contrà: Tum, quia repugnat, Deum, & creaturam convenire vnivocè, & formaliter in aliquo *esse* vero,& reali; sed *esse* representativum non est aliquid fictum, sed verum, & reale: ergo repugnat, speciem creatam esse eiusdem naturæ cum Deo adhuc in *esse* intelligibili. Tum etiam: Nam prædicata formalia Dei sub nullo *esse* possunt reperiri, nisi in entitate, quæ sit ipse Deus: ergo idem est, saltem per consequentias mediatas, esse ipsum Deum in *esse* representativo, ac in *esse* entitativo. Antecedens probatur: Nam prædicata formalia Dei sunt suum *esse* incircumscriptum, & actus purus; sed hæc nequeunt existere, nisi in entitate, quæ sit ipse Deus: ergo &c. Ad id, quod tangit de intellectu, satis constat ex dictis loco allegato.

§. II.

Alia duplex ratio D. Thomæ.

75 SEcundò probat D. Thomas suam, & nostram conclusionem per hæc verba: *Essentia Dei est ipsum* esse *eius, vt suprà ostensum est, quod nulli formæ creatæ competere potest. Non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo representans videnti Dei essentiam.*

Cuius consequentiæ vi, si benè declaretur, præoccupatur communis evasio Adversariorum: Dicentium, speciem, quæ est accidens; representare quidditativè substantiam; proindeque speciem, quæ non est suum *esse*, posse representare quidditativè ipsum Deum. Nam species representans Deum quidditativè nequit non, saltem in *esse* representativo, esse suum *esse*, sicut Deus quidditativè representatus est suum *esse*; sed repugnat forma creata, quæ sit suum *esse* in *esse* re præsentativo: ergo repugnat species creata representans quidditativè Deum. Maior ex dictis toto §. præcedenti, & ex ipso exemplo, ad quod recurrunt Adversarij, satis constat: Nam species, quæ quidditativè representat substantiam, in *esse* representativo est substantia: ergo species, quæ representat quidditativè Deum, qui est suum *esse*, in *esse* representativo debet esse suum *esse*.

76 Minor probatur *primò*: Nam repugnat forma creata, quæ in omni modo essendi non sit essentialitèr ens per participationem; sed implicat in terminis esse suum *esse* in aliquo modo essendi, & esse ens per participationem in omni modo essendi, ergo repugnat forma creata, quæ sit suum *esse* in *esse* representativo. Maior videtur certa: aliàs esset ipse Deus per essentiam, consequenterque non esset forma creata. Minor verò probatur: Nam implicat in terminis esse in omni modo essendi ens creatum, & in aliquo modo essendi ipsum Deum; sed ens per participationem in omni modo essendi est ens creatum, & quod est suum *esse* in aliquo modo essendi, est in illo modo essendi ipse Deus: ergo implicat in terminis esse suum *esse* in aliquo modo essendi, & esse ens per participationem in omni modo essendi. *Secundò*: Nam idem est esse suum *esse* in *esse* intentionali, ac esse suum *esse* in *esse* physico; sed repugnat forma creata, quæ sit suum *esse* in *esse* physico: ergo repugnat forma creata, quæ sit suum *esse* in *esse* intentionali. Maior probatur: Nam esse suum *esse* in *esse* intentionali nequit præscindere ab eo, quod est suum *esse* in *esse* physico, aliàs *esse* physicum non esset prædicatum constitutivum Dei: sicut quia *esse* intentionale hominis præscindit in specie ab *esse* physico illius, *esse* physicum, & *esse* intentionale accidentalitèr conveniunt ei: ergo idem est esse suum *esse* in *esse* intentionali, ac esse suum *esse* in *esse* physico. Per quod clarè constat discrimen inter speciem, quę est accidens, representantem substantiam creatam, & speciem representantem Deum, prout in se. *Esse* enim substantiæ creatæ, cùm non competat ei essentialiter, potest nunc reperiri in *esse* physico absque *esse* intentionali; & nunc in *esse* intentionali absque esse physico. Cœterùm quia Deo competit essentialiter esse suum *esse*, neque *esse* Dei in *esse* intentionali potest inveniri sine *esse* physico; neque *esse* physicum sine *esse* intentionali.

77 Augetur hoc ex dictis num. 69.& loco ci-

citato in secunda suppositione. Nam species, quæ ex proprijs meritis, & omninò connaturaliter repræsentat suum obiectum, nequit excedi ab illo in gradu immaterialitatis, & actualitatis; sed species adæquans Deum in immaterialitate est ipse Deus non solùm in *esse* intentionali, sed etiam in *esse* physico: ergo &c. Maior liquet: Nam idipsum habet species in ratione *speciei*, ac potentia cognoscitiva in ratione *potentiæ*: proindeque sicut potentia cognoscitiva, quæ attingit suum obiectum omninò connaturaliter, & ex proprijs meritis, hoc est, absque vlla elevatione, nequit excedi ab illo, ita de specie fatendum est. Minor suadetur: Nam potentia adæquans Deum in immaterialitate est ipse Deus secundùm omnem modum essendi: ergo etiam species.

Ex quo aliud evidens discrimen colligitur inter speciem accidentalem repræsentantem substantiam, & speciem quidditativè repræsentativam Dei. Etenim species, quæ repræsentat substantiam, ex eo capite quòd sit accidens, non inconvenit, quòd sit eiusdem immaterialitatis cum ea, vt liquet etiam in potentia intellectiva, licèt in *esse* entis substantia sit perfectior. At nulla forma, quæ in *esse* entis est creata, potest esse eiusdem immaterialitatis cum Deo: ideoque in nullo ordine potest continere prædicata formalia Dei.

78 Tertia ratio Div. Thomæ est huiusmodi: *Divina essentia est aliquod incircumscriptum continens in se supereminentèr quidquid potest significari, vel intelligi ab intellectu creato. Et hoc nullo modo potest per aliquam speciem creatam repræsentari; quia omnis forma creata est determinata secundùm aliquam rationem, vel sapientiæ, vel virtutis, vel ipsius* esse, *vel alicuius huiusmodi.*

Ut autem efficacia huius rationis appareat distincta à præcedenti: Nota, quòd estò vtraque conveniat in eo, quòd species creata nequit cum Deo convenire in gradu immaterialitatis; at ratio præcedens solùm innititur in explicando immaterialitatem divinam per exclusionem potentialitatis ad *esse*, licèt ex hac, tanquàm ex prima radice, deducatur etiam exclusio cuiuscumque alterius potentialitatis. In hac verò vltima explicatur immaterialitas divina per exclusionem omnis potentialitatis resultantis ex quacumque compositione, sivè ex essentia & existentia, sivè ex genere & differentia, sivè ex aggregatione ex pluribus formis, aut perfectionibus realitèr distinctis.

Ex his ergo energia huius tertiæ rationis D. Thomæ potest reduci ad hanc formam: Nam infinitum, & incircumscriptum in omni genere continens eminentèr perfectionem omnis generis nequit repræsentari, vt est in se, per formam finitam, & determinatam in aliqua specie perfectionis & entitatis, sicut figura perfecta domus nequit, prout est in se, repræsentari per speciem vnicè determinatam in perfectione alicuius partis; sed omnis species creata est limitata ad certum genus perfectionis, aut entitatis: ergo nulla species creata potest repræsentare Deum prout est in se.

79 Respondent Adversarij, ex hac ratione tantùm inferri, quòd nulla species creata possit repræsentare Deum, quantùm repræsentabilis est, hoc est, secundùm omnia, quæ tàm formaliter, quàm eminenter continet. Quod verissimum est: quia ad hoc desideratur, quòd talis species non solùm repræsentaret Deum quidditativè, sed etiam comprehensivè, proindeque deberet continere in se saltem in *esse* repræsentativo perfectionem omnis generis; quod speciei creatæ repugnat. Cæterùm non est contra rationem speciei finitæ, quòd tantùm repræsentet Deum secundùm aliqua, aut omnia formalia, quæ dicit. Quod sufficit ad cognitionem quidquidditativam: ob quam rationem datur visio creata quidditativa Dei, quin sit comprehensiva illius.

Sed hęc solutio facilè refellitur ex dictis §. præcenti. Nam in primis species repræsentans Deum quoad aliquod prædicatum formale, & non quoad omnia formalia nequit deservire pro cognitione quidditativa illius: ergo ex hac parte repugnat species creata repræsentativa Dei, prout in se. Antecedens probatur: Cognitio quidditativa est illa, per quam completè terminatur quæstio *Quid est*? sed species, seu cognitio, qua tantùm in Deo cognosceretur vnum prædicatum formale non esset talis, per quam completè terminaretur quæstio *Quid est Deus*, vel *illud prædicatum*? Minor probatur: Nam Deus essentialitèr est omnia sua prædicata formalia, imò vnum prædicatum divinum est essentialitèr omnia, cùm Deus sit essentialitèr vna, & indivisibilis entitas: ergo per speciem repræsentantem Deum partialiter nequit completè terminari quæstio *Quid est Deus*, vel *aliquod eius prędicatum*?

80 Deinde species representans Deum quoad omnia formalia, nequit non repræsentare ipsum quoad omnia eminentialia: ergo si daretur species creata, quæ repræsentaret Deum quoad omnia formalia, quantum est ex se, non solùm deserviret pro cognitione quidditativa illius, sed etiam pro comprehensiva. Antecedens probatur: Nam eo ipso, quòd species repræsentet Deum quoad omnia formalia ipsius, continet in se formaliter, saltem in *esse* repræsentativo, omnia eius prædicata formalia: ergo etiam continet omnia eminentialia illius in eodem *esse* repræsentativo. Antecedens ex dictis §. præcedenti constat. Consequentia verò probatur: Nam vbicumque inveniuntur formaliter omnia prędicata formalia Dei, inveniuntur etiam omnia eminentialia: quia de ratione omnium prædicatorum formalium Dei est continere eminenter

omnes perfectiones creaturarum; alias essent & non essent prædicata Dei: ergo in idem reddit, speciem repræsentare Deum quoad omnia formalia, ac repræsentare eum quoad omnia eminentialia. Huc accedere possunt, quæ diximus à num. 69. vbi invenies discrimen inter visionem, & speciem, ne acta iterum agamus.

§. III.

Sententia opposita.

81 PRO contraria opinione sunt aliqui, qui defendunt non solùm possibilitatem speciei creatæ repræsentativæ Dei prout in se, sed etiam existentiam illius. Quos retulimus num. 1. Alij sunt, qui ita negant existentiam speciei creatæ, quòd propugnent possibilitatem illius. Ita Aureolus in 4. dist. 49. quæst. 2. & communiter PP. Societatis, Suarez, Vazquez, Valentia, Fasolus, Alarcon, Salas, Becanus, & alij, quos referunt N. Salmant. & Mag. Ferre. De mente Scoti dubitant eius discipuli: Nam alij interpretantur de specie quidditativa non intuitiva, sed abstractiva: alij illum interpretantur de specie etiam intuitiva: Et iuxta has diversas interpretationes eum sequuntur, illumque referunt in 2. dist. 3. quæst. 9. §. *Ad quæstionem*, & in 4. dist. 49. quæst. 11.

Arguitur *primò*: Nam in quocumque ordine possibilis est operatio, sunt possibilia operationis principia; sed in ordine creato non repugnat visio attingens Deum prout in se: ergo neque repugnat in eodem ordine creato principium ad illam desideratum: Tunc sic; sed vnum ex principijs est species: ergo non repugnat species creata ad visionem quidditativam Dei. Maior probatur: tum inductivè ex his, quæ petunt alij actus creati. Tum etiam: quia species se habet per modum seminis fœcundantis potentiam cognoscitivam, quæ se habet per modum fœminæ: ergo si fœmina, & partus sunt in ordine creato, etiam species, quæ se habet per modum seminis, potest esse in eodem ordine creato.

Confirmatur: Omnis potentia cognoscitiva sufficienter dispositа ex parte sui ad aliquam cognitionem petit connaturaliter aliquam speciem impressam: ergo etiam intellectus perfusus lumine gloriæ; sed nequit connaturaliter petere essentiam divinam: ergo speciem creatam. Minor subsumpta probatur: Essentia divina est actus purissimus: ergo solus ille intellectus potest illam petere, qui etiam sit actus purus.

Argumentum retorquetur: In quocumque ordine dantur accidentia, datur etiam subiectum seu substantia; sed dantur accidentia supernaturalia creata: ergo etiam substantia supernaturalis creata. Qui modus arguendi est omninò falsus: quia in substantia supernaturali creata datur specialis repugnantia, quæ non datur in accidentibus. Pariter ergo in aliquo comprincipio potest dari specialis repugnantia, quæ non datur in alio, vel in ipsa operatione. Et huiusmodi est species repræsentativa Dei, prout in se, quæ ex capitibus suprà enumeratis petit esse eiusdem immaterialitatis cum Deo, quod repugnat speciei creatæ. At neque lumen gloriæ, neque visio beata ex vllo capite petit esse eiusdem immaterialitatis cum Deo; ideo stat optimè, quòd sint creata, quin omnia principia illius possint esse creata. Et ratio huius discriminis suprà tacta est: nempè, quia lumen gloriæ, & visio non se tenent ex parte obiecti, neque sunt similitudines formales Dei; species verò se tenet ex parte obiecti, & est similitudo formalis illius.

Confirmatio etiam potest retorqueri. Nam si intellectus perfusus lumine gloriæ peteret connaturaliter speciem creatam, defactò daretur, & connaturalius per illam videret Deum, quàm per essentiam divinam: vtrumque est falsum, vt vidimus dub. 1. *per totum*, maximè num. 9. Respondetur ergo, quòd solùm illa potentia, quæ per modum potentiæ simplicis est principium cognitionis, exigit connaturalitate omnimoda speciem impressam, & ipsa species exigit prædictam potentiam, vt primarium suum perfectibile, quia tunc requiritur convenientia in eodem gradu immaterialitatis inter intellectum, speciem, cognitionem, & obiectum. At intellectus creatus non est principium visionis beatæ per modum potentiæ simplicis, cùm indigeat elevatione luminis gloriæ, qua de causa visio beata non est illi omninò connaturalis, vt docet D. Thomas 3. part. quæst. 9. art. 4. & multò minus species, quæ ad illam desideratur, quia hæc semper debet esse eiusdem immaterialitatis cum Deo, quod repugnat speciei creatæ. Cum quo rectè cohæret, quòd intellectus perfusus lumine gloriæ petat connaturaliter (licèt non connaturalitate omnimoda) essentiam divinam per modum *speciei*: quia ad hoc sufficit, quòd lumen gloriæ, per quod elevatur intellectus, sit ordinis divini per participationem, ratione cuius inclinatur in idem obiectum, in quod inclinatur intellectus divinus. Licèt cum hoc discrimine, quòd intellectus divinus inclinatur in illud per modum potentiæ simplicis, & per modum primarij perfectibilis ab essentia divina; ideòque petit illam omninò connaturaliter: lumen autem gloriæ solùm inclinatur in illud per modum elevationis, & participationis deficientis, & diminutæ; proindeque non petit essentiam divinam per modum speciei omninò connaturaliter, neque petit esse eiusdem immaterialitatis cum ea. Pro quo videantur omninò, quæ diximus disp. præced. num. 85.

82 Arguitur *secundò*: Ideò repugnaret species creata repræsentativa Dei, prout in se, quia

quia eſſet infinita; ſed hoc eſt falſum: ergo eſt poſsibilis. Minor probatur *primò*: Ad effectum finitum non requiritur virtus infinita; ſed viſio beata eſt effectus finitus: ergo non requiritur, quòd ſpecies ſit infinita. *Secundò*. Ad attingendum obiectum infinitum modo finito non requiritur virtus infinita: ergo neque ad repræſentandum obiectum infinitum modo finito requiritur ſpecies infinita. *Augetur*: Poſsibilis eſt ſpecies repræſentativa Dei quidditativa, & non comprehenſiva: ergo ita diſtinguerentur ſicut viſio quidditativa, & comprehenſiva Dei; ſed illa eſſet finita, & iſta infinita: ergo idem de ſpecie aſſerendum eſt. Antecedens probatur: Nam poſsibilis eſt ſpecies quidditativa, & non comprehenſiva alterius obiecti, vt multi probabiliter volunt de ſpecie Angeli ſuperioris exiſtente in Angelo inferiori, & liquet in ſpecie humana repræſentante gradum animalis, & non ſpeciem aliquam: ergo etiam eſt poſsibilis ſpecies quidditativa, & non comprehenſiva Dei. *Tertiò*: Nam id præſtaret prædicta ſpecies, quod præſtat eſſentia divina vnita per modum *ſpeciei* intellectui creato; ſed eſſentia divina non præſtat effectum infinitum, cùm finito modo vniatur cum illo: ergo nec ſpecies eſſet infinita.

Confirmatur *primò*: Alia prædicata divina poſſunt formaliter participari: ergo etiam eſſentia divina ſub conceptu *ſpeciei*. Probatur conſequentia: Ideò non poſſet ſub conceptu *ſpeciei*, quia eſſet ſimilitudo formalis Dei; ſed quodlibet prædicatum creatum participans formaliter ſimile prædicatum divinum eſt ſimilitudo formalis illius: in hoc enim diſtinguitur participatio formalis à virtuali, quòd illa eſt cum convenientia formali, non verò iſta: ergo ſi alia prædicata divina poſſunt participari à creatura, etiam eſſentia divina ſub conceptu *ſpeciei*. ¶ Confirmatur *ſecundò*: Eſſentia divina ſupplet vices ſpeciei creatę: ergo poſsibilis eſt ſpecies creata repræſentativa Dei prout eſt in ſe. Patet conſequentia: nam quod eſt impoſsibile, nequit ab alio ſuppleri. ¶ Confirmatur *tertiò*: Species naturalis poteſt elevari ad repræſentanda obiecta ſupernaturalia, vt liquet in ſpeciebus deſervientibus fidei: ergo etiam ſpecies creata poteſt elevari ad repræſentandum Deum prout eſt in ſe; & conſequentèr non eſſet infinita. Prima conſequentia patet à paritate. Ultima verò probatur: Nam ſpecies, quæ non repræſentat per modum principij ſimplicis obiectum, non petit convenire cum eo in eodem gradu immaterialitatis, ſicut nec potentia non attingens illud per modum principij ſimplicis. ¶ Confirmatur *quartò*: Nulla repugnantia datur in eo, quòd ſpecies creata ſit infinita in *eſſe* intelligibili, ſi non eſt infinita in *eſſe* phyſico; ſed hoc eſt poſsibile, ſicut poſsibile eſt, quòd operatio Chriſti Domini ſit infinita in genere moris, & finita in *eſſe* phyſico: ergo &c.

83 Ad argumentum reſpondetur, negando minorem. Cuius prima probatio deficit in primis: nam quidquid fit per veram creationem, vt anima noſtra, eſt effectus finitus; & tamen petit ex parte principij virtutem infinitam. Deficit etiam ex eo, quòd eſtò virtus finita ſe tenens ex parte potentiæ, qualis eſt lumen gloriæ, ſit ſufficiens ad viſionem beatam: at virtus ſe tenens ex parte obiecti, qualis eſt ſpecies, debet eſſe infinita, ob diſcrimina in duobus §§. præcedentibus recenſita. Per quod conſtat ad ſecundam probationem. ¶ Ad eius augmentum ſufficienter liquet ex dictis num. 79. & 80. Contra quæ non vrget exemplum ſpeciei Angeli ſuperioris reſidentis in Angelo inferiori: Nam longè probabilius eſt huiuſmodi ſpeciem eſſe quidditativam, & ſimul comprehenſivam, vt in tractatu *de Angelis* exprofeſsò dicemus. Præterquàm quòd eſt latum diſcrimen inter ſpeciem Angelicam, & ſpeciem repræſentativam Dei, prout eſt in ſe, deſumptum ex gradu immaterialitatis vnius, & alterius: Nam tertius gradus, in quo conveniunt omnes Angeli, eorum potentiæ, & ſpecies, continet non parvam latitudinem, conſequenterque continet ſub ſe plures immaterialitates ſpecie ſaltim materiali diverſas, & ſe excedentes in perfectione: Quod ſufficit iuxta hunc probabilem modum ad hoc, vt ſpecies reſidens in Angelo inferiori repræſentet quidditativè, & non comprehenſivè Angelum ſuperiorem. At quartus gradus immaterialitatis proprius Dei eſt omninò indiviſibilis: quia nequit dari duplex ens, quod ſit ſuum *eſſe*: proindeque, cùm omnis ſpecies quidditativa debeat eſſe eiuſdem immaterialitatis cum obiecto, idem prorſus eſſet in ſpecie repræſentativa Dei eſſe eiuſdem immaterialitatis cum eo quoad gradum, ac eiuſdem immaterialitatis atomæ; & eſſe ſpeciem quidditativam, ac comprehenſivam. Minùs vrget exemplum ſpeciei humanæ repręſentantis naturam animalis: tum quia prædicta ſpecies non eſſet quidditativa illius, quia ſolum repræſentaret illam quoad partem. Tum & maximè: quia illa ſpecies, vtpote abſtracta à phantaſmatibus, repræſentat res vt abſtractas à ſuis differentijs: quod de ſpecie repręſentativa Dei, prout eſt in ſe, imò de ſpecie angelica nefas eſt dicere. ¶ Ad tertiam reſpondetur, quòd ſicut eſſentia divina, quantum eſt ex ſe, præſtat in repræſentando effectum ſimpliciter infinitum, defactò tamen illum non præſtat ex defectu luminis gloriæ; ita ſpecies creata, quantum eſt ex ſe, præſtaret effectum infinitum ob rationes ſæpius dictas; licèt propter eundem defectum illum non præſtaret. Vel poteſt dici, quòd eſſentia divina ſemper repręſentat infinitè, quod eſt eius effectus primarius in ratione ſpeciei; licèt in-

intellectus creatus ex defectu luminis non percipiat omne, quod repræsentat. Et idem contingeret in specie creata repræsentativa Dei, prout est in se, si esset possibilis.

84 Ad primam confirmationem respondetur, aliqua esse prædicata divina, quæ ob specialem repugnantiã ex parte creaturæ nequeunt ab illa formaliter participari: & huiusmodi sunt conceptus *subsistantiæ*, conceptus *subsistentiæ*, virtus creativa, & denique species. Alia verò prædicata divina ideò participantur, quia dantur ad elevandam animam, & potentias, vt possint exercere operationes similes eis, quas Deus elicit: non similitudine vnivoca (repugnat enim aliquid vnivocum Dei, & creaturæ) sed similitudine analoga, hoc est, per modum effectus participantis accidentaliter, & diminutè prædicatum divinum; ideòque de gratia (v. g.) nequit verificari, quòd continet formaliter ipsissima prædicata Dei: At de ratione speciei repræsentativæ Dei, prout in se, est continere ipsa prædicata quidditativa ipsius, quod speciei creatæ repugnat. Per quod patet ad probationem. ¶ Ad secundam, quæ innititur modo loquendi, non proprietati rerum: Respondetur, quòd dum dicitur, quòd essentia divina gerit munus *speciei*, vel supplet vices speciei, non sic est intelligendum, quòd suppleat vices alterius speciei possibilis repræsentativæ Dei, prout est in se, sicut subsistentia Verbi supplet vices subsistentiæ creatæ; sed quòd per ipsam facit, quod alia obiecta præstant per speciem distinctam, & accidentalem.

Ad tertiam respondetur, quòd estò species naturales possint elevari ad repræsentanda mysteria supernaturalia quoad *an est*, seu connotativè ad res naturales; repugnat tamen, quòd eleventur ad repræsentandã illa quidditativè: quia ad primum non requiritur continentia formalis obiecti in specie, benè verò ad secundum. ¶ Ad quartam respondetur, quòd estò species creata repræsentativa Dei, prout in se, non repugnaret ex capite, quòd esset infinita in *esse* physico, repugnaret sufficienter ex capite, quòd esset infinita in *esse* intelligibili: quia esset ipse Deus in *esse* intelligibili, quod repugnat prædicato creato. Ex eo autem, quòd operatio Christi infinita sit in genere moris, non arguitur esse ipsum Deum adhuc in hoc genere: quia hæc infinitas solùm desumitur per connotationem personæ divinæ per modum principij illius, non verò per continentiam formalem ipsius Deitatis. *Maximè*: quia genus entis, & genus intelligibile taliter identificantur, quòd intelligibilitas, & repræsentatio ortum ducant ab ipsa entitate vt *immateriali*: proinde entitas finita nequit esse radix repræsentationis infinitæ. Cæterum genus moris, estò fundetur in entitate, non desumitur ab ea, tanquàm à prima radice, sed ab alio principio: proindeque valor infinitus moralis operationis Christi non desumitur neque commensuratur cum entitate, sed ex persona, à qua procedit.

§. IV.

Ultimum Argumentum.

85 Ultimò arguitur, præcipuè contra rationes D. Thomæ. Nam species quidditativa alicuius obiecti potest esse inferioris immaterialitatis ad ipsum; proindeque non petit continere in se formaliter adhuc in *esse* intelligibili totam perfectionem illius; neque petit vllam perfectionem illius habere in *esse* physico: ergo ex eo, quòd esset possibilis species creata repræsentans Deum, prout est in se, non sequitur, quòd esset eiusdem immaterialitatis cum Deo. Antecedens probatur: In Angelo inferiori est species repræsentans quidditativè Angelum superiorem; & tamen est inferioris immaterialitatis ad ipsum, sicut ipse Angelus inferior (propter quod D. Thomas infrà quæst. 55. art. 3. docet, species Angelicas esse inæquales iuxta inæqualitatem ipsorum, proindeque duas species inferiorum Angelorum repræsentantes eundem Angelum supremum esse diversæ immaterialitatis:) ergo species quidditativa alicuius obiecti potest esse inferioris immaterialitatis ad ipsum.

86 Neque proderit recursus ad convenientiam in immaterialitate graduali, seu generica, in qua omnes Angeli conveniunt, licèt sint immaterialitatis diversę specificæ. Non, inquam, proderit: Tum, quia indè sequitur, possibilem esse speciem quidditativam Dei, quin sit eiusdem immaterialitatis specificæ, & quin sit Deus specificè. Tum etiam: quia si non requiritur convenientia in immaterialitate specifica, sed sufficit in immaterialitate graduali, seu generica, cur non erit sufficiens convenientia analoga in immaterialitate ad speciem quidditativam Dei? *Maximè*: quia anima separata cognoscit quidditativè Angelos; & tamen non convenit cum illis in immaterialitate adhuc graduali, seu generica.

Ex hoc argumento, si habet aliquam vim, infertur esse possibiles plures Deos eiusdem immaterialitatis gradualis, seu genericæ, sicut dantur plures Angeli convenientes in eadem immaterialitate generica, & se excedentes in immaterialitate specifica: quod nullus Catholicorum concederet. Deinde respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam. Pro cuius intelligentia, nota duo. *Primum*, quòd licèt immaterialitas, in qua conveniunt omnes Angeli, quæ consistit in omnimoda abstractione à materia physica, sit generica in *esse entis*, & materia

rialiter, qua ratione contrahi potest per immaterialitates specie etiam materiali diversas; si verò considerentur formaliter, hoc est, in ratione constituentis gradum intelligibilem, est specifica & atoma: quia secundùm hanc rationem non est vlterius contrahibilis, sed est vltima ratio distinguendi seipsam ab alij tribus, relatis disp. præced. num. 56. *Secundum est*: quòd species angelica potest considerari, vel prout pertinet ad ordinem entitativum, qui de materiali se habet ad formalem conceptum *speciei*, vt diximus suprà in hac eadem disp. à num. 23. vel prout pertinet ad ordinem intelligibilem, secundùm formale, quod in hoc ordine importat. Inter quas formalitates hoc datur discrimen, quòd species primo modo sumpta proportionatur in immaterialitate specifica, seu materiali cum intellectu, in quo est: ex quo oritur, & quòd species Angelorum sint inæquales (in quo sensu propriſsimè locutus fuit D. Thomas loco citato) & quòd species, quæ est in Angelo superiori, nequeat connaturaliſsimè recipi in Angelo inferiori, nec econtrà. Si verò sumatur secundo modo, potius proportionatur tàm materialiter, quàm formaliter cum obiecto persè primò repræsentato, quàm cum potentia, in qua est: quia hoc modo sumpta dicit pro formali ipsiſsima prædicata specifica obiecti. Ex quo provenit, quòd duæ species residentes in Angelo infimo & repræsentantes duos superiores, sint diversæ immaterialitatis specificæ, licèt de materiali se habentis quoad gradum. Quod in omnium sententia necessariò fatendum est: quia species quidditativè repræsentans obiectum superius perfectior debet esse specie repręsentante quidditativè inferius quoad formale munus repræsentandi, saltèm materialiter sumptum.

87 Sed pro huius maiori luce objicies: Non stat, speciem in *esse entis* omninò esse proportionatam cum intellectu, in quo est, & in *esse* repræsentativo esse proportionatam cum obiecto: ergo vel secundùm vtrunque conceptum omninò connaturaliter respicit subiectum, in quo est; vel obiectum, quod persè primò repræsentat. Antecedens probatur *primò*: Intelligibilitas speciei pro formali ortum ducit ex immaterialitate suæ entitatis: ergo omninò proportionatur cum ea: ergo non stat in *esse entis* esse omninò proportionatam cum intellectu, in quo est; & in *esse* repræsentativo cum obiecto. *Secundò*: Nam *esse* intelligibile speciei pro formali connaturaliſsimè est in entitate ipsius speciei: ergo non stat in ratione *entis* esse proportionatam omninò cum intellectu, in quo est, & non in ratione *intelligibilis*. Patet consequentia: nam propterea diximus suprà, speciem in *esse entis* solùm esse connaturaliſsimè in intellectu, in quo est, quia est omninò proportionata tantùm cum illo.

Respondebitur ad hanc obiectionem, notando alia duo. *Primum*, quòd species considerata in *esse entis* potest sumi adhuc dupliciter: vel formaliter, quatenus spectat ad tertium gradum immaterialitatis, in quo convenit formaliter cum alijs speciebus repertis in omnibus Angelis, necnon cum ipsis Angelis, sivè inferioribus, sivè superioribus, & eorum potentijs, quia omnia hæc habent eandem abstractionem à materia physica, quod est persè & formaliter petitum à prædicto gradu formaliter sumpto: vel materialiter, quo pacto explicat immaterialitatem atomam, etsi de materiali importatam comparativè ad gradum: & ad hanc recipiendam connaturaliter omninò, & formaliter, desideratur similis immaterialitas in *esse entis* in intellectu materialiter etiam sumpto. Et ex hoc capite repugnat, quòd species, quæ est in Angelo inferiori, sit connaturaliter in Angelo superiori, & econversò. Similiter species prout repræsentatio formalis sui obiecti, quod continet formaliter prædicata formalia ipsius, potest sumi dupliciter: vel materialiter, quatenus ipsa prædicata formalia in specie reperta sunt huius obiecti materialiter sumpti, id est, secundùm quod obiectum dicit immaterialitatem atomam de materiali importatam ad gradum pro formali: vel formaliter, quo pacto dicit ipsa prædicata formalia vt formaliter pertinentia præcisè ad tertium gradum, in quo omnes Angeli formaliter conveniunt. ¶ *Secundum est*, quòd licèt species considerata in *esse entis* sit radix immaterialitatis obiectivæ, seu intelligibilis, quæ in ea est; non tamen ortum ducit ab ea in *esse entis*, prout dicit immaterialitatem entitativam materialiter sumptam, sed prout dicit immaterialitatem de linea entitativa formaliter accepta, seu quatenus pertinet ad tertium gradum: quia vbicumque reperiatur prędicta immaterialitas, datur sufficiens capacitas, vt in ea contineantur prædicata quidditativa Angeli, sivè inferioris, sivè superioris; ideòque in specie, quæ est in Angelo superiori, omninò connaturaliter sunt prædicata quidditativa Angeli inferioris, & econversò. Ex his iam patet solutio ad præfatam obiectionem, & firma manet responsio num. 86. inter arguendum data. Contra quam nulla obest probatio.

88 Non prima: nam ex duplici capite repugnat, quòd detur species creata quidditativa Dei, nempè, ex eo quòd nequeat adhuc in *esse* intelligibili esse eiusdem immaterialitatis specificæ, sivè formalis, sivè materialis cum Deo, cum tamen de ratione omnis speciei quidditativæ obiecti sit, quòd in *esse* intelligibili sit eiusdem immaterialitatis specificæ, cùm debeat continere omnia prædicata specifica illius. Repugnat etiam prędicta species ex parte entitatis: tum quia, cùm Deus sit supremum intelligibile, nequit non constituere specialem gradum intelligibilitatis sibi soli convenientem. Tum etiam: quia

quia ideò inter gradum angelicum datur multiplicitas materialis immaterialitatis, seu entitativè, quia immaterialitas illorum permittit potentialitatem metaphysicam; Deus autem ob oppositam rationem petit gradum omninò indivisibilem; ideòque nequit suum *esse* intelligibile inveniri sub *esse* entitativo inferiori. Per quod patet ad secundam. Quam solutionem docet D. Thomas quæst. 8. *de Verit.* art. 1. his verbis: *Nulla similitudo divinæ essentiæ potest habere aliquam convenientiam cum essentia divina, nisi analogicè tantùm; & ideò cognitio, quæ esset per talem similitudinem, non esset ipsius Dei per essentiam, sed multo imperfectior, quàm si cognosceretur substantia per similitudinem accidentis.* Ad tertiam respondetur, negando quòd anima separata proprijs viribus cognoscat quidditativè Angelos. Pro quo vide, quæ diximus disp. præced. num. 61. & locum ibi relatum.

DUBIUM VI.

Vtrùm possibile sit verbum creatum repræsentans Deum prout est in se?

PLures & gravissimi Authores adhuc Thomistæ sunt, qui estò negent possibilitatem speciei impressæ creatæ repræsentantis Deum, prout est in se; concedunt tamen possibilitatem speciei expressæ, seu verbi creati. Inter quos est non parvum desidium: nam aliqui ita defendunt hanc possibilitatem, vt alitèr esse non possit. Iuxta quem modum dicendi essentia divina nequit vniri per modum *verbi* visioni beatæ. Ita Suarez lib. 2. *de Attribut.* cap. 11. & alij suæ familiæ, & quot quot non distinguunt verbum mentis ab intellectione. Alij temperant hanc sententiam, dicendo quòd estò sit possibile verbum creatum repræsentativum Dei, prout est in se, & defactò detur, non verò negant possibilitatem vnionis essentiæ divinæ per modum *verbi* cum intellectu creato. Huiusmodi ex Thomistis sunt Capreolus, Ferrara, Sylvester, Canarienses, Torres, & alij, quos refert, & sequitur Ildephons. Michaël in præs. dub. 3. Et ex extraneis D. Bonav. Scotus, Gabriel, Vazquez, Molina, & Arrubal, quos referunt N. Salmant. in præs. num. 202. Ab hac difficultate, etsi gravi, facilè nos expediemus, si præsupponantur aliqua, quæ non libet in præsenti examinare, quia in locis infrà referendis iam sunt acta.

§. I.

Suppositiones nonnullæ.

89 SUpponendum est *primò*, verbum mentis distingui realitèr ab intellectione. Hæc, suppositio procedit directè contra eos Authores, quos referunt N. Complut. *de Anima* disp. 20. num. 14. stabiliturque ab illis à num. 9. ¶ Supponendum est *secundò*, verbum non minùs esse repræsentationem, & similitudinem formalem sui obiecti primarij, ac speciem impressam. Sic D. Thomas Opusc. 14. vbi ait: *Licèt vtrumque sit accidens, species scilicet, & verbum; verbum tamen magis transit ad similitudinem substantiæ, quàm species ipsa.* Id ipsum suaderi potest ratione desumpta ex eodem D. Thoma infrà quæst. 27. art. 2. in corp. & art. 4. ad 2. Nam verbum mentis procedit per generationem intentionalem, qua ratione probant communitèr Theologi, Verbum divinum procedere per generationem: ergo de ratione illius est, quòd procedat vt simile suo principio, in eo quod habet rationem formæ; sed species est principium verbi: ergo verbum evadit formalitèr simile speciei: ergo etiam obiecto. Patet hæc vltima consequentia: nam species est similitudo formalis obiecti. Vtrunque docet D. Thomas locis suprà relatis. Siquidem in Opusc. citato ait: *Est tamen ipsum verbum similitudo illius speciei, tanquam eius, quo factum est sibi similimum.* Et locis citatis ex 1. part. ait: *Ad verbum pertinet, quòd sit similitudo rei intellectæ, sicut genitum est similitudo generantis.* Ex quo colligitur, quòd verbum sit eiusdem naturæ cum specie, & obiecto. Quocircà D. Thomas loco citato ex 1. part. art. 2. postquàm dixit, quòd *conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ*, statim subdit: *Et in eadem natura existens.* Quinimo in quæst. 4. *de Verit.* art. 2. ad 3. ait: *Verbum est ipsa res intellecta.* Pro quibus videri debent N. Complut abbrev. *de Anima* disp. 17. num. 13.

90 Supponendum est *tertiò*, nullam involvi imperfectionem in eo, quòd essentia divina vniatur cum intellectu creato per modum *verbi*. Hæc suppositio præcipuè procedit contra Suarium. Et probatur brevitèr: Hæc vnio per modum *verbi* non repugnat ex parte essentiæ divinæ, neque ex parte visionis beatæ: ergo est possibilis vnio essentiæ divinæ per modum verbi mentalis cum intellectu creato. Antecedens quoad primam partem probatur: Tum, quia essentia divina continet eminenter omnem perfectionem verbi creati, si esset possibile, sicut continet eminentèr substantiam creatam; sed ob hanc rationem personalitas divina potest vniri humanitati: ergo vnio essentiæ divinæ per modum *verbi* non repugnat ex parte sui. Tum etiam (per quod præcedens probatio magis explanatur:) Nam in vnione per modum *verbi* ex suo conceptu formali nulla includitur imperfectio: ergo si essentia divina continet eminentèr verbum creatum, ex nullo capite repugnat vniri per modum *verbi* intellectui creato. Antecedens probatur: Si aliqua imperfectio reluceret in ea, maxi-

maximè vel conceptus *egressionis* ab intellectione, vel conceptus *subordinationis* ad illam; sed verbum ex suo conceptu formali nullam ex his imperfectionibus importat: ergo. Maior patet: quia haud facilè potest assignari aliud caput imperfectionis, suppositis quæ diximus dub. 1. de vnione per modum *speciei*. Minor verò quoad primam partem probatur: Tum, quia essentia divina vnitur per modum *verbi* respectu intellectionis divinæ; & tamen non dicit egressionem ab ea: ergo verbum ex suo conceptu formali non dicit egressionem ab intellectione. Tum etiam: nam intellectio creata non est actio de prædicamento actionis, de cuius ratione est producere terminum, sed qualitas perfectissima; vt rectè tradunt, & ostendunt N. Complut. abbrev. *de Anima* disp. 20. dub. 1. ob quam rationem dub. 4. probant, non omnem intellectionem producere terminum: quocircà verbum creatum non producitur per intellectionem ex suo conceptu formalissimo, sed ratione entitatis diminutæ, quam de materiali importat: imò secundùm hanc non est adeò perspicuum, quòd petat egressionem, & quòd non possit infundi à Deo. Tum denique: quia verbum non se tenet ex parte potentiæ, seu intellectionis, sed ex parte obiecti, cùm sit repræsentatio formalis illius, non minus propriè, ac species impressa, & præcipuè detur, vt reddat obiectum actu intellectum, sicut species reddit illud actu, & proximè intelligibile: ergo ex suo conceptu formali non petit egressionem. *Quoad secundam partem*, probatur eadem minor: Nam species ex suo conceptu formalissimo non subordinatur intellectioni: ergo neque verbum. Antecedens sufficienter constat ex dictis dub. 1. Præterquam quòd admittitur ab Adversarijs concedentibus possibilitatem vnionis essentiæ divinæ per modum speciei impressæ. Et consequentia probatur: Nam verbum est perfectius in ratione repræsentationis, quàm species, estque finis illius: ergo si species non subordinatur intellectioni, neque verbum debet subordinari. *Maximè*: quia estò verbum secundùm suum *esse* diminutum subordinetur intellectioni; non tamen quando illo caret, & obiectum per suam entitatem vnitur per modum *verbi*: sicut estò species secundùm suum *esse* diminutum subordinetur intellectioni, secùs verò quando vnitur per modum *speciei* per suam substantiam. Ex quibus manet probata prima illa minor quoad secundam partem, nempè, quòd non repugnet vnio essentiæ divinæ per modum *verbi* ex capite ipsius intellectionis: Nam verbum solùm desideratur ad consistentiam intellectionis, quatenus intellectio indiget verbo, vt in illo percipiat obiectum; sed ad hoc solùm desideratur, quòd intimè ei assistat, & de materiali est, quòd producatur. Minor (in qua est difficultas) liquet in essentia divina vnita cum sua intellectione per modum verbi. *Maximè*: Nam propterea actio de prædicamento actionis ex parte sui petit terminum à se distinctum, & productum per eam, quia dependet ab eo, sine quo propter suam imperfectionem nequit consistere; sed intellectio est perfectissima qualitas: ergo ratione sui non petit producere verbum. Accedit ad hæc, quòd visio beata est sufficiens dispositio ad vnionem essentiæ divinæ per modum *verbi*, sicut lumen gloriæ est dispositio sufficiens ad vnionem sui ipsius per modum *speciei*. Præcipua argumenta contra hanc suppositionem manent soluta à N. Complut. abbrev. locis supra relatis.

Supponendum est *quartò*, essentiam divinam defactò vniri menti beatorum per modum *verbi*, consequenterque defactò non dari in visione beata verbum creatum repræsentans Deum prout est in se. Hæc suppositio procedit contra Authores secundæ sententiæ suprà relatos. Estque expressa D. Thomæ in præs. art. 2. ad 3. vbi ait: *Divina essentia vnitur intellectui creato vt intellectum in actu, per seipsam faciens intellectum in actu.* Et probatur ratione, quam attulimus suprà num. 3. pro specie impressa, quæ impræsentiarùm reducitur ad hanc formam: Nam quia essentia divina est ita immaterialis, vt per seipsam, quantùm est ex se, sit actu intelligibilis, proportionata per lumen gloriæ, & intimè præsens intellectui, vnitur per modum speciei impressæ; sed, quantùm est ex se, non solùm est actu intelligibilis, sed etiam actu intellecta: ergo defactò habet rationem *verbi* in visione beata. Maior cum consequentia constat: nam ad hoc ponitur verbum, vt reddat obiectum actu intellectum; cùm de ratione *verbi* sit actu intelligi, seu esse res actu intellecta, vt sæpe docet D. Thomas, maximè 4. Contrà gent. cap. 11. Minor verò probatur: Nam essentia divina est actus purus in linea intelligibili: ergo, quantum est ex se, est actu intellecta ratione sui. Consequentia probatur: Nam propterea substantia Angeli, estò exerceat munus *speciei*, non exercet munus *verbi*, quia in linea intelligibili non est actus purus, sed potentialis: ergo &c. *Accedit*: quòd sicut intellectus perfusus lumine gloriæ est sufficienter dispositus & proportionatus, vt vniatur defactò cum essentia divina per modum *speciei*, ità est dispositus per visionem beatam, vt vniatur cum ea per modum verbi. *Adde* (per quod præcluditur leve quoddam effugium) Nam *vniri* essentiam divinam per modum *verbi* est connaturalius, quàm intelligi, prout est in se, per verbum creatum, estò hoc esset possibile: ergo ita fieri concedendum est. Consequentia liquet: nam semper standum est connaturalitati rerum, dummodò aliud non constet ex revelatione divina. Antecedens verò probatur: Nam visio beata connaturalius fit media essentia divina per mo-

modum *speciei*, quàm per speciem creatam, estò hæc esset posibilis: ergo idem dicendum est de ea per modum *verbi*. Antecedens constat ex dictis suprà num. 9. & consequentia à paritate liquet.

His ita suppositis: adhuc restat lis inter Authores suprà relatos circa posibilitatem verbi creati repræsentantis Deum, prout est in se. Pro quo sit:

§. II.

Verior Opinio.

92 DIcendum est, verbum creatum repræsentans Deum, prout est in se, esse imposibile. Ita frequentiùs Thomistæ, quos longum esset referre, sequentes D. Thomam. Qui enim perpetuò docet, per nullam similitudinem creatam essentiam Dei videri; sed verbum mentis non minus est similitudo formalis obiecti, quàm species impressa, vt suprà vidimus ex ipso Angelico Magistro: ergo sub nomine *similitudinis creatæ* comprehendit speciem expressam, seu verbum, consequenterque in sententia S. Doctoris est imposibile verbum creatum ad essentiam Dei videndam. Sed loquens singulariter de verbo in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. ad 4. sic ait: *Si intellectus noster Deum per seipsum videret, illi rationi posset imponere nomen vnum, quod erit in patria. Si tamen intellectus videns Deum per essentiam imponeret nomen rei, quam videret, & nominaret mediante conceptione, quam de ea habet, oporteret adhuc, quòd imponeret plura nomina, quia imposibile est, quòd conceptio intellectus creati representet totam perfectionem divinæ essentiæ: vnde, vna re visa, diversas conceptiones formaret.* Vbi, vt vides, distinguit inter *videre* Deum per seipsum, & *videre* eum per conceptionem propriam intellectus, hoc est, quam format ipse intellectus: Et ait, quòd per ipsam nequit repręsentari tota perfectio divinæ essentiæ; sed hoc est idem, ac non repræsentare Deum, prout est in se, vt vidimus à num. 79. ergo in sententia Ang. Doctoris imposibile est verbum creatum repræsentans Deum quidditativè.

93 Deinde probatur eisdem rationibus D. Thomæ, quas dub. præced. expendimus pro imposibilitate speciei impressæ creatæ, & vt efficaces admittunt plures ex Adversarijs, quæ efficaciùs suadent imposibilitatem verbi creati, si vera sunt, quæ cum D. Thoma supposuimus num. 89. *Primò*: Nam sicut species est similitudo formalis sui obiecti primarij, propter quod petit esse eiusdem naturæ cum illo; ita verbum mentis est, & quidem perfectior, similitudo illius; sed quia nulla species creata queit esse eiusdem quidditatis cum Deo, imposibilis est species impressa creata repræsentativa Dei, prout est in se: ergo ob eandem rationem imposibile est verbum creatum repræsentans Deum, prout est in se. Quæ ratio potest vlterius applicari eadem methodo, qua vtitur D. Thomas: Nam per similitudinem ordinis inferioris nequit cognosci res superioris ordinis, prout est in se (quæ ratio efficaciter probat imposibilitatem speciei impressæ creatæ repræsentantis Deum, prout est similitudo ordinis inferioris ad Deum) ergo est imposibile verbum creatum repræsentativum Dei, prout est in se. Quæ ratio adhuc potest reduci ad aliam formam: Ideò imposibilis est species creata repræsentativa Dei, prout est in se, quia esset eiusdem immaterialitatis cum ipso; sed eadem ratio militat in verbo quidditativè illum repræsentante ex eisdem motivis, ac in specie impressa: ergo.

94 *Secundò*: Non minùs repugnat verbo creato esse suum *esse*, tàm in *esse* intelligibili, quàm in *esse* physico, quàm speciei; sed quia species creata nequit esse suum *esse*, sivè in *esse* intelligibili tantùm, sivè etiam in *esse* naturali, est imposibilis species creata repræsentativa Dei prout est in se: ergo ob eandem rationem repugnat verbum creatum.

95 *Tertiò*: Nam quia infinitum, & incircumscriptum in omni genere continens eminentèr perfectionem omnis generis nequit repræsentari, prout est in se, per formam finitam, & determinatam in aliqua specie perfectionis, seu entitatis, rectè arguitur imposibilitas speciei creatæ repræsentantis Deum, prout in se; sed omne verbum creatum est in aliqua specie determinata perfectionis: ergo est imposibile verbum creatum repræsentativum Dei, prout est in se. Pro qua ratione recolatur testimonium D. Thomæ ex 1. Sent. suprà adductum.

96 Duplici via occurri potest his rationibus, reddendo duplicem disparitatem speciei ad verbum: Prima est, quòd species se tenet ex parte obiecti, verbum verò ex parte potentiæ, vt quid productum ab ea. Secunda, quòd species impressa non limitatur à potentia, verbum autem limitatur per intellectionem, per quam fit.

Sed contra primam disparitatem sic in surgo: Species se tenet ex parte obiecti: ergo etiam verbum. Consequentia probatur: Tum, quia in linea, in qua conceditur actus primus, debet concedi actus secundus; sed species constituit obiectum intelligibile in actu primo, & hac ratione se tenet ex parte obiecti: ergo cum nihil assignari possit, quod reddat obiectum intellectum, seu in actu secundo præter verbum, sequitur, quòd verbum se teneat etiam ex parte obiecti. *Tum etiam*: Nam ideò species se tenet ex parte obiecti, quia est repræsentatio formalis illius; sed verbum accedit magis ad similitudinem obiecti, vt vidimus ex D. Thoma num. 89.

ergo

ergo etiam se tenet ex parte obiecti. *Tum deindè*: Nam verbum non procedit solùm à potentia, sed etiam ab obiecto, iuxta commune illud proloquium, *Ab obiecto, & potentia paritur notitia*: imò præcipuè evadit simile obiecto, quia evadit simile speciei, vt sic salvetur ratio generationis in productione illius: ergo sicut species se tenet ex parte obiecti, etiam verbum. *Tum deniquè*: Propterea species se tenet ex parte obiecti, & non ex parte potentiæ, quia media illa obiectum fit præsens intellectui, & determinat illum in actu primo ad intelligendum, ad quod præsupponi debet cum sufficienti virtute, & determinatione ex parte potentiæ; sed verbum facit etiam præsens obiectum intellectui, vt in actu secundo intelligenti, siquidem medio illo fit illi patens, & manifestissimum: ergo &c.

Adde (per quod prædicta magis fulciuntur, & explicantur) quòd ad lineam intelligibilem in tota sua amplitudine pertinent linea specialis cognoscitiva vt talis, quæ coincidit cum linea activa, & linea peculiaris intelligibilis passiva, inter quas debet dari intima vnio, & coniunctio tàm in actu primo, quàm in actu secundo. Quocircà sicut cognoscens, quo pacto explicat lineam activam, integratur per tres gradus, itaut per substantiam sit radicalitèr activa, per potentiam sit proximè cognoscitiva, & per cognitionem sit cognoscens in actu secundo, ita obiectum (quod potissimè pertinet ad lineam passivam, cùm ei competat esse cognoscibile) potest considerari, prout pertinet ad tres gradus; nempè, vt est remotè intelligibile, in quo gradu dicit summam potentialitatem; & vt est proximè intelligibile, in quo gradu partim est in actu, & partim in potentia; & tandem vt est actu intellectum, in quo gradu explicat summam, & vltimam actualitatem in linea cognoscibili passiva. Ex his hucusque dicta reintegrantur. Nam quod reddit obiectum actu intellectum se tenet ex parte illius, constituens illud in vltima actualitate, inquantùm passivè cognoscibile, sicut quod constituit cognoscens in actu secundo activè cognoscentis se tenet ex parte cognoscentis; sed nihil est, quod hoc munus possit præstare præter verbum mentis, cùm intellectio, de qua poterat dubitari, sit actus secundus de linea cognoscentis: ergo verbum se tenet ex parte obiecti.

97 Ex dictis constat, nullam esse secundam disparitatem, ne dicam implicatoriam. Nam implicat, verbum se tenere ex parte obiecti, essèque ob hanc rationem eiusdem naturæ cum illo, & limitari, si obiectum ex se non est limitatum, sicut ob eandem rationem species repræsentativa Dei, prout in se, nequit esse limitata; sed verbum se tenet ex parte obiecti, proindeque est eiusdem rationis cum eo: ergo nequit limitari, quando est verbum repræsentativum Dei prout est in se. *Maximè*: quia ideò verbum deserviens visioni beatæ deberet evadere finitum, & limitatum, quia procederet per intellectionem finitam; sed verbum secundùm formale, quod dicit, non petit egressionem, vt diximus num. 90. ergo sicut species ex nullo capite petit limitari, ita verbum non petit esse limitatum. In qua suppositione dicendum esset, quòd si esset possibile verbum creatum repræsentans Deum, prout in se, egrederetur ab intellectu, & non egrederetur: egrederetur, qua parte esset creatum, quia de ratione omnis verbi creati, pro eo quod de materiali importat, est produci à cognoscente; non egrederetur, quia esset ipse Deus: proindeque esset finitum, & esset infinitum. In hocque non parùm hallucinatos considero Adversarios: Ipsi enim, dum vident omne verbum creatum petere egredi à cognoscente, rectè arguunt evadere limitatum. Sed non considerant, quòd in verbo datur quid formale, & quid materiale, & accidentale ipsi. Si enim verbum repræsentativum Dei, prout in se, considerarent secundùm formale sui, quod est esse repræsentationem, & similitudinem formalem ipsius Dei, continereque in se intrinsecè prædicata quidditativa ipsius, viderent proculdubiò ex hoc capite implicationem manifestam, vt egrediatur per visionem beatam; & repugnantiam, vt possint hæc prædicata quidditativa contineri in entitate diminuta verbi creati, secundùm quam permittimus petere egredi à potentia.

§. III.

Altera ratio peculiaris.

98 ALia ratione D. Thomæ quodlib. 7. art. 1. & 1. Contra gent. cap. 56. potest probari nostra conclusio, quæ etiam potest applicari pro impossibilitate speciei impressæ creatæ, quam huic loco distulimus. Et potest reduci ad hanc formam: Essentia divina est actus purus in linea intelligibili passiva: ergo repugnat, quòd reddatur actu intellecta per verbum creatum; proindeque verbum creatum repræsentans Deum prout in se est impossibile. Ultima consequentia constat ex prima: antecedens est per sè notum. Et prima consequentia probatur: Repugnat id, quod est essentialitèr tale, reddi tale ab alio (ob quam rationem repugnat, quòd vnio vniatur per vnionem distinctam, & quòd relatio referatur per aliam relationem) sed si essentia divina est actus purus in linea intelligibili passiva, est suum *esse* actu intellectum: ergo repugnat, quòd reddatur actu intellecta per verbum creatum.

99 Neque refert, si dicas, hac ratione solùm probari, essentiam divinam non posse reddi actu intellectam ab intellectu proprio per verbum distinctum, quod verissimum, & fide san-

ctum est; non verò ab intellectu creato.

Contrà est *primò*: Nam quia essentia divina est actus purus in linea intelligibili, repugnat, quòd fiat actu intelligibilis per speciem creatam adhuc respectu intellectus creati: ergo etiam repugnat, quòd fiat actu intellecta per verbum creatum, & respectu intellectus creati. *Secundò*: Ideò omne obiectum creatum indiget specie, & verbo realiter distinctis à seipso, quia nullum ex se habet illam actualitatem, & immaterialitatem sufficientem, vt per seipsum possit vniri, sivè per modum *speciei*, sive per modum *verbi* cum intellectu alieno: ergo ex imperfectione ipsius obiecti provenit, quòd producatur species distincta, & verbum: ergo vel Deus non est actus purus in linea intelligibili, vel nequit reddi actu intellectus per verbum creatum. *Tertiò*: Quia maior perfectio ex parte obiecti requiritur, vt per seipsum possit habere rationem *verbi*, seu obiecti actu terminantis intellectionem, quàm vt per seipsum possit exercere rationem speciei impressæ: ergo obiectum, quod per seipsum potest exercere rationem *speciei*, & non rationem *verbi* respectu intellectus, sivè proprij, sivè alieni, est, quia habet sufficientem immaterialitatem, & actualitatem in ratione proximè intelligibilis, & caret actualitate in ratione obiecti actu intellecti: ergo si Deus posset vniri cum alieno intellectu in ratione speciei intelligibilis, & non in ratione verbi, esset, quia deficit ei vltima actualitas de linea intelligibili passiva, proindeque absolutè non esset actus purus. Antecedens liquet in substantia Angeli, quæ, quia non est actus purus, respectu nullius intellectus queit exercere rationem *verbi*, licèt respectu proprij intellectus exerceat ad cognitionem sui rationem *speciei*.

100 Respondebis, esse notam disparitatem inter essentiam divinam vt est *intelligibilis*, & vt est intellecta, quòd esse intelligibilem est perfectio intrinseca illius, ideòque nequit reddi intelligibilis per speciem creatam: esse verò intellectam est perfectio extrinseca, quæ coincidit cum denominatione extrinseca desumpta à nostra intellectione.

Hæc solutio refellitur *primò*: Quia ex ea sequitur, vel quòd verbum mentis non distinguatur ab intellectione, proindeque se teneat præcipuè ex parte potentiæ; vel quòd verbum mentis non sit necessarium, vt obiectum actu cognoscatur; vtrunque est falsum, cuius oppositum supponimus ex his quæ docent N. Complut. abbrev. *de Anima* disp. 20. quæst. 2. & quæst. 4. ergo obiectum esse actu intellectum est perfectio intrinseca. Maior (in qua pronunc poterat esse difficultas) persè patet. *Secundò*: De ratione intellectus est trahere ad se obiectum, non solùm in ratione obiecti *motivi*; sed etiam in ratione obiecti *terminativi*, non solùm vt obiectum est actu intelligibile, sed etiam vt est actu intellectum, sed quia petit trahi ad intellectum per modum obiecti *motivi*, seu intelligibilis in actu primo, esse intelligibile est denominatio seu perfectio intrinseca: ergo esse actu intellectum, seu actu terminans intellectionem est perfectio seu denominatio intrinseca obiecto. *Tertiò*: Sicut obiectum denominatur extrinsecè *actu intellectum* ab intellectione, ita denominatur extrinsecè *intelligibile* ab intellectu, & hoc pacto Deus est extrinsecè & activè intelligibilis ab intellectu elevato per lumen gloriæ; hoc non obstanti, concedunt Adversarij aliam perfectionem & denominationem intrinsecam obiecto, ratione cuius denominatur intrinsecè *intelligibile*, aliàs ad nihil deserviret species impressa, & Deus non vniretur intrinsecè per modum speciei: ergo, non obstanti quòd Deus denominetur extrinsecè, & quasi activè *actu intellectus* per visionem beatam, desideratur alia perfectio & denominatio intrinseca, qua intrinsecè denominetur *actu intellectus*. Itaquè sicut datur duplex intelligibilitas passiva, alia extrinseca proveniens ab intellectu, seu à virtute activa intelligendi; alia intrinseca se tenens ex parte obiecti fundata in immaterialitate, & actualitate, quam habet ex se, vel à specie realiter distincta; ita assignari oportet duplex *esse intellectum*, aliud extrinsecum, & quasi activè proveniens ab intellectione, ideòque potiùs hæc denominatio est perfectio intellectionis, quàm obiecti, aliud intrinsecum se tenens etiam ex parte obiecti, inquantùm dicit in se, vel ratione verbi tantam actualitatem, & immaterialitatem, vt possit terminare intellectionem: quia non minùs requiritur immaterialitas intrinseca in obiecto, vt actu terminet intellectionem, quàm vt moveat intellectum. *Quartò* & *vltimò*: Nam ex hac solutione sequitur, quòd essentia divina non vniatur defactò per modum *verbi* in visione beata. Cuius oppositum docet D. Thomas, qui ait essentiam divinam vniri intellectui creato vt *intellectum in actu*, per seipsam facientem intellectum in actu. Quod falsissimum esset, si *esse intellectum* esset denominatio tantùm extrinseca proveniens ab intellectione. Videantur, quæ diximus num. 91.

§. IV.

Argumentorum solutio.

101 ARgumenta Adversariorum partim procedunt contra suppositionem factam num. 89. vbi statuimus ex N. Complut. & communi sensu Thomistarum, verbum distingui realiter ab intellectione, partim contra conclusionem, & doctrinam eorundem Patrum in lib. *de Anima* disp. 20. num. 22. vbi defendunt, visionem beatam non producere verbum; Adversarijs eam non sustinentibus, eo quòd

ægrè

ægrè ferant, quòd visio beata sit vera actio, quin producat aliquem terminum. A pluribus autem argumentis vtriusque generis in præsenti abstinemus, tum quia sunt philosophica: tum & præcipuè, quia illa enodata reperies in prædictis PP. disp. suprà relata *per totam*, maximè dub. 2. & 4. Unde tantùm ea eligemus, quæ ex vna parte supponunt distinctionem realem inter intellectionem, & verbum; & ex alia magis accedunt ad nostrum institutum, & remanent intacta à prælaudatis Patribus loco vltimo relato.

Arguitur *primò* ab authoritate: Nam visio beata producit verbum; sed huiusmodi verbum est repræsentativum Dei prout est in se: ergo possibile est tale verbum creatum. Maior probatur *primò* ex D. August. 9. *de Trinit.* cap. 11. vbi ait: *Cùm Deum novimus, fit aliqua similitudo Dei in nobis.* Et lib. 15. cap. 16. ait: *Quando videbimus eum sicuti est, tunc verbum nostrum non erit falsum.* Secundò ex D. Thoma quæst. 4. *de Verit.* art. 2. ad 5. vbi ait: *Nec aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo: & ideò omne intelligere in nobis propriè loquendo est dicere.* Pro quo notanda est doctrina communis erga intellectionem vt est *dictio*, & vt est *contemplatio*, inter quas formalitates datur hoc discrimen, quòd secundùm primam producit verbum, & per secundam contemplatur obiectum in ipso verbo producto: ergo dum D. Thomas docet, omne *intelligere* in nobis esse *dicere*, tenet etiam omne *intelligere* producere verbum; proindeque visio beata illud producit. Sed in corp. art. magis se explicat per hæc verba: *Et hoc vniversaliter verum est de omni quod à nobis intelligitur, sivè per essentiam intelligatur, sivè per similitudinem: ipsa enim conceptio est effectus actus intelligendi.* Ergo iuxta D. Thomam, quòd essentia divina cognoscatur per seipsam per modum speciei in visione beata, non tollit, quòd per eam producatur verbum.

Ad hoc argumentum respondetur, negando maiorem. Et ad primam probationem dicimus cum D. Thoma in præs. art. 2. ad 2. D. Augustinum in primo testimonio *loqui de cognitione Dei, quæ habetur in via.* In secundo testimonio solùm asserit August. quòd verbum nostrum in visione beata non erit falsum. Et hoc dictum verificatur: quia essentia divina per seipsam fit verbum nostrum iuxta modum infrà explicandum; quod verbum est ipsa veritas per essentiam.

Ad secundam probationem ex D. Thoma depromptam: Respondetur, in primo testimonio Angelicum Doctorem solùm loqui de intellectione nostra naturali, de qua verum est, quòd est dictio; secùs verò de visione beata. In secundo testimonio loquitur de omni eo, quod intelligitur, sivè per speciem distinctam, sivè per suam essentiam, quando essentia non est actus purus in linea intelligibili. Et ideò licèt Angelus cognoscat seipsum per suam substantiam per modum speciei, & similiter anima in statu separationis, conceptio tamen, seu verbum ad id requisitum est effectus intelligendi. Deus autem est actus purus in linea intelligibili, & per seipsum gerit munus *verbi* non solùm respectu proprij intellectus, sed etiam respectu visionis creatæ. Et quidem si hoc argumentum haberet aliquam vim, probaret vtique, essent iam divinam non solùm defactò non exercere munus *verbi* respectu intellectus creati; verùm nec respectu intellectus divini, maximè prout est in Filio, & Spiritu-sancto: proindeque eorum *intelligere* produceret verbum, quod est hæreticum.

102 Arguitur *secundò* ratione, quam Zamorensis vocat *metaphysicam.* Nam datur in visione beata intellectio intuitiva Dei, quin sit infinita: ergo etiam potest dari verbum repræsentans Deum quidditativè, quin sit infinitum. Consequentia probatur: Nam intellectio est quid essentialiter perfectius, quàm verbum, proindeque attingit suum obiectum perfectiori modo, quàm verbum; sed cum hac maiori perfectione compatitur, quòd intellectio attingens Deum prout in se, sit finita: ergo etiam verbum potest esse finitum, estò repræsentet Deum quidditativè. Maior, in qua poterat esse difficultas, suadetur: nam verbum ordinatur ad intellectionem tanquam ad finem, & non econversò, vt docet D. Thomas quæst. 8. *de Potent.* art. 1. vbi ait: *Propter hoc intellectus conceptionem rei in se format, vt rem intellectam cognoscat:* Et loco à nobis relato suprà n. 53. idque tenent N. Salmant. tract. 13. à num. 12. Et ratio id suadet: Nam non intelligimus, vt producamus verbum, sed producimus verbum, vt intelligamus: neque intelligens intendit, quòd res intellecta sit in seipsa, sed præcipuè intendit vnionem sui cum obiecto, quæ est ipsa intellectio. *Maximè*, quia vltima actualitas cuiuscumque lineæ est finis illius; sed intellectio est vltima actualitas in tota linea intelligibili, per quam in eodem *esse* existit ipsum verbum: ergo est finis verbi: ergo est perfectior illo.

Hoc argumentum in primis retorquetur in arguentem. Nam ipse in præs. dub. 2. *per totum* tenet impossibilitatem speciei impressæ repræsentantis Deum prout in se; & tamen concedit num. 133. speciem impressam esse imperfectiorem expressa, consequenterque intellectione. *Rursùs*: Sicut verbum ordinatur ad intellectionem tanquam ad finem, & existit per eam in *esse* intelligibili, ita species impressa: ergo vel argumentum non subsistit contra impossibilitatem verbi creati repræsentantis Deum prout in se; vel suadet possibilitatem speciei creatæ.

103 Neque refert, si dicat prædictus Magister *primò*, speciem ex terminis esse perfectio-

rem intellectione, aut verbo: tum, quia species præcontinet plures, & diversas intellectiones, & species expressas, vt liquet in specie Angeli supremi: tum, quia substantia Angeli gerens munus *speciei* perfectior est verbo accidentali producto.

. Non, inquam, refert. *Primò*: quia species impressa ordinatur saltèm ad intellectionem, & ad verbum adæquans totam repræsentationem speciei impressæ, & repræsentans perfectiori modo suum obiectum, vtpotè conveniens cum ea in quidditate, & similitudine illius, & excedens illam in claritate & manifestatione, vt vidimus cum D. Thoma num. 89. ergo species expressa est perfectior. Fatemur tamen, verbum non adæquans totam repræsentationem speciei impressæ ob hanc rationem non esse perfectius specie impressa; sicut nulla intellectio determinata adæquat perfectionem intellectus: hæc tamen ratio non habet locum in verbo creato repræsentativo Dei prout in se: quia eo ipso quòd sit quidditativum Dei, sicut ipsa species, petit adæquare totam repræsentationem illius. *Secundò*: Nam, quidquid sit de excessu substantiæ angelicæ in *esse* entitativo supra verbum à sui cognitione productum, in *esse* repræsentativo huiusmodi verbum excedit ipsam substantiam in ratione *speciei*: ergo etiam verbum creatum repræsentans Deum prout in se, in *esse* repræsentativo excederet speciem impressam creatam repræsentativam Dei, prout est in se: ergo ex hoc capite nequit concedi possibilitas verbi creati, & negari possibilitas speciei impressæ creatæ. Antecedens constat ex proximè dictis: nam estò substantia Angeli, qua ratione est persè primò instituta ad essendum, quo pacto dicit esse entitativum, sit absolutè & simpliciter perfectior in eodem *esse*, in *esse* tamen repræsentativo actualiùs repræsentat verbum, quàm ipsa substantia: ergo in *esse* repræsentativo est ea perfectius. *Maximè*: quia instantia semper vrget in eo, quòd species ordinatur ad intellectionem, quod est præcipuum intentum argumenti.

104 Neque refert, si dicat *secundò* num. 133. speciem se tenere ex parte obiecti, secùs verò verbum: & ob hanc rationem repugnat species impressa creata repræsentativa Dei prout in se, non verbum, sicut nec visio quidditativa creata. Non, inquam, refert. Tum propter dicta à num. 96. vique ad num. 98. Tum etiam: quia præcipuum motivum argumenti semper vrget in specie impressa. Si ergo illud non habet locum in specie quidditativa Dei, cur habebit in verbo quidditativo ipsius?

105 Respondetur deinde argumento, quòd licèt de ratione verbi accidentalis sit ordinari ad intellectionem tanquam ad finem, secùs de ratione verbi vt sic: proindeque si datur aliquid, quod per suam substantiam potest vniri in ratione *verbi*, tunc non ordinatur tanquam ad finem, nisi ad suam intellectionem primariam, non ad secundariam, qualis est visio Dei creata; imo potiùs tunc ipsa visio ordinatur ad ipsum verbum tanquam ad finem. Idipsum docent communitèr Theologi, & inter eos ipse arguens de specie impressa: quæ, nimirùm, solùm ordinatur ad intellectionem tanquam ad finem, dum est accidentalis: cæterùm quando vnitur per suam substantiam, & aliàs habet duplicem intellectionem, primariam, & secundariam, vti est essentia divina, tunc solùm ordinatur (vt sic dicamus) ad intellectionem primariam, quæ est intellectio ipsa divina, secùs vero ad secundariam, qualis est visio beata creata. Et ratio est: quia tunc nec visio beata est existentia intelligibilis illius, neque intendit vnionem cum obiecto propter ipsam vnionem, sed potius ipsam vnionem propter ipsum verbum ob præstantiorem eius perfectionem. Unde, sicut impossibilitas speciei creatæ repræsentativæ Dei prout in se ex alio capite venanda est, quin ei obstet, quòd species accidentalis ordinetur ad intellectionem, nempè, quia essentia divina est per seipsam intelligibilis &c. ita ex eisdem capitibus impossibilitas verbi creati deducenda est; quidquid sit, quòd verbum accidentale ordinetur ad intellectionem tanquam ad finem; videlicèt, quia essentia divina per seipsam & ratione sui est actu intellecta &c.

Nota tamen & benè, quòd hæc solutio non habet locum in substantia Angeli vnita cum intellectu proprio per modum *speciei* in ordine ad intellectionem (per quod præcluditur tacita obiectio:) quia substantia Angeli, prout pertinet ad ordinem intelligibilem, respicit prædictam intellectionem vt primariam, & vt finem, & existentiam sui; & in eodem sensu hæc est perfectior illa, vt pertinenti, scilicet, ad ordinem intelligibilem, licèt substantia Angeli sit absolutè, & simpliciter perfectior propter *esse* entitativum, quod est ipsi primarium.

106 Arguitur *tertiò* cum eodem Magistro. Nam amor beatificus producit impulsum: ergo visio beata etiam producit verbum. Antecedens constat: aliàs Deus vniretur per modum *impulsus* in actu charitatis creatæ; quod *nec legi, nec audivi* (inquit præcitatus Author) *aliquem dicentem*. Consequentia verò probatur: Nam non minùs Deus est actus purus, inquantùm amabilis, ac inquantùm intelligibilis: ergo si, hoc non obstanti, amor beatificus producit impulsum, etiam visio beata producet verbum.

Ad hoc argumentum respondetur *primò*, negando antecedens. Quia sicut personalitas divina, eo quòd est terminus naturæ continens eminenter substistentiam creatam, potest vniri, & defactò vnitur, per modum *termini* cum natura creata: & sicut quia verbum habet rationem termini intellectionis, Deus vnitur defactò per modum verbi respectu visionis; ita si in di-

vi-

vinis datur terminus volitionis, qui sit inclinatio voluntatis, potest vniri, & defactò vnitur, & debet vniri cum actu charitatis per modum impulsus, seu termini illius. ¶ Nota tamen pro intelligentia perfecta huius solutionis, quòd sicut essentia divina, vt virtualiter distincta à linea voluntatis divinæ, non est terminus immediatus illius gerens per seipsam rationem *impulsus*; cùm impulsus, vtpote inclinatio in obiectum, potius habeat rationem obiecti intermedij, & ipsa essentia divina rationem obiecti vltimati; ita respectu actus charitatis creatæ ipsa essentia divina, vt distincta virtualiter ab eo, quod in divinis habet rationem *impulsus*, non est, nec vnitur vt terminus immediatus illius, sed mediante impulsu essentiali virtualiter distincto. Neque in hoc ex suo conceptu formali involvitur aliqua imperfectio, sicut nec in conceptu formali terminandi (quia conceptus *puri termini* est) intellectionem creatam, & humanitatem. Etsi hanc doctrinam, seu solutionem citatus Magister neque audivit, neque legit in aliquo, non est, quia sit noviter excogitata, cum illam posset legere in Mag. à S. Thoma, & N. Salmant. tract. *de Trinit.* disp. 3. num 38. qui præter alios sufficiebant ad præstandam illi magnam probabilitatem. Quæ solutio potest extendi ad amorem viæ (vt sic præoccupemus quandam replicam prædicti Magistri) quia Deus vt summum bonum in seipso ex vna parte allicit voluntatem creatam media charitate; & ex alia est intimè coniunctus cum anima media gratia, & fide, vt alibi diximus: nihil ergo illi deest, vt possit vniri per modum *impulsus* amori viæ.

107 Secundò & meliùs respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam, propter duplicem rationem disparitatis. *Prima est*: quia de ratione verbi est esse similitudinem formalem obiecti, & cùm repugnet similitudo creata Dei, prout est in se, inde est, quòd repugnat verbum productum per visionem beatam. Impulsus verò non est similitudo formalis sui obiecti, cùm medio illo non ita propriè verificetur, quòd obiectum amatum est in amante, ac obiectum intellectum est in intelligente; aliàs non daretur locus discrimini inter intellectum, & voluntatem sæpius repetito, & ab omnibus accepto, nempè, quòd intellectus trahit ad se res, & voluntas fertur ad res: obiectum ergo solùm est in impulsu eo modo, quo quælibet res dicitur esse in inclinatione, seu impulsu, quo aliud fertur ad ipsum. Hanc rationem disparitatis, quam in tract. *de Trinit.* magis explanabimus, accepimus à D. Thoma quæst. 10. *de Verit.* art. 9. ad 7. vbi ait: *Dicendum, quòd motus, vel operatio cognoscitivæ partis perficitur in ipsa mente. Et ideò oportet ad hoc, quod aliquid cognoscatur, esse similitudinem aliquam in mente, maximè si per suam essentiam non coniungatur menti vt cognitionis obiectum. Sed motus, vel operatio affectivæ partis incipit ab anima, & terminatur ad res, & ideò non requiritur in actu similitudo rei, qua informetur, sicut in intellectu.* ¶ *Secunda est*: quia de ratione impulsus pro formali est, quòd sit inclinatio voluntaria voluntatis in actu secundo, sicut ipsa voluntas est inclinatio in actu primo, proindeque petit perse procedere à voluntate; & potius se tenet ex parte illius, quàm ex parte obiecti: cæterùm verbum ex suo conceptu formali, cùm se teneat ex parte obiecti, non petit egressionem ab intellectu: & ob hanc rationem etiò amor beatificus debeat producere impulsum, visio beata non debet producere terminum. Neque ob hoc Deus redditur amabilis per aliquid creatum, sicut redderetur intelligibile, si produceretur verbum: quia verbum est ratio formalis, sub qua obiectum adextrà terminat intellectionem, cùm proprium sit intellectus terminari ad res, prout sunt adintrà, sicut proprium est illius trahere ad se res: ideòque, si daretur in visione beata verbum creatum, redderet Deum actu intellectum, quod derogat actui puro. At impulsus non est ratio formalis, sub qua res amantur ad extrà, sed solùm se habet vt quoddam obiectum intermedium. Unde ipsa bonitas divina, quantum est ex se, & secundum id, quod requiritur ex parte obiecti, habet quidquid desideratur tàm in actu primo, quàm in actu secundo ad terminandum amorem charitatis, proindeque est non minùs actus purus in ratione amabilis, ac in ratione intelligibilis.

§. V.

Reliqua argumenta.

108 ARguitur *quartò*: Nam de ratione intellectus est trahere ad se obiectum, maximè in actu secundo: ergo debet per omnem intellectionem producere verbum, proindeque datur verbum creatum in visione beata. Secunda consequentia legitimè deducitur ex prima. Et prima probatur: nam obiectum non trahitur ad intellectum in actu secundo, nisi per verbum, neque de intellectu potest verificari, quòd trahit obiectum, nisi per productionem verbi, aliàs non traheretur ab intellectu, sed ipsum absque influxu intellectus vniretur cum intellectu.

Confirmatur *primò*: Si daretur verbum creatum in visione beata, non deberet esse infinitum: ergo non est impossibile. Consequentia patet: nam præcipuè poterat esse impossibile, quia esset infinitum. Antecedens probatur: nam huiusmodi verbum commensuraretur cum intellectione, & lumine vt terminus illorum: ergo si visio est finita, etiam verbum esset finitum. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam huiusmodi verbum

bum solum esset quidditativum,& non comprehensivum obiecti : ergo non esset infinitum. Antecedens probatur : Nam estò species repræsentans quidditativè obiectum , debeat etiam illud repræsentare comprehensivè, secus verò verbum , vt liquet in specie Angeli, quæ est comprehensiva obiecti , quod repræsentat quidditativè ; & tamen potest pro suo libito vti inadęquatè illa specie , & formare verbum quidditativum obiecti : ergo sicut illud est magis limitatum , quia cognitio non adæquat totam repræsentationem speciei ; ita verbum productum à visione beata limitaretur ab illa,vt esset præcisè quidditativum , & non comprehensivum,sicut ipsa visio est præcisè quidditativa.

Ad argumentum respondetur , concedendo antecedens ; & negando consequentiam.Cuius probatio fundatur in intelligentia nimis crassa illius maximæ communi calculo receptæ: nam non dicitur intellectum trahere ad se obiectum,quia ipsa intellectio,quæ producitur ab intellectu , sit ipsa similitudo obiecti, aliàs superfluum esset verbum productum ab ea,neque quia intallectio est ipsa vitalis tractio obiecti ; sed quia ad consistentiam intellectionis requiritur, quòd ipsum obiectum sit intrinsecè vnitum intellectionis , vel per suam substantiam, vel per sui similitudinem , & per hoc distinguitur intellectus à voluntate,vt suprà diximus;& hoc etiam pacto verificatur,quòd intellectus trahit ad se obiectum in ratione obiecti motivi.

Ad primam confirmationem respondetur, verbum creatum non solùm esse imposibile in visione beata ex capite in ea asignato,sed etiam ex capite in præsenti dubio magis ponderato, nempè, quia Deus, cùm sit actus purus , nequit reddi actu intellectus per aliquid creatum,sicut nec intelligibilis. Et licèt persistamus in repugnantia deducta ex capite infinitatis , adhuc probatio non vrget : nam in tali hypothesi verbum esset finitum , & infinitum : finitum, quia esset terminus productus per visionem finitam;infinitum , quia deberet esse eiusdem naturæ cum Deo. ¶ Ad secundam respondetur permittendo antecedens;& negando consequentiam: Nam estò tale verbum esset præcisè quidditativum divinæ essentiæ , adhuc esset eiusdem naturæ , & quidditatis cum ea in eo, quod formalitèr illam repræsentaret ; sicut verbum productum ab Angelo , & non adæquans totam repræsentationem speciei est eiusdem quidditatis cum his prędicatis , quæ repræsentat , proindeque est eiusdem immaterialitatis cum illis. Ex quo colligitur, quòd verbum creatum repræsentansDeum quidditativè tantum, ob prædictam rationem esset eiusdem immaterialitatis cum divina essentia; sed ex eo quòd esset creatum , non esset ; quod est manifesta contradictio. Ex quo etiam colligitur *primò* , quòd tale verbum esset repræsentativum quidditativè tantum , & esset repræsentativum quidditativè , & comprehensivè : nam qua parte esset creatum , repræsentaret præcisè quidditativè ; sed qua parte esset ipse Deus, repræsentaret quidditativè simul , & comprehensivè. Ex quo colligitur *secundò* , quòd huiusmodi verbum redderet , quantum est ex se, Deum actu intellectum respectu visionis beatæ, eo modo quo Deus est intellectus à se;& non redderet : non redderet , quia est creatum: redderet, quia esset comprehensivum Dei.Per quod præclusa manet communis obiectio Adversariorum.

108 Arguitur *vltimò* : Pater æternus , estò habeat essentiam divinam sibi vnitam per modum verbi, adhuc producit verbum : ergo similitèr estò beatus habeat essentiam divinam sibi vnitam per modum verbi , potest producere verbum. Consequentia probatur : Nam , non obstante quòd Pater æternus producit verbum, non reddit ratione illius essentiam divinam actu intellectam : ergo, non obstante quòd beatus illud produceret,non redderet Deum actu intellectum ab intellectu creato.

Ad hoc argumentum,respondetur , concedendo antecedens ; & negando consequentiam. Ad cuius probationem , concesso etiam antecedenti ; negatur consequentia : Nam propterea verbum productum àPatre non reddit essentiam divinam actu intellectam , quia non distinguitur essentialitèr ab ipsa essentia divina , sivè in *esse* intelligibili , sivè in *esse* entitativo ; immò nedum essentia divina non redditur actu intellecta per tale verbum, sed econversò ipsum verbum reditur actu intellectum , & repræsentativum per ipsam essentiam. At si verbum creatum daretur in visione beata , redderet essentiam divinam actu intellectam : quia verbum essentialitèr distinctum ab obiecto , vt stat sùb modo essendi entitativo , non potest produci, nisi vt reddat obiectum actu intellectum,neque produci potest præcisè ex fœcunditate , sicut defactò producitur verbum divinum. *Maximè*: quia verbum productum ex fœcunditate petit etiam esse similitudinem formalem sui obiecti, esseque eiusdem naturæ cum illo ; & cùm hoc repugnet vlli verbo creato respectu Dei , inde est,quòd repugnet produci verbum per visionem beatam adhuc ex fœcunditate.

DISPUT. III.

De Lumine Gloriæ.

TRiplicem habitudinem considerant Theologi in lumine gloriæ: Nam potest considerari in ordine ad essentiam divinam vnitam per modum speciei, in ordine ad intellectum, quem elevat, & tandem in ordine ad visionem, quam elicit. Ex dictis autem disp. 1 dub. 4. & 5. satis liquet necessitas ponendi lumen gloriæ per modum virtutis elevantis intrinsecè intellectum, vt possit elicere visionem beatam. Et ex dictis disp. præced. dub. 1. non minus liquet contra Vazquium, neque essentiam divinam sufficere, vt habeat rationem speciei, & elevationis, sed omninò requiri ex parte potentiæ lumen gloriæ per modum virtutis illius, & ex parte obiecti ipsam essentiam divinam: ex quo ibi vidimus, lumen gloriæ non habere simul rationem virtutis elevantis se tenentis ex parte potentiæ, & rationem speciei se tenentis ex parte obiecti. Unde solùm superest, vt consideremus illud in ordine ad essentiam divinam, & in ordine ad visionem: rectus enim ordo postulat, vt postquam egimus de principio ex parte obiecti requisito ad visionem, sermo instituatur de principio ex parte potentiæ desiderato, de eiusque muneribus in ordine ad essentiam divinam vnitam per modum speciei, & in ordine ad visionem.

DUBIUM I.

Vtrùm lumen gloriæ sit dispositio necessaria ad vnionem essentiæ divinæ per modum speciei intelligibilis, *& ad visionem Dei recipiendam?*

CUM essentia divina vnita per modum speciei cum intellectu sit omninò requisita ad videndum Deum, prout est in se, & hæc vnio nequeat intelligi, quin intellectus præsupponatur cum efficacitate proxima sufficienti ex parte sui, orta ex lumine gloriæ ad eliciendam visionem beatam, oportet, vt videamus munus, quod præstat hoc lumen in ordine ad essentiam divinam, & visionem ipsam recipiendam. Pro quo deservit præsens quæsitum, cuius decisio fiet duplici asserto.

§. I.

Sententia D. Thomæ duplici conclusione stabilita.

1 DIcendum est *primò*, lumen gloriæ necessariò disponere intellectum creatum ad vnionem essentiæ divinæ per modum speciei impressæ. Hoc assertum proculdubiò est D. Thomæ (quidquid dicat Pater Herice loco infrà referendo) Nam in præs. art. 5. ait: *Omne, quod elevatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam. Sicut, si aër debeat accipere formam ignis, oportet, quòd disponatur aliqua dispositione ad talem formam. Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei sit forma intelligibilis intellectus. Vnde oportet, quòd aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur, ad hoc quòd elevetur in tantam sublimitatem.* Idem tradit 3. Contra gent. cap. 53. vbi ait: *Essentia divina est forma altior omni intellectu: ad hoc ergo, quòd essentia divina fiat species intelligibilis alicuius intellectus creati, necesse est, quòd intellectus creatus aliqua dispositione sublimiori ad hoc elevetur.* In quibus verbis, nisi à prædicto Authore absit sincera, & pia lectio, videbit clarè, lumen gloriæ non solùm esse dispositionem intellectus ad eliciendam visionem beatam, sed etiam ad vnionem essentiæ divinæ per modum speciei intelligibilis. Idipsum docet pluribus alijs in locis, quæ referunt N. Salm. in præs. disp. 4. dub. 2. Angelicum Præceptorem sequuntur omnes eius discipuli tàm antiqui, quàm moderni.

2 Et probatur ratione D. Thomæ, quam sic expendimus: Nam subiectum ex se improportionatum ad recipiendam aliquam formam, petit aliquam dispositionem eiusdem ordinis cum illa, ratione cuius proportionetur cum tali forma; sed intellectus secundùm se est improportionatus cum essentia divina per modum speciei intelligibilis: ergo indiget aliqua dispositione ad vnionem cum essentia divina per modum speciei: ergo lumen gloriæ necessariò est dispositio ad huiusmodi vnionem. Vltima consequentia legitimè infert ex prima: nam ex naturalibus nihil conducere potest ad ponendam proportionem prærequisitam ad vnionem intellectus cum essentia divina, alias non esset ratio, cur ipse intellectus non esset ex se proportionatus; ex supernaturalibus nil commodius potest assignari lumine gloriæ, vt ex se liquet. Prima consequentia patet ex præmissis, quæ seorsim probandæ sunt. Maior igitur probatur inductivè: Nam in naturalibus, vt aër connaturaliter recipiat formam ignis, prius disponitur calore, qui est eiusdem ordinis cum illa, ratione cuius coaptatur ad eius receptionem: & in supernaturalibus ad receptionem gratiæ, quæ est forma ordinis supernaturalis, prius disponitur anima per aliquos actus supernaturales, v. g. fidei, spei, & timoris, qui sunt eiusdem ordinis cum illa: ergo subiectum ex se improportionatum, ad aliquam formam recipiendam, petit dispositionem, ratione cuius proportionetur cum ea.

Deinde

Deinde probatur minor primi syllogismi: Nam essentia divina est forma supernaturalis, & inter supernaturales elevatissima, vtpote actus purus; intellectus creatus est pura potentia, & naturalis: ergo secundùm se est omninò improportionatus ad vnionem cum essentia divina. Consequentia probatur: Nam quia intellectus divinus in linea intellectus est supernaturalis, & elevatissimus inter virtutes intellectivas supernaturales, & actus purus, est proportionatus omnimoda proportione ad vnionem essentiæ divinæ per modum speciei intelligibilis, quæ itidem est actus purus: ergo econversò nullus intellectus, qui est naturalis, & pura potentia, queit esse proportionatus cum essentia divina per modum speciei intelligibilis.

3 Pro confirmanda hac ratione supponendum est, duplex esse genus dispositionum: aliæ enim sunt, quæ necessariò requiruntur, vt medium ad recipiendam formam ad quam disponunt, sicut potentia est medium, vt operatio recipiatur in agente, & forma est medium, vt existentia recipiatur in materia; & dispositiones huiusmodi petunt immediatiùs vniri intrinsecè cum forma, ad quam disponunt: aliæ sunt, quæ dantur ad expellenda impedimenta opposita, vel ad determinandum subiectum ad participationem formæ, ad quam disponunt; sicut actus fidei, spei, timoris, & charitatis in nobis disponunt ad introductionem gratiæ per expulsionem peccati, & determinationem animæ ad participationem illius; & in Angelis, in Christo, & Beata Virgine actus charitatis fuit dispositio ad gratiam habitualem solùm, quia determinabat eorum animas ad eius participationem. Inter quas hæc datur differentia, quòd estò dispositio secundi generis requiratur ad connaturalem receptionem formæ, secus verò ad essentialem: cæterum dispositio primi generis requiritur essentialitèr ad vnionem formæ cum subiecto.

Ex his confirmatur *primò*: Lumen gloriæ non solùm requiritur, vt determinet intellectum, illumque appropinquet ad vnionem cum essentia divina per modum speciei, sed etiam desideratur necessariò vt medium, quo mediante vniatur cum illa: ergo exercet munus proprium dispositionis ad vnionem essentiæ divinæ per modum speciei. Antecedens quoad primam partem videtur perse notum: nam intellectus ratione luminis gloriæ est magis determinatus ad vnionem cum essentia divina per modum speciei, quàm intellectus secundùm se, aut secundùm rationem potentiæ obedientialis. Quoad secundam probatur: Nam nulla species in ratione speciei formaliter talis potest vniri cum subiecto, nisi sit habile & proportionatum ad vtendùm tali specie, ad differentiam illius subiecti, in quo species reciperetur in esse entis, aut qualitatis, vt species recepta in aëre; sed lumen gloriæ necessariò requiritur ad proportionandum intellectum, vt possit vti essentia divina per modum speciei, cùm potentia obedientialis sola insufficiens sit ad vtendum illa, vt diximus disp. 1. dub. 4. & 5. ergo necessariò desideratur vt medium ad vnionem essentiæ divinæ per modum speciei.

Confirmatur *secundò* (per quod magis prædicta explicantur) Nam illa est dispositio necessaria ad aliquam formam sub ratione *formæ*, qua posita ponitur ipsa forma in ratione talis, & sine qua forma non ponitur; sed huiusmodi est lumen gloriæ in ordine ad essentiam divinam per modum speciei: ergo est dispositio necessaria ad vnionem essentiæ divinæ in ratione formæ intelligibilis. Maior patet in calore (v.g.) vt septem, qui est vltima dispositio antecedens ad formam ignis, quia illo posito statim resultat forma ignis, & sine illo non ponitur saltem connaturaliter. Minor verò probatur: Nam essentia divina est per seipsam intelligibilis, estque intimè præsens omni intellectui creato per intimum illapsum; & tamen solùm queit vniri sub ratione formæ intelligibilis illi intellectui, qui præter commensurationem essentialem, quam habet ex se, addit proportionem virtutis ratione luminis gloriæ: ergo lumen gloriæ est dispositio, qua posita ponitur essentia divina per modum formæ intelligibilis, & sine quo non ponitur.

4 Neque refert, si occurras *primò* cum Vazquio, & Hericè dicentibus, quòd essentia divina non vnitur per modum formæ, cùm non inhæreat, neque informet, & ob hanc rationem non indiget dispositione. Non, inquam, refert: Nam aliud est speciem intelligibilem in hoc ordine non inhærere, neque informare, quod verissimum est: aliud verò non esse formam in *esse* intelligibili, quod est falsissimum; sed essentia divina vnita per modum speciei est forma intelligibilis, vt expressè tradit D. Thomas in præf. per hæc verba: *Ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus*: ergo ex hac parte indiget dispositione ad sui vnionem. Patet consequentia: nam ob hanc rationem forma naturalis petit dispositionem sui ordinis: ergo cùm essentia divina, estò in *esse* intelligibili sit multò excellentior forma naturali, etiam petit dispositionem eiusdem ordinis.

5 Neque refert, si occurras *secundò*, ad formam naturalem, & substantialem tantùm requiri dispositionem, & hoc præcisè connaturaliter; sed ad formam intelligibilem neque essentialiter, neque connaturaliter; maximè ad formam intelligibilem, quæ supernaturalis est, aliàs daretur processus in infinitum. ¶ Non, inquam, refert: Quia nulla forma intelligibilis in ratione talis, sivè naturalis, sivè supernaturalis, potest de potentia Dei absoluta vniri, nisi cum subiecto habenti quantitatem virtutis, ratione cuius possit ea vti, vt inductivè potest ostendi in omni

ge-

genere ſpecierum ; ſed eſſentia divina in ratione formæ intelligibilis non præſupponit quantitatem virtutis , niſi præſupponat lumen gloriæ:ergo lumen gloriæ eſt diſpoſitio , non ſolùm connaturalis,ſed etiam eſſentialis ad vnionem eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei intelligibilis. *Maximè* : Nam ideò gratia, & non quæcumque forma ſupernaturalis , petit connaturaliter diſpoſitionem eiuſdem ordinis , & non eſſentialiter , quia ex vna parte eſt vltima , & præcipua forma in ordine ſupernaturali; & ex alia ſolùm recipitur in ſubiecto in *eſſe entis* præſtando quantitatem virtutis radicalem , ad quod ſufficit præſupponere in anima commenſurationem eſſentialem , ſicut lumen gloriæ in intellectu: ſed eſſentia divina ex vna parte eſt vltima forma conſtituens intellectum in actu primo in ordine intelligibili ; & ex alia vnitur vt forma intelligibilis,de cuius ratione eſſentialiter eſt præſupponere in intellectu quantitatem virtutis, vt poſsit ea vti : ergo lumen gloriæ eſt diſpoſitio eſſentialiter neceſſaria ad vnionem eſſentiæ divinæ. *Adde* : Nam propterea materia nequit recipere exiſtentiam, niſi mediante forma,quia ipſa eſt pura potentia,& exiſtentia eſt vltimus, & perfectiſsimus actus ; proindeque debet præſupponi forma , quæ eſt actus medius , ratione cuius quaſi diſponatur,& ſit in via ad actualitatem maximam exiſtentię ; ſed eſſentia divina eſt actus purus in ratione formæ intelligibilis , intellectus creatus in ordine ad videndum Deum eſt pura potentia, & lumen gloriæ eſt ordinis divini , & in eodem ordine habet actualitatem admixtam cum potentialitate : ergo nequit intellectus creatus vniri cum eſſentia divina per modum ſpeciei,niſi prius diſponatur per lumen gloriæ.

6 Dicendum eſt *ſecundò* , lumen gloriæ eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad viſionem Dei recipiendam. Hanc concluſionem determinatè tenent inter alios Gonzalez in præſ. Petrus de Ledeſma *de Divin. perfect.* quæſt. 8. art. 8. in dub. quod movet poſt tertiam concluſionem, Mag. Ildephonſus Michaël in præſ. dub. 1. §. *Alia multa*, Ferre quæſt. 6. num. 852.Mag. Ioann. à Sancto Thoma diſp. 14. art. 3. §.*Dico ſecundò*.

Et probatur ratione. Pro cuius intelligentia habenda eſt præ oculis differentia duplicis illius diſpoſitionis num. 3. aſsignata. Inter quas datur alia differentia , quòd diſpoſitio ſecundi generis non petit adhuc connaturaliter recipere immediatè formam , ad quam diſponit,vt liquet in calore vt ſeptem , qui recipitur in toto compoſito , & forma ignis recipitur vnicè in materia prima ; actus etiam fidei , timoris , & charitatis recipiuntur in intellectu , & voluntate ; & gratia , ad quam diſponunt, recipitur in anima; imò multoties ipſæ diſpoſitiones recipiuntur in ipſa forma , ad quam diſponunt,vt patet in calore vt octo , qui recipitur in toto compoſito genito , proindeque in forma tanquam in ſubiecto *quo*. Diſpoſitio verò primi generis petit neceſſariò eſſe medium , in quo immediatè recipiatur ipſa forma , ad quam diſponit. ¶ Pro quo etiam nota , quòd aliud eſt , aliquid eſſe medium, in quo aliqua forma recipiatur ; aliud verò quòd propriè ſit diſpoſitio. voluntas enim eſt medium, in quo actus eius neceſſariò recipitur , non tamen propriè loquendo eſt diſpoſitio, quia eſt potentia ; habitus verò , etsi aliunde ſit medium neceſſarium ad recipiendam formam, ſeu actum , propriè tamen eſt diſpoſitio, quia de ratione habitus eſt diſponere ad benè,vel malè, ad promptè , & faciliter operandum. Ad quod parùm refert , quòd habitus ſit tota ratio agendi , quia hoc non ſufficit, vt dicatur propriè potentia, ſed habitus: quia potentia vt diſtincta ab habitu poſſumus benè , vel malè vti , ſecus verò habitu , vt docet D. Thomas 3.part.quæſt. 63. art. 2. *Maximè* , quia ſi habitus dans adæquatum,& proximum *poſſe* ad operandum eſſet propriè potentia,ſuperflueret intellectus, vel voluntas,ſeu alia potentia.

7 Ex his probatur concluſio : Nam lumen gloriæ in primis eſt medium neceſſarium , in quo viſio beata recipi debet ; aliàs non recipit illam per modum potentiæ , ſed per modum habitus : ergo eſt diſpoſitio neceſſaria ad viſionem Dei recipiendam. Conſequentia eſt legitima : minor conſtat ex prænotabili. Et maior probatur : Nam de ratione actus vitalis, & immanentis eſt , quòd recipiatur in principio præcipuo vitali ; ſed lumen gloriæ eſt virtus dans *poſſe* intellectui ad eliciendam viſionem vt vitalem: ergo eſt medium omninò neceſſarium,in quo viſio beata recipi debet.

8 Neque officies huic rationi , ſi dicas *primò* , ſolùm eſſe de ratione actus vitalis perfecti recipi in toto ſuppoſito viventi , vel in potentia ; ſecus vero recipi in quocumque principio proximo *quo* illius, vt liquet in actu intellectus agentis, qui recipitur in intellectu poſsibili , ſicut ſpecies ab eo producta. Non, inquam , officies. Nam ideò actio intellectus agentis non recipitur in ipſo , quia non eſt actus perfectus vitalis de linea intelligibili , ſed ordinatur persè, & eſt in via ad actum intellectus poſsibilis ; ſed viſio beata , ſicut & quælibet alia intellectio eſt actus perfectus vitalis:ergo debet recipi in principio proximo elicitivo illius, quod eſt intellectus cum lumine gloriæ. ¶ Neque officies , ſi dicas *ſecundò* , ſpeciem concurrere vitaliter ad intellectionem ; & tamen hæc non recipitur in ea.Non,inquam,officies.Tum,quia ſpecies ſe habet in ordine ad intellectionem per modum maſculi, & intellectus cum omni eo , quod ſe tenet ex parte ipſius, ſe habet per modum fœminæ adæquatæ, maximè cum eo quod dat ei totam efficacitatem proximam ; ſed de ratione partus

est recipi in fœmina adæquata, & non in masculo: ergo visio beata petit recipi in intellectu vt perfuso lumine gloriæ, licèt intellectio non petat recipi in specie. Tum etiam: Nam propterea intellectio non petit recipi in specie, quia non concurrit vitaliter vitalitate rigorosa, hoc est, vitalitate per modum potentiæ, aut virtutis dantis *posse* ad ipsam actionem vt vitalem, sed per modum determinationis provenientis ab obiecto, quod multoties est inanime, proindeque non est vitalis vitalitate perfecta requisita ex parte actus primi; sed lumen gloriæ est vitale vitalitate perfecta requisita ex parte actus primi, cùm det totam virtutem proximam in ordine ad visionem beatam: ergo estò intellectio non petat recipi in specie, petit tamen recipi in lumine gloriæ. Tum denique: quia valde probabile est, quòd intellectio recipitur etiam in specie, necnon & in verbo, quia est existentia intelligibilis, per quam existunt intellectus, species, & verbum. Pro quo videndi sunt N. Salmant. tract. 6. disp. 2. num. 87. Quod intelligi debet non de quacumque intellectione respectu cuiuscumque speciei, & verbi, sed de intellectione, quæ non supponit aliam primariam, & propterea visio beata non recipitur in essentia divina vnita per modum speciei cum intellectu beati. Recolantur, quę diximus disp. præced. num. 104. Præterquàm quòd sicut omnis operatio creata recipitur in suo connaturali supposito, & operationes creatæ Christi non recipiuntur in supposito ipsius, quia incapax est cuiuscumque immutationis & receptionis, ita omnis intellectio creata recipitur in specie creata, secùs verò visio beata in essentia divina vnita per modum speciei.

9 Probatur *secundò* ratione: Nam id, quod est propriè dispositio ad receptionem formæ, etiam est dispositio ad effectum formalem ipsius formæ; sed visio beata est effectus secundarius formalis essentiæ divinæ vnitæ per modum formæ intelligibilis: ergo si lumen gloriæ est dispositio ad vnionem essentiæ divinæ per modum speciei, etiam est dispositio ad vnionem cum visione beata. Maior persè liquet. Et minor probatur: Nam intellectio est existentia in ordine intelligibili, vt probatum est tract. præced. disp. 2. num. 42. ergo visio beata est effectus formalis secundarius essentiæ divinę. Consequentia probatur: Nam existentia ordinis naturalis est effectus formalis secundarius formæ eiusdem ordinis: ergo etiam existentia intelligibilis est effectus formalis secundarius formæ intelligibilis, qualis est species impressa: ergo visio beata est effectus formalis secundarius essentiæ divinæ vnitæ per modum speciei. Quæ ratio fundatur in quibusdam verbis D. Thomæ infrà quæst. 14. art. 5. vbi ait: *Sicut* esse *consequitur formam, ita* intelligere *sequitur speciem intelligibilem.* Quod repetit alijs in locis.

§. II.

Duplex sententia opposita.

10 VAzquez in præs. disp. 43. cap. 3. negat lumini gloriæ munus dispositionis, tùm ad vnionem essentiæ divinæ per modum speciei, tum ad receptionem visionis. Idipsum tenet Herice disp. 45. cap. 2. Scotus in 4. dist. 49. quæst. 15. negat ei determinatè idem munus in ordine ad recipiendam visionem. Suarez lib. 2. *de Attribut. negat.* cap. 15. ait, de visione vtrunque esse incertum.

Contra primam conclusionem arguitur *primò*: Nam altiori modo vnitur persona divina cum humanitate Christi, quàm essentia divina cum intellectu beati, vt pronùnc supponimus ex tract. *de Incarnat.* sed vt persona divina vniatur humanitati, non datur, neque requiritur aliqua dispositio media, vt probabimus in eodem tract. disp. 2. dub. 2. ergo neque ad vnionem essentiæ divinæ cum intellectu beati requiritur lumen gloriæ per modum dispositionis.

Et confirmatur: Nam propterea requiritur lumen gloriæ per modum dispositionis, quia essentia divina est actus purus, & intellectus est pura potentia in ordine intelligibili, quapropter nequit elevari ad tantam sublimitatem, nisi mediet dispositio luminis gloriæ; sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur: Tùm, quia intellectus, adhuc vt perfusus lumine gloriæ, est pura potentia in ordine intelligibili. Tum etiam, quia intellectus cum lumine gloriæ est quid finitum, proindeque distat infinite ab essentia divina. Tum denique, quia etiam intellectus est inferioris ordinis cum lumine gloriæ, & pro receptione illius non petit aliquam dispositionem.

Ad argumentum respondetur, concessis præmissis; negando consequentiam, ob duplicem rationem disparitatis inter vnionem personæ divinæ cum humanitate, & vnionem essentiæ divinæ cum intellectu beati. *Prima est*: quòd persona divina non vnitur naturæ humanæ per modum formæ, sed præcisè per modum puri termini, & hac de causa supponit efficacitatem proximam in natura humana, vt possit ea vti ad suas operationes. At essentia divina vnitur intellectui per modum formæ intelligibilis, de cuius ratione est, quòd præsupponat virtutem sufficientem in intellectu, vt possit ea vti, quam virtutem præstat lumen gloriæ in ordine ad essentiam divinam. *Secunda est*: quia ratione vnionis hypostaticæ trahitur humanitas præcisè ad subsistendum & existendum: humanitas autem ex se est capax immediatè subsistentiæ naturalis ratione potentiæ naturalis, & subsistentiæ supernaturalis divinæ ratione potentiæ obedientialis; aliundè inter naturam & subsistentiam, seu existentiam nihil potest cadere medium,

dium, maximè accidentale, aliàs natura ſubſtantialis haberet prius *eſſe* ſecundùm quid, quàm *eſſe* ſimpliciter. Cæterùm intellectus non eſt capax recipiendi ſpeciem in ratione talis, niſi præſupponatur cum virtute ſufficienti, vt poſsit ea vti; aliunde inter intellectum, & eſſentiam divinam poteſt interponi aliquod accidens, ſicut defactò interponitur lumen gloriæ, vt quilibet catholicus debet fateri, iuxta dicta diſp. 1. num. 63. His igitur de cauſis, licèt non requiratur diſpoſitio ad vnionem hypoſtaticam, requiritur ad vnionem eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei cum intellectu.

11 Ad confirmationem reſpondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius primam probationem dicimus, aliud eſſe intellectum vt perfuſum lumine gloriæ eſſe puram potentiam in linea intelligibili inadæquata, quo pacto hæc linea ſolum dicit, & explicat intelligibilitatem paſsivam, ſe tenentem ex parte obiecti; & in hoc ſenſu verum eſt, intellectum vt perfuſum lumine gloriæ eſſe puram potentiam in linea intelligibili, ſicut intellectus dicitur pura potentia in ordine ad ſpecies naturales: aliud eſſe intellectum vt perfuſum lumine gloriæ eſſe puram potentiam in linea intelligibili adæquata, quo pacto hæc linea includit *eſſe* intelligibile ſeu paſsivum, & eſſe intellectivum ſeu activum, iuxta dicta diſp. præced. num. 96. & in hoc ſenſu falſiſsimum eſt *eſſe* puram potentiam, quia per elevationem luminis gloriæ intellectus diſtinguitur à ſeipſo conſiderato ſecundùm rationem potentiæ obedientialis in hoc, quòd intellectus vt tantùm dicit potentiam obedientialem, nullam activitatem proximam importat in viſionem beatam, proindeque eſt in pura potentia paſsiva proxima; per lumen autem gloriæ conſtituitur in actu primo proximo in ordine ad viſionem, & in hoc ſenſu eſt medium neceſſariò cadens inter intellectum, & eſſentiam divinam. *Ad ſecundam*: Reſpondetur, quòd eſtò intellectus adhuc vt elevatus lumine gloriæ diſtet infinite ab eſſentia divina, eſt tamen in eodem ordine cum ea participativè, cùm ſit participatio formalis intellectus divini: & ob hanc rationem eſt proximè potens videre Deum, & potens vti ipſa eſſentia divina per modum ſpeciei, quod de intellectu ſine lumine gloriæ verificari nequit: & ob eandem rationem hoc lumen gloriæ ponit ſufficientem proportionem inter intellectum & eſſentiam divinam per modum ſpeciei. *Ad vltimam*: Reſpondetur, diſpoſitionem non requiri ad quancumque formam, ſed ad eam, quæ in aliquo ordine eſt vltima, vti eſt gratia in linea ſupernaturali, & forma ſubſtantialis in linea naturali, & ſpecies in linea intelligibili. *Maximè*: quia ad recipiendum lumen gloriæ, & gratiam ſufficit coaptatio eſſentialis, quam habent anima, & intellectus ratione potentiæ obedientialis: & ad hunc modum etiam datur coaptatio eſſentialis intellectus ad recipiendam quancumque ſpeciem ſupernaturalem in *eſſe entis* conſideratam: & fortè poteſt hoc modo in eo immediatè recipi, ſicut ſpecies ſenſibilis recipitur in medio, niſi obſtet alicui ſpeciei, vt eſt eſſentia divina, aliqua repugnantia ex capite imperfectionis in hoc modo vnionis. Cæterùm ſpecies in ratione formæ intelligibilis neceſſariò petit præſupponere in intellectu virtutem proximam, vt poſsit ea vti: & ob hanc cauſam lumen gloriæ requiritur per modum diſpoſitionis ad vnionem eſſentiæ divinæ, & non requiritur diſpoſitio ad recipiendam aliam formam ſupernaturalem.

12 Arguitur *ſecundò*. Potentia, quæ ſecundùm ſe habet virtutem in ordine ad obiectũ ſecundùm generalem rationem obiecti, quam perſè primò reſpicit, non indiget diſpoſitione aliqua ad recipiendam ſpeciem illius; ſed intellectus hoc modo ſe habet in ordine ad Deum clarè viſibilem ſecundùm rationem communem obiecti perse primò inſpectam ab ipſo: ergo non indiget diſpoſitione ad vnionem eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei. Maior liquet in viſu, qui poteſt recipere independenter ab aliqua diſpoſitione ſpecies omnium colorum, quia ſecundùm ſe habet virtutem in ordine ad viſibile vt ſic. Minor non minus liquet: quia Deus clarè viſibilis continetur intra latitudinem obiecti intellectus, vt diximus diſp. 1. dub. 2.

Neque fit ſatis, dicendo, maiorem eſſe veram, quando obiectum eſt abſolutè proportionatum, ſecus verò quando eſt ſuperexcedens. Non, inquam, fit ſatis: Nam hoc ipſo, quod ſenſus habeat ex ſe virtutem ad aliquod obiectum in particulari ſecundùm generalem rationem obiectivam, non indiget elevatione ad attingendum ipſum ſecundùm rationem particularem: ergo idem de intellectu dicendum eſt.

Ad hoc argumentum (quod ſæpè inculcat in hoc tract. Vazquez) reſpondetur, ex illo ſequi in primis dari defactò intellectum creatum, qui abſque elevatione poſsit videre Deum prout eſt in ſe, proindeque non eſſe neceſſarium lumen gloriæ ad eum vt eſt in ſe videndum; cuius oppoſitum pronùnc ſupponimus ex dictis diſp. dub. 4. & maximè dub. 5. num. 63. Sequi etiam ex illo, quòd intellectus non indigeat elevatione ad attingendum Deum prout eſt in ſe ſecundùm rationem generalem obiectivam. Quod, eſtò falſum, permittimus. Sed vnde infert, quòd ad attingendum illum ſecundùm illam rationem particularem, ſecundùm quam eſt obiectum excedens, & ſuperioris ordinis, non indigeat elevatione eiuſdem ordinis? Senſus enim, quidquid ſit quòd lædatur, vel non à ſpecie vehementis ſenſibilis, indiget confortatione ad receptionem prædictæ ſpeciei in ratione *ſpeciei*: quia eo ipſo quòd ſit obiectum improportionatum & excedens, nequit abſque elevatione, vel abſolutè, vel perfectè, illud attingere, quia ex ſe non ha-

bet perfectam virtutem, neque species præstat illam, quæ desideratur ex parte potentiæ. Deus vt clarè visibilis est magis improportionatus cum intellectu, quàm quodlibet vehemens visibile cum visu: ideòque potiori iure eget elevatione ad attingendum eum prout est in se. Recolantur, quæ diximus disp. 1. num. 18. & num. 62.

13 Contra secundam conclusionem objicies *primò*: Habitus non est medium, in quo recipitur actus, sed potius econversò: ergo lumen gloriæ non est dispositio medians, in qua recipiatur visio beata. Antecedens probatur: Nã habitus fit per actum, & iste recipitur prius in potentia: ergo non est medium, in quo recipitur actus. Tum etiam: quia actus charitatis est dispositio ad gratiam, & charitatem: ergo neque gratia, neque charitas sunt dispositiones, in quibus recipiatur actus. ¶ Objicies *secundò*: Nam quodlibet subiectum respiciens plures formas ordine quodam, prius recipit principaliorem, quàm minus principalem, vt patet in materia prima, quæ prius recipit formam substantialem, quàm accidentalem, quia illa est nobilior; sed visio beata est forma perfectior lumine gloriæ, & ob hanc rationem beatitudo vltima consistit in ea: ergo prius recipit visionem, quàm lumen gloriæ.

Tertiò: Quia intellectus secundùm potentiam obedientialem est subiectum sufficienter proportionatum ad recipiendam visionem beatam, sicut ad recipiendum lumen gloriæ, & anima ad recipiendam gratiam: ergo lumen gloriæ non requiritur vt ratio formalis illam recipiendi. ¶ *Quartò*: Quia visio beata non educitur ex lumine gloriæ, sed ex potentia obedientiali intellectus: ergo solùm recipitur in intellectu. Patet consequentia: quia forma recipitur in subiecto, ex quo educitur; & non in subiecto, ex quo non educitur. ¶ *Quintò*: Quia si lumen gloriæ esset ratio formalis recipiendi visionem beatam, idem esset agens, & patiens respectu eiusdem.

Ad primam obiectionem respondetur, quòd estò habitus naturalis non requiratur vt medium necessarium ad receptionem actus, secus verò habitus supernaturalis. Et ratio disparitatis est: quia habitus naturalis solùm datur ad facilitèr operandum, habitus verò supernaturalis dat totum *posse* proximum: vnde sicut omninò requiritur ad eliciendum actum, ita etiam requiritur omninò ad illum recipiendum. Per quod constat ad primam probationem. ¶ Ad secundam respondetur, gratiam & actum dilectionis mutuò se causare in diverso genere causæ: Nam gratia concurrit in genere causæ receptivæ actus dilectionis, non verò in genere causæ propriè dispositivæ; & in hoc sensu sicut requiritur omninò necessariò ad agendum illum actum, ita requiritur omninò ad illum recipiendum; actus verò dilectionis concurrit in genere causæ dispositivæ propriæ; & in hoc sensu non est dispositio omninò necessaria. Lumen autem gloriæ est propriè dispositio vtroque modo, quia visio non est dispositio ad illud. || Nisi mavis dicere quòd vtraque exercet propriè munus causæ dispositivæ ad invicem. Quin ex hoc sequatur, quod sint causa & effectus in eodem genere infimo causæ dispositivę, sed in eodem genere subalterno: Nam gratia, seu charitas est causa dispositiva per modum habitus operativi, seu subiecti receptivi; sed actus dilectionis per modum puræ dispositionis. Quæ sufficiunt ad constituendas diversas species in genere causæ dispositivæ: sicut materia prima est causa specificativa formæ per modum subiecti: & forma est causa specificativa materiæ per modum actus: qui modi causandi constituunt diversas species causæ adhuc in eodem genere causæ specificativæ. Videantur, quæ diximus disp. præced. num. 52.

14 Ad tertiam respondetur, quòd antecedens esset verum, si visio beata non esset actus secundus vitalis, de cuius ratione est, quòd præsupponat in principio activo virtutem sufficientem ad eius productionem: Si ergo lumen gloriæ requiritur omninò ad productionem visionis beatæ, etiam requiritur ad eius receptionem: nam de ratione causæ perfectè vitalis est moveri à se: Gratia autem, seu charitas neque sunt vitales in actu secundo, sed in actu primo, proindeque possunt provenire ab extrinseco; neque possunt produci à causa creata, quia habitus supernaturales sunt: & his rationibus ad sui receptionem sufficit potentia obedientialis vel animæ, vel potentiarum. ¶ Ad quartam respondet Mag. à Sancto Thoma §. *Ad fundamenta Patris Suarez*, visionem beatam recipi in lumine gloriæ tanquam ratione recipiendi vt *quo*, seu tanquam in medio recipiendi, secus verò tanquam in subiecto, ex quo educatur: quia accidentia solùm educuntur ex subiecto, à quo sustentantur: quo pacto est anima respectu gratiæ, & intellectus respectu luminis gloriæ, & visionis beatæ. || Hæc tamen solutio non placet: quia accidentia educuntur propriè ex suo subiecto adæquato immediato, sicut color educitur ex quantitate, quæ est subiectum adæquatum immediatum; sed lumen gloriæ est subiectũ adæquatum immediatum visionis beatæ, sicut est virtus adæquata immediata ad illius productionem: ergo educitur propriè ex illo. *Adde*: Nam licèt substantia completa sit, quæ sustentat accidentia vt *quod*, quantitas tamen sustentat illa vt *quo*: ergo sicut ob hanc rationem educuntur ex substantia vt *quod*, ita educuntur propriè ex quantitate vt *quo*; sed lumen glorię est medium recipiendi visionem beatam, non minus propriè, ac quantitas est medium recipiendi colorem (v.g.) ergo etiam sustentat illam vt *quo*, & ex illo educitur vt *quo*. Per quod constat respon-

ponsio ad quartam, quin oporteat aliquid addere ¶ Ad quintam, quantùm ad præsens attinet, facilè respondetur, dicendo, quòd intellectus secundùm diversam rationem est agens, & patiens: nam ipse vt elevatus lumine gloriæ, & vnitus cum essentia divina per modum speciei est agens visionem, sed intellectus vt perfusus lumine gloriæ, & absque essentia divina est recipiens, seu patiens.

DUBIUM II.

Vtrùm Essentia divina possit vniri intellectui creato in ratione Luminis Gloriæ.

LIcèt ex dictis dub. præced. & dub. 1. disp. 2. satis constet, ad eliciendam visionis beatæ non sufficere lumen gloriæ creatum, quod simul habeat rationem *virtutis*, & *speciei*; neque sufficere essentiam divinam vnitam per modum *speciei*, quæ sub ratione talis præstet vires, quæ desunt intellectui: adhuc supereſt videre, an essentia divina possit vniri intellectui in ratione *luminis*, supplendo defectum illius, & præstando munus seu vires activas requisitas ex parte potentiæ; sicut potest supplere humanitati Christi defectum subsistentiæ propriæ communicando se per modum *subsistentiæ*? Pro quo sit:

§. I.

Conclusio nostra.

15 DIcendum est, implicare contradictionem, quòd Deus vniatur cum intellectu creato in ratione *luminis gloriæ*, supplendo defectum luminis creati; proindeque intellectum creatum sine lumine creato intrinsecè inhærente non posse elicere visionem beatam. Hæc conclusio quoad vtranque partem non obscurè colligitur ex D. Thoma in præs. art. 2. 4. & 5. necnon ex locis infrà referendis. Et eam tenent communiter Thomistæ, vno vel altero excepto. Assertio quoad secundam partem evidenter colligitur ex prima, maximè si supponantur, quæ diximus disp. 1. dub. 4. & 5. Vnde in præsenti solùm probanda est quoad primam partem, quæ est præcipuus scopus huius controversiæ.

Probatur *primò* conclusio: Repugnat vnio Dei cum creatura, ex qua sequitur Deum limitari; sed ex vnione essentiæ divinæ per modum luminis gloriæ sequitur limitatio ex parte Dei: ergo nequit adhuc divinitùs vniri per modum *luminis* intellectui creato. Minor, in qua est difficultas, probatur: Propterea ex vnione essentiæ divinæ per modum speciei non sequitur limitatio ex parte ipsius, quia species ex suo conceptu formali se tenet ex parte obiecti, ac proinde commensuratur cum illo, & non cum potentia, recipiturque cum tota amplitudine, & perfectione, quam habet ab obiecto, si finitam, finita; si infinitam, infinita; sed lumen gloriæ se tenet ex parte potentiæ: ergo si potentia est finita, ipsum lumen debet necessariò per illam limitari. Præmissæ sunt veræ. Et consequentia probatur: Nam hoc ipso quòd se teneat ex parte potentiæ illam elevando, & constituendo in ratione vnici principij adæquati se tenentis ex parte potentiæ, cum illa commensuratur quoad suam entitatem, & perfectionem: ergo necessum est ab illa limitari: sicut quia species se tenet ex parte obiecti, & cum illo proportionatur, oportet illam esse limitatam, si obiectum est limitatum.

16 Respondebis, aliud esse, quòd Deus vt vnitus per modum luminis vniatur iuxta capacitatem intellectus creati, aliud quòd limitetur per eum. Primum verum est: quia estò Deus sit infinitus, ex vi capacitatis ipsius intellectus non communicaretur infinito, sed finito modo. Ex hoc tamen non rectè arguitur, Deum ex vi prædictæ vnionis absolute limitari: sicut ex incapacitate naturæ humanæ solùm sequitur, subsistentiam divinam vniri illi finito modo: non tamen sequitur, ipsam subsistentiam divinam ex vi vnionis hypostaticæ in se limitari: sicut etiam ex incapacitate intellectus creati perfusi lumine gloriæ solùm sequitur, essentiam divinam vniri per modum speciei finito modo, non verò sequitur ex vi prædictæ vnionis in se limitari.

Sed qui ita respondent, non callent vim prædictæ rationis, quæ sic instauratur. Probatur ergo *secundò*: Si Deus vniretur intellectui creato per modum luminis gloriæ, vniretur per modum formæ naturalis; sed vnio per modum formæ naturalis limitatur, & finitur per subiectum: ergo si Deus vniretur per modum luminis gloriæ intellectui creato, limitaretur per illum: proindeque nequit illi vniri per modum luminis gloriæ. Maiorem probo (postea minorem probaturus) Nam si Deus vniretur intellectui creato per modum luminis, vniretur per modum virtutis, qua intellectus in *esse* naturali redderetur potens elicere visionem beatam: ergo vniretur per modum formæ naturalis. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Nam id, quo aliquid agens redditur potens in *esse* naturali ad operandum, est forma illius in *esse* naturali: ergo si Deus vniretur per modum virtutis, qua intellectus in *esse* naturali redderetur potens ad eliciendam visionem beatam, vniretur per modum formæ naturalis. Antecedens probatur: Nam id, quo agens redditur potens ad operandum, constituit illud in actu primo formali; sed nequit constituere agens in actu primo & formali, quin vniatur per modum formæ: ergo id, quo aliquod agens redditur potens in *esse* naturali ad operandum est forma illius

illius. Maior est expressa D. Thomæ 2. Contra gent. cap. 59. art. 4. vbi prædictum modum arguendi sic expendit: *Id, quò aliquid operatur, oportet esse formam eius, nihil enim agit, nisi secundùm quod est actu. Actu autem non est aliquid, nisi per id, quod est forma. Vnde & Arist. probat, animam esse formam per hoc, quòd animal per eam vivit, & sentit.* Deinde probatur minor primi syllogismi: Nam cognoscentia à non cognoscentibus distinguuntur in eo, quòd natura rei non cognoscentis est limitata & coarctata, vt non possit fieri aliæ res; natura verò rei cognoscentis, quia est ex se illimitata & amplior, potest fieri omnia in *esse* cognoscibili, vt dicemus tract. seq. dub. 1. ergo pariformitèr forma, quæ in *esse* entitativo vnitur cum subiecto, debet distingui à forma intelligibili in hoc, quòd illa finitur & limitatur per subiectum, secus verò ista. Consequentia probatur: Nam propterea forma in *esse* intelligibili non limitatur à subiecto, quia recipitur modo intelligibili, & immateriali; sed de ratione formæ naturalis est recipi modo imperfectiori, & in hoc distinguitur à forma intelligibili: ergo id, quod vnitur per modum formæ naturalis, petit ab illo limitari.

Confirmatur *primò*: Si essentia divina posset vniri intellectui creato per modum luminis gloriæ, etiam posset vniri animæ per modum gratiæ habitualis; sed hoc implicat: ergo etiam repugnat vniri per modum luminis gloriæ. Sequela videtur bona; nec facilè possunt ostendere Adversarij repugnantiam ad vnum, & non ad aliud. Minor verò probatur: Nam si posset vniri per modum gratiæ, cum aliàs vniretur per modum formæ, vel vniretur per modum formæ accidentalis, vel per modum formæ substantialis; neutrum dici potest: ergo nequit vniri per modum gratiæ. Minor quoad primam partem supponitur, quia Deus non est accidens, neque capax accidentis. Quoad secundam probatur: Si vniretur per modum formæ substantialis; vel esset per modum formæ partialis, vel per modum formę totalis; vtrumque repugnat: ergo nequit vniri per modum formę substantialis. Primum probatur: Nam Deo repugnat habere rationem partis: & propterea D. Thomas 3. part. quæst. 2. art. 1. ait, quòd *natura divina nequit esse forma alicuius, præsertim corporei.* Et 3. dist. 6. art. 3. ad 4. ait: *Divinitas pars esse non potest propter imperfectionem, quæ est de ratione partis.* Tum, quia limitatur ab alia comparte. Tum, quia ordinatur ad totum, respectu cuius est in potentia: vt tradit D. Thomas 2. Contra gent. cap. 59. art. 3. vbi ait: *Partes sunt in potentia respectu totius.* Secundum etiam probatur: Tum, quia si vniretur per modum formæ totalis, iam ex duabus naturis substantialibus completis persè fieret vna natura substantialis radicans adæquatè omnes operationes supernaturales; sed hoc ab omnibus Theologis putatur impossibile, iuxta id quod docet D. Thomas loco supra citato ex 3. parte: ergo nequit Deus animæ communicari per modum formę substantialis completæ. Tum, quia etiam haberet rationem partis, sicut ex anima & gratia tanquam ex duabus partibus integratur vnicum principium radicale adæquatum.

Augetur hoc: Repugnat vniri per modum intellectus, & per modum animæ: ergo etiam repugnat vniri per modum luminis. Antecedens videtur certum, & ab omnibus admittitur. Et meritò: tum, quia vnio per modum animæ est vnio per modum partis. Tum etiam: quia vnio per modum intellectus affert secum præter alias imperfectiones subordinationem principio radicali. Consequentia verò probatur: Ideò repugnat vnio per modum animæ, seu per modum intellectus, quia vniretur per modum formæ naturalis, vel inhærendo, vel informando; sed non est, cur hoc sequatur ex vnione per modum animæ & intellectus, & non per modum luminis: ergo &c.

18 Confirmatur *secundò*: Si Deus vniretur intellectui creato per modum luminis, subordinaretur tum principio radicali, nempè, animæ vt elevatę per gratiam, tum ipsi potentiæ; sed Deo repugnat omnis subordinatio: ergo repugnat vniri per modum luminis. Sequela probatur: Nam de ratione principij *quo*, maximè in *esse* naturali, est subordinari principio *quod*; insuper de ratione principij proximi est subordinari principio radicali; sed lumen gloriæ est principium *quo* proximum, intellectus est quasi principium *quod* proximum, & anima vt elevata per gratiam est principium *quo*, & *quod* radicale: ergo si Deus vniretur in ratione luminis, subordinaretur animæ vt elevatæ per gratiam, & intellectui. Quę rationes cum suis confirmationibus sunt adeò efficaces, vt sine alio additamento maneant præclusæ omnes evasiones Adversariorum.

19 Probatur *tertiò* nostra conclusio: Nam visio beata est essentialitèr vitalis, vt ex dicendis à nobis in tract. *de Scientia Christi* disp. 1. dub. 1. *per totum*, maximè à num. 10. satis liquebit: ergo Deus nequit vniri per modum luminis gloriæ. Consequentia probatur: Nam si Deus vniretur per modum luminis, ipse esset intellectui tota ratio proxima agendi vitalitèr visionem beatam; sed repugnat Deum vniri in ratione virtutis totalis proximæ ad eliciendam vitaliter visionem beatam: ergo Deus nequit vniri per modum luminis in ordine ad visionem beatam. Maior pronùnc supponitur, infrà dub. 4. latiùs probanda: Minor verò probatur: Nam si Deus vniretur per modum virtutis totalis proximæ vitalis, reciperet in se visionem beatam; sed implicat, Deum recipere intrinsecè visionem beatam creatam: ergo repugnat vniri in ra-

ratione totalis virtutis proximæ ad eliciendam vitalitèr viſionem beatam. Maior probatur: Nam non ſolum eſt de ratione potentiæ vitalis recipere in ſe actionem perfectè vitalem, ſed etiam de ratione virtutis, maximè adæquatæ: ſicut enim eſt proxima ratio illam agendi vitalitèr, ita eſt proxima ratio illam recipiendi, vt diximus num. 7. ergo Deus reciperet viſionem beatam creatam.

20 Probatur *vltimò* concluſio: Nam Deus nequit adhuc divinitùs vniri voluntati creatæ per modum charitatis: ergo neque poteſt vniri intellectui per modum luminis glorię. Conſequentia à paritate liquet: quia eadem ferè inconvenientia ſequuntur ex vno, ac ex alio. Antecedens verò probatur: Tum, quia rationes hucuſque ponderatæ probant impoſsibilitatem vnionis per modum charitatis, quæ ſolis mutatis vocibus *intellectus*, & *voluntatis*, *dilectionis Dei*, & *viſionis Dei* poſſunt applicari. Tum etiam: quia id expreſſe docet D. Thomas quæſt. 1. *de Charit.* art. 1. vbi ait: *Impoſsibile eſſe, quòd voluntas creata eliciat actum charitatis mediante Spiritu-ſancto ſine aliqua forma creata ipſam intrinſecè elevante, quia ex hoc darentur duæ contradictoriæ veræ.* Tum denique: quia de ratione actus charitatis eſt, quòd ſit eſſentialitèr voluntarius; ſed repugnat eſſe voluntarium, & eſſe à Deo vnito per modum charitatis: ergo. Minor probatur: Nam actus voluntarius eſſentialitèr petit eſſe ab intrinſeco, recipique in illo, vt rectè explicant N. Salm. tract. 10. diſp. 1. a num. 6. ſed repugnat, actum creatum hoc modo procedere à Deo: ergo repugnat, actum charitatis eſſe voluntarium, & procedere à Deo per modum charitatis.

21 Inquires, an Spiritus-ſanctus poſsit ſaltèm per modum *ſuppoſiti* vniri voluntati creatæ, vt comprincipium illius intrinſecum, itaut ſine principio creato ſupernaturali eliciat actum charitatis: & ſimilitèr Verbum divinum poſsit hoc modo vniri intellectui creato? Hanc quæſtiunculam excitamus, quia eſt quoddam corollarium præcipuæ noſtræ aſſertionis, & quia ex explanatione cuiuſdam rationis D. Thomæ clauditur ei totalitèr locus in tract. *de Charit.* vbi communiter Theologi eam movent, quam ſi nunc expendimus, non oportebit, illam ibi vlterius ad examen adducere.

Reſpondetur negativè: Tum propter dicenda tract. *de Incarnat.* diſp. 4. a num. 32. vbi aſſeremus, nullum accidens poſſe aſſumi ad ſubſiſtentiam divinam. Tum & præcipuè: Nam vnio intrinſeca Spiritus-ſancti per modum *ſuppoſiti* non deſervit ad tribuendum voluntati creatæ virtutem intrinſecam, quę neceſſaria eſt ad eliciendum actum charitatis: ergo nequit vniri per modum *ſuppoſiti*, vt comprincipium voluntatis creatę. Antecedens probatur: Nam dare virtutem eſt proprium formæ, non ſuppoſiti, vt liquet in ſuppoſito verbi vnito hypoſtaticè cum humanitate. Præſertim quia à duplici ſuppoſito nequit eſſe vna operatio, ſecluſo myſterio Trinitatis: ergo Spiritus-ſanctus nequit vniri immediatè voluntati per modum ſuppoſiti, vt comprincipium illius ad actum charitatis. Antecedens eſt certum: nam propterea vna, eademque operatio elicitivè, & proximè eſt à natura humana & perſona divina, quia natura humana aſſumpta eſt ad vnum *eſſe* perſonæ divinæ. Conſequentia verò probatur: Nam voluntas creata eſt ſuppoſitata à ſuppoſito creato, vt ſupponitur, alias non eſſet voluntas puri hominis: ergo ſi nequit eadem operatio procedere à duplici ſuppoſito, manet, quòd Spiritus-ſanctus nequeat vniri voluntati creatæ per modum ſuppoſiti vt comprincipium illius ad vnam & eandem operationem. Hanc rationem mira energia tangit D. Thomas in 1. diſt. 17. quæſt. 1. art. 1. per hæc verba: *Dicunt enim, quòd ſicut filius vnivit ſibi naturam humanam ſolus, quamvis ſit ibi operatio totius Trinitatis, ita Spiritus-ſanctus ſolus vnit ſibi voluntatem, quamvis ibi ſit operatio totius Trinitatis. Sed hoc non poteſt ſtare, quia vnio humanæ naturæ in Chriſto terminata eſt ad vnum eſſe perſonę divinæ: & ideò idem actus numero eſt perſonæ divinæ & naturæ humanæ aſſumptæ. Sed voluntas alicuius Sancti non aſſumitur in vnitate ſuppoſiti Spiritus-ſancti. Vnde, cùm operatio à ſuppoſito vnitatem habeat & diverſitatem, non poteſt eſſe, quòd intelligatur eſſe vna operatio voluntatis & Spiritus-ſancti, niſi per modum, quo Spiritus-ſanctus operatur* (nempe extrinſece) *in qualibet re.*

§. II.

Argumentorum ſolutio.

22 OPpoſitam ſententiam tenent Vincentius relect. *de Gratia Chriſti* quæſt. 1. diſp. 3. poſt 6. concluſ. Curiel in præſ. dub. 2. alijque Iuniores, quos refert Ledeſma *de Perfect. Dei*, quæſt. 8. art. 8. in ſubartic. Quibus annumerare meritò poſſumus eos, qui defendunt, Deum, ſeu Spiritum-ſanctum poſſe vniri voluntati creatæ vel per modum *charitatis*, vel per modum *ſuppoſiti*, inter quos primàs tenet Mag. Sent. loco ſuprà citato, quem poſtea ſequuti ſunt plures, quos referunt N. Salm. tract. *de Charit.* diſp. 4. num. 15. Pro qua:

Arguitur *primò*: Nam Deus poteſt vniri intellectui creato per modum *ſpeciei*: ergo etiam poteſt vniri per modum *luminis gloriæ*. Conſequentia probatur *primò*: Quia eſſentia divina in ratione formæ intelligibilis eſt ſuum *eſſe*, poteſt vniri vt talis ſine informatione, aut inhæſione; ſed in ratione luminis eſt etiam ſuum *eſſe*; ergo

si potest vniri in ratione speciei absque imperfectione inhæsionis aut informationis, etiam in ratione luminis. *Secundò*: Lumen gloriæ pertinet ad ordinem intelligibilem; sed quia species pertinet ad ordinem intelligibilem, potest Deus vniri per modum speciei: ergo etiam potest vniri per modum luminis. *Tertiò*: Propterea potest vniri per modum speciei, quia species non tribuit primam virtutem ad agendum, sed præcisè complet virtutem, quam supponit: sed neque lumen gloriæ præstat primam virtutem ad videndum Deum, cùm supponat virtutem radicalem: ergo. *Quartò*: Species etiam tribuit intellectui continentiam actus, tum, quia concurrit activè, tum, quia intellectus adhuc vt actuatus lumine gloriæ non præcontinet vltimam differentiam visionis, cùm ad hoc detur essentia divina, vt det speciem visioni, proindeque vt præcontineat eam secundùm vltimam suam differentiam; & tamen hoc non obstat, vt Deus possit vniri per modum speciei: ergo quòd lumen gloriæ tribuat intellectui præcontinentiam visionis, non obstat vnioni essentiæ divinæ per modum luminis. *Adde*: Nam species etiam concurrit vt *quo* ad intellectionem: ergo ex eo quòd lumen gloriæ concurrat vt *quo* ad visionem, non sequitur, Deum non posse vniri in ratione luminis.

23 Ad hoc argumentum respondetur in primis cum D. Thoma 3. Contra gent. cap. 51. vbi ait: *Nec tamen potest esse forma alterius rei secundùm* esse *naturale; sequitur enim, quòd simul cum aliquo vnita constitueret vnam naturam; quod esse non potest, cùm essentia divina in se perfecta sit in sua natura. Species autem intelligibilis vnita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum; quod perfectioni divinæ essentiæ non repugnat.* Cùm ergo vnio per modum luminis esset in *esse* naturali, inde est, quòd repugnat vnio essentiæ divinæ per modum luminis, estò non repugnet per modum speciei. Deinde satis constat ad argumentum ex dictis disp. præced. à num. 12. & num. 57. necnon in hoc dub. num. 16. ex quibus respondetur ad singulas probationes. Ad primam enim dicimus, quòd essentiam divinam posse vniri per modum speciei non est præcisè, quia est suum *esse* in *esse* intelligibili, aliàs posset vniri in ratione animæ, sed quia in hoc genere vnionis nulla ex suo conceptu formali involvitur imperfectio. In vnione autem per modum luminis includuntur ex suo conceptu formali omnes imperfectiones, quas §. præcedenti adnotavimus, & propterea estò Deus sit suum *esse* in ratione luminis, nequit per seipsum supplere vices illius.

Ad secundam respondetur, quòd aliter pertinet lumen gloriæ ad lineam intelligibilem, ac species: nam lumen gloriæ pertinet per modum puræ potentiæ, eo modo quo intellectus comparatus ad intellectiones naturales: & hoc pacto idem est, ac considerare lumen gloriæ secundùm *esse* naturale, quia linea intelligibilis adæquata integratur ex linea naturali intellectus, seu eius, quod se tenet ex parte illius, & ex linea purè intelligibili, ad quam pertinet species. Vnde ex duplici capite repugnat Deo vnio per modum luminis, & quia intellectus cum lumine est pura potentia in *esse* intelligibili, & Deo repugnat omnis conceptus potentialitatis; & quia vniretur in ratione formæ naturalis. At species ex vna parte est forma; & ex alia solùm vnitur ex suo conceptu formali in *esse* purè intelligibili.

Ad tertiam respondetur, vnionem essentiæ divinæ per modum speciei esse possibilem absque vmbra aliqua imperfectionis: quia præsupponit non solùm virtutem radicalem intellectus, sed etiam virtutem proximam, proindeque ex se solùm petit vniri in ratione formæ purè intelligibilis. At vnio per modum luminis necessariò involvit rationem formæ naturalis, quæ ex suo conceptu formali dicit imperfectionem.

Ad quartam respondetur, speciem intelligibilem solùm dare præcontinentiam obiectivã, seu in *esse* intelligibili; & ideò solum petit vniri in ratione formę intelligibilis, sub qua ratione nulla exprimitur imperfectio; & quia hæc præcontinentia, quam dat species, est obiectiva, potissimè conducit ad speciem visionis. Lumen verò gloriæ dat etiam præcontinentiam visionis secundùm vltimam suam differentiam, quia etiam determinat intellectum ad speciem visionis: hæc tamen præcontinentia est subiectiva, & se tenens ex parte potentiæ; proindeque per modum formæ naturalis, quam nequit Deus præstare. Ad additamentum satis constat ex dictis num. 57. disp. præced.

24 Arguitur *secundò*: Nam Deus defactò vnitur naturæ humanæ per modum subsistentiæ vt fides docet, & per modum existentiæ, vt tenent nostri Thomistæ tract. *de Incarnat.* & nos cum illis ibi disp. 3. num. 41. ergo potest vniri per modum luminis. Consequentia probatur: Tum, quia non minùs est Deus ipsum lumen per essentiam, ac est subsistens, & existens: ergo si Deus hac ratione potest vniri per modum subsistentiæ, & existentiæ, etiam poterit vniri in ratione luminis. Tum etiam: nam sicut in conceptu *subsistentiæ*, & *existentiæ* ex terminis nulla involvitur imperfectio, & in subsistentia & existentia creata includitur imperfectio informationis, & partis; ita in lumine ex terminis nulla involvitur imperfectio, aliàs non esset in Deo; & in lumine creato datur imperfectio inhæsionis, & partis: ergo sicut Deus potest supplere vices subsistentiæ, & existentiæ creatæ, quin in eo explicentur, neque imbibantur earum imperfectiones; ita poterit vniri in ratione

ne luminis absque imperfectionibus luminis creati.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem satis liquet ex dictis præcedenti solutione: nam esse Deum per essentiam, suum *esse*, & *subsistere* non est causa adæquata, vt possit naturæ creatæ vniri in ratione subsistentiæ, & existentiæ, sed etiam quia in hoc genere vnionis nulla clauditur imperfectio. Et ratio est: quia vnio per modum subsistentiæ, & existentiæ est per modum puri termini ex suo conceptu formali, cùm non dent virtutem radicalem, aut proximam; & sic earum vnio ex suo conceptu formali non est in ratione formæ naturalis, licèt sit in ratione termini in *esse* physico. De ratione autem luminis est, quòd vniatur per modum formæ naturalis, quia constituit intellectum in actu ad eliciendam visionem: de ratione enim formæ in *esse* naturali est constituere subiectum in actu præcontentivo operationis: & hac ratione forma substantialis dicitur per antonomasiam forma in *esse* naturali; & cum eadem proportione quælibet virtus dans *posse* in *esse* physico recipitur per modum formæ naturalis.

Explicatur hoc (per quod patebit ad secundam probationem) Nam hæc est differentia inter lumen gloriæ ex vna parte, & subsistentiam & existentiam ex alia, quòd licèt conveniant in hoc, quòd sint ex suo conceptu formali expertes omnis imperfectionis, & propterea formaliter reperiuntur in Deo; attamen vnio per modum luminis cum subiecto realiter distincto necessariò debet esse per modum partis, quia non est vnio per modum principij *quod*, sed per modum dantis *posse*: ex quo oriuntur aliæ imperfectiones potentialitatis in ordine ad essentiam divinam, & visionem beatam; & subordinationis, tum ad intellectum, tum ad suppositum creatum, à quo suppositatur: Cæterùm vnio per modum subsistentiæ, & consequenter per modum existentiæ non est vnio per modum partis. Ideòque Verbum divinum non fuit factum principium *quo* naturæ humanæ, neque natura humana traxit ad suum *esse* Verbum divinum, sed potius Verbum divinum vt subsistens vt *quod* traxit ad suum *esse* naturam humanam: in cuius signum videmus, quòd Verbum divinum denominatur ipse homo, quod satis suadet, vt Verbum divinum non sit pars hominis. Et si hoc nequit verificari de subsistentia creata, non est, quia hoc sit de conceptu formali *subsistentiæ*, sed quia de ratione subsistentiæ creatæ, quia creatæ, est, quòd sit quidam modus substantialis.

25 Sed dices: Existentia non solùm vnitur per modum termini naturæ, sed etiam per modum actus, cùm sit vltima actualitas & perfectio rei; & tamen potest reddere naturam existentem absque informatione: ergo etiam lumen gloriæ poterit constituere intellectum in actu absque informatione, aut inhæsione. ¶ Ad hoc sufficienter constat ex dictis: nam existentia estò verè sit actus naturæ, non tamen est actus constituens naturam. Cæterùm lumen gloriæ est actus constituens naturam accidentalem, sicut anima est actus constituens naturam substantialem: & in hoc involvitur necessariò imperfectio partis, informationis, aut inhæsionis.

26 Arguitur *tertiò*: Ut Deus vniatur in ratione luminis, non requiritur, vt vniatur per modum formæ naturalis, sed sufficit, quòd vniatur per modum actus in *esse* naturali: ergo cùm Deus sit in hoc ordine purissimus actus, poterit vniri in ratione luminis. Antecedens probatur: Propterea omnis forma naturalis creata nequit vniri præcisè per modum actus, sed etiam per modum formæ informando, aut inhærendo, quia indiget causalitate realiter distincta, quæ est informatio, seu inhærentia, ad præstandum subiecto suum effectum formalem; sed Deus non indiget causalitate distincta, vt præstet seipsum in ratione luminis, cùm sit actus purus, ob quam rationem non indiget causalitate distincta, vt vniatur per modum actus subsistentiæ, & existentiæ: ergo solùm vniretur per modum actus.

Ad hoc argumentum respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicimus *primò*, quòd forma naturalis independenter ab eo, quòd egeat causalitate distincta, verè informat, aut inhæret, vt tenent omnes Theologi de forma creata: Immò plurimi, & doctissimi viri satis probabiliter asserunt, inter subiectum & formam non cadere aliquid medians realiter distinctum per modum causalitatis. *Dicimus secundò*: quòd hoc ipso, quòd forma aliqua vniatur suo subiecto per modum dantis virtutem, sivè proximam, sivè radicalem, necessariò petit vniri per modum partis; si autem petit vniri per modum partis, necessariò finitur & limitatur à suo subiecto: & hinc oritur, quòd non sit suus effectus formalis, sed vniatur media causalitate informationis, aut inhærentiæ.

27 Sed dices: Verbum divinum vnitur humanitati media vnione distincta, se tenente non solùm ex parte humanitatis, sed etiam ex parte Verbi; & tamen est suus effectus formalis: ergo etiamsi Deus vniretur in ratione luminis per vnionem distinctam, adhuc esset suus effectus formalis. Maior est expressa N. Salmant. tract. *de Incarnat.* disp. 4. num. 30. & nos eos meritò sequimur in eodem tract. disp. 3. n. 23.

Nec refert, si respondeatur ex dictis in locis proximè citatis, quòd estò vnio hypostatica sit exercitium vniens non solùm humanitatem cum Verbo, sed etiam Verbum cum humanitate, non tamen est causalitas, sed mera con-

ditio: nam Verbum solùm exercet rationem causæ respectu humanitatis per modum termini purè terminantis, ad quod solùm necessaria est vnio per modum conditionis, qua supposita Verbum divinum ratione sui tàm in actu primo, quàm in actu secundo exercet rationem termini. Itaque vnio respectu Verbi vt vnibilis est exercitium formale, sed respectu eiusdem Verbi per modum termini, quo pacto præstat proprium & formalissimum conceptum *subsistentiæ*, est tantùm conditio: proindeque, propriè & in toto rigore loquendo, Verbum divinum terminare intrinsecè humanitatem non est effectus formalis sui ipsius, quia ad effectum formalem propriè talem desideratur causalitas realiter distincta. ¶ Non, inquam, refert: quia non est ratio, cur tota hæc doctrina non possit applicari essentiæ divinę vnitæ cum intellectu creato in ratione luminis.

28 Et confirmatur *primò*: Nam vnio per informationem ex suo conceptu formali nullam dicit imperfectionem: ergo ex hac parte non repugnat, essentiam divinam vniri intellectui creato per modum luminis. Antecedens probatur: Si aliquam imperfectionem diceret, maximè dependentiam à subiecto, & à toto constituto, & etiam incompletionem; sed informatio potest absolvi ab his imperfectionibus, vt liquet in anima rationali, quæ ex vna parte vnitur materiæ absque dependentia ab illa, & à composito, & sic videmus, quòd naturaliter potest subsistere separata ab illis; & ex alia subsistit vt *quod* & persè, priusquàm compositum, & ratione propriæ subsistentiæ subsistit secundariò compositum, vt ex vera philosophia nunc supponimus: ergo vnio per informationem ex suo conceptu formali nullam dicit imperfectionem.

Confirmatur *secundò*: De ratione principij *quo* radicalis non est informatio: ergo neque dè ratione principij, *quo* proximi erit informatio, aut inhærentia; proindeque poterit Deus vniri in ratione luminis. Antecedens probatur *primò*: Humanitas vnitur Verbo divino per modum principij *quo* radicalis; & tamen non informat Verbum: ergo &c. *Secundò*: Natura divina vnitur humanitati per modum formæ sanctificantis: ergo vnitur per modum principij *quo* radicalis; & tamen non vnitur per informationem, vt tenent omnes Theologi: ergo &c.

29 Ad obiectionem respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam, quæ optima est, ex qua deducitur satis discrimen inter vnionem Verbi divini cum humanitate, & vnionem per modum luminis cum intellectu. Illa enim, cùm sit per modum puri termini intrinseci, solùm est necessaria, vt extrema maneant coniuncta; semel tamen coniunctis, ipsum Verbum per seipsum tàm in actu primo, quàm in actu secundo terminat, quia ad rationem formalem terminandi ex suo conceptu formali non requiritur aliquid realiter distinctum per modum rationis formalis (licèt quandoque requiratur per modum conditionis vt in præsenti: vel per modum rationis formalis, ob conceptũ materialem subsistentiæ creatæ, quæ non tantùm terminat, sed etiam recipitur) vt liquet in terminis aliarum habitudinum. Cæterùm vnio per modum luminis est vnio per modum formæ naturalis, & partis; proindeque ex suo conceptu formali petit finiri & limitari, sicut petit recipi: & hac ratione nequit esse suus effectus formalis, neque vnio potest habere præcisè rationem conditionis, sed etiam conceptum causalitatis respectu talis formæ; quæ Deo repugnant.

30 Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dicimus, quòd estò anima rationalis non dependeat in suo *fieri* à materia tanquam à subiecto *quod* eductionis, seu productionis; dependet tamen ab illa tanquam à subiecto *quod* sustentationis, quia verè sustentatur ab illa, sicut in ea verè recipitur. Et licèt subsistat vt *quod*, & hac ratione possit naturaliter separari à materia, & à composito; essentialiter tamen habet rationem partis, quare adhuc separata habet appetitum ad reunionem, quod est sufficiens indicium dependentiæ à materia, & composito. *Præsertim*: quia anima rationalis, cùm non sit suus effectus formalis, sicut nec est actus purus, indiget causalitate realiter distincta ad suum effectum formalem præstandum; & hoc est maxima imperfectio.

Ad secundam respondetur, negando antecedens. Cuius nulla probatio, vrget. *Non prima*: Nam propterea humanitas est principium *quo* absque informatione, quia ex se est sufficiens principium radicale non elevans, neque constituens aliam naturam, sed solùm trahitur ad Verbum divinum, vt participet suum *esse*, & personetur seu suppositetur: ad quod non requiritur, quòd ipsa humanitas recipiatur in Verbo (hæc enim esset nimis crassa imaginatio) sed sufficit, quòd ab eo terminetur. Cæterùm principium *quo* radicale incompletum, constituens vel elevans aliquod subiectum ex se insufficiens per modum principij *quo* ad eliciendas operationes semper petit informationem, aut inhæsionem: Et ad hunc modum est lumen gloriæ; ideòque Deus nequit vniri per modum luminis. *Neque secunda*: Nam natura divina solùm sanctificat humanitatem per modum existentiæ, non verò per modum radicis operationis, & ob hanc causam necessaria est in Christo gratia habitualis, quæ sanctificet per modum radicis operationum. Videantur dicenda à nobis tract. *de Gratia Christi* disp. 1. dub. 3. à num. 40. & disp. 2. dub. 1.

)(§)(

§. III.

§. III.

Quibuſdam dubiolis fit ſatis.

31 CUM ex dictis in hoc, & præcedenti dub. necnon diſp. 1. dub. 4. & 5. ſatis inferatur, eſſe neceſſarium ad viſionem Dei eliciendam lumen gloriæ creatum: Meritò poteſt dubitari *primò*, an indiſpenſabilitèr requiratur lumen per modum habitus, an verò ſufficiat lumen per modum diſpoſitionis? ¶ Pro quo ſciendum eſt, quòd qualitas dupliciter poteſt recipi in ſubiecto, vel permanentèr, vel tranſeuntèr: inter quos modos receptionis hoc datur diſcrimen, quòd qualitas recepta permanentèr habet modum habitus, quia habitus importat permanentiam; ſed qualitas recepta tranſeuntèr habet modum diſpoſitionis, de cuius ratione eſt, quòd facilè moveatur à ſubiecto. Quo notato:

Reſpondetur, ad viſionem beatam eliciendam ſufficere lumen gloriæ per modum diſpoſitionis. Hæc fuit perpetua mens D. Thomæ: nam id docet 2. ad Corinth. 12. lect. 1. *circa finem*, quæſt. 13. *de Verit.* art. 2. in corp. & quæſt. 20. art. 2. 2. 2. quæſt. 175. art. 3. ad 2. & 3. part. quæſt. 45. art. 2. *in fin. corp.* Et ratio eſt: Nam aliæ qualitates conſtituentes potentiam in actu primo poſſunt communicari vel permanentèr, vel tranſeuntèr: ergo etiam lumen gloriæ poteſt communicari vel tranſeuntèr, vel permanentèr: ergo non requiritur ad videndum Denm lumen gloriæ per modum habitus. Antecedens probatur, tàm in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus. Videmus enim in naturalibus, vt inquit D. Thomas locis citatis ex 2. 2. & *de Verit.* quòd lux recipitur in aëre tranſeuntèr, & in ſtellis permanentèr; calor recipitur permanentèr in igne, & tranſeuntèr in aqua: in ſupernaturalibus etiam dotes communicatæ fuerunt tranſeuntèr corpori Chriſti, dum erat in carne paſsibili, & poſt reſurrectionem permanentèr, vt docet D. Thomas loco citato ex 3. part. & ad aliquos actus ſupernaturales (in eadem materia) aliquando virtus elevans recipitur tranſeuntèr, & aliquando permanentèr, vt docent communitèr Theologi, maximè Thomiſtæ.

Confirmatur: Viſio Dei poteſt communicari tranſeuntèr, & permanentèr; quia D. Paulo communicata fuit tranſeuntèr, & Beatis & animæ Chriſti permanentèr, vt locis relatis docet D. Thomas: ergo etiam lumen gloriæ. Conſequentia probatur: Nam eſtò actus facilè movibilis multoties poſsit, & petat produci à virtute permanenti, maximè quando virtus non connectitur cum actu, ſecùs verò quando virtus eſt neceſſariò connexa cum illo; ſed lumen gloriæ eſt huiuſmodi: ergo ſi viſio poteſt communicari, & defactò communicata fuit tranſeuntèr, & permanentèr, etiam lumen gloriæ.

32 Hæc perſpicua ſunt, & omni difficultate carent. Gravis tamen difficultas eſt, an viſio beata communicata D. Paulo per modum tranſeuntis ſit ſpecie diſtincta à viſione beata Chriſti, & cuiuslibet ſancti, qui eſt in patria? Quę difficultas eadem eſt in luminibus gloriæ. Vterque modus dicendi eſt valde probabilis habens pro ſe multos patronos, & non parvum fundamentum in littera D. Thomæ. ¶ Pro cuius luce ſupponendum eſt ex doctrina N. Complut. abbrev. in Logic. diſp. 15. num. 11. qualitatem, quæ eſt propriè diſpoſitio, ex hac ſola ratione diſtingui eſſentialitèr à qualitate, quæ eſt propriè habitus. Diximus *quæ eſt propriè diſpoſitio*: quia dupliciter aliquid poteſt communicari per modum diſpoſitionis, vel ita quòd communicetur tranſeuntèr præcisè ex conditionibus ſubiecti, licèt ex ſe petat recipi permanentèr, ſicut ſcientia; vel ita quòd perſè, & ex natura ſua petat communicari tranſeuntèr, quia petit cauſas facilè tranſmutabiles; vt quælibet motio inſtrumentaria, cui accidentalitèr convenit, vt permanentèr recipiatur, vt liquet in motione ignis inferni. Idemque dicendum eſt de habitu. Diximus etiam *ex hac ſola ratione*: vt detur intelligi, nos loqui in hac ſuppoſitione de habitu & diſpoſitione, quæ verſantur erga idem obiectum in *eſſe rei*, ſeu in eadem materia, v. g. de viſionibus erga Deum clarè viſum, vel de actibus primarijs charitatis: quia ſi verſentur erga diverſa obiecta, nullum dubium eſt diſtingui eſſentialitèr. Quibus prælibatis:

Probatur facilè prædicta ſuppoſitio; Nam qualitas, quæ eſt propriè diſpoſitio, & qualitas quæ eſt propriè habitus, petunt cauſas eſſentialitèr diverſas: ergo diſtinguuntur eſſentialitèr. Antecedens conſtat: quia diſpoſitio petit cauſas ſeu principia ex ſe facilè tranſmutabilia; & habitus invariabiles. Conſequentia non minùs patet: Nam effectus, qui petunt ex ſe cauſas eſſentialitèr diverſas, nequeunt non diſtingui eſſentialitèr, vt inductivè poteſt oſtendi: Siquidem cauſa in effectibus relucere debet.

33 Hinc ergo ſuboritur ratio dubitandi in via D. Thomæ circa viſiones communicatas per modum tranſeuntis, vt in D. Paulo; & per modum permanentis, vt in beatis, & in Chriſto. Nam viſionem D. Pauli quandoque comparat cum prophetia, quæ eſt eſſentialitèr tranſiens, iuxta doctrinam eiuſdem Ang. Præcept. 2. 2. quæſt. 171. art. 2. in corp. vbi ſic concludit: *Vnde manifeſtum eſt, quòd prophetia propriè loquendo non eſt habitus.* Quandoque comparat illam cum luce recepta in aëre, quæ ex ſe eſt permanens; cùm proveniat ab eadem cauſa, ac lux ſtellarum. Ob hæc, inquam, vterque modus dicendi eſt valde probabilis.

Nihilominus probabilius nobis videtur iuxta mentem D. Thomæ, visionem D. Pauli distingui essentialitèr à visione patriæ. In hunc modum dicendi inclinantur N. Salmant. in hoc tract. disp. 4. à num. 86. & tract. 15. disp. 2. num. 231. Et ratio est: quia visio D. Pauli non constituebat illum beatum simpliciter, sed tantùm secundùm quid, vt rectè docet D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 7. in corp. ergo distinguitur essentialiter à visione patriæ. Patet consequentia: nam esse simpliciter tale, & esse secundùm quid nequeunt non distingui essentialitèr. ¶ Confirmatur: Visio D. Pauli fuit talis, vt ex ea absque miraculo non redundarent dotes ad corpus, vt insinuat D. Thomas loco citato ex 2. 2. quæst. 175. & expressè tradit 13. *de Verit.* art. 2. in corp. *in fine*; econtrà verò visio Christi Domini fuit talis, vt ex ea absque miraculo redundarent prædictæ dotes ad corpus, vt apertè docet Aug. Mag. 3. part. quæst. 45. art. 2. ergo visio D. Pauli & visio Christi Domini distinguuntur essentialitèr. Patet consequentia: nam essentiæ, quæ petunt ex natura sua proprietates essentialiter diversas, nequeunt non essentialitèr distingui. ¶ Nec obstat contra hoc, quòd D. Thomas loco suprà citato ad Corinth. comparet visionem D. Pauli cum luce recepta in aëre, & visionem patriæ cum luce, quæ est in stellis, inter quas non datur distinctio. Nam illa comparatio solùm est quantùm ad modum: quem multoties servat in applicandis exemplis.

34 Sed objicies: Nam si visio beata patriæ esset specie distincta à visione D. Pauli, esset habitus, pertineretque ad primam speciem qualitatis, & in ea ad speciem habitus; sed hoc est falsum: ergo pertinet ad speciem dispositionis, proindeque non distinguitur à visione D. Pauli. Minor probatur: Nam visio est actus secundus; sed omnis habitus est actus primus: ergo non est habitus.

Respondetur, quòd nomen *Habitus* desumitur à permanentia; & quia de ratione omnis actus secundi in qualitatibus naturalibus, quas tantùm agnovit Arist. est esse ex natura sua facilè mobilem, propterea nomen *Habitus* non applicatur actui secundo, sed actui primo ex se permanenti. Sed reverà visio beata patriæ ob sui permanentiam cogit nos aliter theologizare. Et ideò, esto sit actus secundus, dicimus habere rationem habitus, quia in permanentia convenit cum actu primo permanenti. Vel potest dici, quòd visio beata est adeò eminens, quòd sit formaliter eminenter habitus & dispositio: est habitus, quia ratione permanentiæ convenit cum habitu; est dispositio, quia ratione actualitatis convenit cum dispositione.

35 Inquires *secundò*, an intellectus creatus sine vllo lumine gloriæ intrinseco possit per solam potentiam obedientialem, adddito tamen concursu concomitante, elicere visionem beatam? || Quod duobus modis intelligi valet, vel ita quòd intellectus creatus absque aliqua elevatione prævia eliciat totam visionem beatam, addito tantùm concursu simultaneo Dei: vel ita quòd ipsa visio sit priùs à Deo, & prout à Deo elevet intellectum, vt in signo sequenti ipse intellectus creatus ipsam eliciat.

Patres Societatis respondent affirmativè. Ducti eo precipuè motivo, quòd intellectus ex se habeat virtutem partialem ad eliciendam visionem beatam. Sed Thomistæ communiter respondent negativè. Et primus modus dicendi reijcitur *primò*: Nam intellectus ex se nullam virtutem proximam habet in visionem beatam, vt latiùs probabimus dub. 4. ergo addito concursu præcisè simultaneo, incapax est producendi visionem beatam. Consequentia probatur: Concursus simultaneus non præstat alteri concausæ virtutem intrinsecam; sed omnis causa producens aliquem effectum debet supponi cum virtute intrinseca ad illius productionem: ergo implicat in terminis, quòd causa carens omni virtute intrinseca possit reddi intrinsecè potens per concursum simultaneum. ¶ Rejicitur *secundò* primus modus dicendi: Nam voluntas secundùm se non potest præcisè per concursum simultaneum producere actum charitatis: ergo neque intellectus visionem beatam. Consequentia à paritate constat. Et antecedens probatur: Concursus simultaneus vel supponit virtutem adæquatam in voluntate ad actum charitatis adæquatè sumptum, vel non supponit? Si dicatur secundum: ergo nequit per concursum simultaneum illum producere. Patet consequentia: nam per concursum simultaneum nulla causa constituitur intrinsecè potens ad producendum effectum, ad quem non habet virtutem adæquatam. Si eam supponit: ergo concursus simultaneus Dei est debitus voluntati ad actum charitatis. *Rursùs*: vel supponit virtutem partialem tantùm, vel supponit virtutem adæquatam. Si dicatur secundum: ergo secundùm se potest producere totum actum charitatis, concursu simultaneo Dei se tenente præcisè vt concursu generali Dei debito omni creaturæ sufficienter constitutæ in actu primo; quod est hæreticum. Si dicatur primum: ergo non concurrit ratione concursus simultanei in totum actum charitatis, cùm sit extrinsecus voluntati: ergo neque concurrit in illum vt supernaturalem: ergo neque vt meritorium.

36 Secundus modus dicendi rejicitur: Nam id, ad quod requiritur elevatio, nequit esse ipsa elevatio; sed ad eliciendam visionem beatam requiritur elevatio: ergo ipsa visio prout à Deo nequit esse ipsa elevatio intellectus creati.

Confirmatur *primò*: Ipsa visio nequit elevare intellectum, antequam existat, sed nequit existere, antequam procedat ab intellectu: ergo

go vel non requiritur elevatio ad illius productionem; vel ipsa nequit esse ipsa elevatio. Minor probatur: Nam visio est adæquatè vitalis; sed actio vitalis nequit existere, antequam procedat à potentia intrinseca vitali: ergo. *Explicatur*: Nam si visio prius procedit à Deo, quàm ab intellectu: ergo pro illo priori non est vitalis: ergo neque petit procedere à potentia vitali. *Explicatur magis*: Si priusquam intelligatur visio produci ab intellectu creato, intelligitur produci vnicè à Deo: ergo pro priori ad concursum intellectus intelligitur iam existens: ergo, vt existat, non requiritur concursus intellectus: ergo neque est de eius essentia esse actum vitalem.

Confirmatur *secundò*: Si virtus elevans intellectum ad visionem est ipsa visio prout à Deo: ergo dum Concilia diffiniunt, necessarium esse auxilium ad operandum supernaturaliter, non aliud decernerent quàm esse necessariam operationem ad operandum; sed hoc adeò est lumine naturali notum, quòd neque hæreticus oppositum somniaverit: ergo dum decernunt necessitatem auxilij, loquuntur de aliquo verè prævio ad operationem adæquatè sumptam. *Maximè*: Quia ex hoc modo dicendi evertitur tota Philosophia: nam quisquam pro suo libito posset dicere, quòd aqua absque calore prævio poterat calefacere, dicendo, quòd ipsa calefactio intelligitur priùs producta à Deo, quàm ab aqua; & quòd prout à Deo constituit aquam in actu primo proximo ad calefaciendum. Posset etiam dicere, quòd generans absque virtute generativa intrinseca poterat generare, per hoc præcisè quòd generatio ipsa prout à Deo constituit agens creatum potens generare.

DUBIUM III.

An intellectus, vt perfusus Lumine Gloriæ, concurrat instrumentaliter in visionem beatam?

VISA iam necessitate luminis gloriæ creati intrinseci in intellectu, vt possit elicere visionem beatam, oportet investigare modum, quo intellectus concurrit ad eam: dubium enim est, an concurrat principaliter, an verò instrumentaliter? Pro cuius resolutione aliqua prænotanda sunt.

§. I.

Nonnullæ notationes.

37 NOTA *primò*, quòd visio beata, sicut & quælibet alia intellectio, potest considerari dupliciter; vel secundùm tendentiam specificam in obiectum, in quo convenit vnivocè cum lumine gloriæ; vel secundùm expressionem *vltimæ actualitatis*, seu existentiæ intelligibilis, quæ expressiones estò non distinguantur realiter, sunt tamen virtualiter distinctæ saltem per nostros conceptus. Iuxta quod supponimus, intellectum vt perfusum lumine gloriæ concurrere instrumentaliter in visionem sub expressione *vltimæ actualitatis*, seu existentiæ intelligibilis: quia sub hac expressione excedit in perfectione lumen gloriæ. In qua suppositione dicendum est, requiri aliud auxilium distinctum realiter ab ipso lumine, quod consistit in præmotione physica, quæ formaliter eminenter est auxilium efficax ad totam visionem, & auxilium sufficiens ad visionem sub prædicta expressione: vel statuendum est aliud auxilium sufficiens realiter distinctum ab efficaci: vtrunque enim est valdè probabile in via Thomistarũ. Pro quo possunt videri N. Salm. tract. 14. disp. 5. n. 125. Præcipuum tamen punctum huius controversiæ solùm procedit de intellectu perfuso lumine gloriæ in ordine ad visionem beatam sub expressione *tendentiæ specificæ* ad obiectum. Sed ne hæc controversia sit tantum de modo loquendi, sed valdè de re:

38 Nota *secundò*, ad rationem instrumenti, prout distinguitur à causa principali, requiri, quòd instrumentum inquantùm tale operetur vt purè motum ab alio, itaut tota ratio operandi sit motio. Ratio primi est: quia ratio instrumenti consistit in hoc, quòd operetur ministerialiter, vt deserviens, & subordinatum alteri, quod se habeat vt causa principalis: ergo solùm operatur in virtute causæ principalis; sed idem est agere in virtute causæ principalis, ac operari vt purè motum ab illa: ergo de ratione instrumenti est, quòd operetur vt pure motum ab alio. Ex quo deducitur ratio secundi: Nam de ratione instrumenti est elevari ad effectum illud excedentem: ergo oportet, quòd motio sit ei tota ratio agendi. Quod explicari valet exemplo serræ, qua vtitur artifex vt instrumento ad faciendam cathedram: certè motio artificis est in illa tota ratio operandi cathedram. Per hoc, inquam, instrumentum distinguitur à causa principali: nam estò causa principalis multoties agat vt mota; eius tamen motio non est tota ratio agendi: neque operatur vt purè mota, sed ratione propriæ virtutis; vt liquet in omni causa secunda, quæ non agit nisi vt mota à prima, non verò agit vt purè mota, neque eius motio est tota ratio agendi.

39 Nota *tertiò* (per quod præcedens conditio magis declaratur) ad rationem instrumenti etiam peti, quòd habeat actionem aliquam prævìam. Et ratio est: Nam de ratione instrumenti est, quòd ministerialiter deserviat causæ principali, hoc enim sonat nomen *instrumenti*, & liquet in instrumentis bellicis, & alijs, quæ vulgò dicuntur *instrumenta*; sed nulla causa queit alteri deservire, nisi per aliquam actionem pro-

propriam, quæ est quasi vehiculum actionis & motionis causæ principalis: aliàs frustra assumeretur vt instrumentum, vt eleganter notat Div. Thomas infrà quæst. 45. art. 5. per hæc verba: *Causa instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi inquantùm per aliquid sibi proprium dispositivè operatur ad effectum principalis agentis. Si ergo nihil ibi ageret, secundùm illud, quod est sibi proprium, fruſtrà adhiberetur ad agendum. Neque oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Sic enim videmus, quòd securis scindendo lignum, quod habet ex proprietate suæ formæ, producit scamni formam, quæ est effectus proprius principalis agentis*: Ergo de ratione causæ instrumentalis est, quòd habeat aliquam actionem præviam. Per hoc etiam distinguitur instrumentum, tùm à causa principali, tum à puro, & mero subiecto; à causa principali, quæ, quia non agit in virtute alterius, sed in virtute propria, neque vt talis alteri superiori deservit, non oportet, quòd habeat duas actiones, ex quibus vna alteri deserviat: à puro & mero subiecto, quia purum & merum subiectum nequit deservire virtuti, & actioni causæ superioris, nisi vt merè sustentativum illarum; quod non est deservire instrumentalitèr, siquidem instrumentalitèr deservire est ministrare operando, quare instrumentum inter causas activas computatur.

40 Ex his oritur alia conditio, quæ distinguit instrumentum proprium à causa principali rigorosa, quòd causa principalis intendit persè primò operari effectum sibi proprium & similem; causa instrumentalis non ita, sed effectum ipsius causæ principalis, & illi similem. Et ratio est: quia causa instrumentalis vt distincta à principali præcipuè intendit ministrare & servire causæ superiori, seu principali: ergo persè primò intendit effectum illius. Et sic serra, dum assumitur vt instrumentum, non producit serram, sed scamnum, quod est simile ideæ artificis: neque dum Princeps scribit per alium, effectus evadit similis instrumento scribenti, sed Principi. Ex quo provenit, quòd instrumentum operetur effectum causæ principalis per virtutem, quæ non fiat sibi propria, neque sit subiecta proprio motui, & vsui. Si enim habet virtutem (estò ordinis superioris) propria natura, vt suam, & proprio vsui subiectam, idem est, ac si esset orta ex propria natura: & non alteri, sed sibi deserviret. Totum hoc mira energia docet D. Thomas 3. p. quæst. 62. art. 1. per hæc verba: *Dicendum, quòd duplex est causa agens, principalis, & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit ::: Causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum, quo movetur à principali agente. Vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis.*

41 Nota *vltimò*, esse contra rationem instrumenti, quòd moveatur à se; ac proinde omnem causam, quæ in operando movetur à se, esse causam principalem vt distinctam ab instrumentali. Et ratio est: quia de ratione instrumenti est, quòd non agat effectum per formam propriam, sed per motionem & virtutem principalis; neque intendit assimilare sibi effectum, sed causæ principali: ergo est contra rationem instrumenti, quòd moveatur à se. Patet consequentia: Nam omne id, quod movetur à se, agit per formam sibi subiectam & propriam, vt ex se liquet, & assimilat sibi effectum in vitalitate, quia de ratione vitæ est moveri à se. Hanc rationem desumpsimus à D. Thoma 3. Contra gent. cap. 112. vbi ait: *Quod ab altero tantùm agitur, rationem instrumenti habet: quod verò persè agit, habet rationem principalis agentis: instrumentum autem non quæritur propter se, sed vt eo principale agens vtatur.* Unde perpetuò docet Div. Aug. quòd instrumentum non operatur, nisi inquantùm est motum à principali agente. In summa volumus dicere in hoc prænotabili, quòd instrumentum, quodcumque illud sit, se habet merè passivè tum ad motionem illud elevantem, tum ad actionem causæ principalis immediatè productivam sui effectus. Pro quo videndi sunt N. Compl. abbrev. in Physic. disp. 12. num. 11.

42 Ex proximè dictis deducitur alia conditio propriſsima instrumenti vt instrumentum est, nempè, quòd eius elevatio non sit qualitas aliqua ex natura sua permanens, sed quid fluidum, viale, & incompletum. Hoc etiam perpetuò docet D. Thomas, maximè 3. part. quæst. 64. art. 3. & art. 4. vbi ait: *Instrumentum non operatur, nisi inquantùm est motum à principali agente, quod persè operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens, & completum* esse *in natura: virtus autem instrumentalis habet* esse *transiens ex vno in aliud, & incompletum: sicut & motus est actus imperfectus ab agente.* Quod adeò est verum, vt meritò dixerit Ang. Doct. 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. *Impossibile est, quòd principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualitèr manens in anima.* Ratio est: Nam de ratione habitus est, quòd sit subiectus illum habenti: habitibus enim vtimur, prout volumus; sed motio instrumentaria non est subiecta instrumento, sed agenti principali, vt suprà probavimus: ergo contra rationem instrumenti est, quòd eius elevatio sit qualitas ex natura sua permanens. *Accedit*: quòd motio instrumentaria solùm datur, vt instrumentum deserviat causæ principali, & vt vnicè moveatur ad agendum: ergo cessante operatione, cessat motio; sed habi-

habitus non cessat cessante operatione, quia datur in subiecto, vt illo possit vti, quando voluerit: ergo. Diximus, quòd elevatio instrumenti non sit qualitas *ex natura sua permanens*: Per quod denotare volumus, quòd non est idem, qualitatem multùm durare, ac esse ex natura sua permanentem: quia motio ignis inferni erit æterna; & tamen non est ex natura sua permanens, quia tantùm durat, quantùm actio ipsa: neque est idem parùm durare, ac esse ex natura sua transeuntem: nam gratia habitualis est ex natura sua permanens; & potest durare præcisè per vnicum instans.

§. II.

Sententia Thomistica.

43 DIcendum est, intellectum creatum vt perfusum lumine gloriæ esse causam principalem visionis beatæ. Hæc conclusio est valdè consona doctrinæ D. Thomæ locis suprà relatis, eumque sequuntur omnes eius Discipuli. Et probatur multiplici ratione deducta ex præiactis prænotabilibus. Prima est: nam de ratione instrumenti rigorosi est, quòd operetur purè ministerialitèr inserviendo causæ principali; sed intellectus perfusus lumine gloriæ non influit præcisè ministrando & inserviendo alteri causæ superiori: ergo non concurrit instrumentalitèr, sed principalitèr in eam. Maior constat ex secundo prænotabili adducto num. 38. Et minor probatur: Nam idem est influere ministrando & inserviendo causæ superiori, ac ministrare causæ principali: ergo visio beata esset propria actio Dei, cui ministraret; sed implicat in terminis visionem beatam creaturæ esse propriam actionem Dei, aliàs Deus esset videns per eam: ergo intellectus perfusus lumine gloriæ non influit præcisè ministrando & inserviendo alteri causæ superiori.

44 Probatur *secundò* conclusio, & simul præcedens ratio explicatur: De ratione causæ instrumentalis vt distinctæ à causa principali, & mero subiecto est, quòd habeat aliquam actionem præviam, per quam ministerialitèr deserviat causæ principali; sed intellectus perfusus lumine gloriæ nullam habet actionem præviam, per quam deserviat visioni beatæ, & lumini gloriæ, quatenus sunt actio & virtus causæ principalis: ergo non concurrit instrumentalitèr. Maior, si verum est tertium prænotabile adductum num. 39. est omninò certa. Et minor nequit aliter probari, nisi ipsi Adversarij eam assignent; quod haud facilè præstabunt.

45 Possunt nihilominus dicere, quòd ipsa visio potest considerari duplicitèr, secundùm gradum genericum, & secundùm differentialem: inter quas formalitates hoc est discrimen, quòd intellectus vi sua naturali producit visionem secundùm gradum genericum, secundùm quem exercet rationem actionis præviæ; sed ipsamet visio secundùm vltimam differentiam est actio correspondens Deo agenti principali. Vel possunt dicere, quòd ipsa visio vt vitalis, quo pacto correspondet proximè intellectui, est actio prævia ad seipsam vt supernaturalem, quo modo procedit à lumine gloriæ. Neque oportet, quòd inter prædictas formalitates detur distinctio realis, sed sufficit virtualis; sicut iuxta nostrum modum dicendi insinuatum num. 37. ipsa visio beata secundùm tendentiam specificam ad obiectum est actio prævia ad seipsam sub ratione vltimæ actualitatis. Et iuxta N. Complut. abbrev. lib. *de Gener.* disp. 15. num. 64. conceptus vniversalissimus *entis* est proprius effectus Dei, productus instrumentalitèr ab agente creato, cui correspondet tanquam effectus prævius conceptus specificus, à quo ille non distinguitur realitèr.

Contrà est: Nam estò prædicta doctrina possit, & debeat sustineri; nequit tamen applicari vlli modo, quem præsefert prædicta evasio: Non primo: tum, quia intellectus non habet ex se virtutem proximam in visionem beatam sub conceptu generico consideratam, vt latiùs dub. seq. à num. 76. ostendemus. Tum, quia ex hoc modo dicendi sequitur, quòd intellectus se habeat merè passivè in ordine ad eam secundùm vltimam suam differentiam; quod quàm falsum sit ex subsequenti ratione constabit. Neque secundo: quia lumen gloriæ est tota ratio proxima agendi in visionem beatam, vt exprofessò probabimus dub. seq. à num. 65. ergo vel tota visio est ab intellectu instrumentalitèr, vel principalitèr.

46 Probatur *tertiò* conclusio ratione, & simul præcedentes magis expenduntur. Nam contra rationem causæ instrumentalis est, quòd ita sit mota ab actione causæ principalis, quòd simul sit agens respectu illius; vel (vt compendiosiùs loquamur) de ratione causæ principalis est, vt possit moveri à se; & de ratione instrumenti, vt sit purè motum ab alio; sed intellectus eliciendo visionem verè movetur à se: ergo non est causa instrumentalis illius, sed principalis. Maior liquet ex vltimo prænotabili. Et minor probatur: Nam officium vitæ est moveri à se; sed visio beata est vitalis vitalitate non solùm naturali, sed etiam supernaturali, vt probabimus dub. seq. num. 69. ergo intellectus movetur à se eliciendo visionem beatam.

47 Respondebis, rationem hanc falsificari in instrumentis animatis, de quibus ait D. Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 3. ad 2. & 3. part. quæst. 7. art. 1. ad 3. non solùm agi, sed etiam agere, ad distinctionem instrumenti inanimati, quod nullo modo agit, sed solùm agitur: quæ doctrina nequit habere locum de actione prævia, respectu cuius omne instrumentum sivè animatum,

tum, sivè inanimatum est principium activum. Igitur distinctio inter vnum, & aliud stat in eo, quòd instrumentum animatum etiam agit actionem principalis agentis, secùs verò instrumentum inanimatum.

Qui ita respondent non penetrant vires prædictæ rationis, & doctrinam D. Thomæ. Pro qua enucleanda recolendum est, quod ex ipso Angelico Præcept. diximus suprà num. 41. nempè, quòd causa principalis agit persè, secùs verò instrumentalis: ergo nulla est causa instrumentalis, quæ in ordine ad actionem causæ principalis moveatur à se. *Accidit*: Nam nulla causa instrumentalis sivè animata, sivè inanimata agit actionem causę principalis per formam suo vsui expositam; hoc enim est proprium causæ principalis; sed causa, quæ movetur à se, agit per virtutem suo vsui expositam: ergo idem quod priùs.

Igitur discrimen intentum à D. Thomâ inter instrumentum animatum, & inanimatum non est per ordinem ad actionem principalis agentis, sed in ordine ad actionem præviam, quæ aliter comparatur ad vnum, & ad aliud: nam ad instrumentum inanimatum ita comparatur, vt hoc illam non agat, nisi vt motum ab alio agente extrinseco, nempè, à causa principali (& ob hanc causam de eo dicit D. Thomas, quòd tantùm agitur) vt liquet in ferra, quæ non agit suam actionem præviam, videlicèt, scindere, nisi vt mota ab artifice. Ad instrumentum autem animatum comparatur tanquam ad id, quod, vt agat actionem præviam, non indiget motione exterioris agentis, neque agentis principalis, sed, eo ipso quòd tale, à seipso movetur ad eliciendam actionem præviam, vt liquet in Sacerdote consecrante, seu absolvente: & propterea de hoc inquit D. Thomas, quòd non solùm agitur, sed etiam agit.

48 Probatur *quartò* conclusio, ex his quæ prænotavimus num. 40. Nam de ratione causæ instrumentalis est assimilare effectum non sibi, sed causæ principali; sed intellectus vt perfusus lumine gloriæ assimilat sibi visionem beatam: ergo non concurrit ad eam instrumentaliter, sed principaliter. Minor probatur: Nam actus vitalis, liber, & voluntarius non evadit similis agenti extrinseco, sed intrinseco, cùm agens extrinsecum media motione instrumentaria non agat vitaliter, liberè, & voluntariè: ergo cùm visio sit actus vitalis, & actus charitatis sit vitalis, liber, & voluntarius, solùm evadunt similes intellectui, & voluntati.

Confirmatur hæc ratio: Nam intellectus creatus agit visionem beatam per lumen tanquàm per formam propriam, & sibi subiectam: ergo non elicit illam instrumentaliter, sed principaliter. Consequentia liquet ex dictis loco proximè relato. Antecedens verò probatur: Ita se habet voluntas vt elevata habitu charitatis in ordine ad amorem Dei, sicut intellectus vt perfusus lumine gloriæ in ordine ad visionem beatam; sed voluntas vt elevata habitu charitatis elicit amorem Dei per eum tanquam per formam propriam, cùm eo vtatur quandò, & quomodò ipsa voluerit: ergo etiam intellectus elicit visionem beatam per lumen gloriæ tanquam per formam propriam.

49 Probatur *quintò* nostra conclusio: Nam ad rationem instrumenti essentialiter petitur, quòd agat effectum causæ principalis per motionem fluidam, & ex natura sua transeuntem, non per habitum; sed beatus, & Christus eliciunt visionem beatam per lumen gloriæ, quod propriè est habitus: ergo intellectus beati, & Christi non eliciunt visionem beatam instrumentaliter, sed principaliter. Maior ex prænotatis num. 42. satis liquet. Minor verò perpetuò traditur à D. Thoma, vt videri potest locis citatis num. 33. alijsque pluribus.

Respondebis, ex hac ratione saltem inferri, D. Paulum elicuisse instrumentaliter visionem beatam, quam habuit in raptu, cùm illam elicuerit medio lumine ex natura sua transeunti; idemque inferri de mente Prophetæ in ordine ad actum propheticum. ¶ Sed contrà est: Nam aliud est, causam quandoque influere principaliter per auxilium transiens, aliud verò influere instrumentaliter per habitum; sed licèt primum sit possibile, non verò secundum: ergo tota hæc responsio ruit. Minor probatur: Ideò causa quandoque potest influere principaliter per auxilium transiens, quia per illud potest producere effectum sibi similem, & non alteri causæ superiori; & sic contigit D. Paulo in raptu, cuius visio erat etiam transiens, sicut auxilium, & aliundè erat perfectè vitalis, proindeque evasit omninò similis intellectui D. Pauli vt illustrato lumine transeunti, idemque contigit in mente Prophetæ; sed instrumentum, dum agit effectum causæ principalis, non intendit assimilare illum sibi, neque potest illum producere vitaliter: ergo &c.

§ III.

Aliæ rationes pro nostra conclusione.

50 PRobatur *sextò* conclusio: Si intellectus creatus perfusus lumine gloriæ eliceret instrumentaliter visionem beatam, oculus corporeus posset elevari ad attingendum Deum prout est in se; sed hoc repugnat, vt diximus disp. 1. num. 53. ergo intellectus creatus non elicit instrumentaliter visionem beatam. Maior probatur: Nam quælibet potentia potest elevari, vt instrumentaliter attingat effectum, qui est extra latitudinem sui obiecti specificativi, nisi obstet ei vitalitas operationis, per quam attingeret huiusmodi effectum; sed se-

semel concesso, quòd intellectus elicit instrumentalitèr visionem beatam, non officit ei vitalitas operationis ad concursum instrumentalem: ergo oculus corporeus posset elevari ad attingendum Deum prout est in se. Maior, in qua poterat esse difficultas, liquet in ferra, quæ elevatur ad attingendum instrumentaliter effectum vt artificiosum, qui est extra latitudinem sui obiecti specificativi: similitèr in aqua, quæ elevatur ad producendam gratiam, quæ non continetur intra latitudinem sui obiecti specificativi.

Explicatur hoc: Contra rationem instrumenti est, quòd ex se habeat virtutem radicalem ad attingendum effectum causæ principalis, vt liquet in exemplis proximè allatis; sed intellectus secundùm se habet virtutem radicalem ad attingendum Deum prout est in se: ergo dum elevatur per lumen gloriæ tanquam per virtutem proximam, non elicit visionem beatam instrumentalitèr. Minor probatur: quia omnis potentia habet virtutem saltùm radicalem ad attingendum suum obiectum specificativum; aliàs nullum solidum fundamentum esset, cur Deus prout in se contineatur intra obiectum specificativum intellectus creati, & non visus corporei.

Explicatur magis: Nullus actus connaturalis potentiæ procedit ab ea instrumentalitèr; sed visio beata est connaturalis intellectui elevato lumine gloriæ: ergo non procedit ab eo instrumentalitèr. Minor est certa: nam omnis actus supponens naturam eiusdem ordinis provenit ab ea connaturalitèr; gratia autem est natura operationum supernaturalium, per quam anima sit ordinis divini, & veluti Deiformis; rursùs essentia divina non vnitur menti beatorum nisi medio lumine gloriæ tanquam dispositione proportionata: quæ satis indicant, visionem beatam esse connaturalem intellectui perfuso lumine gloriæ. Maior verò probatur: Nam actus procedens instrumentalitèr à potentia non intenditur propter ipsam potentiam, sed propter causam principalem: ergo non debet esse connaturalis, nisi causæ principali: Et sic gratia non est effectus connaturalis aquæ baptismalis, sed tantùm Dei.

51 Neque proderit recursus ad potentiam generativam, quæ instrumentalitèr producit substantiam; & tamen est obiectum specificativum illius, & effectus connaturalis sui. Non, inquam, proderit. Nam ideò potentia generativa respicit substantiam vt obiectum specificativum & effectum connaturalem, licèt concurrat instrumentalitèr, quia non est instrumentum rigorosum, sed virtus instrumentaria per modum potentiæ, quæ à principio dimanat à substantia vt virtus eius connaturalis. *Accedit*: Quia potentia generativa solùm agit vitalitèr in infimo gradu vitalitatis; & aliundè dimanat ab anima vt potentia instrumentaria intendens assimilare effectum non sibi, sed substantiæ à qua dimanat; sed intellectus operatur visionem beatam, quatenus est vitalis in supremo gradu vitalitatis, assimilans sibi effectum per formam sibi factam propriam, nempè, essentiam divinam per modum speciei: ergo ideò potentia generativa attingat instrumentaliter suum obiectum specificativum, & hoc sit ei connaturale, secùs alteri instrumento: proindeque vel intellectus non attingit connaturalitèr Deum prout est in se; vel attingit eum vt causa principalis.

52 Probatur *septimò* nostra conclusio ratione desumpta ex D. Thoma quæst. vnic. *de Charit.* art. 1. & 2. 2. quæst. 23. art. 2. quę potest reduci ad hanc formam: Voluntas elevata habitu charitatis non concurrit instrumentalitèr ad actum illius: ergo neque intellectus illustratus lumine gloriæ ad visionem beatam. Consequentia à paritate constat. Et antecedens probatur: Nam si voluntas concurreret instrumentalitèr ad actum charitatis, non mereretur per eum; sed hoc est hæreticum: ergo non concurrit instrumentalitèr. Sequela probatur: Huiusmodi actus non esset ei voluntarius: ergo neque meritorius. Antecedens probatur: Tum, quia de ratione agentis voluntarij est agere secundùm formam propriam, sed instrumentum non agit secundùm formam propriam: ergo non esset voluntarius. Tum etiam: quia in instrumento non est potestas ad agendum, & non agendum; cùm vnicè agat vt motum à causa principali: ergo non esset voluntarius. Hanc rationem tetigit D. Thomas vtroque loco suprà relato vbi ait: *Omne agens, quod non agit secundùm formam propriam, sed solùm secundùm quòd est motum ab altero, est agens instrumentalitèr tantùm, sicut securis agit prout mota ab artifice. Sic igitur si anima non agit actum charitatis per aliquam formam propriam, sed solum secundùm quòd est mota ab exteriori agente, scilicet, Spiritu sancto, sequeretur, quòd ad hunc actum se haberet sicut instrumentum tantùm: non ergo in homine erit hunc actum agere, vel non agere, & ita non poterit esse meritarius.*

53 Sed objicies: Quis habens charitatem vt quatuor, & eliciens actum charitatis vt octo, elicit illum instrumentalitèr; & tamen huiusmodi actus non solùm secundùm gradum, quo non excedit, sed etiam secundum quos excedit, est voluntarius & meritorius, aliàs non posset sibi mereri augmentum gratiæ, & charitatis: ergo.

Pro solutione huius obiectionis scito, quòd ad eliciendum actum charitatis vt octo ab habente charitatem vt quatuor, præter habitum charitatis vt quatuor est necessarium auxilium aliquod transiens elevans totum complexum ex voluntate & charitate: ad modum quo suprà num. 37. diximus de intellectu vt perfuso lumi-

ne gloriæ in ordine ad visionem beatam secundùm expressionem vltimæ actualitatis : quod auxilium etsi sit absolutè imperfectius habitu charitatis ; excedit tamen illum in actualitate, sicut ipse actus; vnde queit esse sufficiens elevatio ad eliciendum actum vt octo , ad quem gradum sola charitas vt quatuor non sufficit

Quo prænotato, respondent N. Salmant. tract. 15. disp. 2. num.244. concedendo,quòd voluntas vt affecta charitate vt quatuor , & huiusmodi auxilio transeunti concurrit instrumentaliter ad modum vt octo.Quod non obstat, vt talis actus quoad modum intensionis sit voluntarius & meritorius:quia ad hoc sufficit,quòd ipsa voluntas media charitate eliciat principaliter huiusmodi actum quoad substantiam operationis , in qua fundatur modus maioris intensionis,proindeque si moveturà se in ordine ad substantiam operationis , non elicit modum intensionis cum omnimoda necessitate , sed sola necessitate orta ex suppositione libera influendi in substantiam operationis. Quæ solutio confirmari valet exemplo visionis,prout dicit vltimam actualitatem : ad quam intellectus non se habet totaliter passivè , quia movetur à se in ordine ad eam , prout dicit tendentiam specificam ad obiectum , secundùm quem conceptum fundat seipsam secundùm alium.

54 Sed hæc solutio , nisi aliquid ei superaddatur , videtur insufficiens. Nam ille actus intensus vt octo,vel est ex natura sua permanens; vel transiens ? Si dicatur secundum : ergo non concurrit instrumentaliter , sed principaliter ad gradum vt octo , propter dicta num.49. Si dicatur primum : ergo etiam voluntas per auxilium transiens potest concurrere instrumentaliter ad substantiam operationis.

Nihilominus respondetur , sustinendo solutionem datam. Pro cuius maiori luce supponendum est , actum charitatis , qui regulariter fit à nobis, esse ex natura sua permanentem;cum idem numero possit continuari in patria , vt probabilius docent Theologi contigisse in Beata Virgine ; & amor beatificus nequit non gaudere eadem permanentia intrinseca, quam habet visio beata.Cum quo rectè cohæret,quòd divinitùs possit dari aliquis actus charitatis ex natura sua transiens , specie distinctus ab eo quem habent beati , vt de visione Div. Pauli supradictum est.

In qua suppositione duo dicenda sunt.Primum est, quòd si actus fuerit formaliter transiens , per auxilium potest voluntas concurrere ad eum vt causa principalis. Si verò fuerit formaliter immanens , nequit voluntas elevari per auxilium , vt attingat illum quoad substantiam instrumentaliter , licèt possit elevari , & defactò elevetur ad attingendum instrumentaliter actum vt intensum. Et ratio discriminis est iam tacta: Nam repugnat actus charitatis, qui saltem quoad substantiam non sit voluntarius ; si autem concurreret instrumentaliter ad substantiam actus , adæquatè esset involuntarius , cùm nullo modo moveretur à se. Aliter tamen contingit in actu vt intenso,qui saltem quoad substantiam est voluntarius , & vt intensus est voluntarius fundamentaliter. Secundùm est, quòd actus secundùm modum intensum vt octo potest considerari adhuc duplicitèr,vel quatenus explicat permanentiam , vel quatenus dicit tendentiam vt octo ad obiectum , in qua potest præscindi à permanentia.Igitur voluntas vt elevata per charitatem & auxilium , licèt concurrat instrumentaliter ad actum vt octo , prout explicat permanentiam ; concurrit tamen principaliter ad eum etiam vt octo, quatenus à permanentia præscindit. Cuius aptissimum exemplum potest desumi ex N.Salmant. qui aiunt , quòd actus producens habitum , producit illum principaliter secundùm se , sed instrumentaliter prout explicat permanentiam , quia sub hac expressione excedit actum. Similiter habitus producit principaliter actum secundùm se , sed instrumentaliter prout explicat maiorem actualitatem.

§ IV.

Oppositaopinio:

55 OPpositum opinandi modum tenet Suarez locis relatis à Mag. Ferre num. 867. A quo non multùm recedunt Vazquet hic disp. 46. cap. 2. Arrubal disp. 19. cap. 7.& alij ex eadem familia, quatenus aiunt,quòd omnis potentia , quæ indiget elevatione,est instrumentum , esto elevatio ipsa sit causa principalis.

Arguitur *primò* ex D.Thoma in 4.dist. 8. quæst. 2. art. 3. ad 2. vbi sic ait : *Nulla creatura potest agere ea , quæ sunt supra naturam quasi principale agens ; potest tamen agere quasi agens instrumentale à virtute increata motum : quia sicut creaturæ inest obedientiæ potentia , vt in ea fiat , quidquid creator disposuerit ; ita etiam vt ea mediante fiat , quod est de ratione instrumenti.* Ex quibus verbis sic arguitur : Nulla creatura potest principaliter influere in id, quod est supra propriam naturam; sed videre Deum est supra naturam intellectus creati : ergo nequit videre Deum vt causa principalis.

Et confirmatur ex eodem Angelico Magist. 2. 2. quæst. 173. art. 4. vbi inquit: *Dicendum, quòd in revelatione prophetica movetur mens Prophetæ à Spiritu-sancto, sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis* : Ergo idem debet dici de intellectu vt perfuso lumine gloriæ in ordine ad visionem beatam.

Ad argumentum respondetur, D. Thomam vel non loqui de instrumento rigoroso , iuxta pro-

proximè dicenda ; vel loqui de illa creatura, quæ in ordine ad entia supernaturalia non habet virtutem radicalem, sicut aqua baptismalis comparatur ad gratiam. Certum enim est , quòd aliter se habet causa , quæ ex se habet virtutem saltem radicalem in ordine ad effectum excedentem se , ac causa quæ non habet ex se virtutem radicalem ad illum : nam prima non se habet merè passivè ad effectum ; aliàs superflua foret prædicta virtus radicalis in ordine ad talem effectum : secunda verò se habet merè passivè ad eum : Et ex hoc provenit , quòd talis effectus continetur intra obiectum specificativum causæ primi generis , quia habet coaptationem essentialem ad illum ; sed respectu causæ secundi generis est extra obiectum specificativum. Stante igitur hac diversitate inter vnam, & aliam, nequit non modus earum causandi esse diversus in hoc, quòd prima causet principalitèr, & alia instrumentalitèr ; quòd vna causet effectum excedentem se vt se movens, & alia vt purè mota. Pro quo recolantur omninò , quæ diximus disp. 1. n. 31.

Ad confirmationem respondetur egregio quodam testimonio D. Thomæ quæst. 24. *de Verit.* art. 1. ad 5. vbi ait : *Instrumentum duplicitèr dicitur. Vno modo propriè: quando, scilicet, aliquid ita ab altero movetur , quòd non confertur ei à movente aliquod principium talis motus , sicut serra movetur à carpentario: & tale instrumentum est expers libertatis. Alio modo dicitur instrumentum magis communitèr quidquid est movens ab alio motum, sivè sit in eo principium sui motus , sivè non: & sic ab instrumento non oportet, quòd omninò excludatur ratio libertatis : quia aliquid potest esse ab alio motum ; quod tamen seipsum movet.* Igitur quando D. Thomas inquit, quòd mens Prophetæ movetur à Deo sicut instrumentum , loquitur de illo large accepto non extrahens illud à ratione causæ principalis rigorosæ. In quo sensu etiam loquebatur, quando 3. Contra gent. cap. 100. aiebat : *Cùm Deus sit primum agens , omnia , quæ sunt post illum , sunt quædam quasi instrumenta Dei.* Et 1. 2. quæst. 21. art. 4. ad 2. vbi ait : *Homo sic movetur à Deo vt instrumentum ; quod tamen non excludit , quin moveat seipsum per liberum arbitrium.* Et quod hæc sit mens D. Thomæ in testimonio nobis obiecto liquet : Nam sicut liberum arbitrium ita movetur à Deo in ordine ad actum liberum , quòd etiam movetur à se ; ita mens Prophetæ sic movetur à Spiritu-sancto, quòd etiam moveatur à se ; cùm actus præcipuus propheticus sit visio seu cognitio, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 176. art. 2. in corp. de cuius ratione essentiali est, quòd sit actus vitalis, & de ratione vitæ est moveri à se.

56 Arguitur *secundò* : Illa est causa instrumentalis , quæ habet effectum excedentem naturam virtutem ; sed visio beata excedit virtutem nativam intellectus creati: ergo est causa instrumentalis. Minor est certa. Et maior probatur: Aqua calida est instrumentum respectu calefactionis; non alia ratione, nisi quia calefactio excedit virtutem nativam aquæ : ergo illa est causa instrumentalis , quæ elicit effectum excedentem se.

Neque prodest dicere , quòd aqua non est instrumentum ignis , quia solum se habet merè sustentativè ad calorem, & per nullam actionem præviam ei subministrat. Non, inquam, prodest, quia non erit difficilè assignare aquæ aliquam actionem præviam , ratione cuius subministret calori : vel quia actio prævia multoties non est actio rigorosa : vel quia humectare est sufficiens actio prævia, per quam subministrat calori.

Confirmatur *primò* : Illa est causa instrumentalis , quæ agit vt mota & elevata ab alia; sed intellectus creatus non elicit visionem beatam , nisi vt motus & elevatus à Deo : ergo est causa instrumentalis illius. ¶ Confirmatur *secundò* : Nam causa principalis est illa, quæ operatur per propriam formam proportionatam cum effectu ; sed intellectus creatus non elicit visionem beatam per formam, aut virtutem propriam : ergo.

Ad argumentum respondetur , sustinendo solutionem inter arguendum datam. Cui non officit replica ibi adducta : Nam ex duplici capite deficit aquæ ratio causæ propriè instrumentalis: Primò , quia non habet actionem præviam, media qua dispositivè concurrat ad calefactionem. Nam hæc est differentia inter instrumenta divinæ virtutis , & instrumenta agentium naturalium, quòd agentia naturalia vtuntur instrumentis ex indigentia , & eo ipso actio prævia debet esse rigorosè actio ex se conducens ad effectum causæ principalis. Deus verò non vtitur instrumentis ex indigentia : vnde neque requiritur, quòd actio prævia sit rigorosa actio ; neque petit aliquam conducentiam cum effectu à se intento : & sic calefactione potest vti vt instrumento ad frigefaciendum. In aqua autem nulla est actio prævia , quæ conducat ad calefaciendum , ideòque non concurrit dispositive & instrumentalitèr ad calefactionem, sed se habet vt merum subiectum sustentativum caloris. Ex alio capite non est causa instrumentalis: scilicèt, quia calor receptus in aqua producit principalitèr alterum calorem in manu , cùm sit eiusdem speciei , & perfectè ei similis. Cæterùm intellectus vt perfusus lumine gloriæ ex vna parte non habet aliquam actionem præviam deservientem visioni beatæ ; & aliundè non se habet merè passivè ad eam , & his de causis non est causa instrumentalis, sed principalis illius.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd ad rationem instrumenti rigorosi , de quo in præsenti, non sufficit, quòd sit motum & ele-

vatum ab alio, sed insuper requiruntur omnes conditiones, quas §. 1. annumeravimus, quæ nequeunt adaptari intellectui etsi moto & elevato per lumen infusum à Deo, & consequenter neque potest esse causa instrumentalis. ¶ Ad secundam respondetur, instrumentum esse illud, quod non concurrit per virtutem seu formam propriam tàm proximam, quàm remotam; causam verò principalem esse illam, quæ influit per formam propriam & proportionatam radicalem, & per formam quasi alienam, hoc est, derivatam ab alio elevante, factam tamen propriam. Et hoc modo se habet intellectus in ordine ad visionem beatam.

57 Arguitur *tertiò*: Intellectus non elicit visionem beatam nisi per vires obedientiales; sed de ratione potentiæ obedientialis est moveri, non movere: ergo non concurrit principaliter in eam. *Explicatur*: De ratione potentiæ obedientialis est se habere purè non repugnanter; sed se habere purè non repugnanter est solùm moveri: ergo si intellectus solùm concurrit per potentiam obedientialem in visionem beatam, se habet merè passivè ad eam. ¶ Confirmatur *primò*: Nam actus visionis est adæquatè supernaturalis: ergo intellectus ratione illius non vivit vita naturali, sed supernaturali: ergo proximè influit in eam ex concursu luminis, non ex concursu suæ innatæ virtutis; sed hoc est proprium genium causæ instrumentalis: ergo ¶ Confirmatur *secundò*: De ratione instrumenti operantis propria virtute est operari remotè in actu causæ principalis; sed intellectus non operatur proximè visionem beatam per propriam virtutem; cùm sit ei omninò improportionata: ergo agit eam instrumentaliter.

Ad argumentum respondetur, prænotando ex dictis disp. 1. num. 31. duplicem esse potentiam obedientialem, aliam purè passivam, quæ dicitur talis in ordine ad effectus miraculosos, & est generalis cuilibet creaturę: aliam magis specialem partim passivam, & partim activam, quæ in ordine ad suum obiectum specificativum est activa radicaliter, & passiva in ordine ad auxilium elevans. Igitur de ratione instrumenti est prima, non secunda; intellectus autem habet hanc specialem potentiam obedientialem in ordine ad visionem beatam, cùm Deus prout in se contineatur sub obiecto specificativo illius: & ob hanc rationem est causa principalis. Quod fiet clarum, si fiat reflexio supra ipsum intellectum, qui verè & propriè denominatur *videns*, & *intelligens* per visionem, & non ipse Deus: quod est manifestum signum, quòd non sit purè motus, sed quòd movetur à se in eliciendo ipsam visionem; quod est contra rationem instrumenti, vt argumentum innuit. Per quod constat ad explicationem.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd dupliciter potest intelligi, intellectum concurrere ad visionem beatam, vel per modum *potentiæ*, vel per modum *virtutis*. Si consideretur concursus eius per modum *potentiæ* in visionem beatam, est non minùs proximus, ac concursus luminis gloriæ: quia ex concursu potentiæ & habitu integratur proximum principium adæquatum visionis, & alterius cuiuscumque actus; & hoc est contra rationem instrumenti, quod nullo modo proximè concurrit ad effectum causæ principalis. Si consideretur per modum *virtutis*, solùm concurrit radicaliter per suam nativam virtutem, & proximè per lumen gloriæ; quod sufficit, vt tota visio, sit vitalis vitalitate supernaturali. Hic tamen concursus radicalis per modum virtutis non ita intelligendus est, quòd in eo detur aliquis concursus prævius, distinctus ab eo, quem præstat ratione luminis, sed se habet ad modum, quo substantia ratione potentiæ proximæ operativæ præstat eundem influxum in operationem: licèt cum hoc discrimine, quòd substantia concurrit in illam radicaliter, & potentia proximè. Et hoc est etiam contra genium causæ instrumentalis, quæ solùm concurrit dispositivè ad effectum causæ principalis, nullo modo influendo in concursum immediatum illius, sed præstando alium influxum distinctum & prævium respectu influxus causæ principalis. Per quod constat ad secundam confirmationem.

DUBIUM IV.

Vtrùm Lumen gloriæ sit totalis, & adæquata virtus proxima agendi visionem beatam?

HAnc solemnem difficultatem, cuius litigium est inter Thomistas ex vna parte, & Iesuitas, & Scotistas ex alia, vtpote ad hunc tractatum tanquam ad propriam sedem pertinentem, in præsenti excitamus sub titulo determinato *luminis gloriæ*, quamvis communis sit pro omni actu supernaturali: quamobrèm non immeritò N. Salmant. in tract. 24. ocasione virtutis pœnitentiæ illam differuerunt. Pro cuius tamen faciliori captu, & resolutione, aliqua oportet notatu digna exponere; & alia pro Catholicis, inter quos est concertatio, vt omninò certa prælibare.

§. I.

Explicatio tituli, necnon aliquæ suppositiones.

58 SUpponendum est *primò*, intellectum creatum non se habere merè passivè in ordine ad visionem beatam, sicut nec liberum arbitrium in ordine ad actus salutares. Hæc suppositio est de fide, vtpotè definita in Con-

Concil. Trident. contra Lutherum, & eius infestissimos sequaces sess. 6. canon. 4. his verbis: *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti::: sed velut inanime quoddam nihil omninò agere, merèque passivè se habere, anathema sit.*

59 Supponendum est *secundò*, intellectum sine lumine gloriæ non elicere visionem beatam, sicut nec liberum arbitrium sine gratia Dei exercere actus salutares. Hæc suppositio etiam est de fide definita in eodem Concilio & sess. can. 1. vbi ait contra Pelagium, & eius discipulos: *Siquis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam, absque divina per Iesum-Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.* Et can. 2. *Siquis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iustè vivere, ac vitam æternam promereri possit: quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed ægrè tamen, & difficultèr possit, anathema sit.*

60 Et vt ad rem magis accedamus, supponendum est *tertiò* cum communi calculo Theologorum contra N. Resol. Bachonium, gratiam, seu lumen gloriæ non esse solam conditionem elevantem, sed esse verè & propriè virtutem activam efficienter concurrentem in actum visionis, seu in actus salutares. Hæc suppositio non incongruè colligitur ex illo Sap. 9. *Mitte illam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* Et ex Apost. 1. ad Corinth. 15. *Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Non minùs colligitur ex illâ divisione apud SS. PP. & Concilia acceptissima gratiæ in gratiam *operantem*, & *cooperantem*; quæ foret inutilis, si gratia se haberet præcisè per modum conditionis.

Ratio verò fundamentalis potest desumi ex eo, quòd nulla est natura in quocumque ordine, cui non competat aliqua operatio, ad quam concurrat efficacitèr (natura enim definitur, *Principium motus eius, in quo est*, & sicut ad dandum *esse* se habet vt causa formalis, & non tantùm per modum conditionis; ita dicit ordinem ad operationem seu motum non solùm per modum conditionis, sed etiam per modum virtutis activæ) sed gratia dat *esse* in linea supernaturali, habetque rationem naturæ in eadem linea: ergo competit ei aliqua operatio, ad quam concurrit activè: ac proinde gratia, seu lumen gloriæ non se habet præcisè per modum conditionis.

Et confirmatur: Si gratia se haberet præcisè per modum conditionis in ordine ad operationes supernaturales, natura, ex se haberet vires sufficientes activas ad illas efficiendas; sed hoc est falsum. Sequela probatur: Nam quod tantum se habet per modum conditionis, non addit vires activas, vt liquet in existentia respectu suppositi, & in approximatione passi respectu ignis, v.g. (Et certe si addit vires activas, cur denegatur ei concursus activus? In hoc enim involvuntur evidenter prædicata contradictoria) sed si gratia non addit vires activas, iam illas supponit in ipsa natura secundùm se: ergo si gratia se habet præcisè per modum conditionis, natura ex se haberet vires sufficientes activas ad operationes supernaturales eliciendas. Ex quibus suppositionibus infertur, neque gratiam solam, seu lumen gloriæ elicere visionem beatam: neque intellectum solum, sed intellectum & lumen gloriæ esse principium activum adæquatum illius.

61 Sed hinc oritur discordia inter Authores Catholicos supra relatos. Nam Scotistæ, & Iesuitæ, nimis fidentes in activitate potentiæ, ei tribuunt virtutem proximam partialem in actum supernaturalem. Econtrà verò Thomistæ, extollentes necessitatem gratiæ, ei conferunt totam virtutem proximam in illum, & denegant potentiæ omnem vim activam proximam per modum virtutis. Conveniunt tamen in hoc, quòd potentia, & donum supernaturale non influunt partialiter partialitate effectus: quia cùm effectus sit omnino indivisibilis, tota visio producitur immediatè ab intellectu, & tota à lumine gloriæ. Aliter tamen, & aliter: nam intellectus per modum *virtutis proximæ* concurrit in totam visionem sub ratione *vitalis*; & lumen gloriæ in totam visionem sub ratione *supernaturalis*, vt tenet prima sententia. Vel, vt inquit secunda, intellectus concurrit per modum *potentiæ*, seu virtutis tantùm radicalis in totam visionem sub ratione *vitalis*, & *supernaturalis*; & lumen gloriæ per modum *virtutis proximæ* totalis, & adæquatæ in eandem sub vtraque ratione.

62 Iuxta quod amandandus est à limine huius quæstionis modus dicendi illorum, qui asserunt, vitalitatem repertam in actu supernaturali se habere vt genus, & supernaturalitatem vt differentiam. *Primò*: Nam genus non includitur formalitèr in differentijs, neque prædicatur formalitèr de illis, vt rectè docent N. Complut. abbrev. in Logica disp. 7. num. 12. Sed actus supernaturalis secundùm suam vltimam differentiam est formalitèr vitalis, & voluntarius, aliàs non procederet secundùm suam vltimam differentiam ab intrinseco, neque esset meritorius: ergo vitalitas non se habet in actu supernaturali vt ratio generica, & supernaturalitas vt ratio specifica. *Secundò*: Nam si vitalitas, vel voluntarietas se haberet vt ratio generica respectu supernaturalitatis, iam intellectus, & donum supernaturale concurrerent in actum supernaturalem vel totalitèr totalitate effectuum, vel partialitèr partialitate effectuum, iuxta eos qui admittunt in potentia concursum activum

immediatum in eum ; cùm effectus *qui* illorum essent formaliter diversi, & non solum rationes *subquibus*, vt cuilibet perspicienti constabit: ergo difficilè posset explicari multiplicitas concursus partialis partialitate causę, & non partialitate effectuum.

63 Per quod explosus manet modus dicendi illorum, qui aiunt, vitalitatem & supernaturalitatem esse duos conceptus inadæquatos mutuò se invicem excludentes. Nam supernaturalitas provenit formaliter ab intrinseco : ergo ipsa formalitas seu conceptus *supernaturalitatis* est intransitivè & formaliter vitalis, seu voluntarius. Patet consequentia : nam in hoc distingui tur formalitas vitalis & voluntaria à formalitate non vitali & involuntaria, quòd illa est ab intrinseco ; & ista ab extrinseco. Et antecedens probatur : Nam si non proveniret ab intrinseco, actùs supernaturalis formaliter vt talis nequiret esse meritorius:ergo provenit ab intrinseco. *Maximè*:quia stante hac distinctione conceptuum se invicem excludentium, in nulla sententia posset salvari multiplicitas causæ partialis partialitate causæ, quin daretur multiplicitas causæ partialitate effectus.

64 Maior difficultas est, an inter conceptum genericum *vitalitatis*, & *intellectionis*, & inter conceptum specificum *talis vitalitatis*, & *talis intellectionis* in eadem visione detur hæc distinctio conceptuum se abinvicem excludentium, vt supernaturalitas non includatur formaliter in conceptu generico visionis ; consequenterque an intellectus habeat ex se virtutem proximam ad conceptum genericum *vitalitatis*, & *intellectionis* ? Quod propter aliquos Thomistas disputationi subjicimus, licèt res hæc magis pertineat ad Logicam, seu Metaphysicam, quàm ad sacram Theologiam, cuius finis est contemplari liberum arbitrium, seu potentias naturales,prout potentes sunt elicere actus salutares, & conducentes ad vitam æternam: ad quod parùm, aut nihil conducit conceptus generic us, qui ex se non discernit bonos à malis, sed concipitur vt quid indifferens, & præcisum ab actibus bonis, & malis, à naturalibus, & supernaturalibus.

Ex quibus omnibus liquidò constat sensus, in quo procedit solemnissima hæc controversia inter Authores suprà relatos: An, videlicèt,lumen gloriæ ita concurrat cum intellectu ad visionem beatam,vt præstet ei totam virtutem proximam agendi in illam specificè consideratam, itaut sub nulla ratione specifica correspondeat immediatè virtuti nativæ intellectus ? Pro qua sit.

§. II.

Prima, & præcipua conclusio.

65 Dicendum est *primò*, lumen gloriæ esse totam rationem proximam agendi in visionem beatam sub conceptu specifico. Hæc sententia est adeò communis inter Thomistas, vt nullus oppositam doceat ; quidquid dicat Ripalda referens pro se finistrè Ferrariam, & Capreolum, vt videri potest in Ferre tract. *de Charit.* quæst. 7.num.9.

Et probatur *primò* ex SS. PP.Nam D.August. super illa verba Psalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtutus eorum*, in quo textu iuxta communem consensum Patrum intelliguntur Apostoli, & viri iusti, sic ait : *Non habuerunt aliquid ex se; & quasi supplementum à Domino acceperunt. Spiritu enim oris eius non pars, sed omnis virtus eorum.* Similia docet super illa verba Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere. Non ait*, inquit, *sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere ; ne quisquam putaret, saltem parvum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre.* Idem tradit lib. *de Prædestin. Sanct.* cap. 2. lib. *de Don. perfever.* cap. 13. confirmans illo dicto D. Cypriani, *In nullo nobis gloriandum, quando nostrum nihil est.* Ergo liberum arbitrium nullam virtutem, aut partem virtutis activæ habet ex se ad fructus salutares: ergo neque intellectus habet aliquam partialem virtutem proximam in visionem beatam.

Accedit D. Chrysost. qui super illa verba Apost. 2. ad Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus &c.* sic ait : *Non ita dicebam : Fiduciam habemus, vt id partim sit nostrum, partim sit Dei, sed totum illi attribuo, acceptumque fero.* Non minùs luculenter D. Bern. in suo tract. *de Gratia, & Libero arb.* loquitur, dum inquit: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in illo, & totum ex illa.* Quæ maior energia verborum potest excogitari cum sententia Thomistica prout suprà explicata?

Et confirmatur nonnullis testimonijs D. Thomæ. Nam opusc. 1. cap. 23.hæc habet:*Tali modo creatura Creatori non cooperatur, concurrendo partialiter ad eandem operationem cum ipso, sicut diceretur de duobus portantibus aliquod pondus.* Idem docet in hac 1.part.quæst. 23. art. 5. vbi ait:*Non est quid distinctum, quod est ex libero arbitrio, & ex prædestinatione: sicut nec est distinctum, quod est ex causa secunda, & causa prima.* Ex quo concludit: *Vnde & id, quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione.* Ergo vel quilibet influxus potentiæ naturalis est ex gratia, vel talis influ-

xus

xus non est ex prædestinatione; sed Adversarij fatentur influxum voluntatis, qui non sit influxus gratiæ: ergo etiam fateri tenentur contra D. Thomam, quòd non omnis influxus voluntatis est ex prædestinatione. Non minùs colligitur hæc sententia ex quadam doctrina D. Thomæ infrà ponderanda, quam tradit in hac quæst. art. 6. aliisque in locis: vbi docet, quòd non est distinctio specifica visionum, sed solùm gradualis iuxta maiorem, & minorem intensionem luminis gloriæ; sed data virtute partiali in intellectu ad visionem beatam, daretur diversitas specifica in visionibus: ergo iuxta D. Thomam non est concedenda. Minor probatur: Nam de ratione actionis est specificari à suo principio adæquato proximo; sed intellectus angelicus, & humanus differunt specie: ergo si haberent virtutem partialem proximam, visiones essent specie diversæ. Ex qua infertur alia doctrina D. Thomæ incomponibilis cum sententia Adversariorum: nam D. Thomas perpetuò asserit, quòd maior, vel minor visio beata solùm debet desumi ex maiori, vel minori intensione luminis gloriæ; sed dato quòd intellectus habeat vim proximam partialem in visionem beatam, & stante æqualitate luminum, tunc visio intellectus perfectioris esset maior, quàm visio intellectus imperfectioris; cùm nobilior potentia, agens quantùm potest, nequeat non ex se producere effectum perfectiorem: ergo iuxta doctrinam D. Thomæ nequit dari virtus aliqua partialis proxima in intellectu ad visionem beatam. Mitto alia testimonia tàm sanctorum PP. quàm D. Thomæ, quia dicta sufficiunt.

66 His authoritatibus (relictis alijs evasionibus minoris momenti) respondent communitèr Adversarij, quòd propterea SS. Patres totum attribuunt gratiæ, quia etsi potentia habeat virtutem partialem proximam, influxus tamen illius est valdè exiguus comparativè ad influxum gratiæ; insufficiensque ex se ad opus meritorium, nisi præveniatur gratia Dei. Semel autem elevata potentia potest ex se elicere aliquid conducens per se ad salutem.

Sed hæc evasio multiplicitèr refellitur. *Primò*: nam iuxta D. Augustinum sine Deo specialiter agente per gratiam non solùm exiguum fructum, sed nihil possumus facere: ergo iuxta mentem Augustini potentia nostra adhuc post elevationem nihil potest elicere conducens ad salutem. *Secundò*: Quod non est eiusdem rationis cum gratia, nequit conducere immediatè ad salutem; sed concursus partialis potentiæ non est eiusdem rationis cum gratia, vt ex se liquet: ergo nequit adhuc vt elevata elicere aliquid conducens ad salutem. *Tertiò*: Si in opere supernaturali reluceret influxus aliquis partialis potentiæ, hic non proveniret à gratia: ergo influxus hic partialis non esset verè & proprie ex gratia: ergo neque ex prædestinatione: Tunc sic; sed idemmet influxus, qui est ex libero arbitrio, iuxta D. Thomam, est etiam ex prædestinatione: ergo contra D. Thomam agit, qui concedit potentiæ influxum proximum partialem. *Tandèm*: Dato concursu partiali in potentia ad actum supernaturalem, influxus iste vel esset æqualis influxui gratiæ, vel esset præstantior: ergo vel magis, vel æqualitèr tribueretur libero arbitrio, quàm gratiæ Dei, contra dicta SS. PP. Antecedens probatur: Tum quia ex duabus causis concurrentibus partialitèr ad eundem effectum, neutra aliam determinat, cùm concurrant simultaneè: ergo æquè deberetur vni, ac alteri. Tum etiam: nam liberum arbitrium concurreret effectivè, & simul determinando influxum gratiæ; gratia verò solùm effectivè: non enim gratia esset, quæ moveret liberum arbitrium, sed econversò liberum arbitrium moveret gratiam, vel quia gratia operatur quando vult homo, & non econtrà, vel quia influxus potentiæ esset prior prioritate *à quo* influxu gratiæ: ergo influxus liberi arbitrij non solùm esset exiguus, sed etiam esset præstantior influxu gratiæ.

§. III.

Ratio fundamentalis.

67 DEinde probatur ratione fundamentali Thomistarum, ad quam reduci possunt alia fundamenta. Nam causa non præcontinens in sua virtute aliquam actionem vel effectum nequit illum producere, nisi in virtute alterius causæ superioris elevantis; sed intellectus non continet in sua virtute visionem beatam: ergo nequit habere in illam aliquem influxum partialem; ac proinde lumen gloriæ est tota virtus proxima illam agendi. Maior est certa. Et minor probatur: Visio beata saltem secundùm suam vltimam differentiam est adæquatè supernaturalis; sed actio adæquatè supernaturalis nequit præcontineri in virtute propria intellectus creati: ergo visio beata nequit contineri in virtute propria intellectus creati. Maior pronùnc supponitur cum Adversarijs. Et minor probatur: Nam virtus nativa intellectus creati est entitativè naturalis; sed actio adæquatè supernaturalis nequit præcontineri in virtute merè naturali: ergo actio adæquatè supernaturalis nequit præcontineri in virtute propria intellectus creati. Minor probatur: Actio, vel effectus superioris ordinis nequit præcontineri in virtute ordinis inferioris, aliàs daretur manifesta contradictio; sed actio adæquatè supernaturalis est ordinis superioris virtute adæquatè naturali, vt ex ipsis terminis liquet: ergo actio adæquatè supernaturalis nequit præcontineri in virtute merè naturali.

68 Huic communi, & validissimo ratiocinio Thomistarum, relictis alijs solutionibus

pra-

parvi, aut nullius momenti, potest responderi ex doctrina Adversariorum, dicendo, quod estò potentia naturalis virtute propria nequeat proximè præcontinere actum adæquatè supernaturalem sub ratione supernaturali, potest tamen vt associata virtuti supernaturali illum præcontinere sub ratione vitali, in qua non exprimitur ratio *subqua* supernaturalis, licèt implicitè importet rationes omnes supernaturales. In hanc veluti in vltimam solutionem, velint nolint, debent reducere alias: nam negata supernaturalitate adæquata in actu entitativè supernaturali secundùm suam speciem, totaliter aufertur præcipuum litigium inter nos, & Adversarios.

Sed ad refellendam hanc solutionem non opus est, nisi speciali reflexione nostræ rationis. Quæ sic *primò* instauratur: Nam idem est, potentiam secundùm se habere virtutem proximam in actum supernaturalem sub ratione vitali, ac præcontinere illum sub ratione naturalis; sed repugnat, actum adæquatè supernaturalem præcontineri in potentia naturali sub ratione explicita naturali: ergo actus adæquatè supernaturalis nequit præcontineri in virtute nativa potentiæ sub ratione vitalis. Maior probatur: Idem est, actum præcontineri in potentia naturali vt naturali, ac potentiam secundùm se habere proportionem cum huiusmodi actu sub illa ratione, qua præcontinetur; sed potentia naturalis solùm habet proportionem cum actu sub ratione naturali: ergo idem est potentiam secundùm se habere virtutem proximam, in qua præcontineatur actus supernaturalis, ac præcontineri in illa sub ratione naturali. ¶ Explicatur hoc, & simul præoccupatur quædam evasio Adversariorum. Nam intellectus (v.g.) secundùm se non solùm est vitalis vtcumque; sed explicat vitalitatem ordinis naturalis: ergo solùm habet proportionem cum actu, qui in sua ratione *subqua* explicet vitalitatem ordinis naturalis; sed repugnat actus adæquatè supernaturalis, qui permittit aliquam rationem, subqua explicet vitalitatem ordinis naturalis: ergo repugnat, actum adæquatè supernaturalem præcontineri in potentia naturali sub ratione explicita vitali. Ex quo planè colligitur, quàm parùm favet prædictæ solutioni illa assotiatio gratiæ, ad quam recurrunt Adversarij. Nam *operari* cum principio supernaturali non tollit, quòd potentia viribus proprijs naturæ operetur; sed potentiam operari viribus proprijs naturæ solùm præcontinet vitalitatem ordinis naturalis: ergo vel fatendum est, quòd potentia non habet ex se virtutem ad producendum actum supernaturalem sub nulla ratione; vel concedendum est, huiusmodi actum non esse adæquatè supernaturalem. *Maximè*; quia vt detur debita proportio inter virtutem proximam alicuius actus, & ipsum actum, oportet, quòd si actus sub ratione aliqua non explicat vitalitatem, illam tamen implicat, etiam virtus proxima, licèt non explicet vitalitatem, illam pro implicito dicat, quidquid enim habet effectus in re, debet prohaberi in sua causa proxima; sed intellectus (v.g.) secundùm nullam virtutem pro implicito importat aliquid supernaturale, & visio nihil habet, quod non sit supernaturale: ergo &c.

69 Secundò instauratur nostra ratio: Nam intellectus non habet virtutem proximam in visionem beatam sub ratione *vitalis*: ergo illa solutiò funditùs corruit. Antecedens probatur: Lumen gloriæ est virtus proxima, qua intellectus elicit visionem sub ratione *vitalis*: ergo intellectus non habet vim proximam in visionem beatam sub ratione *vitalis*. Consequentia iuxta sententiam Adversariorum debet esse certa: nam propterea Adversarij defendunt, intellectum, & lumen gloriæ esse causas partiales, quia sentiunt, intellectum concurrere in visionem sub ratione *vitalis*, & non sub ratione *supernaturalis*; & lumen gloriæ econversò concurrit in illam sub ratione *supernaturalis*, & non sub ratione *vitalis*: si ergo lumen est ratio proxima, cur intellectus illam eliciat sub ratione *vitalis*, nulla ratio remanet, sub qua eliciatur proximè ab intellectu. Antecedens verò probatur: Tum quia lumen gloriæ est virtus intrinsicè vitalis, sicut gratia, iuxta illud Ioann. 4. vbi Christus gratiam appellet *aquam vivam*: & iuxta illud Apost. ad Rom. 6. vbi ait, quòd *gratia Dei est vita æterna*: & iuxta illud Div. Thomæ 2. 2. quæst. 23. art. 2. ad 2. vbi dicit, quòd *charitas est formalitèr vita animæ, sicut & anima corporis*: ergo lumen gloriæ, seu gratia elicit visionem sub ratione *vitalis*, cùm principio vitali non repugnet producere suum effectum sub ratione *vitalis*: ergo est ratio proxima, qua intellectus elicit visionem sub ratione *vitalis*. Patet hæc vltima consequentia: nam intellectus nequit esse virtus proxima ad eliciendam visionem sub ratione explicita *vitalitatis supernaturalis*; sed dato quòd gratia sit vitalis, nequit non illam elicere sub ratione *vitalitatis supernaturalis*: ergo est virtus proxima, qua intellectus elicit visionem sub ratione *vitalis*. ¶ Explicatur: Nam dato quòd gratia eliciat visionem sub ratione *vitalitatis*, non illam elicit sub ratione vitalitatis præscindentis à supernaturali, sed sub ratione explicita vitalitatis *supernaturalis*; aliàs gratia, vt est vita animæ, non esset in ratione *vitæ* ordinis superioris vita naturali: ergo dato etiam quòd intellectus habeat virtutem proximam in visionem sub ratione *vitalis*, debet in illam influere sub ratione vitalitatis determinatè *naturalis*. Patet consequentia: non enim est ratio, cur vita supernaturalis agat actum sub ratione vitalitatis determinatè *supernaturalis*, & quòd vita naturalis non influat in eum sub ratione vitalitatis determinatè *naturalis*: ergo ne-

cessa-

cessario concedenda foret in visione duplex vitalitas, alia naturalis, & alia supernaturalis.¶ Tum etiam probatur præcipuum antecedens: Nam iuxta Adversarios non minùs dependet à voluntate actus supernaturalis vt voluntarius, quàm vt vitalis; sed gratia, seu charitas est virtus elevans voluntatem ad eliciendum actum sub ratione *voluntarij*: ergo etiam sub ratione *vitalis*. Minor probatur: Nam iuxta D. Thomam quæst. vnic. *de Charit.* art. 1. *Actus, qui excedit totam facultatem naturæ humanę, non potest esse homini voluntarius, nisi superaddatur naturæ humanæ aliquid intrinsecum voluntatem perficiens, vt talis actus ab intrinseco proveniat*: ergo necessaria est elevatio per habitum supernaturalem, vt actus formaliter evadat voluntarius: ergo habitus non solùm concurrit in illum sub expressione *supernaturalis*, sed etiam sub expressione *voluntarij*. Maximè: quia concursus partialis charitatis iuxta Adversarios potest supleri à Deo concurrente extrinsecè: tunc ergo vel esset voluntarius, vel non? Si esset voluntarius, vt recte dicunt Adversarij: ergo agunt directè contra D. Thomam, qui exposcit elevationem habitus intrinseci, vt evadat voluntarius: Si non est voluntarius (quod est impossibile) ergo habitus intrinsecus est virtus proxima, qua voluntas concurrit in illum vt voluntarium.

70 Per quæ manet præoccupatus recursus ad potentiam obedientialem proximè activam, ratione cuius intellectus, seu voluntas habeat virtutem partialem in actum supernaturalem. Tum, quia hæc potentia obedientialis activa, vel est in ordine ad actum supernaturalem sub ratione formali *supernaturalis*, vel sub ratione præcisè *vitalis*; neutrum dici potest: ergo impertinens est recursus ad potentiam obedientialem proximè activam. Minor quoad primam partem probatur: Si huiusmodi potentia concurreret proximè in actum supernaturalem formaliter vt talem, iam non esset causa partialis partialitate causæ, sed esset causa totalis, cùm per virtutem propriam eliceret non solùm sub ratione *vitalis*, quæ est propria potentiæ, vt aiunt Adversarij, sed etiam sub ratione *supernaturalis*, quæ competit gratiæ: ergo nequit elicere actum sub ratione *supernaturalis*. Quoad secundam etiam probatur: Nam si eliceret illum præcisè sub ratione *vitalis*, gratia non concurreret in eum sub expressione *vitalis*, aliàs gratia esset causa totalis tàm totalitate causæ, quàm totalitate effectus; sed gratia elicit actum supernaturalem sub ratione *vitalis*, vt ex supradictis patet: ergo huiusmodi potentia obedientialis non est proximè activa actus supernaturalis sub expressione *vitalis*. Tum etiam: Influxus huius potentiæ vel est entitativè supernaturalis, vel entitativè naturalis; neutrum dici potest: ergo omninò chimærica est hæc potentia obedientialis immediatè activa. Minor quoad primam partem probatur: Repugnat influxum potentiæ entitativè naturalis esse entitativè supernaturalem (influxus enim entitativè supernaturalis est supra vires entitativè naturales, aliundeq; omnis actualis influxus est proportionatus virtuti proximè elicitivę illius) sed omnes propugnatores, seu inventores huiusmodi potentiæ ponunt eam entitativè naturalem: ergo influxus immediatus illius nequit esse entitative supernaturalis. Quoad secundam etiam partem probatur: Nam influxus actualis cuiuslibet potentiæ, seu habitus consistit intransitivè in ipsa actione: non enim datur alius medius influxus inter potentiam & actum supernaturalem, aliàs de hoc fieret idem argumentum, & daretur processus in infinitum; sed in actu supernaturali nihil datur entitativè naturale: ergo neque potest esse entitativè naturalis.

Deinde refellitur prædicta potentia obedientialis immediatè activa vt omninò chimærica: *Primò*: quia hæc potentia ad hoc ponitur, vt creatura possit assumi vt instrumentum Dei ad opera supernaturalia, & miraculosa, vt vult Suarez primus illius Author tom. 1. in 3. part. disp. 31. sect. 6. num. 7. & 8. sed intellectus, & voluntas non concurrunt instrumentaliter ad omnes actus supernaturales, aliàs non viverent per illos, nec illos elicerent liberè & voluntariè: ergo hæc potentia obedientialis proximè activa chimærica est. *Secundò*: Nam hæc potentia est vna & eadem formaliter in omnibus creaturis sivè viventibus, sivè non viventibus, vt ibidem docet Suarez num. 12. ergo non influeret in actum supernaturalem sub ratione vitalis liberi, aut voluntarij. Patet consequentia: Nam potentia communis viventibus, & non viventibus nequit præcontinere vitalitatem seu libertatem, aliàs inanimata operarentur vitaliter, & liberè. *Tertiò*: Si defactò existeret talis potentia obedientialis immediatè activa omnium effectuum supernaturalium, esset simpliciter infinita, haberetque modum omnipotentiæ; sed repugnat dari huiusmodi potentiam creatam: ergo. Probabatur maior: Tum quia propterea docet Suarez loco suprà citato sect. 5. nullum instrumentum potuisse elevari per vnam qualitatem supernaturalem permanentem ad omnia opera supernaturalia, & miraculosa, quia adæquaret in modo agendi omnipotentiam divinam; sed hæc ratio etiam militat in potentia obedientiali proximè activa, cùm non minùs extendatur, quàm prædicta qualitas: ergo si illa qualitas esset simpliciter infinita, etiam huiusmodi potentia obedientialis proximè activa. Tum etiam & præcipuè: Nam virtus continens in se adhuc per modum causæ partialis infinitos effectus se excedentes in perfectione specifica est simpliciter infinita; sed hæc potentia esset huiusmodi: ergo non datur.

§ IV.

Aliæ rationes Thomisticæ.

71 QUamvis omnes aliæ rationes, quæ pro confirmanda nostra, & Thomistica sententia, adduci solent, facilè trahi possint ad præiactam §. præcedenti ; placet tamen illas brevitèr proponere , vt quisque illam arripiat, quæ suo ingenio magis accommodata fuerit. Probatur ergo nostra conclusio ratione: Nam tota ratio essendi in ordine supernaturali est habitus supernaturalis: ergo tota ratio proxima agendi operationem adæquate supernaturalem est virtus supernaturalis. Antecedens admittitur ab Adversarijs, quia potentia nec inadæquatè est supernaturalis. Consequentia verò probatur per inductionem: Nam in omnibus agentibus persè, tale est eorum *agere* , quale est eorum *esse* : ideòque si eorum *esse* est spirituale , *agere* etiam est spirituale; & si eorum *esse* est corporeum & materiale, *agere* eorum nequit esse spirituale, itaut repugnet ratione sui agere spiritualitèr: ergo si tota ratio essendi in ordine supernaturali est virtus supernaturalis , etiam tota ratio agendi operationem supernaturalem debet esse virtus supernaturalis.

Explicatur:Nam sicut iuxta Philosophum, & D. Thomam ex conceptu essendi , seu essentiæ probatur à priori conceptus naturæ , & ex conceptu naturæ conceptus potentiæ , ita ex conceptu potentiæ probætur a priori conceptus operationis : ergo si ratio totalis essendi in ordine supernaturali est virtus supernaturalis,etiam tota ratio agendi operationem supernaturalem debet esse virtus supernaturalis.Patet consequentia : aliàs operatio supernaturalis posset ostendi à priori ex potentia,& forma naturali.

72 Tertio probatur conclusio : Si intellectus ex se haberet virtutem proximam partialem in visionem beatam , intellectus esset causa totalis illius non solùm totalitate effectus , vt volunt Adversarij , sed etiam totalitate causæ; quod non admittunt. Sequela probatur : Nam causa , quæ ex se & in suo ordine continet totum effectum, nedum est causa totalis totalitate effectus , sed etiam totalitate causæ: denominatio enim *causæ* desumitur ab actione, & effectu, itaut si pars actionis & effectus correspondet causæ , talis causa est solùm partialis tam partialitate effectus , quàm partialitate causæ: si ergo totus effectus & tota actio correspondent causæ, illa debet esse causa totalis totalitate effectus & totalitate causæ:ergo si intellectus ex se concurrit in totam visionem beatam , debet esse causa totalis illius totalitate causæ.

Et confirmatur : Causa, quæ est totalis in actu secùndo , etiam debet esse totalis in actu primo ; sed causa est totalis in actu secundo, quando producit totam actionem,& totum effectum: ergo causa producens totam actionem, & totum effectum debet esse totalis in actu primo: Tunc sic ; sed idem est causam esse totalem in actu primo , ac esse totalem totalitate causæ: sicut idem est esse totalem in actu secundo , ac actu producere totam actionem, & totum effectum. Igitur si intellectus ex se producit totam visionem , erit causa totalis tam in actu primo, quàm in actu secundo , tàm totalitate effectus, quàm totalitate causæ.

73 Nec proderit recursus ad consortium alterius concausæ, nempè, virtutis supernaturalis , sine qua non habet virtutem sufficientem ad totam visionem sub omni ratione , cùm sub ratione supernaturali illam producat per lumen supernaturale. Non, inquam , prodest. *Primò*: quia consortium virtutis supernaturalis vel addit potentiæ virtutem prærequisitam ad producendum totum actum supernaturalem , vel non addit , sed supponit in potentia virtutem sufficientem ad producendum totum actum ? Si dicas primum : ergo ratione sui non producit totum actum , hoc est, vitalitatem , & supernaturalitatem. Si secundum : ergo ratione sui, licèt in consortio alterius, est causa totalis tàm in actu primo, quàm in actu secundo.Probatur consequentia : Nam causa , quæ ratione sui habet virtutem sufficientem in actu primo ad producendum totum actum , & defactò in actu secundo illum producit , est causa totalis tàm in actu primo , quàm in actu secundo , licèt hoc habeat in consortio alterius causæ habentis similem virtutem : sicut si duæ associarentur ad producendum eundem effectum , & vnaquæque haberet ex se sufficientem virtutem ad producendum totum effectum , & defactò agerent secundùm totam suam virtutem , proculdubiò quælibet illarum esset causa totalis tàm in actu primo , quàm in actu secundo , maximè in sententia Adversariorum , iuxta quos idem numero effectus potest produci à duplici causa totali : ergo si intellectus ratione sui producit totam visionem , licèt in consortio luminis , ipse erit causa totalis tàm in actu primo , quàm in actu secundo,sicut & lumen.

Secundò: Nam supposita virtute sufficienti in intellectu ad producendam totam visionem , solùm potest indigere consortio alterius causæ superioris , cui subordinetur ; sed hoc non tollit, quòd sit causa totalis in suo ordine: vt liquet in causa secunda , quæ non agit nisi vt subordinata causæ primæ , & tamen vnaquæque agit vt causa totalis tàm in actu primo, quàm in actu secundo: ergo consortium luminis non tollit , quòd intellectus sit causa totalis visionis totalitate causæ , si semel ratione sui producit totam visionem.

Tertiò : Vt aliquid sit causa totalis sui effectus,

fectus, non requiritur, quòd illum producat ſub omni ratione qua eſt producibilis, ſed ſufficit, quòd totum illum producat ſub aliqua ratione determinata: ergo ſi intellectus ratione ſui habet ſufficientem virtutem ad producendam totam viſionem, debet eſſe cauſa illius totalis totalitate cauſæ. Antecedens probatur: Tum exemplo proximè adducto: homo enim producit hominem ſub ratione *hominis*, & Deus ſub ratione *entis*; & tamen, quia homo producit totum hominem, eſt cauſa illius totalis totalitate cauſæ. Tum etiam: Nam diverſa ratio *ſubqua* tantùm abeſt ad impediendum concurſum cauſæ totalitatis, quòd ex ſe ſpecificet virtutem totalem ſpecie diverſam: quia vna virtus totalis nequit attingere effectum niſi ſub eadem ratione formali, & multiplex virtus totalis ſub multiplici ratione formali: qua de cauſa Metaphyſica, & Philoſophia diſtinguuntur vt duo habitus adæquatè diverſi; ergo ſi intellectus producit ratione ſui totam viſionem ſub aliqua ratione, debet eſſe cauſa illius totalis totalitate cauſæ.

74 Vltimò probatur noſtra concluſio: Si intellectus haberet virtutem partialem in viſionem beatam, haberet debitum connaturale ad concurſum Dei, & ad vnionem cum lumine gloriæ velutì cum alia concauſa partiali; ſed repugnat potentia purè naturalis, ſivè ſub ratione naturalis, ſivè ſub ratione obedientialis, cui connaturaliter debeatur concurſus ex parte Dei requiſitus ad viſionem beatam, & vnio cum lumine gloriæ: ergo repugnat, quòd intellectus habeat virtutem partialem in viſionem beatam. Minor videtur certa: concurſus enim ex parte Dei requiſitus ad viſionem beatam, & alium quencumque actum ſupernaturalem eſt entitativè ſupernaturalis, proindeque indebitus entitati naturali: idemque dicendum eſt de lumine gloriæ. Maior verò probatur: De ratione cauſæ partialis eſt, quòd connaturaliter exigat concurſum alterius concauſæ, & vnionem cum illa, ſi per modum compricipij intrinſeci concurrit cum ea ad eundem effectum: ergo ſi intellectus haberet virtutem partialem in viſionem beatam, haberet debitum connaturale ad concurſum Dei, & ad vnionem cum lumine.

75 Nec refert, ſi dicas, hoc verum eſſe, quando concauſæ partiales ſunt eiuſdem ordinis, ſecùs verò quando vna eſt ſuperioris ordinis. Non, inquam, refert: Nam præterquàm quòd hæc evaſio petit principium, impugnatur, & ſimul explicatur: Quia omni potentiæ, quæ perſè & ratione ſui eſt elicitiva alicuius effectus, debetur ei connaturaliter concurſus illius cauſæ, ſine qua non poteſt reduci ad actum; ſed in ſententia Adverſariorum, eſtò intellectus ratione ſui habeat virtutem proximam in totam viſionem, non poteſt exire in actum ſine conſortio luminis gloriæ, & concurſus Dei: ergo intellectus haberet debitum connaturalitatis ad concurſum Dei, & ad vnionem cum lumine gloriæ. Maior probatur: Nam omnis activitas proxima exigit perſè & connaturaliter exire in actum, aliàs fruſtrà eſſet talis activitas, quæ nec per ſe poteſt reduci ad actum, nec petit per ſe reduci per aliud: ergo potentiæ elicitivæ perſè & ratione ſui alicuius effectus debetur connaturaliter concurſus illius cauſæ, ſine qua non poteſt reduci ad actum. *Explicatur*: Id habet cauſa in actu primo, quod habet actus, ſeu effectus in actu ſecundo; ſed id, quod in viſione procedit à potentia ſecundùm ſe & ratione ſui, connaturaliter exigit vniri cum eo quod procedit à Deo, & à lumine gloriæ: ergo potentia exigit connaturaliter concurſum Dei, & vnionem cum lumine gloriæ. Minor probatur: Nam res nihil connaturaliùs petit, quàm id, cum quo omninò identificatur; ſed ita ſe habet in viſione quod procedit à potentia ratione ſui, & à Deo, & lumine gloriæ: ergo exigit vniri &c.

§. V.

Secunda concluſio.

76 Dicendum eſt *ſecundò*, intellectum ratione ſui non habere aliquam virtutem proximam in viſionem beatam ſub conceptu generico *intellectionis*. Hæc concluſio eſt communis inter Thomiſtas, præter paucos quos infrà referemus: eamque tenent N. Salmant. in præf. diſp. 4. num. 12. tract. 14. diſp. 3. num. 182. tract. 24. diſp. 6. à num. 80. alijſque in locis. Quæ vt probetur: Nota, quòd (iuxta Adverſarios: pro quo videatur omnino Illm. Palanco q. 8. *de Charit.* num. 155.) in viſione beata D. Petri datur duplex conceptus generícus *intellectionis*, alius ſubalternus, ratione cuius convenit cum omni intellectione ſivè humana, ſivè angelica, ſivè naturali, ſivè ſupernaturali: alius magis ſpecialis & infimus, ratione cuius (iuxta ſententiam contrariam) convenit cum omni intellectione humana, & ſe cernitur ab omni intellectione angelica. Nam cùm intellectus angelicus, & humanus diſtinguantur ſpecie iuxta Adverſarios, oportet, quòd in qualibet intellectione determinata humana reperiatur ratio *ſub qua* ſpecificativa & diſtinctiva intellectus humani ab intellectu angelico, cum qua ratio ſpecifica cuiuslibet intellectionis determinatæ ſivè angelicæ, ſivè humanæ ſe habeat omninò de materiali iuxta illos ad ſpecificandum intellectum (v. g.) humanum; ac proinde debet dari iuxta illos in qualibet intellectione humana, conſequenterque in viſione, aliquis conceptus generícus & communis ipſi, & intellectioni naturali humanæ, ratione cuius intellectus humanus diſtinguatur ab angelico. Quo notato,

77 Probatur nostra conclusio : Si intellectus (v. g.) humanus haberet virtutem proximam in visionem beatam sub ratione aliqua generica , etiam illam haberet in eam sub ratione sibi , & intellectioni naturali humanæ communi ; sed repugnat , intellectum humanum habere virtutem proximam in visionem beatam sibi, & intellectioni naturali humanæ communi : ergo intellectus humanus non habet virtutem proximam in visionem beatam sub ratione aliqua generica. Maior videtur certa : nam eadem est ratio , iuxta Adversarios , de aliqua ratione generica,ac de ratione generica in ea assignata, vt callenti eorum principia constabit. Minor verò probatur: Si intellectus humanus ratione sui haberet activitatem proximam in visionem beatam sub ratione sibi & intellectioni naturali communi , visio beata hominis distingueretur specie à visione beata Angeli ; sed hoc est falsum , adhuc in sententia Authorum,quos in hac conclusione habemus contrarios : ergo intellectus humanus ratione sui non habet virtutem proximam in visionem beatam sub ratione sibi , & intellectioni naturali communi. Sequela maioris probatur: Nam quæ distinguuntur genere , etiam debent distingui specie atoma , vt inductione patet; sed supposita activitate proxima intellectus humani in visionem beatam sub ratione sibi & intellectioni naturali humanæ communi , huiusmodi ratio communis esset distincta genericè à visione beata Angeli sub ratione sibi, & suæ intellectioni naturali communi : ergo visio beata D. Petri esset specie distincta à visione beata Angeli. Minor , in qua poterat esse difficultas,constat tum ex concessis ab ipsis Adversarijs : tum, & maximè: quia activitas proxima specie distincta nequit non refundere similem distinctionem in actu.

Augetur hæc ratio : Nam semel concessa distinctione generica inter visionem beatam D. Petri , & visionem Angeli , necessariò fatenda est distinctio specifica inter eas ; sed hæc distinctio specifica nequit desumi à diversitate luminis gloriæ Angeli,& hominis:ergo desumeretur à diversitate suorum intellectum : ergo intellectus sivè Angeli , sivè hominis haberet activitatem proximam in visionem beatam secundùm suam vltimam differentiam : ergo qui concedit activitatem proximam in gradum genericum visionis beatæ , incidit in sententiam illorum, qui adstruunt virtutem partialem in visionem beatam secundùm gradum specificum.

Ex quo sanè colligitur , quàm longè absit hæc nostra conclusio a sententia præcipua,quam hucusque refutavimus. Nam semel negata intellectui activitate proxima in visionem beatam sub aliqua ratione generica , lumen gloriæ est tota ratio agendi illam secundùm omnes suos gradus sivè communes , sivè differentiales , ac proinde in nullo gradu visio D. Petri, & Angeli distinguuntur specie , sicut nec lumina eorum. Aliunde vt ratio *subqua* specificativa , & distinctiva intellectus humani ab angelico præstet potentiæ suam causalitatem , sufficit, quòd permittat , & exigat modum diversum tangendi plura obiecta , non tamen requiritur , quòd hic modus diversus tangendi reluceat erga omnia obiecta partialia. Pro quo videantur omnino , quæ diximus disp. 1. num. 18.

78 Neque effugies vim huius rationis, si dicas , quòd intellectus humanus non influit in visionem beatam secundùm suam vltimam differentiam, in qua distinguitur ab angelico, sed secundùm conceptum genericum , in quo convenit cum illo. Non , inquam , effugies : Nam, vt diximus loco proximè citato num. 17.intellectus humanus non solùm est beatificabilis secundùm gradum genericum , sed etiam differentialem , & individualem , aliàs intellectus humanus secundùm suam vltimam differentiam non posset elevari ad videndum Deum prout est in se , cùm nulla potentia possit elevari extra suum obiectum specificativum. Quare Illmus. Palanco,quem in hac conclusione habemus contrarium,non adhæret huic modo dicendi. Videatur q. 8. *de Charit.* num. 155.

Et confirmatur : Nam si intellectus haberet activitatem proximam in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis* , stante æqualitate luminis gloriæ in homine , & Angelo, Angelus perfectiùs Deum intelligeret & videret quàm homo ; sed hoc est contra D. Thomam. Minor patet : Nam D. Thomas solùm recognoscit maiorem, vel minorem intensionem visionis penès maiorem , vel minorem intensionem luminis gloriæ. Maior verò probatur:Ille perfectius aliquod obiectum intelligit & videt, qui cæteris paribus alium in aliquo absolutè excedit ; sed semel concessa activitate proxima intellectus in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*,& stante æqualitatem in lumine gloriæ, visio beata Angeli esset æqualis tàm specificè , quàm intensivè secundùm rationem differentialem cum visione beata hominis , & aliunde secundùm conceptum genericum illa hac esset perfectior non solùm intensivè , sed etiam specificè : ergo Angelus perfectiùs Deum intelligeret & videret quàm homo.

79 Neque fit satis dicendo , quòd solùm sequitur excessus secundùm quid , nam excessus simpliciter non desumitur ex conceptu generico , sed ex specifico. Non , inquam , fit satis: Quia nobilius genus, cæteris paribus, est sufficiens , vt res metaphysicè constituta per illud evadat absolutè & simpliciter perfectior : ergo ex perfectiori modo intelligendi genericè sequitur excessus simpliciter talis. Antecedens probatur : Tum quia res excedens aliam essentialiter nequit non illam excedere simpliciter ; sed essentia metaphysica rei coalescit ex gradu gene-

ne-

nerico, & differentiali: ergo stante paritate in gradu differentiali, & diversitate in gradu generico, nequit non vna esse alia perfectior simpliciter. Tum etiam: nam ita se habet in compositione metaphysica gradus genericus & differentialis, sicut in compositione physica materia & forma; sed in composito physico illud absolutè est nobilius, quod habet materiam nobiliorem cæteris paribus: & sic si daretur compositum coalescens ex materia cœlesti, & forma sublunari, proculdubiò esset perfectius absolutè & simpliciter composito coalescenti ex materia sublunari & forma sublunari eiusdem rationis: ergo vitio similis in conceptu differentiali, & nobilior in gradu generico esset absolutè perfectior.

80 Secundò probatur conclusio: Si intellectus ratione sui influeret in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*, influeret in eam determinatè vt est naturalis; sed nullus est conceptus in visione beata, ad quem concurrat intellectus vt determinatè naturalis: ergo non influit ratione sui in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*. Sequela patet: quia si concurrit ratione sui, concurrit per virtutem acceptam à Deo vt authore naturali, & vt subordinatus illi, ac proindè vt determinatè naturalis. Minor verò probatur: Si intellectus influeret determinatè vt potentia naturalis, etiam Deus influeret cum illo prævie & simultaneè determinatè vt author naturalis; sed nullus conceptus est in visione, ad quem concurrat Deus vt author naturalis, alias in elicientia visionis beatæ daretur duplex præmotio physica, alia determinatè naturalis, & alia determinatè supernaturalis: ergo nullus est conceptus, ad quem influat intellectus vt determinatè naturalis.

81 Nec refert, si dicas cum Palanco loco suprà relato num. 126. sufficere vnam præmotionem, quæ secundumquid sit naturalis, & simpliciter supernaturalis. Non, inquam, refert: Tum, quia id habet gratia secundum id, quod se tenet ex parte actus secundi, ac secundùm id, quod se tenet ex parte actus primi; sed iuxta sententiam Adversariorum lumen gloriæ nullo modo influit in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*: ergo neque præmotio simpliciter supernaturalis concurrit in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*: alia ergo præmotio determinatè naturalis realiter à supernaturali distincta statuenda est pro conceptu generico *intellectionis*. Tum etiam: Nam repugnat, eandem præmotionem esse partim positivè naturalem, & partim positivè supernaturalem, sicut repugnat lumen gloriæ, quod partim positivè sit naturale, & partim positivè supernaturale; naturale enim positivè, & supernaturale positivè nequeunt identificari in eadem indivisibili entitate, cùm supernaturale essentialiter sit suprà omne positivè naturale; sed concessa in intellectu activitate proxima in visionem beatam sub cõceptu generico *intellectionis*, daretur præmotio determinatè & positivè naturalis: ergo non esset eadem præmotio ad cõceptum genericum, & specificum visionis. Minor probatur: Nam, concessa illa activitate proxima, intellectus concurreret vt determinatè & positivè naturalis, siquidem concurreret secundùm activitatem, quæ provenit à Deo vt determinatè & positivè authore naturali; sed omni activitati proximæ creatæ debetur connaturaliter concursus simultaneus, & prævius eiusdem determinati ordinis: ergo.

Mitto pro confirmanda nostra conclusione, quòd ex contrario modo dicendi sequeretur, causam creatam esse causam principalem gratiæ secundùm gradum genericum qualitatis, & instrumentalem secundùm gradum differentialem; quod apud Thomistas est inauditum. Mitto etiam plura testimonia D. Thomæ, & aliorum Patrum, qui affirmant, omne id, quod procedit ex libero arbitrio, etiam procedere ex gratia, seu prædestinatione; quod iuxta sententiam contrariam est concedere concursus partiales in conceptum genericum. Mitto denique authoritates, quæ adduci possunt ad suadendum oppositum, quia facili expositione non carent. Omnia hæc brevitatis causa mittimus, quia hucusque dicta sufficiunt pro enucleanda hac secunda conclusione.

§. VI.

Argumenta contra hanc secundam conclusionem.

82 MOdum dicendi contrarium nostræ secundæ conclusioni tenent Vazquez in præs. disp. 43. cap. 5. & 6. Cui adhæret ex Thomistis Illust. Palanco tract. *de Charit.* quæst 8. à n. 87. referens pro se Mag. Sernam præclarissimi Collegij D. Gregorij Pintiani celebrem Regentem in suis Manu-scriptis *de Visione Dei*. Pro quo:

Arguitur *primò*: Nam intellectus habet activitatem proximam ad attingendum suum obiectum specificativum, & actum adæquatum specificativum; sed hoc non potest stare, si intellectus caret activitate proxima in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*: ergo intellectus ratione sui habet activitatem proximam in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*. Minor patet: nam Deus prout in se visibilis continetur intra obiectum specificativum intellectus creati, & humani vt *humani*, pariterque visio continetur intra actum adæquatum specificativum illius, vt diximus disp. 1. dub. 2. cum quo non rectè cohæret activitas proxima intellectus in suum obiectum specificativum absque activitate proxima in visionem

nem beatam sub illa ratione, in qua convenit cum alijs actibus partialibus illius. Maior verò probatur: Nam intellectus respicit immediatè suum obiectum specificativum: ergo habet activitatem proximam ad illud attingendum.

Et confirmatur: Nam voluntas habet activitatem proximam ad attingendum bonum divinum sub aliqua ratione communi: ergo etiam intellectus illam habet ad attingendum verum divinum, & supernaturale sub aliqua ratione communi. Antecedens probatur: Voluntas habet appetitum innatum ad beatitudinem in communi: ergo etiam habet activitatem proximam ad attingendum bonum in communi: ergo etiam in ordine ad bonum divinum sub aliqua ratione communi. Prima consequentia liquet: nam apetitus innatus fundatur supra activitatè proximam ad attingendam rem concupitam.

83 Ad argumentum respondetur, negando maiorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd potentia solùm habet activitatem proximam in suum obiectum specificativum, quando est eiusdem ordinis cum illa. At quia intra obiectum specificativum multoties continetur obiectum superioris ordinis, tunc solùm habet activitatem proximam in obiectum proportionatum. Neque refert, quod dicit, respicere immediatè suum obiectum specificativum, sub quo continetur obiectum improportionatum; proindeque debent convenire in aliqua ratione, quam potentia respiciat immediatè. Nam potentia dupliciter potest respicere immediatè suum obiectum specificativum, vel per modum potentiæ & vt *quod*, vel per modum virtutis & vt *quo*: Ad primum sufficit, quòd potentia dicat coaptationem & commensurationem essentialem cum obiecto specificativo; ad secundum verò vltra requiritur, quòd habeat virtutem activam proximam in ordine ad illud. Porrò potentia non respicit suum obiectum adæquatum & specificativum sub aliqua ratione præcisa præcisione logica à suis inferioribus: quia, vt diximus disp. 1. num. 18. obiectum non specificat potentiam, prout abstrahit abstractione totali à suis inferioribus, sed prout abstrahit ab illis abstractione formali, ea actualiter includendo. Undè si intra obiectum specificativum potentiæ contineatur obiectum proportionatum, & improportionatum, respectus transcentalis potentiæ ad illud partim erit per modum potentiæ, quatenus, nempè, connotat obiectum improportionatum; & partim erit per modum virtutis, & activitas proximæ, quatenus, videlicèt, connotat obiectum proportionatum.

84 Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, & prima consequentia; negatur secunda. Nam voluntas ex eo quòd habeat appetitum innatum ad beatitudinem in communi, tantùm sequitur, quòd dicat inclinationem ad hoc, vel illud bonum; non verò quòd habeat inclinationem innatam ad vniversalissimam rationem boni, prout in ea continentur omnes rationes bonorum particularium. Et in hoc sensu verificatur, quòd quælibet potentia habet appetitum ad suum obiectum specificativum, quatenus est necessitata ad operandum intra illud circa hoc, vel illud obiectum particulare; non verò requiritur, quòd potentia habeat appetitum innatum ad omnia obiecta particularia, quatenus conveniunt sub aliqua ratione communi. Videantur, quæ diximus disp. 1. num. 47.

85 Arguitur *secundò*: In visione beata datur ratio generica, in qua vnivocè convenit cum intellectione naturali: ergo intellectus ratione sui habet activitatem proximam in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*. Antecedens videtur certum; aliàs diversum prædicamentum deberet statui pro entibus supernaturalibus, ad quod non pertinerent entia naturalia. Consequentia verò probatur: Nam talis ratio generica non est essentialiter & positivè supernaturalis; aliàs includeret in se formaliter differentiam, per quam visio beata distinguitur essentialiter ab actu naturali, consequenterque nequirent convenire vnivocè in illa ratione generica: ergo intellectus ratione sui habet activitatem proximam in visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*. Patet consequentia: non enim alia ratione denegari potest intellectui concursus activus in visionem sub illa ratione generica, nisi quia positivè esset supernaturalis.

Confirmatur *primò*: Causa ex se impotens ad producendum aliquem effectum secundùm conceptum differentialem, potest habere activitatem proximam in illum sub aliquo conceptu generico: ergo, estò intellectus ratione sui non possit elicere visionem beatam secundùm suam vltimam differentiam, poterit illam producere secundùm conceptum genericum *intellectionis*. Antecedens probatur: Sol non habet ex se virtutem ad producendam vitam; & tamen in viventi potest abstrahi conceptus generícus *corporis*; ad quem sol ratione sui concurrit principaliter: go &c. *Augetur*: Nam non minùs conveniunt vnivocè intellectio naturalis, & supernaturalis in conceptu generico *intellectionis*, quam vivens & inanimatum in conceptu generico *corporis*; sed sol estò non possit ratione sui influere in vivens sub ratione differentiali *viventis*, potest tamen influere, & defactò influit ratione sui in rationem *corporis* sibi, & non viventi communem: ergo idem debet dici de intellectu in ordine ad visionem beatam sub conceptu generico *intellectionis*.

Confirmatur *secundò*: In actu odij Dei datur aliquis conceptus genericus eiusdem prorsùs rationis cum conceptu generico actus charita-

ritatis : ergo voluntas, quæ ratione ſui poteſt producere actum odij Dei ſecundùm conceptum genericum, etiam poterit ratione ſui producere actum charitatis ſub conceptu generico (v. g.) *actus humani*. Antecedens probatur: Nam actui odij Dei debetur rectitudo actus charitatis, quando adeſt præceptum charitatis ; ob quam rationem in peccato odij Dei, iuxta communem ſententiam Thomiſtarum, datur malitia privativa; ſed talis rectitudo non eſt debita actui odij Dei ſecundùm conceptum differentialem, cùm illi repugnet: ergo debetur ei ſecundùm conceptum genericum (v.g.) *actus humani* : ergo neceſſariò concedendus eſt aliquis conceptus generícus eiuſdem prorsùs rationis in actu odij Dei, & in actu charitatis. Patet conſequentia : Nam actui odij Dei ſecundùm conceptum genericum voluntas debuit adiungere differentiam charitatis ; proindeque ille conceptus generícus eſt in actu odij Dei, & in actu charitatis eiuſdem prorsùs rationis.

86 Hoc argumentum (quod benè perpenſum difficultate non caret) æquè vrget Adverſarios. Nam lumen gloriæ, ſeu gratia convenit vnivocè cum quolibet habitu naturali intellectivo in conceptu generico habitus intellectivi : Inquiro, ergo conceptus ille abſtractus à gratia, in quo convenit vnivocè habitus naturalis, eſt formaliter & intranſitivè ſupernaturalis; vel non ? Si dicas primum: ergo ſupernaturalitas tranſcendens per omnes formalitates viſionis non obſtat, vt conveniat vnivocè cum intellectione naturali ſub conceptu generico *intellectionis* ; proindeque idem prædicamentum aſſignari poterit pro qualitate adæquatè ſupernaturali, & adæquatè naturali. Si dicas ſecundùm: ergo gratia non procedit à Deo vt authore adæquatè ſupernaturali, ſicut de viſione ſuprà probatum eſt, ſed ſecundùm conceptum genericum profluit à Deo vt authore naturæ, ſicut de viſione ſecundùm conceptum genericum non renuunt concedere Adverſarij, & ſecundùm conceptum differentialem ab eo vt authore ſupernaturali ; conſequenterque creatura erit cauſa principalis gratiæ ſecundùm conceptum genericum, qui formaliter non eſt ſupernaturalis.

87 Vt reſpondeatur ergo ad argumentum, præſupponenda ſunt duo tanquam certa apud omnes. *Primum eſt* : quòd conceptus genericus repertus in quolibet actu ſupernaturali, ſi conſideretur phyſicè, eſt ſupernaturalis : quia eo ipſo, quòd contrahatur ad differentiam adæquatè ſupernaturalem, fit adæquatè ſupernaturalis : ſicut ratio ſubſtantiæ, vt contracta phyſicè per materialem, fit determinatè & poſitivè materialis ; & contracta per immaterialem eſt poſitivè immaterialis. Si verò conſideretur logicè ſeu metaphyſicè, non eſt determinatè & poſitivè naturalis, aliàs in eadem entitate identificarentur realiter conceptus poſitivè naturalis & conceptus poſitivè ſupernaturalis, quod eſt chimæricum ; ſed eſt quidam conceptus abſtrahens à naturali & ſupernaturali, contrahibilis per eorum differentias. Intellectus autem ſecundùm propriam virtutem proximam conſideratus eſt adæquatè & poſitivè naturalis. *Secundum eſt* : quòd ratio generica à nullo agente producitur, prout logicè abſtrahit à ſuis differentijs, ſicut nunquam hoc modo reperitur in rerum natura, ſed prout eſt contracta cum gradibus ſpecificis, & individualibus realiter indiſtinctis; v. g. non producitur animal vt ſic, ſed hoc animal, quo pacto iam dicit gradum ſpecificum & individualem : quia, vt benè docet D. Thom. 1. part. quæſt. 65. art. 4. illius eſt *fieri*, cuius eſt *eſſe*, & *ſubſiſtere*, & *eſſe* & *ſubſiſtere* proprium eſt ſuppoſiti ſingularis, vt docet idem Ang. Doctor. 9. *de Potent.* art. 5. ad 13. & 1. Metaphyſ. lect. 1. *in medio* ait, quòd vniverſale non generatur niſi per accidens ratione ſingularis, cui hoc convenit perſè. Undè conceptus genericus petit produci ex vi illius virtutis, à qua petit produci conceptus ſpecificus, & individualis.

88 Pro quo notanda eſt quædam doctrina Div. Thomæ in hac 1. part. quæſt. 45. art. 5. aliiſque in locis, vbi ait, ordinem effectuum eſſe iuxta ordinem cauſarum, itaut licèt plures cauſæ concurrant ad aliquem effectum, tamen vna quæque efficiat perſè primò aliquid, quod ei particulariter correſpondet ; ſi eſt cauſa omnium vniverſaliſsima, vt Deus, correſpondet per ſe primò ei vniverſaliſsimus effectus, vel in effectu ratio vniverſaliſsima; ſi minùs vniverſalis, effectus minùs vniverſalis, ſeu in effectu ratio minùs vniverſalis ; & tandem, ſi eſt cauſa particularis, effectus ſeu ratio particularis. Unde in igne, qui generatur, inter alias rationes poſſumus conſiderare primò rationem *entis*, ſecundò rationem *corporis*, & tertio rationem *individui* : Ex quibus prima ratio ſolùm competit Deo: ſi enim aliqua cauſa creata poſſet attingere perſè primò & ratione ſui prædictam rationem, poſſet etiam omnia entia producere, quod eſt impoſsibile. Ratio *corporis* nequit in cauſam particularem reduci ob præfatam rationem, ſed reducenda eſt in corpus cœleſte, quod eſt cauſa vniverſalis infrà Deum.

89 Ex his ergo reſpondetur ad argumentum, quòd licèt ratio generica reperta in viſione beata non explicet ſupernaturalitatem, phyſicè tamen eſt ſupernaturalis, vt liquet ex dictis in prima ſuppoſitione; & ratione huius nequit produci, niſi à cauſa, ſeu virtute ſupernaturali. *Accedit* : quòd conceptus genericus non producitur à cauſa, niſi prout eſt contracta ad gradum individualem; viſio autem beata ſecundùm gradum individualem iam explicat ſupernaturalitatem. Unde ſi intellectus ex vi ſuæ virtutis nati-

nativæ nequit producere visionem beatam vt *hanc*, neque potest illam producere secundùm conceptum genericum *intellectionis*. ¶ *Adde primò*: quòd estò visio beata sub conceptu generico *intellectionis* non explicet logicè supernaturalitatem, non tamen explicat esse positivè naturalem. Unde nequit petere ad sui productionem virtutem determinatè & positivè naturalem; qualis est virtus nativa intellectus. *Adde secundò*: quòd ille conceptus est vniversalis explicans superioritatem ad *esse* naturale, & supernaturale, & hac ratione nequit correspondere vt proprius effectus, nisi illi causæ, quę ex se potest producere intellectiones naturales, & supernaturales; quod impossibile est intellectui creato, imò omni agenti creato.

90 Tandem responderi potest ad argumentum cum doctrina nonnullorum nobilium Thomistarum: quòd in visione beata non datur ratio aliqua communis, ratione cuius conveniat vnivocè cum intellectione naturali: naturali enim & supernaturali nihil datur commune vnivocum, sed analogum. Iuxta quam doctrinam necessariò concedendum est duplex supremum prædicamentum (v. g.) qualitatis: aliud pro qualitatibus naturalibus, & aliud pro supernaturalibus. Idemque dicendum est de prædicamento actionis. Nec mirum quòd multiplicemus sic prædicamenta supra numerum statutum ab Aristot. Nam eò Philosophus assignavit tantùm decem prædicamenta, quia non agnovit entia supernaturalia: pro entibus autem naturalibus certum omninò est sufficere decem. At semel concesso, quòd naturali, & supernaturali nequeat dari conceptus communis vnivocus, sed analogus, non immeritò multiplicamus numerum prædicamentorum supra numerum Aristotelicum: sicut ex cognitione rerum supernaturalium variamus essentias rerum, quas aliàs Aristoteles assignavit. Pro hac tamen doctrina, ne videatur singularis & educta ex proprio cerebrò, videatur Mag. Ferre tract. *de Charit.* quæst. 9. n. 14. iuxta quam totalitèr argumentum amittit vires.

91 Ad primam confirmationem respondetur *primò* cum D. Thoma 1. part. quæst. 65. art. 4. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd corpora cœlestia causant formas in istis inferioribus, non influendo, sed movendo.* Quod Ferre sic explicat loco proximè citato num. 31. *Nam corpora cœlestia, quamvis dicantur causæ vniversales inferiorum corporum, quia per suum motum localem movent agentia particularia ad generationes sublunarium; non tamen dicuntur influere, quia verè causent* esse *corporeum, quod tantùm producitur à Deo, & à causa particulari.* Iuxta quam solutionem evacuata manet tota vis huius confirmationis. ¶ Sed melius respondetur cum eodem Angel. Præcept. in eadem 1. part. quæst. 70. art. 3. ad 3. vbi ait: *Corpus cœleste, cùm sit movens motum, habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis. Et ideò ex virtute sui motoris, qui est substantia vivens, potest causare vitam.* Vbi corpori cœlesti respectu viventium D. Thomas solùm concedit influxum instrumentalem, & nullibi invenies in eo concursum principalem in vivens sub aliquo conceptu generico. ¶ Tertiò & adhuc melius respondetur cum doctrina N. Complut. tract. *de Cœlo* disp. 4. quæst. 1. concedendo, quòd corpus cœleste seu sol producat ratione propriæ virtutis vivens sub ratione generica *corporis*, vel ipsam rationem genericam *corporis* repertam in viventi. Sed hoc ideò est, quia est causa vniversalis, proindeque perfectior pars in ratione partis, quàm omnia corpora viventia: & hac ratione debet correspondere ei tanquàm effectus proprius aliquis conceptus vniversalis in istis inferioribus, pro quo nullus aptior est quàm conceptus genericus *corporis* communis viventibus, & non viventibus. Cæterùm nullus intellectus creatus est causa vniversalis; aliàs influeret in intellectiones omnium intellectuum, sicut cœlum influit in omnia hæc inferiora: ideoque nequit ratione sui producere in aliqua intellectione aliquem conceptum communem nisi vt contractum per gradum specificum, & individualem; & si hunc non potest producere ratione sui, vt reipsà nequit illum producere in visione beata, neque poterit producere conceptum genericum. In quo reperies non leve discrimen inter cœlum in ordine ad corpora inferiora, & intellectum in ordine ad omnes intellectiones naturales, & supernaturales, tàm proprias, quàm alienas, quòd, nimirùm, cœlum, estò non producat in inferioribus gradum genericum corporis nisi vt contractum per differentiam individualem, & hæc in animatis excedat in perfectione corpus cœleste adæquatè sumptum; attamen, quia causa vniversalis est, petit producere, vt instrumentum Dei, vel substantiæ motricis illam rationem particularem; & rationem genericam, quæ aliàs est contracta, vt causa principalis. Hoc autem non habet locum in intellectu creato, ob præfatam rationem; & ideò non producit ratione sui conceptum genericum *intellectionis*, nec vt contractum, neque secundùm se. Per quod constat ad vrgentiam.

92 Ad secundam confirmationem respondetur, negando antecedens. Cuius probatio iuxtà doctrinam Adversariorum claudicat ea parte, qua dicit, quòd actui odij Dei secundùm rationem genericam actus humani debetur rectitudo charitatis. Nam iuxta illorum sententiam quilibet conceptus communis actui naturali, & supernaturali solùm negativè se habet ad differentiam entis supernaturalis, quatenus, nempè, non repugnat ei contrahi per differentiam supernaturalem; quod non est idem, ac esse ei debitam.

¶ Sed

¶ Sed quia potest fieri idem argumentum supposita non repugnantia ad contractionem actus charitatis: Respondetur, notando *primò* cum N. Salmant. tract. 13. disp. 6. num. 7. duplex esse debitum, aliud morale, quod provenit ex lege; aliud physicum seu metaphysicum, quod fundatur in natura secundùm se. Iuxta quod duplex etiam privatio assignanda est, alia moralis, quia est carentia formæ debitæ præcisè ex lege; alia physica seu metaphysica, quæ est carentia formæ debitæ ex solis principijs physicis seu metaphysicis naturæ. *Nota secundò*: quòd licèt actui odij Dei non debeatur physicè aliqua rectitudo virtutis secundùm vllum gradum, quia secundùm gradum genericum non dicit positivam exigentiam physicam, sed merè non repugnantiam ad illam; & secundùm gradum specificum importat etiam repugnantiam; ob quam etiam rationem illi secundùm gradum specificum non debetur adhuc moraliter rectitudo virtutis: at secundùm gradum genericum debetur ei rectitudo virtutis moraliter seu ex lege: quia lex præcipit, quòd, hoc ipso quòd operemur humano modo, operemur secundùm rectam rationem, consequenterque per ordinem ad bonum honestum. *Nota tertiò*: quòd actus odij Dei solùm opponitur directè præcepto negativo de non odiendo Deum; ex quo non debetur ei aliqua rectitudo virtutis, sed ex alio præcepto magis vniversali, quod dictat, ne operemur indifferenter. Ex quo colligitur, non ei esse debitam rectitudinem charitatis adhuc moraliter, quia præceptum charitatis solùm frangitur per omissionem actus charitatis. Quibus suppositis, satis liquet ad confirmationem. In qua negandum est antecedens. Et ad probationem neganda est maior: quia actui odij Dei secundùm nullum conceptum debetur rectitudo charitatis, & sic conceptus communis actus humani ex hoc capite non debet esse eiusdem prorsùs rationis in eo, & in actu charitatis. Videantur N. Salmant. *de Peccatis* disp. 6. n. 21. §. *Consultò*.

At quia hoc argumentum potest efformari in actu, qui esset causa omittendi actum charitatis præceptum: Respondetur, quòd actui, qui est causa omittendi actum charitatis præceptum, non debetur moraliter directè rectitudo charitatis, sed tantùm indirectè, ratione scilicèt omissionis illius, quam actus, qui est eius causa, respicit per modum obiecti: Unde licèt actus, qui est causa omittendi, inficiatur privatione morali rectitudinis charitatis, non debet ab eo abstrahi aliquis conceptus communis eiusdem prorsùs rationis in illo, & in actu charitatis: quia conceptus hoc modo communis directè descendit ad inferiora, ac proinde actui, qui est causa ommitendi actum charitatis, vel directè deberetur rectitudo illius; vel talis conceptus non est omninò vnus. *Vel potest dici*: quòd actus, qui est causa omittendi, habet malitiam privativam rectitudinis charitatis: quia estò prædicta rectitudo non debeatur physicè ei secundùm gradum genericum; potest ei deberi moraliter; ad quod sufficit, quòd pro explicito *actus humani* non repugnet ei contrahi per speciem charitatis.

§. VII.

Fundamenta primam, & præcipuam conclusionem oppugnantia.

93 PLura ex Scriptura, Concilijs, & SS. PP. adducunt Adversarij contra nostram & præcipuam conclusionem. Quæ tamen nihil aliud suadent, quàm quòd liberum arbitrium gratia ornatum verè operetur, & non se habeat veluti inanime quoddam. Quod Schola Thomistica non negat, sed pleno ore fatetur cum Ecclesia catholica contra Lutherum, & Calvinum. Ideòque ab authoritatibus abstinendum putamus. Omnia autem argumenta à ratione procedentia ad tres classes, & tres §§. claritatis gratia reducemus. In prima præcisè tangemus ea, quæ ex concursu potentiæ videntur suadere concursum aliquem partialem ratione sui in actus salutares seu supernaturales; necnon plures causas naturales, quæ ratione sui præstant aliquem immediatum influxum in illos. Ad secundam accingemus ea tantùm, quæ ex concepta *vitalitatis* conantur probare virtutem proximam in potentia. Et tandem in tertia fœliderari curabimus essentiam liberi arbitrij cum negatione virtutis partialis in voluntate ad actus liberos supernaturales. Igitur:

Arguitur *primò*: Si lumen gloriæ esset tota virtus proxima agendi visionem beatam, & charitas actum charitatis, potentia non laboraret in elicientia illorum; sed hoc est contra Concilium Trident. sess. 6. can. 4. contra D. Augustinum *de Gratia, & lib. Arbitr.* cap. 5. & alios Patres: ergo neque lumen gloriæ, neque charitas est tota virtus proxima agendi. Sequela probatur: Potentia non laborat per hoc præcisè, quòd recipiat qualitatem aliquam operativam, quæ semel recepta vt virtus totalis operatur: ergo potentia non laboraret in elicientia actuum supernaturalium. Antecedens probatur: Tum, quia aër recipiens lucem, quæ est tota virtus illuminandi, non laborat in illuminatione ipsa. Tum etiam: quia potentia, quæ non lassatur, neque extenuatur per operationem intensissimam, non laborat in elicientia illius; sed hoc ipso, quòd virtus supernaturalis sit tota ratio agendi actus supernaturales, non lassaretur, vel defatigaretur in ordine ad actus naturales: ergo non laboraret in elicientia illorum.

Et confirmatur: Si intellectus ratione sui non haberet aliquam virtutem proximam in visionem beatam, non cooperaretur lumini gloriæ,

riæ, neque liberum arbitrium gratiæ; sed hoc est contra Tridentinum, Augustinum, & alios Patres: ergo habet virtutem proximam partialem in visionem beatam. Minor est certa. Et maior probatur: Nam frustrà aliquid dicitur cooperator alterius, si in se non habet virtutem aliquam partialem: sicut frustrà aliquis diceretur cooperator alterius ad portationem lapidis, si in se non haberet aliquam virtutem proximam ad portationem.

Ad argumentum respondetur, quòd ly *laborare* stat dupliciter, vel pro *verè & activè agere*, vel pro defatigatione agentis. Si ergo ly *laborare* sumatur secundo modo: fatemur, multoties potentiam naturalem non laborare in elicientia actuum supernaturalium, & hoc pacto se habet Angelus, sivè in via, sivè in patria in ordine ad actum charitatis, Christus in ordine ad eundem actum, & beatus in ordine ad visionem beatam, in quorum elicientia non diminuuntur, neque impediuntur vires naturales in ordine ad actus naturales: Quod si aliquando accidit, maximè in nimis contemplativis, est peraccidens, quia contemplatio, & consequenter amor Dei ex ea secutus dependent pro hoc statu à phantasmatibus. Si verò *laborare* sumatur primo modo: falsa est omninò sequela. Cujus prima improbatio nihil convincit, ob manifestam disparitatem inter aërem in ordine ad illuminationem, & intellectum in ordine ad visionem: nam illuminatio est extra specificativum omnium potentiarum aëris; ideòque non mirum, quòd non laboret, quando lux in ea recepta illuminat: cœterùm visio beata continetur intra specificativum intellectus: quare non se habet merè passivè ipse cum lumine in ordine ad eam. Ex quo oritur aliud discrimen: nam lux non fit propria virtus aëris ob rationem præfatam, sed, vbicumque inveniatur, solùm agit vt virtus corporis ex se luminosi; lumen verò gloriæ fit propria virtus intellectus: in cuius signum videmus, quòd nequit recipi in alio agente, nisi intellectuali, neque in alia potentia, nisi intellectu. *Adde*: quòd voluntas dupliciter se habet ad habitum elevantem: primò, quatenus Deus illum infundit in potentia: & hoc modo certum omninò est, quòd potentia non agit, sed præcisè agitur, seu se habet per modum subiecti merè receptivi, sicut aër se habet ad lucem. Secundo modo, quatenus Deus cum ipso habitu concurrit ad actum supernaturalem: & tunc potentia etiam agit cum illo, non ratione sui, sed ratione ipsius, iuxta dictum suprà adductum D. Bernardi, *Totum quidem hoc, & totum illa: sed vt totum in illo, & totum ex illa.* Iuxta quæ iam constat ad secundam probationem.

Ad confirmationem respondetur, negando sequelam. Nam vt aliquid dicatur cooperator alterius, sufficit, quod cooperetur cum illo, vel per modum potentiæ & vt *quod*, vel per modum virtutis & vt *quo*; vtroque enim modo concurrat, vere influit & agit, verèque dicitur cooperator alterius influentis, sivè per modum virtutis partialis, sivè per modum virtutis totalis proximæ. Neque hoc est contra mentem Concilij, aut SS. Patrum, quorum mens non est, quòd potentia ratione sui cooperetur proximè in aliquid perse conducens ad salutem. Longe alitèr se haberet, qui ex se non haberet virtutem aliquam proximam ad portationem lapidis: quia ratione sui non ageret in huiusmodi portationem; neque ratione alterius virtutis intrinsecè in eo receptæ & fortificantis eius potentiam: & ob hanc causam non posset dici cooperator alterius.

94 Arguitur *secundò*: Si lumen gloriæ est tota ratio proxima agendi, potentia esset superflua ad actum illius eliciendum; sed hoc non potest dici: ergo. Maior probatur: Si lumen gloriæ est tota virtus proxima agendi, totum munus, quod potentia præstat in ordine ad actus naturales, præstaret lumen in ordine ad visionem, cùm lumen gloriæ esset tota activitas proxima in visionem, sicut potentia est tota activitas in actus naturales: ergo potentia esset superflua.

Neque refert, si dicas, quòd lumen gloriæ solum concurrit per modum virtutis totalis proximæ ad visionem, non verò per modum potentiæ & vt *quod*: in ordine autem ad actus naturales potentia concurrit proximè, tàm per modum potentiæ, quàm per modum virtutis.

Non, inquam, refert. Tum, quia activitas per modum potentiæ, vel est proxima & immediata, vel remota & mediata; neutrum dici potest: ergo superflua esset potentia, si non habet virtutem proximam in actum supernaturalem. Minor quoad primam partem probatur: Tum quia, si esset proxima, iam ratione sui haberet activitatem immediatam; hoc est contra omnes Thomistas: ergo. Tum etiam: Nam pari ratione diceretur, quòd substantia est immediatè operativa per modum *substantiæ*; cùm inter ipsam, & operationem non mediet alia substantia; sicut ob hanc rationem potentia dicitur concurrere proximè per modum *potentiæ*, quia, scilicèt, inter ipsam, & operationem supernaturalem non mediat alia potentia. Quoad secundam partem etiam probatur: Nam si activitas potentiæ est remota, non distingueretur ab activitate animæ: hæc enim etiam habet activitatem remotam in ordine ad actum supernaturalem.

Ad hoc argumentum respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam, si magis eius termini explicentur. Dupliciter enim potest dici aliquid esse principium *quod* operationis, vel quia defactò habet esse vt *quod*, sicut suppositum; & hoc pacto solùm illud est in toto rigore principium *quod* cuiusvis operationis:

vel

vel quia estò non habeat esse vt *quod*, se habet vt subiectum proximum receptivum virtutis totalis proximæ ; & hac ratione, si influit cum illa, comparatur ad eam vt *quod*, & ipsa virtus proxima comparativè ad potentiam se habet vt principium *quo*. Et in hoc sensu vera est solutio suprà tradita, nempè, quòd potentia concurrit proximè per modum potentiæ, & vt *quod* in operationem supernaturalem. ¶ Contra quam, quælibet pars dilemmatis eligatur, nihil convincit : nam activitas potentiæ, & potest dici *remota* & *radicalis*, & potest dici *proxima*. Dicitur *radicalis* & *remota*, quia nequit ratione sui immediatè concurrere per modum virtutis ad operationem supernaturalem. Iuxta quod ; duplex principium radicale, & remotum debet assignari, aliud absolutè primum, nempe, substantia, seu anima, à qua dimanat potentia, & non nisi hac media potentia operatur : aliud magis immediatum cum operatione, licet dicatur *remotum* & *radicale* : comparativè ad virtutem elevantem, quæ est tota eius virtus proxima. Sicut virtus elevans est duplex, alia radicalis proxima, vt gratia ; alia proximè proxima, sicut charitas, aut lumen gloriæ. Vel vt alijs terminis vtamur, præter principium *quod*, quod absolutè est suppositum, datur aliud, quod est remotum, nempè, substantia, & aliud proximum, scilicet potentia ; quibus correspondent duo principia *quibus*, aliud radicale, quod est gratia ; & aliud proximum, quod est lumen gloriæ. Ex quo sanè colligitur, quòd activitas potentiæ non immeritò potest etiam dici *proxima*, quia simul cum virtute elevante proximè influit in operationem, cum discrimine nupèr assignato. Neque ob hoc substantia dici potest *immediatè operativa*, nisi impropriè adhuc per modum substantiæ : quia per hunc modum loquendi absolutè prolatum significatur, quòd substantia per modum virtutis influit proximè in operationem ; quod est omninò falsum, cùm inter eam, & operationem mediet potentia per modum virtutis. Per quod constat ad omnes illas probationes.

95 Arguitur *tertiò* : Visio beata potest esse supernaturalis, estò intellectus ratione sui habeat aliquam virtutem proximam : ergo defactò illam habet. Antecedens probatur : Nam eo ipso quòd actus sit absolutè indebitus naturæ, & supra omnem eius connaturalem exigentiam, est absolutè supernaturalis ; sed concursus partialis intellectus ratione sui non tollit, quòd visio sit indebita & supra omnem exigentiam naturæ : ergo. Minor probatur : Nam supposita virtute proxima partiali in intellectu, adhuc necessarium esset lumen gloriæ ; sed lumen gloriæ est indebitum intellectui, & suprà omnem connaturalem exigentiam illius : ergo idem de visione dicendum est.

Confirmatur : In natura datur potentia passiva immediata ad formas supernaturales sine exigentia ad illas ; sed omnis potentia passiva exigit potentiam activam : ergo dabilis est potentia immediatè activa actus supernaturalis sine exigentia ad actus supernaturales, & ad virtutem elevantem. *Adde* : quia causa partialis non petit præcontinere totum effectum : ergo concursus partialis naturæ non obstat supernaturalitati visionis.

Ad argumentum respondetur, quòd eo ipso quòd intellectus habeat aliquam virtutem partialem in visionem beatam, necessariò fatendum est, vel quòd visio est partim naturalis & illi debita, & partim supernaturalis & indebita ; vel adæquatè naturalis. Nam actus debet esse eiusdem ordinis cum principio proximè præcontentivo illius : vel ergo tota visio præcontinetur in virtute partiali intellectus, vel pars illius : si dicatur primum, tota visio debet esse naturalis, sicut intellectus adæquatè est naturalis : si dicatur secundum, in visione debet assignari pars entitativè naturalis. Unde cùm iuxta Adversarios visio beata secundùm suam speciem (quidquid sit de gradu generico) sit adæquatè supernaturalis, vel neganda est vt sufficiens in eam omnis virtus naturalis partialis : vel fatendum est non esse suprà exigentiam adæquatam illius. *Maximè* : quia, suppositâ virtute proximâ in intellectu ad visionem beatam, ei deberetur concursus partialis luminis gloriæ, vt suprà probatum est ; consequenterque tàm visio, quàm lumen gloriæ esset suprà exigentiam illius, & non esset : esset, vt supponitur ; non esset, quia virtuti partiali proximæ debetur concursus, sine quo nequit reduci ad actum. Et reverà, si hoc argumentum habet aliquam vim ad suadendam sententiam Iesuitarum, non minùs probaretur ex eo propositio Bachonij, qui estò concedat, intellectum ratione sui esse causam totalem visionis, ab eo tamen non aufert necessitatem gratiæ per modum conditionis.

Ad confirmationem (quæ æquè militat contra Adversarios, si verum est quòd potentiæ passivæ debetur potentia activa : nam intellectus est potentia totalis passiva in ordine ad formas, & actus supernaturales : ergo potentia activa, quæ illi deberetur, esset totalis activa ; quod est omninò falsum) Respondetur, quòd quando potentia passiva secundùm suam entitatem est ordinis inferioris ac potentia activa, solùm comparatur ad eam per modum capacitatis, indigentiæ & necessitatis, excluditque quamlibet præcontinentiam, & actualitatem ratione sui ; non verò dicit exigentiam ad eam : aliàs esset eiusdem ordinis cum potentia activa, & non esset ; non esset, vt supponitur ; esset, quia omnis potentia activa est eiusdem ordinis cum actu, cùm dicat præcontinentiam illius, ad differentiam potentiæ passivę. ¶ Per quod constat ad additamentum : nam estò de ratione causæ par-

tialis non sit præcontinere totum effectum; est tamen de ratione illius præcontinere id, quod ratione sui producit proximè, si totum, totum; si partem, partem. Si ergo intellectus ratione sui producit totam visionem, debet illam totam præcontinere; si verò solam partem illius producit, partem illius præcontinebit: quod stare non valet cum supernaturalitate adæquata visionis, & naturalitate adæquata intellectus.

96 Arguitur *quartò*: Plura sunt entia naturalia, quę ratione sui, & proximè influunt in operationes supernaturales: ergo quòd visio sit adæquatè supernaturalis, non obstat, quòd intellectus ratione sui possit proximè influere in visionem beatam. Antecedens probatur *primò*: Anima influit in actus fidei, & spei, dum est in peccato lethali; sed tunc non influit ratione alicuius gratiæ immediatè in ea receptæ; cùm, dempta gratia habituali, nulla suppetat forma supernaturalis, quæ immediatè recipiatur in anima; neque ratione habitus fidei, quia hic solùm elevat potentiam, sicut in ea immediatè recipitur: ergo influit in actum fidei ratione sui. *Secundò*: Habitus naturalis præstat facilitatem ad exercendos actus supernaturales circa eandem materiam: ergo ratione sui aliquid coadiuvat virtuti supernaturali ad exercendos suos actus. *Tertiò*: Species deservientes fidei sunt entitativè naturales; & tamen influunt immediatè in actum fidei: ergo &c. *Quartò & vltimò*: Præmissa naturalis proximè influit in assensum theologicum; qui tamen est supernaturalis: ergo plura sunt entia naturalia &c.

Ex hoc argumento cum omnibus exemplis in eo adductis non magis probatur concursus partialis, quàm totalis causæ naturalis in actum supernaturalem. Nam anima, species, & præmissa naturalis producunt suas operationes supernaturales tàm sub ratione *vitalium*, quàm sub ratione *supernaturalium*, vt callenti sigillatim exempla, præcipuè animæ, constabit, Quapropter omnes tenentur ei respondere. Et licèt solutum maneat disp.1. num.74. placuit tamen vlteriùs illud ad examen adducere, vt solutiones aliorum, quæ novitatis notam redolent, impugnemus.

Ad primum exemplum animæ, dum est in peccato lethali, respondet Godoy in præs. disp. 16. à num. 181. & Palanco *de Charitat.* quæst.9. à num.18. animam peccatoris non solùm elevari per habitum fidei (v.g.) receptum in potentia, sed etiam per gratiam supernaturalem immediatè receptam in anima radicantem habitum fidei, & spei, distinctamque realiter specificè à gratia sanctificanti. Quam sententiam priùs tenuit Oviedo Augustinianus Salmanticæ primarius Moderator, vt refert Ferre tract. *de Spe*, quæst.8. num.93. & oblivioni traditam prædicti Authores extumularunt. Diversimodè tamen sentiunt de hac gratia: nam quamvis omnes conveniant in hoc, quòd non est forma sanctificans, & est radix adæquata fidei, & spei, discriminantur, quòd iuxta Godoy hi habitus dimanant à prædicta gratia secundùm gradum sibi, & gratiæ sanctificanti communem; consequentèrque possunt radicari nunc in illa, nempè, dum est in statu peccati; nunc in ista, scilicet, dum est iustificata. Ex quo non reputat absurdum concedere, quòd huiusmodi gratia destruatur in instanti iustificationis, & de novo infundatur, dum peccat lethalitèr. Alitèr de ea sentit Palanco: ait enim, quòd estò gratia sanctificans sit radix harum virtutum quoad formationem, quod est quid illis accidentale; quoad subsistantiam tamen radicantur in illa peculiari, & imperfecta gratia in omni statu: proindeque in iusto datur duplex gratia habitualis specie stistincta, alia, quæ est radix charitatis, luminis gloriæ, & aliarum virtutum, & donorum, quæ connectuntur cum statu iustificationis: altera, quæ vnicè est radix adæquata fidei, & spei. Iuxta quam opinionem facillimo negotio occurritur huic primo exemplo. Eam tamen deserimus: tum propter eius singularitatem & novitatem: tum, quia illam nunquam admittunt N. Salm. cum communi calculo Theologorum: tum denique & præcipuè, quia illam censemus ex vna parte insufficientem, & ex alia ex pluribus capitibus implicatoriam.

97 Imprimis insufficientia eius patet ex eo, quòd in ordine supernaturali, & in quocumque statu præter actus fidei, & spei dantur alij actus, qui, estò imperfecti & inchoativi conversionis, sunt entitativè & adæquatè supernaturales; sed ad hos actus non elevatur anima peccatoris per aliquid immediatè receptum in ea, vt tenent prælaudati Authores locis citatis: ergo, nisi ad aliam solutionem recurratur, hoc argumentum manet in sua vi.

Deinde prędicta gratia ex pluribus capitibus videtur implicatoria iuxta modum explicatum à Godoy. *Primò*: quia illa gratia, si est specie distincta à gratia sanctificanti, nequit radicare habitus fidei, & spei secundùm aliquam rationem sibi, & gratiæ sanctificanti communem. ergo ex hac parte est implicatoria. Antecedens probatur: Nam nulla est forma, quæ secundùm suam vltimam differentiam non radicet aliquas proprietates, potentias, seu operationes; anima enim sensitiva licèt radicet aliquas potentias secundùm gradum communem, nulla tamen est forma sensitiva, quæ secundùm suam speciem non radicet aliquas speciales potentias, quæ ab alia anima nequeant dimanare, vt liquet in anima leonis, quæ est radix rugiendi, in anima equi, quæ est radix hinniendi, & in anima rationali, quæ vt sensitiva est radix ridendi: ergo gratia illa singularis, & imperfecta secundùm suam vltimam differentiam debet radicare aliquas proprietates, seu operationes, quæ nequeant ra-

radicari in gratia sanctificanti ; sed non potest radicare alias, nisi habitum fidei, & spei : ergo nequeunt radicari in huiusmodi gratia secundùm gradum sibi, & gratiæ sanctificanti communem. *Ad hæc* : Gratia sanctificans secundùm rationem differentialem radicat aliquas proprietates, quæ repugnant radicari in gratia illa imperfecta, v.g. charitatem, & lumen gloriæ : cur ergo hoc denegari debet gratiæ illi imperfectæ? *Maximè*: quia si gratia secundùm gradum communem radicaret fidem & spem, gratia sanctificans secundùm gradum specificum, & generi-cum radicaret proprietates inter se contrarias: nam secundùm gradum genericum radicaret fidem, & secundùm gradum specificum lumen gloriæ; hoc est implicatorium, vt ex se liquet: ergo & prædicta gratia.

Secundò : Repugnat donum supernaturale, quod petat destrui vi iustificationis, & quod petat infundi vi peccati lethalis ; sed vtrunque affirmat modus dicendi Godoy : ergo huiusmodi gratia est omninò implicatoria. Maior quoad primam partem probatur : Nam repugnat donum supernaturale, quod inconiungibile sit cum gratia & amicitia Dei, & inordinabile in Deum finem supernaturalem, sicut repugnat effectus naturalis inordinabilis in Deum vt authorem naturalem : ergo repugnat donum supernaturale, quod petat destrui vi iustificationis. Quoad secundam partem etiam ostenditur ex Div. Thoma 2. 2. quæst. 4. art. 4. vbi referens sententiam aliquorum dicentium, quòd vi iustificationis tollebatur fides informis, & quòd peccante homine hæc destruebatur, & succedebat fides informis, sic ait : *Sed hoc non videtur conveniens, quòd gratia adveniens homini aliquod Dei donum excludat, nec etiam quòd aliquod Dei donum homini infundatur propter peccatum mortale.* Idem tradit quæst. 14. *de Verit.* art. 7. vbi ait : *Nec est probabile, quod dicunt, quòd tunc iterum donum Dei fidei informis ei infundatur : quia sic, ex hoc ipso quòd aliquis peccaret, disponeretur ad recipiendum aliquod donum à Deo.*

98 Et licèt modus ponendi hanc gratiam, quem habet Palanco, his impugnationibus non subiaceat ; ex alijs tamen capitibus potest impugnari. *Primò* : quia fides potest persevgrare sine spe, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 20. art. 2. vbi docet, *fidem posse compati cum desperatione* : ergo peccatum desperationis destrueret gratiam illam radicantem fidē, & spem. Patet consequentia : Tum, quia tunc non remaneret illa gratia, quæ est radix vtriusque habitus. Tum etiam, quia diversa est gratia, quæ radicat solam fidem, ab ea quæ radicat fidem & spem. Tum denique: quia peccatum destruens immediatè charitatem, etiam destruit gratiam illam radicantem : ergo peccatum destruens spem, etiam destrueret gratiam illam radicantem. *Adde* : Nam peccatum infidelitatis destrueret non solùm fidem, sed etiam illam peculiarem gratiam, quæ illam radicaret : ergo etiam peccatum desperationis destrueret gratiam illam radicantem. Nunc inquiro, dum aliquis peccat peccato desperationis, vel actus fidei procedit ab anima sine gratia radicali illam elevanti? Et si hoc dicatur, manet argumentum in suo robore. Vel procedit ab alia gratia radicante præcisè fidem, distincta ab ea, quæ radicat fidem, & spem ? Si hoc asseratur, redeunt authoritates D. Thomæ, nempè, quòd propter illud peccatum teneatur Deus infundere gratiam tantùm radicativam spei; &, adveniente gratia radicante vtrunque habitum, destruatur gratia radicans solam fidem. Nisi mavis dicere, quod datur triplex gratia specie distincta ab initio iustificationis; quod apud nullum erit benè auditum.

Secundò refellitur hic modus dicendi. Nam dum iustus elicit aliquos actus supernaturales, quos medijs præcisè auxilijs elicit peccator, vel gratia sanctificans concurrit ad illos quoad substantiam, vel non, sed vnice fiunt ab auxilijs? Si dicatur primum : ergo etiam concurrit ad actus fidei, & spei non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam : paritas enim est eadem : ergo superflua est alia gratia in iusto; consequenterque destrueretur. Si dicatur secundum: ergo gratia non influit activè ad omnes actus supernaturales in iusto ; quod est inauditum.

Tertiò & vltimò : Si daretur huiusmodi gratia, quæ neque infunderetur in statu peccati, neque destrueretur adveniente gratia sanctificanti, necessariò infunderetur in parvulo per iustificationem (v.g.) baptismi; sed hoc repugnat : ergo chimerica est talis gratia. Minor probatur : Repugnat, eundem actum æquè primò producere duas naturas specie diversas; sed ita se haberent gratia sanctificans, & hæc gratia peculiaris & imperfecta, cùm non comparentur per modum termini primarij, & secundarij: ergo nequit hæc gratia infundi per iustificationem.

99 Neque rationes (absque vlla authoritate) quæ movent hos Authores ad hanc gratiam imperfectam stabiliendam, adeò vrgent, vt doctrina communi Thomistarum non maneant convulsæ. *Prima est* : Habitus fidei, & spei in peccatore sunt principia permanentia vitalia vitæ supernaturalis, quibus connaturalitèr vivit ; sed principia permanentia vitalia petunt connaturalitèr radicari in aliqua vita radicali eiusdem ordinis: ergo habitus fidei, & spei in peccatore exigunt aliquam naturam supernaturalem, in qua connaturalitèr radicentur: Tunc sic ; sed hæc natura nequit esse ipsa anima, vt supponitur, neque gratia sanctificans, aliàs sine illa essent in statu præternaturali, & consequenter per modum transeuntis, & non per mo-

dum

dum habitus: ergo connaturalitèr petunt radicari in gratia alia habituali imperfecta, adæquata tamen his duobus habitibus. *Secunda est*: Quia voluntas divina potest participari perfectè per charitatem, & imperfectè per spem: item intellectus divinus potest participari perfectè per lumen gloriæ, & imperfectè per fidem: ergo etiam natura divina potest participari perfectè per gratiam sanctificantem, quæ est radix amandi, & videndi Deum; & imperfectè per aliam gratiam, quæ sit radix credendi, & sperandi.

Nam ad primam respondetur, habitus fidei, & spei in peccatore, licèt defactò conserventur sine miraculo separati à gratia, non habere statum omninò connaturalem, quia ex se petunt coniungi cum gratia sanctificanti: gratia enim in quocumque statu petit aliquam facultatem intellectivam eiusdem ordinis cum ea; hæc autem in præsenti statu nequit esse alia præter fidem: petit ergo coniungi cum gratia sanctificanti, & gratia sanctificans pro hoc statu petit operari cum fide: quod stare non posset, si fides radicaretur in alia gratia speciali. Ratio autem, cur fides potest conservari citra miraculum separata à gratia sanctificanti, cum qua petit coniungi, est duplex: prima, quia estò quando primò producitur in instanti iustificationis, vt in parvulo, producatur ex vi eiusdem actionis terminatæ ad gratiam; ex se tamen & secundùm suam subsistantiam neque habet statum virtutis, qui dependet essentialitèr à charitate, vt tradit Div. Thomas 1. 2. quæst. 65. art. 4. neque est rigorosa proprietas illius, sed se habet vt accidens commune, & illi connaturale: quod sufficit, vt in statu peccati sit quasi in statu præternaturali, sicut calor receptus in aqua, & separatus ab igne. *Secunda est*: quia fides & spes, estò sint habitus permanentes & vitales, non gaudent vita perfecta supernaturali: qua de causa ex vna parte connaturalitèr petunt coniungi cum vita perfecta, qualis est gratia sanctificans; & ex alia citra miraculum possunt conservari sine aliqua radice; sicut de actibus, qui fiunt medijs auxilijs, dicunt Adversarij.

Ad secundam facilius respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam, propter ingentem disparitatem inter participationes voluntatis & intellectus divini, & naturæ divinæ. Nam omnis participatio naturæ divinæ est participatio formalis illius, saltem quoad effectum primarium formalem illius, qui est *esse* supernaturale, in qua participatione non datur locus ad distinctionem specificam. ¶ Si fortè dicatur, quòd participatio *esse* divini vt radicans fidem & spem, & participatio vt radicans charitatem arguit distinctionem specificam; sicut in naturalibus radicare diversas proprietates & operationes est argumentum distinctionis specificæ. Si hoc, inquam, dicatur, erit includere prædicata contradictoria. Nam illud duplex *esse* esset specie diversum propter rationem præfatam: & non esset specie distinctum, quia effectus formalis primarius esset idem in vtraque gratia, vtpotè participatio formalis eiusdem *esse* divini. Cæterùm participatio intellectus divini per fidem non est participatio formalis illius, cùm in Deo non detur cognitio obscura; & participatio per lumen gloriæ est participatio formalis (idemque militat in participatione voluntatis divinę per charitatem, & spem) Undè non est mirum, quòd detur locus illis duabus participationibus specie distinctis penes perfectum, & imperfectum essentialitèr.

100 Unde missa illa solutione huic singulari, & imperfectæ gratiæ innixa: Pro vera responsione ad primum exemplum animæ supponendum est, quòd anima nequit proximè concurrere ad vllam operationem supernaturalem, sed tantùm per modum radicis medijs potentijs proximis. Difficultas tamen stat, quomodò anima elevetur, vt per modum radicis possit operari, & vivere supernaturalitèr. Dico ergo, quòd dum anima elevatur per aliquid intrinsecè & immediatè receptum in ea, hæc elevatio potius deservit ad dandum *esse*, quàm ad operandum: quia anima ordinatur persè primò ad *esse*, non verò ad immediatè operandum. Unde sufficientèr intelligitur elevata ad operandum ex genere, quando eius potentiæ proximè operativæ sunt elevatæ per aliquod donum in eis intrinsecè & immediatè receptum, licèt ob peculiarem quarundam operationum perfectionem elevatio potentiæ per virtutes petat radicari in elevatione animæ per gratiam, vt sunt charitas, & lumen gloriæ. Anima autem ex vna parte non est proximè operativa; & ex alia fides, & spes secundùm suam subsistantiam non sunt perfectè vitales vita supernaturali, sed tantùm imperfectè & inchoativè. Et ob has rationes non requiritur ad actum fidei, & spei elevatio gratiæ receptæ immediatè in ea, sed sufficit elevatio habituum fidei, & spei, qui proximè elevant potentias, & remotè ipsam animam; sicut eadem præmotio sufficit ad movendam proximè potentiam, & remotè animam.

Ad secundum exemplum n. 96. adductum: Respondetur, quòd habitus naturales non præstant positivè facilitatem ad actus supernaturales, sed tantùm negativè & indirectè, inquantùm removent prohibens: quia acquisitis virtutibus naturalibus per repetitionem actuum eiusdem ordinis, impediuntur peccata, quæ ex se sunt obstacula, vt virtutes supernaturales exerceant suos actus supernaturales. Ad alia duo exempla sufficientèr liquet ex dictis disp. 1. num. 74. Et pro specie videantur N. Salm. tract. *de Pœnit.* disp. 6. à num. 101. vbi speciei naturali concedunt ex mente D. August. & D. Thomæ elevationem non solùm ad influxum activum, sed etiam

etiam ad ipsam formalem repræsentationem, quæ quidem elevatio est tota virtus proxima ad vtranque expressionem. Videantur etiam dicta à nobis disp. 2. à num. 58.

§. VIII.

Quintum argumentum desumptum ex vitalitate.

101 ARguitur *quintò*: Visio beata est vitalis secundùm vltimam suam differentiam: ergo petit procedere proximè à principio vitali; sed sola potentia est principium vitale: ergo visio beata secundùm vltimam suam differentiam, & sub ratione *vitalis* petit procedere proximè ab intellectu. Minor probatur: Nam de ratione principij proximi vitalis est, quòd procedat à principio radicali vitali, & ad id non sufficit, quòd recipiatur intrinsecè in principio vitali; sed lumen gloriæ non dimanat ab anima, quæ est radix totius vitæ: ergo sola potentia dimanans ab ea est principium proximum vitale. Maior patet tum in calore, qui intrinsecè recipitur in aqua; & tamen non est vitalis: tum in specie impressa, quæ intrinsecè recipitur in potentia vitali, quin sit vitalis.

Nec valet dicere, quòd lumen gloriæ est vitale, quia dimanat à gratia, quæ est origo & radix totius vitæ supernaturalis; sicut intellectus dimanat ab anima. Non, inquam, valet. Tum, quia *lumen gloriæ radicari in gratia* solùm arguit, quòd gratia cum virtutibus verè agat, & quòd intellectus & anima merè passivè se habeant ad operationes gratiæ. Aqua enim affecta calore non agit calefactionem, sed merè passivè se habet ad eam, quia calor non dimanat ab aqua: ergo cùm gratia, & virtutes non dimanent ab anima, sicut hæc merè passivè se habet ad eas, etiam ad operationes. Fatendum est ergo, operationes sub ratione *vitalium* correspondere potentiæ. Tum etiam: Nam visio beata potest procedere proximè ab auxilio, vt tenet communis sententia Thomistarum, licèt iuxta nostram sententiam debeat radicalitèr procedere à gratiâ: ergo auxilium proximum non operatur vitaliter. Patet consequentia: Nam huiusmodi auxilium non dimanat à gratia, sed totalitèr est ab extrinseco: Ob quam rationem si intellectus non dimanaret ab anima, hæc non posset concurrere vitalitèr in operationes intellectus.

Confirmatur *primò*: Nam quòd expressio *vitalitatis* pro implicito importet aliquid, quod superat vires naturales potentiæ, nempè, supernaturalitatem, non obstat, quòd contineatur in potentia, licèt expressio *supernaturalitatis* non contineatur: ergo poterit ratione sui producere actum supernaturalem sub expressione *vitalis*. Antecedens probatur: Non minùs expressio *entis* in peccato commissionis importat pro implicito deformitatem, quàm vitalitas visionis supernaturalitatem, cùm in vtroque exemplo solùm interveniat distinctio penes implicitum & explicitum; sed quòd Deus non præcontineat deformitatem, non arguit non præcontinere expressionem *entis*: ergo quòd potentia non præcontineat expressionem *supernaturalitatis*, non obstat præcontinentiæ expressionis *vitalitatis* in potentia.

Confirmatur *secundò*: Non minùs repugnat, principium non vitale influere activè in actum vitalem, quàm principium vitale naturale influere proximè in actionem vitalem supernaturalem; sed principium non vitale potest influere in operationem vitalem: ergo etiam principium vitale naturale potest proximè influere in operationem vitalem supernaturalem. Patet consequentia: nam non magis proportionatum est principium non vitale cum operatione vitali, quàm principium vitale naturale cum operatione vitali supernaturali. Minor verò probatur: Species impressa non est vitalis, cùm multoties procedat ab obiecto inanimato; & tamen concurrit ad actum vitalem: ergo principium non vitale &c.

102 Ad argumentum respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam, nempè, quòd lumen gloriæ, & reliquæ virtutes infusæ à gratia dimanantes eò sunt vitales, quia dimanant à vita radicali, scilicèt gratia, de cuius ratione est, quòd sit participatio formalis naturæ divinæ sub ratione videndi, & amandi Deum. Hæc autem vita radicalis, eo ipso quòd supernaturalis, necessariò petit provenire ab extrinseco, cùm nequeat præcontineri in principijs naturæ. *Quibus adde*: quòd estò virtutes proximè operativæ in ordine supernaturali non dimanarent à gratia, non ob hoc essent inanimatæ. Quia vita multiplicitèr contingit: alia enim est vita radicalis; & hæc necessariò petit esse ab extrinseco, aliàs non esset prima; & hoc modo est anima in ordine naturali, & gratia in ordine supernaturali. Alia est originativè per modum principij proximi; & hæc non petit acquiri nostris actibus, sed sufficit, quòd secundùm providentiam ordinariam dimanet à vita radicali; vti se habet intellectus respectu animæ, & lumen gloriæ respectu gratiæ. Diximus *iuxta providentiam ordinariam*: quia non inconvenit dicere, quòd potentia immediatè operativa possit produci per potentiam Dei absolutam per diversam actionem, & non per dimanationem; quin ob hoc desinat esse potentia vitalis, maximè in sententia Adversariorum: idemque à fortiori debet dici de virtutibus dimanantibus à gratia. Alia est per modum habitus perfectivi potentiæ vitalis: quæ, eo ipso quòd sit determinatio & elevatio illius, nequit non esse vitalis, estò aliàs proveniat ab extrinseco: & in hoc ge-

ne-

nere vitæ possunt convenire tum habitus naturalis, quàm supernaturalis.Alia tandem est perfectissima in conceptu formali *vitæ* : quæ ob hanc rationem petit oriri ab intrinseco , vtì est operatio vitalis , per quam principium petit ab intrinseco moveri.¶ Per quod constat ad exemplum caloris. Calor enim caret vita , non præcisè quia non est ab intrinseco , sed quia aqua per eum non operatur immanenter, & quia non est propria virtus eius,sed ignis. Cœterùm virtus sivè naturalis, sivè supernaturalis, estò proveniant ab extrinseco , operantur per actionem immanentem , & semel recepta fit propria virtus eius. Cuius signum est , quòd lumen gloriæ non est , quod videt , sed intellectus per lumen; neque charitas est , quæ amat , sed voluntas per charitatem. Et ratio radicalis & à priori horum est : quia intellectus & voluntas habent coaptationem essentialem ad omnem rationem *veri*,& *boni* , omniaque continentur sub obiecto specificativo harum potentiarum , quare virtus necessaria ad attingentiam horum obiectorum fit propria virtus potentiæ ; proindeque non solùm potentia , sed etiam virtus concurrit vitaliter in actum ; & si est adæquatè supernaturalis, est virtus proxima vitalis. Ad exemplum speciei constabit ex responsione secundæ confirmationis. Qua solutione benè perpensa , præcaventur sufficienter impugnationes contra illam traditæ , quin oporteat aliquid addere.

103 Ad primam confirmationem respondetur , negando antecedens. Et ad eius probationem desumptam ex paritate peccati, dicendum , esse notum discrimen in vno, & alio casu, licèt quoad indistinctionem omnimodè conveniant. Nam in peccato commissionis vera entitas physica reperitur , & cùm influxus Dei versetur circa ens sub vniversalissima ratione *entis*, non est , cur Deus non possit concurrere in entitatem physicam peccati sub ratione *entis*,licèt nequeat concurrere in ipsam expressionem *malitiæ* seu *deformitatis*, in qua non exprimitur ratio *entis*. Et ratio huius à priori est : quia ens sub vniversalissima ratione *entis* continetur in virtute Dei;cœterùm in visione beata nulla formalitas , nullavè expressio reipsà datur , quæ contineatur in virtute nativa intellectus : nam in illo solùm valet contineri expressio seu formalitas naturalis ; expressio autem *vitalitatis* est formaliter supernaturalis, licèt non explicet supernaturalitatem : vnde nequit ab intellectu ratione sui produci sub expressione *vitalis*. In summa dicimus, quòd cùm intellectus adæquatè producatur à Deo vt determinatè authore naturali, nequit contineri in eo , nisi formalitas aut expressio determinatè naturalis : cùm ergo visio beata,etiam iuxta sententiam Adversariorũ,sit adæquatè supernaturalis,nihil refert, quòd hoc exprimat,vel non,vt possit in intellectu secundùm se præcontineri sub aliqua formalitate.

104 Ad secundam respondetur , duplex esse genus speciei impressæ : alia enim est , quæ producitur ministerio sensuum internorum , vel per intellectum agentem ; & huic non est cur denegetur vitalitas sufficiens per modum complementi & determinationis intrinsecæ potentiæ vitalis, cùm producatur per actionem vitalem; proindeque de hac nihil probat confirmatio. Alia est, quæ provenit omninò ab extrinseco,vt species immissa ab obiecto inanimato; & de hac procedit præcipuè confirmatio. Ad quam respondetur , iuxta doctrinam N. Complut. *de Anima* disp. 17. num. 28. quòd huiusmodi species habet ex se sufficientem vitalitatem, vt activè & vitaliter influat in cognitionem : nam ex se est determinatio potentiæ vitalis ; quæ est ratio sufficiens ad tribuendam illi aliquam vitalitatem intrinsecam , sicut de habitibus sivè naturalibus, sivè supernaturalibus suprà dictum est.Hæc autem vitalitas speciei non producitur ab obiecto inanimato , nisi in virtute substantiarum separatarum , sicut & immaterialitas ipsius.¶ Vel potest responderi,iuxta aliam doctrinam N. Complut. antiq. in lib. *de Anima*.disp. 18. num. 70. speciem non concurrere vitaliter in cognitionem, quia non influit vt virtus potentiæ , sed vt virtus obiecti. Iuxta quam, concesso antecedenti; negari debet consequentia. Et ratio disparitatis est, quòd in intellectione datur duplex formalitas pertinens ad diversam lineam , scilicet, intentionalis , & physica ; & secundùm primam,quæ non explicat vitalitatem, potest oriri à specie ; & secundùm alteram, in qua exprimitur vitalitas, procedit à potentia:Ex quo colligitur , quòd intellectus , & species se habeant vt duæ causæ partiales.Hoc autem non habet locum in visione beata per ordinem ad intellectum , & lumen gloriæ : quia nulla est formalitas vitalis , quæ non fit etiam supernaturalis ; proindeque nequit procedere à principio naturali vitali,quale est intellectus.

§ IX.

Vltimum argumentum desumptum à libertate.

105 VLtimò arguitur : Voluntas ratione sui concurrit proximè in actum charitatis sub ratione *liberi* ; sed eadem ratio militat in intellectu in ordine ad visionem beatam sub ratione *vitalis* : ergo intellectus est causa partialis illius. Maior probatur : Charitas non est libera vt *quo* : ergo voluntas est proxima virtus influendi in actum charitatis sub ratione *liberi*. Antecedens probatur: Charitas non est libera libertate contrarietatis , nec libertate contradictionis : ergo nullo modo est libera vt *quo*. Antecedens quoad primam partem probatur : Liberum libertate contrarietatis potest

po-

ponere actus contrarios; sed charitas nequit ponere actus contrarios; aliàs per charitatem possemus Deum odio habere: ergo non est libera libertate contrarietatis. Quoad secundam etiam probatur: Liberum libertate contradictionis est potens ponere omissionem actus; sed charitas non est potens ponere omissionem sui actus: ergo neque est libera libertate contradictionis. Minor probatur: Nam, vrgente præcepto amoris, charitas vel posset ponere omissionem amoris per positivam nolitionem, aut per puram omissionem, aut per permissionem, permittendo, scilicèt, omissionem amoris ponendam à voluntate; sed nullo ex his modis potest ponere omissionem: non primo, quia omnis actus charitatis est amor in Deum vltimum finem; nolitio autem recessus ab illo: neque secundo, quia omissio amoris est virtualis nolitio illius; proindeque si nolitio positiva nequit effluere à charitate, neque omissio: neque tertio, nam actus charitatis non solùm permissivè; sed etiam positivè est liber vtraque libertate: vel ergo charitas non est libera, per hoc quòd permittat omissionem amoris; vel est libera, per hoc quòd possit ponere positivè omissionem. Igitur non est potens ponere omissionem sui actus.

Confirmatur *primò*: Nam, eo ipso quòd actus charitatis sit liber vtraque libertate, debet assignari principium proximum potens ponere actum charitatis, & extremum contrariè, vel contradictoriè oppositum; sed charitas nec vt *quo* potest ponere vtrunque extremum oppositum: ergo voluntas potest proximè ponere actum charitatis, & eius extremum oppositum.

Confirmatur *secundò*: Principium liberum agit ex electione; sed hoc tantum potest competere voluntati: charitas enim non est elective, sed omninò determinata ad amorem: ergo voluntas est sola virtus proxima agendi actum charitatis sub ratione *liberi*.

Confirmatur tandem totum hoc eleganti testimonio D. Thomæ 1. 2. quæst. 114. art. 3. vbi ait: *Opus meritorium hominis dupliciter considerari potest. Vno modo, secundùm quòd procedit ex libero arbitrio. Alio modo, secundùm quòd procedit ex gratia Spiritus-sancti. Si consideretur secundùm substantiam operis, & secundùm quòd procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas propter maximam inæqualitatem, sed est ibi congruitas propter quandam æqualitatem proportionis::: Si autem loquamur de opere meritorio secundùm quòd procedit ex gratia Spiritus-sancti, sic est meritorium vitæ æternæ de condigno.* Ergo in opere meritorio datur formalitas, quæ procedat proximè ex libero arbitrio. Patet consequentia: nam si omnis formalitas procederet proximè à charitate & gratia Spiritus-sancti, secundùm omnem formalitatem esset meritorius vitæ æternæ, contra mentem Div. Thomæ.

106 Hoc argumentum cum suis confirmationibus potest facilè ex multiplici capite retorqueri in Adversarios. Nam illud per vos est principium liberum, quod potest agere, & non agere, vel agere actum contrarium: ergo sicut voluntas ex se est principium adæquatum odij Dei, vel omissionis actus charitatis, etiam erit principium adæquatum actus charitatis: quod est falsum adhuc in sententia contraria. *Vel alio artificio*: De ratione principij liberi est, quod ex se possit ponere actum, & omissionem illius: ergo si voluntas ratione sui potest adæquatè ponere vt potentia naturalis omissionem actus, etiam vt potentia naturalis potest ponere adæquatè actum charitatis: quod negant Adversarij. *Vel tandem*: Cui nullo modo tribuitur omissio actus, nullo modo tribuitur actus, cuius est omissio; sed charitati nullo modo tribuitur omissio actus charitatis præcepti: ergo nullo modo tribuitur actus charitatis: quod est contra SS. Patres. Deinde retorquetur argumentum iuxta principia specialia Adversariorum. Nam Pater Alderete concedit in lumine vitalitatem vt *quo*: ergo tenetur concedere in charitate libertatem vt *quo*: par enim ratio est in vtroque habitu. Ripalda docet, quòd actus charitatis potest à Deo prohiberi, proindeque potest esse inhonestus: iam ergo charitas potest eligere actum inhonestum: cur ergo repugnabit elicere omissionem peccaminosam? Et iuxta ipsum non repugnat substantia supernaturalis peccatrix, cui esset connaturalis habitus charitatis: ergo iuxta hanc sententiam charitas ipsa poterit peccare.

107 Respondebitur ergo ad argumentum notando prius, quòd alia est libertas actus, alia virtutis, & alia potentiæ. Libertas enim actus non permittit in se aliquam indifferentiam, aliàs amor posset esse odium, seu omissio illius; quod est chimæricum: ex se enim tantùm petit, quòd sit exercitium potentiæ indifferentis. Libertas potentiæ exigit indifferentiam positivam ad actum, & ad eius omissionem. Demùm libertas virtutis non exigit indifferentiam positivam ad omissionem, cùm ex suis prædicatis essentialibus sit determinatio potentiæ liberæ ad speciem actus. Undè vt virtus sit libera vt *quo*, non requiritur, quòd ipsa possit exercere actum oppositum, vel sit principium omissionis; virtus enim sivè naturalis, sivè supernaturalis non est ratio eliciendi actum oppositum, nec omissionem actus proprij; sed sufficit, quòd ita sit determinatio potentiæ ad suum actum, quòd permittat potestatem in potentia ad actum contrarium, vel ad omissionem proprij actus.

Ex quibus constat ad 1 argumentum. Negandæ ergo est maior. Ad cuius probationem dicendum, quòd licèt ad libertatem potentiæ requiratur, quòd possit ponere vtrunque extremum

mum oppositum vel contrariè, vel contradictoriè; ad libertatem verò virtutis sufficit, quòd ita sit determinatio potentiæ ad speciem actus (v. g.) amoris, quòd relinquat potestatem in potentia ad extremum oppositum vtroque modo. Porrò libertas potentiæ sufficienter salvatur, si ratione habitus per modum virtutis proximæ adæquatæ potest producere actum amoris, & ratione sui actum oppositum: nam eo ipso quòd possit vti habitu ad exercendum eius actum, & eo non vti, sed ratione sui se exercere per actum oppositum, salvatur indifferentia sufficiens in potentia in actu primo, & actus sivè supernaturalis, sivè eius oppositus evadit liber vt exercitium determinatum illius: quod & non amplius exposcit libertas in actu secundo. Per quod constat ad primam confirmationem.

Ad secundam respondetur, quòd principium liberum per modum *potentiæ* est elicitivum oppositorum: principium verò per modum *virtutis* solùm exposcit, quòd sit positivè elicitivum vnius extremi, & permissivè seu negativè se habeat ad actum oppositum. Nam eo ipso quòd non auferat à potentia potestatem proximam ad oppositum, actus evadit formaliter liber: Ad quod omninò de materiali se habet, quòd charitas (v.g.) sit tota ratio proxima agendi actum illius: nam cum eo, quòd charitas sit tota ratio proxima agendi in actum illius, salvatur, quòd potentia possit vti charitate per modum virtutis proximæ adæquatæ, & possit non vti exercendo suam nativam virtutem in ordine ad actum contrarium.

108 Sed dices: Ad libertatem actus charitatis non sufficit, quòd voluntas ratione sui possit elicere oppositum, si ratione sui nequit ponere actum charitatis: ergo quòd charitas permittat in voluntate potestatem ad actum oppositum, non sufficit ad libertatem. Antecedens probatur: Si charitas est tota ratio agendi actum charitatis, voluntas ratione sui non potest elicere vllum actum incompossibilem cum actu charitatis; sed ad libertatem requiritur, quòd principium liberum saltèm per modum potentiæ possit ponere extrema contrariè sivè contradictoriè opposita: ergo nisi voluntas ratione sui possit ponere actum charitatis, non potest illum ponere liberè. Maior probatur: Nam quando principia proxima sunt adæquatè distincta, quamvis contrariè agant, non agunt incompossibiliter, proindeque non ponerent extrema contrariè aut contradictoriè opposita, vt mille exemplis ostendi potest.

Respondetur, quòd quando principia proxima per modum *potentiæ* sunt diversa, tunc verum est, quòd actus aliàs contrarij non sunt incompossibiles. Cæterùm si actus secundùm se sunt contrarij, non obstat eius incompossibilitati & oppositioni, quòd principia proxima sint diversa, si potentia est eadem: nam potentia estò non agat in actum (v.g.) charitatis ratione sui, sed ratione charitatis, verè tamen agit. Sicut ob hanc rationem nequit idem intellectus per fidem credere Deum, & per lumen gloriæ videre ipsum; & per opinionem assentiri eidem propositioni, cui assentitur per scientiam.

109 Ad vltimam confirmationem desumptam ex D. Thoma: Respondetur, opus meritorium esse in duplici differentia: aliud enim est tàm quoad entitatem, quàm quoad modum supernaturale, vt actus charitatis; aliud est naturale quoad substantiam, & quoad modum supernaturale, vt actus virtutis naturalis in iusto, qui ex informatione charitatis est supernaturalis quoad modum, licèt quoad substantiam sit naturalis, cùm procedat proximè à virtute, seu potentia naturali. In hoc ergo actu facile est assignare formalitatem, secundùm quam procedit à libero arbitrio, & formalitatem, secundùm quam procedit ex gratia Spiritus-sancti. D. Thomas autem solùm intelligendus est de opere naturali proximè descripto. Neque in ordine ad illud vt supernaturalizatum excludit influxum liberi arbitrij, aliàs in actum charitatis nullum influxum præstaret, quod est hæreticum; sed tantùm vult, quòd ratione sui influit in opus naturale secundùm suam substantiam; & vt elevatum per modificationem charitatis in ipsum vt supernaturalizatum. Vel si loquatur de opere supernaturali quoad substantiam: interpretandus est de opere illo, prout procedit à libero arbitrio vt elevato per auxilium, vel per gratiam per modum auxilij; quo pacto excludit gratiam Spiritus-sancti, in qua exprimitur gratia habitualis & sanctificans. Pro quo videantur omninò N.Salm.tract. 16.disp.4.num.16.§. *Adde*:

DISPUT. IV.

De Obiecto Visionis Beatæ.

DEspectis iam principijs visionis beatæ, consequens erat, vt de ipsa visione sermo institueretur: At quia notitia eius, & plurium quæ erga eam scisitantur, sufficienter constat ex dictis in disputationibus præced. non dicamus ei specialem disputationem. Et propterea solùm superest, vt de eius obiecto disseramus. Pro quo in limine supponimus, visionem beatam habere idem obiectum primarium, ac visionem divinam sivè primordialem, sivè scientificam, cum discrimine tantùm penes finitatem & infinitatem; cùm sit participatio formalis illius: ob quam rationem idipsum discurrunt Theologi de actu charitatis. De obiecto autem intellectionis primordialis, & scientificæ Dei agemus tract. sequenti. Undè præcipuus scopus huius dis-

disputationis solùm erit circa modum, quo visio tendit ad Deum, qui est eius obiectum primarium; & ad creaturas, quæ sunt obiectum eius secundarium.

DUBIUM I.

Vtrùm Beati per potentiam Dei absolutam possint ipsum comprehendere?

1 NOmine *comprehensionis* in præsenti solùm intelligimus eam cognitionem, qua obiectum cognoscitur tantùm, quantùm ex natura sua cognoscibile est. Pro cuius descriptione videnda omninò sunt, quæ prænotabimus in tract. *de Scientia Christi* disp. 2. *in limine primi dubij*. Sed disidium est apud Authores in intelligentia prædictæ descriptionis. Nam plures sunt Scotistæ, qui asserunt, non requiri ad comprehensionem, quòd cognoscantur omnia, quæ tàm formaliter, quàm virtualiter sunt in obiecto: Ex quo inferunt, Verbum divinum procedere ex cognitione comprehensiva essentiæ prescindentis ab attributis, & relationibus: Addunt tamen, quòd ad comprehensionem omninò desideratur, quòd essentia, adhuc vt præcisa ab attributis, & relationibus, cognoscatur secundùm omnes modos, quibus potest cognosci. Alij ex eadem familia, quibus etiam subscribunt aliqui ex Societate, dicunt, ad comprehensionem requiri omninò, quòd cognoscantur omnia formalia, quæ sunt in obiecto, non vtcumque, sed tanta actualitate, claritate, & perfectione, qua ex natura sua petunt cognosci. Pro quo:

§. I.

Supponuntur aliqua:

2 SUpponendum est *primò*, ad comprehensionem strictam requiri omninò, quòd obiectum cognoscatur secundùm omnia formalia, quę vel essentialiter, vel per modum proprietatis illi conveniunt. Quod sic suadetur: Nullum obiectum potest comprehendi, nisi cognoscatur ea perfectione, qua ex natura sua petit cognosci; sed nisi cognoscantur omnia, quæ vel essentialiter, vel per modum ptoprietatis ei conveniunt, nequit cognosci ea perfectione, qua ex natura sua petit cognosci: ergo ad strictam comprehensionem alicuius obiecti omninò desideratur, quòd cognoscantur omnia, quæ vel essentialiter, vel per modum proprietatis illi conveniunt. In maiori omnes conveniunt, aliàs Beati defactò Deum comprehenderent; quod est hæreticum, vt infrà dicemus. Minor probatur: Obiectum non cognoscitur ea per perfectione, qua petit ex natura sua cognosci, quando non cognoscitur tota essentia illius; tunc enim cognitio essentiæ non est adæquata, proindeque non comprehensiva; sed nisi cognoscantur omnia, quæ vel essentialiter, vel per modum proprietatis ei conveniunt, non cognoscitur tota essentia illius: ergo nequit cognosci ea perfectione, qua ex natura sua petit cognosci. Minor probatur: Licèt proprietates non sint de essentia rei, de essentia tamen illius est radicare suas proprietates: v. g. licèt intellectus non sit de essentia animæ rationalis, de essentia tamen illius, quacumque præcisione facta, est radicare intellectum; sed nequit res cognosci vt radicativa suarum proprietatum, quin ipsæ proprietates cognoscantur: ergo nequit tota essentia illius cognosci, quin cognoscantur omnia, quæ vel essentialiter, vel per modum proprietatis ei conveniunt.

Explicatur: De essentia rei est radicare suas proprietates in particulari: ergo vt essentia illius perfectè cognoscatur, non solùm debet cognosci vt radicativa suarum proprietatum in confuso, sed etiam in particulari; sed nequit hoc modo cognosci, nisi cognoscantur eius proprietates in particulari: ergo ad comprehensionem strictam cuiuslibet essentiæ omninò desideratur, quòd cognoscantur proprietates illius in particulari. Minor subsumpta probatur: Tum, quia nequit essentia cognosci, nisi cognoscantur proprietates, non alia ratione nisi quia essentia essentialiter est radicativa earum: ergo si essentialiter est radicativa earum in particulari, nequit perfectè cognosci, quin etiam cognoscantur ipsæ in particulari. Tum etiam: quia essentia animæ nostræ nequit perfectè cognosci, quin cognoscatur, prout radicat potentias pertinentes ad gradum vegetandi, sentiendi, & intelligendi, prout distinctas à potentijs aliarum formarum: ergo vt perfectè cognoscatur, debent cognosci potentiæ eius in particulari. Neque huic exemplo officit exemplum potentiæ obedientialis animæ nostræ, quæ potentia non cognoscitur ab Angelo, estò ab eo anima comprehendatur: propter dicta disp. 1. num. 30.

3 Supponendum est *secundò*, ad strictam comprehensionem obiecti requiri etiam, quòd cognoscantur omnia, quæ virtualiter ei conveniunt. Ad quod suadendum ratio præcedens applicatur sic: Nequit essentia rei perfectè cognosci, quin cognoscatur sub ratione *naturæ*; sed nequit cognosci sub ratione *naturæ*, quin cognoscantur omnia, quæ virtualiter ei conveniunt: ergo ad strictam comprehensionem obiecti omninò requiritur, quòd cognoscantur omnia, quæ ei virtualiter conveniunt. Maior ex dictis patet. Et minor probatur: Nequit res sub ratione *naturæ* perfectè cognosci, quin cognoscatur perfectè proprietas eius sub ratione *virtutis*; sed nequit perfectè cognosci proprietas sub ratione *virtutis*, quin cognoscantur in particulari effectus, qui virtualiter in ea præcontinentur: ergo nequit res cognosci perfectè

sub ratione *naturæ*, quin cognoscantur in particulari omnia, quæ ei virtualiter conveniunt. Maior est certa: quia proprietas sub ratione *virtutis* correspondet directè vt proprietas essentiæ sub ratione *naturæ*. Minor verò probatur: Nam ideò essentia nequit perfectè cognosci, quin cognoscantur omnes proprietates eius in particulari, quia est de eius essentia illas in particulari radicare; sed etiam est de essentia proprietatis per modum virtutis præcontinere omnes eius effectus in particulari, cùm virtus activa definiatur per ordinem ad omnes suos effectus in particulari, vt tradit Div. Thomas quæst. 20. *de Verit.* art. 5. in corp. vbi ait: *Cuiuslibet virtutis definitio sumitur ex his, ad quæ potest virtus se extendere*: ergo nequit proprietas in ratione *virtutis* perfectè cognosci, quin cognoscantur in particulari omnes effectus, qui in ea virtualiter continentur.

4 Sed objicies *primò*: Nam *tunc res comprehenditur*, iuxta dictum communiter acceptum D. Augustini, *quando nihil eius latet cognoscentem, eiusque fines circumspiciuntur, & circunscribuntur*; sed ad hoc non oportet cognoscere ea, quæ virtualiter in re continentur, cùm hoc sit cognoscere ea vt distincta à causa, proindeque non est cognitio ipsius causæ: ergo. ¶ *Secundò*: Comprehensio causæ est cognitio à priori ipsius causæ, ex qua sequitur cognitio effectuum: ergo cognitio effectuum præsupponit cognitionem comprehensivam causæ. ¶ *Tertiò*: Vt vnum corpus comprehendat aliud non requiritur, quòd corpus comprehendens claudat sub se alia corpora, quæ possunt produci à corpore comprehenso: ergo ad cognitionem comprehensivam rei non requiritur, quòd cognoscantur effectus, qui ab ea possunt produci. ¶ *Quartò*: Angelus supremus comprehendit inferiorem; & tamen non cognoscit eius actus liberos, ex quo inferunt Thomistæ, quòd Verbum divinum vt procedat per strictam comprehensionem Dei, non petit persè procedere ex cognitione futurorum; & tamen actus liberi continentur in virtute Angeli inferioris, & futura in virtute divina: ergo &c.

Ad primam obiectionem respondetur, quòd idem est cognoscere perfectè virtutem causæ, ac cognoscere vel intransitivè effectus ipsius causæ, vel inferre necessariò cognitionem effectuum; proindeque si cognitio causæ talis est, quòd non sit intransitivè, hoc est, ipsamet cognitio effectus tanquam obiecti secundarij connexi necessariò cum illa, vel quòd non inferat necessariò cognitionem effectuum, huiusmodi cognitio nequit esse comprehensiva causæ. Ex quo patet ad secundam. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd comprehensio, qua vnum corpus comprehendit aliud, est materialis, ideò ex eius comprehensione non sequitur comprehensio aliorum corporum, quæ à corpore comprehenso possunt causari, nisi materialiter ambiantur, vel claudantur ab eo. Comprehensio autem, quæ consistit in cognitione perfecta rei, est spiritualis, quæ nequit esse talis, nisi fines eius intrinseci circunspiciantur; neque fines intrinseci circunspici valent, quin omnes eius effectus virtualiter in ea contenti etiam cognoscantur, vt probatum est. ¶ Ad quartam respondetur, quòd ad comprehensionem rei non sufficit, quòd effectus vtcunque contineantur in causa, sed etiam requiritur, quòd essentia causæ necessariò connectatur cum illis: si enim omninò contingenter illi conveniunt, habitudo ad illos in particulari non est essentialis, proindeque neque cognitio illorum conducit ad cognoscendam essentiam ipsius causæ. Et propterea, estò nulla essent futura, Deus perfectè se comprehenderet: & idem est dicendum de Angelo supremo respectu inferioris.

5 Supponendum est *tertiò*, nullum intellectum creatum defactò comprehendere Deum. Hæc suppositio apud omnes Authores est defide (quidquid sit attenta potentia Dei absoluta) Et constat ex Scriptura: Nam Ieremiæ 32. dicitur: *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu* Et ad Rom. 11. *Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius.* Non minùs constat ex Concilijs: nam Concilium Lateran. sub Innocentio III. in cap. *Firmiter, de Summa Trinit. & fide catholicâ* hæc dicit: *Vnus solus verus Deus æternus, immensus, incomprehensibilis* Et in cap. sequenti *Damnamus* ait: *Nos autem, approbante Concilio, credimus, & confitemur, quòd vna quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis.* Item in Concilio Basil. sess. 22: damnata est hæc propositio Augustini Romani: *Anima Christi videt Deum tàm clarè, & intensè, sicut Deus seipsum.* Cui definitioni maxima fides adhibenda est, quia damnatio illa facta fuit anno 1435. antequàm anno 1437. dissolveretur Concilium à Pontifice, vt accuratè notant N. Salmant. & Gonet. in præf. Vbi addunt approbatam fuisse per Bullam Nicolai V. qui successit Eugenio IV. vt habetur in Summa Conciliorum in fine Concilij Basil. Non minùs clarè docent hanc veritatem catholicam sancti PP. à quibus referendis abstinemus, qui passim Deum appellant *incomprehensibilem.* Videatur Ioannes à Sancto Thoma hic disp. 15. art. 3. Quibus suppositis, status quæstionis reducitur vnicè

attenta potentia Dei.
absoluta.



§. II.

§. II.

Assertio communis Theologorum.

6 DIcendum est, nullum intellectum creatum adhuc divinitùs posse comprehendere Deum. Sic communitèr Theologi. Et probatur ratione D. Thomæ, quam adducit in præs. art. 7. redacta ad hanc formam: Nam vt intellectus comprehendat aliquod obiectum, requiritur, quòd cognoscat illud ita perfectè, sicut prædictum obiectum ex natura sua cognoscibile est; sed repugnat, intellectum creatum hoc modo cognoscere Deum: ergo repugnat etiam eum comprehendere. Utraque præmissa probanda est. Et primùm maior: Tùm, quia ad cognitionem comprehensivam requiritur omninò, quòd cognitio sit tanta in ratione cognitionis, quantùm obiectum est in ratione cognoscibilis; proindeque debet pro formali dari æqualitas inter obiectum vt cognoscibile, & ipsam cognitionem in ratione cognoscentis. Tum etiam: quia comprehensio obiecti est attingentia omnimoda & adæquata per continentiam ipsius intra comprehensionem, vt docet D. Augustinus *de Civit. Dei* cap. 8 ergo ad comprehensionem requiritur, quòd obiectum cognoscatur, sicut prædictum obiectum ex natura sua cognoscibile est. Tum denique exemplo, quod adducit in præs. D. Thomas: Nam siquis hanc propositionem demonstrabilem, *Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, cognosceret per medium probabile, non illam comprehenderet; non alia ratione, nisi quia cognitio non esset ita perfecta, sicut propositio ex natura sua petit cognosci, nempè, per demonstrationem: ergo idem quod priùs. Deinde probatur minor primi syllogismi: Tum, quia Deus ex natura sua est infinitè cognoscibilis; sed nulla cognitio creata queit esse infinita in ratione cognitionis: ergo nequit intellectus creatus cognoscere Deum ita perfectè, sicut Deus est ex natura sua cognoscibilis. Tum etiam: quia si esset possibilis cognitio creata, quæ esset tanta in ratione cognitionis, quantus Deus ex natura sua cognoscibilis, esset eiusdem immaterialitatis cum eo; sed repugnat cognitio creata, quæ sit eiusdem immaterialitatis cum Deo, aliàs esset suum *esse* & actus purus: ergo. Tum denique: Deus est tantus in ratione cognoscibilis, quantus est in ratione cognoscitivi; sed Deus in ratione cognoscitivi est infinitus: ergo etiam in ratione cognoscibilis; sed repugnat cognitio creata infinita: ergo &c.

7 Nec refert, si dicas quòd Angelus inferior comprehendit superiorem; & tamen non est tantus in ratione cognoscitivi, quantus superior in ratione cognoscibilis. Non, inquam, refert. Propterea enim Angelus inferior comprehendit superiorem, quia licèt illum non ita perfectè in *esse entis* cognoscat, sicut ipse ex natura sua cognoscibilis est, cognoscit illum ita perfectè, sicut petit gradus specificus immaterialitatis, in quo conveniunt formaliter; si enim in hoc gradu pro formali non convenirent, repugnaret Angelum inferiorem comprehendere superiorem, sicut repugnat, quòd intellectus noster pro hoc statu naturaliter illum comprehendat; sed implicatorium est, cognitionem aliquam creatam esse, sivè materialitèr, sivè formalitèr eiusdem gradus immaterialitatis cum Deo: ergo repugnat, intellectum creatum adhuc divinitùs comprehendere Deum. *Explicatur*: Ideò Angelus inferior potest comprehendere superiorem, stante aliqua inæqualitate materiali inter cognitionem & obiectum cognoscibile, quia ex vna parte conveniunt in eodem gradu pro formali, & aliunde prædictus gradus est divisibilis in plures species materialitèr se habentes quoad gradum, sicut est potentialis; sed gradus immaterialitatis proprius Dei est indivisibilis, tàm materialitèr, quàm formalitèr, vtpote consistens in actu puro, qui solùm potest inveniri in Deo: cum ergo ad comprehensionem strictam requiratur convenientia cognitionis cum obiecto in gradu immaterialitatis illius, consequens est, quòd cognitio comprehendens Deum esset ipse Deus tàm materialitèr, quàm formalitèr: ergo repugnat, intellectum creatum comprehendere Deum.

8 Probatur *secundò*: Cognitio comprehensiva alicuius obiecti in hoc distinguitur à cognitione quidditativa, quòd illa est perfecta, & hæc imperfecta; sed repugnat cognitio, qua intellectus creatus perfectè cognoscat Deum: ergo repugnat, illum comprehendere. Maior est certa. Et minor probatur: Omnis cognitio creata, qua Deus potest cognosci, est cognitio per participationem; sed repugnat, cognitionem esse talem per participationem, & simul esse perfectam. Minor probatur: Nam hæc est differentia inter operationem, quæ alicui convenit per naturam & ex vi propriæ formæ, & illam quæ convenit alteri per participationem, quòd illa convenit illi perfectè & in summo; ista verò nequit convenire isti, nisi imperfectè & deficienter: vt liquet in igne, qui est calidus in summo, quia ex natura sua est calidus: alia autem, quia sunt calida per participationem, non sunt calida, nisi deficienter & imperfectè.

Confirmatur: Omnis cognitio comprehensiva alicuius obiecti petit vnionem connaturalissimam obiecti cum potentia, media specie intelligibili, necnon ipsa cognitio petit connaturaliter recipi in ipso cognoscente; sed nulla est species comprehensiva Dei præter essentiam divinam, cui repugnat omninò connaturaliter, recipi in intellectu creato, idemque dicendum est de cognitione intuitiva Dei: ergo nequit da-

ri vlla cognitio creata comprehensiva Dei. Probatur maior: Species vt comprehensiva nequit recipi in cognoscente, nisi supponat lumen sufficiens, vt possit ea vti; sed lumen requisitum vt intellectus possit vti specie comprehensiva, nequit esse aliud præter lumen connaturale ipsius intellectus: ergo debet recipi in illo per modum potentiæ simplicis, quod est idem, ac recipi omninò connaturaliter.

9 Sed inquires: An esse Deum incomprehensibilem, attenta potentia Dei absoluta, sit de fide? Ad quod quæsitum resolvendum Vazquez hic disp. 52. cap. 2. vtitur distinctione: nam ad comprehensionem strictam Dei vel requiritur cognitio æqualis cum Deo, vel non? Si dicatur primum, respondet affirmativè: negativè verò, si dicatur secundum. Nihilominus, quidquid sit de medio quod assumitur ad probandam incomprehensibilitatem Dei: Dicimus, Deum non posse comprehendi ab intellectu creato adhùc divinitus esse immediatè de fide. Nam de fide est, Deum esse absolutè & ex se incomprehensibilem ab intellectu: id enim apertè docent Scriptura sacra, Concilia, & SS. Patres, sed non esset absolutè incomprehensibilis, si posset divinitùs comprehendi ab intellectu creato: ergo est de fide, Deum esse incomprehensibilem adhuc attenta potentia Dei absoluta.

10 Rursùs inquires: An, permisso quòd Deus possit vniri intellectui creato in ratione intellectionis, possit ita vniri, quòd valeret Deum comprehendere? Respondetur negativè: Nam requirebatur, quòd intellectio divina communicaretur infinito modo, & infinitè intelligeret; sed intellectio divina adhuc per potentiam Dei absolutam nequit vniri infinito modo, neque intellectus per eam intelligeret infinitè: ergo data illa hypothesi, adhuc nequiret intellectus creatus Deum comprehendere. Maior est certa: Nam non alia ratione suprà probavimus, intellectum creatum non posse Deum comprehendere per intellectionem creatam, nisi quia nequit esse infinita. Minor verò probatur: Essentia divina nequit vniri in ratione *intellectionis*, nisi iuxta capacitatem intellectus creati, & dispositionem luminis gloriæ, neque intellectus potest Deum intelligere, nisi iuxta quantitatem prædicti luminis; sed repugnat lumen gloriæ creatum simpliciter infinitum: ergo nequit vniri infinito modo &c.

Et confirmatur *primò*: Nam estò essentia divina possit vniri, & defactò vniatur mentibus Beatorum per modum speciei, & verbi, quæ ex se comprehensiva sunt; defactò tamen non vnitur illis, neque potest vniri infinito modo; non alia ratione, nisi quia repugnat lumen infinitum creatum: ergo &c. ¶ Confirmatur *secundò*: Si essentia divina posset vniri intellectui creato in ratione intellectionis comprehensivæ, nulla repugnantia esset in eo, quòd produceret verbum comprehensivum Dei; sed verbum comprehensivum Dei est solùm verbum divinum, filius vnigenitus Patris æterni: ergo vniretur in ratione generationis verbi divini; quod est a communi sensu Theologorum prorsùs alienum: Si ergo hoc vltimum repugnat propter incapacitatem intellectus creati, etiam primum.

§ III.

Argumenta contraria.

11 OPositum errorem somniavit Eunomius, cuius fuit tanta stoliditas, vt teste Epiphan. *hæres.* 70. dixerit: *Tam perspicuè Deum scio, ac tantam eius cognitionem habeo, vt non tàm meipsum, quàm Deum perfectè sciam.* Quam postea secutus est Augustus Romanus, quatenus aiebat, animam Christi videre Deum ita perfectè & clarè, sicut Deus videt seipsum. Quidam Catholici, quos suppresso nomine refert Gonet, licèt non conveniant cum hæreticis in eo, quòd defactò beatus comprehendat Deum; sentiunt tamen, posse divinitùs illum comprehendere. In quem modum dicendi inclinantur Valentia tom. 1. disp. 1. quæst. 12. punct. 5. Vazquez loco suprà relato: necnon omnes illi, qui existimant ad cognitionem comprehensivam non requiri, quòd cognoscantur omnia, quæ tàm formaliter, quàm virtualiter conveniunt obiecto.

Arguitur primò: *Tunc res comprehenditur*, inquit D. Augustinus, *quando nihil eius latet cognoscentem, eiusque fines circumspiciuntur*; sed quilibet Beatus ita videt Deum, vt nihil eius ipsum lateat: ergo comprehendit Deum. Minor probatur: Deus secundùm omnes eius modos, & eminentias est ipse Deus, vnaque & simplicissima entitas & realitas: ergo nihil Dei latet videntem eum.

Huic argumento respondet D. Thomas in præs. art. 7. ad 2. vbi ait: *Dicendum, quòd non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid eius sit, quod non videatur: sed quia non ita perfectè videtur, sicut visibilis est: sicut cùm aliqua demonstrabilis propositio per aliquam probabilem rationem cognoscitur, non est aliquid eius, quod non cognoscatur, nec subiectum, nec prædicatum, nec compositio, sed tota non ita perfectè cognoscitur, sicut cognoscibilis est. Vnde Augustinus diffiniendo comprehensionem dicit, quòd totum comprehenditur videndo: quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem: aut cuius fines circumspici, vel circumscribi possunt: tunc enim fines alicuius circumspiciuntur, quando ad finem in modo cognoscendi illam rem pervenitur.*

Quid autem sit Deum videre non ita perfectè, sicut visibilis est, & totum ipsum videre secundùm omnes modos, & eminentias, quæ in ipso formaliter sunt; vel quid sit totum Deum vi-

videre, sed non totaliter, vt dicit D. Thomas in 4. *ad Annib.* quæst. 2. art. 1. ad 2. explicari potest duobus modis. Primo, dicendo, quòd *totum Deum videre* est reipsa videre totum, quod formaliter est in ipso, & sic beatus videt totam entitatem Dei, necnon omnes modos, & eminentias, prout formaliter in eo sunt; sed *videre eum perfectè* seu *totaliter* est videre etiam omnia extrinseca, quatenus ab eo derivantur. Et hoc omninò requiritur ad comprehensionem: quia ad comprehendendum obiectum non sufficit cognoscere de eo omnes modos & eminentias, quatenus constituunt vnam & indivisibilem entitatem, sed oportet etiam cognoscere omnes effectus, qui ab eo possunt participari, vt vidimus num. 3. Et cùm à Deo derivari possint infinitæ participationes, ad quarum cognitionem requiritur infinitum lumen gloriæ, propterea intellectus creatus nequit Deum totaliter seu perfectè cognoscere, sicut ex natura sua cognoscibilis est, proindeque nequit ab eo comprehendi.

Aliter (licèt possit reduci ad modum præcedentem) explicari potest, dicendo, quòd ad cognoscendum totum obiectum sufficit cognoscere totam entitatem, & omnes eius formalitates in *esse entis*, sed ad cognoscendum illud totaliter seu perfectè, quod est idem ac ipsum comprehendere, vlteriùs desideratur cognoscere omnes eius terminationes & connexiones in particulari in ratione talium: & hoc nullus beatus cognoscit, neque cognoscere potest in Deo, estò eum videat primo modo. Pro cuius discrimine: Nota, quòd aliter omnipotentia terminatur ad factibile vtsic seu in communi, aliter ad factibilia in particulari: ad factibile enim vtsic terminatur quasi ad terminum virtualem primarium; ad factibilia verò in particulari non terminatur nisi tanquam ad terminum virtualem secundarium, & non nisi sub ratione factibilis in communi: quia in Deo non est formalitas distincta, quæ continet equum, ab ea, quæ continet hominem. Igitur ad cognoscendum Deum, secundùm totum quod se tenet ex parte ipsius in *esse entis*, sufficit, & requiritur, quòd cognoscatur factibile vtsic, quod est specificativum quasi virtuale illius: quia est talis conditionis, quòd si omnipotentia posset specificari ab aliquo extrinseco, à factibili vtsic specificaretur, non verò à factibilibus in particulari. Cæterùm ad cognoscendum Deum perfectè seu totaliter, vlteriùs desideratur, quòd cognoscatur, quatenus extenditur ad omnia obiecta secundaria in particulari: quia cum illis etiam indispensabiliter connectitur, & per ordinem ad ea, perfecta eius virtus explicatur. Ad hoc autem requiritur lumen gloriæ simpliciter infinitum, quod aliud nequit esse præter intellectum divinum.

12 Sed dices: Non potest negari, quòd terminatio Dei ad hanc numero creaturam est prædicatum formale Dei, & sic de singulis; sed beatus videt omnia formalia Dei: ergo etiam videt terminationes omnes in particulari. Tunc sic; sed non stat videre omnes terminationes in particulari, & non videre omnes creaturas possibiles: ergo videt omnes illas; & consequenter comprehendit Deum.

Respondetur, quòd omnes terminationes in particulari possunt considerari dupliciter: vel prout virtualiter distinctæ; vel prout constituunt idem attributum omnipotentiæ. Si primo modo considerentur, tota distinctio potiùs se tenet ex parte effectuum, quàm ex parte sui: quia hoc ipso quòd constituant idem attributum, nequit esse distinctio virtualis cum fundamento in re ex parte sui. Si secundo modo considerentur, solùm sunt vna & indivisibilis terminatio formalis. Hæc autem terminatio solùm respicit vt terminum quasi primarium factibile vtsic; proindeque qui videt attributum omnipotentiæ, videt omnes terminationes ipsius, prout sunt formaliter eadem indivisibilis terminatio; ex quo solùm infertur, videre etiam factibile vtsic. Sed ad penetrandam & comprehendendam omnipotentiam, omninò requiritur, quòd illæ terminationes vt distinctæ cognoscantur: quod est idem ac dicere, quòd ex cognitione illius omnes creaturæ congnoscantur; & hoc est impossibile cuilibet creaturæ.

Tota hæc doctrina explicari valet exemplo huius propositionis, *Homo est rationalis*, ex qua plures conclusiones deduci possunt. Nam qui cognosceret illam, secundùm connexionem quam dicit prædicatum cum subiecto, & subiectum cum prædicato, proculdubiò totum illud obiectum cognosceret in *esse entis*; sed vsquedum penetraret & evolveret connexionem, quam dicit cum omnibus suis proprietatibus, & effectibus, non cognosceret illud totaliter & perfectè, vt ex natura sua petit cognosci, neque illud comprehenderet. Unde quando asseritur, creaturam cognoscere Deum non totaliter, ly *non totaliter* non dicit modum se tenentem ex parte creaturæ videntis, vt dicit D. Thomas in præs. art. ad 3. quia potest toto conatu & vi illum cognoscere; neque dicit modum se tenentem ex parte obiecti in *esse entis*, quia omnia divina sic sumpta videntur à quolibet beato; sed dicit modum se tenentem ex parte obiecti in *esse obiecti*, hoc est, quòd non cognoscit Deum, prout extenditur ad creaturas in particulari. Neque ob hoc incomprehensibilitas Dei sumitur ex incomprehensibilitate creaturarum: quia istæ tantùm comparantur vt terminus incomprehensibilitatis Dei; vnde quia intellectus creatus nequit penetrare divinam essentiam, hoc est, cognoscere illam vt connexam cum creaturis omnibus in particulari, arguitur tanquam à priori, quòd nequit cognoscere omnes creaturas possibiles, vt diximus num. 4.

Sed

13 Sed insurges (& erit secundum argumentum) Omnipotentia non terminatur quasi persè primò ad factibile vtsìc, sed ad hoc, & illud factibile in particulari: ergo repugnat, eam quidditativè cognosci, quin cognoscantur omnes creaturæ in particulari. Consequens evidenter colligitur ex nostro modo dicendi: Nam quia omnipotentia terminatur quasi per se primò ad factibile vtsìc, repugnat videre omnipotentiam, & non cognoscere factibile vtsìc: ergo si terminatur per se primò ad omnia factibilia in particulari, nequit beatus videre omnipotentiam, & non videre omnia factibilia in particulari. Antecedens probatur: Omnipotentia eo modo terminatur ad factibilia, quo illa potest producere; sed omnipotentia non producit factibile vtsìc, sed factibilia in particulari: hoc enim est genium virtutis practicæ, qualis est omnipotentia, prout distinctæ à speculativa, quòd non producit suum effectum in communi, sed hunc, & illum in particulari: ergo omnipotentia terminatur per se primò ad hoc, & illud factibile in particulari. *Adde*: quia ratio *subqua* specificativa alicuius potentiæ non illam specificat, prout abstrahit à suis inferioribus abstractione totali, seu potentiali, sed prout abstrahit ab illis abstractione formali, hoc est, prout actu includit sua inferiora, vt notavimus disp. 1. n. 18. ergo omnipotentia terminatur per se primò ad factibilia in particulari, licèt sub ratione communi *factibilis*.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori; neganda est minor. Cuius inserta non convincit: nam tota distinctio potentiæ practicæ à speculativa non stat in eo, quòd potentia practica respiciens omnia sua factibilia in particulari respiciat per se primò illa in particulari; & speculativa aliquam rationem in communi, quia etiam potentia practica respicit omnia sua obiecta inadæquata seu particularia, prout conveniunt in aliqua ratione communi *subqua*. Distinguuntur ergo solùm in eo, quòd ratio communis per se primò inspecta à potentia practica est ratio formalis inspiciendi simul & faciendi obiecta particularia, ratio verò communis per se primò inspecta à speculativa non est ratio formalis faciendi obiecta particularia. Hoc magis eluceset ex proximè dicendis.

14 Ad additamentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Nam potentia creata, de qua solùm loquebamur loco allegato, non est adeò eminens, vt per vnicam actionem possit attingere omnia sua obiecta particularia, & ob hanc rationem non respicit aliquam rationem communem per se primò attactam tàm per modum rationis *subqua*, quàm per modum rationis *quæ*. Cæterùm potentia eminentissima, vt est divina, per vnam indivisibilem actionem attingit tàm rationem communem, quàm rationes particulares: quare sicut per se primò respicit factibile vtsìc per modum rationis *subqua* virtualiter specificativæ, etiam respicit illud per se primò per modum rationis *quæ*. ¶ Quæ doctrina valet confirmari hoc exemplo speciei angelicæ, & humanæ. Illa enim, quia est vniversalis in repræsentando, & participatio peculiaris essentiæ divinæ per modum speciei, ita repræsentat vnica repræsentatione naturas inferiores, quòd per se primò tam per modum rationis *subqua*, quàm per modum rationis *quæ* repræsentet naturam communem, & inferiores naturas non nisi secundariò: Cæterùm species humana, quia caret hac vniversalitate in repræsentando, vel non repræsentat obiectum in particulari, vel illud repræsentat per se primò. Pro quo videndi sunt N. Salmant. tract. 7. disp. 5. à num. 121. maximè num. 134. Si ergo hoc habet species angelica, quæ est peculiaris participatio naturæ divinæ sub munere *speciei*, non est cur hoc denegetur ipsi essentiæ divinæ, solùm cum discrimine penes specificativum formale, & virtuale. Et si hoc conceditur essentiæ divinæ, cur non poterit concedi eius potentiæ, quæ eodem modo, eademque vniversalitate, & vnitate gaudet in continendo, ac essentia divina in repræsentando? ¶ Vel potest dici, quòd estò omnipotentia respiciat per se primò omnia factibilia in particulari per modum rationis *quæ*, sicut potentia creata; ex hoc tamen nequit deduci, quòd beatus cognoscens omnipotentiam, videat omnia possibilia in particulari, sed solùm factibile vtsìc, quod est eius ratio *subqua* specificativa virtualis: quia ex cognitione quidditativa alicuius potentiæ solùm infertur cognitio illius, vt terminatur ad rationem *subqua*; non verò prout terminatur ad totam rationem *quæ*: quia ratio *quæ* adhuc primaria non est propriè specificativa, sed tantum ratio *subqua*.

15 Arguitur *tertiò*: Anima Christi comprehendit scientiam divinam visionis: ergo etiam comprehendit Deum. Consequentia est legitima: quia sicut essentia divina est infinita, ita eius attributa. Antecedens verò probatur ex D. Thoma 3. part. quæst. 10. art. 2. maximè ad 2. & 3. vbi ait, animam Christi per scientiam beatam cognoscere, quidquid Deus cognoscit scientia visionis: ergo comprehendit eam. ¶ Confirmatur *primò*: Deus & possibilia non sunt obiectum intensivè perfectius, quàm solus Deus secundùm omnia formalia, quæ in ipso sunt: ergo qui potest videre Deum secundùm omnia formalia, etiam potest eum videre secundùm omnia virtualia; ac proinde potest eum comprehendere. ¶ Confirmatur *secundò*: Deus vt intelligibilis totus & totaliter, imò tota collectio possibilium continetur intra obiectum specificativum intellectus creati: ergo potest videre Deum totum & totaliter, necnon totam collectio-

ctionem possibilium; proindeque Deum ipsum comprehendere.

Sed hæc levia sunt. Ideòque brevitèr respondetur ad argumentum, negando antecedens. Quia idem est comprehendere scientiam visionis, ac scientiam simplicis intelligentiæ, cùm sit idem attributum pro formali, cum diversis tantùm denominationibus desumptis ex ordine ad diversa connotata, vel ad eadem obiecta in diverso statu considerata. Unde totum id, quod Deus cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, potest terminare scientiam visionis, si reduceretur ad statum, quem habent futura absoluta. Neque scientia visionis formalitèr vt talis est attributum Dei: quia importat aliquid liberum, quod est contra rationem attributi. Christus autem estò videat omnia, quæ Deus cognoscit scientia visionis; non tamen potest se extendere ad omnia, ad quæ potest se extendere scientia visionis; & ideò non illam comprehendit. Aliæ solutiones possunt videri in nostro tract. *de Scientia Christi* disp. 2. num. *19.* ¶ Ad primam confirmationem, quæ manet enodata loco proximè citato num. 12. Respondetur cum D. Thoma in præs. art. 8. ad *3.* vbi ait: *Licèt maius sit videre Deum quàm omnia alia; tamen maius est videre sic Deum, quòd omnia in eo cognoscantur, quàm videre sic ipsum, quòd non omnia, sed pauciora, vel plura cognoscantur. Iam enim ostensum est, quòd multitudo cognitorum in Deo sequitur modum videndi ipsum vel magis perfectum, vel minus perfectum.* Ratio huius est: quia licèt prædicata formalia Dei infinitè excedant creaturas possibiles; visa tamen essentia, statim offeruntur intellectui, quia manifestè in ea apparent. Creaturæ verò possibiles, quia non sunt aliquid Dei, sed tantùm virtualitèr in eo continentur, magis latent cognoscentem; ideoque difficilioris sunt cognitionis, & petunt acumen perfectius. ¶ Ad secundam etiam constat ex dictis disp. 1. num. 36. vbi videri poterit solutio. Nota tamen pro hoc, & præcedentibus argumentis, quòd non solùm probant esse possibile intellectui creato comprehendere Deum, verùm defactò hoc accidere: quod est hæreticum.

16 Arguitur *vltimò*: Nam probabile est, quòd potest dari de potentia Dei absoluta lumen gloriæ creatum simplicitèr infinitum: ergo intellectus creatus cum isto lumine posset comprehendere Deum. Consequentia videtur bona: quia non alia ratione iuxta D. Thomam intellectus creatus Deum non comprehendit, nisi quia lumen gloriæ est finitum, & limitatum. Antecedens verò probatur: Quia lumen gloriæ non petit esse limitatum ex sua ratione formali, cùm sit formalis participatio intellectus divini, qui est infinitè participabilis; neque ex parte causæ efficientis, cùm sit virtus divina, quæ est simpliciter infinita; neque ex parte subiecti, quia intellectus secundùm potentiam obedientialem habet capacitatem passivam simpliciter infinitam: ergo non repugnat lumen creatum simpliciter infinitum: ¶ Confirmatur: Nam si probabile est, quòd potest dari lumen gloriæ simpliciter infinitum, per tale lumen possent cognosci omnes creaturæ possibiles: ergo posset etiam Deus comprehendi. Consequentia videtur bona, maximè in sententia D. Thomæ in præs. art. 8. vbi ait, quòd siquis cognosceret omnes creaturas possibiles, comprehenderet Deum. Antecedens probatur: Si non repugnat lumen simpliciter infinitum, non repugnat, quòd producatur cum omni intensione possibili; sed per lumen omni intensione possibili intensum possent cognosci omnes creaturæ possibiles: ergo possunt cognosci omnes creaturæ possibiles.

Ad argumentum respondetur *primò*, quòd iuxta nostram & Thomisticam sententiam repugnat lumen gloriæ simpliciter infinitum: tàm ex parte luminis, quia eo ipso quòd creatum sit, debet habere essentiam simpliciter finitam, ac proinde esse incapax intensionis simpliciter infinitæ: quàm ex parte subiecti, quia omnis forma petit limitari à subiecto, in quo recipitur. Et licèt subiectum sit capax accidentis infinitè intensi in potentia, quod & non amplius probat argumentum; non tamen est capax accidentis infinitè intensi in actu. Neque ad nos attinet conciliare omnes sententias probabiles cum principijs fidei.

Secundò respondetur, permittendo possibilitatem luminis creati simpliciter infiniti; sed negamus possibilitatem luminis gloriæ ita intensi, vt per illud possint cognosci omnes creaturæ possibiles. Quia ad primum sufficit, quòd per illud possint attingi infinitæ creaturæ possibiles se excedentes in perfectione essentiali: Ex quo non colligitur, per huiusmodi lumen posse attingi omnes creaturas possibiles: quia in via Div. Thomæ vnum infinitum potest esse maius alio. Sed cùm collectio omnium creaturarum possibilium sit infinities infinita, itaut non possit excogitari alia infinitas maior, pariformitèr si esset possibile lumen gloriæ, quod totam collectionem possibilium adæquaret, huiusmodi lumen exhauriret omnipotentiam Dei; quod est impossibile. Assumptum D. Thomę verisimum est, nempè, quod nequit Deus comprehendi, quin cognoscantur in ipso omnes creaturæ possibiles; ad quod requiritur lumen simpliciter infinitum: An autem quælibet infinitas luminis sufficiat, hoc non determinat: sed ex eius ratione num. *6.* ad formam syllogisticam redacta satis infertur, pro cognitione omnium possibilium in omnipotentia, proindeque pro cognitione comprehensiva Dei non sufficere quodcumque lumen, sed lumen, quod sit tantum in ratione cognoscitivi, quantus Deus est in ratione cognoscibilis; quod est idem, ac dicere, quòd requiritur ipsum lu-

men infinitum per essentiam. Per quod constat ad confirmationem.

DUBIUM II.

Utrùm in Deo possit videri à Beatis vnum prædicatum formale, & necessarium, quìn videatur aliud?

17 TItulus dubij duo supponit, & vnum inquirit. Supponit *primò*, quemlibet beatum defactò videre in Deo omnia, quæ sunt formaliter in ipso. Hæc suppositio iuxta omnes Theologos est immediatè de fide. Quia eam docet sacra pagina per illud Ioan. epist. 1. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Et per illum eiusdem Ioann. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Item per illud Psalm. 47. *Sicut audivimus* (& credimus per fidem non solùm attributa, sed etiam personas) *sic vidimus in Civitate Dei nostri.* Et denique per illud 1. ad Corinth. 13. *Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Illam etiam docet Concilium Florent. *in Litter. sanctæ vnionis*, vbi definit, *Beatos videre Deum vnum & trinum sicuti est.* Quibus accedunt sancti PP. maximè Augustinus, qui lib. 20. *de Civit. Dei*, docet, quòd videbimus totum id, quod nunc credimus non videntes; constat autem, quòd nullum est prædicatum formale in Deo, quod nunc non credamus: ergo certum est de fide, quemlibet beatum videre omnia, quæ sunt in Deo formaliter. ¶ Supponit *secundò*, quòd visio, quam beatus habet, vel potest habere de Deo, debet esse intuitiva, quidditativa, & beatifica: quia omnis cognitio, quam beatus habere potest immediatè de Deo, fit media essentia divina vnita per modum speciei; sed cognitio, quæ habetur de Deo immediatè media essentia divina per modum speciei, est intuitiva, & quidditativa, quia repræsentat eum vt existentem, cuius existentia est ipsa quidditas Dei, aliàs non distingueretur à cognitione abstractiva, de cuius ratione est cognoscere Deum quoad *an est*, hoc est, quoad existentiam, licèt non cognoscat essentiam ipsius existentiæ divinæ: ergo omnis visio beata debet esse intuitiva, & quidditativa. Est etiam beatifica: quia in visione Dei prout est in se consistit beatitudo; vel formaliter, vt volunt Thomistæ; vel radicaliter, vt asserunt Scotistæ: ergo visio, de qua in præsenti, & quam habere potest beatus immediatè de Deo, debet esse intuitiva, quidditativa, & beatificans. Hæc diximus propter aliquos Authores, quos refert Mag. à Sancto Thoma hic disp. 15. §. *Denique alij*, qui ineptè distingunt visionem Dei, quæ sit tantùm intuitiva, & non quidditativa, & visionem intuitivam, & quidditativam à visione beatifica. ¶ Inquirit tamen, an possit dari visio, quę terminetur ad Deum secundùm vnum prædicatum formale illius, & non secundùm aliud? Circa quod duplex est opposita sententia: Prima est omnium Thomistarum asserentium, huiusmodi visionem esse impossibilem. Secunda est Scoti & totius eius scholæ dicentium, prædictam visionem esse possibilem: quæ sententia fundatur præcipuè in sua distinctione formali ex natura rei. Quibus adhærent Granados disp. 7. sect. 2. ad quod sufficere, iudicat, distinctio virtualis, seu per rationem: Et quoad personas divinas Ægidius à Præsent. lib. 5. *de Beatit.* quæst. 14. art. 3. §. 3. Salas, & alij.

§. I.

Sententia D. Thomę.

18 DIcendum est, implicare contradictionem, quòd essentia divina videatur, prout est in se, sine attributis, & Personis; & attributa, aut personæ sine essentia. Et probatur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 2. art. 8. ad 3. vbi ait: *Summa bonitas, secundùm modum quo nunc intelligitur, potest intelligi sine trinitate personarum: sed secundùm quòd intelligitur in seipsa, prout videtur à beatis, non potest intelligi sine trinitate personarum.* Et 3. part. q. 3. art. 3. ait: *Intellectus dupliciter se habet ad divina: vno modo, vt cognoscat Deum sicuti est; & sic impossibile est, quòd circumscribatur per intellectum aliquid à Deo, & aliud remaneat: quia totum, quod in Deo est, est vnum, salva distinctione personarum.*

Ex quibus verbis formatur ratio nostræ conclusionis: Nam natura divina nequit intuitivè, quidditativè, seu per modum obiecti beatificantis videri, quin videatur quidquid est de essentia illius; sed omnia, quæ necessariò & formaliter sunt in Deo, vel sunt prædicatum quidditativum illius, vel modus eius essentialis: ergo nequit essentia divina videri, quin videantur omnia, quæ formaliter & necessariò sunt in Deo. Consequentia est legitima: & minor constat ex dictis tract. præced. disp. 3. à num. 34. & à num. 45. Maior verò probatur: Tum, quia in hoc distinguitur cognitio intuitiva, quidditativa, & beatificans ab abstractiva, quòd ista non tendit ad Deum prout est in se, sed prout formantur varij conceptus de eo iuxta modum imperfectum nostri intellectus; & illa tendit ad Deum prout est in se, & iuxta modum, quem Deus habet in se: ergo vel non cognoscitur essentia divina intuitivè, & quidditativè; vel cognoscitur necessariò simul omne id, quod est de essentia illius. Tum etiam: Nequit essentia divina videri, prout est in se, & consequenter quidditativè, & intuitivè, quin cognoscatur vt actus purus; sed nequit cognosci vt actus purus, quin simul videatur quidquid est de essentia illius, quia cognos-

ce-

tere vnam formalitatem, & non aliam, saltem ex parte cognoscentis, est tribuere illi potentialitatem & distinctionem; & consequenter est non cognoscere illam prout actualissimam, seu vt actum purum: ergo idem quod priùs. Tum denique: Cognitio beatifica terminatur ad summũ bonum, & perfectè satiat appetitum intellectus; sed, nisi videantur omnia quæ sunt formalitèr & necessariò in Deo, huiusmodi visio non terminaretur ad summum bonum, cùm summum bonum integretur ex omnibus perfectionibus Dei: neque quietaret appetitum intellectus, cùm videns essentiam desideret videre omnes affectiones, quæ ad ipsam formalitèr pertinent: ergo &c.

19 Respondent *primò* communitèr Adversarij, rationem nostram fundari in suppositione apud ipsos falsa, nempè, inter essentiam divinam, attributa, & relationes non dari distinctionem formalem ex natura rei, proindeque naturam divinam esse de essentia attributorum & relationum, & econversò. ¶ Sed contra est *primò*: Nam essentia divina, non obstanti distinctione formali ex natura rei, nequit adintrà communicari, quin communicentur attributa, & nisi obstaret oppositio relativa inter personas, non posset communicari essentia filio, quin communicaretur paternitas: ergo etiam si permittatur distinctio formalis ex natura rei, nequit videri essentia prout est in se, quin videantur attributa, & relationes. ¶ *Secundò*: Nam estò permittatur distinctio ex natura rei inter prædicata formalia Dei; nequit tamen negari, quòd est prædicatum essentiale illius esse communicabilem attributis & personis, illasque radicare tanquam quid intrinsecum ipsius, & tanquam id cum quo petit realitèr entitativè identificari: ergo videns essentiam divinam, vel non videt eam, prout est in se, vel videt eam prout radicat attributa, & relationes; sed implicat in terminis videre sic naturam divinam, & non videre attributa & relationes: ergo &c.

20 Ex quo inferes duplex discrimen inter essentiam vt connexam cum attributis & relationibus, & omnipotentiam vt connexam cum possibilibus. *Primum est*: quòd omnipotentia non connectitur cum possibilibus tanquam cum quibus identificatur realitèr, neque respicit possibilia in particulari persè primò: ex quo provenit, quòd connexio omnipotentiæ cum illis tantùm est in Deo implicitè; & propterea potest quidditativè cognosci, quin cognoscantur possibilia in particulari. At essentia divina connectitur persè primò cum attributis, & relationibus tanquam cum quibus identificatur realitèr, & cuius connexio est in illo explicitè, sicut relationes sunt in illo expressè & formalitèr: & ob hanc causam nequit videri essentia quidditativè, quin simul videantur attributa, & relationes. *Secundum est*: quòd omnipotentia terminatur ad omnia possibilia sub eadem ratione formali; proindeque ad quidditativam eius cognitionem solùm desideratur, quòd cognoscatur simul illa ratio communis, quæ est factibilis vtsic. At essentia divina non communicatur personis sub generali quadam ratione; sed filio communicatur per intellectum, & Spiritui-sancto per voluntatem, itaut hoc ei competat essentialitèr: quare nequit quidditativè cognosci, quin cognoscantur attributa & relationes.

21 Confirmatur prædicta ratio, & simul magis refellitur evasio Scotistarum: Nam hoc quod est *videri omnia divina* est prædicatum commune & per modum vnius; sed hoc ipso repugnat, vnum prædicatum formale & necessarium videri, & non videri aliud: ergo repugnat videri essentiam sine attributis & relationibus, & vnum attributum sine alio. Maior est certa: quia omnia prædicata divina videntur ratione essentiæ; aliàs possent videri attributa & relationes sine essentia, quod est inauditum apud Scotistas. Minor verò probatur: Nam quia attributa communicari personis convenit ratione naturę divinæ, quæ est communis ipsis, repugnat essentiam divinam communicari alicui personæ, & non communicari attributa; & similitèr repugnat vnum attributum communicari, & non aliud: ergo si Deus, eius attributa, & relationes videntur per modum vnius, & ratione essentiæ, repugnat videri vnum prædicatum formale & necessarium, & non videri aliud. Similitèr: quia operari adextrà convenit tribus personis ratione vnius prædicati ipsis communis, nempè, omnipotentiæ, implicat vnam personam operari adextrà, & non aliam: ergo idem quod priùs.

Ex quo inferri potest discrimen satis notum inter communicationem relationum inter se, & visibilitatem Dei secundùm omnia, quæ formalitèr & necessariò importat, quòd relationes non sunt communicabiles ratione essentiæ, vel alterius prædicati absoluti; sed potiùs ratione sui sunt incommunicabiles, ex innata oppositione, quam habent. At attributa, & relationes in ratione *visibilium* neque habent oppositionem cum essentia, neque inter se: alias neque defactò, neque de possibili possent relationes simul videri; quod est hæreticum.

22 Ex quibus præcluditur alia evasio Adversariorum: Qui aiunt, rationem nostram solùm esse efficacem pro cognitione adæquata essentiæ divinæ, quia cognitio quidditativa adæquata essentiæ petit terminari ad ipsam, prout formalitèr & ex natura rei distinguitur ab attributis & relationibus, & vt est idem realitèr entitativè cum illis. Cæterùm ad cognitionem quidditativam inadæquatam ipsius essentiæ, seu prout est in se, sufficit, quòd videatur secundùm ea, quæ sunt de eius quidditate sub conceptu *naturæ*: quæ cognitio ex nullo capite repug-

nat, maximè suppositâ distinctione formali ex natura rei inter essentiam, attributa, & relationes.

Sed contrà est *primò*: Nam videri essentiam prout est in se, & non videri attributa & relationes est idem, ac distingui essentiam ab illis, non solùm formaliter & ex natura rei, sed etiam realiter entitativè; sed hæc distinctio repugnat inter essentiam, attributa, & relationes: ergo repugnat videri essentiam inadæquatè, & prout est in se. Maior probatur: Cognosci abstractivè & per nostros conceptus distinctos, & imperfectos essentiam sine attributis & relationibus est ponere distinctionem entitativam inter ea per eosdem conceptus: ergo videri essentiam prout est in se, & non videri attributa & relationes est idem, ac supponere distinctionem entitativam inter ea. Patet consequentia: quia non est, cur ex cognitione abstractiva & per conceptus distinctos & imperfectos deducatur distinctio entitativa iuxta proportionem eorundem conceptuum, & quòd ex cognitione clara & intuitiva, seu prout est in se, non inferatur distinctio entitativa in essentia, attributis, & relationibus, prout sunt in se. ¶ *Secundò*: Implicat, essentiam divinam cognosci prout est in se, quin cognoscatur secundùm omne, cum quo realiter entitativè est idem; sed in sententia Adversariorum, estò inter essentiam, attributa, & relationes detur distinctio formalis ex natura rei, ipsa essentia est realiter & entitativè idem cum attributis & relationibus, & vnum attributum cum alio: ergo repugnat cognitio quidditativa, seu prout est in se, essentiæ, & quòd sit cognitio quidditativa inadæquata solius essentiæ. Probatur maior: Dum cognoscitur essentia, & non cognoscitur omne id, cum quo realiter & entitativè est idem, vel cognoscitur aliter ac est in se, vel non cognoscitur prout est in se, cùm prout in se sit realiter entitativè ipsa attributa & relationes: ergo repugnat essentiam divinam cognosci, prout est in se, quin cognoscatur secundùm omne id, cum quo realiter & entitativè identificatur. *Explicatur*: Nam essentia divina, prout in se, non est realiter & entitativè ipsa essentia solà, sed etiam attributa & relationes: ergo implicat in terminis videri ipsam essentiam prout est in se realiter & entitativè, sed sine attributis & relationibus.

23 Ex dictis infertur, implicare contradictionem, vnam personam videri sine alia. Tùm ratione generali hucusque ponderata: Nam implicat videri essentiam sine omnibus relationibus: ergo etiam repugnat videri vnam relationem sine alia. Patet consequentia: Nam estò ipsæ relationes non cognoscerentur, qua parte essent connexæ inter se in ratione cognoscibilium; peterent tamen cognosci, qua parte essent connexæ cum essentia in ratione cognoscibilium: Et idem dicendum est de attributis inter se. Quę probatio vrget, estò personæ non constituantur relationibus. Tum etiam: quia personæ constituuntur relationibus inter se oppositis relativè; sed de ratione relationum inter se oppositarum relativè est, quòd sint simul natura & cognitione: ergo nequit vna persona videri sine alia. Quæ ratio estò non vrgeret, si personæ non constituerentur relationibus; vrget tamen pro ipsis relationibus inter se; ac proinde pro Patre in ratione *Patris*, & pro filio in ratione *filij*: quia saltem in ratione talium constituuntur ipsis relationibus. Tum denique: quia id expressè docet Magnus Parens Augustinus lib. 1. *de Trinit.* cap. 8. vbi ait: *Sivè audiamus: Ostende nobis Filium; sivè audiamus: Ostende nobis Patrem, tantundem valet: quia* (perpende verba, quæ accipienda sunt non solùm de facto, sed etiam de possibili) *neuter sine altero potest ostendi: vnum quippè sunt, sicut ipse ait: Ego & Pater vnum sumus.* Et in Psalm. 85. super illa verba, *Nescitis quòd ego in Patre, & Pater in me est*, sic exponit: *Id est, me viso, videtur & Pater; & Patre viso, videtur & filius, Patris & filij separari non potest visio. Vbi non vnius separatur natura & substantia, visio separari non potest.* Quam rationem hucusque ponderavimus pro visione essentiæ & attributorum, pro quibus æquè, vel magis vrget.

Sed dices: Ex proximè dictis videtur colligi, posse cognosci Patrem & filium, quin videatur Spiritus-sanctus. ¶ Contra est: quia Pater & filius nequeunt quidditativè cognosci, quin videatur spiratio activa; sed, cognita hac quidditativè, nequit non videri Spiritus-sanctus: ergo Maior patet: quia Pater & filius sunt realiter entitativè idem cum spiratione activa, ob quam rationem suprà probavimus, & probat D. Augustinus, non posse quidditativè cognosci essentiam sine attributis, & relationibus, & Patrem sine filio. Minor odenditur: Nam spiratio activa dicit oppositionem imediatam & relativam cum Spiritu sancto; sed ob hanc rationem Pater nequit cognosci sine filio: ergo neque spiratio activa sine Spiritu-sancto.

§ II.

Solvuntur Argumenta.

24 ARguitur *primò*: Nam sola essentia divina, prout distincta ab attributis & relationibus, vel ex natura rei, vel virtualiter, vel per rationem, est obiectum primarium visionis beatæ: ergo potest videri essentia sine illis. Antecedens nunc supponitur ex dicendis in tract. sequenti. Et consequentia probatur: Nam visio tantùm dependet essentialiter à suo obiecto primario, proindeque, data hypothesi quòd cognoscatur obiectum primarium, &

non

nòn cognoſcatur obiectum ſecundarium, viſio ad illud terminata eſſet eiuſdem ſpeciei: ergo per viſionem beatam poteſt videri eſſentia ſine attributis & relationibus.

Neque refert, ſi dicas: quòd eſtc viſio beata terminetur ad ſolam eſſentiam diuinam tanquam ad obiectum primarium adæquatum; viſio tamen terminata ad eſſentiam, vt reduplicativè connexam cum attributis & relationibus, eſt ſpecie diverſa ab ea, quæ tantùm terminaretur ad ipſam ſecundùm ſe. ¶ Non, inquam, refert. Tum, quia viſio terminata ad omnipotentiam præcisè ſecundùm ſe non eſt eſſentialitèr diverſa à viſione terminata ad ipſam, prout in ea videntur expreſsè plures creaturæ poſsibiles; non alia ratione, niſi quia ex variatione obiecti ſecundarij non variatur cognitio terminata ad obiectum primarium: ergo ſi eſſentia divina eſt obiectum primarium adæquatum viſionis beatæ, nulla eſſet diſtinctio ſpecifica inter viſionem terminatam ad ſolam eſſentiam, & viſionem terminatam ad ipſam vt connexam, & identificatam cum attributis & relationibus. Tum etiam: quia ſaltem non repugnabit viſio terminata ad eſſentiam ſolam ſecundùm ſe; quidquid ſit, an ſit diſtincta ſpecie ab ea, quæ nunc exiſtit.

25 Et confirmatur: Eſſentia cum attributis eſt obiectum adæquatum beatificans: ergo per diuinam potentiam poteſt eſſentia videri ſine relationibus. Antecedens probatur: Obiectum beatificans eſt ſummum bonum; ſed relationes non pertinent ad rationem ſummi boni, cùm nullam ex ſe dicant perfectionem: ergo eſſentia divina cum attributis eſt obiectum adæquatum beatificans.

Nec refert, ſi dicas, quòd eſtò relationes ex ſe nullam dicant perfectionem, ad rationem ſummi boni pertinet, quòd identificetur cum illis; & hoc ſufficit, vt nequeat verificari obiectum beatificans, niſi prout includit relationes. ¶ Non, inquam, refert. Quia prædicta identificatio cum relationibus omninò de materiali ſe habet ad rationem formalem beatitudinis obiectivæ: ergo ſolutio ruit. Probatur antecedens: Si per impoſsibile videretur eſſentia cum attributis ſine relationibus, adhuc ſalvaretur obiectum adæquatum nunc defactò beatificans: ergo relationes omninò de materiali ſe habent ad obiectum beatificans. Antecedens probatur: Si per impoſsibile Deus tantùm vt vnus produceret effectus creatos, iſti eſſent eiuſdem rationis, ac nunc ſunt, vt docent communitèr Theologi, non alia ratione, niſi quia omnipotentia eſt ratio formalis productionis creaturarum, & perſonæ non requiruntur per ſe: ergo idem dicendum eſt de relationibus in ordine ad obiectum beatificans. Patet conſequentia: nam Deus vt trinus defactò præſtat aliquem influxum in creaturis; relationes verò, cùm ex ſe careant omni bonitate, non pertinent intrinſecè ad rationem ſummi boni, quod eſt obiectum beatificans: ergo magis de materiali pertinent ad hoc, quàm ad illud.

26 Ad argumentum reſpondetur, ſuſtinendo ſolutionem inter arguendum datam. Contra quam nulla probatio vrget. *Non prima*, propter notam diſparitatem inter cognitionem poſſibilium in omnipotentia, & cognitionem attributorum & relationum in eſſentia divina. Nam cognitio poſsibilium in omnipotentia non conducit ad cognitionem quidditativam Dei; ſeu prout eſt in ſe, quia comparantur ad eam tanquam termini extrinſeci illius; & propter hanc rationem, & quia non connectitur cum poſsibilibus in particulari tanquàm cum obiecto ſpecificativo adhuc virtuali, non oportet, quòd viſio varietur eſſentialitèr penes attingentiam plurium, aut pauciorum poſsibilium, niſi hæc variatio ex alio capite petatur, nempè ex capite cognitionis comprehenſivæ, & non comprehenſivæ, vel ex capite finitatis, & infinitatis, quod eſt idem. Cœterùm eſſentia divina connectitur per ſe primò cum attributis & relationibus in particulari, & aliundè reſpicit illa tanquam id, cum quo realitèr & eſſentialitèr eſt idem; ideòque cognitio ſolius eſſentiæ nequiret non eſſentialitèr diſtingui à cognitione nunc exiſtente. Quod adeò verum eſt, quòd eſtò proprietates alicuius rei diſtinguantur realitèr ab eſſentia; cognitio tamen terminata ad ſolam eſſentiam eſt eſſentialitèr diverſa à cognitione proprietatum in illa, eſtò terminetur ſecundariò ad proprietates. Et ratio eſt proximè tradita: quia nimirùm eſſentia non reſpicit proprietates ſub aliqua ratione communi, ſed immediatè eſt radicativa illarum in particulari; ideòque ipſa eſſentia ſecundùm ſe eſt obiectum primarium formalitèr diverſum à ſeipſa, vt eſt radicativa ſuarum proprietatum; & ipſa vt radicativa intellectus eſt etiam obiectum formalitèr diverſum à ſeipſa vt radicativa voluntatis. *Neque ſecunda vrget.* Nam eſtò poſsit dari cognitio quidditativa alicuius eſſentiæ, quin cognoſcatur aliqua proprietas; repugnat tamen cognitio quidditativa naturæ divinæ, quin cognoſcantur omnia quæ formalitèr & neceſſariò ſunt in Deo; proindeque repugnat in terminis viſio creata ſpecie diſtincta à viſione nunc exiſtenti. Ratio diſcriminis eſt: quia proprietates maximè phyſicæ cuiuſcumque eſſentiæ creatę non pertinent ad eam tanquam quid illi eſſentiale, neque tanquam quid cum illa realitèr identificatum. Attributa verò & relationes vtroque modo reſpiciunt eſſentiam divinam: ideòque non eſſet cognitio quidditativa eſſentiæ prout eſt in ſe, ſi non cognoſcerentur ſimul cum ea. Si tamen proprietates naturæ creatæ ſolùm diſtinguuntur ex natura rei ab ea, idem dicendum eſt de cognitione illius, ac de cognitione eſſentiæ divinæ.

Ad

27 Ad confirmationem bene respondetur inter arguendum. Contra quam solutionem non urget paritas. Pro cuius disparitate notandum & supponendum est cum omnibus, quòd estò trinitas personarum non requiratur per se ad producendos effectus creatos; at si omnipotentia existeret sine personis, esset essentialiter diversa ab omnipotentia nunc existenti, sicut ipsa essentia divina. Essentia enim, quæ petit necessariò & infinitè communicari per generationem, & spirationem, nequit non essentialiter distingui ab essentia, quæ hoc non peteret. Nunc respondetur: fatendo, quòd trinitas personarum omninò de materiali, quantum est ex se, se habet ad productionem creaturarum; cœterùm negamus, quòd de materiali se habeat ad obiectum beatificans, sed requiritur saltèm per se secundò, & fortè per se primò vt *quod*. Et ratio huius discriminis est: quia de ratione obiecti beatificantis est, quòd sit summum bonum: & licèt relationes non addant specialem bonitatem supra bonitatem essentiæ, & attributorum; ipsa tamen essentia vt communicabilis per generationem, & spirationem explicat rationem *summi boni*, quam non explicat considerata præcisè secundum se: Constat autem, quòd nequit essentia prout in se videri, quin videatur vt hoc modo communicabilis; neque vt communicabilis, quin cognoscantur relationes in particulari. ergo idem esset non videri relationes, ac non videri summum bonum: Unde estò relationes non pertineant per se primò ad obiectum beatificans; requiruntur tamen necessariò ad illud tanquam modi illius. Cœterùm ad existentiam creaturarum, ad earumque essentias sufficit, quòd omnipotentia per se primò concurrat ad eas. Ab hac enim tanquam à ratione formali producendi, & non à principio *quod* sumitur vnitas effectuum: cuius signum est, quòd operationes Christi sunt eiusdem speciei cum operationibus alterius puri hominis, estò principium *quod* sit valde diversum. Unde non est mirum, quod effectus creati essent eiusdem rationis, in hypothesi quòd personæ divinæ non influerent in eos.

28 Arguitur *secundò*, Ideo essentia divina non posset videri non visis attributis & relationibus, quia videtur prout est in se, & realiter identificatur cum illis; sed hæc ratio non est efficax: ergo potest videri sine attributis & relationibus. Minor probatur *primò*: Essentia divina prout in se communicatur filio; & tamen non communicatur Paternitas, cum qua est identificata realiter: ergo. *Secundò*: Essentia divina prout in se communicatur intellectui creato per modum speciei; & tamen non communicantur attributa & relationes: ergo. *Tertiò*: Existentia divina communicatur prout in se humanitati Christi; & tamen non communicatur natura divina per modum naturæ, cum qua est identificata: ergo illa ratio non est efficax.

Hoc argumentum, si haberet aliquam vim, probaret *in primis*, quòd defactò, vel secundùm providentiam ordinariam videtur, vel potest videri essentia sine attributis & relationibus: quia defactò natura divina communicatur filio, & non Paternitas: essentia divina communicatur per modum speciei, & non attributa & relationes: & denique existentia divina defactò communicatur humanitati Christi, quin communicetur natura divina sub conceptu *naturæ*. Deinde probaret, quòd Pater possit videri prout in se à beatis, quin videatur natura divina: Nam paternitas, estò sit identificata cum natura, est incommunicabilis filio, & natura est communicabilis illi: ergo poterit videri persona Patris, quin videatur essentia: quod etiam apud Adversarios est impossibile.

Tandem respondetur ad illud, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius primam probationem dicimus, quòd estò essentia communicetur realiter & prout in se filio, & non paternitas, non inde infertur posse videri essentiam sine relationibus. Propter disparitatem iam tactam num. 21. quia nimirum essentia divina non est ratio communis, vt personalitates communicentur, sed ipsæ personalitates sunt potiùs ratione sui rationes formales incommunicabilitatis, sicut sunt per se rationes formales distinctionis. At attributa & relationes conveniunt defactò in eadem communi ratione visibilitatis: quia in hoc nullam important oppositionem, & omnis distinctio inter eas est omninò de materiali ad hoc, vt constituant vnum indivisibile visibile per modum actus puri; aliàs non solùm defactò, verùm nec per potentiam absolutam Dei ex visione essentiæ, & vnius personæ posset videri alia: sicut nec defactò, nec de possibili vna persona potest alteri communicari. *Ad secundam*: Respondetur, quòd essentiam divinam communicari mentibus beatorum; & non communicari attributa & relationes per modum speciei provenit ex eo, quòd sola essentia in se & prout est in se habet rationem speciei; & sic adhuc respectu intellectus divini ipsa sola hoc munus exercet. At non soli ipsi essentiæ prout in se convenit videri; aliàs attributa & relationes ex vi visionis essentiæ nullo modo viderentur; quod est hæreticum. *Ad tertiam*: Respondetur eodem modo: quòd scilicet existentia divina (& idem dic de personalitate) vnitur defactò sicuti est in se vnibilis; & quia sicuti est in se est terminus naturæ divinæ, ita hoc modo vnitur humanitati: natura autem divina non est vnibilis in ratione *naturæ*: quare potest vniri existentia divina prout est in se, estò non vniatur, neque possit vniri in ratione *naturæ*.

29 Arguitur *tertiò* (& erit replica contra præ-

præcedentem ſolutionem) Vna perſona poteſt communicari humanitati, quin communicentur aliæ perſonæ; & tamen in ratione vnibilium cum humanitate nullam dicunt oppoſitionem, ſicut nec cum natura divina: ergo eſtò in ratione *viſibilium* omnes tres perſonæ non dicant oppoſitionem, poterit vna videri ſine alia. ¶ Nec refert, quòd terminare naturam humanam non convenit perſonis ratione alicuius prædicati communis, ſicut eis convenit videri, ſed ratione propriarum perſonalitatum. Non, inquam, refert. Quia exiſtentia divina eſt prædicatum commune tribus perſonis; & tamen exiſtentia communicatur humanitati, quin communicentur perſonæ.

Reſpondetur iuxta ſolutionem inter arguendum datam, quòd cuilibet ſubſiſtentiæ divinæ ſivè abſolutæ, ſivè relativæ convenit per ſe & ratione ſui continere ſubſiſtentiam creatam; & ideò cuilibet inſolidùm convenit poſſe terminare humanitatem, & ſupplere eius ſubſiſtentiam. At omnibus prædicatis divinis convenit videri ratione eſſentiæ divinæ, quatenus eſt prædicatum eis commune, & aliunde eſt cum illis omninò identificata; & ob hanc cauſam nequit videri, prout eſt in ſe, non viſis cæteris prædicatis, ſivè abſolutis, ſivè relativis. Ad id, quo hæc ſolutio videtur enervari: Reſpondetur, verum eſſe, quòd exiſtentia divina eſt prædicatum commune, & communicatur humanitati; ſed non communicatur vt prædicatum commune, ſed vt appropriatum perſonalitati Verbi, & non niſi ratione ipſius perſonalitatis, quæ eſt ratio omninò primaria terminandi: & ob hanc rationem poteſt, & defactò vnitur, quin cæteræ perſonæ divinæ vniatur. Alitèr contingeret, ſi ſubſiſtentia abſoluta immediatè terminaret humanitatem: In qua hypotheſi neceſſariò vnirentur formalitèr omnes perſonalitates: quia cùm ſit identificata cum illis, & ratio communis, vt talis per ſe primò communicaretur. Ex quo poteſt retorqueri argumentum. Nam nequit ſubſiſtentia abſoluta communicari per ſe primò humanitati, quin omnes ſubſiſtentiæ relativæ vnirentur formaliter, non alia ratione, niſi quia eſt illis communis, & cum eis realitèr identificata: ergo paritèr nequit videri eſſentia, prout eſt in ſe, quin videantur omnes relationes.

30 Arguitur *vltimò*: Viſio beatifica Patris ſalvatur ſine viſione filij, & Spiritus-ſancti: ergo potiori titulo poteſt ſalvari viſio beatifica intellectus creati ſine viſione perſonarum. Antecedens probatur: Pater, priùs ordine originis, quàm ſit productus filius & Spiritus-ſanctus, eſt perfectè beatus, immò filius ex cognitione beatifica Patris procedit; ſed in illo priori non videt filium, & Spiritum-ſanctum, cum non intelligantur producti: ergo viſio beatifica Patris intelligitur ſine viſione filij, & Spiritus-ſancti.

Ad hoc argumentum reſpondetur, quòd eſtò Pater ſit prior filio, & Spiritu-ſancto ordine originis; non tamen eſt prior illis prioritate aliqua *in quo* adhuc rationis; neque prioritate *à quo*, ſeu naturæ: quia filius non eſt effectus Patris, neque intelligitur aliquod ſignum, in quo intelligitur Pater producens, in quo non intelligatur filius productus. Unde illa prioritas non eſt prioritas intelligentiæ, ſed potiùs Pater & filius ſunt ſimul natura & cognitione: proindeque optimè percipi valet, quòd Pater ſit beatus priùs quàm filius, & Spiritus ſanctus prioritate originis; & quòd beatitudo Patris nequeat intelligi perfecta, niſi vt terminatur ad Filium & Spiritum-ſanctum. Sed de hoc latiùs agemus in tract. *de Trinit.*

DUBIUM III.

Vtrùm Beati videant in Deo defactò, vel poſſint videre omnia, quæ contingentèr, vel formalitèr, vel virtualitèr continentur in Deo? Vel quæ ex illis cognoſcant?

31 POſtquàm vidimus modum, quo beati cognoſcunt, vel cognoſcere poſſunt prædicata formalia, quæ neceſſariò ſunt in Deo; reſtat inveſtigare modum, quem habent erga eius prædicata libera: ex conſequenti tamen nonnihil dicemus de eius effectibus. Quæ omnia complectitur titulus propoſitus. ¶ Pro cuius intelligentia: Nota, prædicata Dei eſſe in triplici differentia: Alia enim ſunt omninò neceſſaria, vt exiſtentia, æternitas, relationes. Alia partim ſunt neceſſaria, & partim formalitèr libera, vt decreta terminata ad creaturas ſive futuras, ſivè privativè non futuras: iſta enim, ſi conſiderentur quoad entitatem ſunt non minùs neceſſaria, quàm alia prædicata divina; ſi verò conſiderentur quoad terminationem exercitam & determinatam, ſunt formalitèr libera. Alia tandem ſunt, quæ virtualitèr tantùm ſunt in ipſo, vt creaturæ: inter quas aliæ connectuntur neceſſariò, vt creaturæ poſſibiles; aliæ contingentèr, vt futuræ ſeu exiſtentes, & ſuo modo non futuræ privativè. Igitur titulus quæſtionis ſolùm procedit de prædicatis formalibus Dei formalitèr vt liberis, necnon de creaturis exiſtentibus, & futuris, & privativè non futuris. Quæ omnia continentur in illis verbis, *quæ contingentèr, vel formalitèr, vel virtualitèr continentur in Deo.* De creaturis poſſibilibus agemus dubio ſequenti.

32 Deinde nota, creaturas poſſe duplicitèr cognoſci à beato, vel extra Deum, & in ſeipſis immediatè; vel ex vi viſionis beatæ, ſeu in Deo tanquam in obiecto primario, in quo ipſæ creaturæ continentur. Nam Theologi communitèr concedunt beatis duplicem cognitionem creatu-

ra-

rarum, aliam, quam vocant *matutinam*; & aliam, quam appellant *vespertinam*: inter quas hæc est differentia, quòd cognitio matutina est cognitio earum in Verbo seu in Deo, & per scientiam beatam, seu per ipsam visionem intransitivè; vespertina autem est cognitio illarum in seipsis per propriam speciem, & per scientiam infusam. Ex quibus constat, quæstionem solùm procedere de cognitione creaturarum primo genere cognitionis; & propterea additur in titulo *in Deo*. Per quod excludimus etiam aliam cognitionem causatam ab ipsa visione, & per species derivatas ex ipsa visione, quia hæc cognitio non est propriè cognitio rerum in Deo.

33 Tandem nota, quadruplicitèr plura posse cognosci eadem indivisibili cognitione. Primò, itaut omnia æquè primò cognoscantur, vt dum cognosceret simul plures homines. Secundò, itaut vnum cognoscatur in recto, & aliud in obliquo, seu vt terminus illius, vt dum quis cognoscit vnam relationem, de connotato cognoscit aliam, ad quam refertur. Tertiò, itaut vnum tantùm sit priùs cognitum vt *quo*, non vt *quod*; quo pacto verbum mentis est medium, ratione cuius cognoscitur obiectum ad *extrà*, non tamen est medium *quod* priùs cognitum, sed tantùm *quo*. Tandem, itaut vnum prius cognoscatur vt *quod*, & aliud non cognoscatur, nisi in illo cognito vt *quod*, quatenus in eo continetur tanquam in causa. Ex quibus certum omninò est, quòd beatus ex vi visionis non videt creaturas futuras primo, vel tertio modo: quia visio beata est participatio formalis cognitionis divinę, à qua longè absunt prædicti modi cognoscendi, vt latiùs dicemus tract. seq. Unde in hac quæstione solùm habet locum secundus, aut quartus modus. Quam difficultatem sequentibus assertionibus absolvemus.

§ I.

Triplex conclusio.

34 DIcendum est *primò*, beatos posse videre immediatè in Deo eius actus liberos. Hæc conclusio prout sic indefinitè proposita colligitur ex Div. Thoma 3. part. q. 10. in corp. & ad 2. & quæst. 8. *de Verit.* art. 4. ad 1. necnon in hac 1. part. quæst. 57. art. 5. in corp. in quibus locis apertè ait, beatos videre in Verbo plures effectus existentes, seu futuros. Ex quo formatur ratio conclusionis: Beatus nequit in Deo videre effectus existentes pro aliqua differentia temporis, quin in ipso Deo videat id, per quod Deus determinatur, vel constituitur in ratione causæ; sed Deus determinatur & constituitur in ratione causæ effectuum existentium per suos actus liberos, seu decreta: ergo beatus potest videre immediatè in Deo actus eius liberos. Minor cum consequentia constat. Et maior per se liquet: nam repugnat, effectum existentem pro aliqua differentia temporis videri certò in Deo, nisi videatur in ipso id, per quod Deus infallibiliter connectitur cum ipso effectu; quod non est aliud præter id per quod determinatur, & constituitur in ratione causæ.

Confirmatur *primò*: Deus cognoscit immediatè omnia sua decreta libera: ergo etiam beatus per visionem ipsius essentiæ potest videre aliqua decreta libera immediatè & in seipsis. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Ideò Deus potest illa videre immediatè, quia sunt aliquid ipsius Dei: ergo etiam beatus. Probatur consequentia: Nam visio beata est participatio formalis visionis divinæ: ergo poterit participare visionem divinam quoad cognitionem decretorum Dei in seipsis.

Et confirmatur *secundò*: Unus Angelus potest cognoscere actus liberos alterius tanquam aliquid illius, dummodò Angelus cognitus suos actus liberos ad Angelum cognoscentem dirigat, seu ordinet: ergo etiam beatus ex vi visionis essentiæ divinæ poterit videre actus liberos Dei, dummodò illos ordinet ad ipsum beatum. Antecedens pronunc supponitur. Et consequentia probatur: quia non minùs proportionatum est lumen gloriæ in ordine ad actus liberos Dei, quàm lumen naturale vnius Angeli in ordine ad actus liberos alterius Angeli: neque Deus est minus potens ordinare ad beatum suos actus liberos, quàm vnus Angelus proprios actus liberos ad alium Angelum.

35 Dicendum est *secundò*, nullum beatum posse videre omnia Dei decreta libera in particulari. Ita N. Salmant. in præs. disp. 7. num. 39. Et ratio est: nam si beatus posset videre omnia decreta Dei libera, posset cognoscere omnia possibilia; sed nullus beatus queit cognoscere in Deo omnia possibilia: ergo neque potest videre omnia Dei decreta libera. Minor constabit ex dicendis dubio seq. Et maior probatur: Deus habet decreta in particulari erga omnia possibilia in particulari, cùm non solùm non sit suspensa erga illa, vt omnes Thomistæ volunt, verùm nec potuit, vt probabilius tenent cum pluribus Theologis supradicti PP. in tract. *de Volunt. Dei*: ergo si posset beatus videre omnia decreta libera Dei, etiam posset cognoscere in Deo omnia possibilia.

36 Respondebis cum pluribus Doctissimis viris, ex hac ratione tantùm sequi, beatum posse cognoscere omnia possibilia, quatenus subduntur decretis liberis Dei, hoc est quoad *an est*, seu quoad *an non est*; non verò quoad eorum quidditates, seu prout in particulari continentur in omnipotentia. Ita Illustr. Godoy 3. part. disp. 34. §. 7. Ioannes à Sancto Thoma ibidem disp. 12. art. 3. §. *Et in hac parte*, & Ferre *de Scientia Dei* quæst. 4. num. 1204.

¶ Hæc

¶ Hæc tamen evaſio ſufficienter refellitur à N. Salm. tract. *de Incarnat.* diſp. 18. num. 30. Tum, quia repugnat per lumen finitum cognoſci omnis multitudo poſsibilium in particulari quoad eorum præcise exiſtentias, quia petit attentionem ſimpliciter infinitam. Tum etiam: quia impoſsibile eſt cognoſcere in particulari negationes omnium poſsibilium quoad eorum exiſtentias, quin cognoſcantur ipſæ exiſtentiæ in particulari; ſed impoſsibile eſt beatum cognoſcere in particulari exiſtentias omnium poſsibilium, quin cognoſcat quidditativè ipſa poſsibilia: ergo ſi non poteſt cognoſcere omnia poſsibilia quidditativè, neque poteſt illa in particulari cognoſcere quoad *an eſt*. Maior per ſe patet: nam negationes non cognoſcuntur, niſi per formas quarum ſunt negationes, itaut ſi negatio ſolùm cognoſcitur in communi, forma debet cognoſci in communi; ſi in particulari, etiam forma debet cognoſci in particulari. Minor verò probatur: Nam impoſsibile eſt cognoſcere exiſtentiam leonis vt talem, quin cognoſcatur ipſe leo. Quomodò enim poteſt cognoſci exiſtentia determinata alicuius prout diſtincta ab exiſtentia alterius, quin ſimul cognoſcatur quidditativè ipſa res, cuius eſt exiſtentia, cùm ab ea ſpecificetur; vel cognoſcatur per revelationem?

37 Dicendum eſt *tertiò*, quemlibet beatum ſolùm cognoſcere decreta, quæ verſantur circa effectus pertinentes ad ſuum ſtatum. Hanc concluſionem tenent communiter Theologi: fundati in doctrina clara D. Thomæ, qui ait, beatum ſolùm cognoſcere in Verbo effectus exiſtentes in aliqua differentia temporis, & pertinentes ad ſuum ſtatum. Quam doctrinam §. ſequenti tranſcribemus: ob idque ex ibi dicendis pendet probatio huius concluſionis.

38 Contra tertiam concluſionem nulla extat ſententia, neque aliquod argumentum alicuius momenti. Contra ſecundam ſentiunt Authores relati num. 36. Cuius præcipuum motivum præoccupatum manet ex ibi dictis. ¶ Contra primam opinantur Durand. in 3. diſt. 14. quæſt. 2. num. 4. & 5. necnon in 4. diſt. 49. quæſt. 3. à num. 12. Vazquez 1. part. diſp. 50. cap. 3. n. 23. Molina in hoc art. diſp. 5. memb. 5. & 6. §. *Ad primam*, & §. *Dicendum*.

Arguitur *primò*: Ex quo Angelus ſuperior comprehendat Angelum inferiorem, non ſequitur cognoſcere actus eius liberos, vt dicemus infrà in tract. *de Angelis*: ergo ex eo quòd videatur eſſentia Dei, & eius decreta ſint aliquid ipſius, non ſequitur, quòd cognoſcantur ex vi viſionis eſſentiæ. Patet conſequentia à paritate: quia ita ſe habent decreta Dei ad eius eſſentiam, ſicut actus liberi Angeli ad eius ſubſtantiam.

Et confirmatur: Si beatus poſſet videre decreta libera Dei in ipſo Deo, videret illa virtute luminis gloriæ, & eſſentiæ divinæ, vt habet ratione ſpeciei intelligibilis; ſed hoc eſt falſum: ergo nequit videre ea ex vi viſionis beatæ ſeu in Deo. Minor probatur: Tum, quia huiuſmodi decreta ex ſe ſunt occulta: ergo nequeunt videri ratione luminis gloriæ, & eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei: Patet conſequentia: nam id, quod repreſentatur ab eſſentia divina, & videtur à lumine gloriæ, eſt obiectum neceſſarium; proindeque nequit eſſe occultum. *Tum etiam*: Quia eſſentia divina ex ſe non repræſentat prædicta decreta, aliàs repræſentaret neceſſariò; & aliunde nihil ei ſuperaddi poteſt, ratione cuius illa repræſentet.

Ad argumentum reſpondetur, concedendo antecedens iuxta modum proximè explicandum; & negando conſequentiam. Pro quo notandum eſt, quòd beatum videre decreta Dei ex vi viſionis ipſius, & vnum Angelum videre actus liberos alterius ex vi viſionis illius, ſtat dupliciter: vel neceſſariò, itaut non ſit neceſſaria manifeſtatio ſeu ordinatio illorum ad cognoſcentem; vel itaut cognitio illorum dependeat ex libera manifeſtatione & ordinatione eorum ad cognoſcentem. Igitur beatus ita cognoſcere poteſt ex vi viſionis eſſentiæ divinæ decreta libera Dei, quòd dependeat illorum cognitio ab hoc, quòd illi liberè à Deo manifeſtentur ſeu ordinentur: Et hoc pacto vnus Angelus poteſt etiam cognoſcere in alio actus liberos illius.

Per quod conſtat ad confirmationem: Conceſſa ergo maiori; neganda eſt minor. Et ad eius primam probationem dicimus, quòd tàm actus liberi Angeli, quàm Dei reſpectu alterius Angeli, & beati ex ſe ſunt occulti; cæterum id, quod ex ſe eſt occultum, poteſt manifeſtari & ordinari ad cognoſcentia extrinſeca; & tunc ordinatur ad illa, vt fiat quaſi aliquid pertinens ad ipſa. *Ad ſecundam*: Dicimus, quòd ſicut eſſentia divina independenter ab aliquo ſuperaddito repræſentat intellectui divino decreta libera Dei, & ex vi huius repreſentationis poteſt, & defactò illa cognoſcit, ita ipſa eſſentia divina poteſt intellectui beati illa manifeſtare & repræſentare. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd intellectui divino repræſentat neceſſariò, neceſſitate fundata in ſuppoſitione libera quòd ſint: quia ex vna parte eſt infinita in repreſentando, & ob hanc rationem petit repræſentare quidquid repræſentabile eſt in rerum natura, ſivè exiſtat in Deo ſivè in creatura; & ex alia ſunt actus proprij ipſius Dei; & hac de cauſa nequit non ſibi illos repræſentare, quia reſpectu ſui non ſunt occulti, ſicut neque eſſentia Angeli nequit non repræſentare ipſi ſuos actus liberos: Cæterum reſpectu aliorum cognoſcentium ex ſe ſunt occulti, neque pertinent ad ea, niſi dependenter à libera ordinatione obiectorum cognitorum.

39 Arguitur *ſecundò*: Si beatus ex vi viſionis eſſentiæ poſſet videre decreta libera Dei, poſſet

posset videre omnia; sed hoc est impossibile: ergo nullum potest videre. Maior probatur: Tum, quia ex parte luminis, & essentiæ divinæ vnitæ per modum speciei non potest reddi aliqua ratio, cur videantur plura, vel pauciora, aliàs sicut per lumen intensius videntur plures creaturæ possibiles, ita viderentur plura decreta. Tum etiam: quia omnia decreta sunt aliquid Dei: ergo vel nullum videtur, vel videntur omnia.

Ad hoc argumentum respondetur, negando sequelam maioris. Ad cuius primam probationem dicimus, quòd ratio cur vnus beatus videt plura decreta in particulari, quàm alius, non reducenda est ad maiorem intensionem luminis gloriæ, quia quodlibet lumen etiam in minima intensione habet ex se sufficientem vim ad attingenda omnia decreta, quatenus terminantur ad omnia genera, & species, & consequenter ad omnia individua pertinentia ad hoc vniversum, vt §. sequenti cum D. Thoma dicemus. Supposita ergo sufficienti efficacia ex parte luminis gloriæ ad videnda omnia, quæ pertinent ad hoc vniversum, necnon ad videnda omnia, quæ in illis continentur, estò non pertineant defactò ad illud, vt sunt futura & cogitationes cordis, & consequenter ad decreta ad omnia hæc terminata, solùm est necessaria manifestatio & ordinatio ex parte Dei, vt actu illa cognoscat: Vnde hæc vnicè potest esse ratio, cur vnus beatus plura videat, quàm alius, non quantitas luminis gloriæ. *Ad secundam*: Respondetur, quòd actus liberi Dei possunt considerari dupliciter: vel quoad entitatem; & hoc pacto quilibet beatus videt omnia decreta Dei, quia sunt vna & indivisibilis entitas necessaria divinæ voluntatis; & ad videnda hæc omnia decreta illud lumen sufficit, quod sufficit ad videndum Deum secundùm omnia formalia & necessaria ipsius. Vel possunt considerari, prout terminantur ad hanc, vel illam creaturam futuram, vel existentem in particulari, quo pacto explicant expressionem liberam. Et hoc modo considerati, estò sint aliquid Dei, non debent omnes videri, nisi illi, quos Deo placuerit manifestare, & ordinare ad beatum. Tum, quia prædicti actus sunt obiectum ex se occultum, sicut actus liber voluntatis creatæ; ac proinde cognitio illorum pendet ex ordinatione divina ad intellectum beati. Tum, quia omnes actus liberi Dei, formaliter vt tales, sunt vnicus & indivisibilis actus terminatus per se primò ad omnia futura, & non futura sub aliqua ratione communi, & non ad illa, sub proprijs suis rationibus in particulari, sicut de omnipotentia in ordine ad possibilia supradictum est num. 11. & sequentibus. Unde ex vi visionis actus liberi Dei solùm infertur, beatum videre terminationem hanc liberam in communi. Tum denique (per quod etiam traditur discrimen, quod intervenit inter cognitionem omnipotentiæ vt terminatæ ad possibilia in communi, & actum liberum Dei vt terminatum ad futura in communi) Nam actus divinus terminatur liberè ad futura in communi; omnipotentia verò terminatur necessariò, & quasi per se primò ad possibilia sub ratione communi *factibilis*: Et ob hanc rationem licèt beatus ex vi visionis essentiæ debeat videre omnipotentiam vt terminatam ad factibile vtsic; non tamen debet videre actum liberum Dei adhuc vt terminatum ad futura sub hac ratione communi, nisi Deus hunc actum vt liberum voluerit ordinare ad ipsum beatum. Et quoad hoc idem dicendum est de actu libero prout terminato ad futura sub aliqua ratione communi, ac de illo vt terminato ad ipsa in particulari. Cum hoc rectè cohæret, quòd beatus debeat videre ex vi visionis essentiæ actum voluntatis divinæ vt terminatum vagè ad futuritionem, vel non futuritionem cuiuslibet creaturæ: quia actus divinus hoc modo consideratus non est liber, eò quòd voluntas divina necessariò debet habere volitionem, vel nolitionem erga quancumque creaturam: cùm non potuerit manere suspensa.

§. II.

Triplex alia conclusio.

40 Dicendum est *quartò*, beatum posse videre ex vi visionis essentiæ divinæ, seu in Deo, priùs vt *quod* cognito, effectus existentes in aliqua differentia temporis. Hæc conclusio est proculdubiò D. Thomæ locis assertione sequenti referendis. Et ratio desumi potest ex dictis num. 34. Nam qui potest videre causam continentem aliquem effectum, potest etiam videre ipsum effectum in ipsa causa priùs cognita vt *quod*; sed beatus potest videre essentiam divinam, eiusque virtutem productivam creaturarum existentium vt determinatam per decretum: ergo etiam potest videre in Deo priùs cognito creaturas existentes. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Causa adæquata alicuius effectus est sufficiens medium ducens in cognitionem sui effectus; & hac ratione Angelus, cognita quacumque causa, ex vi cognitionis illius potest duci in cognitionem effectus contenti in ipsa causa: ergo qui potest videre causam continentem aliquem effectum, potest videre ipsum effectum in ipsa causa priùs cognita vt *quod*.

Confirmatur: Deus ex vi visionis suæ essentiæ, & omnipotentiæ videt omnes creaturas possibiles, & ex vi visionis eiusdem essentiæ vt determinatæ per sua decreta libera videt omnes effectus futuros, & existentes: ergo etiam beatus potest ex vi visionis divinæ essentiæ determi-

terminatæ per eadem decreta, & cognitæ vt *quod*, videre effectus futuros, ſeu exiſtentes. Antecedens pronùnc ſupponitur ex dicendis in tract. ſequenti. Et conſequentia probatur: Ideò Deus ex vi cognitionis omnipotentiæ cognoſcit poſsibilia, & ex vi cognitionis eſſentiæ vt determinatæ per decretum videt futura; quia omnipotentia eſt cauſa adæquata præcontentiva poſsibilium, & vt determinata per decretum præcontinet adæquatè futura; ſed beatus per ipſam viſionem beatam videt omnipotentiam, & decreta: ergo etiam poteſt videre ipſa futura ex vi viſionis eſſentię.

41 Huic rationi reſpondet Vazquez, quòd ex cognitione cauſæ ſolùm ſequitur cognitio effectuum, quando cauſa dicit habitudinem ad ipſos effectus: Deus autem nullam habitudinem dicere poteſt ad creaturas. Et ob hanc rationem neque Deus cognoſcit creaturas in ſe tanquam in obiecto cognito vt *quod*, ſed ſolùm quatenus habet rationem ſpeciei intelligibilis, & verbi ipſarum creaturarum. Beatus autem ſolùm illas cognoſcere poteſt alia cognitione diſtincta à viſione beata, per quam videt eſſentiam divinam. Vel poteſt dici, quòd beatus videt creaturas in Verbo, eo modo quo Deus illas cognoſcit: qui modus in ſententia Vazquezij non eſt alius ab aſsignato.

Sed contrà eſt: Nam eſtò Deus nullum reſpectum dicat ad creaturas, verè tamen eſt cauſa præcontentiva illarum; ſed hoc ſufficit, vt ex cognitione ſui Deus cognoſcat ipſas creaturas: ergo paritèr beatus ex vi viſionis divinę eſſentię cognitæ vt *quod* poteſt videre creaturas. Minor probatur: Nam ſi eſt cauſa præcontentiva illarum, dicit connexionem cum illis, inferens eas à priori; ſed hoc ſufficit, vt cognitio cauſæ ducat in cognitionem effectus: ergo &c. Ulterius doctrina Vazquezij, cui hæc evaſio innititur, radicitùs evertetur tract. ſequenti.

42 Dicendum eſt *quintò*, quemlibet beatum videre aliqua myſteria gratiæ, necnon omnia genera, & ſpecies pertinentia ad hoc vniverſum, & omnia quæ pertinent ad proprium ſtatum. Hanc concluſionem quoad primam partem docet D. Thomas in hac 1. part. quæſt. 57. art. 5. vbi ait: *Eſt alia cognitio Angelorum, quæ eos beatos facit, qua vident verbum, & res in verbo. Et hac quidem viſione cognoſcunt myſteria gratiæ, non quidem omnia, nec æqualitèr omnes, ſed ſecundùm quòd Deus voluerit eis revelare. Ita tamen quòd ſuperiores Angeli perſpicaciùs divinam ſapientiam contemplantes plura myſteria & altiora in ipſa viſione cognoſcunt, quæ inferioribus manifeſtant, eos illuminando.* Quoad ſecundam partem eam docet 3. Contra gent. cap. 60. & in præf. art. 8. ad 4. vbi ait: *Dicendum, quòd naturale deſiderium rationalis creaturæ eſt ad ſciendum omnia, quæ pertinent ad perfectionem intellectus: & hæc ſunt genera & ſpecies rerum, quæ in Deo videbit quilibet videns eſſentiam divinam.* Quoad tertiam eam tradit in 3. part. quæſt. 10. art. 2. vbi ait: *Nulli intellectui beato deeſt, quin cognoſcat in verbo omnia, quæ ad ipſum ſpectant. Ad Chriſtum autem & ad eius dignitatem ſpectant quodammodò omnia, inquantùm ei ſubiecta ſunt omnia. Et ideò anima Chriſti in verbo cognoſcit omnia exiſtentia ſecundùm quodcumque tempus, & etiam hominum cogitatus.* Hoc idem etiam eleganti teſtimonio docet in 4. diſt. 45. quæſt. 3. art. 1. vbi concludit: *Et ſic manifeſtum eſt, quòd cognoſcunt in verbo vota, & orationes, & devotiones hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt.* Idipſum tradit 2. 2. quæſt. 83. art. 4. ad 2. vbi ex D. Greg. ait, quòd beati in verbo vident petitiones ad eos factas voce, vel corde.

Et probatur concluſio quoad omnes partes ratione D. Thomæ ex loco citato Contra gent. deſumpta: Nam quilibet beatus naturaliter appetit ſcire, quæ ſpectant ad perfectionem ſui intellectus, & ad ſuum ſtatum: ergo videt in verbo omnia relata in aſſertione. Antecedens videtur indubitatum. Et conſequentia probatur: De ratione beatitudinis perfectæ eſt per ſeipſam ſatiare omnem appetitum naturalem & ordinatum ſciendi, quem habet beatus; ſed appetitus ſciendi prædicta, eſt ordinatus: ergo videt in verbo omnia relata in aſſertione.

Explicatur hoc: Beatus vt beatus poteſt conſiderari vt ad ordinem gratiæ elevatus, vt eſt pars huius vniverſi, & vt eſt talis perſona particularis in tali dignitate conſtitutus, v. g. Rex, Paterfamilias, ſeu Patriarcha alicuius Religionis; ſed beatus ſecundùm hanc triplicem conſiderationem ordinatè appetit obiecta relata in aſſertione: nam prout elevatus ad ordinem ſupernaturalem, non minùs appetit ſcire myſteria ſaltem præcipua gratiæ, quàm in ſtatu naturali genera & ſpecies rerum: & vt pars vniverſi, ordinatè appetit ſcire partes præcipuas illius, vt cœlum, elementa, genera, & ſpecies rerum, vtpotè omnia hæc conducentia ad perfectionem intellectus: & tandem vt conſtitutus in tali dignitate, ordinatè etiam appetit ſcire, quę ad ſuam perſonam & dignitatem ſpectant, v. g. ad dignitatem matriarchalem Seraphicæ Virginis M. N. S. Thereſiæ ſpectat ſcire, quæ pertinent ad noſtrum ordinem Carmelitarum Diſcalceatorum; ergo videt omnia hæc.

43 Dicendum eſt *ſextò*, beatum omnia quæ aliquando videt in verbo, videre ſimul & abſque vlla ſucceſsione à principio ſuæ beatitudinis. Explicatur hæc aſſertio: Duplex enim ſucceſsio in viſione beata intelligi valet: prima eſt, vt obiectum, quod nunc cognoſcitur tantùm quidditativè, ſed non intuitivè, poſteà cognoſcatur intuitivè: ſecunda eſt, quòd nunc nullo modo cognoſcatur, & poſteà cog-

noscatur. Inter quas successiones hæc est differentia, quòd secunda arguit aliquam mutabilitatem intrinsecam ex parte cognitionis; prima autem solùm ex parte obiecti. Igitur nostra assertio non est intelligenda de prima successione, propter dicenda in nostro tract. *de Scientia Christi* disp. 2. dub. 3. vbi latè probavimus, visionem beatam non esse notitiam intuitivam futurorum; sed de secunda. Quæ conclusio est expressa D. Thomæ pluribus in locis, præsertim loco relato Contra gent. & hìc art. 10.

Et probatur ratione tertia D. Thomæ desumpta ex loco citato Contra gent. Nam de ratione beatitudinis perfectæ est, quòd quietet à principio beatitudinis omnem appetitum beati, ne sit anxius; sed beatus habet appetitum ad sciendum omne id, quod cognoscit per visionem beatam: ergo simul & à principio beatitudinis cognoscit omnia, quæ absolutè videbit. ¶ Et confirmatur: Visio beata mensuratur æternitate participata: ergo videt omnia simul. Probatur consequentia. Nam quia visio Dei mensuratur æternitate per essentiam, videt omnia simul: ergo si visio beata est participatio visionis Dei vt æternitate mensuratæ, qua ratione videt omnia simul, pariter beatus videt omnia, quæ videt, simul. ¶ Nec refert, quòd Deus videt omnia intuitivè, & non beatus: ergo etiam Deus videt omnia simul, & non beatus. Non inquam, refert. Quia æternitas participata non habet vim faciendi sibi coëxistentia futura, & habet vim ad faciendum, vt beatus videat simul omnia, quæ videt, quia vnica specie repræsentantur: ergo si Deus videt ea simul, non est cur beato id denegemus. Maximè: quia vt inquit D. August. lib. 15. *de Trinit.* cap. 16. *Non erunt volubiles cogitationes nostræ ab alijs in alia euntes, & redeuntes, sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.*

44 Contrà quartam conclusionem sentit Vazquez tom. 1. in 1. part. disp. 50. Cuius præcipuum argumentum est, quòd Deus non cognoscit vllam creaturam sivè futuram sivè possibilem in seipso, tanquam in obiecto priùs cognito. A quo nunc supersedemus, quia proprium locum habet in tract. sequenti. Arguitur ergo *primò*: Quæ videntur ex vi visionis essentiæ divinæ, debent necessariò videri; sed implicat creaturas futuras, & existentes necessariò videri à beato: ergo non illas videt ex vi visionis essentiæ divinæ. Maior probatur: Nam ex vi visionis essentiæ divinæ solùm possunt videri, quæ cum ea necessariò connectuntur: ergo debent videri necessariò. ¶ Confirmatur *primò*: Angeli extra verbum non cognoscunt creaturas existentes ex vi cognitionis suæ causæ, sed in seipsis, ad quod sufficit, quòd ipsi effectus existant in se: ergo idem dicendum est de beato. ¶ Confirmatur *secundò*: Si beatus ex vi visionis essentiæ divinæ videret creaturas existentes, etiam videret illas vt possibiles; sed hoc est falsum, aliàs visio terminata ad creaturas vt possibiles distingueretur specie á visione terminata ad existentes, cùm procedant sub diversa ratione, nempè ad illas vt contentas in omnipotentia, & ad istas vt contentas in decreto: ergo. ¶ Confirmatur *tertiò*: Nam aliàs eadem cognitio esset simul intuitiva & abstractiva, quia vt terminata ad possibilia esset abstractiva; & vt terminata ad existentia esset intuitiva.

Ad argumentum respondetur, negando maiorem. Nam licet beatus nequeat videre creaturas existentes ex vi visionis solius essentiæ, quod verissimum est; visa tamen essentia vt determinata per decreta libera, sufficiens determinatio datur ex parte causæ, vt ex vi visionis illius cognoscantur effectus; cui visioni accidit videre effectus, quia contingenter convenit ei videre decreta. Istis autem semel visis, necessariò, necessitate fundata in suppositione libera, videntur effectus non minùs propriè, ac creaturæ possibiles videntur ex vi visionis omnipotentiæ. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ratio discriminis est: quia species angelicæ non repræsentant effectus existentes per modum causæ; sed potius repræsentant illos vt repræsentabile primarium: Essentiæ autem divinæ nequit convenire hic modus repræsentandi creaturas; aliàs specificaretur ab ipsis. Unde solùm potest illas repræsentare per modum causæ, & eodem modo à beato cognosci. ¶ Ad secundam, concedenda est sequela maioris; sed neganda est minor. Cuius probatio ibi inclusa non vrget: quia sicut Deus vt actu producens creaturas solùm addit supra seipsum quandam connotationem secundariam, ob quam rationem actus liber Dei non distinguitur virtualiter ab actu necessariò, neque scientia visionis à scientia simplicis intelligentiæ, vt in proprijs locis dicemus; ita omnipotentia vt præcontentiva possibilium non est ratio *subqua* formaliter diversa à seipsa vt determinata per decretum, & præcontentiva existentium. Ideòque per eandem visionem non solùm specie, sed etiam numero possunt in Deo cognosci possibilia, & existentia. ¶ Ad vltimam respondetur, non inconvenire, quòd eadem cognitio numero sit simul intuitiva, & abstractiva respectu diversorum, & sit abstractiva & intuitiva respectu eiusdem successivè, maximè quando notitia est superioris ordinis.

45 Adversus quintam assertionem sentiunt Gonet in præf. disp. 5. art. 7. & Palanco quæst. 15. concluf. 5. quatenus aiunt, beatos videre omnia mysteria gratiæ. Alij tenent, beatos videre in Verbo omnia singularia. Et tandem alij negant, videre omnia, quæ ad suum statum spectant. Pro quibus arguitur *primò*, circa mysteria gra-

gratiæ: Nam beatus videt in Verbo omnia, quæ nobis revelantur per fidem, iuxta illud Psalm. 47. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri*: Et iuxta illud D. Augustin. 20. *de Civitate Dei* cap. 21. *Quid videbimus, nisi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes?* Constat autem, quòd nunc nobis revelantur per fidem omnia mysteria gratiæ: ergo beatus videt omnia illa in Verbo. ¶ Confirmatur *primò*: Beatitudo satiat omne desiderium beati; sed viator rationabiliter appetit videre omnia, quæ hìc credit per fidem: ergo videt in Verbo omnia mysteria gratiæ. ¶ Confirmatur *secundò*: Theologia nostra hìc attingit omnia mysteria gratiæ: ergo etiam beatus videt omnia ea in Deo. Probatur consequentia: Nam Theologia nostra est scientia subalternata scientiæ beatæ, ac proinde petit coniunctionem, cum illa, & evidentiam suorum principiorum; sed hanc non habet, nisi per scientiam beatam: ergo videt omnia mysteria gratiæ.

Ad argumentum respondetur, quòd ex eo quòd beatus videat in Verbo omnia, quę nobis revelantur per fidem, solùm sequitur, quòd videat in Verbo omnia mysteria gratiæ quoad substantiam, nimirùm mysterium Incarnationis, prædestinationis &c. non tamen oportet, quòd videat omnia dona gratiæ collata omnibus hominibus in particulari, seu alia mysteria, prout hìc & nunc exercentur in omnibus rebus in particulari: v.g. non opportet, quòd videat in Verbo omnes hostias consecratas, neque omnia quæ aguntur circa salutem electorum. Quocirca D. Thomas infrà quæst. 106. art. 4. ad 3. inquit: *Dicendum, quòd vsque ad diem iudicij semper nova aliqua supremis Angelis revelantur divinitùs, de his quæ pertinent ad dispositionem mundi, & præcipuè ad salutem electorum. Vnde semper remanet, vnde superiores Angeli inferiores illuminent.* Constat autem, quòd illuminatio non fit in ipsa visione beata ab Angelis; & aliunde si vsque ad diem iudicij Angelis supremis nova revelantur, hæc revelatio non fit in ipsa visione beata propter dicta in vltima assertione. Maneat ergo, quòd aliquid supernaturale est, quod beati non videant in Verbo. Per quod sufficienter liquet ad vtranque confirmationem.

46 Arguitur *secundò*, circa individua: Beatus videt omnia, quæ Angeli virtute naturali cognoscunt, iuxta illud dictum Anselmi lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 19. *Tales oportet esse homines in illa civitate superna, quales nunc sunt boni Angeli*; sed Angeli boni virtute sua naturali cognoscunt non solùm genera & species huius vniversi, sed etiam omnia individua existentia: ergo. ¶ Confirmatur *primò*: Nam viator etiam desiderat videre omnia individua; sed ex desiderio cognoscendi species probatur videre illas in Verbo: ergo etiam videt omnia individua pro aliqua differentia temporis. ¶ Confirmatur *secundò* ex D. Thoma 3. Contr. gent. cap. 59. vbi ait: *Per cognitionem autem naturalium specierum, & individua sub speciebus huiusmodi existentia cognoscuntur ab intellectu Deum vidente.*

Ad argumentum respondetur, aliud esse, quòd Angelus virtute sua naturali possit cognoscere omnia singularia existentia sub speciebus vniversi, aliud verò quòd actu semper illa cognoscat. Primum est verum; secundum autem falsum: quia estò species intelligibilis deserviens ad cognitionem alicuius generis, seu speciei in Angelo propter sui vniversalitatem sit sufficiens ad cognoscenda simul omnia singularia sub eis contenta; non tamen est necesse, quòd omnia actu & semper videat; sed pro suo libito potest illa videre, & potest illa non videre. Igitur ex hoc argumento solùm potest argui, quòd beatus ex vi visionis essentiæ divinæ possit videre omnia singularia contenta sub speciebus pertinentibus ad hoc vniversum; non verò quòd defactò omnia illa videat. Et ratio est: quia cognoscere omnia singularia non est de perfectione intellectus, vt docet D. Thomas in præs. art. 8. ad 4. quia per se primò non spectant ad perfectionem vniversi, sed inquantùm sunt propter suas species & genera, quæ adeò perfecta manent ipsis transeuntibus, ac si existerent omnia: neque ex alio capite datur appetitus in beato ad ea cognoscenda, nisi ex eo quòd pertineant ad suum statum. Unde beatus solùm appetit videre illa singularia, quæ per se primò sunt partes principales huius vniversi, vt sunt Angeli & omnia corpora cœlestia cum multitudine stallarum, necnon corpora prima elementaria. Per quod patet ad primam confirmationem. ¶ Ad secundam, plura plures dicunt, vt concilient testimonium ex libro Contra gent. cum proximè relato ex 1. part. Nam Ferrara loco citato Contr. gent. sentit esse de mente D. Thomæ, quòd beatus videt in Deo omnia singularia existentia. Et dum in 1. part. hoc negat, intelligi debet (ait) non de singularibus singillatim acceptis, sed de illis simul cum cogitatis & factis eorum. Hæc tamen interpretatio non placet: Quia ratio, quam tradit de his omnibus copulativè, suadet etiam de ipsis singularibus singillatim: nam neque sunt de perfectione intellectus, sicut nec cogitata & facta eorum; neque naturale desiderium beati tendit, nisi ad ea quæ pertinent ad suum statum. ¶ Petrus Bergom. dub. 488. ait, testimonium ex 1. part. intelligendum esse de individuis possibilibus, non de individuis, quæ aliquando erunt. Sed neque interpretatio ista placet, propter rationem tactam contra expositionem Ferrariæ. ¶ Quocirca respondetur cum Navarrete in præs. art. 8. §. 8. (supponendo quòd beatus non videt omnia singularia, sed tantùm quæ ad suum sta-

tum

tum spectant, vel sunt principales partes huius vniversi) in testimonio ex libro Contra gentes tantùm velle D. Thomam, quòd individua, quæ cognoscuntur à beatis, non cognoscuntur immediatè, sed per cognitionem specierum, sub quibus continentur; proindeque sicut ex vi visionis videntur species, etiam ex vi illius possunt videri omnia individua contenta sub eis; & defactò ex vi illius videntur, quæ defactò videntur.

47. Arguitur *tertiò*, circa ea quæ pertinent ad statum beati: Si quilibet beatus videret omnia, quæ pertinent ad suum statum, sequitur minùs beatum interdum plura cognoscere in verbo, quàm magis beatum, quia continget, vt plura spectent ad statum minùs beati, quàm ad statum magis beati; hoc videtur absurdum, cùm tantò crescat perfectio visionis, quantò plures creaturæ in verbo videntur: ergo. ¶ Et confirmatur: Quia Angeli Dei plura ignorant etiam de his, quæ ad ipsos spectant; vt liquet in Angelo tutelari populi Dei, & Angelo Persarum, qui ignorabant eventum futurum circa exitum Israël de Egypto.

Ad argumentum iam constat ex dictis numer. 39. Nam quodlibet lumen in modica intensione sufficit ad videndas omnes species pertinentes ad hoc vniversum, necnon singularia sub eis contenta, eorum cogitata & facta: vnde omnia hæc non videre non est, quia vnus sit alio beatior. Maior enim beatitudo essentialis colligitur ex maiori penetratione omnipotentiæ divinæ, hoc est, ex cognitione plurium possibilium in ea; & optimè stat, quòd magis beatus videat plura possibilia, & minùs beatus plura existentia. ¶ Ad confirmationem respondetur, quòd regulariter loquendo omnes beati vident in verbo omnia, quæ ad suum statum spectant, nisi occultare aliquid conducat ad regimen divinæ providentiæ, vt contingit in casu proposito.

Adversus vltimam conclusionem arguit Molina: Si beatus videt omnia simul à principio: ergo videt diem iudicij, cùm ad eum pertineat talis dies; sed hoc est falsum, iuxta illud Marci 13. *De die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque filius, sed solus Pater*: ergo non videt omnia simul. *Adde*: Quia Div. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 5. ait, quòd beatus post diem iudicij videbit omnia, quæ Deus scit scientia visionis; constat autem, quòd à principio suæ beatitudinis non ea videt, aliàs visio cuiuslibet beati adæquaret in extensione quoad futura & existentia visionem Christi Domini: ergo successivè &c.

48. Sed ad hoc, inquantùm attinet ad Christum vt Deum, & vt hominem, iam constabit ex à nobis dicendis in tract. *de Scientia Christi* disp. 2. num. 17. Inquantùm attinet ad alios beatos, dicendum est, quòd ex speciali dispositione id factum fuit, vt dies iudicij illos lateat, & nunquam manifestetur eis in essentia divina, sed, quando adveniat, illum cognoscent extra verbum. *Ad additamentum*: Respondetur cum ipso Ang. Præcept. loco citato ad 12. vbi ait: *Nihil prohibet dicere, quòd post diem iudicij, quando gloria hominum & Angelorum erit penitùs consummata, omnes beati scient omnia, quæ Deus scientia visionis novit: ita tamen quòd non omnes omnia videant in essentia divina, sed anima Christi ibi plenè videbit omnia, sicut & nunc videt.* Itaque beatus videbit omnia, sed alia in essentia divina, & hæc absque vlla successione semper videt: alia sciet extra verbum per specialem illuminationem Christi & Angelorum, vel simultaneam, vel successivam. Iuxta quod non sequitur, nec quòd visio cuiuslibet beati adæquet in extensione visionem beatam Christi, nec quod successivè videat in verbo, quę videt, vel videbit.

DUBIUM IV.

Vtrùm Beatus ex vi visionis Essentiæ Divinæ possit videre omnes creaturas possibiles? Et quas cognoscat?

EX dictis dub. præced. satis liquet, beatum posse videre in essentia divina, priùs visa vt *quod*, creaturas possibiles. Difficultas tamen est, an possit videre omnes?

§ I.

Prima assertio.

49. DIcendum est *primò*, implicare contradictionem vllum beatum cognoscere omnia possibilia in omnipotentia. Sic omnes Thomistæ cum suo Angelico Præcept. in præf. art. 8. & 3. part. quæst. 10. art. 2. Hanc conclusionem præcipuè probant ex eo, quòd beatus posset comprehendere Deum. Sed hanc rationem, quæ est potissima, dubio sequenti expendemus. Probatur igitur in præs. hac ratione: Nam ad cognoscenda omnia possibilia in omnipotentia requiritur non quodcumque lumen infinitum, sed illud quo maius excogitari non valeat, & vnio essentiæ divinæ ita modo infinito communicata, vt alio perfectiori modo non possit communicari; sed, permisso impossibili quòd possit dari lumen gloriæ creatum infinitum, & quòd essentia divina possit modo infinito communicari intellectui beato, repugnat tamen, quòd essentia divina ita communicetur intellectui beati, vt alio modo perfectiori non possit communicari, & repugnat lumen adeò perfectum & intensum, vt non possit aliud perfectius & intensius produci: ergo repugnat vllum beatum videre omnes creaturas possibiles in

in omnipotentia. Consequentia est legitima. Et minor est certa: Nam essentia divina est infinities infinitis modis participabilis & communicabilis, & ideò repugnat perveniri ad perfectissimum modum participationis & communicationis. Qua ratione vsi sunt N. Complut. (& communiter Thomistæ) in lib. Physicor. disp. 18. quæst. 3. ad ostendendum, quòd Deus nequit producere simul omnia, quæ ipse potest producere, neque aliquam creaturam determinatam, quæ essentialiter excedat omnia possibilia. Maior, in qua est difficultas, probatur: Ad cognoscenda omnia possibilia in omnipotentia requiritur lumen, quod ita penetret ipsam omnipotentiam, & quòd essentia divina ita eam manifestet intellectui, vt alius modus penetrationis, & manifestationis nequeat maior excogitari: ergo illud lumen requiritur, & essentia divina ita debet per modum speciei communicari, vt nequeat excogitari aliud lumen perfectius, nec alia vnio essentiæ divinæ perfectior. Antecedens probatur: Eo ipso quòd lumen penetret omnia possibilia in omnipotentia, & essentia divina per modum speciei ea repræsentet, attingitur omnipotentia ab eis sub omni modo, quo productiva est: ergo nequit excogitari alius perfectior modus penetrationis, aut repræsentationis. Qua ratione vsus est D. Thomas infrà quæst. 55. art. 1. vbi sic ait: *Potentia intellectiva Angeli se extendit ad intelligendum omnia: quia obiectum intellectus est ens, & verum commune. Ipsa autem essentia non comprehendit in se omnia, cùm sit essentia determinata ad genus, & speciem. Hoc autem est proprium essentiæ divinæ, quæ infinita est, vt in se simplicitèr omnia comprehendat perfectè: & ideò solus Deus omnia cognoscit per suam essentiam.*

50 Huic rationi potest responderi ex doctrina Adversariorum, quòd estò in cognitione omnium possibilium nequeat excogitari modus cognoscendi omnipotentiam magis extensivus, potest tamen ex terminis excogitari modus cognoscendi magis intensivus, hoc est, cum maiori claritate: Et hoc pacto esset cognitio divina, qua cognoscerentur omnia possibilia in omnipotentia. Ac proinde lumen requisitum ad cognoscenda omnia possibilia in omnipotentia non debet esse ita intensum, quo non possit excogitari aliud intensius; neque modus, quo communicaretur essentia divina, ita perfectus, quo non possit excogitari alius perfectior.

Contra est *primò*, quia hanc evasionem præoccupat, & refellit D. Thomas quæst. 20. *de Verit.* art. 5. per hæc verba: *Sicut impossibile est, quòd aliquis intellectus creatus pertingat ad perfectum modum cognoscendi Verbum vt cognoscibile est; ita impossibile est, vt aliquis intellectus creatus cognoscat, quæ in Verbo cognosci possunt; & hæc sunt omnia, quæ Deus potest facere.* Vbi mira energia coniungit cognitionem omnium possibilium in omnipotentia, ac cognitionem tantam & cum tanta claritate, qua ipsa petit cognosci. *Secundò*: Nam dato, & non concesso, quòd lumen Dei esset intensivè perfectius, & quòd essentia divina perfectiori modo communicaretur proprio intellectui, quàm intellectui creato, adhuc sequitur, quòd illud lumen esset ita intensum, vt aliud intensius inter lumina creabilia excogitari nequeat, neque modus perfectiòr vnionis essentiæ divinæ cum intellectu creato; sed hoc est maximum absurdum, aliàs exhauriretur omnipotentia divina: ergo &c. Maior probatur: Dato, & non concesso, quòd Deus produceret omnes creaturas possibiles, non posset producere aliam perfectiorem: ergo dato, & non concesso, quòd daretur lumen creatum penetrativum omnium possibilium in omnipotentia, esset ita perfectum, vt aliud perfectius inter creata excogitari nequeat. *Tertiò*: Ad cognoscenda omnia possibilia in omnipotentia omninò & per se desideratur ipsum lumen substantiale Dei: ergo illud lumen requiritur, quo aliud intensius excogitari nequeat. Antecedens probatur: Cognoscere omnia possibilia in omnipotentia, est illa cognoscere sub omni modo, ratione, motivo, & fine, quibus possunt produci, hæc enim omnia comprehenduntur sub possibili in communi, quia sub his modis possunt produci; sed ad cognoscenda sub his modis omnia possibilia in omnipotentia, omninò & per se desideratur ipsum lumen substantiale Dei, quia est cognoscere omnipotentiam, quantò cognoscibilis est: ergo. *Quartò*: Nam tantò aliquod lumen clarius & intensiùs cognoscit aliquam virtutem, vel essentiam, quantò plures & latentiores effectus, seu conclusiones cognoscit: ergo qui videt omnipotentiam vt terminatam ad omnia possibilia, in illa cognoscit omnes eius effectus, & conclusiones: ergo videt illam, quantùm intensivè petit cognosci; ac proinde requiritur ipsum lumen substantiale Dei. Quem discursum habet D. Thomas in præs. art. 8.

Alia ratio & potissima, ab inconvenienti comprehensionis Dei, solet hic adduci. A qua nunc præscindimus, quia illam meditatò proponemus sub titulo specialis dubij.

§. II.

Secunda Assertio.

51 DIcendum est *secundò*, rationem, cur hæ creaturæ possibiles videantur præ alijs à beato in essentia divina, esse vnionem ipsius essentiæ per modum speciei cum tanta, vel tanta perfectione, & lumen gloriæ cum tanta, vel tanta intensione. Hæc duo principia coniungimus tanquam rationem omninò

adæ-

adæquatam, cur à beato ex vi visionis videantur hæ creaturæ potius,quàm aliæ : quia neque creaturæ hæ potius, quàm aliæ possunt videri in essentia divina, nisi essentia divina vniatur per modum speciei cum tanta, vel tanta perfectione, & cognoscatur vt *quod*, vt habet tantam, vel tantam activitatem; neque essentia divina potest vniri hoc modo, nisi disponatur intellectus cum lumine tantæ, vel tantæ intensionis:& hoc modo explicatur connexio & proportio, quæ inter hæc duo principia per se loquendo datur. Vnde probando necessitatem luminis, tanquam rationem partialem, cur hæ creaturæ præ alijs videantur, evidenter colligitur alia ratio inadæquata proveniens ex essentia divina per modum speciei. Igitur hanc conclusionem tenent in præs. nobiliores Thomistæ,inter quos sunt Ioannes à Sancto Thoma disp. 15.art.5. §.*Dico secundò*,Ferre quæst.12.§.3.Gonet.disp. 5. art. 7. §. 2. Palanco quæst. 15. conc. 3. N. Salm. disp. 7. dub. 5. §. 4. & 5. Ante cuius rationem notanda est quædam doctrina D. Thomæ per se nota, quam tradit quæst. 8. *de Verit.* art. 4. ad 12.his verbis: *Dicendum,quòd etiamsi nullo modo ad beatitudinem pertineat creaturæ cognitio, non tamen sequitur, quòd omnis cognitio creaturæ æqualitèr se habeat ad visionem beatitudinis. Cognita enim causa aliqua, in promptu est, vt aliqui effectus cognoscantur in ipsa, aliqui verò magis lateant : sicut patet, quòd ex principijs demonstrationis statim aliquæ conclusiones eliciuntur, quædam verò non, nisi per multa media.* Ex quo concludit: *Similitèr est etiam cognitio rationum intelligibilium de effectibus respectu essentiæ divinæ, quia quædam sunt latentiores, quædam manifestiores : & ideo ex visione divinæ essentiæ quædam cognoscuntur, quædam non.* Quo supposito:

52 Probatur conclusio ratione desumpta ex duobus principijs inconcussis D. Thomæ: Nam illa est ratio videndi in Deo plures & latentiores effectus, quæ est ratio videndi Deum perfectiùs; sed tantitas vel intensio luminis gloriæ est ratio videndi Deum perfectiùs, & consequentèr essentia divina vnita perfectiori modo per modum speciei : ergo ratio, cur hæ creaturæ potiùs, quàm aliæ videantur, consistit in lumine gloriæ cum tanta, vel tanta intensione, proindeque in essentia divina vnita per modum speciei cum tanta, vel tanta perfectione. Maiorem probo,deinde probaturus minorem:Tum ex D. Thoma in præs. art. 8. vbi ait : *Quantò aliqua causa perfectiùs videtur, tantò plures effectus in ipsa videri possunt.* Tum etiam ratione : Nam quod est ratio videndi Deum perfectiùs, etiam est ratio penetrandi magis ipsum, vt est causa creaturarum ; sed quod est ratio penetrandi magis causam, etiam est ratio videndi plures & latentiores effectus in ipsa,cùm effectus in causa nihil aliud, sit, quàm ipsa virtus causæ vt potens producere illos : ergo quæ est ratio videndi Deum perfectiùs etiam est ratio videndi in Deo plures, & latentiores effectus. Deinde probatur minor primi syllogismi: Tum ex D. Thoma in præs. art.6. & 7. vbi ait: *Intantùm intellectus creatus divinam essentiam perfectiùs, vel minùs perfectè cognoscit, inquantùm maiori, vel minori lumine gloriæ perfunditur.* Tum etiam ratione : Lumen gloriæ est iuxta nostram sententiam totalis, & proxima ratio videndi Deum : ergo etiam est totalis, & proxima ratio videndi Deum perfectiùs. Patet consequentia : quia ita se habet *magis* ad *magis*,sicut *simplicitèr* ad *simplicitèr*.

Confirmatur ex doctrina D. Thomæ præsupposita num. præced. Nam ex terminis ad cognoscendos in causa effectus magis latentes necessaria est maior perspicacia in cognoscente, ac proinde maior intensio luminis ; sed respectu Dei aliquæ creaturæ sunt magis latentes,quàm aliæ : ergo ratio eas videndi erit maior intensio luminis. Maior per se est nota. Et minor probatur : Tum ex D.Thoma loco suprà relato.Tum: quia effectus Dei sunt velut conclusiones contentæ in aliquo principio ; sed ex conclusionibus contentis in aliquo principio aliquæ magis latent,quàm aliæ : ergo idem dicendum est de creaturis respectu Dei. Tum denique : nam omnipotentia magis explicat suam activitatem in productione aliquarum creaturarum, quàm aliarum : ergo aliquæ sunt in Deo magis latentes,quam aliæ. Patet consequentia : quia tunc solùm aliquid magis explicatur, quando extrà magis manifestatur, quod in eo magis latet:sicut tunc aliquis magis se explicat amico, quando maiora secreta, & magis latentia ipsi communicat.

53 Huic rationi cum confirmatione respondet Illustris. Godoy in præs. disp. 20. num. 65. quòd licet inter creaturas aliquæ sint magis latentes in Deo, quàm aliæ in actu secundo,ratione voluntariæ repræsentationis istarum præalijs, secus verò in actu primo,seu ex natura rei: quia omnes creaturæ æquè cognoscibiles sunt in omnipotentia, sicut æquè cum illa connectuntur. Et hoc, & non aliud (ait) intendit D. Thomas in testimonio suprà relato.

Sed contrà est *primò* : Nam ex creaturis, quæ cognoscuntur, nequit dici, quòd quædam sunt manifestiores in actu secundo, quàm aliæ, cùm vnicè sint manifestæ in actu secundo : sicut ex creaturis, quarum vna cognoscitur, & alia non, non potest dici, quòd vna est manifestior alia in actu secundo, cùm creatura, quæ non cognoscitur, non sit manifesta absolutè in actu secundo ; sed ratio, quam tradit D. Thomas, cur quędam creaturæ cognoscantur, quædam non, est, quia quædam sunt magis latentes, & quædam manifestiores : ergo si formalissimè loqui-

quitur, est quia non solùm in actu secundo, sed etiam ex natura rei, seu in actu primo sunt quædam manifestiores, & quædam latentiores. *Explicatur*: Idem est, creaturas esse manifestatas in actu secundo, ac actu cognosci; idemque est esse latentes in actu secundo, ac actu non cognosci; ergo dum ait, quasdam cognosci, quia sunt manifestiores, & quasdam non cognosci, quia sunt latentiores, nequit intelligi de maiori manifestatione in actu secundo. Patet consequentia: aliàs D. Thomas responderet idem per idem, & consequenter peteret principium. ¶ Secundò ad hominem: Si ratio cognoscendi has creaturas, & non illas non esset maior intensio luminis gloriæ, sed voluntaria repræsentatio essentiæ divinæ, neque esset ratio videndi plures, vel pauciores: quia difficilè est captu, cur plures, vel pauciores repræsententur necessariò, & hæ potiùs, quàm illæ repræsententur liberè; sed juxta sententiam Godoy loco citato num. 50. repræsentari beato plures, vel pauciores non dependet ex libera manifestatione essentiæ divinæ, sed ex quantitate lumins gloriæ: ergo neque repræsentari illas præ alijs.

§ III.

Tertia Conclusio.

54 DIcendum est *tertiò*, quòd necessarium est ex vi visionis essentiæ divinæ videri possibilia in communi, non tamen est necessarium videri aliquam creaturam possibilem in particulari. Hæc conclusio quoad vtranque partem est communis inter Thomistas, illamque expressè tenent Ioann. à Sancto Thoma disp. 15. art. 4. Illustris. Godoy disp. 20. num. 35. Gonet disp. 5. art. 6. Ferre quæst. 12. §. 5. *Cum moderamine infrà referendo*, & alij. Et quoad primam partem est expressa N. Salm. disp. 6. à num. 20. & quoad secundam non obscurè colligitur ex eorum doctrina tradita ibidem num. 23.

Ac probatur quoad primam partem: Implicat videri quidditativè omnipotentiam, nisi videatur saltem in confuso terminus quasi specificativus illius; sed terminus quasi specificativus omnipotentiæ est possibile in communi, seu non implicans: ergo, visa essentia divina, necesse est videri in ea possibile in communi. Maior videtur certa: nam si non videtur saltem in confuso terminus eius quasi specificativus, nequit discerni perfectio formalis illius prout distincta à perfectione generandi; neque posset discerni, quo pacto Deus formaliter est iustus, misericors, immensus &c. nisi videantur connotata, cum quibus per se primò istæ perfectiones connectuntur. Minor verò probatur: Nam estò perfectiones omnes divinæ sint in Deo valde vnitæ vtpote infinitæ, nihilominus ita illas videt beatus distinctè, quasi in se essent distinctæ; sed perfectio omnipotentiæ, vt quasi distincta à perfectione potentiæ generativæ nequit intelligi, nisi possibile in communi sit terminus quasi specificativus illius; neque perfectio misericordiæ potest intelligi vt distincta à perfectione iustitiæ, nisi intelligantur creaturæ vt elevandæ à miseria, saltèm in communi, vt specificativum virtuale illius; & iura creata in communi vt specificativum virtuale iustitiæ: ergo possibile in communi est terminus quasi specificativus virtualis omnipotentiæ.

Confirmatur *primò*, præoccupando quandam evasionem tacitam Albeldæ: Nam omnipotentia non definitur essentialiter per possibile in communi, vt hoc est ipsa creatrix virtus, aliàs defineretur per seipsam, sed per possibile in communi prout est terminus obiectivus ab omnipotentia distinctus: ergo, visa essentia, oportet à quolibet beato videri possibile in communi vt terminus distinctus ab omnipotentia. Patet consequentia: nam nulla virtus potest quidditativè cognosci, nisi videatur saltem in confuso, per quod essentialiter definitur.

Confirmatur *secundò*, præcludendo aliam tacitam evasionem, quæ asserit sufficere beato videre omnes perfecciones formales Dei materialiter seu entitativè sumptas. Nam videre sic perfectiones divinas non est illas videre quidditativè: ergo debet beatus videre perfectiones divinas prout connotant sua specificativa specialia virtualia. Antecedens probatur: Videre perfectiones divinas tantùm materialiter, solùm est videre eas in confuso, quia non est videre perfectionem (v. g.) misericordiæ vt *misericordiæ*: constat autem, quòd videre perfectiones divinas in confuso, non est eas videre quidditativè: ergo.

Ex quibus apparet notabile discrimen inter possibilia in communi, & existentia in aliqua differentia temporis in communi, quoad *cognosci* in essentia divina: quod omnipotentia ex vna parte dicit connexionem necessariam cum omnibus possibilibus, & ex alia possibilia in communi sunt obiectum paulominùs patens, ac omnipotentia: econtrà verò existentia non sunt obiectum manifestum in essentia divina, nisi medijs decretis; hæc autem adhuc in communi sunt obiectum occultum ergo estò non sit necessarium, quòd videantur effectus existentes in communi; necesse tamen est videri effectus possibiles in communi. Unde solum restat probanda nostra conclusio quoad illam partem, quæ asserit non esse necessarium in qualibet visione videri aliqua possibilia in particulari.

55 Quoad secundam partem probatur conclusio: Ad cognoscendam quidditativè aliquam causam, sufficit videre eius specificativum formale, vel virtuale; sed nullus effectus determi-

natus est specificativum formale, nec virtuale omnipotentiæ: ergo per potentiam Dei absolutam potest videri à beato essentia divina,quin videatur aliqua creatura possibilis in particulari. Minor est certa:aliàs nullus effectus esset in particulari possibilis,qui visa omnipotentia non videretur à quolibet beato; proindeque viderentur omnia possibilia, quia non est ratio,cur vnus effectus in particulari pertineret ad specificativum virtuale, & non alius.Maior verò probatur: Quod non est specificativum formale,nec virtuale alicuius virtutis, solùm est obiectum materiale illius; sed cognitio obiecti materialis de materiali se habet ad cognitionem virtutis, licèt prærequiratur ad maiorem eius penetrationem: ergo &c. Ex quo infertur, quòd potest dari aliquod lumen ita remissum,vt sufficiat ad cognoscendum Deum quidditativè,& quòd non valeat penetrare in eo aliquam creaturam in particulari.

Et confirmatur *primò*: Omnipotentia est magis absoluta & independens à qualibet creatura in particulari, quàm virtus, seu potentia creata à suis effectibus, vel obiectis in particulari; sed potest virtus seu potentia creata videri quidditativè, quin videatur aliquis effectus,seu obiectum in particulari, vt liquet in visu, quem quidditativè possumus cognoscere, quin videamus aliquam determinatam visionem, vel aliquem colorem determinatum: ergo à fortiori potest videri quidditativè omnipotentia, quin videatur aliquis eius effectus in particulari.

Confirmatur *secundò*: Essentia divina ita est medium *quod* cognoscendi creaturas possibiles, sicut principium demonstrationis est medium *quod* cognoscendi conclusiones, nam creaturæ possibiles sunt tantùm virtualitèr & eminenter in Deo, sicut conclusiones sunt in principio, vt non obscurè docet D.Thomas in præs. art. 8. sed principium demonstrationis potest quidditativè cognosci in se, quin videatur aliqua conclusio in particulari: ergo idem de creaturis possibilibus in ordine ad Deum dicendum est.

56 Sed inquires, an in dicta hypothesi vnus beatus posset videre Deum perfectiùs, quàm alius? Affirmativè respondet Serra relatus à Ferre loco suprà citato §. 6. cui adhæret Gonet num. 84. Sed hæc resolutio nostro iudicio est contra D. Thomam: Nam *quantò aliqua causa perfectiùs videtur, tantò plures effectus in ipsa videri possunt* (inquit D.Thomas hìc art.8.) ergo implicat, vnum beatum Deum videre perfectiùs alio, & non videre aliquem effectum in particulari.¶ Confirmatur: Nam si, data hypothesi quòd duo beati non videant in Deo aliquam creaturam possibilem in particulari, vnus posset Deum videre perfectiùs quàm alius, sequitur, quòd,etiam suppositâ æqualitate in visione creaturarum in particulari in ipso Deo, posset vnus videre Deum perfectiùs,quàm alius; quia posset videre ipsum Deum in se clariùs quàm alius: ergo ex cognitione plurium effectuum in omnipotentia non deduceretur maior & perfectior visio ipsius; quod est contra D. Thomam,& omnes Thomistas.

Nec valet recursus ad prædicata divina omninò absoluta & non dependentia a creaturis adhuc per modum connotati. Nam implicat videri Deum perfectiùs quoad vnum prædicatum formale,& non quoad aliud; sicut implicat videri absolutè vnum prædicatum, & non aliud: ergo visa perfectiori modo essentia divina, perfectiori modo debet videri trinitas, & omnipotentia. *Maximè*: quia nullum est prædicatum divinum adeò absolutum, quod non respiciat aliquomodò creaturas vt connotatum,à quibus est participabile, vt immensitas, & æternitas; vel quas potest supplere, vt subsistentia relativa, quæ potest supplere subsistentiam creatam.

§. IV.

Oppositæ sententiæ.

57 CONtra nostras conclusiones quatuor invenio sententias. *Prima* asserit, non repugnare intellectum creatum cognoscere in Deo omnes creaturas possibiles.Pro qua communitèr referuntur Alensis,Scotus, Durandus, & alij. *Secunda* defendit, solum Dei beneplacitum esse rationem, cur plures vel pauciores creaturæ possibiles videantur in ipso Deo. Ita Bañez, Zumel,& Arrubal: quibus accedit Illustris. Godoy loco citato num. 53. vbi ad divinam voluntatem vnicè reducit, quòd essentia divina vniatur intellectui beati vt repræsentativa istorum possibilium,& non aliorum.*Tertia* affirmat, posse dari aliquam visionem,quæ non cognoscat possibile in communi vt terminum distinctum omnipotentiæ. Ita Albelda relatus à Ferre art. 5. *Quarta* & *vltima* tenet, non esse possibilem visionem beatam,per quam non videatur aliqua series possibilium in particulari.Sic Illmus. Palanco hìc q. 15.n. 41. Pro qua meritò referri potest Vazquez disp.50. cap. 4.qui nota *inconsequentiæ* arguit Thomistas,qui ex vna parte aiunt, creaturas possibiles videri in Deo;& ex alia,posse Deum videri nulla in particulari visa. Fundamenta harum opinionum suo ordine proponemus.

Arguitur ergo *primò* pro prima sententia: Quilibet beatus videt essentiam divinam: ergo potest videre omnia possibilia. Consequentia probatur *primò*: Videns Deum ex nullo capite impeditur ad videnda in eo omnia possibilia; non quidem ex capite essentiæ divinæ vnitæ per modum speciei, quia ex se repræsentat omnia possibilia; neque ex capite intellectus creati, cùm habeat capacitatem passivam ad omnia cog-

cognoscenda : ergo si videt Deum , potest videre omnia possibilia in ipso. *Secundò*: Ideò videns Deum videt eius attributa & relationes, quia essentia est connexa necessariò cum illis; sed etiam est connexa cum omnibus possibilibus: ergo. *Tertiò* : Essentia divina connectitur necessariò cum possibilibus in particulari in *esse* cognito : ergo. Antecedens probatur : Connectitur cum illis in *esse entis*, itaut si aliquod possibile esset ei impossibile , destrueretur quidditas huius omnipotentiæ : ergo ita connectitur cum illis in *esse* cognito , quòd si non cognoscuntur omnia in particulari , nequeat cognosci quidditativè ipsa omnipotentia. Alia argumenta possunt videri dub. 1. huius disputationis.

Respondetur *in primis* , hoc argumentum cum omnibus suis probationibus intendere, quemlibet beatum videre defactò in Deo omnia possibilia. Deinde respondetur concedendo antecedens ; & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem dicendum est , quòd intellectus creatus ex capite propriæ limitationis impeditur ad visionem omnium possibilium: quia ad illa videnda in Deo requiritur lumen ita infinitè intensum , vt aliud intensius excogitari nequeat ; cuius luminis intellectus creatus est incapax. *Ad secundam* : Respondetur, quòd potissima ratio, cur beatus videns Deum videat necessariò etiam attributa & relationes, est, quia cùm sint identificata realitèr cum essentia divina , lumen sufficiens ad videndum Deum, etiam sufficit ad videnda omnia formalia, quæ sunt in ipso. Creaturæ verò possibiles non sunt aliquid Dei , neque continentur formalitèr in ipso, neque connexio Dei necessaria cum illis in particulari est tanquam cum eo , quod per se primò respicit. *Ad tertiam*: Respondetur, negando antecedens, si *in esse cognito* intelligatur præcisè de cognitione quidditativa, vt distincta à comprehensiva. Et ad eius probationem , concesso antecedenti ; neganda est consequentia. Quia adhuc in creatis si, aliquod obiectum materiale potentiæ redderetur ei impossibile , ex hoc ipso argueremus , quòd talis potentia esset valde diversa ab ea , quæ nunc existit. Sed ex eo quòd, cognita tali potentia quidditativè , non cognoscatur tale obiectum materiale in ea, non rectè argueretur destrui talem potentiam , vel non cognosci quidditativè : quia cognoscere obiecta materialia in potentia, sivè effectus in particulari solùm conducit ad maiorem penetrationem illius , sine qua optimè salvari valet cognitio quidditativa talis potentiæ , sicut salvatur absque comprehensione illius; aliàs omninò coinciderent cognitio quidditativa , & comprehensiva. Pariformitèr ergo discurrendum est de visione essentiæ divinæ.

58 Arguitur *secundò* pro secunda sententia : Nam maior intensio luminis non arguitur neque ex extensione ad plura obiecta , neque ex terminatione ad has creaturas potiùs , quàm ad alias : ergo radix videndi has creaturas præ alijs non est lumen gloriæ cum tanta perfectione. Antecedens probatur *primò* : Nihil prohibet quòd , stante lumine cum gradu intensionis vt quatuor , essentia divina vniatur vt repræsentativa plurium , vel pauciorum creaturarum, illarumque imperfectiorum , vel perfectiorum: melior enim species vel perfectiori modo communicata sufficit multoties ad perfectiorem visionem , vt liquet in potentia visiva , quæ stante eadem virtute perfectiorem visionem elicit , si perfectior species ei applicetur. *Secundò* : Habitus naturalis, v. g. Philosophia, magis intensus non est causa , cur intellectus cognoscat plures conclusiones, vel hoc obiectum materiale potius, quàm aliud , sed tantùm species : ergo idem dicendum est de lumine gloriæ. *Tertiò* : Maior intensio fidei , & charitatis non est ratio credendi, & diligendi plura obiecta secundaria, vel has creaturas præ alijs : ergo neque maior intensio luminis est ratio videndi plura possibilia , seu hæc præ alijs.

Confirmatur *primò* : Si maior intensio luminis esset ratio videndi has creaturas præ alijs, maximè quia hæ creaturæ præ alijs sunt latentiores in virtute Dei ; sed hoc est falsum: ergo. Minor probatur: Omnes creaturæ possibiles æquè connectuntur cum omnipotentia: ergo æquè latent in ea.

59 Confirmatur *secundò* : Nam creaturas esse latentiores in virtute Dei, vel est, quia sunt absolutè perfectiores , vel quia sunt absolutè imperfectiores ; neutrum dici potest : ergo creaturæ possibiles æquè latent in virtute Dei ; & consequentèr radix videndi has creaturas præ alijs non est intensio luminis. Minor quoad primam partem probatur : Tum, quia gratia est absolutè perfectior omni creatura possibili ; & tamen est minùs latens , quàm formica, cùm sit formalis participatio naturæ divinæ: ergo creaturæ non sunt latentiores , quia perfectiores. Tum etiam: quia si creatura, quò est perfectior, esset magis latens , sequitur , quòd cognita in virtute Dei creatura perfectiori, etiam cognoscerentur in ea omnes imperfectiores; & cùm hæ sint infinitæ, beatus videret infinitas creaturas possibiles : quod est falsum, cùm ad hoc desideretur lumen simplicitèr infinitum.

Quoad secundam partem etiam probatur: Tum, quia aliàs materia prima esset latentior omni creatura possibili, quia est omnium possibilium imperfectissima, vt docet D. Thomas 1. p. q. 4. art. 4. Tum etiam: quia creatura minùs perfecta non petit in agente ad sui productionem tantam actividatem : ergo non est magis latens. Tum denique : quia si creatura minus perfecta esset latentior , quàm magis perfecta , sequitur , quòd videns in Deo creaturam imperfectiorem posset videre omnes perfectiores ea,

cùm sint minùs latentes : quod est impossibile.

60 Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad eius primam probationem dicendum est, quòd species, vt connaturaliter recipiatur in potentia cognoscitiva, omninò requiritur, quòd sit proportionata potentiæ, ita tamen quòd si species haberet excessum supra potentiam, excessus ille non conduceret ad perfectiorem visionem : & sic si species vniversaliores residentes in Angelo superiori reciperentur in Angelo inferiori, iste non eliceret meliorem intellectionem, sed fortè imperfectiorem, quàm per species minùs vniversales, & sibi omninò proportionatas, vt tradit D. Thomas infrà quæst. 89. art. 4. Pariformiter ergo, si essentia divina vniretur cum tanta perfectione, vt excederet proportionem quantitatis luminis, non deserviret ad perfectiorem visionem Dei. In potentia autem visiva res aliter contingit : quia species vt immediatè proveniens ab obiecto, ob sui materialitatem & imperfectionem, est improportionata potentiæ, perficitur tamen ratione medij subtilioris, & quo magis depuratur à propria crassitie, redditur magis proportionata potentiæ, & deservit ad perfectiorem visionem. *Ad secundam* : Respondetur, negando antecedens. Nam etiam habitus Philosophiæ simul cum specie est radix, cur intellectus cognoscat hoc obiectum materiale præ alio, & in eodem obiecto materiali plures, vel pauciores conclusiones in eo virtualiter contentas. Pro quo sciendum est cum N. Complut. abbrev. *de Gener.* disp. 4. num. 63. quòd extensio scientiæ, quæ quodammodò coincidit cum intensione illius, consistit in entitate habitus cum additione alicuius modi actualitatis & perfectionis; ita tamen quòd ratione modi perfectioris, præsuppositа specie, determinatur ad cognoscendum perfectius obiectum vt connexum cum sua prima, & faciliori proprietate; & ratione alterius modi perfectioris determinatur ad cognoscendam aliam conclusionem latentiorem. Unde semper ex parte virtutis seu habitus, & non solùm ex parte speciei desumenda est ratio, cur cognoscat plures & latentiores conclusiones, & hoc obiectum potius, quàm aliud. *Ad tertiam*: Respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Propter notam disparitatem inter fidem & charitatem, & lumen gloriæ: Nam fides & charitas non terminantur ad creaturas, vt continentur in obiecto primario illarum tanquam in causa : quia fides solùm credit tàm obiectum primarium, quàm secundarium sub ratione *revelationis divinæ*, & sic potest Deus revelari, quin revelaretur aliqua creatura; & tunc quò magis adhæret Deo revelanti, perfectiùs & intensiùs credit : similiter charitas solùm diligit bonitatem divinam secundùm se, & creaturas secundùm bonitatem intrinsecam, ordinatam tamen ad ipsam bonitatem divinam; & propterea potest intensiùs Deum diligere, quin pro expressio diligat aliquam creaturam: At beatus non videt creaturas in Deo, nisi tanquam in causa, neque potest clariùs Deum videre, nisi prout in eo videt plures & latentiores effectus.

61 Ad primam confirmationem respondetur, quòd sicut in sententia Godoy (cuius est hæc confirmatio) hæc consequentia non valet, *Essentia divina æquè connectitur cum pluribus, vel paucioribus possibilibus in particulari : ergo æquè cognoscibiles sunt à beato plures, vel pauciores*; ita non valet, *Æquè connectuntur omnia possibilia cum essentia divina: ergo æquè cognoscibilia sunt in ea, ista, ac alia in particulari.* Et ratio est: quia estò omnipotentia non distinguatur virtualiter à seipsa, prout continet hanc, vel illam creaturam, neque essentia divina vt repræsentat hanc, vel illam creaturam; eminentialiter tamen est diversa, & præstat ea munia, quæ præstaret, si esset virtualiter aut realiter diversa : porrò virtus requisita ad producendam creaturam nobiliorem, modo infrà proximè explicando vel realiter, vel virtualiter, vel eminentialiter diversa, maiorem activitatem, & præcontinentiam explicat, quàm virtus requisita ad producendam creaturam imperfectionem : Magis ergo latet in causa illa, quàm ista. Ex qua radice provenit, quòd virtus cognoscitiva causæ vt productivæ nobilioris effectus debet esse magis penetrativa : sicut virtus cognoscitiva alicuius principij vt connexi cum conclusione difficiliori debet esse magis intensa, & penetrativa.

62 Pro solutione secundæ confirmationis duo pro comperto habenda sunt : Primum est, quòd aliquæ creaturæ sunt in Deo aliis latentiores, vt satis probatum est num. 51. & 53. Secundum est, quòd lumen gloriæ sufficiens ad cognoscendas in Deo creaturas magis latentes in omnipotentia, etiam sufficit ad cognoscendas creaturas minùs latentes : quia lumen sufficiens ad cognoscendum Deum, vt exprimit maiorem vim activam, seu ad penetrandum ipsum magis, etiam est sufficiens ad cognoscendum eum, vt exprimit minorem vim activam, seu ad penetrandum eum minùs: sicut calor vt octo potest producere omnes illos calores, quos calores minùs intensi possunt producere. Et sic lumen gloriæ vt octo potest cognoscere in Deo omnes effectus, quos potest cognoscere lumen vt quinque, lumen vt quatuor &c. Et si dantur duo lumina, quæ sint eiusdem intensionis, videbunt eosdem effectus in specie, & numero, quin oporteat aliunde fieri compensationem, seu æqualitatem; & sic distinctio illa numerica luminum tàm quoad substantiam, quam quoad modum non pensanda est per connotationem ad obiectum diverso modo attactum, sed vnicè ex subiecto. Difficultas tamen est, & valde latens,

dig-

dignaque, vt relinqueretur solvenda in regione vivorum, vbi fortè non cuilibet beato patebit, in assignando conditionem creaturarum magis latentium, & magis patentium in omnipotentia.

63 Pro quo duo supponenda sunt: *Primum est*, creaturam esse latentiorem non consistere præcisè in eo, quòd sit absolutè perfectior. Id enim satis suadent probationes in hac secunda confirmatione pro prima parte dilemmatis adductæ. Quarum vltima augeri potest sic: Nam si quia creatura est perfectior absolutè, etiam esset latentior, sequitur, quòd, cognita in omnipotentia gratia habituali & vnione hypostatica, cognoscerentur omnes creaturæ possibiles; cùm excedant illas absolutè in perfectione in probabiliori sententia, cognitaque creatura latentiori videantur omnes minùs latentes: hoc autem est magis impossibile, quàm videre in omnipotentia omnes Angelos possibiles, vt ex se liquet: ergo creaturam esse perfectiorem non est ratio, cur sit magis latens in virtute Dei. *Secundum est*, creaturam esse latentiorem non pendere ex eo, quòd absolutè sit imperfectior. Pro hoc etiam satis vrgent probationes in eadem confirmatione adductæ pro secunda parte dilemmatis. Quarum prima declaratur sic. Nam materia prima est omnium creaturarum imperfectissima: ergo qui videret in Deo materiam primam, videret etiam omnes creaturas possibiles, cùm cognita latentiori necesse sit videri minùs latentes; quod tamen est impossibile, sicut & beatum comprehendere Deum.

64 Dicendum est ergo, creaturam esse latentiorem consistere in eo, quòd sit perfectior tàm secundùm suam essentiam, quàm secundùm modum essendi. Quæ resolutio solùm potest habere locum in substantijs completis comparatis inter se, vel cum accidentibus naturalibus, non verò in accidentibus supernaturalibus, & modo substantiali hypostatico. Et ratio huius limitationis est: quia estò gratia (v.g.) & vnio hypostatica sint perfectiores absolutè omni substantia possibili, & omni accidenti naturali possibili, sunt tamen de his perfectionibus, quæ citò apparent in essentia divina: cognita enim essentia divina prout est in se, præstò apparet esse communicabilem illo modo expresso formali, qui ibi elucet, nempè, per modum radicis videndi & amandi Deum; aliæ verò participationes, cùm sint tantùm virtuales, non ita patent in essentia divina: similiter, visa trinitate, & infinitate personarum, præstò apparet mysterium Incarnationis consistens in eo, quòd vna persona possit alienam naturam terminare. Qua restrictione facta:

Suadetur nostra resolutio ex dictis num. præced. Nam creaturam esse latentiorem non consistit in eo, quòd sit absolutè, seu quoad essentiam tantùm perfectior, neque in eo quòd sit imperfectior quoad essentiam tantùm, vel quoad modum tantùm, neque in eo quòd sit imperfectior quoad essentiam & quoad modum: ergo consistit præcisè in eo, quòd sit perfectior quoad essentiam & modum essendi simul. Antecedens quoad omnes suas partes satis constat ex dictis loco proximè citato: Et consequentia, ex eo quòd non fit excogitabile aliud caput, ex quo venari queat creaturam esse latentiorem.

65 Per quæ explosus manet modus dicendi, quem habet Ferre hic quæst. 12. §. 4. à num. 1042. qui ait, creaturam imperfectiorem quoad essentiam & quoad modum esse latentiorem, consequenterque formicam esse latentiorem leone, leonem homine, hominem Angelo. Hic, inquam, modus dicendi explosus manet ex dictis: Nam iuxta eius principia non inconvenit dicere, quòd beatus videns creaturam latentiorem, videt etiam creaturas omnes minùs latentes: ergo beatus videns formicam, videt etiam omnes Angelos possibiles; hoc autem est impossibile, vt satis deducitur ex dictis ab ipso quæst. 11. §. 9. ergo.

66 Etiam explodituur modus dicendi, quem habet Illust. Palanco hic quæst. 15. n. 25. aiens, substantiam naturalem, & gratiam habitualem esse æquè cognoscibiles in omnipotentia: quia sicut beatus videt Deum authorem supernaturalem, ita videt eum vt authorem naturalem; & sicut videndo Deum authorem supernaturalem præstò adest participatio eius per gratiam, ita videndo Deum authorem naturalem præstò adest participatio eius per naturam substantialem. Hic, inquam, modus dicendi facilè explodituur: Quia in Deo nullum est prædicatum formaliter naturale, vt notavimus disp. 1. num. 79. ergo substantia naturalis non est participatio formalis Dei, sed tantùm virtualis; econtrà verò gratia est participatio formalis naturæ divinæ, quia habet modum formalem, qui est in Deo: sed participatio formalis naturæ divinæ est minùs latens, quàm participatio virtualis, sicut in sole magis latet participatio caloris, quia virtualis est, quàm participatio lucis, quia formalis: ergo gratia, & substantia naturalis non sunt æquè cognoscibiles in essentia divina.

67 His præmissis: Respondetur ad confirmationem aductam num. 59. quòd creaturam esse latentiorem non consistit præcisè in eo, quòd sit absolutè perfectior, aliàs gratia & vnio hypostatica essent latentiores, quod est falsum; neque in eo quòd sit absolutè imperfectior, aliàs formica esset latentior homine, & Angelo, quod, quàm falsum sit, constat ex dictis num. 65. consistit ergo in eo, quòd sit perfectior quoad essentiam & modum essendi. Et iuxta hanc explicationem potest eligi prima pars dilemmatis. Contra quam non vrget vlla ex duabus probationibus. *Non prima*, fundata in instantia gratiæ habi-

habitualis : quia gratia non est perfectior quoad modum, quàm substantia naturalis, licèt sit perfectior quoad essentiam. Unde nihil concludit contra nostram explicationem. *Neque secunda*: quia non inconvenit, quòd lumen finitum possit cognoscere infinitas creaturas possibiles, dummodò contineantur sub gradu determinato finito: Et sic vnica species angelica potest repræsentare infinitas species contentas sub genere animalis, nec non infinita individua contenta sub speciebus : & Christus per lumen finitum videt omnia, quæ Deus cognoscit per scientiam visionis, quæ sunt infinita.

§. V.

Obiectiones aliquæ contra dicta.

68 SED contra dictam solutionem objicies *primò*, ex Palanco num. 23. Cognitio omnium possibilium in omnipotentia arguit summam penetrationem omnipotentiæ, quæ impossibilis est intellectui creato: ergo cognitio infinitarum specierum, seu individuorum in ea etiam arguit infinitam penetrationem ipsius ; hæc autem impossibilis est intellectui creato : ergo &c. ¶ Confirmatur : Ad videndam vnam speciem in omnipotentia requiritur (v.g.) lumen vt vnum, & ad cognoscendas duas, lumen vt duo, & sic ascendi debet vsque ad infinitas : ergo, ad cognoscendas infinitas, requiritur lumen infinitum.

Ad obiectionem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Propter notam disparitatem inter cognitionem omnium possibilium, & cognitionem infinitarum specierum : Nam cùm collectio omnium possibilium sit talis, quòd includat creaturas se excedentes in perfectione essentiali sine termino, non potest cognosci sine lumine infinito; & cùm aliunde sit terminus adæquatus omnipotentiæ, cognitio illorum in Deo argueret penetrationem adæquatam ipsius. Cæterum collectio infinitarum specierum, quæ continentur in determinato genere, licèt imbibat infinitas species se excedentes in perfectione, tota tamen collectio perfectionum est finita, eò quòd contineatur sub determinato genere ; & sic perveniri potest, & defactò pervenitur ad vltimam perfectionem illius generis, quæ finita est : vt liquet in genere animalis, sub quo continentur infinitæ species se excedentes in perfectione, quarum homo est vltima, quæ sub tali genere excogitari valet, & non propterea est infinitus.

Ad confirmationem respondetur (per quod proximè dicta magis explicantur) quòd ille modus arguendi in pluribus claudicat, maximè in actionibus & virtutibus, vt diximus disp. 1. num. 11. Dicimus ergo, quòd licèt ad videndam vnam speciem contentam sub genere animalis requiratur aliquod lumen, & ad videndam hanc & aliam perfectiorem requiratur maius, & sic de reliquis, non tamen requiritur, quòd intensio luminis crescat per partes aliquotas, sed per partes proportionales & indeterminatæ magnitudinis, & se invicèm communicantes. Et ratio est : quia nec ipsæ creaturæ se excedunt in perfectione, quæ sit certæ & determinatæ quantitatis ; aliàs anima rationalis esset infinitæ perfectionis, cùm excedat in ea infinitas animas possibiles. Sufficit ergo, quòd si quantitas perfectionis vnius speciei est vt vnum, quòd species illi immediata habeat aliquid amplius perfectionis, itaut illud *amplius* non sit determinatæ perfectionis, sed minoris quacumque perfectione determinata assignabili. Pariformiter dicimus de lumine.

69 Objicies *secundò* cum Ferre : Angelus est perfectior leone (v.g.) tàm secundùm essentiam, quàm secundùm modum essendi ; & tamen est minùs latens in Deo, quàm leo : ergo falsum omninò est, quòd creatura perfectior secundùm essentiam & secundùm modum essendi est magis latens. Minor probatur: Angelus magis assimilatur, magisque appropinquat Deo, quàm leo ; sed quò aliquis effectus magis assimilatur, & appropinquat Deo, est in illo minùs latens : ob quam rationem suprà diximus, gratiam & cætera dona supernaturalia esse in Deo minùs latentia substantijs & accidentibus naturalibus : ergo Angelus minùs latet, quàm leo.

Respondetur, concedendo maiorem ; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd creaturam esse minùs latentem non desumendum est ex maiori similitudine cum Deo ex genere, sed ex speciali similitudine formali, quam solùm importat gratia habitualis, & aliqua alia prædicata supernaturalia creata. Substantiæ verò naturales, necnon accidentia naturalia solùm habent convenientiam virtualem cum Deo, in quo estò detur *magis* & *minùs* ; est tamen de materiali, ad hoc vt sit magis patens, quia de formali solùm desideratur, quòd ad sui productionem exposcat maiorem activitatem (vt sic loquamur) in Deo : quia maior activitas effectus, sublata convenientia formali illius cum causa, est magis latens. Igitur cùm Angelus, & leo solùm sint participationes virtuales Dei, & aliundè Angelus ad sui productionem exposcat maiorem activitatem, quàm leo, ideò Angelus est magis latens in omnipotentia, quàm leo. Verum quidem est, quòd intra eundem ordinem supernaturalem (præoccupatur tacita obiectio) gratia est magis patens, quàm fortitudo (v.g.) supernaturalis, estò petat maiorem activitatem ad sui productionem : Sed hoc ideò est, quia gratia est participatio formalis naturæ divinæ, & fortitudo non nisi virtualis. At inter dona supernaturalia quæ tantùm sunt participationes virtuales Dei, quia huiusmodi prædicata non inveniuntur formaliter in Deo, eodem modo theologizandum est, ac de

sub-

substantijs completis, itaut donum supernaturale perfectius sit magis occultum, propter eandem rationem.

70 Objicies *tertiò*: Ex eo quòd Deus contineat hominem, non sequitur continere formicam: ergo ex eo quòd beatus cognoscat hominem in Deo, non sequitur, quòd cognoscat in ipso formicam. Consequentia videtur bona: nam beatus non videt hominem nisi in Deo vt causa: ergo si continentia hominis se habet disparatè ad continentiam formicæ, etiam continentia hominis se habebit disparatè in *cognosci* ad continentiam formicæ. Antecedens verò probatur: Ex eo quòd implicaret formica, non sequitur, quòd implicaret homo: ergo ex eo quòd Deus contineat hominem, non sequitur, quòd contineat formicam.

Respondetur *primò*, permittendo antecedens; & negando consequentiam. Quia licèt continentia hominis non inferat in *esse rei* continentiam formicæ, eò quòd continentia formicæ in *esse rei* nullo modo subordinetur continentiæ hominis; at continentia hominis in *esse obiecti* necessariò infert continentiam formicæ, & hæc illi quodammodò subordinatur. Ad quod intelligendum: Supponamus, quòd ad cognoscendum hominem in Deo est necessarium lumen gloriæ vt quinque, & ad cognoscendam formicam lumen gloriæ vt duo: certum autem omnino est, quòd in eodem lumine gradus vt duo subordinatur gradui vt quinque, quia hic continet illum eminentèr, & quod potest lumen vt duo, potest & aliquid ampliùs lumen vt quinque: ergo oportet, quòd obiectum correspondens gradui vt duo correspondeat etiam gradui vt quinque, ac proindè, quòd beatus videns continentiam hominis, videat etiam continentiam formicæ.

Respondetur *secundò*, negando antecedens. Nam estò homo non contineat eminentèr formicam, propter rationem adductam à N. Complut. abbrev. *de Anima* disp. 4. num. 18. at essentia divina, vt præcontentiva hominis, quasi eminentèr continet præcontinentiam formicæ, in suppositione quòd sit possibilis: nam si aliter disponeretur hypothesis, non vrgeret præsens ratio. Pro quo supponamus, quòd virtus Dei, vt producat hominem, debet exprimere activitatem vt quinque, & vt producat formicam debet exprimere activitatem vt duo: quo supposito, sequitur evidentèr, quòd ex eo quòd contineat hominem, debet continere formicam: vel quia virtus vt quinque includit eminentèr virtutem vt duo, iuxta nostrum modum explicandi intensionem qualitatis: vel quia, in sententia asserente intensionem qualitatis fieri per additionem gradus ad gradum, gradus vt quinque supponit in eodem subiecto gradus vt vnum, vt duo, vt tres &c.

71 Objicies *quartò*: Accidentia supernaturalia sunt perfectiora secundùm essentiam & modum essendi, quàm accidentia naturalia; & tamen non sunt latentiora; aliàs, cognitis in Deo donis supernaturalibus, cognoscerentur etiam accidentia omnia naturalia; & cùm lumen sufficiens ad videnda accidentia, maxime proprietates, sit sufficiens ad cognoscendas essentias, sequitur, quòd viderentur omnes substantiæ possibiles; quod est impossibile intellectui creato: ergo falsa est nostra doctrina, nempè, quòd creatura illa est latentior, quæ est perfectior tàm secundùm essentiam, quàm secundùm modum.

Respondetur, concessis præmissis; negando consequentiam, propter dicta num. 64. Ex ibi enim dictis constat, regulam à nobis traditam solùm habere locum in substantijs completis, vel comparatis inter se, vel cum proprijs & connaturalibus accidentibus. Et ratio est: quia accidentia connaturalia sunt omninò proportionata cum proprijs substantijs, supponuntque in eis non solùm commensurationem essentialem ad attingenda sua obiecta, sed etiam quantitatem virtutis radicalis; qua de causa lumen, quod est sufficiens ad cognoscendas substantias, etiam est sufficiens ad cognoscenda earum connaturalia accidentia, & econversò. Dona tamen supernaturalia solùm dantur ad elevandas substantias, earumque virtutes naturales; & sicut lumen sufficiens ad ea cognoscenda, non sufficit ad cognoscendas substantias, ita nec sufficit ad cognoscenda accidentia naturalia.

§. VI.

Argumenta contra vltimam conclusionem.

72 ARgumenta, quæ militare possunt adversus tertiam conclusionem, secundùm eam partem quæ asserit non posse dari visionem beatam, quę non videat in Deo possibile in communi, præoccupata manent ex dictis num. 54. Quocircà solùm restat proponere, & solvere argumenta, quæ videntur enervare secundam partem eiusdem conclusionis, nempè, quòd potest dari lumen gloriæ adeò remissum, vt non videat in Deo aliquam creaturam in particulari.

Arguitur ergo *tertiò* pro quarta sententia: Deus nequit quidditativè cognosci, quin cognoscatur vt causa creaturarum; sed Deus cognitus vt causa creaturarum nequit non ducere in cognitionem alicuius effectus in particulari: ergo nulla est possibilis visio, quæ non se extendat ad aliquam creaturam in particulari. Minor probatur: Quidditas omnipotentiæ consistit in continentia effectuum in particulari: ergo nequit Deus cognosci quidditativè vt causa creaturarum, quin cognoscatur aliquis effectus in particulari. Antecedens probatur: Omnipotentia

tia nequit causare effectus in communi, sed in particulari: ergo quidditas eius solùm consistit in continentia effectuum in particulari. Patet consequentia: nam quidditas causę consistit in continentia effectuum, eodem modo quo eos causat.

Et confirmatur *primò*: Quilibet beatus nequit non videre in Deo suam visionem beatam, necnon lumen gloriæ, gratiam, & seipsum, hæc enim omnia concurrunt ad eius elicientiam: ergo nulla est possibilis visio, quę in Deo non videat aliquam creaturam in particulari. Antecedens probatur: Intellectus est formaliter reflexivus in quolibet eius actu supra se, supra suum principium, & supra suum actum, non solùm alio actu distincto, sed etiam eodem actu, quo intelligit aliquod obiectum, vt tradunt N. Complut. abbrev. in sua Logic. disp. 2. num. 13. ex quo provenit, quòd nequeat intelligere aliquod obiectum, quin per eundem actum advertat se intelligere, sicut dum voluntas eligit aliquod medium, nequit non se eligere, & vti seipsa ad eligendum: ergo quilibet beatus nequit non videre suam visionem.

73 Confirmatur *secundò*: Nulla est possibilis visio, quæ non habeat aliquem gradum specialem intensionis: ergo nulla est possibilis visio, quę in Deo non penetret aliquam seriem possibilium, secundùm rationes particulas. *Declaratur*: Nulla est visio possibilis, qua alia intensior vsque in infinitum syncathegorematicè excogitari non valeat: ergo pariter nulla est possibilis visio, qua alia remissior versus infinitè syncathegorematicè excogitari non possit: oportet ergo quòd nulla sit ita remissa, quòd aliquam seriem possibilium in particulari non videat. Hæc vltima consequentia legitimè deducitur ex prima propter dicta n. 56. Prima autem liquet: quia sicut, designata qualibet creatura perfecta, potest dari alia, & alia vsque in infinitum perfectior, ita assignata qualibet creatura imperfecta intra gradum (v.g.) animalis, potest dari alia & alia vsque in infinitum imperfectior; sed ob illam rationem nequit perveniri ad visionem intensissimam: ergo ob eandem nequit perveniri ad visionem imperfectissimam.

Confirmatur *tertiò*: Nam quodlibet lumen, etsi remississimum, sufficit ad videnda decreta divina vt terminata ad genera, & species, & individua pertinentia ad hoc vniversum; sed lumen sufficiens ad videnda decreta, etiam est sufficiens ad videnda ipsa genera, species, & individua in particulari: ergo nullum est lumen possibile, quo non possint videri aliquæ creaturę in particulari. *Ex quo vrgetur*: Nam lumen, quo possunt videri in Deo effectus vt existentes in particulari, possunt videri etiam vt possibiles; sed lumen, quo possunt videri effectus vt possibiles: necessariò illos videt: ergo nullum est lumen, quo non videantur necessariò aliqui effectus in particulari.

74 Ad argumentum respondetur, quòd estò creaturæ non producantur à Deo nisi in particulari; non tamen producuntur ab eo formalissimè sub ratione particulari, tanquam si ipsa ratio particularis esset ratio *subqua* producendi quamlibet creaturam in particulari, aliàs cognita omnipotentia necessariò cognoscerentur omnia possibilia in particulari. Ratio igitur, subqua producuntur omnes creaturæ in particulari, est aliqua ratio communissima, subqua continentur omnes creaturæ in particulari, nempè ratio *factibilis* vtsic, & hæc est quasi constitutiva & specificativa omnipotentiæ; factibilia verò in particulari sunt rationes materiales: Constat autem, quòd ad cognoscendam quidditative causam vt talem sufficit cognoscere rationem *subqua* constitutivam seu specificativam, & nullatenus requiritur cognoscere omnes effectus in particulari & de materiali se habentes, quia hoc potiùs conducit ad maiorem penetrationem illius, quàm ad quidditativam eius cognitionem.

Ad primam confirmationem respondetur cum Ferre quæst. 12. §. 5. & N. Salm. disp. 7. num. 89. concedendo, quòd nulla est visio, quæ seipsam non videat ex vi visionis essentiæ divinæ, ad quod sufficit ratio data in confirmatione. Ex quo etiam infertur, quòd debeat videre lumen, quo elicitur, quia est omninò adæquatum, & connaturalitèr connexum cum ea. Ex eo tamen quòd videat seipsam, & lumen glorię, tantùm sequitur, quòd cognoscat creaturam intellectualem secundùm potentiam obedientialem, quod est idem ac illam cognoscere quoad *an est* & in communi, non in particulari. ¶ An verò sit necesse, quòd videat gratiam, quæ est principium radicale visionis? Respondetur, quòd ex eo, quòd videat visionem & lumen, solùm sequitur, quòd videat gratiam quoad *an est*: Quia gratia, præter lumen gloriæ & visionem, habet etiam radicare cætera dona supernaturalia; & certum est, quòd ex eo quòd visio videat seipsam, non sequitur, quòd necessariò debeat videre ipsam gratiam prout radicat alia dona supernaturalia, nec ipsa dona; quod est idem, ac non cognoscere gratiam quidditativè. Igitur nostra conclusio solùm intelligenda est ad hunc sensum, quòd potest dari visio, quæ non cognoscat aliquam creaturam in particulari, ex his quæ possunt, & petunt directè cognosci in essentia divina, licèt nulla sit visio, quæ non debeat videre aliquam creaturam in particulari, ex his, quæ videntur per quandam reflexionem limitatione proximè explicata.

Ad secundam satis constat ex dictis num. 68. Nam, suppositò quòd ad videndas in Deo omnes species contentas sub genere animalis (estò infinitas) non requiratur lumen infinitum, facilè descendi potest ad aliquod adeò remissum, vt per illud nulla creatura in particulari

lari videatur. Illud tamen lumen solum haberet gradum intensionis vt vnum, si huiusmodi gradus *intensio* vocari valet. Pro quo recolantur dicta loco proximè relato.

Ad tertiam respondetur, quòd lumen, quod est sufficiens ad videnda decreta Dei in particulari, etiam sufficit ad videndas quoad *an est* creaturas, cum quibus connectuntur: Et licèt probabile sit, quòd per lumen quodlibet defactò existens possunt videri non solùm quoad *an est*, sed etiam quoad *quid est* genera, species, & individua in particulari, quæ pertinent ad hoc vniversum, & ad sic illa videnda, seu cognoscenda requiratur non quodcumque lumen, sed cum determinata intensione, v. g. vt quatuor, vel vt quinque &c. attamen nullum inconvenies datur in eo, quòd detur aliquod lumen, quo nulla creatura in particulari videatur quidditativè; quod est idem ac dicere, posse dari lumen, quo non videatur aliqua creatura possibilis. Et iuxta hæc non valet consequentia, *Quodlibet lumen est sufficiens ad videnda decreta Dei vt terminata ad effectus existentes in particulari, & ad videndos ipsos effectus: ergo etiam est sufficiens ad videndos illos vt possibiles*: quia nimirùm ad primum sufficit videre effectus quoad *an est*; ad quod sufficit quodlibet lumen estò remississimum; sed ad secundum requiritur maior penetratio omnipotentiæ, ad quod non sufficit quodlibet lumen.

DUBIUM V.

Vtrùm ex eo, quòd Beatus cognosceret in Verbo omnes creaturas possibiles, sequatur Dei comprehensio?

PER ly *in Verbo* nihil aliud volumus intelligi nisi in essentia divina, quæ habet rationem verbi & causæ creaturarum. Sed de hac difficultate latè agemus in tract. *de Scientia Christi* disp. 2. dub. 1. ad quem locum remittimus lectorem. Vt tamen sciatur resolutio ibi data.

75 Dicendum est, quòd si beatus videret in Verbo omnes creaturas possibiles, comprehenderet Deum. Probatur efficacitèr: Nam tunc aliquod obiectum comprehenditur, quando cognoscitur secundùm omnia tàm formalia, quàm virtualia, quæ necessariò sunt in ipso, vel quando cognoscitur, quantùm cognoscibile est; sed si beatus cognosceret omnes creaturas possibiles in Deo, cognosceret ipsum secundùm omnia tàm formalia, quàm virtualia, quæ sunt in eo, & cognosceret Deum, quantùm cognoscibilis est: ergo comprehenderet Deum. Maior, & minor latè probantur loco citato, & ab evasionibus & obiectionibus Adversariorum vindicantur. Videantur ibi.

DUBIUM VI.

Vtrùm Beatus extra Verbum possit videre omnia possibilia: Et nùm ex cognitione omnium eorum sequatur comprehensio omnipotentiæ?

76 DE hac difficultate latè agemus tract. *de Scientia Christi* disp. 3. dub. 1. & iuxta ibi dicta duplici conclusione respondetur quæsito.

Dicendum est *primò*, nullum intellectum creatum posse videre omnia possibilia in seipsis. Et probatur efficacitèr: Nam ad cognoscenda omnia possibilia in seipsis requiruntur lumen simplicitèr infinitum, & species simplicitèr infinita; sed repugnat lumen creatum simplicitèr infinitum, & species creata simplicitèr infinita; ergo repugnat intellectui creato videre omnia possibilia in seipsis.

77 Dicendum est *secundò*, ex cognitione omnium possibilium in seipsis sequi comprehensionem omnipotentiæ. Et probatur ratione D. Thomæ quæst. 20. *de Verit.* art. 5. vbi ait: *Tunc vnaquæque res comprehenditur, quando eius definitio scitur, definitio enim est virtus comprehendens rem. Cuiuslibet autem virtutis definitio sumitur ex his, ad quæ virtus se extendit. Vnde si anima Christi sciret omnia, ad quæ virtus Dei se extendit, comprehenderet omninò virtutem Dei.* Cætera vide loco suprà relato.

TRACTATUS III.

DE SCIENTIA DEI.

IMMENSUM pelagus anfractibus implexum, tempestatibus infestum, procellis & scopulis opportunum, exiguis ratibus navigare arripimus, dum arcano scientiæ Dei operam damus. Sed non nisi divinæ gratiæ innixi radio, duobusque luminaribus magnis Ecclesiæ, Augustino nempè, eiusque fidissimo Interpreti D. Thoma, qui in explicando divinæ scientiæ, voluntatis, & prædestinationis negotio absque vlla controversia sunt facilè Principes. Vt autem in hoc tractatu de Scientia Dei aliquam methodum observemus sicut in cæteris, illum in quinque disputationes dividimus. *Prima* erit de Scientia Dei secundùm se. *Secunda* de Causalitate illius respectu creaturarum. *Tertia* de illa, prout terminata ad futura absoluta. *Quarta* de ea, prout terminatur ad futura conditionata. *Quinta & vltima* de Scientia, quam Recentiores fingunt in Deo, & *scientiam mediam* appellant.

DISPUT. I.

De Scientia Dei secundùm se.

PRiusquam celebriores controversias de scientia Dei erga futura pertractemus, oportet aliqua dubia erga ipsam secundùm se, seu in communi præmittere, in quibus existentiam eius, naturam, & divisionem declarabimus.

DUBIUM I.

An ex eo, quòd Deus est summè immaterialis, rectè probet D. Thomas, eum esse summe intelligentem?

OCcasione scientiæ, de qua D. Thomas agit quæst. 14. plura de intellectione in communi immiscet, & hoc pacto ad suadendam in Deo perfectissimam scientiam probat in 1. art. ex eius immaterialitate eum esse summè intelligentem. Vnde, antequam descendamus ad probandum conceptum rigorosum scientiæ in Deo, non immeritò excitamus dubium suprà propositum, versans circa intellectionem secundùm se. Sed cum titulo vnum supponimus,, & aliud inquirimus.

§. I.

Quædam suppositio.

1 SUpponimus *in primis*, dari in Deo formalitèr & propriè cognitionem intellectivam, & non tantum metaphoricè, impropriè, seu causalitèr, sicut dicimus dari iram, & pœnitentiam in eo. Hæc suppositio est de fide. Iuxta illud Job. 31. *Nonne ipse considerat vias meas?* Et iuxta illud Psal. 117. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* In Deo enim non habet locum cognitio sensitiva, cùm sit materialis: ergo in eo datur propriè & formalitèr cognitio intellectiva. Patet consequentia: Nam verba sacræ Scripturæ intelligenda sunt in sensu rigoroso, & formali, & non solùm in causali seu improprio, vt aliqui, quos refert D. Thomas quæst. 2. *de Verit.* art. 1. interpretantur prædicta loca, quando ex eis nullum sequitur inconveniens; quod in præsenti non sequi constabit ex proximè dicendis.

Et probatur ratione: Omnis perfectio simpliciter simplex concedenda est Deo propriè & formalitèr; sed cognitio intellectiva est perfectio simpliciter simplex: ergo concedenda est Deo in sensu proprio & formali. Maior admittitur ab omnibus Theologis. Et minor probatur: Perfectio simpliciter simplex est illa, quæ est melior ipsa, quàm non ipsa, & quàm omnis incompossibilis cum ipsa, vt cum D. Anselmo definiunt omnes Theologi; sed talis est cogni-

tio-

tio intellectiva: ergo. Minor patet: Nam in omni re melius est esse intelligentem, quàm non esse intelligentem, seu quàm esse ignarum. Præsertim: quia estò cognitio intellectiva creata includat aliquas imperfectiones; ex hoc tantùm deduci valet, quòd intellectio non inveniatur in Deo, modo quo est in creaturis; secundùm se tamen nullam dicit imperfectionem.

Et confirmatur *primò* cum D. Thoma in 1. *ad Anibald.* dist. 35. quæst. 1. art. 1. Nam primum & supremum agens debet esse summè perfectum; sed agens summè perfectum nequit non esse summè cognoscitivum: ergo in Deo datur summa & perfecta cognitio, qualis est intellectio. Maior patet: Nam omnia imperfecta reducuntur ad agens perfectum, sicut semen ad plantam, vel animal. Minor verò probatur: Summa perfectio nequit inveniri nisi in cognoscente: res enim carens cognitione solùm habet propriã perfectionem; econtrà cognoscens non solùm habet perfectionem propriam, per quam in se subsistit, sed etiam perfectiones aliarum rerum, inquantùm per formas intentionales sunt in cognoscente: porrò cognitio sensitiva solùm se extendere potest ad corporalia: ergo si Deus est agens summè perfectum, debet habere summam cognitionem, qualis est intellectio.

Confirmatur *secundò*: Omne agens habet aliquam intentionem & desiderium finis: ergo in primo agente debet esse cognitio intellectiva. Consequentia probatur: Nam omnis intentio seu desiderium finis præsupponere debet cognitionem intellectivam, vel in eo qui habet prædictum desiderium, vel in prima causa illius: ergo licèt in quibusdam agentibus detur inclinatio ad proprium finem absque cognitione, in Deo tamen, qui est primum agens, debet dari cognitio intellectiva. Antecedens probatur: Ad cognitionem tantùm intellectivam attinet dirigere res in proprium finem formalitèr vt talem: ergo, supposito in omni agente creato desiderio in proprium finem, debet præsupponi in Deo intellectio dirigens illud in talem finem. Quocircà Arist. 2. Physic. dixit: *Opus naturæ est opus intelligentiæ.* Quam rationem adducit D. Thomas in 1. dist. 35. quæst. 1. art. 1.

Confirmatur *vltimò* alia ratione D. Thomæ loco proximè citato: Nam in homine, & perfectiùs in Angelo invenitur cognitio intellectiva: ergo etiam in Deo. Probatur consequentia: Quando aliqua perfectio reperitur in pluribus magis, ac magis, prout alicui magis appropinquant, etiam talis perfectio debet & perfectiori modo in eo inveniri, sicut quia corpora sunt calidiora quantò magis appropinquant ad ignem, calor est maximè in illo; sed quia Angelus accedit magis ad Deum, est magis intellectivus, quàm homo: ergo intellectio invenitur in Deo, & quidem perfectiori modo quàm in Angelo, & homine.

Sed dices: *Pati*, & *noveri* sunt imperfectiones Deo repugnantes; sed intellectio est quoddam *pati* & motus intelligentis, vt Arist. docet 3. *de Anima*: ergo nequit poni in Deo formalitèr. ¶ Respondetur, Aristotelem in illo loco intelligendum fore de *intelligere* creato, quia intellectus creatus non est actus purus; secùs verò de *intelligere* divino, ob oppositam rationem.

Inquirimus ergo, ad explicandam potissimam rationem D. Thomæ, quam affert in præsenti, alijsque in locis: An ex eo quòd Deus est summè immaterialis, inferatur efficacitèr, quòd sit summè intellectivus?

§. II.

Nostra conclusio.

2 DIcendum est, rationem D. Thomæ, qua probat in Deo esse formalitèr summam intellectionem, ex eo quòd est summè immaterialis, esse efficacem & demonstrativam. Hæc conclusio est communis inter Theologos, paucis exceptis. Quæ non alitèr probari debet, quàm reducendo ad formam syllogisticam rationem ipsius Ang. Præceptoris: Nam immaterialitas est radix, cur aliquid sit cognoscitivum; sed Deus est in summo immaterialitatis gradu: ergo est in summo gradu cognitionis, qualis est intellectio. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur *primò*: Quia Angeli, & anima nostra sunt pure spirituales, sunt etiam formalitèr intellectivi: econtrà verò, quia plantæ sunt nimis materiales, nullatenus sunt cognoscitivæ: & bruta, quia habent aliquid de immaterialitate, aliquo modo sunt cognoscitiva, licèt infimo gradu cognitionis, qualis est cognitio sensitiva, & corporeà: ergo immaterialitas est radix, cur aliquid est cognoscitivum. *Secundò*: Cognoscentia in hoc distinguntur à non cognoscentibus, quòd cognoscentia nata sunt habere, præter formam propriam, formam rei alterius media specie intentionali, qua ratione Philos. 3. *de Anima* docet, quòd *anima est quodam modo omnia*: econtrà verò non cognoscentia non habent nisi formam suam; sed radix huius discriminis solùm potest esse immaterialitas illorum, & materialitas istorum: ergo immaterialitas est radix cognitionis. Minor probatur: Nam quo aliquid habet maiorem amplitudinem, tantò habet minùs de materialitate, quia habet minùs de limitatione; econtrà quò aliquid est magis coarctatum, habet magis de materialitate, quia materia est radix limitationis; sed quò aliquid est magis capax recipiendi plures formas, est magis amplum: sicut magis coarctatum id, quod est determinatum ad recipiendam tantùm vnam formam: ergo radix, cur cognoscentia possunt recipere formas aliorum,

secùs verò non cognoscentia, est immaterialitas illorum, & materialitas istorum.

3 Confirmatur *primò* : Immaterialitas est radix, cur aliquid sit intelligibile in actu: ergo etiam immaterialitas est radix intellectualitatis. Antecedens est certum : Nam res materiales fiunt intelligibiles in actu per species intelligibiles, quæ sunt immateriales immaterialitate simpliciter tali. Consequentia verò probatur: Tum quia species, quæ redit obiectum intelligibile in actu, etiam reddit intellectum complete intellectivum : ergo sicut immaterialitas est radix intelligibilitatis passivæ, ita est radix intellectualitatis activæ. Tum etiam : quia species petit, vt connaturale subiectum, illud, cum quo conveniat in eodem gradu immaterialitatis : ergo idem quod priùs. Tum denique: quia ideo arguitur, speciem intelligibilem esse immaterialem, quia recipitur cum tota sua amplitudine in *esse* intelligibili, seu repræsentativo, modo explicato in tract. præced. disp. 2. num. 12. & deinceps, & num. 40. sed ex eadem radice arguitur etiam, potentiam, illam recipientem, esse immaterialem pari immaterialitate, cum id, quod materiale est, nequeat recipere immateriali modo, eò quòd materia sit radix limitationis: ergo sicut immaterialitas speciei est radix intelligibilitatis, ita immaterialitas potentiæ intellectualitatis.

Confirmatur *secundò* : Potentia absolutè materialis non potest intelligere omnia, imò nec omne corpus : ergo radix intelligendi omnia est immaterialitas simpliciter talis: ergo immaterialitas est radix intellectualitatis activæ. Antecedens probatur ex Arist. 3. *de Anima* text. 4. & ex D. Thoma ibidem : Nam potentia corporea nequit esse in potentia ad recipienda omnia corpora, quia intùs existens prohibet extraneum: & propterea si pupilla haberet aliquem colorem, nullum alium posset visus videre, neque lingua affecta humore colerico alios sapores potest recipere, pro quo videndi sunt N. Complu. abbrev. *de Anima*. disp. 15. à n. 3.

4 Confirmatur *tertiò*, & simul explicantur omnia suprà dicta cum D. Thoma pluribus in locis, præcipuè quæst. 2. *de Verit.* art. 2. De ratione naturæ cognoscitivæ est, quòd possit fieri alia à se medijs speciebus intentionalibus, vel quòd (idem est) possit recipere formam rei alterius ; sed neque species intentionalis potest esse forma rei alterius, quin sit immaterialis, neque cognoscitivum potest recipere speciem intentionalem, quatenus est forma rei alterius, quin pariter sit immaterialis : ergo intantùm natura est cognoscitiva, inquantùm est immaterialis. Maior ex dictis tract. præced. disp. 2. dub. 2. & 3. satis constat. Et minor quoad primam partem probatur: Ipsa res secundùm suum *esse* entitativum & materiale nequit induere rationem speciei intentionalis : lapis enim ob sui materialitatem & crassitiem nequit vniri per modum speciei intentionalis cum oculo corporeo, & minùs cum intellectu : ergo oportet, quòd in remedium huius detur alius modus immaterialis, ratione cuius res cognoscibilis sit in cognoscente, quem modum immaterialem vocamus *intentionalem*, & *repræsentativum*. Quoad secundam partem etiam probatur: Nam cognoscens nequit formam rei alterius fieri repræsentativè, si recipiat illam materiali modo; quod verum est, estò recipiens sit spirituale, & res recepta spiritualis : quia receptio in *esse* entitativo indispensabiliter affert genus causæ materialis, & genus causæ materialis limitationem; proindeque forma recepta in *esse* entitativo nequit esse forma rei alterius, cùm fiat propria recipientis, & paritèr subiectum illam recipiens nequit fieri ipsa forma, quia recipit illam limitato modo : ergo indispensabiliter requiritur in cognoscente modus recipiendi elevatior suprà modum recipiendi materialiter & entitativè; sed modus hic recipiendi incompossibilis est cum subiecto omninò materiali: ergo, vt cognoscens recipiat species intentionales, necesse est, quòd sit immateriale. Sed hæc magis eluescent ex solutione argumentorum.

§. III.
Argumentorum enodatio.

5 PRO negativa sententia communiter referuntur Aureol. in 1. dist. 35. art. 2. Ocham, Gabriel in eadem dist. & Averr. quæst. 14. sect. 1. asserentes, rationem D. Thom. solùm probare intellectualitatem Dei ex eius immaterialitate, vel à posteriori, vel tanquam à signo, vel tantùm probabiliter. Pro quo arguitur *primò* : Non cognoscentia præter formam propriam recipiunt formas aliorum: ergo ex hac parte nequit deduci immaterialitatè esse rationem cognoscendi. Antecedens probatur: Nam aqua recipit calorem, & aër recipit species, quæ deferuntur ad sensus ; & tamen calor non est propria forma aquæ, neque species sunt formę propriæ aëris, sed obiectorum : ergo non cognoscentia præter formam propriam recipiunt formas aliorum.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad primum exemplum dicendum est, quòd aqua, dum recipit calorem, vel aër lucem, non recipit formam rei alterius: Nam estò calor receptus in ea sit valde similis calori existenti in igne, semel tamen quòd recipiatur in aqua, fit per receptionem entitativam forma propria eius ; cuius signum est, quòd calor receptus in aqua est distinctus numericè à calore existente in igne. Aliter se habent cognoscentia in ordine ad formas intentionales, quia hæ ita fiunt propriæ cognoscentium, quòd etiam sint formæ propriæ obiectorum, iuxta dicta tract.

præ-

præced. disp. 2. dub. 2. & 3. *Adde*: Nam aqua recipiens calorem non fit per identitatem ipse calor; cœterùm cognoscens recipiens speciem intentionalem fit ipsa species per identitatem, consequenterquè ipsum obiectum. Et per hoc sufficientèr secernuntur cognoscentia à non cognoscentibus, & ostenditur immaterialitas illorum prout distincta à materialitate istorum: quia solùm immaterialitas potest esse ratio, cur cognoscentia fiant ipsa obiecta; sicut immaterialitas est ratio amplitudinis & extensionis, non minùs propriè ac materialitas est ratio limitationis, & cur non cognoscentia in nullo ordine fiant ipsæ formæ, quas recipiunt. *Ad secundum exemplum*: Respondetur, quòd estò aër recipiat species intentionales, non illas recipit intentionali modo, hoc est, repræsentantes in aëre sua obiecta, sed tantùm in *esse* entitativo, vt alibi diximus; in cognoscente autem recipiuntur vtroque modo. Licèt cum hoc discrimine, quòd prout recipiuntur in *esse* entitativo, recipiuntur modo limitato & de materiali se habente ad formalem conceptum speciei, & protereà ad recipiendas illas hoc modo, neque requiritur specialis immaterialitas in cognoscente, neque per huiusmodi receptionem arguitur sufficienter distinctio, quæ intervenit inter cognoscentia & non cognoscentia: At prout recipiuntur intentionali modo, recipiuntur modo illimitato & immateriali, qui quidem modus petit in recipiente elevationem aliquam supra materiam, hoc est, supra modum recipiendi modo entitativo. Et ex hoc arguitur distinctio reperta inter cognoscentia, & non cognoscentia.

6 Arguitur *secundò*: Nam est possibilis substantia simpliciter immaterialis non intellectiva: ergo ex summa immaterialitate nequit rectè argui aliquid esse summè intellectivum. Antecedens probatur: Talis substantia non repugnat ex capite *substantiæ*, cùm detur defactò substantia, quæ non sit intellectiva: neque ex capite *immaterialitatis*, cùm dentur plura entia immaterialia simpliciter, quæ non sunt intellectiva, vt voluntas, & eius habitus, intellectus agens, & motio qua aqua elevatur ad producendam gratiam.

Et confirmatur *primò*: Potest Deus creare aliquam substantiam purè spiritualem, quæ nullam possit habere operationem: ergo potest etiam creare substantiam purè spiritualem, & non intellectivam. Antecedens probatur: Non repugnat substantia corporea non operativa, vt de cœlo Empyreo docet D. Thomas in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 3. ergo neque repugnat substantia purè spiritualis non operativa.

Confirmatur *secundò*: Nam defactò datur substantia aliquo modo immaterialis, & nullo modo cognoscitiva, vt planta: sicut ergo ex immaterialitate vtcumque non arguitur vis cognoscitiva; ita neque ex immaterialitate simpliciter tali argui debet virtus intellectiva; neque ex immaterialitate summa summa intellectualitas.

Ad argumentum respondetur *primò*, permittendo cum Ioanne à Sancto Thoma in præs. art. 1. §. *Ad aliam partem*, quòd possit dari natura spiritualis non intellectiva. Sed inde nihil infertur contra rationem D. Thomę: ad cuius intentum sufficit, quòd nulla sit imaginabilis substantia capax recipiendi species intentionales in ratione talium, quæ intellectiva non sit. ¶ Respondetur *secundò*, negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd substantia purè immaterialis, quæ non sit intellectiva, repugnat ex parte totius complexi: quia illa substantia esset perfectior omni substantia materiali cognoscitiva & vitali; cum quo non recte cohæret, quòd careat vita perfectissima, saltèm radicali, qualis est intellectiva. Neque instantiæ inter arguendum allatæ contra hoc aliquid convincunt: quia alitèr discurrendum est de accidentibus spiritualibus, ac de substantia spirituali completa: ad rationem enim accidentis spiritualis sufficit, quòd sit intellectivum vel præsuppositivè, hoc est, constituendo intellectum in actu primo proximo ad intelligendum, vti se habet intellectus agens, qui producit species intelligibiles in intellectu possibili; vel consecutivè, quatenus ad omnem formam debet sequi aliquis appetitus, per quem bonum intellectum appetat, & hoc modo est voluntas & habitus in ea recepti; vel causalitèr, quatenus producit naturam ipsam intellectivam, & hoc pacto se habet motio baptismalis producens gratiam, quæ est tota ratio radicalis intelligendi in linea supernaturali.

7 Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens. Et ad instantiam dicendum est, D. Thomam quodlib. 6. art. 19. retractasse sententiam, quam docuit loco relato Sent. per hæc verba: *Dicendum, quòd quidam ponunt, cœlum Empyreum non habere influentiã in reliqua corpora, quia non est institutum ad effectus naturales, sed ad hoc, quòd sit locus Beatorum. Et hoc quidem mihi aliquando visum est. Sed diligentiùs considerans magis videtur dicendum, quòd influat in corpora inferiora.* Quinimò in hac 1. part. quæst. 66. art. 3. ad 2. postquàm asserit esse probabile, quòd cœlum Empyreum nullam habet influentiam in hæc inferiora, statim addit: *Probabiliùs tamen videtur dicendum, quòd sicut supremi Angeli, qui assistunt, habent influentiam super medios, & vltimos, qui mittuntur; ita cœlum Empyreum habet influentiam super corpora, quæ moventur, licèt ipsum non moveatur.* Erga influxum eius seu operationem vide N. Complut. abbrev. in lib. *de Cœlo* disp. 5. quæst. 4. per totam maximè num. 33.

Si verò ex hoc inferas, quòd saltèm erit pro-

probabile, posse dari substantiam spiritualem, quæ non sit intellectiva, sicut probabile est in via D. Thomæ, quòd cœlum Empyreum non sit operativum. Respondetur, quòd solùm est probabile in via D. Thomæ, cœlum Empyreum non habere actualem influentiam: Nam in loco nobis obiecto asserit esse *virtuosissimum*, quod verificari non valet, quin sit operativum. *Vel potest dici*: quòd estò non repugnaret substantia materialis corporea, quæ non sit operativa; repugnat tamen substantia spiritualis non operativa. Et ratio discriminis est: quia substantia materialis, qualis est cœlum Empyreum, non est corpus vivum; corpus autem non vivum benè potest esse sine operatione: At substantia spiritualis petit esse vivens, cùm sit perfectior omni substantia materiali vitali; & ob hanc causam nequit non esse operativa.

8 Ad secundam respondetur, fatendo cum N. Complut. abbrev. *de Anima* disp. 4. num. 1. animam plantæ habere aliquam elevationem supra materiam. Sed non quælibet elevatio sufficit ad arguendam vim cognoscitivam, sicut neque ad recipiendas formas intentionales sub *esse* intentionali: quia, vt rectè docet D. Thomas 2. Contra gent. cap. 68. aliquæ formæ sunt adeò infimæ, quæ ad nullam operationem possunt se extendere, nisi ad eas, quæ eliciuntur medijs qualitatibus, quæ sunt dispositiones materiæ, vt sunt calidum, frigidum &c. & istæ formæ sunt omnino immersæ in materia. *Super has*, inquit, *inveniuntur formæ, quarum operationes & operata excedunt virtutem qualitatum prædictarum, quamvis qualitates prædictæ organicæ deserviunt ad earũ operationes; & huiusmodi sunt animæ plantarum* (quæ assimilantur motoribus corporum cœlestium, inquantùm sunt principia motus communis rebus viventibus, quæ movent seipsas.) *Super has adhuc inveniuntur aliæ formæ similes superioribus substantijs, non solùm in movendo, sed etiam aliqualitèr in cognoscendo, & sic sunt potentes in operationes, ad quas nec organicæ qualitates deserviunt, licèt prærequirantur ad compositionem organi, in quo exercentur; & huiusmodi sunt animæ brutorum.* Ex quibus liquidò constat, non quamlibet elevationem supra materiam sufficere pro cognitione. Et ratio ex prædictis verbis potest desumi: ex eo quòd ad elevationem quancumque à materia sufficit elicere operationes non medijs qualitatibus, quæ sunt dispositiones materiæ; sed ad cognoscendum requiritur vltrà elevatio supra eam in modo recipiendi: quæ elevatio non convenit cuicumque formę quomodocumquè elevatæ supra materiam, sed animæ bruti, animæ rationali, Angelo, & Deo, quibus tantùm competit recipere species intentionales sub modo intentionali; alijs autem formis tantùm sub modo physico, seu materiali.

9 Arguitur *tertiò*: Datur natura cognoscitiva omninò materialis: ergo immaterialitas ad rationem cognoscendi necessaria non est, proindeque non est ratio virtutis cognoscitivæ. Antecedens probatur: Anima bruti est omninò materialis & corporea; & tamen est cognoscitiva: ergo datur natura cognoscitiva omninò materialis.

Nec valet dicere, quòd ex hoc tantùm potest deduci, animam bruti esse omninò materialem in essendo, non verò in operando, propter proximè dicta. Non, inquam, valet: Nam forma, quę est dependens a materia in essendo, nequit non dependere in operando: Tum quia modus operandi sequitur modum essendi. Tum etiam: quia inde arguunt N. Complut. abbrev. in lib. Physic. disp. 4. quæst. 2. animam rationalem non educi ex materia, quia non dependet ab illa in operando; sed anima bruti educitur ex materia, vt traduut ijdem PP. ibidem: ergo dependet à materia in operando.

Ad hoc argumentum respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam, quę optima est, si rectè explicetur. Etenim animæ bruti licèt absolutè dependeat à materia, tàm in essendo, quàm in operando, quatenus ipsa anima recipitur in materia, & educitur ex ea, & eius operationes eliciuntur medio organo corporeo, & recipiuntur in eo; non tamen est omninò immerta in materia sive in essendo, sivè in operando: non in operando, quia operatur medijs formis receptis in ea modo elevato supra conditiones illius, & independenti à qualitatibus, quæ sunt dispositiones materiæ: neque in essendo, quia ex modo operandi elevato quodammodò supra conditiones materiæ colligitur à posteriori elevatio talis qualis supra ipsam in essendo. Ratio horum est, quam tradidimus pro probanda, & explananda nostra conclusione: Nam vt anima absolutè dependeat in suo *fieri*, & *esse* à materia, proindeque educatur ex ea, sufficit, quòd ipsa habeat *esse* materiale, & eius operationes exerceantur medio organo corporeo; sed vt sit aliquomodò elevata à materia, tantùm requiritur, quòd dum forma recipitur in ea, non ita maneat in suo *esse* limitata, vt non possit recipere formam rei alterius, seu formam quodammodò immaterialem & illimitatam, qualis est species intentionalis. Anima autem bruti estò recipiatur in materia, manet tamen cum hac amplitudine, vt possit recipere formas intentionales: vnde arguimus, & rectè, quòd habeat *esse*, & *operari* quodammodò illimitatum, & supra conditiones materiæ, & sufficiens ad cognitionem.

*** *** ***
*** ***
***

§. IV.

§. IV.

Alia argumenta.

10 ARguitur *quartò*: Nam si immaterialitas esset ratio intellectualitatis, etiam esset ratio intelligibilitatis passivæ; sed hoc est falsum. Minor probatur: Tum, quia omnis forma est intelligibilis; & tamen plures sunt formæ omninò materiales, vt formæ elementorum: ergo. Tum & præcipuè: quia si immaterialitas est ratio intellegibilitatis & intellectualitatis, talis debet esse intellegibilitas & intellectualitas, ac immaterialitas, ac proinde talis debet esse intellectualitas, ac intellegibilitas; sed in Angelo maior est intellegibilitas, quàm intellectualitas, cùm substantia Angeli immediatè per seipsam sit intelligibilis, & non sit per seipsam immediatè intellectiva, sed medio intellectu realiter distincto: ergo immaterialitas non est ratio intellegibilitatis.

Confirmatur *primò*: Anima rationalis est absolutè immaterialis; & tamen pro hoc statu non est per seipsam intelligibilis, cùm non cognoscatur pro hoc statu nisi per species rerum materialium, vt Angeli: ergo immaterialitas non est radix intellegibilitatis passivæ. *Adde*: Nam anima rationalis pro hoc statu habet modum essendi minùs immaterialem, quàm in statu separationis, cùm in statu separationis magis appropinquet Angelis; & tamen in hoc statu habet perfectiorem modum cognoscendi, vt docet D. Thomas 1. part. quæst. 89. art. 1. Imò ipsa separatio animæ à corpore retardat illam, ne tota intensione tendat in visionem beatam, vt cum D. Augustino docet idem Ang. Præceptor. 1. 2. quæst. 4. art. 5. ad 4. ergo.

Confirmatur *secundò*: Nam ad recipiendas species intentionales non requiritur de necessitate immaterialitas: ergo neque immaterialitas est præcisa ratio vis cognoscitivæ. Antecedens probatur: Ad producendas species intentionales non requiritur in producente immaterialitas: ergo neque ad illas recipiendas. Patet consequentia: nam maior perfectio requiritur ad eas producendas, quàm ad eas recipiendas.

11 Ad argumentum respondetur, concedendo maiorem; sed negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd forma omninò materialis solùm est intelligibilis in potentia, quia per speciem distinctam & quodammodò immaterialem redditur intelligibilis in actu. *Ad secundam*: Dic, quòd estò substantia Angeli sit per seipsam immediatè intelligibilis, & non intellectiva, non propterea intelligibilitas eius est maior sua intellectualitate: quia substantia Angeli tàm in ratione intelligibilis, quàm in ratione intellectivæ est prorsùs eiusdem immaterialitatis cum proprio intellectu, vt ex se liquet. Porrò, quòd substantia sit per seipsam immediatè intelligibilis, & non immediatè intellectiva, oritur ex conceptu generali *substantiæ creatæ*: quia nulla repugnantia datur in eo, quòd substantia creata per seipsam exerceat munus speciei, vt diximus tract. præced. disp. 2. à num. 61. datur tamen & maxima in eo, quòd sit immediatè operativa. Sufficit ergo ad eam, quòd constituatur in ratione intellectivæ per intellectum, qui estò sit realiter distinctus, & virtus eius proxima intelligendi, dimanet tamen ab ea cum eadem immaterialitate, quam ipsa habet. Unde quoad hanc immaterialitatem prorsùs de materiali se habet, quòd intellectus distinguatur realiter à substantia (licèt esset de formali, si species distingueretur realiter ab ea) quia inde tantùm posset argui, quòd talis substantia sit sicut substantia materialis, quæ tantùm est intelligibilis in potentia.

12 Ad primam confirmationem respondetur, quòd vt verificetur, ex immaterialitate sequi intellectualitatem, sufficit, quòd ex immaterialitate simpliciter tali sequatur intellectualitas & intelligibilitas simpliciter talis: quod in anima in statu separationis etiam verificatur, cùm per seipsam sit immediatè intelligibilis: Et quòd ex immaterialitate propria huius status sequatur intelligibilitas, & intellectualitas proportionata huius status: quod etiam in anima verificatur: nam talitèr est immaterialis, quòd pro hoc statu est dependens à corpore in *esse* & *operari*: in *esse*, quia recipitur in eo; in *operari*, quia dependet in cognoscendo à phantasmatibus, & non intelligit, nisi per species productas dependenter ab illis. Iuxta quod mira energia elucet convenientia suæ immaterialitatis cum eius intelligibilitate, vt ex dictis liquet: & convenientia intelligibilitatis eius cum sua intellectualitate: nam sicut non est proximè intelligibilis per seipsam, sed ratione specierum productarum per intellectum agentem dependentèr à phantasmatibus, ita solùm est intellectiva in potentia, & redditur proximè intellectiva dependentèr ab eisdem phantasmatibus. *Ad additamentum*: Respondetur, quòd anima nostra sicut in statu separationis habet immaterialiorem modum essendi, ita habet modum cognoscendi perfectiorem secundùm se. Cum quo rectè cohæret; quòd modus cognoscendi huius status sit animæ perfectior, quia est connaturalior. Et in hoc sensu interpretandus est D. Thomas loco citato ex 1. part. Sicut *hinnire* est imperfectius secundùm se, quàm *intelligere*, licèt animæ equi sit perfectiùs *hinnire*, quia est eius connaturalis perfectio. *Ad testimonium ex* 1. 2. Dicendum est, quòd anima, dum est separata, solùm retardatur à beatitudine extensiva visionis, secùs ab intensiva, ad quam vnio ad corpus nihil conducit, sed vnicè lumen gloriæ, quod est prorsùs eiusdem intensionis, quando est conjuncta cum corpore

post

post resurrectionem, & quando est separata ante illam.

Ad secundam respondetur cum D. Thoma quæst. 5. *de Potent.* art. 8. quòd obiecta materialia non producunt species in virtute propria, sed in virtute substantiarum separatarum. Ex quo satis constat, aliquam immaterialitatem requiri ex parte producentis principaliter species, sicut requiritur ex parte recipientis illas sub *esse* intentionali.

13 Arguitur *quintò*: Si immaterialitas esset radix intellectualitatis, esset, quia est radix amplitudinis, sicut materia est causa limitationis; sed estò materia sit radix limitationis formæ, non tamen sequitur, quòd negatio materiæ sit causa negandi omnem limitationem: ergo neque immaterialitas est radix amplitudinis. Minor probatur: Tum, quia si negatio materiæ esset causa negandi omnem limitationem, vbi datur negatio materiæ, esset par illimitatio; sed Angeli conveniunt in negatione materiæ, & non conveniunt in illimitatione: ergo negatio materiæ non est causa negandi omnem limitationem. Tum etiam: nam materia solùm tollit amplitudinem formæ, quatenus est causa, vt forma sit *hæc*, & non *illa*; sed stante negatione materiæ, adhuc forma potest limitari, itaut sit *hæc*, vt constat in substantia angelica: ergo. Tum denique: quia omnis forma habet limitationem specificam; & tamen non illam habet ex materia, vt sentiunt Thomistæ: ergo negatio materiæ non est causa negandi omnem limitationem.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo maiorem; sed negando minorem. Et ad primam probationem, concessa maiori; negatur minor. Cuius inserta probatio si aliquid convinceret, sequitur, quòd Angelus sit æquè immaterialis, ac Deus, quia æquè carent materia. Dicimus ergo, quòd estò omnes Angeli æquè careant materia physica physicè, non æquè carent illa metaphysicè: quia quò Angelus perfectior est, magis participat in suo *esse* de actu puro, qui est Deus, magisque illi assimilatur in recipiendo species magis vnitas & actuales, consequentèrque mataphysicè magis distant à materia physica. *Vel dicatur*: quòd omnes Angeli conveniunt in eadem immaterialitate & illimitatione de formali, quia æquè dicunt pro formali negationem materiæ physicæ, quin obstet excessus pro materiali proximè explicatus. *Ad secundam*: Dicendum est, quòd quilibet Angelus, licet sit limitatus in sua specie, secùs verò in sua individuatione, quatenus hæc limitatio individualis est diversa à specifica, quia quilibet Angelus est infinitus intra suam speciem; & radix huius est carentia materiæ physicæ. Porrò limitatio, quam habet ex sua specie, quæquè non provenit ex materia, solùm arguit, quòd non possit continere perfectiones aliorum in *esse* naturali, secùs verò in *esse* intentionali: Et hoc etiam ortum ducit ex negatione materiæ: quia materia, quæ omninò comprehendit formam; ita limitat illam, vt non possit adhuc in *esse* intentionali fieri alia res. Per quod constat ad tertiam.

14 Arguitur *vltimò*: Nam ex immaterialitate probari nequit à priori, aut à posteriori vis cognoscitiva: ergo nullo modo. Antecedens quoad secundam partem probatur: Immaterialitas est ratio generica abstrahens ab immaterialitate vitali, qualis est virtus cognoscitiva, & ab immaterialitate ex se non vitali, quæ invenitur in specie; sed ratio generica est prior ratione specifica: ergo nequit vis cognoscitiva probari à posteriori per immaterialitatem. Quoad primam partem etiam probatur: Tum, quia prius est, naturam esse cognoscitivam, quàm posse recipere species; sed idem est posse recipere species, ac esse immaterialem: ergo priùs intelligitur esse cognoscitivam, quàm esse immaterialem; ac proinde nequit à priori ex immaterialitate probari intellectualitas. Tum etiam: quia si ex immaterialitate probaretur à priori intellectualitas, hæc non constitueret specialem gradum vitæ, sed esset passio illius gradus. Tum denique: quia saltem in Deo immaterialitas nequit esse ratio à priori intellectualitatis, cùm intellectualitas sit constitutivum Dei in nostra sententia.

Et confirmatur: Nam eo probatur, immaterialitatem esse rationem à priori virtutis cognoscitivæ, quia est ratio à priori recipiendi species intentionales; sed hæc ratio non convincit Deum esse summè cognoscitivum, quia Deus non est receptivus harum specierum: ergo ratio D. Thomæ non probat, Deum esse summè cognoscitivum.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens quoad eius primam partem. Et ad primam eius probationem dicendum est, quòd prius est cum fundamento in re, naturam creatam esse immaterialem seu elevatam supra materiam, quàm esse cognoscitivam & posse recipere species: Undè in illa rectè à priori cum fundamento in re ex immaterialitate probatur, quòd sit cognoscitiva, & quòd possit recipere species. Et si ex amplitudine recipiendi species arguit D. Thomas naturam esse cognoscitivam: hic modus arguendi est à posteriori, & necessariò supponit, quòd vis cognoscitiva & amplitudo recipiendi species deducantur à priori ex immaterialitate illius secundùm se. *Ad secundam*: Respondetur, concedendo sequelam. Nam, vt optimè tradunt N. Complut. abbrev. in lib. *de Anima*, disp. 3. dub. 2. Intellectualitas adhuc radicalis non est conceptus essentialis naturæ creatæ, sed est velutì passio illius; & ideo ex illa tantùm arguitur specialis gradus vitæ radicalis à posteriori. *Ad tertiam*: Respondetur, quòd estò intellectualitas sit constitutivum naturæ di-

divinæ, adhuc datur locus, vt ex immaterialitate illius possit à nobis probari à priori eius intellectualitas: quia ad hoc sufficit, quòd immaterialitas, & intellectualitas sint in Deo tanquam duæ rationes inadæquatæ ex nostro modo concipiendi distinctæ; & quòd ex eodem modo concipiendi immaterialitas sit prior intellectualitate: Sicut estò natura divina constituatur per *intelligere* actuale, ex intellectualitate radicali potest à priori à nobis probari esse in Deo vim proximam intelligendi.

Ad confirmationem respondetur, quòd estò Deus non sit receptivus specierum intentionalium per se primò repræsentantium alia à se, habet tamen in se suam essentiam sibi vnitam per modum speciei vniversalissimæ repræsentantis omnia alia à se per continentiam eminentialem illorum, non solùm in *esse entis*, sed etiam in *esse* repræsentativo. Et ex hoc summo & eminentiali modo habendi hanc speciem rectè debet argui, quòd Deus est in summo gradu intelligendi.

DUBIUM II.

Vtrùm in Deo sit scientia strictè dicta: Et respectu quorum?

SEmel ostenso, in Deo dari intellectum, & intellectionem, restat vt videamus, quæ virtutes intellectuales dentur formaliter in eo. Et primum, quod se offert tractandum, est, an in Deo detur scientia strictè, & formaliter talis. Pro quo habenda est præ oculis definitio scientiæ strictè talis, *Cognitio rei per causam.* Hæc autem cognitio dupliciter potest haberi, vel per discursum formalem, quatenus ex cognitione causæ movetur quis, ad cognoscendum effectum per distinctam cognitionem; vel per discursum virtualem, quatenus attenditur processus eiusdem cognitionis realis de vno obiecto in aliud, quia hoc ipso quòd duo obiecta cognoscantur ordine prioris & posterioris, & quòd vnum est causa alterius, datur discursus virtualis. Sed hoc adhuc potest dupliciter intelligi, vel ita quòd interveniat duplex cognitio virtualiter distincta; vel ita quòd sufficiat vna & indivisibilis cognitio ex parte rei conceptæ. Omnia hæc disputationi subjicimus, & quid circa ea dicendum sit, constabit ex assertionibus sequentibus.

§. I.

Prima conclusio.

15 DIcendum est *primò*, in Deo dari scientiam strictè sumptam respectu creaturarum. Ita communiter Theologi, paucis exceptis. Et probatur *primò*: Nam sacer textus sæpissimè Deo attribuit conceptum scientiæ, & sapientiæ; sed nullum est inconveniens, quòd intelligatur in sensu proprio & formali, & in proprietate prædictæ definitionis respectu creaturarum: ergo in Deo datur scientia propriè sumpta respectu creaturarum. Minor patet: nam nullum inconveniens datur in eo, quòd Deus cognoscat creaturas per suam essentiam, itaut cognoscat, ipsam essentiam esse causam creaturarum, vt infrà latiùs dicemus.

Probatur *secundò* ratione fundamentali: Ad rationem propriè & strictæ scientiæ non requiritur, quòd sit cognitio rei per causam, itaut ex cognitione causæ moveatur realiter ad cognitionem effectuum, sed sufficit, quòd sit cognitio effectus per causam; sed Deus habet huiusmodi cognitionem respectu creaturarum: ergo habet scientiam strictè dictam respectu creaturarum. Maior liquet: Tum quia, dummodò salvetur cognitio rei per causam, estò non detur motus rigorosus ex vna in aliam cognitionem, salvatur definitio scientiæ propriæ. Tum etiam: quia in Angelis datur ratio propriæ scientiæ, estò in cognitione causæ, & effectus non detur in eis processus formalis ex parte cognitionum, vt tradunt communiter Theologi. Minor verò probatur: Tum ex D. Thoma 1. Contra gent. cap. 94. vbi ait: *Si scientia est cognitio rerum per proprias causas, cùm Deus cognoscat omnium effectuum, & causarum connexionem, & ordinem, sequitur, quòd cognoscat cuiuscumque effectus proprias causas, ac per consequens habeat scientiam:* Quod explicatur sic: Deus cognoscit omnes effectus creatos, & causas eorum, & quòd prædictæ causæ sunt causæ prædictorum effectuum: si hoc enim creaturæ cognoscunt, cur Deo denegandum est? ergo Deus habet cognitionem effectus per causam. Tum etiam: Deus cognoscit perfectissimè omnes creaturas in sua essentia tanquam in causa: ergo &c. Antecedens probatur: Deus cognoscit suam essentiam prout est in se, illam perfectissimè penetrando, & comprehendendo; sed prout in se est causa omnium creaturarum: ergo habet cognitionem perfectissimam creaturarum in sua essentia tanquàm in causa.

Respondebis, ad scientiam propriè talem requiri cognitionem per causam propriam & immediatam; qualis non est essentia divina. ¶ Contrà est *primò*: Quia Deus etiam cognoscit plures effectus creatos per causam propriam & immediatam: cognoscit enim risibilitatem in rationalitate, & hanc esse causam proximam illius: ergo, quidquid sit de cognitione creaturarum in essentia sua, concedenda est ei cognitio propriè scientifica. *Secundò*: Nam quando ex cognitione causæ, estò sit remota & vniversalis, cognoscuntur omnes effectus illius, tàm in communi, quàm in particulari, & quando cognoscitur talis causa per modum causæ, & effectus per mo-

modum effectus in prædicta causa, datur propria ratio cognitionis scientificæ; sed estò essentia divina sit causa vniversalis creaturarum, Deus cognoscit, illam esse causam adæquatam omnium creaturarum in communi & in particulari, & illas in ea vt priùs cognita cognoscit: ergo habet propriè scientiam creaturarum.

16 Contra prædictam conclusionem sentiunt Durand. in 1. dist. 35. quæst. 4. & Vazquez 1. part. disp. 4. num. 9. & disp. 85. cap. 7. num. 48. Et arguitur *primò*: Proprium est scientiæ versari circa conclusionem, sicut intelligentiæ circa principia; sed repugnat Deum cognoscere aliquid per modum conclusionis, aliàs esset formaliter discursivus: ergo in Deo non datur scientia stricta. ¶ Confirmatur: Quod per scientiam strictam cognoscitur, scitur per aliquid notius; sed respectu Dei non est aliquid magis vel minùs notum: ergo nequit esse in eo scientia propria.

Ad argumentum respondetur, quòd de ratione scientiæ humanæ est esse subiectivè & formaliter discursivam, & versari circa conclusiones; sed quia scientia divina, imò & angelica ab imperfectionibus scientiæ nostræ separata est, propterea non est de ratione scientiæ strictæ in communi versari circa conclusiones, & esse formaliter discursivam. Videatur omninò D. Thom. quæst. 2. *de Verit.* art. 1. ad 4. & in præs. art. 1. ad 2. Quam solutionem infrà magis explanabimus. ¶ Ad confirmationem respondetur etiam cum D. Thoma loco proximè relato *de Verit.* ad 5. quòd ad veram & propriam rationem scientiæ non requiritur, quòd aliquid cognoscatur per aliud magis notum ex parte cognoscentis, sed sufficit, quod secundùm se sit magis notum, & ita cognoscatur à sciente. Deus autem ita cognoscit essentias rerum, quòd etiam cognoscit esse magis notas secundùm se, quàm earum proprietates, & ita cognoscit suam essentiam, quòd etiam cognoscit, eam esse maximè cognoscibilem, & notissimam: quare debet ei concedi rigorosa scientia.

17 Arguitur *secundò*, & simul impugnatur præcedens solutio: Cognitio per se primò terminata ad essentiam, & secundariò ad creaturas nequit esse propriè scientifica; sed cognitio scientifica Dei terminata ad creaturas est huiusmodi: ergo non est propriè scientifica. Minor ex infrà dicendis constabit. Et maior probatur: Scientia propriè dicta in hoc distinguitur à lumine principiorum, quòd illa versatur circa conclusiones immediatè, & istud circa principia: scientia enim definitur, *Habitus intellectualis circa propositiones mediatas*: & intelligentia *circa immediatas*: ergo cognitio terminata per se primò ad essentiam, & secundariò ad creaturas nequit esse propriè scientifica.

Confirmatur *primò*: De ratione scientiæ est per se primò respicere conclusiones, & specificari ab illis; sed repugnat cognitio divina, quæ specificetur à creaturis: ergo repugnat in Deo scientia propria. ¶ Neque refert dicere, quòd solùm est de ratione scientiæ distinctæ ab intelligentia respicere per se primò conclusiones. Non, inquam, refert: Tum quia, quod formaliter eminenter est intelligentia & scientia, etiam debet specificari ab aliqua ratione communi abstrahente à principijs & conclusionibus, à quibus singillatim specificatur quod tantùm est intelligentia, vel scientia. Tum etiam: quia probabile est scientiam divinam distingui virtualiter ab intelligentia: ergo vel neganda est Deo in hac probabili sententia scientia propria: vel concedendum est specificari à conclusionibus, & non à sua essentia.

Confirmatur *secundò*: De ratione scientiæ humanæ est discursus formalis: ergo de ratione scientiæ superioris est discursus virtualis: sed Deo repugnat discursus adhuc virtualis: ergo repugnat ei vera & propria ratio scientiæ. Minor probatur: Discursus virtualis petit duplicem cognitionem virtualiter distinctam, quarum vna specificatur à principio, & alia à conclusionibus; sed repugnat in Deo cognitio specificata à creaturis: ergo repugnat in Deo discursus virtualis in ordine ad creaturas.

Ad argumentum respondetur *primò*, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 57. art. 2. ad 2. & relatam tract. 1. disp. 1. num. 54. quòd lumen principiorum non distinguitur à scientia ex eo capite, quia nimirùm versetur circa principia: & scientia præcisè circa conclusiones: nam scientia etiam attingit principia. Aliter tamen, ac lumen principiorum: nam hoc attingit illa, vt per se nota; scientia autem, vt inferentia conclusiones: Principia enim diverso hoc modo attacta, sunt obiecta formaliter diversa, & sufficientia ad refundendam distinctionem realem his duobus habitibus. Iuxta quam doctrinam fatendum est, nullam scientiam creatam attingere immediatè conclusiones, & multò minùs divinam. Pro qua solutione videantur omninò, quæ diximus suprà tract. & disp. proximè relatis num. 59. vbi aliquæ replicæ contra eam emergentes manent solutę.

Ex his iam constat ad primam confirmationem. Nam, sivè scientia, & intelligentia distinguantur realiter, vt accidit in nobis; sivè non distinguantur adhuc virtualiter, vt fortè contingit in Angelis & Deo, semper scientia specificatur à principijs modo proximè explicato: iuxta quem modum dicendi nulla ex duabus probationibus in ea contentis habet locum.

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd sistendo in supradicto modo dicendi, nempè quòd scientia etiam attingit principia vt *quod* necessariò fatenda est in discursu formali triplex cognitio: prima est luminis principiorum, ratione

tione cuius attingit principia secundùm se, seu vt per se nota, quæ cognitio se habet præsuppositivè ad discursum formalem: secunda est, qua cognoscuntur principia vt illativa conclusionum: & tertia, qua cognoscuntur conclusiones immediatè in seipsis, causata tamen ex vi secundæ cognitionis: Et in his duabus vltimis consistit formalis discursus intellectus nostri. Iuxta quæ omninò denegandus est Deo discursus virtualis subiectivus, estò concedatur intelligentiam divinam distingui virtualitèr à scientia: quia scientia Dei non habet nisi vnicam tantùm cognitionem, qua per se primò attingit principia vt illativa conclusionum, & ipsas conclusiones secundariò. Solùm ergo concedi debet discursus obiectivus realis, si scientia divina versatur circa creaturas; & virtualis obiectivus, si versatur erga atributa.

18 Vt respondeatur *secundò* ad argùmentum: Supponendum est priùs, scientiam nostram specificari à conclusionibus: quod duobus modis intelligi valet, vel dicendo quòd scientia priùs in executione attingit principia, sed in intentione priùs attingit conclusiones, iuxta doctrinam traditam à N. Salm. tract. 8. disp. 1. à num. 62. vel asserendo cum eisdem PP. ibidem à num. 81. scientiam non respicere vt primum attactum *quod*, adhuc in executione, principia, sed conclusiones. Quo supposito: Respondetur ad argumentum, quòd estò de ratione scientiæ, sivè sapientiæ, quæ non est simul lumen principiorum, qualis est omnis scientia nostra nostris actibus acquisita, vt Philosophia, Metaphysica, & Theologia, sit versari per se primò saltem in intentione, & fortè etiam per se primò in executione, circa conclusiones, & specificari ab illis, secùs de ratione scientiæ, quæ simul est sapientia, & habitus principiorum: quia, eo ipso quòd idem habitus sit formalitèr eminentèr scientia, sapientia, & lumen principiorum, per se primò attingit principia tàm secundùm se, quàm vt illativa conclusionum, & secundariò conclusiones: Et hoc pacto est scientia non solùm divina, sed etiam angelica, vt tradunt prædicti PP. tract. 7. disp. 8. num. 44.

Iuxta quam solutionem: Respondetur ad primam confirmationem, sustinendo solutionem inter arguendum datam. Contra quam nulla probatio ibi adducta aliquid suadet: *Non prima*: Nam forma superioris ordinis continens eminentèr duas formas inferioris, ita illas debet præcontinere, quòd earum prædicata non inveniantur in ea cum imperfectionibus, quæ inveniuntur in formis inferioribus: scientiam autem specificari à creaturis est imperfectio propria scientiæ creatæ; proindeque denudari debet à scientia divina: Quod alitèr fieri non valet, nisi dicendo, quòd idem habitus, qui in Deo est intelligentia & scientia, respiciat per se primò suam essentiam, & secundariò creaturas. Pro quo videantur, quæ diximus tract. 1. disp. 1. num. 75. *in responsione secundæ confirmationis*, & disp. 2. num. 7. || *Neque secunda*: Nam estò sit probabile in sententia N. Salm. in præs. disp. 1. num. 54. & 84. intelligentiam distingui in Deo virtualitèr à scientia; nunquam tamen concedendum est cognitionem scientificam specificari à creaturis, neque versari immediatè erga eas, sed attingere illas in sua essentia tanquam in causa. Quod adeò verum est, quòd neque Angelus habet alium modum cognoscendi conclusiones nisi in principijs. Pro qua solutione videantur, quæ diximus locis proximè relatis. Ad secundam confirmationem sufficienter constat ex dictis.

§ II.

Secunda conclusio.

19 Dicendum est *secundò*, in Deo dari strictam scientiam respectu suorum attributorum. In qua conclusione nolumus comprehendere primum attributum, propter dicta tract. 1. disp. 2. num. 1. Hanc conclusionem absolutè sumptam tenent plures & nobiliores Thomistæ, vt sunt Ioannes à Sancto Thoma disp. 16. art. 3. §. *Cæterùm*, Godoy disp. 23. §. 3. Ferre in præs. num. 1139. Gonet in hoc tract. disp. 1. num. 9. Contenson ibidem specul. 1. N. Salm. in præs. dub. 3. & alij.

Et probatur *primò* ex D. Thoma in hac quæst. 14. art. 16. vbi docet, Deum de seipso habere scientiam speculativam tantùm, de omnibus alijs rebus speculativam & practicam: sentit ergo, quòd habet scientiam respectu suorum attributorum. ¶ Confirmatur: Sapientia est perfectissima scientia; sed iuxta D. Thomam ad Rom. 12. lect. 5. *Deus habet sapientiam de divinis, & scientiam de rebus creatis*: ergo &c. Neque potest interpretari precisè de cognitione perfecta sui ipsius: Nam hæc testimonia nequeunt interpretari de cognitione perfectissima creaturarum, & non propriè scientifica: ergo neque possunt interpretari de cognitione præcisè attributorum, & non scientifica.

Deinde probatur ratione: Nam ad veram rationem scientiæ non requiritur, quòd attingat rem per veram & rigorosam causam, sed sufficit illam attingere per aliquam rationem à priori, seu per causam virtualem; sed Deus ita cognoscit attributa, vt cognoscat ea per suam essentiam tanquam per veram rationem à priori, seu causam virtualem eorum: ergo Deus habet veram & strictam scientiam respectu suorum attributorum. Vtraque præmissa indiget probatione. Maior ergo probatur: Tum, quia Theologia nostra vera & stricta scientia habens pro obiecto primario Deum, & de eo demon-

strans sua attributa,& vnum attributum ex alio, cum tamen essentia Dei nequeat comparari vt vera causa respectu suorum attributorum, neque vnum attributum respectu alterius, sed tantùm vt veram rationem à priori, seu vt causam virtualem. Tum etiam: quia ens non est vera causa suarum proprietatum, sed tantùm ratio à priori; & tamen Metaphysica demonstrans ex ente suas proprietates est verè scientia: ergo ad veram &c. Deinde probatur minor: Nam vnum esse causam virtualem alterius nihil aliud est, quàm talitèr inter se distingui virtualiter,quòd si adesset distinctio realis, esset vera causa illius: & esse rationem à priori vnum respectu alterius nihil aliud est, quàm dari distinctionem virtualem, & vnum concipi priùs cum fundamento in re, quàm aliud; sed inter essentiam, & attributa datur distinctio virtualis cum fundamento in re, vt docuimus tract. 1. disp.3.dub.2. *per totum*: ergo Deus cognoscit sua attributa per suam essentiam, tanquam per veram rationem à priori, & causam virtualem.

Confirmatur: Nam de ratione scientiæ strictæ subalternatæ est, quòd subalternetur scientiæ strictæ subalternanti; sed nostra Theologia subalternatur scientiæ divinæ, & beatorum: ergo si Theologia nostra est stricta scientia demonstrans de Deo sua attributa, etiam scientia Dei, & beatorum sunt strictæ scientiæ. Minor, in qua est difficultas, patet ex his quæ diximus tract. 1. disp.1.dub.2.§.2.

20 Respondent Adversarij, rationem nostram tantùm habere locum in intellectu distinguente obiectivè inter essentiam divinam & eius attributa, & inter ens & eius proprietates, secùs verò in intellectu non distinguente obiectivè inter ea, qualis est intellectus divinus.

Contrà est *primò*: Quia pro priori ad omnem operationem intellectus fingentis,seu non cognoscentis Deum prout est in se, datur vera distinctio virtualis actualis; sed hæc distinctio sufficit, vt Deus cognoscat suam essentiam vt veram rationem à priori respectu suorum attributorum, vel vt causam virtualem illorum: ergo adhuc in intellectu divino salvari debet vera ratio scientiæ respectu attributorum. Minor cum consequentia constat: & maior manet probata loco suprà relato ex disp. 3. ¶ *Secundò*: Scientia divina ita attingit essentiam Dei & eius attributa, quòd simul cognoscat esse attingibilia ab intellectu creato per distinctos conceptus;sed hoc sufficit, vt quodammodò cognoscat, essentiam esse rationem à priori suorum attributorum: ergo. ¶ *Tertiò*: Quia valde probabile est, quòd divinus intellectus cum aliquo ordine ad intellectum creatum efficere possit eandem distinctionem rationis,quin in hoc appareat aliqua vmbra imperfectionis in intellectu divino,sed tantùm in intellectu creato. Quod sic explicari valet:Nam semel quòd intellectus noster distinguat, vel distinguere possit essentiam ab attributis,potest intellectus divinus essentiam,vt iam distinctam ab intellectu creato, comparare illam hoc modo ad attributa;in quo nulla appareret imperfectio ex parte intellectus divini.Ergo ex nullo capite repugnat in Deo ratio veræ scientiæ respectu suorum attributorum.

21 Oppositum opinandi modum tenent Ferrara 1. Contra gent. cap. 25. ad illa verba *Dicitur quartò*, Nazarius in præs. controv.2. Ildephons. Michaël in præs. dub. 3. Palanco quæst. 2. concl. 2. & alij. Quorum fundamentum præcipuum est huiusmodi: Nam omnis cognitio scientifica debet esse per causam realem, vel virtualem; sed attributa nullam habent causam vel realem, vel virtualem: ergo cognitio eorum non est scientifica. Minor quoad primam partem per se patet. Quoad secundam sic probatur: Ad veram causam virtualem requiritur distinctio virtualis intrinseca, extrinseca enim desumitur ab intellectu nostro non cognoscente Deum prout est in se; sed inter essentiam divinam, & eius attributa non datur aliqua distinctio virtualis intrinseca, quia reipsà omnia in Deo sunt formalissimè ipsa essentia,& vna purissima & simplicissima entitas,seu essentia: ergo attributa divina non habent causam virtualem.

Confirmatur: Repugnat,attributa cognosci à Deo per lumen principiorum, & esse cognoscibilia ab ipso per scientiam strictam; sed attributa cognoscuntur à Deo per lumen principiorum: ergo non cognoscuntur à Deo per scientiam strictam. Maior patet: nam id,quod cognoscitur per lumen principiorum, est per se notum; & quod cognoscitur per scientiam strictam,est notum per aliud: repugnat autem in terminis aliquid esse per se notum, & esse notum per aliud respectu eiusdem. Minor probatur: Tum,quia omnis cognitio divina est comprehensiva essentiæ, cùm sit infinita; sed cognitio comprehensiva essentiæ etiam est cognitio attributorum:ergo attributa cognoscuntur àDeo per lumen principiorum. Tum etiam: nam cognitio essentiæ per lumen principiorum est cognitio illius prout est in se;sed repugnat cognitio essentiæ prout est in se, quin sit cognitio attributorum:ergo &c.

22 Ad argumentum sufficientèr liquet ex suprà dictis: Nam cum eo, quòd omnia formalia prædicata Dei sint vna purissima & simplicissima essentia, seu entitas, rectè cohæret,quòd detur inter ea distinctio virtualis intrinseca, proindeque quòd essentia sit ratio virtualitèr à priori respectu intellectus beati, & ipsius Dei. Quod Adversarij, velint, nolint, concedunt: Nam ipsi aiunt, distinctionem virtualem extrinsecam, seu per rationem desumptam per ordinem ad nostrum intellectum esse rationis ratiocinatæ, hoc est,habentem fundamentum in re

re: quod stare non potest, quin pro priori ad nostrum intellectum detur aliqua distinctio virtualis actualis intrinseca, vt nos asserimus: vel aliqua distinctio fundamentalis, vt volunt alij Thomistæ, iuxta quam fundamentaliter est prior essentia, quàm attributa: quod sufficit, vt cognitio Dei terminata ad attributa sit scientifica, sicut etiam cognitio beatorum.

23 Ad confirmationem respondetur distinguendo maiorem: si lumen principiorum est formaliter eminenter scientia absque distinctione virtuali, nego maiorem: si non est formaliter eminenter absque distinctione virtuali scientia, concedo maiorem. Et distingo minorem: si lumen principiorum est formaliter eminenter scientia absque distinctione virtuali, concedo minorem: si non est, nego minorem. Itaque probabilius est, lumen principiorum in Deo esse formaliter eminenter scientiam; probabile etiam est oppositum. Et secundum primum modum dicendi: Dicimus, quòd idemmet habitus terminatur, sivè in beato, sivè in Deo, ad essentiam, vt est per se nota, & ad attributa vt scibilia, secundùm duplicem respectum quem importat: nam ille habitus prout respicit per se primò essentiam secundùm se, seu vt est per se nota, induit propriè denominationem *luminis principiorum*, sed vt terminatur per se primò ad essentiam, vt est causa virtualis attributorum, & secundariò ad ipsa attributa, induit denominationem *scientiæ propriæ*. Ex quibus nunquam infertur, quòd attributa attingantur ab huiusmodi habitu tanquam per se nota, quia non attingitur ab eo sub expressione *luminis principiorum*, sed sub expressione *scientiæ*. Per quod enervatæ manent illæ duæ probationes. *Prima*: quia iuxta prædicta nulla est cognitio divina, quæ reipsà non attingat attributa, licèt non sub omni expressione: quod non tollit, quòd absolutè sit comprehensiva essentiæ. *Secunda*: quia iuxta prædictum modum discurrendi cognitio luminis principiorum, cùm sit formalissime cognitio scientifica tanquam quid pertinens ad eandem lineam, ita est cognitio essentiæ, quòd simul sit cognitio attributorum: proindeque in toto rigore est cognitio Dei prout est in se.

24 Si sequamur alium modum opinandi, nempè quòd lumen principiorum in Deo virtualiter distinguatur à scientia, & pertineat ad diversam lineam adæquatam: Dicendum est, quòd lumen principiorum, secundùm id quod pro explicito & ex vi suæ lineæ dicit, non terminatur ad attributa, sed sistit in cognitione solius essentiæ, vt per se notæ. Ex vi cuius, concessa maiori; neganda est minor. Et ad primam probationem dicendum est, quòd estò omnis cognitio divina, secundùm id quod pro implicito & per transcendentiam affert, sit comprehensiva essentiæ, & secundùm id, quod importat ex propria linea, sit infinita in sua linea; non tamen ex vi suę lineæ est comprehensiva essentiæ. Et instatur in sententia contraria. Nam Adversarij fatentur, dari in Deo scientiam strictam respectu creaturarum: Inquiro ergo, ex vi luminis principiorum cognoscit Deus creaturas; vel non: si asserant primum: ergo respectu eiusdem intellectus, licet ratione diversorum habituum, iam aliquid potest esse per se notum, & scibile: si asserant secundum: ergo cognitio luminis principiorum non petit ex sua linea esse comprehensiva. *Ad secundam probationem*: Respondetur, quòd non inconvenit concedere in Deo aliquam cognitionem, quæ, secundùm id quod affert ex propria linea, attingat tantùm essentiam, dummodò importet per transcendentiam cognitionem attributorum: Et huiusmodi est cognitio divina luminis principiorum. Et instatur in sententia contraria: Nam cognitio omnipotentiæ, prout est in se, non minùs connectitur cum cognitione possibilium in communi, ac cognitio essentiæ, prout est in se, cum cognitione attributorum; & tamen, iuxta sententiam contrariam, fatenda est in Deo cognitio omnipotentiæ prout est in se, quin sit cognitio possibilium in communi: nam cognitio omnipotentiæ fit per lumen principiorum, cùm respectu Dei & beati sit per se nota; & possibilia in communi cognoscantur per scientiam strictam: ergo pariter potest in Deo concedi cognitio solius essentiæ prout est in se, dummodò essentialiter & per transcendentiam includat cognitionem attributorum, & comprehensivam totius Dei. Pro qua solutione videantur, quæ diximus tract. 1. disp. 2. num. 7. & loca ibi relata.

§. III.

Tertia Conclusio.

25 DIcendum est *tertiò*, in Deo esse scientiam sui à posteriori per effectus creatos. Hanc conclusionem insinuant satis N. Salm. in hoc tract. disp. 3. num. 7. eamque apertè tenent Mag. Ildephons. Michaël in hac quæst. 14. art. 2. dub. vnic. N. Cornejo tom. 1. fol. 26. column. 2. ad illa verba *Et si rursùs objicias*, Serra dub. 7. circa 1. art. huius quæst. ad argum. §. *An verò in Deo*. Pro cuius intelligentia: Nota, dupliciter posse haberi de aliquo per aliud scientiam, seu cognitionem à posteriori: vel ita quòd id, quod demonstratur, supponat cognitionem per se primò terminatam ad id, per quod demonstratur: sicut dum ego demonstro rationalitatem per risibilitatem, habeo cognitionem per se primò terminatam ad risibilitatem, à qua specificatur: Vel ita quòd eademmet cognitio terminata ad rationalitatē, & ratione illius ad risibilitatem posteà ipsamet per quendam circuitum seu reflexionem cognoscat in risibilitate rationalitatem.

Igi-

Igitur dum Deo concedimus scientiam à posteriori, non intelligendum est de scientia secundùm primum modum, quia nulla cognitio divina queit specificari à creaturis, sed iuxta secundum.

Conclusio sic explicata habetur in D. Thoma quæst. 2. *de Verit.* art. 2. ad 2. vbi loquens de cognitione Dei sic ait: *Ex parte cognoscibilium potest quidam circuitus inveniri, dum scilicet cognoscens essentiam suam alias res intuetur, in quibus suæ essentiæ similitudinem videt, & sic quodammodò ad suam essentiam reddit, non quasi essentiam ex alijs rebus cognoscens.* Idem colligitur ex his quæ docet in 1. *ad Annib.* dist. 3. quæst. 2. art. 1. vbi ait: *Beati non cognoscunt Deum ex creaturis, quia vident Deum per scientiam; cognoscunt tamen eum in creatura, sicut & Deus seipsum videt in creaturis repræsentatum.*

26 Probatur ratione: Nam cognitio causæ in effectu, quodammodò prius noto, est cognitio à posteriori; sed Deus cognoscit seipsum in creaturis, quæ sunt effectus Dei, quodammodò priùs notis ab ipso Deo: ergo habet scientiam sui à posteriori. Maior cum consequentia constat. Et minor probatur: Deus comprehendendo suam essentiam non potest non comprehendere ipsas creaturas; sed comprehendens Deus creaturas, nequit non cognoscere seipsum in creaturis, vt quodammodo priùs notis. Minor probatur: Deus comprehendens creaturas cognoscit habitudinem, quam dicunt ad eum per modum effectus; sed nequit comprehensivè cognoscere hanc habitudinem, quin pariter ex vi huius habitudinis quodammodò priùs cognitæ cognoscat etiam terminum illius, qui est ipse Deus: ergo comprehendens Deus creaturas nequit non cognoscere seipsum in illis vt quodammodò priùs cognitis.

27 Sed objicies *primò*: D. Thomas loco relato *de Verit.* post præfata verba immediatè addit: *Non quasi suam essentiam ex alijs rebus cognoscens.* Et in loco relato Sent. ad 2. ait: *Dicendum, quòd quamvis cognoscat, divinam bonitatem relucere in creatura, non tamen ex creatura venit in creatorem, sed econversò.* ¶ Objicies *secundò* ratione: Idem est cognoscere Deum à posteriori, ac illum cognoscere per aliud, tanquam per causam cognoscendi; sed repugnat Deum se cognoscere in creaturis, tanquam per causam cognoscendi: ergo repugnat Deum se cognoscere in creaturis à posteriori. ¶ Confirmatur: Repugnat Deum se cognoscere imperfectè & abstrativè; sed si Deus se cognosceret à posteriori in creaturis, cognosceret se in illis imperfectè & abstractivè, quia creaturæ solùm his modis Deum repræsentant: ergo non se cognoscit in creaturis.

Ad primam obiectionem respondetur, D. Thomam in primo testimonio solùm excludere à Deo discursum formalem, quo ex creaturis cognoscat seipsum, vt ex antecedentibus & subsequentibus cuilibet textum legenti patebit. Vel si excludit discursum virtualem, eminentialem, & obiectivum ex creaturis, intelligi debet de discursu seu cognitione, quæ absolutè per se primò terminetur ad creaturas: Quod nos etiam concedimus, vt suprà notavimus. Attamen non repugnat in Deo cognitio, quæ absque distinctione virtuali per se primò attingat seipsum, & secundariò creaturas in seipso, & in creaturis sic cognitis veluti tertiò, & per quandam reflexionem attingat seipsum in creaturis. Et eodem modo exponendus est D. Thomas in secundo testimonio.

Pro solutione secundæ obiectionis: Nota, aliud esse Deum se cognoscere à posteriori per creaturas, & ex creaturis, aliud seipsum cognoscere in creaturis: nam ad primum omnino desideratur, quòd absolutè cognoscatur ratione creaturarum, tanquam ratione obiecti absolutè per se primò cogniti, & quòd respectu Dei cognoscentis creaturæ sint absolutè magis notæ, quàm ipse Deus: hoc enim innuunt illæ particulæ *per* & *ex creaturis*: Sed ad secundum sufficit, quòd, creaturis directè cognitis in ipso Deo, tanquam in obiecto primario cognito, per quandam reflexionem & circulum cognoscatur Deus in ipsis per eandem indivisibilem cognitionem. Ex his respondetur ad secundam obiectionem, quòd si Deus cognosceret tantùm seipsum iuxta primum modum relatum, proculdubiò creaturæ essent absolutè causa cognoscendi seipsum, quod repugnat; sed iuxta secundum modum dicendi, ita creaturæ sunt quodammodò causa, vt Deus seipsum cognoscat, quòd ipse Deus sit absolutè & simpliciter causa, cur creaturæ cognoscantur ex vi eiusdem cognitionis: Et quando res ita contingunt, nulla imperfectio reperitur ex parte cognoscentis, aut cognitionis. ¶ Ad confirmationem respondetur, quòd non repugnat, quòd cognitio Dei sit imperfecta & abstractiva cognitio sui ipsius ex vi alicuius reflexionis aut circuli secundarij, dummodò illamet cognitio, inquantùm directè terminata ad ipsum Deum, sit cognitio quidditativa, intuitiva, & comprehensiva sui.

DUBIUM III.

Utrùm Scientia Dei sit Attributum illius?

28 ATtributum communiter definitur à Theologis ex Damasc. *Perfectio formalis absoluta, & necessaria superveniens essentiæ iam constitutæ.* Per quam descriptionem attributum distinguitur *primò* à relationibus, quia estò sint necessariò in Deo, non sunt formæ absolutæ, sed relativæ. Distinguitur *secundò* à prædicatis, quæ tantùm virtua-

li-

litèr ſunt in ipſo, v. creaturæ poſsibiles prout in Deo contentæ: & ad hoc innuendum ponitur illa particula *formalis*. Diſtinguitur *tertiò* ratione illius particulæ *neceſſaria* ab actibus liberis formaliter vt talibus, quia eo ipſo quòd liberè Deo conveniant, deficiunt à vera ratione attributi. Diſtinguitur *quartò* ab eſſentia: & ad hoc ſignificandum adduntur cœteræ particulæ, nempè *ſuperveniens eſſentiæ iam conſtitutæ*. Ex dictis autem dub. præced. ſatis liquet, ſcientiam divinam eſſe verum attributum Dei ex eo capite, quòd eſt perfectio formalis abſoluta & neceſſaria, in quibus expreſsionibus convenit cum eſſentia divina: Superèſt tamen videre, an ei conveniant reliquæ particulæ, ratione quarum attributum diſtinguitur ab eſſentia divina?

§. I.

Sententia noſtra affirmativa proponitur.

29 DIcendum eſt, ſcientiam divinam diſtingui virtualiter adæquatè ab eſſentia divina, proindeque eſſe rigoroſum attributum. Hæc concluſio eſt communis inter Theologos. Et quoad ſecundam partem evidenter colligitur ex prima, ſi ſupponatur, vt ſupponi debet, quòd definitio attributi convenit ſcientiæ divinæ ea parte, qua eſt perfectio formalis abſoluta, & neceſſaria Dei. Quoad primam traditur non obſcurè à D. Thoma in procemio huius quæſt. vbi ait: *Poſt conſiderationem eorum, quę ad divinam ſubſtantiam pertinent, reſtat conſiderandum, de his quæ pertinent ad operationem ipſius.* Quaſi dicat, poſtquam egimus de eſſentia Dei, & de ijs quæ ad illam pertinent, rectus ordo poſtulat, vt de operatione ipſius non conſtituente eius eſſentiam, ſed illam adæquatè ſupponente, tractemus; ſed inter ea, quæ ad eius operationem ſpectant, annumerat ſcientiam: ergo ſentit, eam non minùs propriè eſſe quid conſecutum ad eſſentiam, ac voluntatem, & potentiam; ac proindè diſtingui virtualitèr ab ea. Idem docet in 1. diſt. 35. quæſt. 1. art. 1. ad 2. vbi ait, quòd perfectio, qua Deus nominatur *ens*, & conſtituitur in ſe, & perfectio ſcientiæ, & voluntatis *ſunt vnum ſecundùm rem, ſed ratione differunt, quæ non tantùm eſt in intellectu, ſed fundatur in veritate, & perfectione rei.*

Et probatur ratione fundamentali: Nam in divinis quæ habent obiecta formaliter diverſa, debent diſtingui virtualitèr adæquatè; ſed *intelligere* primordiale Dei, in quo naturam Dei conſtitui ſtatuimus tract. 1. diſp. 2. dub. 2. & *intelligere* ſcientificum ſunt huiuſmodi: ergo ſcientia Dei diſtinguitur virtualitèr adæquatè ab eius eſſentia. Maior potius debet ſupponi quàm probari: quia nullum aliud ſolidius fundamentum habere poſſumus ad diſcernendas lineas divinas, niſi penes ordinem ad diverſa formaliter obiecta. Minor verò probatur: *Intelligere* ſcientificum reſpicit pro obiecto primario eſſentiam Dei, prout eſt cauſa realis creaturarum, & virtualis attributorum: *intelligere* verò primordiale reſpicit per ſe primò ipſam eſſentiam Dei vt intelligibilem ſecundùm ſe & abſolutè, vel prout eſt ampliſsima ratio intelligibilitatis propriæ, & aliorum abſolutè; ſed eſſentia divina his diverſis modis conſiderata conſtituit duo obiecta formaliter diverſa. Minor probatur: Tum, quia in omnium Philoſophorum, & Theologorum ſententia, intellectus, & ſcientia habent obiecta formaliter diverſa, non alia ratione, niſi quia intellectus verſatur circa intelligibile in communi tanquam circa proprium obiectum, & ſcientia circa intelligibile ſub modo magis determinato, nempè circa cauſas reduplicativè vt tales, & vt inferentes concluſiones, vel circa concluſiones, vt cognoſcibiles per cauſas: ergo eſſentia divina his diverſis modis attacta etiam eſt ſufficiens ad conſtituenda obiecta formaliter diverſa in ordine ad *intelligere* primordiale, & ſcientificum. Tum etiam: nam divina bonitas ſecundùm ſe, ſivè vt eſt ſibi & alijs ratio paſsivæ diligibilitatis ſecundùm ſe ſeu in tota ſua amplitudine, eſt diſtincta formaliter in ratione *obiecti* à ſeipſa, prout eſt ratio miſerendi: & ob hanc rationem primo modo ſumpta ſpecificat voluntatem, & ſecundo modo accepta ſpecificat miſericordiam, quæ virtualitèr adæquatè diſtinguntur, vt tract. ſequenti trademus: ergo etiam eſſentia divina vt eſt cognoſcibilis ſecundùm ſe, quo pacto etiam eſt ratio cognoſcendi alia ſecundùm ſe, diſtinguitur formaliter in ratione *obiecti* à ſeipſa, vt eſt radix attributorum, & cauſa creaturarum.

30 Plures ſunt, quibus eſtò concluſio placeat, ratio præiacta non arridet: inter quos eſt Illuſtriſ. Godoy in hoc tract. diſp. 27. à num. 26. & Illuſt. Palanc. quæſt. 8. n. 15. qui aſſerunt, in Deo nullam eſſe cognitionem ſpeculativam, quæ non ſit vel luminis principiorum, vel ſcientiæ.

Sed contrà eſt: Nam dabilis eſt in intellectu creato cognitio, quæ neque ſit luminis principiorum, nec ſcientiæ: ergo etiam in intellectu divino huiuſmodi cognitio concedenda eſt. Antecedens probatur: Cognitio, qua Angelus cognoſcit ſeipſum, & ſuas proprietates, neque eſt luminis principiorum, neque ſcientiæ: idemque contingit in cognitione, qua anima ſeparata cognoſcit ſeipſam, & ſuas potentias: ergo dabilis eſt cognitio divina, quæ neque ſit luminis principiorum, neque ſcientiæ. Antecedens probatur: Angelus ad cognoſcendum ſeipſum, & ſuas proprietates non eget habitu realiter diſtincto, cùm cognitio ſui, vtpotè neceſſariò connexa cum ſua eſſentia, non addat aliquam difficultatem formalem: & idem contingit in

ani-

anima separata; sed habitus principiorum, & scientia distinguntur realiter ab intellectu angelico, & ab intellectu animæ separatæ: ergo cognitio, qua Angelus cognoscit seipsum, & anima separata seipsam, non est luminis principiorum, nec scientię.

Confirmatur *primò*: Dabilis est in voluntate divina actus, qui non sit elicitus ab aliquo attributo voluntatis: ergo etiam est dabilis in intellectu divino cognitio, quæ non sit elicita ab aliquo attributo intellectus, sed tantùm ab ipso intellectu. Antecedens, quod negant Adversarij convicti vi consequentiæ, probatur: Nam voluntas creata ad diligendum bonum proprij supposiți non eget aliquo habitu realiter distincto, vt optimè probant cum D. Thoma N. Salm. tract. 12. disp. 2. dub. 3. *per totum*: ergo voluntas divina ad diligendum Deum secundùm se non indiget aliquo habitu distincto.

Confirmatur *secundò*: Charitas creata, & eius actus est participatio formalis voluntatis divinæ, eiusque actus tantundem, & non alicuius attributi voluntatis, v. g. misericordiæ, iustitiæ: ergo concedendus est in voluntate divina actus aliquis, qui non sit alicuius attributi illius; sed idem habet intellectus in sua linea, ac voluntas in sua, vt optimè viderunt prædicti Authores: ergo intellectui divino concedenda est cognitio, quæ non sit alicuius attributi intellectualis.

Confirmatur *tertiò*: Verbum divinum non procedit per cognitionem luminis principiorum, seu scientiæ, aut alterius attributi intellectualis: neque Spiritus-sanctus per amorem alicuius virtutis voluntatis: ergo necessariò ponenda est in Deo alia cognitio propria intellectus vniversalissima, & aliquis amor vniversalissimus proprius voluntatis. Antecedens, quoad processionem Spiritus-sancti, constabit ex probatione quoad processionem Verbi. Pòrrò quod Verbum non procedat per cognitionem scientiæ, aut alterius attributi intellectualis, semel quòd non procedat per cognitionem luminis principiorum, per se patet: nam Verbum divinum debet procedere per primam intellectionem, cùm sit infinita, quocircà non est ratio, cur secunda sit fœcunda, & prima non. Quòd verò non procedat per cognitionem luminis principiorum, probatur: Verbum divinum procedit formaliter ex vi suæ processionis, vt expressivum totius divinitatis, & omnium creaturarum; sed nequit hoc modo procedere per cognitionem luminis principiorum, cùm hoc, ex vi suæ lineæ, non se extendat ad conclusiones: ergo non procedit per cognitionem luminis principiorum.

31 Sed objicies *primò*: Visio beata est participatio formalis cognitionis divinæ; & tamen est formaliter eminenter cognitio luminis principiorum, & scientiæ: lumen enim gloriæ formaliter eminenter habet vtrunque; neque dabilis est visio beata, quæ sit participatio alicuius intellectionis divinæ, & non attributalis: ergo nulla est cognitio divina, quæ non sit vel luminis principiorum, vel scientiæ. ¶ *Secundò*: Divina natura secundùm conceptum *naturæ* nequit attingi aliquo actu, qui non sit luminis principiorum: neque creaturæ & attributa queunt attingi per aliquem actum, qui non sit scientiæ: ergo nulla est cognitio divina, quæ non sit luminis principiorum, vel scientiæ. Antecedens quoad primam partem probatur: Tum quia omnis actus certus & evidens primorum principiorum est formaliter actus luminis principiorum; sed talis est omnis cognitio divina, qua cognoscitur essentia: ergo. Tum etiam: nam actus attingens primum principium in se, & non ex alio est actus luminis principiorum, estò non attingatur, quatenus est principium aliorum: ergo essentia divina nequit cognosci sub conceptu *naturæ* nisi per lumen principiorũ. Quoad secundã partẽ probatur idem antecedens: Tum, quia omnis actus certus & evidens conclusionum in principio est actus scientiæ; sed omnis cognitio, qua Deus cognoscit attributa & creaturas, est huiusmodi, cùm qualibet cognitione cognoscat ea evidenter in sua essentia: ergo est actus scientiæ. Tum etiam: quia cognitio conclusionum in causa est scientifica; sed nulla est cognitio divina attributorum & creaturarum, quæ non sit cognitio illorum in causa vel reali, vel virtuali, nempè in essentia divina: ergo talis cognitio scientifica est.

32 Ad primam obiectionem respondetur, retorquendo illam in arguentem. Nam visio beata ita est participatio formalis scientiæ divinæ, vt simul sit participatio luminis principiorum: imò impossibilis est visio beata creata, quæ sit tantùm luminis principiorum, aut tantùm scientiæ. Ex hoc nunquid potest rectè argui: *Ergo in Deo non datur aliqua cognitio, quæ tantùm sit luminis principiorum, aut tantùm scientię*? Mala consequentia, adhuc in sententia Adversariorum, qui distingunt ratione ratiocinata lumen principiorum, & scientiam: stat ergo optimè, quòd per eandẽ visionem beatam participetur formaliter attributum luminis principiorum, & attributum scientię, & quòd ista in Deo distinguantur virtualiter adæquatè in modo dicendi illorum: ergo pariter visio beata poterit esse participatio formalis cognitionis luminis principiorum, scientiæ, & alterius, quę sit tantùm ab intellectu, quam vocamus *primordialem*, & quòd hæ cognitiones distinguantur virtualiter adæquatè in Deo. Dicimus ergo, quòd visio beata est participatio formalis beatitudinis divinæ, quæ consistit in cognitione perfectissima Dei, & creaturarum, prout stant sub intelligibilitate communi divinæ essentiæ; & hæc est propria solius intellectus;

est

est etiam participatio formalis cognitionis luminis principiorum, quæ terminatur ad essentiam vt per se notam; & est participatio cognitionis scientificæ, quæ attingit essentiam divinam reduplicativè vt radicem attributorum, & causam creaturarum. Neque inconvenit, quòd hæc prædicata inveniantur in divinis in pluribus cognitionibus virtualitèr adæquatè distinctis, & in creatis absque distinctione reali: quia aliquando contingit, quòd prædicata creata ob summam sui affinitatem cum Deo non permittant maiorem distinctionem, ac in divinis; quare lumen principiorum, & scientia in Angelis solùm distinguntur virtualitèr; sicut conceptus *essentiæ*, & *naturæ* in creatis. Ad hunc ergo modum visio beata ob sui eminentiam, vt participat intellectionem primordialem Dei, distinguitur virtualitèr, & non amplius, à seipsa vt participat cognitionem luminis principiorum; & à seipsa vt participat cognitionem scientificam.

33 Ad secundam quoad vtranque partem; & quoad omnes suas probationes: Respondetur vnico verbo, quòd aliud est cognoscere essentiam secundùm se, & vt est ratio communis intelligendi omnia; & aliud illam cognoscere reduplicativè vt per se notam; & aliud illam cognoscere reduplicativè vt radicem virtualem attributorum, & causam realem creaturarum: ipsa enim essentia divina, sub his tribus expressionibus considerata, sufficit ad constituenda tria obiecta formalitèr & adæquatè diversa; sicut eademmet essentia, prout est ratio communis agibilium, & prout est ratio communis factibilium, in opposita sententia est sufficiens ad constituenda obiecta formalitèr & adæquatè diversa, & ad distinguendas prudentiam, & artem in divinis. Item aliud est conclusiones cognosci à Deo ratione essentiæ, vt sunt cognoscibiles in communi; aliud est cognosci, reduplicativè vt illatas ex sua radice: primo modo petunt attingi à cognitione divina, quæ terminatur ad omnia intelligibilia sub ratione amplissima intelligibilis in communi; secundo modo petunt attingi ab alia cognitione magis determinata, & virtualitèr distincta à prima.

34 Hoc assumptum ex proposito probavimus, & ab obiectionibus vindicavimus; quia est fundamentum plurium quæstionum, quæ inutilitèr excitarentur, nisi doctrina hic stabilita supponeretur. Talis est: *An natura divina constituatur per* intelligere *actuale*? quæ non haberet locum, nisi supponatur dari in Deo aliquam cognitionem primordialem distinctam à cognitione luminis principiorum, & alterius cuiuscumque attributi intellectualis; cùm quodlibet attributum intellectus distinguatur virtualiter ab eo, & consequentèr à natura divina, in quocumque prædicato constituatur. Talis etiam est: *An intellectus, vel voluntas habeat in Deo rationem potentiæ*? ob prædictam enim rationem necessariò deberet distingui virtualitèr à qualibet eius intellectione. Et denique tales sunt aliæ permultæ eiusdem tenoris, quæ in hoc & sequenti tractatu solent à Theologis examinari.

§. II.

Argumentorum solutio.

35 OMnia ferè argumenta, quæ contra nostram conclusionem possunt efformari, ex dictis §. præcedenti manent præoccupata. Nihilominùs claritatis gratia arguitur *primò*: Nam *intelligere* constitutivum naturæ est formalissimè scientificum: ergo scientia Dei non distinguitur virtualitèr ab eius natura. Antecedens probatur: Illud *intelligere* est scientificum, quod attingit essentiam divinam sub ratione causæ creaturarum, & sub ratione radicis virtualis attributorum; sed *intelligere* primordiale hoc modo attingit essentiam divinam: ergo est scientificum. Minor probatur: *Intelligere* infinitum, & comprehensivum essentiæ divinæ debet illam cognoscere omnibus modis, quibus cognoscibilis est; sed *intelligere* primordiale est comprehensivum essentiæ divinæ: ergo attingit eam sub ratione causæ creaturarum, & radicis virtualis attributorum. Maior probatur: Nam ad rationem comprehensionis requiritur, quòd tota cognoscibilitas obiecti exhauriatur: ad quod opus est, quòd attingatur sub quacumque ratione & modo, quo est cognoscibile.

Hoc argumentum, si haberet aliquam vim, probaret, *intelligere* primordiale esse absque distinctione virtuali cognitionem prudentiæ, & artis, vt ex se liquet. Probaret etiam, *velle* divinum primordiale non distingui virtualitèr à *velle* misericordiæ & iustitiæ; ac proinde neque *velle* misericordiæ, & iustitiæ inter se: quia primum *velle* divinum debet esse in sua linea (vt ita dicam) comprehensivum; consequenterque, si argumentum efficax esset, deberet amare divinam bonitatem sub omni ratione & modo, quo amabilis est.

Respondetur ergò, fatendò *intelligere* primordiale esse comprehensivum divinæ essentiæ, & idem habere *intelligere* scientificum. Sed non propterea *intelligere* primordiale debet esse formalissimè *intelligere* scientificum: quia ad veram & rigorosam comprehensionem sufficit, quòd omnia, quæ sunt in Deo formalitèr & eminentèr, cognoscantur: sufficit, inquam, quòd essentia divina cum omni modo, quo cognoscibilis est, cognoscatur per modum rationis *quæ*, non verò desideratur, quòd cognoscatur cum omni modo, quo cognoscibilis est, quatenus talis modus habet rationem *subqua*. Hoc liquet clarè in scientia beata Christi Domini, &

scientia infusa, quibus comprehensivè cognoscuntur omnia entia creata supernaturalia: ad quod sane requiritur, quòd ea cognoscat secundùm omnem modum, quo petunt cognosci; nulla tamen ea cognoscit sub omni modo tanquam sub ratione *subqua*: Aliàs scientia beata, & infusa non distinguerentur realitèr; cuius oppositum supponimus.

Et si inquiras, ex qua radice oriatur, quòd *intelligere* primordiale sit infinitum & comprehensivum essentiæ, & quòd tamen possit conjungi cum *intelligere* scientifico infinito virtualiter distincto? Responsio in promptu est: quia *intelligere* primordiale, secundùm id quod importat formalissimè & ex vi suæ lineæ, non petit dicere perfectiones pertinentes ad *intelligere* in communi; aliàs (vt diximus) *intelligere* primordiale esset etiam formalissimè absque distinctione virtuali *intelligere* prudentiæ, & artis. Sufficit ergo, quòd in sua linea determinata sit infinitum, & quòd includat per transcendentiam, servando distinctionem virtualem, perfectiones alterius cuiuscumque *intelligere* pertinentis ad aliam lineam. Nam *intelligere* divinum vtsic non est taliter perfectum, vt ex vi eiusdem lineæ includat perfectiones omnes intelligendi; sed est quoddam genus ad plures lineas intelligendi, seu ad perfectiones intelligendi specie, aut quasi specie distinctas, sicut *velle* divinum ad omnes volitiones divinas.

36 Sed objicies: Una & indivisibilis scientia est sufficiens in Deo ad omne scibile: ergo vnum & indivisibile *intelligere* absque distinctione virtuali est sufficiens ad omne intelligibile sub vniversalissima ratione intelligibilitatis passivæ. ¶ Ad hoc respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia scientia divisa in plures lineas, seu quasi species scientiæ ex suo conceptu formali importat plures imperfectiones: nam si poneretur Physica distincta à Metaphysica, & Theologia, respiceret suum obiectum cum abstractione a materia singulari, non verò ab omni materia physica: hoc enim est obiectum Physicæ prout distinctæ ab alijs scientijs: Metaphysica respicit suum obiectum prout abstrahit à materia physica, non verò à materia metaphysica, quia includit aliquam potentialitatem: ab his autem imperfectionibus nequit scientia divina denudari, nisi habendo obiectum scibile sub quadam ratione vniversalissima abstrahenti ab omni materia. *Intelligere* autem divinum potest dividi in plures lineas intelligendi absque vmbra imperfectionis: quia quodcumque ita divisum est comprehensivum Dei; cum quo rectè cohæret, quòd detur vnum *intelligere*, quod sub vna ratione sit comprehensivum, & aliud sub alia. *Maximè*: quia absque aliqua imperfectione potest, & debet admitti, obiectum alicuius virtutis esse formaliter diversum ab obiecto potentiæ, & obiecta duarum virtutum eiusdem potentiæ esse inter se formaliter diversa: aliàs non haberemus firmum fundamentum, ad constituenda in Deo obiecta formaliter diversa respectu intellectus, & voluntatis, cùm quis pro suo libito posset fingere in Deo obiectum idem formalissimè adeò vniversale, vt sufficeret pro vna & indivisibili potentia, quæ esset formaliter eminenter intellectus, & voluntas.

37 Arguitur *secundò*: Esse radicalitèr scientem est de conceptu metaphysico naturę humanæ, cùm nequeat intelligi adæquatè essentia humana absque potentia radicali ad sciendum: ergo licet in natura limitata, qualis est humana, *intelligere* scientificum distinguatur realitèr ab ea, secùs verò in natura infinita, qualis est divina.

Confirmatur *primò*: Esse radicalitèr scientem est de conceptu metaphysico naturæ divinæ: ergo etiam ipsum *intelligere* actuale scientificum. Probatur consequentia: Nam quia ad conceptum metaphysicum naturę divinę pertinet intellectualitas radicalis, & hæc est in sua linea actus purus excludens omnem potentialitatem, rectè nos arguimus, *intelligere* actuale esse vltimum constitutivum naturæ divinæ; sed ratio ista etiam vrget pro *intelligere* actuali scientifico: ergo &c.

Confirmatur *secundò*: Nam intellectus divinus per modum potentiæ vniversalissimę concurrit ad actum scientificum tanquam ad actum sibi inadæquatum: ergo secundùm aliquem conceptum pertinet ad lineam propriam intellectus: ergo adæquatè. Hæc vltima consequentia patet: quia omnes conceptus reperti in *intelligere* scientifico sunt absque distinctione virtuali. Prima autem liquet in actu Philosophiæ, qui ita est habitus Philosophiæ, quòd secundùm aliquam formalitatem, saltem generícam, pertineat ad lineam propriam intellectus, tanquam obiectum eius partiale. Antecedens verò probatur: Nam si intellectus non concurreret per modum potentiæ ad actum scientificum, sequitur, quòd scientia Dei non solùm concurreret per modum virtutis, sed etiam per modum potentiæ, & misericordia etiam ad proprium actum; proindeque in Deo darentur plusquam tres potentiæ virtualitèr distinctæ, quod est inauditum.

38 Ad argumentum respondetur: Vel negando antecedens: quia esse radicalitèr scientem, seu intellectivum in natura creata non pertinet ad conceptum primarium illius, hoc est ad conceptum *essentiæ*, sed ad conceptum *naturæ*, qui virtualitèr adæquatè distinguitur à conceptu *essentiæ*, vt diximus tract. 1. disp. 2. a num. 26. Vel concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia *intelligere* scientificum ex duplici capite habet distingui à natura creata, ex eo nempè quòd non

non est actus purus; & ex eo quòd secundùm se & ex suo conceptu formali pertinet ad diversam lineam ac ipsa natura, & intellectus. Quocirca licèt ex ea parte, qua Deus est actus purus, non debeat distingui realitèr à suo *intelligere* scientifico; cæterum ex ea parte, qua scientia est alterius lineæ, ac intellectus, petit distingui virtualitèr ab illo. Quod instare valet exemplo voluntatis radicalis, & actus volendi.

Ad primam confirmationem respondetur, instando exemplo voluntatis. Nam sicut de conceptu metaphysico *naturæ divinæ* est esse radicalitèr intellectivum, ita est esse radicalitèr volitivum: Sed licebit numquid ex hoc inferri: *ergo sicut ob hanc rationem, & quia Deus est actus purus, ad constitutivum eius metaphysicum pertinet actuale* intelligere, *etiam actuale* velle? Nullo modo: ergo neque decet inferre, *intelligere* actuale scientificum pertinere ad constitutivum naturæ divinæ, ex eo quòd esse radicalitèr scientem sit de conceptu eius metaphysico. Et ratio horum est: quia prima linea Dei est essentialitèr radix omnium aliarum linearum: vnde vel fatendum est, quòd in Deo non datur nisi vna formalissima linea, contra consensum communem Theologorum: vel concedendum est, quòd ita essentialitèr radicat alias lineas, quòd distinguatur virtualitèr ab eis: Porrò linea intellectiva est prior linea sciendi, & volendi actualitèr: quocirca primum, quod concipitur in linea naturæ, est esse radicem intellectionis primordialis: & cùm Deus sit actus purus, petit quidem identificare absque distinctione virtuali vsque ad vltimam actualitatem primordialis lineæ intellectus; non tamen est contra rationem actus puri, quòd permittat distinctionem virtualem cum actibus aliarum linearum subsequentium. Videantur, quę diximus loco suprà citato num. 54.

39 Secunda confirmatio æquè vrget pro actu divinæ misericordiæ respectu voluntatis. Unde ex vi illius vel negandum est, misericordiam divinam distingui à voluntate divina; vel concedendum est, *intelligere* scientificum esse distinctum virtualitèr ab intellectu. ¶ Pro eius tamen solutione: Nota tria: primum est, neque intellectum respectu intellectionis primordialis, seu pertinentis ad suam propriam lineam, neque voluntatem respectu volitionis primordialis; neque virtutes affectivas vtriusque potentię respectu propriorum actuum habere rationem potentiæ, seu actus primi, sed esse actum purissimum absque distinctione virtuali: Ex quo necessariò infertur, quòd si voluntas (v.g.) concurrit ad actum misericordiæ, non concurrat per modum potentiæ tantùm; sed quatenus est formalitèr eminenter potentia & actus. Secundum est, quòd in actu (v.g.) misericordiæ licèt includatur per transcendentiam realem, hoc est, cum distinctione virtuali, actus volitionis primordialis, non datur in eo præter hunc actum aliqua formalitas generica correspondens voluntati per modum potentiæ, sed tantùm sua ratio quasi specifica, quæ tantùm elicitur virtualitèr ab actu primordiali divinæ voluntatis. Tertium est, quòd neque intellectus divinus, neque voluntas divina dicuntur *potentiæ vniversalissimæ*, si per hoc innuatur, quòd per modum *potentiæ* influunt formalitèr & elicitivè in actus suarum virtutum; dicuntur tamen *potentiæ vniversalissimæ* respectu eorum, quatenus ita inter se comparantur, quòd si realitèr distinguerentur à prædictis actibus, realitèr & formalitèr influerent in actus virtutum, & non econversò: vnde earum influxus solùm potest concipi ad modum influxus virtualis, ad quod sufficit, quòd ipsæ potentiæ cum suis actibus primordialibus intimè imbibantur, & communicentur actibus virtutum. Quod adeò verum est, quòd neque natura divina habet alium modum influendi in actus attributorum.

40 Sed objicies contra hanc doctrinam: Nam sicut natura divina intimè transcendit per attributa, & voluntas per actum misericordiæ, ita attributa transcendunt per naturam, & misericordia per voluntatem; & tamen hoc non sufficit, vt dicatur misericordiam influere in actum voluntatis, nec attributa in intellectionem primordialem: ergo.

Respondetur esse disparem rationem. Nam prædicata divina solùm transcendunt se adinvicem ex capite infinitatis; sed natura divina ex parte rei conceptæ concipitur vt radix vniversalis virtualis omnium suorum attributorum, sicut natura creata radicat realitèr suas proprietates: & hoc sufficit, vt dicatur naturam divinam influere virtualitèr in actus omnium attributorum: idemque contingit in voluntate respectu suarum virtutum: Cæterùm neque attributa respectu essentiæ, neque misericordia respectu voluntatis concipiuntur ex parte rei conceptæ vt radices earum: quare non intelligitur, actum misericordiæ virtualitèr influere in actum primordialem voluntatis, neque concipitur absolutè ad modum *potentiæ*, sed tantùm ad modum *virtutis*.

41 Ex his iam constat ad secundam confirmationem, necnon discrimen inter actum scientificum creatum (v.g.) Philosophiæ, & *intelligere* scientificum divinum. Actus enim scientificus creatus, vtpote constans ex genere & differentia, & distinctus realiter tàm ab habitu, quàm à potentia, potest habere duplicem formalitatem virtualitèr distinctam, & secundùm vnam, nempè genericam, correspondere intellectui, tanquam quid pertinens ad suam lineam; ab eoque procedere, vt potentia vniversalissima est, & per modum *potentiæ*: Cæterùm *intelligere* divinum, cùm sit actus purus, non habet in se hanc duplicem formalitatem: proindeque ne-

neque secundùm aliquam formalitatem pertinentem ad lineam scientificam respicit intellectum divinum, tanquam quid elicitivè & formaliter proveniens ab illo per modum potentiæ, sed tantùm virtualiter, modo suprà explicato: ad quod sufficit, quòd intellectio primordialis includatur per transcendentiam realem in illo, & quòd ex parte rei conceptæ intelligatur pro priori ad illud.

42 Ex dictis in hoc dubio potest fundamentum solidum depromi, ad cognoscendum, quæ virtutes existentes in Deo distinguantur virtualiter ab *intelligere* primordiali, & inter se. Etenim ea, quæ ex suo conceptu formali habent obiecta formaliter diversa, distinguntur virtualiter adæquatè in divinis, & hæc sunt, quorum obiectorum diversitas non desumitur ex vi alicuius imperfectionis; sed *intelligere* primordiale habet obiectum formaliter diversum à lumine principiorum, à scientia, à prudentia cum suis comitibus, & ab arte; & omnes hæ virtutes etiam habent inter se obiecta formaliter diversa: Quod fiet perspicuum discurrendo per singulas: Nam in primis *intelligere* primordiale respicit essentiam divinam, vt est intelligibilis secundùm se, & ratio altissima intelligendi omnia, quatenus præcisè sunt intelligibilia secundùm se: *intelligere* intelligentiæ, seu habitus primorum principiorum respicit eandem essentiam, vt per se notam reduplicativè: scientia respicit illam reduplicativè, quatenus est causa realis creaturarum, & virtualis attributorum, & ipsas creaturas reduplicativè, vt effectus illatos ex ea; quæ ob sui summam perfectionem, & eminentiam, & quia procedit per altissimam causam, est simul sapientia absque distinctione virtuali: ars respicit eam non reduplicativè vt causam creaturarum, sed vt rationem obiectivam recti operis adextrà: prudentia respicit illam vt rationem obiectivam rectè agibilium cum conformitate ad appetitum rectum: & quia circa agibilia tres actus rationis inveniuntur, nempè, consiliari, iudicare, & præcipere: quorum primus pertinet ad eubuliam, quæ est bene consiliativa: secundus, si fiat iuxta regulas communes, pertinet ad synesim, si præter illas, ad gnome: & tertius ad prudentiam; ideò hæ quatuor virtutes in Deo respiciunt essentiam divinam sub diversa ratione formali: Ergo omnes prædictæ intellectiones ex suo conceptu formali habent obiecta formaliter diversa, quæ sufficiunt ad distinctionem virtualem adæquatam in divinis; & in creatis ob sui limitationem ad distinctionem realem.

Pro quibus solùm nota, quòd cum in creatura perfectissima, qualis est Angelus, lumen principiorum, & scientia non distinguantur realiter, sed sint vnus indivisibilis habitus respiciens suum obiectum sub altissima quadam ratione abstrahenti à principijs, vt sunt per se nota, & vt sunt causæ suorum effectuum, seu radices suarum proprietatum, valdè probabile est, quòd hæ virtutes in Deo non distinguantur virtualiter, vt suprà dictum est. Quæ probabilitas non est tanta respectu aliarum virtutum proximè assignatarum, quia in Angelis distinguntur realiter. Si verò velis defendere, lumen principiorum, & scientiam distingui virtualiter adæquatè, quod etiam est probabile in sententia N. Salm. & aliorum, standum est doctrinæ traditæ num. 32.

DUBIUM IV.

Quodnam sit obiectum primarium scientiæ divinæ?

COntroversia hæc communis est pro *intelligere* primordiali, scientifico, & alio quocumque *intelligere* divino, vt ex dicendis constabit. Quæ tantùm procedit de obiecto primario *quod*, quia ex dictis dub. præced. maximè num. 42. satis constat ratio *subqua* cuiuscumque intellectionis divinæ. Pro cuius luce, aliqua supponenda sunt.

§. I.

Suppositiones nonnullæ.

43 SUpponendum est *primò*, Deum seipsum formaliter intelligere. Hæc suppositio est de fide. Colligitur ex illo ad Corinth. 2. vbi dicitur: *Quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei.* Et probatur *primò* ex D. Thoma 2. Contra gent. cap. 47. Deus est summè intelligibilis, & intellectus eius est summè intellectivus; sed obiectum summè intelligibile petit cognosci per intellectum summè intellectivum, vt sic detur debita proportio inter obiectum intelligibile, & virtutem intelligendi: ergo Deus seipsum intelligit. ¶ Secundò probatur ex eodem Ang. Præcept. ibidem: Nam scientia Dei est perfectissima; sed non esset perfectissima, si seipsum non cognosceret, imò esset imperfectior visione creata, quia cognitio Dei non versaretur circa nobilissimum obiectum, quod est Deus, circa quod versatur visio beata creata: ergo se cognoscit.

44 Supponendum est *secundò*, Deum seipsum non solùm quidditativè, sed etiam comprehensivè cognoscere. Hæc etiam est de fide. Colligitur ex illo Pauli 1. ad Corinth. 2. vbi ait: *Spiritus Dei omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; sed scrutari vsque ad profunda Dei est Deum penetrare vsque ad summum ipsius Dei, in quo consistit comprehensio: ergo Deus seipsum comprehensive cognoscit. ¶ Et probatur ratione: Nam ad comprehensionem rigorosam sufficit, quòd sit tanta vis cognoscendi, quanta est cognoscibilitas obiecti; sed tanta est virtus cognoscitiva Dei, quanta est eius passiva cognos-

noscibilitas, cùm procedant ex eadem immaterialitate: ergo se comprehendit.

Sed objicies: *Quod comprehendit se, finitum est sibi*, vt inquit D. Augustin. lib. 83. Quæst. quæst. 4. sed Deus est infinitus omnibus modis: ergo non comprehendit se. Hanc obiectionem sibi proponit D. Thomas in præs. art. 3. ¶ Ad quam respondetur cum eo, quòd Deus non comprehendit seipsum, tanquam includens se, ad modum quo sphæra amplior comprehendit minorem; sed quasi seipsum æquando, quatenus nihil sui lateat ipsum. Ex quo tantùm potest sequi, quòd sibi sit finitus secundùm quandam similitudinem proportionis, quia nimirùm sic se habet in non excedendo suum intellectum, sicut substantia Angeli (v.g.) in non excedendo suum intellectum. Et nil mirum, quòd intellectus infinitus æquet cognoscibilitatem Dei, quin hæc sit finita; aliàs nedum æquaret illam, sed excederet.

45 Supponendum est *tertiò*, Deum cognoscere etiam omnia alia à se distinctè, & comprehensivè secundùm proprias eorum naturas. Hæc suppositio etiam est de fide. Iuxta illud ad Hebræ. 4. *Non est vlla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Maximè cùm anteà dixisset, quòd sermo Dei pertingit *vsque ad divisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* ¶ Et probatur ratione D. Thomæ in præs. art. 5. & 6. Deus nequit perfectè & comprehensivè cognosci, quin virtus eius perfectè, & comprehensivè cognoscatur; & virtus Dei nequit perfectè & comprehensivè cognosci, quin cognoscantur perfectè & distinctè omnia, ad quę virtus eius extenditur; sed virtus Dei se extendit ad omnia possibilia, futura, & existentia secundùm naturas eorum particulares, cùm sit causa omnium: ergo cognoscit omnia alia à se distinctè & comprehensivè. ¶ Confirmatur: Cognoscere alia à se præcisè in communi, est imperfectè illa cognoscere, ideòque intellectus noster, dum priùs habens cognitionem vniversalem in communi & confuso de rebus, transit ad notitiam earum propriam & specialem, transit de imperfecto ad perfectum; sed *intelligere* Dei nequit esse imperfectum: ergo cognoscit omnia alia à se distinctè, perfectè, & comprehensivè.

46 Ex quibus colligitur *primò*, Deum cognoscere omnia possibilia sub omni modo, quo cognoscibilia sunt: quia nimirùm virtus eius se extendit ad omnia ea. Neque obstat, quòd sint infinita. Quia vt inquit D. August. lib. 12. *de Civit. Dei* cap. 18. *Quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non tamen incomprehensibilis ei, cuius scientia non est numerus.* ¶ Colligitur *secundò*, Deum cognoscere mala. Quia vt inquit D. Thomas in præs. art. 10. *Quicumque perfectè cognoscit aliquid, oportet, quòd cognoscat omnia, quę possunt ei accidere. Sunt autem quædam bona, quibus accidere potest, vt per mala corrumpantur. Unde Deus non perfectè cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala.*

Sed objicit sibi D. Thomas tria. *Primum est*: Omnis scientia vel est causa sciti, vel causatur ab eo; sed scientia Dei non est causa mali, nec causatur à malo: ergo non cognoscit mala. *Secundum*: Omne, quod cognoscitur, cognoscitur per suam similitudinem, vel per suum oppositum; sed divina essentia neque est similitudo mali, neque habet aliquod contrarium: ergo. *Tertium tandem*: Nam quod cognoscitur per aliud, imperfectè cognoscitur; sed malum non cognoscitur à Deo per seipsum, aliàs malum esset in Deo: ergo cognoscitur per bonũ, ac proinde imperfectè; quod est impossibile.

Ad primum respondet idem S. Doctor per hæc verba: *Ad secundum dicendum, quòd scientia Dei non est causa mali, sed est causa boni, per quod cognoscitur malum.* ¶ Ad secundum respondet ibidem: *Ad tertium dicendum, quòd licèt malum non opponatur essentiæ divinæ, quæ non est corruptibilis per malum, opponitur tamen effectibus Dei, quos per suam essentiam cognoscit. Et eos cognoscens mala opposita cognoscit.* ¶ Ad tertium respondet *in resp. ad* 4. vnico verbo: *Quòd cognoscere aliquid per aliud tantùm est imperfectæ cognitionis, si illud sit cognoscibile per se. Sed malum non est cognoscibile per se, quia de ratione mali est, quòd sit privatio boni. Et sic nec diffiniri, neque cognosci potest, nisi per bonum.* Ex quibus liquet, quòd Deus cognoscit omnia mala, sed non immediatè per suam essentiam, sed per bona creata, quibus immediatè opponuntur. Vide pro hoc plures obiectiones, quas adducunt N. Salm. in hoc tract. disp. 6. dub. 2. & optimè solvunt, vt moris est.

47 Supponendum est *quartò*, Deum esse obiectum saltem primarium inadæquatum principalitatis intellectionis divinæ. In hoc debent omnes Theologi conspirare. Et ratio brevis, & satis efficax est: Nam illud est obiectum principale alicuius virtutis seu potentiæ, quod attingitur per se & ratione sui, aliaque obiecta ordinantur ad ipsum; sed repugnat Deum cognosci ratione creaturarum, sicut repugnat, quòd mediet aliquid cognitum inter intellectum divinum, & ipsum Deum, aliàs in Deo non esset idem intellectus, & intellectum: & ita se cognoscit, quòd nullo modo vt cognitus per suam cognitionem subordinetur alij, sed alia subordinantur ad ipsum: ergo adminùs est obiectum principalitatis respectu divinæ cognitionis.

48 Lis autem præcipua, & non parva inter nostrates, & extraneos est, an creaturæ pertineant ad obiectum primarium alicuius intellectio-

ctionis divinæ ? Pro qua difficultate sciendum est, duplex esse obiectum (relictis alijs divisionibus, quas suprà tract. præced. dub. 2. dedimus, quæ recolendæ sunt) aliud motivum, & aliud terminativum. Obiectum motivum primarium est illud, quod immediatè movet intellectum in ratione speciei impressæ, vel per suam substantiam, vti se habet substantia Angeli respectu sui cognitionis, vel per suam similitudinem primariam, sicut intellectus noster cognoscit naturam leonis per eius speciem. Obiectum terminativum primarium est illud, quod immediatè terminat cognitionem, vel per suam substantiam, vel per sui similitudinem expressam primariò illud repræsentantem. Hinc oritur magna varietas sententiarum : *Prima tenet*, obiectum primarium intellectionis divinæ esse ens, vtsic analogicè commune Deo, & creaturis. Ita Durandus & Nominales in 1. dist. 35. quæst. 1. A quibus, velint, nolint, non multùm recedunt communiter Patres Societatis, dum asserunt, Deum cognoscere creaturas in seipsis, non in seipso ; vt constabit ex dicendis dubio sequenti. *Secunda asserit*, solùm ens increatum esse obiectum, tàm motivum, quàm terminativum primarium. Ita communiter Theologi cum Div. Thoma 1. Contra gent. cap. 48. Quæ sententia subdividitur in alias : nam Gonçalez in præs. disp. 35. num. 4. & alij aiunt, rationem *entis increati* prout ambit essentiam, attributa, & relationes esse obiectum primarium motivum, & terminativum divinæ cognitionis : à quibus non multùm recedunt Zamorensis in hac quæst. 14. art. 1. dub. 3. & Illust. Palanc. quæst. 7. Alij distinguunt inter obiectum motivum, & terminativum, & docent solam essentiam esse obiectum motivum, sed ens divinum, prout ambit omnia prædicata divina, esse obiectum primarium terminativum, vt Lisbonensis disp. 17. art. 1. §. *Prima difficultas*, Serra hìc art. 2. Ferre quæst. 2. §. 2. & alij, quos refert Carras. Alij tandem non distinguentes inter obiectum motivum, & terminativum tenent solam essentiam prout distinctam ab attributis, & relationibus esse obiectum primarium, tàm motivum, quàm terminativum. Et hæc sententia est communior inter Theologos, quos sequuntur N. Salm. in præs. disp. 3. dub. 2. quam explicabimus sequentibus assertionibus.

§. II.

Duplex Conclusio.

49 DIcendum est *primò*, creaturas nullo modo comprehendi sub obiecto primario alicuius intellectionis divinæ. Ita D. Thomas in præs. art. 3. & 5. & 1. Contra gent. cap. 48. vbi ait : *Ex præmissis autem apparet, quòd Deus primò & per se solum se ipsum cognoscit.* Et probatur ratione eiusdem S. Doctoris loco citato : Nam quælibet cognitio specificatur ab eo, quod per se primò attingit ; sed repugnat intellectionem aliquam divinam specificari à creaturis : ergo repugnat creaturas comprehendi sub obiecto primario alicuius intellectionis divinæ. Maior cum consequentia constat. Et minor probatur : Dare speciem cognitioni est exercere in illam veram, & propriam causalitatem per modum mensuræ eam nobilitantis ; sed repugnat creaturas exercere veram, & propriam causalitatem in ordine ad aliquam intellectionem divinam per modum mensuræ illam nobilitantis, aliàs dependeret verè & propriè ab eis : ergo repugnat intellectionem divinam specificari à creaturis.

Confirmatur *primò* : Quod nequit per se primò repræsentari per speciem impressam, aut expressam concurrentes ad aliquam cognitionem, nequit pertinere ad obiectum primarium, sivè motivum, sivè terminativum illius ; sed repugnat creaturas per se primò repræsentari à specie sivè impressa, sivè expressa alicuius cognitionis divinæ : ergo repugnat creaturas pertinere ad obiectum primarium alicuius cognitionis divinæ. Maior ex dictis num. præced. ad explicandam naturam obiecti primarij motivi, & terminativi satis constat. Et minor probatur : Sola essentia divina habet rationem speciei impressæ, & expressæ respectu cuiuscumque intellectionis divinæ ; sed implicat essentiam divinam repræsentare per se primò creaturas : ergo repugnat creaturas per se primò repræsentari à specie sivè impressa, sivè expressa alicuius cognitionis divinæ. Minor probatur : Tum quia omnis species repræsentans per se primò aliquod obiectum, vel est in vi identitatis cum eo, vel in vi perfectæ similitudinis cum illo ; sed essentiæ divina neque identificatur cum creaturis, neque est perfecta similitudo earum in vllo *esse*, aut ordine, sed est tantùm similitudo analoga : ergo implicat, creaturas repræsentari per se primò ab essentia divina. Tum etiam : Species debet esse eiusdem immaterialitatis cum obiecto per se primò repræsentato ; sed repugnat creaturas esse eiusdem immaterialitatis cum essentia divina, vnita cum intellectu divino per modum speciei, & verbi : ergo &c. Tum denique : Species est virtus obiecti per se primò repræsentati ; sed implicat in terminis, quòd essentia divina concurrat ad aliquam intellectionem divinam, vt virtus alicuius entis creati : ergo &c. *Adde* : Quod est per se primò intelligibile, aut intellectum, saltèm sub *esse* intelligibili, debet esse perfectio intellectus : si ergo creaturæ per se primò repræsentarentur ab essentia divina, in illa continerentur per se primò, saltèm sub *esse* intelligibili, essentque perfectio intrinseca intellectus divini.

50 Ex quibus præclusa manet communis

eva-

evasio præcipuæ rationis: quæ asserit, obiectum non specificare intrinsecè, sed extrinsecè intellectionem; & nullum est inconveniens (ait) in eo, quòd intellectio divina specificetur ab aliquo creato extrinsecè. ¶ Ex dictis, inquam, præcluditur hæc evasio: Tum quia obiectum per se primò repræsentatum à specie, sivè impressa, sivè expressa, continetur intrinsecè secundùm sua prædicata formalia in illis: ergo creaturæ non solùm extrinsecè, sed etiam intrinsecè cognitionem divinam specificarent. Tum etiam: quia estò obiectum intellectionis solùm extrinsecè eam specificet, hæc tamen nequit non dicere relationem aliquam transcendentalem ad illud; sed repugnat intellectionem divinam dicere ad creaturas aliquam relationem transcendentalem, quia argueretur ex ea evidenter dependentia vera, & realis ab eis: ergo nequit specificari à creaturis.

51 Dicendum est *secundò*, obiectum per se primum tàm motivum, quàm terminativum cuiuslibet intellectionis divinæ esse solam divinam essentiam, vt virtualiter distinctam ab attributis, & relationibus. Secunda pars colligitur ex prima: Tum quia, vt inquit D. Thomas 1. Contra gent. cap. 28. *Illa solùm res est primò & per se ab intellectu cognita, cuius speciem intelligit.* Et in præs. art. 5. ad 3. *Ipsum intelligere non specificatur per id, quòd in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. Intantùm enim ipsum intelligere specificatur per obiectum suum, inquantùm forma intelligibilis est principium intellectionis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quę est principium operationis, sicut calefactio per calorem. Vnde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu. Et hęc est species principalis intellecti, quæ in Deo nihil est aliud, quàm essentia sua*: ergo si sola essentia vt distincta ab attributis, & relationibus est obiectum motivum primarium cuiuscumque intellectionis divinæ, etiam erit obiectum per se primò terminativum, & consequenter specificativum illius. *Tum etiam*: Obiectum per se primò motivum, & terminativum cuiuscumque intellectionis debet habere eandem indivisibilem mensuram, quæ est obiectum per se primò repræsentatum: ergo si sola essentia divina gerit munus speciei, vt est repræsentativa per se primò tantùm ipsius Deitatis vt distinctæ virtualiter ab attributis, & relationibus, etiam ipsa solà essentia vt actu intellecta, hoc est, prout gerit munus verbi, seu obiecti actu terminantis intellectionem, tantùm repræsentabit per se primò ipsam Deitatem, vt distinctam ab eisdem attributis, & relationibus. *Tum denique*: Quia species impressa, & expressa cuiuscumque intellectionis debent convenire in eodem gradu immaterialitatis; sed hoc stare non potest, si essentia sola est obiectum motivum & essentia cum attributis, & relationibus est obiectum per se primò terminativum, siquidem obiectum motivum esset adeò immateriale, quod esset suum *esse* absque distinctione virtuali; quod non haberet obiectum terminativum, vt ex se liquet: ergo si sola essentia est obiectum motivum, sola etiam debet terminare divinam intellectionem.

Adde: Nam si sola essentia, secundùm quòd per se primò seipsam tantùm repræsentat, est obiectum per se primò motivum, & non terminativum, in ea conciperetur aliqua potentialitas; cùm id, quod est intelligibile in actu primo, sit in potentia ad *esse* actu intellectum per verbum, & tunc casus ipsa essentia, vt gerit munus verbi, & vt repræsentativa per se primò soliùs essentiæ, non sufficeret ad repræsentanda attributa, & relationes, sed deberet actuari per intelligibilitatem in actu secundo attributorum, & relationum; hoc nequit concedi essentiæ divinæ, vt est intelligibilis, cùm sit actus purissimus in hac linea, sicut in alijs: ergo si sola essentia movet, sola terminat.

52 Prima pars, & præcipua huius conclusionis probatur ratione: Nam sola essentia secundùm suam substantiam vnitur per modum speciei, seipsam solam per se primò representat in ordine ad intellectionem primordialem: ergo respectu illius sola essentia, vt distincta ab attributis, & relationibus, habet rationem obiecti motivi: ergo etiam respectu cuiuscumque intellectionis. Hæc vltima consequentia rectè deducitur ex prima: Tum quia non est ratio, cur si ipsa essentia, vt repræsentans tantùm per se primò per modum speciei seipsam, & secundariò attributa, sufficit ad intellectionem primordialem, quæ est cognitio perfectissima sui ipsius, & omnium quæ formaliter, & eminenter sunt in Deo, non sufficiat ad aliam quancumque intellectionem. Tum etiam: nam in Deo propter suam infinitatem non datur, nisi vna scientia, vna omnipotentia, vna providentia, vnum verbum notionale: ergo neque debet dari nisi vnica formalissima species, & vnicum formalissimum verbum essentiale.

53 Antecedens verò probatur: Attributa, & relationes secundùm suam substantiam non vniuntur intellectui divino per modum speciei in ordine ad intellectionem primordialem; aliàs neque sunt obiectum per se primò representabile ab essentia divina vnita per modum speciei: ergo sola essentia divina vnitur per suam substantiam per modũ speciei, & seipsam solam per se primò repræsentat. Maiorem probo (deindè probaturus minorem) Tum quia substantia angelica est sufficiens ad repræsentandas suas proprietates, quin ad cognitionem sui comprehensivam desideretur vnio suarum proprietatum per modum speciei cum proprio intellectu: ergo attributa, & rela-

relationes secundùm suam substantiam non vniuntur per modum speciei. Patet consequentia: quia non minùs perfectè continet per modum radicis essentia divina sua attributa & relationes, quàm essentia Angeli suas proprietates: ergo si hæc sufficit ad repræsentandas proprietates angelicas, etiam essentia divina. *Tum etiam*: Quia Deus continet per modum causæ eminentis creaturas, potest repræsentare seipsum & creaturas; sed essentia divina est radix virtualis, & eminentialis suorum attributorum, & relationum: ergo potest per modum speciei repræsentare seipsam, & alia prædicata divina. *Tum deinde*: Species divina non debet esse minùs simplex quàm intellectus, vel intellectio divina; sed intellectus est simplicissimus in se absque distinctione virtuali: ergo species deserviens intellectui, seu intellectioni primordiali etiam est simplicissima absque vlla distinctione virtuali, proindeque non integratur ex essentia, & attributis. *Tum insuper*: Si attributa, & relationes haberent rationem speciei per suasmet entitates, darentur in Deo tres species realitèr distinctæ, sicut dantur tres relationes realitèr distinctæ; sed hoc est non minùs inconveniens, quàm concedere tres intellectus realit r distinctos: ergo. *Tum denique*: Nam species petit præcedere intellectionem, in eamque influere realitèr, si distinguitur realitèr ab ea; virtualitèr, si distinguatur virtualitèr; sed hoc repugnat volitioni respectu intellectionis primordialis, cùm potiùs volitio procedat quoddammodò ab intellectione saltem tanquam à regulante; & non minùs relationibus, de quarum ratione est, quòd sint posteriores prædicatis omnibus absolutis: ergo attributa, & relationes non vniuntur per modum speciei ad intellectionem primordialem.

54 Adde *primò*: Si attributa, & relationes haberent per suasmet entitates rationem speciei, iam Verbo divino communicarentur formaliter, cùm Verbo divino communicetur formalitèr omne id, quod habet rationem speciei, & verbi communitèr dicti; sed hoc implicatorium est saltem de relationibus: ergo &c. ¶ Adde *secundò* ex principijs nobis, & Ioanni à Sancto Thoma familiaribus: Nam sicut intellectio primordialis pertinet ad lineam primariam naturæ divinæ, ita species: ergo petit identificari absque distinctione virtuali cum intellectione primordiali; sed hoc stare non potest, si ad rationem speciei ingrediuntur attributa, & relationes, vt ex se liquet: ergo sola essentia habet rationem speciei. Quocirca D. Thom. in præs. art. 4. ait: *Et sic patet ex omnibus præmissis, quòd in Deo intellectus, intelligens, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt* (perpende verba) *omnino vnum, & idem*. Et art. 2. ait: *Cum igitur Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit actus purus, oportet, quod in eo intellectum, & intellectus sint idem omnibus modis.*

55 Explicatur *primò*: Intellectus vnitur cum obiecto suo primario, tàm in actu primo, media specie, quàm in actu secundo, medio verbo: ergo intellectus, & intellectio perfectissima petunt illud obiectum primarium, tàm motivum, quàm terminativum, cum quo possint habere vnionem adeò perfectam, vt alia maior excogitari non possit; sed hæc aliter non fit, nisi per identificationem omnimodam cum illo, quam tamen cum attributis, & relationibus habere non potest: ergo sola essentia; hoc est ipsa intellectio primordialis, in qua consistit essentia, est obiectum motivum, & terminativum sui ipsius. *Explicatur secundò*: Intellectus, species, intellectio, & obiectum per se primò & connaturalissimè intellectum debent convenire in eodem gradu immaterialitatis; sed intellectus & intellectio primordialis sunt adeò immateriales, vt sint suum *esse* absque distinctione virtuali: ergo etiam species debet esse suum *esse* absque distinctione virtuali: Tunc sic; sed tanta identificatio & immaterialitas non habet locum in attributis, & relationibus, vt ex se liquet: ergo non vniuntur per modum speciei.

56 Ex quibus facilè probatur prima illa minor adducta num. 53. Tum quia substantia angelica ita vnitur per suam entitatem in ratione speciei cum proprio intellectu, & in ordine ad intellectionem sui, quòd per se primò repræsentet seipsam, & secundariò suas proprietates: ergo etiam essentia divina vnita per modum speciei poterit repræsentare per se primò seipsam, & secundariò attributa, & relationes. Tum etiam: quia si essentia divina per se primò repræsentaret attributa, & relationes, iam intrinsecè contineretur in ea saltem sub *esse* intelligibili, & intentionali, cùm de ratione obiecti primariò repræsentati sit contineri in specie vel entitativè, vel sub *esse* intentionali; sed hoc est impossibile, aliàs Verbum divinum evaderet simile Paternitati: ergo. Tum denique: nam species per se primò repræsentans aliquod obiectum debet convenire cum eo in gradu immaterialitatis; sed essentia divina non convenit cum attributis, & relationibus in gradu immaterialitatis, cùm sit suum *esse*, tàm physicum, quàm intelligibile absque distinctione virtuali, secùs verò attributa, & relationes: ergo.

§ III.

Argumenta contra secundam conclusionem.

57 PRoponimus priùs in hoc §. argumenta contra secundam conclusionem, quia argumenta contra primam maiorem connexionem habent cum dicendis dubio sequenti.

Arguitur ergo *primò*: Obiectum tàm motivum, quàm terminativum primarium intellectionis primordialis est ens divinum, prout abstrahit ab essentia, attributis, & relationibus: ergo etiam respectu cuiuscumque intellectionis divinæ. Consequentia videtur legitima propter dicta num. 32. Et antecedens probatur *primò*: Nam intellectio perfectissima, qualis est primordialis, debet habere obiectum perfectissimum primarium tàm motivum, quàm terminativum; sed tale est ens divinum abstrahens ab essentia, attributis, & relationibus, quia vt diximus dub. præced. num. 35. ens divinum sic abstrahens est omnibus modis infinitum, & sola essentia est tantùm infinita in determinata linea: ergo &c. *Secundò*: In intellectione primordiali consistit formaliter beatitudo Dei; sed obiectum primarium beatitudinis est ens divinum abstrahens ab omni prædicato divino, cùm sit summum bonum: ergo &c. *Tertiò*: Obiectum primarium voluntatis divinæ est ens divinum abstrahens ab essentia, attributis, & ralationibus: ergo etiam respectu intellectionis primordialis. Patet consequentia: quia non minùs est de ratione beatitudinis respicere per se primò summum bonum, ac de ratione voluntatis.

Confirmatur *primò*: Attributa, & relationes habent ex se, quidquid requiritur ad rationem speciei, & verbi respectu cuiuscumque intellectionis divinæ: nam sunt actus purus, habent propriam intelligibilitatem passivam proportionatam cum illa, & cum ea intimè vnita, quæ sunt illæ tres conditiones suprà tract. præced. disp. 2. num. 3. & num. 91. desideratæ, vt aliquid per seipsum possit exercere rationem speciei, & verbi: ergo pertinent ad obiectum primarium tàm motivum, quàm terminativum intellectionis divinæ.

Confirmatur *secundò*: Essentia divina prout in se habet rationem speciei, & verbi respectu cuiuscumque intellectionis; sed prout in se est attributa, & relationes: ergo etiam attributa, & relationes habent rationem speciei, & verbi. *Augetur*: Nam quia essentia prout est in se videtur à beatis, arguunt rectè Thomistæ, quòd nequit videri essentia sine attributis, & relationibus: ergo neque potest vniri per modum speciei sine illis.

58 Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad primam eius probationem dicendum est, quòd obiectum primarium intellectionis primordialis non petit esse summè perfectum in *esse rei*, sufficit enim, quòd sit perfectissimum in *esse obiecti*: Licèt autem ens divinum, vt ambiens essentiam & attributa, sit perfectius in *esse rei* quàm sola essentia; essentia tamen sola est perfectior in *esse obiecti*. Et ratio est evidens: Nam maior perfectio obiecti in *esse rei* solùm consistit in eo, quòd claudat sub se plures perfectiones, sed ad maiorem perfectionem obiecti, in *esse obiecti*, solùm conducit maior immaterialitas: Constat autem, quòd essentia divina sola est maioris immaterialitatis, quàm ens divinum vt ambiens eandem essentiam, attributa, & relationes: quia sicut immaterialitas Dei consistit in eo, quòd sit actus purus, nullam permitens potentialitatem, & ob hoc excedit omnes immaterialitates creatas; ita immaterialitas Dei, quæ taliter est suum *esse*, & actus purus, vt nullam permittat distinctionem, qualis est immaterialitas essentiæ divinæ, excedit immaterialitatem entis divini communis analogicè essentiæ, & attributis, quia permittit distinctionem virtualem. *Ad secundam*: Respondetur, quòd ad rationem beatitudinis, sivè creatæ, sivè divinæ, solùm desideratur, quòd attingat, & possideat summum bonum; quod duobus modis potest fieri, vel ita quòd attingat per se primò totum summum bonum; vel ita quòd summum bonum eminentiale, quale est essentia divina, attingat primariò, & perfectiones attributorum secundariò: quocumque enim ex his duobus modis attingatur summum bonum, sufficit ad beatitudinem perfectam. Nos tamen dicimus, quòd beatitudo, sivè creata, sivè divina, solùm petit summum bonum illo secundo modo: ad quod dicendum satis nos movent rationes adductæ pro nostra conclusione. *Ad tertiam*: Respondetur, concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia ad perfectionem obiecti voluntatis non tantùm attenditur maior, aut minor immaterialitas illius in *esse obiecti*, quantùm maior, aut minor perfectio obiecti in *esse rei*; econtrà verò maior, aut minor perfectio obiecti intellectus potiùs attenditur ex maiori, vel minori immaterialitate illius, prout est intra intellectum, quàm ex maiori, vel minori perfectione, quam habet in se: Eo quòd proprium sit voluntatis ferri ad obiectum, prout est extrà in se, sicut & intellectus ferri ad obiectum prout modo immateriali est intra ipsum. Unde, quia voluntas divina est appetitus perfectissimus, debet tendere per se primò ad summum bonum prout est in se; ad quod omninò desideratur, quòd includat bonitatem & perfectionem essentiæ, & attributorum: Cæterùm, cùm immaterialitas essentiæ sit maior, quàm immaterialitas entis divini ambientis essentiam, & attributa, perfectiori modo cognoscuntur attributa, si cognoscantur ratione essentiæ, quàm si cognoscerentur per se primò & ratione sui. ¶ Vnum tamen nota pro hoc argumento, & suis confirmationibus, quòd ex eis saltem sequitur, quod relationes non pertineant ad rationem obiecti primarij intellectionis primordialis: quia ex vi suæ lineæ neque habent specialem immaterialitatem, distinctam ab immaterialitate essentiæ, & attributorum, vt dicemus in tract. *de Trinit.* neque ratione sui constituunt summum bonum:

quia carent omni bonitate, pertinente ad propriam lineam.

59 Ad primam confirmationem respondetur, quòd, vt aliquid per seipsum possit vniri per modum speciei & verbi, non sufficit, quòd habeat intelligibilitatem intrinsecam per modum actus puri vtcumque, sed vltrà requiritur, quòd vel sit maior, vel adminùs tanta, quanta est intellectualitas intellectus. Intelligibilitas autem essentiæ est talis, quòd convenit cum intellectu divino in gradu immaterialitatis: nam sicut illa est actus purus, & suum *esse* absque distinctione virtuali, ita intellectus, cùm natura divina constituatur per *intelligere* actuale. Et cùm essentia divina sufficiat ad repræsentanda omnia divina, non minùs propriè ac essentia Angeli suas proprietates, inde est, quòd ex nullo capite attributa, & relationes debent exercere per suasmet entitates rationem verbi. *Accedit ex dictis*: quòd cùm attributa, & relationes possint repræsentari per essentiam divinam, repugnat eis esse intelligibiles ratione sui, propter dicta tract. præced. disp. 2. num. 98. *Adde* (ne solutionem huius confirmationis coarctemus iuxta specialem nostram opinionem circa constitutivum naturæ divinæ) quòd intelligibilitas intrinseca attributorum est talis, quod radicetur, & contineatur in intelligibilitate divinæ essentiæ: Et hoc sufficit, vt sola essentia divina repræsentet seipsam per se primò, & secundariò sua attributa, sicut substantia Angeli repræsentat primariò seipsam, & secundariò suas proprietates.

60 Ad secundam respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem, si ly *prout est in se* indicet, quòd attributa, & relationes habent rationem speciei: quod desiderabatur, vt ex hoc argueretur, quòd etiam attributa & relationes habent rationem speciei respectu cuiuscumque intellectionis divinæ, & visionis beatorum. Pro quo nota, aliud esse naturam divinam, prout est in se, esse attributa & relationes; aliud attributa & relationes exercere rationem speciei per suasmet entitates virtualiter distinctas à natura, quia natura prout in se habet rationem speciei: nam primum est verum; secundum autem falsum: Sicut verum est, quòd intellectus divinus, prout est in se, sit voluntas divina; sed falsum, quòd voluntas generet Verbum divinum, ex eo quòd intellectus prout est in se illud generat. Ad hoc enim vt verificetur, quòd intellectus, prout est in se, generat, estò voluntas non generet; sufficit distinctio virtualis; qua suppositâ, vnaquæque potentia formaliter præstat id, quod est propriæ lineæ, ac si essent realiter distinctæ. Hac eadem ratione, essentia prout est in se communicatur filio, & non Paternitas, estò prout est in se sit ipsa Paternitas.

Ad augmentum difficultatis respondetur, quòd ratio cur, visa essentia prout in se, videntur necessariò attributa, & relationes, est, quia ex vna parte non distinguntur realiter; & ex alia conveniunt in vna ratione communi visibilitatis, quia reipsà omnia hæc visibilia sunt. Sed munus speciei est proprium intelligibilitatis primariæ, qualis est intelligibilitas essentiæ divinæ, & substantiæ angelicæ; intelligibilitas autem essentiæ, vtpotè radicans & continens intelligibilitatem attributorum, sufficit ad repræsentanda seipsam primariò, & attributa secundariò. Et ob hanc rationem soli naturæ divinæ competit reipsà conceptus speciei, & prout est in se exercet munus speciei, estò attributa non exerceant; non minùs propriè ac solus intellectus prout est in se reipsà intelligit & non voluntas, licèt intellectus reipsà sit ipsa voluntas.

61 Arguitur *secundò*: Si attributa, & relationes non pertinerent ad rationem obiecti primarij intellectionis divinæ, essent obiectum secundarium, sicut creaturæ; sed hoc dici non potest, cùm perfectiùs cognoscibilia sint, quàm creaturæ: ergo &c. ¶ Confirmatur *primò*: Obiectum primarium intellectus divini debet esse supernaturale; sed Deus, vt vnus, non est supernaturalis, cùm possit cognosci lumine naturæ: ergo &c. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam ens, logicè commune creato, & increato, est specificativum intellectus creati: ergo etiam ens divinum logice commune omni prædicato divino est specificativum intellectus divini. Patet consequentia, tum à paritate: tum quia non est ratio, cur ens, commune creato, & increato, distinguat intellectum creatum ab increato, & quòd ens divinum commune non distinguat intellectum divinum ab intellectu creato.

Ad argumentum sunt, qui respondeant, quòd attributa, & relationes sunt obiectum primarium intellectus divini, non formale, sed materiale, ad modum quo homo, & equus sunt obiectum primarium materiale nostri intellectus: ad quod sufficit, quòd essentia includatur per transcendentiam in illis. ¶ Hæc solutio in primis vel distinguit inter obiectum primarium motivum, & primarium terminativum; vel attributa divina etiam sunt obiectum primarium motivum materiale. Quod neque concedunt Adversarij, neque percipimus. *Deindè*: Ideò homo, & equus sunt obiectum materiale primarium intellectus creati, quia continentur sub ente vtsic, tanquam sub ratione communi analoga; sed essentia divina non sic comparatur ad attributa, & relationes, sed tantùm per modum radicis virtualis: ergo aliter attributa, & relationes pertinent ad obiectum materiale intellectus divini, ac homo & equus ad obiectum materiale intellectus creati.

Melius ergo respondetur, notando priùs, quòd obiectum materiale potest esse in triplici diffe-

differentia: Aliud enim est ita materiale, quod continetur directè & subiectivè sub ratione specificativa potentiæ: & hoc obiectum potest esse primarium materiale tàm motivum, quàm terminativum; quo pacto se habent homo, & equus respectu nostri intellectus, & albedo respectu visus. Aliud ita est materiale, quòd nullo modo identificatur cum obiecto formali; quo modo se habent creaturæ respectu intellectus divini: & hoc in toto rigore est obiectum secundarium, adhuc terminativum. Aliud est medium inter hæc duo; quòd identificatur realiter cum obiecto formali, ob quam rationem comparatur vt modus, & affectio intrinseca illius, sicut proprietates entis comparantur ad ens: & quod ita se habet, pertinet quodammodò ad obiectum primarium, non verò propriè specificat, sed est modus obiecti primarij motivi, & terminativi, seu specificativi: Et ad hunc modum attributa, & relationes sunt obiectum materiale; & ideò non dicenda sunt obiectum secundarium respectu intellectus divini, sicut creaturæ.

Ad primam confirmationem respondetur, Deum vt vnum esse obiectum supernaturale. Quod ex duplici capite venari queit: quia nimirùm visio intuitiva Dei, vt est vnus, est supernaturalis non minùs propriè, ac visio Dei vt est trinus: Et quia estò repugnaret trinitas personarum, adhuc Deus posset se communicare per gratiam supernaturalem, sivè accidentalem, sivè substantialem. Verùm quidem est, quòd Deus vt vnus potest cognosci viribus naturæ, quoad *an est*: Sed hoc evenit, quia Deus etiam est Author naturæ, & sub hac expressione non explicat supernaturalitatem. ¶ *Ad secundam*: Respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio diversitatis est: quia intellectus creatus, vtpotè potentia vniversalis, simulque potentialis, petit pro obiecto specificativo ens in communi communitate in essendo, & prædicando: quæ communitas est imperfecta, & quodammodò potentialis, & sic datur debita proportio inter intellectum, & eius obiectum primarium. Econtrà, quia intellectus divinus est actualissimus, petit pro obiecto ens summe actuale, & vniversale in causando, & continendo: & huiusmodi est essentia divina prout distincta virtualitèr ab attributis; quæ continet realitèr creaturas, & attributa virtualitèr. Per quod constat ad primam probationem consequentiæ. *Ad secundam*: Respondetur, quòd essentia divina, prout est communis in continendo tàm creaturas, quàm attributa, sufficienter distinguit intellectum divinum à creato, sicut ipsa distinguit per se primò Deum à creaturis, & non attributa & relationes.

62 Arguitur *tertiò*: Attributa, & relationes sunt eiusdem immaterialitatis cum essentia: ergo pertinent ad specificativum intellectus divini. Antecedens probatur: Tum quia proprietates angelicæ sunt eiusdem immaterialitatis cum sua essentia, ob quam rationem pertinent ad obiectum primarium proprij intellectus: ergo etiam attributa divina. Patet consequentia: nam perfectiora sunt attributa divina in suo ordine; quàm proprietates angelicæ. *Tum etiam*: quia attributa, & relationes pertinent ad aliquem gradum; sed non pertinent ad aliquem gradum creatum: ergo ad gradum divinæ essentiæ. *Tum denique*: quia gradus divinus est suum *esse*, seu actus purus cum exclusione omnis potentialitatis, ad quem de materiali se habet aliquis excessus, sicut in immaterialitatibus Angelorum; sed attributa & relationes sunt actus purus cum exclusione omnis potentialitatis: ergo pertinent formalitèr ad eundem gradum cum essentia divina.

Et confirmatur: Nam ens divinum, prout ambit essentiam, attributa, & relationes, est obiectum primarium saltèm scientiæ divinæ, & cuiuslibet cognitionis attributalis: ergo assertio nostra non est vniversaliter vera. Antecedens probatur: Tum quia conclusiones non possunt excludi ab obiecto specificativo scientiæ; sed attributa, & relationes se habent vt conclusiones essentiæ divinæ: ergo. Tum etiam: quia scientia divina omnibus modis convenit in gradu immaterialitatis cum ente divino in communi: quia sicut hoc ita est suum *esse*, & actus purus, vt permittat distinctionem virtualem cum *esse* Dei, sic scientia.

63 Ad argumentum respondetur, distinguendo antecedens: *sunt eiusdem immaterialitatis cum essentia* ratione ipsius essentiæ, quam per transcendentiam includunt, concedo antecedens; ratione eius quod afferunt ex proprijs lineis, nego antecedens: & negatur consequentia. Vel aliter: *sunt eiusdem immaterialitatis* per se primò, nego antecedens; non omninò per se primò, concedo antecedens: & negatur consequentia. Nam gradus immaterialitatis proprius Dei est ille, qui per se primò essentiæ, & eius intellectui convenit, sicut accidit in substantia angelica, & eius intellectu, & in alia quavis natura, & eius potentia cognoscitiva: Et huiusmodi gradus divinus est talis, qui propter summam perfectionem essentiæ sit suum *esse* absque distinctione virtuali: quod nequit competere attributis, & relationibus.

Ad primam probationem antecedentis, concesso antecedenti; negari debet consequentia, propter duplicem disparitatem. *Prima est*: quia intellectus quilibet debet dimanare cum eodem gradu immaterialitatis à sua radice, cùm constituat illam proximè intellectivam: quare intellectus divinus pertinet per se primò ad gradum immaterialitatis divinæ essentiæ. Aliter se habent attributa, & relationes: quæ cùm non constituant naturam proximè, & absolutè in-

te lectivam, non petunt habere tantam immaterialitatem, ac ipsa essentia Dei metaphysicè considerata. *Secunda est*: quia immaterialitas angelica non est tanta, vt non permittat aliquam potentialitatem, proindeque divisibilitatem: & ob hanc rationem intra eundem gradum pro formali datur locus ad plures immaterialitates specie materiali se excedentes, & vt proprietates angelicæ sint in eodem immaterialitatis gradu. Cœterùm immaterialitas divina constitutiva gradus, talis debet esse, quòd conveniat per se primò essentiæ: quare debet esse talis conditionis, vt sit suum *esse* absque distinctione virtuali; & hoc per se & ratione sui nequit competere attributis & relationibus, sed prout includunt essentiam. At quia ex summa eorum perfectione oritur, quòd includant essentiam per transcendentiam, ex eadem summa perfectione oritur, quòd per se secundò pertineant ad gradum immaterialitatis essentiæ: Et sic non sunt perfectiores proprietates angelicæ in suo ordine, ac attributa & relationes in suo. Per quod satis liquet ad cœteras probationes.

64 Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Et ad eius primam probationem satis constat ex dictis num. 17. *Ad secundam*: Dicendum est, quòd ens divinum, prout ambit essentiam, attributa, & relationes, non constituit specialem gradum immaterialitatis pro formali, sed tantùm essentia divina: Vnde soli illi convenit per se primò esse intelligibilem, & actu intellectam à quavis intellectione divina; & cœteris formalitatibus divinis non nisi ratione ipsius essentiæ. ¶ Neque ex hoc infertur, scientiam divinam convenire per se primò in eodem gradu pro formali cum essentia. Non, inquam, infertur: quia virtus intellectiva solùm petit esse formaliter & per se primò in eodem gradu immaterialitatis cum illo obiecto primario, quod est omninò & per se primò connaturalissimum: essentia autem divina, licèt sit obiectum connaturale scientiæ divinæ, quia non habet aliud obiectum connaturalius: non tamen est obiectum illi omninò connaturalissimum; neque primarium, taliter quòd petat illam terminare, tanquam cognitionem primariam sui, sed tanquam cognitionem quasi secundariam, supponentem aliam cognitionem, scilicèt primordialem, quæ, priusquàm alia quæcumque cognitio, respicit illam vt obiectum connaturalissimum: Ob quam rationem essentia divina non est obiectum connaturalissimum visionis Beatorum, estò sit primarium: quia nimirùm supponit cognitionem divinam (cuius est participatio) respiciens illam vt obiectum primarium, & omninò connaturalissimum.

§. IV.

Argumenta Durandi contra primam conclusionem.

65 CONtra primam conclusionem arguit *primò* Durandus: Nam obiectum intellectionis perfectissimæ debet esse perfectissimum; sed ens vt abstrahens à creato, & increato est perfectius in ratione *obiecti*, quàm ens præcisè divinum. ergo. Minor probatur: Nam eò obiectum est perfectius, quò est vniversalius; sed ens vt abstrahens à creato, & increato est vniversalius: ergo est perfectius. Maior probatur: Obiectum eò est perfectius, quò abstractius; sed obiectum vniversalius est abstractius: ergo perfectius.

Ad hoc argumentum respondetur, quòd obiectum eò est perfectius, quo est vniversalius & abstractius abstractione formali, non verò abstractione totali, seu logicali: abstractio autem formalis non est abstractio ab inferioribus, sed à materia: Vnde illud obiectum erit perfectissimum, quod abstrahit ab omni materia, tàm physica, quàm metaphysica, hoc est, quod positivè excludit omnem potentialitatem, quia hoc obiectum immaterialius est. Ens abstrahens à creato, & increato, licèt sit vniversalius primo modo, non tamen secundo: quia estò includat ens divinum, quod excludit omnem materiam, non tamen excludit ens creatum, quod habet aliquam potentialitatem. Vnde ex terminis immaterialius est ens divinum, excludens positivè omnem potentialitatem, & consequenter perfectius in ratione *obiecti*, quàm ens abstrahens à creato, & increato: Ob quam rationem Theologia, quæ agit per se primò tantùm de Deo, habet obiectum immaterialius & perfectius, quàm Metaphysica. Fatemur tamen, obiectum abstractius fundamentaliter abstractione totali, quæ in ratione *obiecti* coincidit cum abstractione formali, propter dicta disp. præced. num. 18. cæteris paribus, esse perfectius in ratione obiecti, quia est immaterialius: quare Metaphysica est perfectior Physica, sensus interni sunt perfectiores sensibus externis, & intellectus sensibus internis, & voluntate: Et ob eandem rationem Logica est imperfectior omni alia scientia, quia scilicet eius obiectum abstrahit ab omni materia physica, & reali negativè. Cœterùm obiectum, quod abstrahit ob summam sui perfectionem negativè ab omni materia tàm physica, quàm metaphysica, per positivam exclusionem entis creati seu potentialis, perfectius debet esse in ratione obiecti: Et hoc assignari debet pro intellectu divino, vtpotè perfectissimo.

Vel aliter potest responderi: Dicendo, quòd obiectum eò est perfectius, quò vniversalius,

lius, non in essendo, aut prædicando, sed in continendo & causando. Et ratio est: quia obiectum, quòd est vniversalissimum in continendo & causando, vt est essentia divina, est ratio cognoscendi vnicè simplicissimo actu omnia perfectissimo modo, hoc est, sub omnibus modis quò cognoscibilia sunt. Quod verò est vniversalius in essendo, non est ratio cognoscendi omnia sub omnibus modis, quò cognoscibilia sunt, neque vnico simplicissimo actu: vt liquet in Metaphysica, quę non descendit ad attingendum ens mobile sub eà ratione, qua illud attingit Physicus: neque intellectus angelicus attingit omnia creata, & divina vnico actu, neque vnica specie. Unde pro obiecto primario intellectus divini non debet designari ens abstrahens à creato, & increato, quod est vniversalius in prædicando, sed ens determinatè increatum, quod est vniversalius in causando, & ratio cognoscendi perfectissimè omnia.

66 Arguitur *secundò*: Obiectum formale intellectus divini debet sub se continere omnia, quæ cognoscere potest, sicut obiectum intellectus creati, & alterius cuiuscumque potentiæ continet omnia, quæ intellectus, & quælibet alia potentia attingit; sed solum ens in communi continet sub se omnia, quæ intellectus divinus attingit: ergo ens abstrahens à creato, & increato est obiectum formale intellectus divini.

Ad hoc argumentum respondetur ex dictis, quòd obiectum formale debet continere sub se, vel causaliter, vel logicè omnia, quæ intellectus divinus, vel alia potentia attingit. At, sicut ex imperfectione intellectus creati oritur, quòd eius obiectum contineat sub se logicè omnia, quæ cognoscit, quia eius obiectum permittit aliquam potentialitatem; ita econversò ex perfectione summa intellectus divini oritur, quòd eius obiectum formale contineat omnia, quę cognoscit, eminentiori modo, nempè in causando.

67 Arguitur *tertiò*: Ens in communi cognoscitur à Deo primariò, & ratione sui: ergo ens, vt abstrahens à creato, & increato, est obiectum primarium intellectus divini. Antecedens probatur: Tum quia non attingitur secundariò: aliàs omnia, quæ continentur sub ente vtsic, cognoscerentur secundariò, ac proindè Deus cognosceretur secundariò à seipso. Tum etiam: quia Deus cognoscit omne verum, omni modo quo cognoscibile est; sed ens vtsic est cognoscibile primariò & ratione sui, & sic reipsà cognoscitur ab intellectu creato: ergò etiam à Deo.

Confirmatur: Metaphysica attingit primariò & ratione sui ens, prout abstrahit à creato & increato: ergo etiam scientia divina: ergo & quælibet intellectio divina. Prima consequentia patet: quia scientia divina est Metaphysica, cùm sit perfectio simpliciter simplex, quæ formaliter reperitur in Deo.

Ad argumentum respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est cum D. Thomà in præs. art. 6. quòd intellectus divinus neque primariò, neque secundariò attingit ens vtsic, prout tantùm implicitè dicit sua inferiora: quia hic modus cognitionis, vtpotè confusus, est imperfectus, sed cognoscit ens vtsic prout actu & explicitè dicit sua inferiora: Cum hoc discrimine, quòd ens divinum attingit primariò, & ens creatum secundariò. *Ad secundam*: Dicendum est, quòd ens vtsic potest considerari, vel vt tantùm in confuso dicit sua inferiora; & hoc pacto estò sit cognoscibile ab intellectu creato propter suam imperfectionem, cui non repugnat procedere de imperfecto ad perfectum, non tamen est cognoscibile ab intellectu divino ob oppositam rationem. Vel potest considerari, prout actu & explicitè dicit sua inferiora; & hoc modo etiam primariò cognoscibile est ab intellectu creato. Sed hoc ideò est, quia non repugnat ei specificari ab ente creato: At intellectui divino repugnat speciem capere ab ente creato, & propterea nequit cognosci primariò ab eo. Sufficit ergo ei, quòd omne ens, sub omni modo quo cognoscibile est, attingat per modum rationis *quæ*, vel primariò, vt ens divinum, vel secundariò, vt ens creatum.

Ad confirmationem respondetur, permittendo antecedens; & negando primam consequentiam. Neque probatio ibi adducta aliquid suadet. Nam Metaphysica non est perfectio simpliciter simplex, hoc est perfectio absque aliqua imperfectione: quia involvit specificationem ab ente creato; quod repugnat scientiæ divinæ. Et ob hanc rationem in Deo tantùm est Metaphysica eminenter, non formaliter, sicut nec Philosophia, & Logica.

68 Arguitur *vltimò*: Quod cognoscitur in seipso, est obiectum formale intellectus cognoscentis; sed creaturæ cognoscuntur à Deo in seipsis: ergo sunt obiectum formale intellectus divini. Maior est certa: nam cognosci in seipso est cognosci non mediante aliquo; quod est proprium obiecti formalis. Minor probatur: Quod habet veram & intrinsecam cognoscibilitatem, est cognoscibile in seipso; sed creaturæ sunt huiusmodi: ergo cognoscuntur à Deo in seipsis.

¶ Hoc argumentum postulat specialem quęstionem: in qua maius robur accipient hucusque dicta.

DUBIUM V.

Utrùm Deus cognoscat creaturas in suâ essentia, tanquam in causa? Et an habeat aliquem modum, quod cognoscat eas immediatè in seipsis?

69 LIcèt nomine *creaturarum*, quatenùs ad hanc implexam controversiam, possint intelligi creaturæ possibiles & futuræ, impræsentiarùm tantùm erit nobis sermo de possibilibus, quia ex dicendis circa creaturas possibiles facilè depromi potest, quid dicendum sit de futuris. Ideoque ex decisione huius difficultatis, tanquam ex præcipuo fundamento, funditùs evertitur, vel ponitur scientia media. ¶ In limine tamen illius nota, ex his quæ prænotavimus tract. præced. disp. 4. num. 31. duplex esse medium cognoscendi aliquod obiectum: aliud *quod*; & est illud, quod priùs cognitum ducit in cognitionem illius (hoc medium solet appellari *in quo*) sicut causa ducit in cognitionem effectus, & præmissæ in cognitionem conclusionis. Aliud est medium *quo*: & est illud, quod, vt ducat in cognitionem alterius, non est necesse, quòd priùs in se cognoscatur, sed quòd sit ratio cognoscendi illud: Et hoc pacto se habet species mentalis, & verbum.

70 Ex dictis dubio præc. satis liquet, creaturas non cognosci à Deo immediatè in seipsis per modum obiecti specificativi: in quo nobiscum conveniunt plures Patres Societatis contra Durandum, non absque vlla nota inconsequentiæ, vt illos aliqui meritò inurunt, & constabit ex dicendis discursu huius quæstionis. Difficultas tamen, & certè magni ponderis, est, quomodò Deus cognoscat creaturas possibiles? ¶ Pro quo supponendum est, tanquam certissimum apud omnes Theologos huius temporis, Deum cognoscere creaturas in suâ essentia, tanquam in specie, & verbo: Et quia non solùm ad cognoscendum se vtitur specie, & verbo, sed etiam ad cognoscendas creaturas: Et quia nequit vti specie creata, ad aliquid cognoscendum. In hac ergo difficultate tres præcipuas invenio sententias (relicta quarta, quæ satis impugnata manet dubio præced.) *Prima* asserit, Deum non cognoscere creaturas in seipso tanquam in causa, sed præcisè in suâ essentia tanquam in specie, & verbo. Ita Vazquez in præs. disp. 60. cap. 2. & 3. A quo non multùm recedunt Arrubal disp. 30. cap. 3. & Lessius lib. 6. *de Perfectionibus divin.* cap. 1. quos sequuntur plures moderni Scotistæ. *Secunda* fatetur, Deum cognoscere creaturas in essentia suâ, tanquam in causa: neque hoc, nisi interpretando violenter & di storte testimonia SS. PP. posse negari existimant illius fautores. Verùm, vt suam scientiam mediam Deo affingere possint, necnon illi suâ fundamenta iaciant, præter cognitionem qua Deus cognoscit creaturas in suâ essentia tanquam in causa, aliam cognoscendi modum invenerunt, quo Deus illas cognoscat immediatè in seipsis. Sic Heriee hic tract. 1. disp. 5. cap. 4. & alij moderni ex Societate. *Tertia* tenet, Deum non habere hunc vltimum modum cognoscendi creaturas, sed vnicè illas cognoscere in suâ essentia & omnipotentia, tanquam in causa priùs cognita. Sic tota Schola Thomistica, quam in hac parte sequuntur nonnulli Scotistæ.

§. I.

Prima conclusio.

71 DIcendum est *primò*, Deum cognoscere creaturas possibiles in suâ essentia, tanquam in causa priùs cognita. Et probatur *primò* ab authoritate: Nam D. Dionys. cap. 7. *de Divin. nomin.* sic ait: *Neque enim ex existentibus existentia dicens, novit divina mens, sed ex seipsa, secundùm causam omnium, scientiam & cognitionem omnium habet: non secundùm visionem singulis se immittens, sed secundùm causæ continentiam omnia sciens: Igitur seipsam divina sapientia cognoscens, scit omnia vno causæ complexu.* Quibus verbis adeò perspicuè tradit nostram conclusionem, vt D. Thomas 1. Contra gent. cap. 49. meritò dixerit: *Colligentes igitur has duas conclusiones* (nempè, *Deus primò, & per se solùm seipsum cognoscit*, quam habet cap. 48. præced. &, *Deus cognoscit alia à se*, quam docet dicto cap. 49.) *apparet, Deum cognoscere seipsum, quasi primò, & per se notum: alia verò sicut in essentia sua visa. Quam veritatem expressè Dionysius tradit cap. 7. de Divinis nominibus.* Quo testimonio convinci debet Vazquez, nisi parvipendat interpretationem D. Thomæ: & D. Dionysium, & alios SS. PP. ad arbitrium suum magis, quàm ad illorum mentem exponat, vt inquit Suarez.

Confirmatur *primò* ex D. Augustino, qui lib. 83. Quæstion. quæst. 46. sic ait: *Non enim extra se quidquam intuebatur: nam hoc opinari sacrilegum est.* Quæ verba exponens D. Thomas in præs. art. 5. ad 1. & quæst. 2. *de Verit.* art. 3. ad 10. sic ait: *Cùm dicitur: Nihil extra se intuetur Deus, intelligendum est, sicut in quo intueatur, non sicut quod intuetur; illud enim, in quo omnia intuetur, in ipso est.* Ergo ex mente Angelici Doctoris D. Augustinus docet, Deum non intueri creaturas in seipsis, sed in seipso. Accedit, quod tradit lib. 4. ad Genes. cap. 4. vbi ait: *Angelos beatos videre universam creaturam in ipso verbo Dei, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta sunt.* Et lib. 12. *de Civit. Dei* cap. 2. ait: *Cogni-*

tio

tio creaturæ in seipsa decoloratior est, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte per quam facta est: ergo tàm Deus, quàm beati, secundùm mentem Augustini, cognoscunt creaturas in Deo, tanquam in causa.

Confirmatur *secundò* ex D. Ambros. qui habet eundem modum loquendi, ac D. Augustinus. Nam tract. in Symbol. sic ait: *Licèt omnia cœlestia, & terrestria, ac minima quæque prospiciat Deus; nihil tamen extra se intelligit, sed singula in se intueri.* Quæ verba non aliam expositionem habent, quàm traditam àD. Thom. verbis suprà relatis D. Augustini; simillima enim sunt.

72 Confirmatur *tertiò* ex D. Thoma, cuius mens expressè stat pro nostra conclusione. Nam in præs. art. 5. & 6. docet, Deum cognoscere creaturas, quia perfectè cognoscit virtutem suam, quæ est productiva creaturarum. Et art. 7. concludit in calce corpor. *Effectus suos videt in seipso, sicut in causa.* Videatur insuper art. 11. Idipsum docet de beatis quæst. 12. art. 8. per hæc verba: *Manifestum est, quòd sic aliqua videntur in Deo, secundùm quòd sunt in ipso. Omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa. Sic igitur videntur omnia in Deo, sicut effectus in sua causa.* Si ergo beati hoc modo vident creaturas in Deo, à fortiori debet ipsi Deo concedi. Et vt præcludatur omnis via sinistræ intepretationi, audiendus est idem Ang. Doctor infrà quæst. 58. art. 7. vbi explicans modum quo Sancti Angeli vident in verbo creaturas, sic ait: *Non enim videndo verbum cognoscunt solum illud esse rerum, quod habent in verbo, sed illud esse, quod habent in propria natura: sicut Deus, qui videt se, cognoscit esse rerum, quod habent in propria natura.* Quæ testimonia sunt adeò perspicua, vt ipse Vazquez *ad quæstionem proximè relatam*, & Arrubal hic disp. 25. cap. 3. meritò notaverint, D. Thomam esse pro nostra sententia.

73 Et probatur ratione fundamentali deducta ex D. Thoma in hac 1. part. quæst. 12. art. 8. & in præs. art. 5. Nam Deus comprehendit seipsum: ergo cognoscit omnes creaturas possibiles in sua essentia & omnipotentia, veluti in causa. Consequentia probatur: Tum quia *ille intellectus potest in causa cognoscere omnes causæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit* (sunt verba D. Thomæ quæst. 12. art. 8. suprà relato) ergo si Deus comprehendit seipsum, cognoscit omnes creaturas possibiles in sua essentia & omnipotentia, veluti in causa. Tum etiam: quia qui comprehendit aliquam causam, eo ipso debet illam cognoscere, quantùm cognoscibilis est; sed Deus est cognoscibilis per modum causæ: ergo eo ipso quòd Deus comprehendat seipsum, cognoscit se comprehensivè, quatenus est causa creaturarum: Tunc sic; sed nulla causa potest comprehensivè cognosci, quatenus est causa suorum effectuum, nisi ex vi cognitionis causæ, quod idem est ac in ipsa causa cognoscat ipsos effectus: ergo si Deus comprehendit seipsum, cognoscit in se, velut in causa, omnes creaturas possibiles.

74 Huic rationi respondet Vazquez, tunc ex cognitione causæ sequi cognitionem effectuum in ipsa causa, quando causa ad illos refertur, & cum illis connectitur, secùs verò quando neque ad eos refertur, neque connectitur cum illis: & hoc modo est essentia divina respectivè ad creaturas, cum quibus neque connectitur, neque refertur ad eas, cùm sit absolutissima & independens ab eis.

Sed contrà est *primò* (per quod impugnatur, quod hæc evasio affert de inconnexione essentiæ cum creaturis) Nam si essentia divina non connecteretur cum creaturis, sequitur, quòd creaturæ essent obiectum primarium tàm motivum, quàm terminativum intellectus divini; sed hoc constanter negant Adversarij: ergo essentia divina connectitur cum creaturis. Maior probatur: Nàm ex duobus obiectis cognitis inconnexis implicat, vnum comparari vt obiectum formale & primarium, & aliud vt materiale & secundarium sive motive, sive terminativè; siquidem vnumquodque, vtpotè inconnexum cum alio, non potest movere neque terminare ratione alterius: ergo si essentia divina non connectitur cum creaturis, sequitur, quòd essent obiectum primarium tàm motivum, quàm terminativum intellectus divini.

Secundò impugnatur idem assumptum, & simul præcluditur tacita evasio: Nam essentia divina, in *esse* intelligibili, connectitur cum creaturis: ergo etiam in *esse* entis. Antecedens admittunt, velint, nolint, Adversarij: quia essentia divina est species creaturarum. Consequentia verò probatur: Tum quia intelligibilitas rei fundatur supra eius entitatem. Tum etiam: quia essentia divina nequit connecti cum creaturis in *esse* intelligibili, nisi inquantùm *esse* intelligibile illius continet creaturas sub *esse* intelligibili; sed nequit eas sub *esse* intelligibili continere, nisi eas contineat in *esse entis*: ergo. Probatur minor: Ideò continet eas sub *esse* intelligibili, quia essentia divina est primum intelligibile, per cuius participationem sunt intelligibiles, seu veræ creaturæ; sed ratio à priori, cur essentia divina est primum intelligibile, & creaturæ sunt veræ, seu intelligibiles per participationem, est, quia essentia divina est primum ens, per cuius participationem sunt entia creaturæ: ergo nequit eas continere sub *esse* intelligibili, nisi eas contineat in *esse entis*.

Tertiò impugnatur idem assumptum: Ideò essentia divina non connecteretur cum creaturis in *esse entis*, quia omnis connexio argueret dependentiam ab eo, cum quo connectitur: non enim

enim est excogitabilis alia ratio, cur prædicatis divinis negari queat connexio cum creaturis; sed ex terminis hoc non sequitur: Tum quia vnum relativum est connexum cum alio, quin dicat dependentiam ab eo. Tum etiam: quia essentia divina vnita per modum speciei, & verbi est connexa cum lumine gloriæ, & visione beata, & non propter hoc incurrit aliquam dependentiam. Tum denique: quia essentia divina, quatenus representativa est creaturarum, iuxta Vazquij sententiam connectitur cum creaturis, & absolutissima manet ab omni dependentia ab illis.

75 Deinde impugnatur eadem solutio, ex alio capite quod adducit, nempè quòd essentia divina non est causa relata ad effectus, ideòque non conducit ad cognitionem eorum in ipsa. Tum quia causa perfectissimè continens effectum, & connexa cum illo, si comprehenditur, nequit non, vt cognita, ducere in cognitionem effectus; sed essentia divina perfectissimè continet creaturas, vt supponitur, & connectitur necessariò cum illis, vt probatum est: ergo Deus comprehendens seipsum per modum causæ nequit non in seipso per modum causæ cognoscere omnes creaturas possibiles. *Tum etiam*: Quia essentia divina est species, & verbum creaturarum, vt fatetur Vazquez: & tamen non dicit realem respectum ad illas: ergo etiam per modum obiecti priùs cogniti, seu per modum causæ (quod idem est) potest ducere in cognitionem creaturarum. *Tum insuper*: Quia Deus physicè continet creaturas absque reali respectu ad illas, vt meritò supponit Vazquez: ergo salvari potest continentia obiectiva illarum, seu per modum obiecti cogniti absque reali respectu ad eas. Patet consequentia: Nam non est assignabilis ratio, cur ad continentiam physicam non desideretur respectus realis causæ ad effectum, & ad continentiam per modum obiecti cogniti desideretur, cùm illa causa secundùm continentiam physicam sit cognoscibilis. *Tum denique*: Quia causa, quantò independentior est ab effectu, tantò magis effectus dependet ab ea, & causa magis influit in effectum: ergo est perfectius medium cognoscendi illum. Patet consequentia: Nam causa, quæ ducit in cognitionem effectus, non est medium *quod* cognoscendi illud ratione dependentiæ, quam habet ab effectu, quia prout sic potiùs explicat rationem *effectus*, quàm rationem *causæ*: quocircà vel dicendum est, quòd nulla causa per modum causæ (quo pacto explicat independentiam) ducit à priori ad cognitionem effectus: vel concedendum est, quòd causa perfectissima est medium *quod* perfectissimum cognoscendi effectum.

Et confirmatur *primò*: Nam essentia divina de facto continet creaturas continentia representativa, vt fatetur Vazquez; sed hanc nequit habere nisi ratione continentiæ physicæ per modum causæ: ergo Deus per modum causæ ducit in cognitionem creaturarum. Minor probatur: Nam vnum obiectum contineri representativè in alio, vel provenit ratione similitudinis, vel ratione dependentiæ, vel ratione continentiæ virtualis; sed creaturas contineri in Deo continentia representativa non provenit ex capite similitudinis formalis, quia Deus, cùm infinitè distet à creatura, nequit esse ei similis formaliter; neque ex capite dependentiæ, quam Deus habet à creaturis, vt supponitur: ergo continentia representativa creaturarum convenit Deo præcisè ratione continentiæ eminentialis, seu dependentiæ, quam habent creaturę ab ipso Deo.

Confirmatur *secundò*: Nam cognitio, qua Deus cognoscit creaturas, non solùm habet rationem scientiæ, sed etiam sapientiæ; sed sapientia est cognitio rerum in causa, & per causam altissimam: ergo Deus cognoscit creaturas in seipso, tanquam in causa. *Ad hæc*: Deo concedi debet modus cognoscendi perfectissimus possibilis; sed modus cognoscendi creaturas in seipso, velut in causa, est possibilis, & perfectissimus: vtrunque enim docet D. Augustinus per verba suprà relata: *Cognitio creaturæ in seipsa de coloratior est, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte, per quam facta est*: ergo cognoscit eas in seipso tanquam in causa.

76 Nota tamen pro maiori explicatione nostrę assertionis, quòd quando asserimus, Deum cognoscere creaturas in sua essentia tanquam in causa priùs cognita, licèt principaliter intelligatur de ea, vt exercet rationem causæ efficientis, potest tamen extendi ad eam, vt exercet rationem causæ exemplaris, cuius causalitas præcipuè reducitur ad genus causæ formalis extrinsecæ, vt optimè probant N. Complut. abbrev. in lib. Physic. disp. 9. num. 12. potest etiam extendi ad eam, prout exercet rationem causæ finalis. Ratio suprà iacta totum hoc convincit. Nam Deus seipsum comprehendit: ergo cùm sit causa exemplaris, & finalis omnium creaturarum, debet se comprehensivè cognoscere, vt est causa exemplaris, & finalis; sed nulla causa queit comprehensivè cognosci, nisi in ea cognoscantur effectus illius: ergo Deus cognoscit creaturas in sua essentia, vt gerit munus causæ exemplaris, & finalis. *Adde*: Nam possibilis est Deo cognitio creaturarum in sua essentia velut in causa efficienti: ergo etiam velut in causa finali, & exemplari. *Adde vlteriùs*: Essentia divina est causa finalis, & exemplaris creaturarum, quatenus illæ sunt participationes illius: impossibile autem apparet, quòd causa principalis possit comprehensivè cognosci, quin in ea cognoscantur participationes illius: ergo &c. Videatur D. Thomas quæst. 2. *de Verit.* art. 8. vbi

vbi docet, Deum cognoſcere creaturas in ſua bonitate, quæ eſt cauſa finalis earum. Et 1.Contra gent. cap.54. vbi docet, cognoſcere eas in idæis, quæ ſunt cauſa exemplaris illarum.

77 Neque aliqua prioritas, adhuc ex noſtro modo concipiendi, eſt inter cognitionem creaturarum in eſſentia divina, velut in cauſa exemplari, & eandem cognitionem in eadem eſſentia velut in cauſa efficienti, vt cogitavit Illuſt.Palanc.diſp.4. quæſt.6. *in ſecunda concluſione.* Quia ipſa eſſentia pro priori ad omnipotentiam ita eſt cauſa exemplaris creaturarum, quòd etiam pro illo priori ſit cauſa efficiens radicalis: ergo in eodem ſigno, in quo cognoſcitur vt cauſa exemplaris, cognoſcitur vt cauſa efficiens; ſed nullum eſt ſignum adhuc ex noſtro modo concipiendi, in quo Deus non cognoſcat comprehenſivè ſuam eſſentiam, vt cauſam efficientem, ſicut nullum eſt ſignum, in quo non comprehenſivè cognoſcat eam vt cauſam exemplarem: ergo in eodem ſigno, in quo Deus cognoſcit creaturas in eſſentia velut in cauſa exemplari, etiam cognoſcit eas, velut in cauſa efficienti. *Adde*: Nam omnipotentia eſt proprietas eſſentiæ, vt eſt cauſa exemplaris, ſicut eſt proprietas illius, vt eſt cauſa efficiens: ergo ſicut nequit in aliquo ſigno perfectè cognoſci, vt cauſa efficiens, quin cognoſcatur omnipotentia, & media illa creaturæ; ita nullum eſt ſignum, in quo cognoſcatur, vt cauſa exemplaris, quin cognoſcatur omnipotentia, & media illa creaturæ. Antecedens videtur certum: quia eſſentia eſt cauſa exemplaris, vt eſt participabilis à creaturis, & non eſt participabilis niſi media omnipotentia.

§. II.

Secunda Concluſio.

78 DIcendum eſt *ſecundò*, Deum non cognoſcere creaturas immediatè in ſeipſis, ſed vnicè cognoſcere eas in ſua eſſentia, tanquam in cauſa. Hæc concluſio procedit ſpecialitèr contra Authores ſecundæ ſententiæ. Et ſuaderi poteſt teſtimonijs adductis num. 71. Nam cognoſcere creaturas in ſeipſis, eſt diſcere ſeu cognoſcere, quid illæ ſint, ex ſeipſis; eſt ſingulis ſe immittere, vt in illis videat, quid ſint; eſt ſumere notitiam quidditatis ipſarum ex ſe ipſis; eſt tandem cognoſcere res extra ſe in ſeipſis; ſed in D. Dionyſio, in D. Auguſtino, in D. Ambroſio, & D. Thoma *loco citato* vidimus propoſitiones his contradictoriè oppoſitas: ergo Deus non cognoſcit creaturas in ſeipſis.

Deinde probatur ratione fundamentali deſumpta ex D. Thoma 1. Contra gent. cap.48. quæ reducitur ad hac formam: Si Deus cognoſceret creaturas immediatè in ſeipſis, creaturæ pertinerent ad obiectum primarium & ſpecificativum intellectus divini; ſed hoc repugnat: ergo repugnat Deum cognoſcere creaturas in ſeipſis. Sequela probatur: Ex his integratur obiectum ſpecificativum alicuius potentiæ, quæ poſſunt attingi per ſe primò, & non ratione alterius: ideò enim ex colore albo, & nigro, & alijs integratur obiectum *quod* ſpecificativum viſus, quia nullus ex eis attingitur ratione alterius; ſed, dato quòd Deus cognoſceret creaturas immediatè in ſeipſis, creaturæ cognoſcerentur per ſe primò: ergo pertinerent ad obiectum primarium & ſpecificativum intellectus divini.

Audiamus nunc D. Thomam loco citato: *Operatio intellectualis*, ait, *ſpeciem, & nobilitatem habet ſecundùm id, quod eſt per ſe, & primò intellectum, cùm hoc ſit eius obiectum: Si igitur Deus aliud à ſe intelligeret quaſi per ſe, & primò intellectum, eius operatio intellectualis ſpeciem, & nobilitatem haberet ſecundùm id, quod eſt aliud ab ipſo. Hoc autem eſt impoſſibile, cùm eius operatio ſit eius eſſentia, & hæc, quippè ens à ſe, nequeat ab alio diſtincto à Deo ſpeciem capere. Sic ergo impoſſibile eſt, quòd intellectum à Deo primò & per ſe ſit aliud ab ipſo.*

79 Huic rationi validiſſimæ D.Thomæ reſpondent primò Adverſarij, permittendo creaturas ſpecificare extrinſecè & arguitivè intellectum divinum, quatenus obiectum per ſe primò intellectum arguit, actum ad illud terminatum eſſe ſpecie diverſum ab actu per ſe primò terminato ad aliud: Et ex hoc (aiunt) nulla imperfectio reſultat in intellectu divino.

Sed hæc ſolutio, præterquàm quòd ſatis enervata manet ex dictis num.50. refellitur *primò*: Nam in communi acceptione Philoſophorum obiectum formale, eſto ſpecificet extrinſecè potentiam, vel actum, eſt cauſa formalis extrinſeca, & à priori illius; ſed repugnat, aliquid creatum exercere veram rationem cauſæ extrinſecæ & à priori reſpectu alicuius prædicati divini: ergo repugnat intellectum divinum ſpecificari extrinſecè à creaturis. Maior probatur, & ſimul declaratur: Nam ſpecificari rem aliquam extrinſecè ab obiecto nihil aliud eſt, quàm produci cum habitudine & tendentia ad illud, per conformitatem cum illo tanquam cum ſuæ menſura & norma obiectiva; hoc autem nequit non affatìm explicare conceptum cauſæ formalis extrinſecæ, & prioritatem reſpectu illius: ergo &c. *Præſertim*: Nam, iuxta communem acceptionem Philoſophorum, potentia vel actus dicit reſpectum tranſcendentalem ad obiectum, econtrà verò obiectū nullum reſpectum dicit ad actum, & potentiam: ergo ſi intellectus divinus ſpecificaretur extrinſecè à creaturis, intellectus divinus diceret reſpectum tranſcendentalem ad eas, creaturæ verò, vt cognoſcibiles, nullum reſpectū nullamvè dependentiam dicerent ab intellectu divino; quod nullus ſanæ mentis concedit.

80 Quibus victi alij: Respondent *secundò*, quòd estò creaturæ cognoscantur à Deo immediatè in seipsis, non tamen pertinent ad obiectum specificativum intellectus divini. Ad quod vitandum, docent, intellectum divinum habere quidem duplicem obiectum immediatè attactum: sed aliud primarium, & cum hoc coincidit specificativum, quod tantùm est essentia divina; alterum verò secundarium, & hoc sunt creaturæ; proindeque, estò cognoscantur immediatè in seipsis, non debent pertinere ad obiectum specificativum.

Sed contrà est *primò*: Nam (præterquàm quòd non renuunt concedere Adversarij, Deum, & creaturas esse duo obiecta formalia inadæquata æquè primò inspecta ab intellectu divino, & attacta per vnam, vel duas cognitiones, vt suprà vidimus) vel essentia divina, vt primariò cognita, ducit in cognitionem creaturarum; vel non ducit? Si dicatur primum: ergo ita creaturæ sunt obiectum secundarium, quòd non cognoscantur immediatè in seipsis, sed in essentia divina cognita vt *quod*. Si dicatur secundùm: ergo non sunt obiectum secundarium, sed primarium cognitionis divinę. Probatur consequentia: Tum quia id, quod putè materialiter & per accidens præsupponitur cognitum ad cognitionem alterius, non impedit, quòd hoc vltimum per se primò & formaliter cognoscatur; sed id, quod per se primò & formaliter cognoscitur, non est obiectum secundarium & materiale, sed primarium & formale intellectus cognoscentis: ergo si essentia divina, vt primariò cognita à Deo, non ducit in cognitionem creaturarum, ipsæ erunt obiectum primarium, & formale. Tum etiam: quia substantia angelica, iuxta sensum Adversariorum, est primum cognitum à proprio intellectu, & cætera entia naturalia quodammodò supponunt cognitam ipsam substantiam, proindeque sunt, iuxta modum loquendi Adversariorum, obiectum secundarium sui intellectus; & tamen nullus dicet, quòd sola essentia angelica est obiectum specificativum illius, non alia ratione nisi quia substantia angelica, vt cognita à proprio intellectu, non ducit in cognitionem aliarum rerum: ergo &c.

Explicatur: Essentia divina, vt priùs cognita, vel est creaturis ratio formalis terminandi; vel non? Si dicatur primum: ergo non terminant immediatè in seipsis: idem enim est terminare ratione alterius, & non terminare immediatè in seipsis. Si dicatur secundum: ergo creaturæ non habent aliam rationem formalem terminandi cognitionem divinam, nisi suam intrinsecam intelligibilitatem: proindeque erunt obiectum formale primarium illius; cùm obiectum primarium, & formale coincidat omninò cum eo, quod terminat ratione sui.

81 Contrà est *secundò*: Nam idem est, obiectum aliquod terminare intellectionem immediatè in seipso, ac ratione sui movere intellectum ad illius cognitionem; sed id, quod movet ratione sui intellectum ad sui cognitionem, nequit non pertinere ad obiectum specificativum: ergo si creaturæ cognoscerentur immediatè in seipsis à Deo, pertinerent ad obiectum specificativum sui intellectus. Maior constat ex dictis num. 51. Et minor probatur: Nam quod movet ratione sui intellectum ad sui cognitionem, præcontinetur formaliter in specie; sed de ratione speciei impressæ, secundùm id quod formaliter importat in *esse* intelligibili, est specificare cognitionem: ergo id, quod movet ratione sui intellectum ad sui cognitionem, nequit non pertinere ad obiectum specificativum. Minor est expressa D. Thomæ, vt vidimus loco proximè relato. Maior autem non indiget probatione, sed explicatione: nam nullum obiectum movet intellectum ad sui cognitionem, nisi quatenus vnitur per suam substantiam cum intellectu, vel quatenus vnitur per speciem, & eo modo quo præcontinetur in specie; id autem, quod movet ratione sui media specie, nequit movere, quatenus prædicata alterius sunt formaliter in specie, & sua tantùm virtualiter; quod est movere ratione alterius.

Explicatur magis: nam obiectum, quod ratione sui influit ad eius cognitionem, est specificativum formale ipsius cognitionis; sed, dato quòd creaturæ cognoscantur à Deo immediatè, ratione sui influerent simul cum intellectu divino ad earum cognitionem: ergo pertinerent ad specificativum illius. Maior liquet ex D. Thoma loco suprà relato, vbi vidimus, quòd operatio specificatur per formam, quæ est principium illius. Minor etiam constat ex proximè dictis.

82 Nec prodest recursus ad repræsentationem secundariam essentiæ divinę respectu creaturarum. Tum propter dicta num. 81. Quæ vlteriùs refricantur: Nam essentia divina vel repræsentat per modum speciei, & verbi immediatè creaturas; vel non? Si dicatur hoc vltimum: ergo non cognoscit eas immediatè in seipsis, neque movent aut terminant ratione sui, sed terminant, & movent ratione essentię. Si dicatur primum: ergo, formalissimè loquendo, æquè primò repræsentat creaturas, ac seipsam; proindeque æquè primo est species creaturarum, ac sui ipsius. Probatur consequentia: Nam ita immediatè repræsentaret creaturas, eò quòd repræsentatio sui omninò de materiali se haberet ad repræsentationem creaturarum: ergo, formalissimè loquendo, æquè primò repręsentaret creaturas, ac seipsum.

Ex quibus sic argumentor: Nam species propria & immediata creaturarum nequit non ex hac parte importare sub *esse* intelligibili imperfectiones, quas in *esse* physico important ipsæ crea-

creaturæ: ergo vel essentia divina non est species impressa, vel expressa propria & immediata creaturarum; vel importat sub *esse* intelligibili imperfectiones earum. Consequentia liquet. Et antecedens probatur: Tum quia species propria & immediata alicuius obiecti continet formaliter saltem sub *esse* intelligibili naturam illius, & cum illis perfectionibus, vel imperfectionibus, quibus per se primò & immediatè repræsentatur, & commensuratur. Tum etiam: quia estò species propria & immediata alicuius obiecti non contineret formaliter sub *esse* intelligibili naturam illius, adminùs respiceret illud, vt normam sui & mensuram, cùm esset instituta per se ad illud repræsentandum; quod nequit non importare formaliter aliquam imperfectionem: ergo.

83 Probatur *secundò* ratione, & simul impugnatur prædicta solutio *tertiò*: Nam si Deus cognosceret creaturas possibiles immediatè in seipsis, cognitio, & assensus eius inniteretur veritati intrinsecæ creaturarum, quiescendo in illa; sed hoc repugnat: ergo etiam repugnat, Deum cognoscere creaturas immediatè in seipsis. Maior videtur certa: nam tunc non inniteretur veritati intrinsecæ creaturarum ratione veritatis divinæ, vt supponunt Adversarij: neque illam quæreret propter veritatem divinam, ac proinde in ea inventa, seu cognita sisteret, & quiesceret æquè primò, sicut intellectus noster æquè quiescit in veritate cuiusvis obiecti cogniti, & illi propter se innititur. Minor verò probatur *primò*: Nam repugnat voluntatem divinam ita diligere creaturas, vt in earum bonitate intrinseca quiescat: ergo etiam repugnat intellectum divinum ita cognoscere creaturas, vt in earum intrinseca veritate quiescat. Patet consequentia: tum ex simpathia harum potentiarum. Tum & præcipuè: Nam id, in quo intellectus perfectè quiescit, est centrum & finis illius, sicut id, in quo voluntas quiescit, est centrum & finis illius; sed non minus indigna est veritas creata, vt sit finis & centrum, in quo quiescat intellectus divinus, quàm bonitas creata, vt sit centrum & finis, in quo quiescat voluntas divina: ergo repugnat intellectum divinum inniti veritati creatæ, quiescendo in ea. *Secundò*: Si intellectus divinus inniteretur veritati intrinsecæ creaturarum, perfectissimè quiescendo in ea, sequitur, quòd certitudo eius desumeretur à certitudine veritatis creatæ, proindeque non esset maior certitudo cognitionis diviuæ, quàm certitudo obiectiva illius; sed hoc nequit admitti, alias certitudo per participationem æquaret certitudinem per essentiam: ergo &c. *Tertiò*: Nam semel admisso, quòd intellectus divinus quiesceret in veritate creaturarum æquè primò, ac in veritate divinæ essentiæ, beatitudo Dei consisteret æquè primò in cognitione creaturarum, ac in cognitione divinæ essentiæ: beatitudo enim creaturæ intellectualis consistit in cognitione illius veritatis, in qua perfectissimè quiescit; quod non concedunt Adversarij.

84 Dicent Iesuitæ, quòd beatitudo non consistit in cognitione, qua Deus cognoscit creaturas immediatè in seipsis, sed in alia cognitione priori, qua illas cognoscit in seipso. Vel si non datur duplex cognitio, solùm consistit in cognitione, quatenus est visio Dei, non quatenus est visio creaturarum.

Contra est *primò*: Nam cognitio secunda est impossibilis: quia esset imperfecta, iuxta dicta numeris præced. *Secundò*: quia est superflua. Tum quia per primam Deus perfectissimè quiescit, aliàs in ea non consisteret adæquatè beatitudo. Tum etiam: quia prima cognitio esset clarissima & comprehensiva creaturarum. Tum denique: nam si daretur alia cognitio, qua cognoscerentur creaturæ in seipsis, magis infinitus esset intellectus divinus in ratione cognoscitivi, quàm Deus esset in ratione cognoscibilis, cùm Deus non esset vnica ratio cognoscibilitatis creaturarum, & intellectus ratione sui vtroque modo illas cognosceret: quod nequit admitti; aliàs non convenirent in eodem immaterialitatis gradu.

Qui modus arguendi facillimè potest applicari, si non admittatur nisi vnica tantùm cognitio: nam in cognitione hac, quatenus primariò terminatur ad Deum, & in ipso Deo ad creaturas, vel perfectissimè quiescit; vel non? Si dicatur primum: ergo non desiderat cognoscere vltrà creaturas in seipsis. Si dicatur secundum: ergo in cognitione Dei vt terminata primariò ad seipsum, & ratione illius ad creaturas, non consistit eius beatitudo, sed veritas creata est obiectum inadæquatum beatificans. Patet consequentia: nam beatitudo solùm consistere queit in cognitione, quæ totaliter quietat intellectum, & absorbet appetitum cognoscendi alia immediatè in seipsis.

§. III.

Argumenta Vazquezij contra primam conclusionem.

85 ARgultur *primò* ex D. Thoma 1. Contra gent. cap. 57. in fin. vbi ait: *Essentia divina se habet ad alia, non sicut principium ad conclusiones, sed sicut species ad res cognitas.* En apprimè depictam Vazquezij opinionem. ¶ Et confirmatur *primò*, ex his quæ docet in præs. art. 7. ad 2. vbi ait: *Dicendum, quòd Deus non cognoscit effectum per causam priùs cognitam, sed in causa*; nos asserimus, Deum cognoscere creaturas per essentiam suam tanquam per causam priùs cognitam: ergo D. Thomas stat contra nos. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam causa, quæ nullam similitudinem dicit cum effectu, nequit ducere, vt priùs cogni-

ta, ... cognitionem illius: sed Deus ita est causa cr ...aturarum, quòd nullam similitudinem dicit ...um creaturis, vt expresse docet D. Thomas suprà quæst. 4. art. 3. ad 4. vbi ait: *Dicendum, quòd licèt aliquomodo concedatur, quòd creatura sit similis Deo; nullo tamen modo concedendum est, quòd Deus sit similis creaturæ, vt dicit Dionys. c. 9. de Divin. nomin.* Et vt præcludatur tacita instantia contrà Vazquium, audiamus iterùm D. Thomam, qui 1. *ad Annib.* dist. 35. quæst. vnica art. 4. ad 3. sic ait: *Quamvis sit maxima dissimilitudo inter Deum, & creaturas, considerata proprietate naturali vtriusque; tamen secundùm modum repræsentationis est expressiva similitudo, inquantùm repræsentat creaturas, & hæc, non prima, requiritur ad cognitionem.* Si ergo requiritur aliqua similitudo, vt Deus cognoscat creaturas, & hanc non habet, inquantùm est causa physica seu in *esse rei*, sed inquantùm est species, manifestè sequitur solùm illas cognoscere in sua essentia, tanquam in specie, ac proinde D. Thomas est pro Vazquij sententia.

Ad hoc argumentum respondetur, Div. Thomam expresse stare pro nostra sententia, vt vidimus in eius testimonijs ex 1. part. relatis num. 72. Neque contrarium docet in authoritatibus proximè adductis. Non in prima: Nam, præterquàm quòd quæst. 2. *de Verit.* art. 4. ait: *Res esse in Deo assimilatur illi modo, quo effectus sunt in causa, & conclusiones in principijs*, potest exponi dicendo, quòd licet reipsa creaturæ comparentur ad essentiam divinam, velut conclusiones ad principia; est tamen aliqua distinctio inter essentiam divinam respectu creaturarum, & principia respectu conclusionum: nam principia creata non repræsentant conclusiones actualitèr & distinctè, essentia verò divina repræsentat creaturas actualitèr, & distinctè. Quam expositionem affert Ferrara loco citato Contra gentes §. *Respondetur*, per quod optimè conciliat duo præfata loca inter se apparenter opposita. Vel potest exponi dicendo, quòd, estò essentia divina contineat absolutè creaturas, sicut effectus continentur in causa, & conclusiones in principijs, & hoc modo à Deo cognoscantur, non discurrit in cognitione illarum, sicut nos discurrimus, quando ex principijs priùs cognitis movemur ad cognoscendas conclusiones, sed vnico & simplici intuitu, cognoscendo suam essentiam, cognoscit in ea, velut in causa & principio, ipsas creaturas. Et ob hanc causam docet D. Thomas, quòd essentia divina se habet ad illas, non sicut principium ad conclusiones, sed sicut species ad res cognitas, in qua intellectus adhuc noster simplici intuitu, & secluso omni discursu cognoscit obiectum. Hanc interpretationem etiam insinuat Ferrara loco suprà relato.

Neque in secunda, adducta in prima confirmatione, sibi est contrarius; nam potius est pro nobis, quàm contra nos, si illam explicemus iuxta modum proximè relatum. In illa enim docet, Deum cognoscere creaturas in sua essentia tanquàm in causa, ad quod requiritur, quòd priùs ipsa cognoscatur: & coincidit cum illo dicto Div. Thomæ 1. Contra gentes cap. 49. *Deum cognoscere alia, sicut in essentia sua visa*, quod retulimus num. 71. Dicit tamen in testimonio nobis opposito, quòd *Deus non cognoscit effectum per causam priùs cognitam*: quia ex cognitione causæ non movetur ad cognitionem effectuum discurrendo, quod verissimum est: & est idem ac dicere, quòd ex parte cognoscentis Deus non cognoscit creaturas per essentiam suam tanquam per causam, quia vnico intuitu cognoscit illas in sua essentia tanquam in causa; sed ex parte obiecti cognoscit illas per essentiam suam tanquam per causam, quia priùs prioritate *à quo* videt seipsam, vt causam perfectissimam earum, & eadem cognitione videt creaturas.

Neque in tertia, adducta in secunda confirmatione. Nam in ea tantùm vult D. Thomas, quòd Deus nulli creaturæ sit similis per immitationem: quod verissimum est, cum Deus nullam creaturam respiciat, vt sui exemplar, sed potiùs essentia divina sit exemplar primum omnium rerum: & ad hoc insinuandum, ait ibi, quòd estò causatum sit simile causæ, & imago sit similis homini, non tamen econversò. Vult etiam, quòd Deus non sit creaturæ similis formalitèr, sicut vnum album est formalitèr simile alteri albo; quod etiam verissimum est. Cum quo rectè cohæret, quòd Deus sit creaturis similis virtualitèr: ad quod sufficit, quòd habeat virtutem ad illas causandas, quo pacto sol est similis calori, quem causat. Et hæc similitudo est sufficiens, vt Deus per seipsum, tanquam per causam cognitam, cognoscat creaturas: quia, eo ipso quòd causa cognoscatur perfectè, possunt effectus illius in ea penetrari. Cui interpretationi non parùm favet testimonium *ad Annib.* In quo datur intelligi, quòd, estò essentia divina non dicat similitudinem formalem cum creatura, & propterea dixit, quòd considerata proprietate naturali vtriusque, est inter eas maxima dissimilitudo; in *esse* tamen repræsentativo est expressiva similitudo illius; ad quod sufficit, quòd sit ei similis virtualitèr, ad modum quo causa æquivoca est similis suo effectui. Certum enim est, quòd essentia Angeli non est similis in *esse* naturali suis proprietatibus; & tamen, quia est illis similis virtualitèr, talitèr repræsentat per se primò vt *quod* seipsam, quòd in seipsa, vt repræsentata, secundariò repræsentet suas proprietates. Essentia ergo divina adhuc perfectiori modo repræsentat creaturas, quia perfectiori modo continet eas in *esse entis*, estò in hac linea solùm sit eis similis virtualitèr, sicut in *esse* re-

præsentativo, solùm hoc modo est illis similis.

86 Arguitur *secundò*: Nam essentia divina non est causa possibilium, nisi per omnipotentiam; sed Deus non cognoscit creaturas possibiles in omnipotentia: ergo neque cognoscit eas in sua essentia, velut in causa. Minor probatur: Creaturæ supponuntur possibiles pro priori ad omnipotentiam: ergo non sunt cognoscibiles in omnipotentia. Antecedens probatur: Tum quia creaturæ priùs intelliguntur, vt non implicantes contradictionem, quàm vt producibiles ab omnipotentia, & vt effectus illius. Tum etiam: quia ista causalis est vera: *Deus est omnipotens, quia omnia scit*: Econtrà hæc est falsa: *Deus omnia scit, quia est omnipotens*: Ergo pro priori ad omnipotentiam creaturæ intelliguntur possibiles.

Et confirmatur: Nam creaturæ possibiles sunt specificativum, saltem virtuale, divinæ omnipotentiæ: ergo intelliguntur possibiles pro priori ad omnipotentiam. Consequentia patet: obiectum enim specificativum alicuius potentiæ intelligitur, saltem in statu possibilitatis, pro priori ad existentiam ipsius potentiæ.

Ad argumentum respondetur, concedendo maiorem; sed negando minorem. Et ad eius probationem negatur antecedens. Cuius prima probatio non convincit: Nam estò in creatura possibili imbibatur essentialiter illa non repugnantia prædicatorum ad essendum; ratio tamen à priori huius non repugnantiæ est omnipotentia: quia possibilia nihil aliud dicunt præter veritatem obiectivam, & quidditativam rerum cum prædicta non repugnantia ad essendum in rerum natura; & certum est, quòd veritas obiectiva, & quidditativa creaturarum dependet à veritate divinæ essentiæ, & omnipotentiæ, tanquam veritas seu entitas per participationem à veritate seu entitate per essentiam. Certum etiam est, quòd illa non repugnantia ad existendum desumitur ab ipsa omnipotentia, tanquam à ratione à priori: quia nihil aliud dicit præter capacitatem passivam, seu in actu primo ad essendum; & sicut actualis existentia possibilium desumitur à priori ab omnipotentia in actu secundo, ita aptitudo ad essendum desumitur à priori ab ipsa omnipotentia in actu primo. *Neque secunda*: maximè in nostra sententia, secundùm quam non distinguimus virtualiter scientiam Dei ab omnipotentia, proindeque nulla prioritas ex parte rei conceptæ assignari debet inter illas propositiones. Si verò loquamur de scientia Dei, & omnipotentia ex modo nostro concipiendi, aliter discurrendum est de illis, iuxta diversas combinationes quas inter eas possumus facere. Possumus enim concipere scientiam Dei in actu primo, inquantùm scilicet potest omnia scire; & omnipotentiam in actu primo, inquantùm omnia potest: Si hoc modo concipiantur, priùs intelligitur omnipotentia, quàm scientia possibilium: quia priùs intelligitur obiectum cognoscibile, quàm vis ad cognoscendum; possibilia autem sicut habent suam entitatem possibilem ab omnipotentia, ita ab ea habent suam vim obiectivam, ac proinde præcedunt quodammodò scientiam Dei. Possumus etiam eas concipere in actu secundo, inquantùm scilicet scientia defactò scit omnia; & omnipotentia exequitur practicè possibilia, reducendo illa ad statum existentiæ: Et tunc priùs concipitur à nobis Deus, vt sciens speculativè, quàm practicè: & rursùs priùs, vt sciens practicè secundùm munus dirigendi, quàm omnipotentia vt actu exequens. Sed scientia, sicut hoc modo concepta iam supponit omnipotentiam in actu primo, ita etiam supponit possibilia sub statu possibilitatis, quæ desumitur tanquam à ratione à priori ab ipsa omnipotentia in actu primo. Sed de hoc latius agemus disp. seq.

Ad confirmationem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd de ratione virtutis practicæ non est supponere suum obiectum prioritate essendi, sed potiùs virtus præcedit obiectum. Obiectum autem formale & specificativum præcedit specificativè virtutem, quam specificat; non verò est necesse, quod obiectum virtuale specificativum illam præcedat: & hoc modo se habent possibilia ad omnipotentiam.

87 Arguitur *tertiò*: Nam essentia divina non connectitur necessariò cùm possibilibus: ergo, vt priùs cognita, non est ratio cognoscendi possibilia. Antecedens probatur *primò*: Magis necessarium nequit connecti cum minùs necessario; sed Deus, vtpotè ens à se, est magis necessarius, quàm creaturæ possibiles: ergo non connectitur cum illis. *Secundò*: Nam vnum intrinsecè connexum cum alio dependet ab eo; & quia sine illo nequit subsistere, & quia ea mutuò dependent, quorum quolibet posito, se ponunt, & ablato, se auferunt; sed essentia divina est omnino independens à creaturis: ergo &c. *Tertiò*: Quia, si connecteretur cum illis, sequeretur destructio Dei ex destructione possibilium; quod videtur falsum, cùm Deus à nullo dependeat in existendo.

Ad hoc argumentum (quod est præcipuum Vazquezij) respondetur, negando antecedens. Et ad primam eius probationem dicendum est, nullum esse inconveniens in eo, quòd magis necessarium connectatur cùm minùs necessario, vt liquet in veritate principiorum, quæ connectitur cum veritate conclusionum; aliàs in recta demonstratione possent præmissæ esse veræ, quamvis conclusio esset falsa; & tamen veritas principiorum est magis necessaria, quàm veritas conclusionum, iuxta illud axioma, *Propter quod vnunquodque tale, & illud magis.*

Quod-

Quod à fortiori concedendum est in Deo respectu creaturarum: quia aliundè desumitur maior necessitas, & aliundè connexio: necessitas enim maior Dei desumitur ex eo, quòd est ens à se; & necessitas possibilium per participationem: connexio verò desumi potest ex eo, quòd Deus necessariò subordinat sibi creaturas, & illas infert, itaut, si creaturas possibiles non sibi subordinaret, necessariò deficeret virtus Dei ad producendas creaturas. ¶ Ad secundam satis constat ex dictis num. 74. Quibus addimus, quòd ad connexionem duorum non semper desideratur mutua dependentia vtriusque, sed sufficit dependentia in vno, & eminentia seu continentia in alio: quia eo ipso quòd vnum alteri subordinetur, & in eo præcontineatur, mutuò se ponunt, & auferunt: Aliter tamen & aliter: Nam id, quod dependet ab alio, ponitur, vel tollitur intrinsecè & à priori ad positionem, vel destructionem illius, à quo dependet; id verò, à quo alterum dependet, ponitur, vel tollitur extrinsecè & à posteriori ad positionem, vel destructionem illius, quod ab eo dependet. Omnipotentia ergo ita connectitur cum possibilibus, quòd ex destructione illorum solùm arguatur per locum extrinsecum destructio, vel positio omnipotentiæ; sed positio & destructio possibilium arguitur per locum intrinsecum, & à priori ex positione, vel ablatione omnipotentiæ. Et quòd ex terminis *connexionis duorum* non sequatur mutua dependentia, liquet, tum in duobus relativis, tum in essentia divina, vt gerit munus speciei respectu possibilium iuxta Vazquij sententiam, tum in essentia, prout est radix, & causa suarum proprietatum, sub qua ratione non dependet ab eis, sed econversò. ¶ Per quod constat ad tertiam: Nam, vt optimè docet D. Thomas quæst. 2. *de Verit.* art. 3. ad 11. si aliqua creatura possibilis redderetur impossibilis, tolleretur à Deo potestas producendi creaturas: quia ita connectitur necessariò cum possibilibus in communi, tanquam cum termino specificativo virtuali, quòd cum qualibet in particulari connectitur tanquam cum termino materiali.

88 Arguitur *quartò*: Deus non cognoscit possibilia in sua scientia: ergo neque in sua omnipotentia. Consequentia videtur legitima: nam iuxta nostra principia scientia Dei non distinguitur virtualiter ab omnipotentia, vt dicemus disp. seq. Antecedens verò probatur: Tum quia Deus cognoscit possibilia per suam scientiam tanquam per principium cognoscendi: ergo non cognoscit ea in sua scientia, tanquàm in obiecto priùs cognito. Tum etiam: quia Angelus non cognoscit in virtute sua cognoscitiva neque intellectiones omnes, quas potest elicere, neque obiecta quæ potest cognoscere: ergo neque Deus cognoscit possibilia in sua scientia.

Ad hoc argumentum respondetur, quòd si scientia divina est formalissimè absque distinctione virtuali ipsa omnipotentia, negandum est antecedens. Contra quod probationes nihil suadent. *Non prima*: quia ita Deus est cognoscitivus possibilium per suam scientiam, quòd etiam sit adæquatè proximè in *esse entis* præcontentivus illorum: vnde non solùm cognoscit ea per suam scientiam, sed etiam in sua scientia, ita proprie ac in sua essentia, quatenus est principium radicale illorum. *Neque secunda*: ob maximam disparitatem inter scientiam divinam in ordine ad possibilia, & intellectum angelicum in ordine ad suas intellectiones, & obiecta à se cognoscibilia. Nam scientia, cùm sit omnipotentia, est causa adæquata proxima possibilium, non minùs proprie, ac essentia est causa adequata radicalis, & sol est causa lucis & caloris: At intellectus angelicus non est causa adæquata suarum intellectionum, sed integratur cum speciebus. Si verò concipiamus scientiam Dei vt distinctam ex modo concipiendi ab omnipotentia, & ex parte rei conceptæ ab essentia: tunc, concesso antecedenti, negari debet consequentia. Et ratio disparitatis est: quia scientia, iuxta hunc concipiendi modum, non est causa adæquata adhuc directiva creaturarum, sed ex ipsa, & essentia divina per modum speciei integratur: cæterùm omnipotentia est causa proxima adequata executiva earum.

89 Ultimò arguitur: Nam Deus plura cognoscit non solùm vt existentia, sed etiam vt possibilia, quorum non potest esse causa: ergo non omnia cognoscit in seipso tanquam in causa. Antecedens constat tùm in peccatis sub ratione *malitiæ*, tum in entibus rationis, maximè in chimæris, quorum Deus non est causa, & tamen ea cognoscit non solùm vt existentia, sed etiam vt possibilia.

Respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Tum quia quando dicimus, quòd Deus cognoscit in seipso tanquam in causa alia à se, debet supponi, quòd sit causa eorum: & in hac suppositione disputamus cum Vazquio. Tum etiam, quia estò Deus cognoscat peccata, & entia rationis, quæ non causat; cognoscit tamen ea in effectibus ab ipso causatis: nam mala non cognoscit nisi per bona creata opposita, vt diximus num. 46 & cum hęc cognoscat in seipso tanquam in causa, sequitur de primo ad vltimum, quòd cognoscit peccata in seipso, estò non sit causa eorum. Item entia rationis vel cognoscit in seipso tanquam in causa, non ipsorum entium rationis, sed actuum intellectus, quibus efformantur, & ad quos sequuntur; vel chimæras cognoscit, quatenus in seipso cognoscit extrema inter se repugnantia, vt caput leonis, & corpus hominis, quibus extremis in seipso cognitis à Deo, illorum repugnantia in eisdem extremis cognoscitur.

§. IV.

§. IV.

Argumenta contra secundam conclusionem.

90 ADversus secundam conclusionem arguitur *primò*: Nam creaturę sunt obiectum intentionaliter motivum divinæ cognitionis ad ipsas terminatæ: ergo etiam sunt obiectum immediatè terminativum illius; proindeque cognoscuntur à Deo in seipsis. Utraque consequentia legitima est. Et antecedens probatur: Creaturæ possibiles habent veritatem intrinsecam obiectivam antevertentem obiectivè divinam cognitionem: ergo habent vim movendi obiectiveDeum ad sui cognitionem. Consequentia videtur legitima: nam quodlibet obiectum habens in se intrinsecam veritatem obiectivam antevertentem obiectivè sui cognitionem, potest obiectivè movere intellectum ex se determinatum ad cognoscendum omne verum, qualis est intellectus divinus. Antecedens verò probatur: Nam omne obiectum præcedit obiectivè cognitionem sui: ergo si creaturæ possibiles habent veritatem intrinsecam obiectivam, antevertunt obiectivè divinam cognitionem ad seipsas terminatam.

Confirmatur *primò*: Intellectus summè cognoscitivus, & ex se determinatus ad cognoscendum omne verum, potest formaliter moveri obiectivè ab obiecto, quod reipsà & intrinsecè est verum & cognoscibile; sed intellectus divinus est summè cognoscitivus & determinatus ad cognoscendum omne verum, & creaturæ sunt reipsà & intrinsecè veræ, & cognoscibiles: ergo possunt obiectivè & intentionaliter movere intellectum divinum ad earum cognitionem.

Confirmatur *secundò*: Nam intellectus divinus infinitè cognoscitivus debet cognoscere omne obiectum, & omni modo quo est cognoscibile; sed creaturæ possibiles sunt cognoscibiles in seipsis: ergo possunt à Deo cognosci, & defactò cognoscuntur in seipsis. Minor liquet in intellectu animæ Christi, qui non solum cognoscit creaturas in Deo per scientiam beatam, sed etiam in seipsis per scientiam infusam: & in Angelo beato, qui cognitione matutina cognoscit eas in essentia divina, & cognitione vespertina in seipsis.

91 Hoc argumentum, quod est præcipuum fundamentum sententiæ contrariæ, debilissimum est, vt satis constat ex dictis num. 82. & constabit ex solutione danda. Respondetur ergo, negando assumptum eius principale, nempè quòd creaturę ex se habeant vim ad movendum intentionaliter intellectum divinum ad sui cognitionem, & quòd habeant in ordine ad illam aliquam prioritatem obiectivam. Aliàs, præter cætera absurda, aliquem influxum præstarent in intellectum divinum, & eius intellectionem; proindeque dependeret verè & propriè ab eis saltem sub *esse* intelligibili. Præter quàm quòd cognitio divina, vtpote ens à se & indistincta ab ipso Deo, per priùs est cognitio sui, quàm cognitio creaturarum, quæ sunt entia per participationem; ac proinde prior est ipsa cognitio obiectivè, quàm creaturæ sub *esse* intelligibili. *Maximè*: Nam cùm Deus sit veritas prima, inferens & continens perfectissimè veritates omnium creaturarum, potest sufficienter movere intellectum ad eas cognoscendas, quin oporteat veritatem creaturarum movere intellectum divinum ad sui cognitionem. Undè falsum omninò est, quòd omne obiectum cognitum potest sub *esse* intelligibili movere quemlibet intellectum ad perfectam sui cognitionem, quia licèt illud verum sit in obiecto primario, secus verò in secundario. Et sic substantia Angeli ita movet suum intellectum ad cognitionem sui, & suarum proprietatum, quod sub nullo *esse* proprietates moveant illum obiectivè.

Per quod constat ad confirmationem: Nam sicut intellectus divinus est summè cognoscitivus, & ex se determinatus ad omne verum; ita essentia divina est sufficiens motivum ad determinandum intellectum obiective, vt cognoscat per se primò seipsam, & ratione illius vt cognitæ, seu repræsentatæ, ad repræsentandum, & cognoscendum creaturas: quia earum veritas non tàm formaliter, quàm eminentialiter, & virtualiter continetur in essentia divina tam sub *esse* entitativo, quàm sub *esse* intelligibili. Si verò moveretur obiectivè à veritate creaturarum, oportebat, quòd intellectus divinus non esset intelligens earum à se, sed ab illis, quod absurdissimum est; & quòd creaturæ formaliter continerentur in Deo, quod non est minùs absurdum. Maneat ergo, quòd estò creaturæ possibiles habeant intrinsecam veritatem, & cognoscibilitatem, neque movent sub *esse* intelligibili intellectum divinum ad sui intellectionem, neque terminant eam immediatè.

Ad secundam respondetur, quòd ad intellectum divinum solùm spectat cognoscere omne obiectum, sub eo modo quo cognoscibile est absque aliqua imperfectione: cognoscere autem creaturas immediatè in seipsis maxima imperfectio est, releganda ab intellectu divino. Intellectus verò creatus, qualis est intellectus animæ Christi, & Angeli, habet ex se multiplex genus potentialitatis, & est capax plurium imperfectionum: quocircà ita est in potentia ad cognoscendas creaturas in Deo, tanquam in obiecto priùs viso per lumen glorię, quòd etiam sit in potentia ad cognoscendas eas per proprias species. Et ratio huius radicalis est: quia intellectus creatus respicit pro obiecto specificativo ens abstrahens à creato & increato, proindeque non repugnat ei cognoscere omnia entia immediatè

diatè in seipsis: cæterùm intellectus divinus solùm specificatur à sua essentia, proindeque ipsa sola debet esse obiectum primarium, & immediatum tàm motivum, quam terminativum. Quibus præcluditur tacita obiectio, quæ potest efformari contra dicta num. 84.

92 Arguitur *secundò*: Nam vel nullum est inconveniens, quòd cognitio divina specificetur extrinsecè ab aliquo creato; vel potest terminari immediatè ad creaturas absque eo quòd specificetur ab illis: ergo ex nullo capite repugnat Deum cognoscere creaturas immediatè in seipsis. Antecedens ostenditur exemplo omnipotentiæ, quæ terminatur immediatè ad creaturas, cùm sit potentia productiva, proindeque debeat respicere per se primò terminum vt producibilem, & alium habere non potest præter creaturas: ergo vel specificatur extrinsecè à creaturis, vel terminatur immediatè ad eas, absque eo quòd ab eis specificetur: idem ergo potest dici de cognitione divina.

Ad hoc argumentum, quod Adversarij persæpè objiciunt Thomistis per modum instantiæ, relictis alijs solutionibus, vel quia insufficientes, vel quia prolixæ sunt: Respondetur solutione facili, & adæquata, quam tradunt N. Salm. tract. 4. disp. 7. à num. 62. vsque 67. negando antecedens. Et ad eius instantiam etiam dicendum est, quòd neque omnipotentia specificatur à factibili vtsic, neque terminatur immediatè ad illud. Pro quo habenda est præ oculis doctrina tradita num. 87. quòd omnipotentia consistit in scientia Dei. Quia suppositâ, omnipotentia per se primò terminatur ad essentiam divinam, vt est primum scibile, & quatenus connotat voluntatem, connotat etiam bonitatem divinam, vt primum amabile vt *quod*. Sed quia Deus sciendo, & amando se per se primò, movetur ad sciendas, & amandas creaturas, ex vi cuius producit *esse*, & bonitatem creaturarum, propterea non terminatur immediatè ad creaturas, sed ad ipsam essentiam prout est ratio stabilitatis, amabilitatis, & producibilitatis creaturarum. ¶ Pro cuius maiori luce: Sciendum est, quòd idemmet actus cognitionis divinæ secundum duplicem sui expressionem potest habere duplicem respectum ad duo obiecta realiter distincta, per quorum connotationem potest induere duplicem denominationem: nam quatenus respectu primario inspicit essentiam divinam, vt cognoscibilem, & ratione illius creaturas. denominatur *cognitio*, quæ denominatio est primaria in ipsa cognitione: potest tamen respicere creaturas sub ratione *factibilis* vt quoddam connotatum secundarium, per respectum ad quem potest induere aliam denominationem secundariam, ad quam non oportet, quòd attingat illud connotatum immediatè in seipso: & huiusmodi est cognitio sub expressione *productionis*. Exemplum huius doctrinæ habemus in substantia creata, quæ per respectum primarium ad *esse* habet suam primariam denominationem *essentiæ*, & per respectum secundarium ad motum induit suam denominationem secundariam *naturæ*, sub qua expressione adhuc non attingit motum immediatè, sed media potentia realiter distincta. Aliud exemplum habemus in cognitione divina primordiali, quæ sub nulla expressione specificatur, vel respicit per se primò Verbum divinum per eam generatum, sed sola essentia divina est obiectum *quod* & *quo* specificativum, tàm sub ratione *intellectionis*, quàm sub ratione *generationis*. Et hoc ideò est: quia munus & denominatio eius primaria est denominatio *cognitionis*, quam desumit per ordinem ad suum obiectum primarium, quod est essentia; sed quia habet aliam denominationem secundariam, hanc accipit per connotationem ad quendam eius terminum secundarium, scilicèt Verbum divinum, quod neque producit nisi ratione divinæ essentiæ, quæ supponitur attacta per se primò tàm vt *quo*, quàm vt *quod*. Sic ergo discurrimus in omnipotentia; quæ vt *cognoscitiua* est, respicit per se primò tam vt *quo*, quàm vt *quod* essentiam divinam, & hæc est eius denominatio primaria; sed vt *factiva* est, respicit creaturas vt factibiles, velut terminum, & connotatum secundarium; & hæc est eius denominatio secundaria. Neque ad hoc requiritur, quòd essentia divina sit producibilis vt *quo*, vel vt *quod* ab omnipotentia, sed sufficit, quòd vt per se primò cognita, & dilecta, sit ratio se communicandi ad *extrà* in creaturis.

93 Arguitur *tertiò*: Non repugnat creaturas immediatè cognosci à Deo, quin moveant, & specificent eius intellectum: ergo possunt cognosci à Deo immediatè. Antecedens probatur *primò*: Divina personalitas immediatè vnitur humanitati; tamen non specificatur ab ea: ergo estò cognitio divina terminetur immediatè ad creaturas, non sequitur ab eis specificari. *Secundò*: Cognitio immediata obiecti, si secundaria sit, non specificatur ab obiecto cognito, sicut neque actus secundarius charitatis, quo immediatè diligimus proximum propter Deum, specificatur à proximo: ergo &c.

Respondetur ad hoc argumentum, negando antecedens. Ad cuius primam probationem, concedimus personalitatem divinam immediatè vniri humanitati: Sed hoc ideò est, quia eius vnio ordinatur ad eam perficiendam: si autem Deus cognosceret creaturas in seipsis, potius cognitio divina perficeretur ab eis; & hoc repugnat. *Maximè*: Quia personalitas Verbi terminat humanitatem, supponendo terminationem naturæ divinæ, & non nisi ratione huius terminationis primariæ extenditur ad terminandam secundariò, etsi immediatè, humanitatem: at si creaturæ cognoscerentur immediatè

in

in seipsis, primariò & ratione sui terminarent cognitionem divinam, propter rationes tactas §. 2. *Ad secundam*: Respondetur, quòd aliter loquendum est de actu alicuius virtutis, & aliter de ipsa virtute: Nam non omnis actus virtutis specificat eam, sed tantùm primarius, & intentus per se & ratione sui: secundarius enim non elicitur nisi ratione actus primarij, & ob hanc rationem non specificat virtutem. Hic tamen actus, vtpotè distinctus specie à primariò, nequit non specificari ab obiecto secundario: Vnde ex hoc capite releganda est à Deo cognitio secundaria terminata immediatè ad creaturas: Et non solùm ex hoc, sed etiam ex eo quòd intellectus divinus, vel aliquod eius attributum nequit habere aliquem actum à seipso distinctum, aliàs respectu illius haberet aliquam potentialitatem. Vnde nulla est excogitabilis cognitio divina, quæ immediatè terminetur ad creaturas.

94 Arguitur *vltimò*: Nam perfectiùs cognoscitur aliquod obiectum in seipso quàm in alio, sicut perfectiùs videtur homo in seipso, quàm in speculo; sed Deus concedendus est perfectior modus cognoscendi creaturas: ergo cognoscit illas in seipsis. ¶ Confirmatur *primò*: Cognitio abstractiva ex terminis, & cæteris paribus, imperfectior est cognitione intuitiva; sed cognitio rei in alio est abstractiva, & cognitio in seipsa intuitiva: ergo, cùm cognitio Dei sit perfectissima, cognoscet creaturas in seipsis. ¶ Confirmatur *secundò*: Perfectiùs cognoscitur obiectum, quando cognoscitur secundùm suum *esse* formale, quod habet in se, quàm dum cognoscitur secundùm *esse* virtuale, quod habet in alio; sed si creaturæ non cognoscuntur immediatè, sed tantùm in omnipotentia, solùm cognoscuntur secundùm *esse* virtuale, quod habent in essentia, cùm secundùm suum *esse* formale non sint in ea: ergo ¶ Confirmatur *tertiò*: Nam aliquæ veritates creatæ sunt adeò per se notæ, quòd ad sui cognitionem non indigeant aliquo medio: ergo istæ possunt attingi ab intellectu divino in seipsis.

Ad argumentum respondetur, quòd obiectum tunc cognoscitur perfectiùs in seipso quàm in alio, quando non continetur perfectissimè in illo, secùs verò si continetur perfectissimè in illo, sicut creaturæ continentur in essentia divina. Et ob hanc rationem D. August. loco relato num. 71. dixit, quòd *cognitio creaturæ in seipsa decoloratior est, quàm cùm in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte per quam facta est.* Et communiter Theologi, sequentes D. Augustinum, aiunt, quòd cognitio, qua beati cognoscunt creaturas in Verbo, quę appellatur *matutina*, est perfectior non solùm absolutè, sed etiam in ratione cognitionis creaturarum, quàm cognitio in seipsis, quæ dicitur *vespertina*.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd creaturæ possibiles, sivè cognoscantur à Deo immediatè, sivè in omnipotentia, nunquam cognoscuntur ab eo intuitivè, quia ad hoc requiritur, quòd existant pro aliqua differentia temporis. De creaturis, seu existentibus fatemur, Deum habere ab æterno cognitionem intuitivam, quæ, cæteris paribus, perfectior est quàm abstractiva; sed vt illa verificetur, non oportet, quòd illas cognoscat immediatè in seipsis, sed sufficit, quòd eius cognitio, postquàm terminata est per se primò ad omnipotentiam, secundariò & ratione illius terminetur ad eas, prout sunt in se. ¶ Ad secundam respondetur fatendo, quòd creaturæ solùm contineantur virtualiter in essentia divina, seu omnipotentia, vel in alio quocumque attributo: sed hæc continentia, cùm sit perfectissima, sufficit ad eas cognoscendas secundùm suum *esse* formale ratione essentiæ divinæ priùs cognitæ, & perfectiori modo ac si cognoscerentur in seipsis. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd veritates creatæ, quæ sunt per se notæ, quantùm sunt ex se, non indigent aliquo medio, vt cognoscantur, nisi obstaret, quòd intellectus divinus nequit ab alijs specificari: Intellectus autem creatus, quia potest specificari à quacumque veritate, non indiget aliquo medio ad eas cognoscendas.

DISPUT. II.

De Causalitate Divinæ Scientiæ.

HActenus egimus cum D. Thoma de perfectione divinæ scientię in cognoscendo: oportet nunc tractare de eius efficacia in causando. Et ad hunc characterem, dotem, seu prærogativam explicandam, instituimus hanc secundam disputationem. De qua agit D. Thomas hic art. 8. alijsque in locis.

DUBIUM I.

Vtrùm scientia divina sit causa rerum, non solùm directiva, sed etiam effectiva?

1 CUM titulo quęstionis vnum supponimus, & aliud inquirimus. Supponimus, tanquam certum de fide, Deum per intellectum, & voluntatem producere creaturas, ac proinde eius scientiam esse causam, saltèm directivam, omnium rerum. Suppositio hæc, quoad intellectum, habetur in illo Psalm. 135. *Qui fecit cœlos in intellectu.* Et quoad voluntatem, in illo ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Et tandem quoad scientiam, in illo Psalm. 103. *Omnia in sapien-*

tia feciſti: & in illo Proverb. 3. *Dominus ſapientia fundavit terram.*

Et probatur ratione *primo*: Nam agens primum debet ordinare & dirigere res omnes in ſuos fines particulares;hoc ſpectat ad ſcientiam ſeu ſapientiam, cùm ſapientis ſit ordinare: ergo ſcientia Dei eſt cauſa ſaltem directiva omnium rerum. ¶ Et confirmatur: Nam agens naturale non cognoſcens proprium finem debet ab alio dirigi ad illum attingendum:ergo primum agens ita illud producit, quòd ipſum dirigat ad attingendum proprium finem; ſed hæc directio pertinet ad ſcientiam illius: ergo de ratione ſcientiæ eſt concurrere ſaltem directivè ad productionem omnium rerum.

Secundò probatur: Nam ſcientia Dei ita comparatur ad res creatas, ſicut ſcientia artificis creati ad artefacta, vt docet D. Thomas in hoc art. ſed ſcientia artificis eſt cauſa ſaltem directiva operis artefacti: ergo etiam ſcientia divina eſt cauſa ſaltem directiva omnium creaturarum.

2 Tertiò probatur ratione D.Thomæ quæſt. 3. *de Potent.* art. 18.& 2. Contra gent. cap.23. Nam cauſæ primæ, vtpotè perfectiſsimæ, debet attribui modus perfectiſsimus operandi ad *extrà*; ſed modus perfectiſsimus operandi eſt per ſcientiam, & libertatem ſeu voluntatem:ergo Deus operatur omnia per ſcientiam & voluntatem. Minor probatur: Nam agens per ſcientiam,& libertatem ſeu voluntatem dirigit agens per modum naturæ, & eo vtitur tanquam inſtrumento: ergo perfectiſsimus modus operandi eſt per ſcientiam & libertatem ſeu voluntatem. Patet conſequentia: nam agens per modum naturæ, ſi eſt inſtrumentum agentis per ſcientiam & voluntatem, eſt agens inferius & illi ſubordinatum,proindeque agens per ſcientiam,& voluntatem eſt perfectiſsimum.

Confirmatur hoc, & ſimul explicatur: Nam ille modus operandi ad *extrà* eſt perfectior, qui explicat modum, quo ſe habet operans cum operato;ſed *Deum operari liberè*,hoc eſt per ſcientiam, & libertatem,explicat modum, quo ſe habet Deus cum creaturis: ergo. Minor probatur:NamDeus ita ſe habet ad creaturas,quòd non dependeat ab eis,ipſæ verò dependeant à Deo; ſed operans per ſcientiam & libertatem explicat, quòd creaturæ dependeant à Deo, & Deus non dependeat ab eis, vt ex ſe liquet: ergo *operari liberè* explicat modum,quo ſe habet Deus cum creaturis.

Neque ex hoc objicias,productionem creaturæ fore perfectiorem productione perſonarum, quæ eſt actio neceſſaria. Nam, vt inquit D. Thomas loco citato *de Potent.* art. 5. quando actio naturæ terminatur ad aliquid intrinſecum eſſentiæ, & actio voluntatis ad aliquid extrinſecum; tunc actio naturæ eſt perfectior actione libera voluntatis: & productio perſonarum ſe habet primo modo, productio verò creaturæ ſecundo.

Ex his infertur, ad productionem creaturæ tria in Deo concurrere, ſcientiam dirigendo, & præſtituendo finem; voluntatem movendo; & potentiam executivam exequendo;ſicuti hæc omnia in artifice creato conſpici valent.

Deinde inquirimus, an ſcientia Dei non ſolùm directivè, ſed verè efficienter influat in productionem creaturarum? Sententiam negativam tuentur plures Recentiores extrà Scholam D.Thomæ.Sed Thomiſtæ, & plures alij defendunt,ſcientiam divinam non ſolùm eſſe cauſam directivam creaturarum, ſed etiam verè effectivam.

§. I.

Sententia D.Thomæ.

3 DIcendum eſt ergo,ſcientiam divinam non ſolùm præſtare influxum directivum, ſed etiam effectivum in productione creaturarum. Et probatur ex Scripturâ, locis ſuprà relatis, aſſerente proprium eſſe divinæ ſapientiæ omnia facere, & fundare: & 8.Prob. dicitur de illa, *Cum eo eram cuncta componens*; ſed *componere*, *facere*, & *fundare* non ſolùm indicant influxum directivum, ſed etiam effectivum:ergo iuxta Scripturam ſcientia divina eſt cauſa rerum non ſolùm directiva, ſed etiam effectiva.

Et confirmatur ex SS.PP. Nam D.Dionyſius lib. *de Divin.nomin.* cap. 7. ait: *Scientia divina omnium eſt artifex, & ſemper omnia componit.* D. Auguſtinus lib. 5. *de Trinit.* cap. 15. inquit: *Vniverſas creaturas ſpirituales, & corporales,non quia ſunt, ideo novit Deus; ſed ideo ſunt, quia novit.* Idem clariùs aſſeruit lib. 13. Confeſſ.cap. 38. per hæc verba: *Nos itaque iſta, quæ tu feciſti, videmus, quia ſunt; tu autem quia vides ea,ſunt*: ergo cauſa effectiva exiſtentiæ rerum iuxta D. Auguſtinum eſt cognitio ſcientifica Dei. Quem modum loquendi imitati ſunt alij Patres, maximè D.Gregor.lib.20. Moral. cap. 23. & lib. 32. cap. 6. & D. Thomas in præſ. art. 8. ad 1. vt infra dub. 3. dicemus.

4 Deinde probatur ratione D. Thomæ hìc art.8.ſuprà inſinuata: Nam ita ſe habet ſcientia Dei ad creaturas, ſicut ars & ſcientia artificis ad res artificiatas;ſed ars & ſcientia artificis ſunt cauſa operis artificiati non ſolùm directiva, ſed etiam effectiva: ergo ſcientia Dei eſt cauſa creaturarum non ſolùm directiva, ſed etiam effectiva. Minor probatur: Tum ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 57. art 3. vbi ait: *Ars, propriè loquendo, habitus operativus eſt.* Idem expreſsiùs docuit 1. Sent. diſt.38.quæſt.1. art. 1. vbi hæc habet

ver-

verba: *Sicut eſt cauſalitas artificis per artem ſuam, ita conſideranda eſt cauſalitas divinæ ſcientiæ. Eſt ergo iſte proceſſus in productione artificiati. Primò ſcientia artificis oſtendit finem. Secundò voluntas eius intendit finem illum. Tertiò voluntas imperat actum, per quem educatur opus: circa quod opus ſcientia artificis ponit formam conceptam*: ergo, iuxta mentem D. Thomæ, ars & ſcientia in artifice creato influunt effectivè, & non ſolùm directivè, in opus artificiatum. Tum etiam: nam intellectus influit effectivè, & non tantùm directivè, in opus artificiatum; ergo etiam ars. Conſequentia videtur legitima: nam quælibet virtus reſidens in aliqua potentia influit effectivè ad actum ſeu opus virtuoſum, ad quod effectivè concurrit ipſa potentia, cùm de ratione virtutis ſit tribuere potentiæ facultatem boni operis, vt optimè docet D. Thomas loco citato ex 1. 2. art. 4. locisque à ſe ibi citatis: cùm ergo, iuxta mentem Philoſophi, & D. Thomæ, ars ſit virtus intellectualis, oportet, quòd influat effectivè in opus artificiatum, ſi ipſe intellectus hoc modo influit. Antecedens verò probatur: Si forma intellectus eſt principium effectivum operationis, etiam ipſe intellectus debet eſſe principium effectivum illius; ſed iuxta D. Thomam in præſ. *forma intellectus eſt principium operationis artificioſæ, ſicut calor eſt principium calefactionis*: ergo etiam intellectus eſt principium operis artificioſi effectivum. *Adde*: Quòd idea cuiuſcumque operis, ſeu effectus effectivè concurrit ad illum, cum evadat ſibi ſimilis, & quodcumque agens influit effectivè per formam, cui effectus evadit ſimilis ergo etiam intellectus & ars effectivè influunt in opus artificioſum. Vide pro hoc N. Complut. abbrev. in lib. Phyſ. diſp. 9. n. 10.

5 Confirmatur: Intellectus divinus influit effectivè, & non tantùm directivè, in opus ad *extrà*: ergo etiam ſcientia, ars, & prudentia. Antecedens probatur *primò* ex Ariſt. 3. *de Anim.* text. 4. vbi approbat opinionem Anaxagoræ aſſerentis, primum principium omnium rerum eſſe intellectum, qui omnia movet: ergo intellectus divinus influit effectivè, & non tantum directivè, in opus ad *extrà*. Secundo: In Scriptura divina dicitur Deum producere creaturas per dictionem, ſeu locutionem: nam Geneſ. 1. dicitur: *Dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux.* Et Pſalm. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt*; ſed dictio, ſeu locutio interna pertinet ad intellectum; ideoque quia Verbum divinum procedit per *dicere* notionale, aſſerunt Theologi procedere per intellectum: ergo Deus per intellectum influit effectivè in creaturas. *Tertiò*: Deus effectivè cauſat creaturas per ſuam potentiam executivam, ſeu omnipotentiam; ſed omnipotentia conſiſtit in recto in intellectu, vel in aliquo pertinente ad illum: ergo &c. *Quartò & vltimò*: In intellectu divino datur imperium efficax movens efficaciter potentiam executivam ad productionem operis ad *extrà*, ſicut datur in voluntate actus efficax illam efficaciter applicans ad illud producendum; ſed quia voluntas divina movet efficaciter ad productionem effectus, influit etiam effectivè in illius productionem: ergo idem dicendum eſt de intellectu. *Adde*: Nam in intellectu divino debet dari aliquis actus, qui ita ſit formaliter immanens, quòd ſimul ſit virtualiter tranſiens, hoc eſt, quòd ſit practice practicus, vt latiùs oſtendemus in tract. *de Prædeſt.* ſed actus virtualiter tranſiens, ſeu practicè practicus non ſolùm influit directivè, ſed etiam effectivè in opus ad *extrà*: ergo intellectus divinus influit effectivè ad *extrà*.

§. II.

Obiectionum ſolutio.

6 ARguitur *primò*: Eſſentia divina ſub ratione ideæ creaturarum eſt cauſa effectiva illarum: ergo ſcientia non eſt cauſa earum effectiva, ſed tantum directiva. Antecedens eſt certum, iuxta dicta num. 4. in fine. Conſequentia probatur: Nam reſpectu eiuſdem effectus nequit dari multiplex cauſa effectiva eiuſdem ordinis: ergo ſi eſſentia divina ſub ratione ideæ eſt cauſa effectiva creaturarum, nequit talis eſſe ſcientia divina.

Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Ad cuius probationem dicendum eſt, nullum eſſe inconveniens, quòd idem principium effectivum *quod* influat effectivè in eundem effectum per diverſa principia *quibus*, dummodò hæc influant diverſo modo. Et hoc pacto ſe habet adhuc agens humanum, quod ad opus artificiatum influit per voluntatem applicando efficaciter intellectum, & per intellectum imperando efficaciter voluntatem, & per potentiam executivam exequendo opus, ad quod etiam concurrit idea tanquam forma, cui aſſimilatur effectus, & ars per modum virtutis ſe tenentis ex parte principij. Pariformiter ergo contingit in præſenti circa ideam & ſcientiam divinam.

7 Arguitur *ſecundò*: Si ſcientia divina eſſet cauſa rerum effectiva, creaturæ neceſſariò eſſent ab æterno; hoc eſt hæreticum: ergo ſcientia divina non eſt cauſa effectiva rerum. Sequela probatur: nam, poſita cauſa actu cauſante, neceſſariò ponitur effectus; ſed ſcientia Dei, vtpote eius attributum, eſt neceſſaria, & ab æterno non ſolùm in ratione actus primi, ſed etiam in ratione actus ſecundi, cùm impoſsibile ſit, quòd Deo adveniat aliquid intrinſecum in tempore: ergo creaturæ ponerentur neceſſariò ab æterno.

Reſpondetur in primis, hoc argumentum, vel deſtitui omni vi in ordine ad ſcientiam divinam; vel æquè vrgere circa aliud quodcumque prædicatum divinum, quod ſit principium effe-

ctivum creaturarum ; cùm omne prædicatum formale Dei saltem quoad entitatem sit necessarium, & non possit Deo advenire nova aliqua actio in tempore. Deinde respondetur, quòd scientia Dei non est causa rerum, nisi iuxta applicationem liberam divinæ voluntatis ; & cum actio divina sit efficacissima & independens à creaturis, ita eas sibi subjicit non solùm quoad entitatem, sed etiam quoad circumstantias temporis, & loci, quòd ipsa potest esse ab æterno, quin creaturæ sint ab æterno & necessariò.

8 Arguitur *tertiò* : Deus non est causa effectiva rerum per scientiam simplicis intelligentiæ, aut per scientiam visionis ; aliàs non datur in Deo alia scientia : ergo scientia Dei non est causa effectiva creaturarum. Minor pronunc supponitur. Et maior probatur : Nam in primis scientia simplicis intelligentiæ solùm tendit ad creaturas sub ratione *possibilium*, vel si attingit creaturas existentes, est præscindendo ab earum existentia: deinde scientia visionis supponit iam creaturas productas, sicut visio corporalis supponit rem visam : ergo nulla ex his est causa rerum effectiva.

9 Arguitur *quartò*: Si Deus esset causa rerum effectiva, ista causalis, *Ideo Deus videt res existentes, quia sunt*, esset falsa ; & hęc esset vera, *Ideò existentes sunt, quia Deus videt eas existentes* ; sed hoc est contra doctrinam Patrum, maxime contra Origenem, qui super epistolam ad Rom. ait: *Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo*: ergo scientia Dei non est causa rerum.

10 Arguitur *quintò* : Deus est causa rerum per artem : ergo non est causa illarum per suam scientiam. Antecedens videtur certum : nam ars est recta ratio factibilium, sicut prudentia est recta ratio agibilium ; proindeque ars respicit res vt factibiles. Consequentia verò probatur: Nam si scientia Dei esset causa effectiva rerum, respiceret creaturas vt factibiles, proindeque non distingueretur ab arte divina ; sed hoc est falsum, vt insinuatum est disp. præced. num. 42. ergo si Deus est causa rerum per artem, nequit esse causa illarum per suam scientiam.

Ut hi tribus argumentis satis fiat, oportet quatuor specialia dubia excitare, ex quorum resolutione satis constabit solutio illorum. Sit ergo primum.

DUBIUM II.

An scientia visionis, & simplicis intelligentiæ constituant in Deo duo attributa virtualiter distincta : Et an divisio scientiæ divinæ in eas sit adæquata.

11 PRO tituli intelligentia : Nota, scientiam divinam primò dividi in speculativam, & practicam (de qua divisione agit D. Thomas infrà art. 14.) Speculativa est illa, quæ versatur circa rem, quam Deus cognoscit, & non efficit, qualis est scientia, quæ terminatur ad creaturas possibiles. Practica est illa, quæ non solùm cognoscit suum obiectum, sed etiam efficit illud. Unde cùm scientia Dei sit causa omnium rerum, quas Deus vel se solo, vel per causas secundas facit, de omnibus illis scientiam practicam habet. *Mala verò*, inquit ibi D. Thomas, *licèt ab eo non sint operabilia ; tamen sub cognitione practica ipsius cadunt, sicut & bona inquantùm permittit, vel impedit, vel ordinat ea : sicut ægritudines cadunt sub practica scientia medici, inquantùm per artem suam curat eas.*

Secundò dividitur in liberam, & necessariam. Necessaria est illa, quæ antecedit decretum liberum divinæ voluntatis, & quæ non attingit existentiam, vel futuritionem rerum, sed tantùm earum essentias, quæ aliter se habere non possunt: Et scientia hæc terminatur ad creaturas possibiles vt possibiles, sivè ad existentes præscindendo ab actuali & exercita existentia, & ad ipsam existentiam sub ratione cuiusdam quidditatis possibilis præscindentis a sui actuali exercitio. Libera est, quæ supponit quomodocumque decretum : & hæc terminatur ad existentes, & futuras, sivè absolutas, sivè conditionatas.

Tertiò (& est celebrior divisio, & magis vsitata apud Theologos) dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis (de quâ agit D. Thom hic art. 9. alijsque in locis) Scientia simplicis intelligentiæ versatur circa ea, quæ nec sunt nec fuerunt, nec erunt: Et dicitur *simplicis notitiæ*, seu *intelligentiæ*, ad excludendam admixtionem eius, quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vt tradit D. Thomas quæst. 3. *de Verit.* art. 3. ad 3. vel ad excludendum ordinem voluntatis ad res producendas, quem addit scientia approbationis, vt docet Ang. Doctor ibidem ad 8. Scientia visionis est, quæ terminatur ad ea, quæ existunt pro aliqua differentia temporis.

Ultimò dividitur in scientiam approbationis, & improbationis. Prima est ipsa scientia visionis, quatenus attingit bona, & supponit approbationem & decretum divinæ voluntatis. Secunda est ea-

eadem scientia visionis, quatenus versatur circa peccata, quæ Deus non approbat, & ideo non supponit in Deo decretum positivum, sed tantùm permissivum. Quæ divisio fundatur in sacra pagina, in qua dicitur Deum bonos agnoscere, vt Psalm. 1. *Novit Dominus viam iustorum*: Et peccatores ignorare, vt Math. 25. *Nescio vos*. Super quæ verba D. Augustinus serm. 23. de Verb. Dom. interrogans, *Quid est, Nescio vos?* Respondet: *Improbo vos, reprobo vos*.

Ex his omnibus deducitur, quòd omnes scientiæ Dei divisiones continentur sub scientia simplicis intelligentiæ, vel sub scientia visionis. Nam si scientia est speculativa, potest contineri sub scientia simplicis intelligentiæ, quatenus terminatur ad creaturas possibiles; & sub scientia visionis prout attingit Deum. Si est practica, continetur sub scientia visionis, quatenus versatur circa creaturas existentes pro aliqua differentia temporis; & sub scientia simplicis intelligentiæ, prout terminatur ad creaturas futuras conditionatè sub conditione non ponenda in re. Si est libera, contineri potest sub vtraque, quatenus terminatur ad creaturas absolutè futuras, & ad conditionatè futuras. Si est necessaria, continetur sub scientia simplicis intelligentiæ, quatenus attingit creaturas possibiles; & quatenus attingit ipsum Deum, continetur sub scientia visionis.

Quare meritò titulus dubij procedit de scientia simplicis intelligentiæ, & de scientia visionis, tamquam de membris principalibus scientiæ divinæ in communi, & ad quæ aliæ expressiones scientiæ reducuntur. Maximè: quia, estò hoc non ita esset, possunt applicari alijs scientijs, quæcunque dixerimus de scientia simplicis intelligentiæ, & visionis.

§. I.

Prima Conclusio.

12 DIcendum est *primò*, scientiam Dei non dividi in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, tanquam in duo attributa virtualiter distincta. Hæc sententia est communis Theologorum, maximè Thomistarum. Habeturque expressè in D. Thoma 2. *de Verit.* art. 9. vbi sic ait: *Scientia simplicis notitiæ, & visionis nullam differentiam important ex parte scientis, sed solùm ex parte rei scitæ. Dicitur enim scientia visionis in Deo ad similitudinem visus corporalis, qui res extrà se positas intuetur: vnde per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi quæ sunt extrà ipsum, vel præsentia, vel præterita, vel futura; sed scientia simplicis notitiæ etiam est eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt: nec alio modo scit Deus ista, & illa.* Sed quia scientia Dei, sicut & alia attributa, iuxta probabilem aliquorum opinionem virtualiter distinguitur à suo actu, oportet priùs probare nostram, & communem conclusionem quoad habitum.

13 Igitur probatur nostra, & communis conclusio: Nam ineptissimè dividitur scientia Dei in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis tanquam in duo attributa virtualiter distincta, si vtraque non est attributum; sed scientia visionis vt *talis* non est attributum Dei: ergo scientia non dividitur in has duas scientias tanquam in attributa virtualiter diversa. Maior est per se nota. Et minor probatur: Nam scientia visionis vt *talis* est formalissimè libera; sed nullum prædicatum liberum habet rationem attributi, vt vidimus disput. præced. num. 28. ex definitione Damasceni ibi explicata: ergo non est attributum Dei. Maior probatur: Nam scientia visionis, vt terminata ad creaturas existentes, supponit determinationem liberam divinæ voluntatis: ergo est formalissimè libera.

14 Respondebis, scientiam visionis esse necessariâ quoad entitatem. ¶ Optimè: ergo scientia visionis, prout dicit terminationem liberam ad creaturas, non constituit diversum attributum à seipsa secundùm suam entitatem, sivè secundùm suam terminationem necessariam: ergo neque distinguitur attributaliter à scientia simplicis intelligentiæ. Prima consequentia rectè infert. Et secunda probatur: Nam scientia simplicis intelligentiæ non solùm quoad entitatem, sed etiam quoad terminationem ad creaturas possibiles est necessaria: ergo si scientia visionis secundùm suam terminationem liberam non distinguitur attributaliter à scientia necessaria, sive secundùm suam entitatem, non distinguitur attributaliter à scientia simplicis intelligentiæ.

15 Dices: Estò scientia simplicis intelligentiæ sit necessaria quoad entitatem, & terminationem ad creaturas possibiles, & scientia visionis sit necessaria quoad entitatem, aliunde possunt distingui attributaliter, nempè ex diverso modo attingendi essentiam divinam: nam scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad essentiam divinam, prout est ratio cognoscendi necessariò creaturas possibiles; & scientia visionis respicit eam, vt determinatam per decretum, seu prout est ratio cognoscendi liberè creaturas futuras.

Contrà est: Nam Deus per eandem cognitionem potest cognoscere suam essentiam, creaturas possibiles, & futuras: ergo essentia divina, vt est ratio cognoscendi seipsam, creaturas possibiles, & futuras, non constituit rationes formales ad diversificandas attributaliter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. Consequentia videtur legitima. Et antecedens probatur: Quia Deus eadem cognitio-

tione potest comprehensivè cognoscere, & defactò cognoscit suam omnipotentiam, vt causativam in actu primo creaturarum, quo pacto dicit respectum ad creaturas possibiles; & vt actu causantem creaturas existentes: pariterque eadem cognitione potest cognoscere, & defactò cognoscit suam omnipotentiam, & omnia sua decreta: ergo per eandem cognitionem potest cognoscere, & defactò cognoscit suam essentiam, creaturas possibiles, & futuras. Patet consequentia: nam, cognita comprehensivè omnipotentia in actu primo, cognoscuntur omnes creaturæ possibiles; cognita vt actu causante, seu cognitis omnibus decretis, cognoscuntur omnes creaturæ futuræ, & existentes. Antecedens verò probatur: Tum quia eadem cognitione potest cognoscere, & defactò cognoscit voluntatem divinam, vt terminatam ad essentiam divinam secundùm se, & vt terminatam ad creaturas; sicut eadem voluntas eodem actu terminatur ad ipsam essentiam divinam secundum se, & ad creaturas: ergo etiam eadem cognitione potest cognoscere, & defactò cognoscit omnipotentiam vt causativam in actu primo, & vt actu causantem creaturas. Tum etiam: quia Verbum divinum procedit per intellectionem primordialem, vt expressivum non solùm essentiæ divinæ, attributorum, & creaturarum possibilium, sed etiam futurarum, aliàs vel non exprimeret omnia, vel quidquid habet, non haberet à Patre: ergo per cognitionem primordialem, & indivisibilem cognoscit essentiam, attributa, creaturas possibiles, & futuras: ergo etiam per eandem cognitionem scientiæ potest omnia illa cognoscere.

16 Sed objicies *primò*: Cognitio essentiæ divinæ per lumen principiorum, & cognitio attributorum per scientiam distinguntur attributalitèr: ergo etiam cognitio essentiæ, prout est ratio cognoscendi possibilia, est diversa à cognitione essentiæ, prout est ratio cognoscendi futura. *Secundò*: Nam ipsa essentia, prout connotat diversas creaturas, est sufficiens ad distinguendū attributalitèr artem, & prudentiam: ergo prout connotat creaturas possibiles, distinguitur formaliter à se ipsa, prout connotat creaturas futuras. *Tertiò*: De scientia visionis, secundùm id quod importat in recto, verificatur intrinsecè, quòd producit creaturas in actu secundo; quod verificari nequit de scientia simplicis intelligentiæ: ergo signum est, quòd distinguuntur virtualitèr.

Ad primam objectionem respondetur, permittendo antecedens; & negando consequentiam: Nam si illatio esset bona, cognitio primordialis ratione sui non posset terminari ad attributa; quod est falsissimum. Sequitur etiam, quòd eadem cognitio scientiæ simplicis intelligentiæ non possit terminari ad totum Deum, & ad creaturas possibiles. Nam posset quis argue-re: *Essentia, vt cognita per lumen principiorum, est sufficiens ad distinguendam illius cognitionem ab ea, qua cognoscuntur attributa: ergo multò magis Deus cognitus per quemlibet cognitionem terminabit cognitionem distinctam ab ea, quæ terminatur ad creaturas.* Quæ illatio non est recta: Quia ipsa essentia divina, vt per se nota, constituit diversam rationem formalem obiectivam à seipsa, vt est causa seu radix virtualis attributorum, & realis creaturarum, vt contingit in creatis: sed ipsa essentia divina, vt est ratio formalis cognoscendi seipsam, non est diversa obiectivè à seipsa, prout est ratio cognoscendi possibilia; neque prout est ratio cognoscendi possibilia, est ratio formalis diversa à seipsa, prout est ratio cognoscendi existentia; alias per eandem cognitionem non posset Deus cognoscere hæc omnia; quod est falsum, vt suprà monstratum est: Et demonstrari potest in visione beata creata: quæ, cùm sit vna & indivisibilis cognitio, terminari potest ad Deum, ad aliqua possibilia, & existentia.

Ad secundam respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Nam ideo ars, & prudētia in creatis habent ex genere suo diversa obiecta formalia: quia vna est recta ratio agibilium, & alia factibilium. Cæterùm cognitio possibilium, & existentium, adhuc in creatis, non distinguntur virtualitèr. In cuius signum videmus, quòd Christus per eandem visionem beatam comprehensivè cognoscit creaturam existentem sub ratione *quidditatis* præscindentis ab existentia, quo pacto habet rationem simplicis notitiæ; & sub ratione *existentiæ*, quo modo habet rationem scientię visionis: Idemque servat cognitio scientię infusæ, necnon cognitio angelica adhuc naturalis. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd si loquamur de scientia simplicis intelligentiæ quoad entitatem, falsum omninò est, quòd actu non producat creaturas: quia scientia, quæ in actu primo potest producere creaturas, potest etiam in actu secundo illas producere; aliàs diversum attributum esset actus primus, & actus secundus. Cum quo stat optimè, quòd, prout subit denominationem scientiæ *simplicis intelligentiæ*, non verificetur, actu producere creaturas: quia ad eas producendas requiritur connotatio determinationis liberę divinæ voluntatis, quam sub illa denominatione non connotat, sed sub denominatione *visionis*, quæ tantùm addit supra primam actuale exercitium producendi creaturas: Quod est idem ac dicere, quòd ipsamet indivisibilis scientia, quæ non connotando decretum est tantùm productiva in actu primo; vt applicata per decretum, ipsamet producit eas in actu secundo. Sed de hoc dub. seq.

17 Ex his facilè probatur, quòd hæ duæ scientiæ non distinguntur virtualitèr quoad actum. Tum quia in Deo nullum attributum distin-

distinguitur virtualiter à suo actu, vt dicemus in tract. sequenti: ergo si hæ duæ scientiæ non distinguntur virtualiter quoad habitum, nec debent distingui quoad actum. Tum etiam: quia idemmet habitus scientiæ in Deo est sufficiens ad cognoscenda possibilia, & existentia; sed non minus infinitus est actus cognitionis, quàm habitus: ergo etiam eademmet indivisibilis cognitio terminatur ad possibilia, & existentia.

§. II.
Secunda conclusio.

18 DIcendum est *secundò*, scientiam Dei dividi adæquate in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis, proindeque non dari scientiam mediam inter vtranque. Hæc conclusio fuit adeò certa apud antiquos Scholasticos, vt nulla fuerit iuxta illos circa hoc controversia. Et ne ab illis discederent, & aliquam novitatem introducerent Patres Societatis, nullam admittunt scientiam mediam inter duas scientias suprà relatas, licèt illam admittant inter scientiam liberam, & necessariam: quamvis Pater Vazquez 1. part. q. 67. cap. 4. num. 27. Granados, & alij non renuant hanc novitatem introducere. Sed prætermissa pronunc hac scientia media, quam adstruunt Patres Societatis sivè inter scientiam liberam, & necessariam; sivè inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, quia circa eam erit nobis cum illis prolixa disputatio: nostra conclusio, quæ est communis inter Thomistas, procedit præcipuè contra Ioannem Vincentium, qui Relect. *de Gratia* quæst. 6. dub. 1. asserit, scientiam approbationis esse membrum dividens scientiam divinam, & medians inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: putat enim, Deum per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere possibilia; per scientiam visionis omnia existentia, sive futura in seipsis, prout sunt præsentia in sua æternitate; & inter has duas mediare scientiam approbationis, per quam Deus cognoscit futura vt futura, id est in suis causis, quod obiectum est medium inter possibile, & existens.

Nostra tamen sententia habetur expressè in D. Thoma hic art. 9. in corp. Cuius ratione probatur: *Quædam*, inquit, *licèt non sint nunc actu, tamen vel fuerunt, vel erunt: Et omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis::: Quædam verò sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt: Et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis sed simplicis intelligentiæ.* Sed inter ea, quæ sunt, vel aliquando erunt, vel fuerunt, & quæ nunquam sunt, erunt, vel fuerunt, non est assignabile obiectum medium: ergo neque assignabilis est scientia media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis; proindeque scientia Dei dividitur adæquatè in has duas scientias.

19 Respondet Vincentius, verum esse, quòd inter existens, & non existens nullum datur medium; sed inter possibile, & existens datur, nempè futurum vt *futurum*. Undè cùm scientia simplicis intelligentiæ terminetur ad possibile vt *possibile*, & scientia visionis ad existens vt *existens*, scientia Dei, quæ terminatur ad futurum vt *futurum*, erit media inter eas: & hanc vocat *approbationis*.

Contrà est *primò*: Nam D. Thomas in hoc art. 8. non distinguit scientiam approbationis à scientia visionis, per hoc quòd hæc terminetur ad existens vt *existens*, & illa ad futurum vt *futurum*; vtraque enim terminatur ad existens vt *existens*; sed per hoc quòd scientia approbationis terminatur ad existens, quod petit approbationem, & causalitatem divinæ voluntatis, vt sunt omnes effectus ab eo causati; & scientia visionis terminatur ad existens, estò non terminet causalitatem, & approbationem divinæ voluntatis, vt sunt peccata: ergo obiectum futurum vt *futurum* non est obiectum scientiæ approbationis. ¶ *Secundò*: Nam falsum est, quòd Deus cognoscat futurum vt *futurum*: ergo licet respectu nostri futurum sit medium inter possibile, & existens; non verò respectu cognitionis divinæ. Antecedens probatur: Nam Deus cognoscit futurum in decreto suæ voluntatis; sed in decreto suæ voluntatis nequit cognoscere futurum vt *futurum*: ergo Deus non cognoscit futurum, vt *futurum*. Minor probatur: Nam in instanti decreti, hoc est à *nunc* æternitatis, futura iam existunt in mensura æternitatis: ergo respectu cognitionis divinæ futurum aliàs non est futurum.

Explicatur: Implicat, quòd futurum sit respectu æternitatis futurum, & existens, sicut repugnat, quòd in eodem instanti nostri temporis res sit futura, & existens; sed respectu æternitatis mensurantis cognitionem divinam futurum est existens: ergo neque est futurum respectu æternitatis, neque cognoscitur vt *futurum* à cognitione divina. Patet consequentia: nam cognitio divina non terminatur ad res futuras, prout sunt nobis futuræ, licèt cognoscat esse nobis futuras, sed prout sunt sibi præsentes.

20 Sed potest responderi pro Vincentio, quòd præter cognitionem, quam Deus habet de futuris aliquomodò in seipsis, prout existunt in mensura æternitatis, habet alium modum cognoscendi ea in suis causis, quod est cognoscere ea vt *futura*. Ad quod explicandum non parùm conducit, quòd diximus tract. 1. disp. 5. num. 29. vbi notavimus, quòd estò æternitas Dei sit omninò indivisibilis, & tota simul, potest tamen concipi cum diversis virtualitatibus seu finibus, itaut secundùm vnum finum seu virtualitatem tangat diem hodiernum, in quo existit præ-

præcisè causa, & non effectus illius, & secundùm alium tangat diem crastinum, in quo effectus egreditur ex determinatione suarum causarum. Iuxta quod nulla repugnantia videtur dari in eo, quòd secundùm virtualitatem continentem actu existentiam causæ, & non existentiam effectus, cognoscat effectum vt *futurum*, licèt ratione virtualitatis continentis actu tempus, in quo existit effectus, non cognoscat illum vt *futurum*.

Sed contrà est *primò*: Nam si cognitio divina terminaretur ad futurum non solùm vt *præsens* sibi physicè ratione æternitatis, sed etiam vt *futurum*, aliquis ordo præteriti ad futurum daretur inter cognitionem divinam, & eventum ipsius futuri: sed hoc est falsum, & contra D. Thomam quæst. 2. *de Verit.* art. 12. vbi ait: *Tunc aliquid cognoscitur vt futurum, quando inter cognitionem cognoscentis, & rei eventum invenitur ordo præteriti ad futurum. Hic autem ordo inveniri non potest inter cognitionem divinam, & quancumque rem contingentem, sed semper ordo divinæ cognitionis ad rem quancumque est sicut præsentis ad præsens*: ergo.

21 *Secundò*: Nam si cognitio Dei attingeret futurum non solùm vt *præsens*, sed etiam vt *futurum*, præter modum cognoscendi futura in seipsis, haberet alium modum cognoscendi illa præcisè in suis causis sistendo ibi, itaut ex vi huius modi cognoscendi non ferretur ad eventum futurum in seipso; sed hoc etiam est falsum, & contra D. Thomam, qui quæst. 12. *de Verit.* art. 10. sic ait: *Circa futurorum cognitionem duo est considerare, scilicet ipsum ordinem causarum ad futuros eventus, & exitum sive executionem huius ordinis ::: Quæcumque igitur virtus creata aliquam cognitionem habet de futuris, sua cognitio non fertur nisi ad ordinem causarum::: Sed Deus non solùm cognoscit futura ratione ordinis causarum, sed quantum ad ipsum exitum vel executionem ordinis. Et ratio est: quia eius intuitus æternitate mensuratur::: Vnde vno simplici intuitu videt, & ad quid causæ sunt ordinatæ; & qualitèr ordo ille impleatur. Hoc autem creaturæ est impossibile, cuius intuitus limitatur ad aliquod tempus determinatum. Vnde cognoscit ea, quæ sunt in illo tempore; futura verò in tempore, quando adhuc sunt futura, non sunt nisi in ordine suarum causarum. Vnde sic solummodò à nobis cognosci possunt: vt rectè considerantibus appareat in hoc, quòd futura præscire dicimus, esse magis præsentium, quàm futurorum scientiam habere*: Ergo cognitio Dei nequit vllo modo terminari ad futurum, vt *futurum*.

22 Explicatur hæc doctrina D. Thomæ: Nam futurum nequit cognosci, nisi vel prout existit in seipso, vel prout existit præcisè in determinatione suarum causarum; sed Deus, sivè cognoscat futurum vt existens in seipso, sivè vt existens in determinatione suarum causarum; non potest cognoscere illud vt *futurum*: ergo præter modum cognoscendi illud intuitivè, non habet alium modum cognoscendi vt *futurum*. Maior est D. Thomæ infrà art. 13. & minor quoad primam partem est certa. Quoad secundam verò probatur: Tum, quia Deus cognoscens futura in determinatione suarum causarum non fistit præcisè in cognitione causarum, & earum ordinis ad effectus vagè sumptos (hic enim modus cognoscendi est imperfectus, & Deo indignus) sed transit ad cognoscendum eorum eventus, & executionem, hoc est effectus in seipsis, sed eo ipso nequit cognoscere futurum vt *futurum* ergo. Probatur minor: Implicat, quòd futurum sit reipsà existens respectu cognitionis divinæ, & quòd cognoscatur vt *futurum*; sed estò futurum cognoscatur à Deo in determinatione suarum causarum, dummodò cognoscatur media illa in seipso, est existens respectu cognitionis divinæ, cùm terminetur ad illud, vt physicè existens in æternitate: ergo si cognitio divina, media determinatione causarum, transit ad cognoscendum futurum in seipso, nequit illud cognoscere vt *futurum*. Tum etiam: quia nulla causa creata futuri est sufficiens medium ad cognitionem illius in seipso, quia nulla est, quæ non possit impediri ab alia superiori: ergo, cùm cognitio Dei sit certissima & infallibilis, solùm potest cognoscere futurum in suo decreto: in quo non potest cognoscere illud vt *futurum*.

Et confirmatur: Nam notitia, qua Deus cognoscit futura in suo decreto, secundùm eandem virtualitatem est notitia ipsius futuri aliquomodò in seipso, eo quòd futurum nequeat cognosci immediatè in seipso, vt latè probatum manet disp. præced. dub. vltimo; sed prout cognoscitur in decreto, nequit cognosci vt *futurum*. ergo. Minor probatur: Nam in eadem virtualitate æternitatis, in qua existit decretum de futuro, existit etiam ipsum futurum: ergo nequit in decreto cognosci vt *futurum*.

23 Sed pro huius maiori luce objicies: Nullum est inconveniens, quòd Deus ratione æternitatis, & secundùm virtualitatem, quæ correspondet *nunc* nostri temporis, cognoscat Antichristum vt *futurum*, licèt ratione virtualitatis, quæ correspondet tempori Antichristi, cognoscat illum existentem: ergo in Deo datur scientia approbationis, quæ non sit visionis. Antecedens probatur: Tum, quia cognitio divina habet à sinu æternitatis correspondente *nunc* nostri temporis esse cognitionem Antichristi; sed ratione virtualitatis correspondentis *nunc* nostri temporis nequit cognoscere illum vt existentem, cùm ratione illius non sit existens, sed futurus: ergo. Tum etiam: quia cognitio divina non coëxistit adæquate Antichristo, neque Antichristus est illi adæquate coëxistens, sicut neque tempus Antichristi adæquatè coëxistit æternitati, neque

æternitas adæquatè coëxistit Antichristo, aliàs Adamus, & Antichristus essent coëxistentes, non solùm in æternitate, sed etiam in se & absolutè: ergo cognoscit illum vt *futurum*.

Confirmatur: Nam estò nequeat Deus cognoscere determinationem causarum Antichristi, quin ex vi cognitionis illarum cognoscat illum aliquomodò in seipso; non tamen repugnat, quòd cognitio Dei secundùm virtualitatem, qua cognoscit causas Antichristi, cognoscat, tunc non existere Antichristum: ergo neque repugnat, quòd ita cognoscat causas Antichristi intuitivè, quòd ex vi illius virtualitatis cognoscat Antichristum vt *futurum*. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: nam si cognoscit illum, vt non existentem respectu virtualitatis terminatæ ad causas, nequit non, ratione illius virtualitatis, cognoscere illum vt *futurum*: ergo.

Hæc obiectio simul cum confirmatione duplici æquivocatione laborat. Prima est, quòd æternitas divina ita habet sinus, & virtualitates diversas per ordinem ad diem hesternum, hodiernum, & crastinum, quòd hæ virtualitates distinguantur virtualitèr adæquatè, eo modo quo duo attributa: si enim sufficiunt, vt in Deo verè, & propriè detur cognitio futuri vt *futuri*, necessariò fatendum est, quòd in ipsa æternitate cum fundamento in re detur virtualitas quædam, quæ ita correspondeat *nunc* nostri temporis, vt non correspondeat tempori Antichristi: Quod idem est ac admittere duas æternitates virtualitèr & adæquatè distinctas, quod est falsissimum. Alia est, quòd, permissis his virtualitatibus aut sinibus virtualitèr cum fundamento in re, sivè præcisè ex nostro modo concipiendi distinctis, in qualibet ex illis Deus cognoscit omnia. Quod etiam falsissimum est; sicut falsum est, quòd in virtualitate omnipotentiæ, qua præcontinet equum, distincta à virtualitate præcontinente hominem, cognoscat hominem: par enim est vtrobique ratio. Non negamus, quòd sicut omnipotentia, ratione virtualitatis qua continet aliquam causam creatam, continet etiam effectum præcontentum in ea, vel sicut virtualitas omnipotentiæ præcontentiva causæ creatæ sub se continet virtualitatem præcontentivam effectus; ita æternitas ratione vnius virtualitatis connectatur cum alia. Cæterùm quod putamus chimæricum est, quòd Deus in virtualitate æternitatis correspondente *nunc* nostri temporis cognoscat omnia: Quod oportebat, vt ratione illius posset cognoscere futurum, vt *futurum*. Relegatis igitur his æquivocationibus:

Respondetur ab obiectionem, negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, quòd æternitas divina eadem virtualitate, qua correspondet *nunc* nostri temporis, correspondet ex parte rei conceptæ tempori Antichristi; & hoc sufficit, vt reipsà cognitio Dei nequeat terminari ad Antichristum vt *futurum*. Quinimò, estò ex modo concipiendi virtualitas illa, quæ correspondet *nunc* nostri temporis, non correspondeat tempori Antichristi, non sufficit, vt adhuc ex modo concipiendi, cognoscat illum vt *futurum*. Et ratio est: quia Antichristus, vel non cognoscitur in sinu correspondenti *nùnc* nostri temporis; vel si cognoscitur, est, quia sinus ille correspondet causæ *nùnc* existenti, & hic sinus connectitur cum sinu correspondente tempori Antichristi, sicut causa connectitur cum effectu, alitèr effectus non posset vllo modo cognosci; & cognitio terminata ad sinum correspondentem *nunc* nostri temporis, in quo existit causa, & ad ipsam causam eadem indivisibili terminatione, adhuc ex nostro modo concipiendi, terminatur ad sinum correspondentem tempori Antichristi, & ad ipsum Antichristum. Et hæc est ratio, cur cognitio Dei non terminatur, adhuc ex nostro modo concipiendi, ad Antichristum vt *futurum*, quia nimirùm attingit semper illum vt existentem in sinu proprio. Per quod satis constat ad secundam probationem, & confirmationem.

§. III.

Argumenta contra secundam conclusionem.

24 COntra primam assertionem nulla extat opposita sententia: rationes verò dubitandi præoccupatæ manent num. 19. ¶ Contra secundam sentit Ioannes Vincentius relatus num. 21. Pro cuius opinione arguitur *primò* ex D. Thoma, qui quæst. 3. *de Verit.* art. 3. ad 8. sic loquitur: *Simplex notitia dicitur non ad excludendum respectum scientiæ ad scitum, qui inseparabilitèr omnem scientiam comitatur; sed ad excludendum admixtionem eius, quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis; vel ordo voluntatis ad res scitas producendas, quem addit scientia approbationis.* Ego iuxta D. Thomam scientia Dei dividitur, tanquam in tria membra, in scientiam simplicis intelligentiæ, approbationis, & visionis.

Respondetur, iuxta dicta num. 22. scientiam approbationis non distingui à D. Thoma à scientia visionis tanquam scientiam à scientia, sicut sæpè distinguit scientiam visionis à scientia simplicis intelligentiæ. Distinguit ergo illas per hoc, quòd scientia approbationis addit, seu supponit approbationem divinæ voluntatis, quam non prærequirit scientia visionis: ob hoc enim scientia approbationis non est alia in ratione *scientiæ* à scientia visionis, quia circa ea, quæ Deus producit, habet scientiam approbationis, quia supponunt approbationem divinæ vo-

voluntatis; quæ tamen est simul visionis, quia versatur circa existentia. Ex quibus liquet, quòd licèt omnis scientia approbationis sit scientia visionis, non tamen econversò: quia scientia visionis versatur circa peccata, quæ nequeunt approbari à Deo.

25 Arguitur *secundò*: Deus cognoscit non entia, vt chimæram, & alia similia; sed ea non cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, aut visionis: ergo divisio scientię in has duas scientias non est adæquata. Minor quoad primam partem probatur: Nam scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad possibile inquantùm *tale*; sed chimæra non est possibilis: ergo non cognoscit illam per scientiam simplicis intelligentiæ. Quoad secundam etiam suadetur: Nam per scientiam visionis Deus solùm cognoscit, quæ sunt illi præsentia in æternitate; sed chimæra nequit existere in æternitate, cùm nequeat habere veram existentiam: ergo nequit cognosci per scientiam visionis.

Respondetur, chimęram posse considerari dupliciter, vel sub statu possibilitatis, hoc est, prout solùm est in potentia fictiva illius non determinata ad eius actualem fictionem; vel sub statu existentiæ, cuius est capax. Si primo modo consideretur, cognoscitur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ: quia intellectus, qui est potentia fictiva illius, comprehenditur à Deo, proindeque non requiritur vt sic cognoscatur, posse habere veram existentiam, sed sufficit, quòd possit habere per operationem intellectus existentiam fictam. Posteriori modo considerata, cognoscitur à Deo per scientiam visionis: ad quod non est necessarium, quòd ipsa ratione sui existat in mensura æternitatis, sed sufficit, quòd actus fingens habeat illam physicè in æternitate.

26 Arguitur *tertiò*: Nam scientia, qua Deus cognoscit futura conditionata, quorum conditio nunquam ponenda est, non est scientia simplicis intelligentiæ, neque visionis: ergo est alia scientia distincta ab eis. Antecedens probatur quoad primam partem: Nam scientia simplicis intelligentiæ excludit omne decretum divinæ voluntatis, proindeque tantùm est possibilium; sed futura prædicto modo conditionata, iuxta sententiam Thomistarum, cognoscuntur in decreto absoluto Dei, qui absolutè decernit existentiam illorum, ex suppositione quod ponatur conditio: ergo non cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ. Quoad secundam partem etiam ostenditur: Nam per scientiam visionis solùm cognoscit Deus, iuxta D. Thomam, quæ fuerunt, sunt, vel erunt; sed prædicta futura nunquam erunt: ergo neque cognoscit ea per scientiam visionis.

Huic argumento non eodem modo respondent, qui prædictam divisionem, vt adæquatam defendunt. Primò respondet Ferre, futura conditionata cognosci per scientiam visionis, quæ est talis reductivè & secundùm quid. ¶ Contrà tamen est: Tum quia D. Thomas perpetuò tradit, scientiam visionis solùm terminari ad existentia pro aliqua differentia temporis, quia existunt in æternitate; sed futura conditionata, quorum conditio nunquam ponenda est, non existunt pro aliqua differentia temporis, proindeque defactò non existunt in æternitate: ergo nequeunt terminare notitiam intuitivam Dei, seu visionis. ¶ *Tum etiam*: Nam propterea futura conditionata terminarent scientiam visionis, quæ esset talis secundùm quid, quia sunt extrà Deum conditionatè ex vi decreti absoluti, & obiectivè conditionati; sed hoc non sufficit ad terminandam scientiam visionis, adhuc secundùm quid ergo. Probatur minor: Nam ad cognitionem intuitivam futuri non sufficit videre determinationem causæ, cognoscendo in ea futuritionem, sed vltrà requiritur, quòd existat effectus pro aliqua differentia temporis, & semper in æternitate; aliàs possibilia vt *talia* terminarent notitiam intuitivam, quia existunt extrinsecè in causa. *Explicatur*: Supponendo prius, futura conditionata ita habere existentiam conditionatam ex vi decreti intrinsecè absoluti, & extrinsecè conditionati, quòd simul carent absolutè existentia ex vi alterius decreti tàm intrinsecè, quàm extrinsecè absoluti. Quo supposito, impugnatur sic prædicta solutio: Nam non minùs potens est decretum secundum, vt in eo cognoscatur non existentia absoluta futuri conditionati, quam decretum conditionatum, vt in eo cognoscatur existentia illius conditionata; sed ex vi decreti omnibus modis absoluti, terminati ad futurum conditionatum, nequit hoc terminare scientiam visionis: ergo neque ex vi decreti conditionati potest terminare scientiam visionis. Patet consequentia; aliàs terminaret simul notitiam abstractivam, & intuitivam.

27 Secundò respondet Godoy disp. 29. num. 25. scientiam futuri conditionati esse simplicis intelligentiæ. ¶ Sed contrà *primò* obiciunt Ferre quæst. 4. §. 4. & Illust. Palanco. q. 9. num. 8. doctrinam D. Thomæ relatam num. 27. vbi ait, simplicem notitiam dici talem per exclusionem existentiæ, quam addit scientia visionis, & per exclusionem ordinis voluntatis, quem addit scientia approbationis; sed notitia futuri conditionati addit approbationem & decretum divinæ voluntatis, in quo Deus illud cognoscit: ergo non terminat scientiam simplicis intelligentiæ. ¶ *Secundò*: Nam iuxta Div. Thomam scientia approbationis distinguitur à scientia simplicis intelligentiæ, & est scientia visionis; sed scientia, quæ supponit actum divinæ voluntatis, vt est scientia futuri conditionati, est scientia approbationis: ergo &c. ¶ *Tertiò*: Nam iuxta eundem Angelic. Præcept. scien-

scientia simplicis intelligentiæ tantùm est practica in virtute, seu actu primo, sed scientia futuri conditionati est practica in actu secundo: quia licèt non efficiat obiectum, extorquet tamen defactò, & supponit actum liberum divinæ voluntatis: ergo non est simplicis intelligentiæ.

28 Tertiò respondet Illust. Palanco loco suprà relato à num. 11. media via incedens, quòd futurum conditionatum, consideratum secundùm id quod habet intrinsecè, terminat notitiam simplicis intelligentiæ, quia est merè posibile; sed consideratum secundùm id quod habet extrinsecè in causa, terminat scientiam visionis, quia proutsic iam exist it: Futurum enim, inquit, nihil habet in se præter quidditatem posibilem, & determinationem causarum, cùm, in sententia Thomistarum, futurum vnicè consistat in decreto denominante extrinsecè rem posibilem ad existentiam absolutam, vel conditionatam; proindeque futuritio nihil addit supra posibilitatem intrinsecam rerum præter decretum existens ab æterno. Certum ergo est, quòd ad posibile terminatur scientia simplicis notitiæ, & ad existens absolutè, quale est decretum de futuro conditionato, scientia visionis.

29 Pro solutione tamen huius argumenti: Nota *primò* cum D. Thoma quæst. 2. *de Verit.* art. 9. ad 2. quòd *per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi quæ sunt extra ipsum.* Quocirca, dum D. Thomas divisit scientiam Dei penes scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, solùm eam divisit respective ad obiecta secundaria, quæ sunt extra Deum, & distincta ab ipso: supponendo ex consequenti, quòd scientia de Deo, prout est in se, est extra prædictam divisionem: siquidem non est scientia simplicis intelligentiæ, quia est de re non existente: neque scientia visionis, quia, vt dicit D. Thomas, per hanc scientiam solùm cognoscit, quæ sunt extra ipsum. Neque scientiam, quam Deus habet de seipso prout est in se, aliquis appellavit scientiam *mediam*. ¶ Nota *secundò*, non posse determinari, per quam scientiam Deus cognoscat futurum conditionatum, nisi dependenter à modo ponendi constitutivum futuri vel absoluti, vel conditionati. Nam si futurum constituitur formalitèr per determinationem causæ primæ, vel secundariæ, standum est solutioni traditæ à Palanco, nempè quòd futurum conditionatum, secundùm id quod importat extrinsecè, cognoscitur per scientiam, qua Deus cognoscit seipsum, quia existit defactò decretum; vel per scientiam visionis (de qua D. Thomas in prædicta divisione) quia etiam existunt causæ secundæ. Secundùm verò quod importat intrinsecè, cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ (quæ iuxta hanc sententiam est tantùm necessaria) quia nihil habet futurum vt *tale*, præter decretum, nisi suam quidditatem posibilem, vt optimè viderunt N. Salmant. in hoc tract. disp. 7. dub. 3. à num. 37. maximè num. 39. Iuxta quam positionem rejicitur solutio ex Ferre suprà impugnata: quia in eius sententia futurum, præter decretum, addit suprà posibilitatem rerum veritatem aliquam intrinsecam contingentem. Et fortiùs rejicitur solutio suprà insinuata, & tradita ab Illustris. Godoy: quia ex vna parte tenet prædictum modum constituendi futurum; & ex alia docet, futurum terminare scientiam simplicis intelligentiæ non necessariæ, sed liberæ, quæ implicatoria sunt.

30 Si verò futurum constituatur per aliquam veritatem obiectivam sibi intrinsecam, & contingentem dependentem à decreto, tanquam à causa quasi efficienti, & distinctam à veritate necessaria posibilium, vt vult Ferre, & valde probabile reputant N. Salm. in hoc tract. disp. 9. à num. 72. fatendum est, futurum conditionatum terminare scientiam simplicis intelligentiæ, vt optimè docent ijdem PP. loco citato à num. 50. ¶ Cui modo dicendi non officit vlla ex illis obiectionibus adductis num. 27. *Non prima*: Nam scientia simplicis intelligentiæ solùm excludit existentiam absolutam, & ordinem voluntatis ad res scitas producendas absolutè, non verò conditionatam, seu ordinem voluntatis ad illas producendas conditionatè. Et sic intelligendus est D. Thomas: vt non obscurè colligitur ex alio eius testimonio relato num. præcedenti, in quo dicit, quòd Deus *per scientiam visionis non dicitur scire nisi quæ extra ipsum sunt*: quod dictum absolutè solùm verificatur de futuris absolutis, non autem de conditionatis. Et si hoc testimonium Adversarij interpretantur de his, quæ sunt extra Deum conditionatè, quæ possunt terminare notitiam intuitivam secundùm quid, cur primum testimonium nobis obiectum non poterimus nos interpretari de scientia simplicis intelligentiæ secundùm quid? prout excludit præcisè existentiam absolutam rerum, quo pacto proximè accedit ad scientiam visionis, sicut supremum infimi attingit infimum supremi, vt perspicuè notarunt N. Salm. loco relato ex num. 50. *Neque secunda vrget*: Nam scientia approbationis, quæ secundùm D. Thomam est etiam visionis, & distinguitur à scientia simplicis intelligentiæ, est scientia approbationis simplicitèr, secus verò illa quæ est secundùm quid, qualis est scientia terminata ad futura conditionata, quorum existentiam Deus non approbat absolutè, sed potiùs reprobat absolutè. *Neque tertia*: Nam propterea D. Thomas ait, scientiam simplicis intelligentiæ esse practicam præcisè in actu primo, quia defactò non producit existentiam absolutam. Cum quo rectè cohæret, quòd producat defactò existentiam conditionatam, & distinguatur à scientia visionis, cuius munus est producere, quæ sunt, fuerunt, vel erunt absolutè, vt loquitur D. Thom. in præf. art. 9.

§. IV.

Duobus dubiolis fit satis.

31 PRO complemento divisionis scientiæ divinæ in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: Inquires *primò*: An Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat quidditates possibiles, quæ aliquando erunt? ¶ Respondetur affirmativè. Et probatur hac brevi ratione: Nam quidditates rerum, de quibus Deus decrevit, quòd aliquando existant, sunt obiectum necessarium quoad connexionem suorum prædicatorum essentialium: ergo non terminant scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Nam scientia visionis, prout terminatur ad creaturas, est formaliter libera: ergo eius obiectum est etiam liberum, & contingens: ergo si quidditates rerum, quæ aliquando erunt, sunt obiectum necessarium, nequeunt terminare scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ.

Et confirmatur *primò*: Verbum divinum procedit per se nunc, & ab æterno ex cognitione omnium possibilium, quia sunt obiectum necessarium: econtrà ex cognitione existentium solùm procedit peraccidens, quia est obiectum contingens; sed ab æterno procedebat per se ex cognitione quidditatum, quæ aliquando erunt, quatenus præcedebant decretum: ergo etiam defactò procedit per se ex cognitione earum, estò supponant decretum. Patet consequentia: quia existentia decreti non tollit necessariam connexionem prædicatorum essentialium illarum quidditatum, & Verbum nunc procedens est eiusdem prorsùs rationis cum seipso, prout procedebat ab æterno.

32 Sed objicies *primò* ex D. Thoma in præs. art. 9. vbi ait: *Quædam enim, licèt non sint actu, tamen vel fuerunt, vel erunt: & omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis:: Quædam verò sunt, quæ sunt in potentia Dei vel creaturæ, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt: & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ*: Ergo, iuxta D. Thomam, quæ aliquando erunt, non cognoscuntur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ. ¶ *Secundò*: Nam scientia simplicis intelligentiæ est notitia abstractiva; sed de possibilibus, quæ sunt futura, nequit Deus habere notitiam abstractivam, eo quòd sunt præsentia in æternitate: ergo &c. ¶ *Tertiò*: Ad notitiam abstractivam non sufficit, quòd res cognoscatur præscindendo ab existentia, sed requiritur, quòd cognoscatur vt positivè absens cognitioni, sicut ad notitiam intuitivam requiritur, quòd cognoscatur vt physicè præsens; sed quiditas rei, quæ aliquando erit, nequit cognosci vt physicè absens; aliàs cognoscerentur aliter ac est in se: ergo &c.

Ad primam respondetur, quòd D. Thomas in prima propositione, inqua agit de his, quæ cognoscuntur per scientiam visionis, meditatò non posuit particulam exclusivam: econtrà verò in secunda, in qua agit de eis, quæ cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ, posuit particulam exclusivam: quasi diceret, quòd ad scientiam simplicis intelligentiæ privativè attinet cognoscere ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt; sed ea, quæ aliquando erunt, ita terminant scientiam visionis, quòd sub aliqua expressione sui possunt terminare scientiam simplicis intelligentiæ.

Ad secundam respondetur, concedendo maiorem; sed negando minorem. Nam estò futura sint præsentia physicè in æternitate, & hoc modo cognoscantur à scientia Dei sub expressione *visionis*, seu notitiæ intuitivæ; attamen possunt ita attingi ab illa, quòd in sui ratione formali præscindatur ab existentia illorum, & solùm attingantur secundùm connexionem necessariam suorum prædicatorum essentialium: & hoc modo attacta terminare possunt scientiam Dei sub expressione notitiæ *simplicis*, seu *abstractivæ*. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd, eo ipso quòd ad notitiam intuitivam requiratur necessariò, quòd res cognoscatur, vt positivè & physicè existens, necessarium etiam est, quòd si cognoscatur vt præscindens ab existentia, estò positivè illam non excludat, terminet notitiam abstractivam: proindeque ad notitiam abstractivam sufficit, quòd res cognoscatur, vel vt non habens existentiam, vel vt præscindens ab ea. Igitur, eo ipso quòd Deus cognoscat rem existentem, necessariò illam cognoscit vt existentem, cum eius cognitio extendatur ad omnia sub omnibus expressionibus: sed non oportet, quòd sub omni expressione, qua res existens cognoscitur, cognoscatur vt *existens*: nam dum Deus rem existentem cognoscit necessariò absolutè secundùm connexionem necessariam suorum prædicatorum essentialium, rem existentem cognoscit, sed non vt *existentem*; & hoc sufficit ad terminandam notitiam simplicem, & abstractivam. Si verò ex hoc inferas, quòd notitia hæc esset imperfecta: Dicimus, quòd ad omnimodam perfectionem scientiæ simplicis intelligentiæ sufficit, quòd entitative (hoc est quatenus est eadem cum scientia visionis) terminetur ad rem existentem vt *existentem*: non verò requiritur, quod sub denominatione *simplicis notitiæ* attingat vtranque formalitatem obiecti.

33 Inquires *secundò*: Qua scientia Deus cognoscat possibilia, vt privativè non futura? ¶ Pro quo necessariò supponendum est, quòd voluntas divina non manserit suspensa circa vllum possibile. Quo supposito: Respondetur quæsito, conformiter ad dicta num. 33. Deum per scien-

scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere negationes omnium possibilium, seu possibilia vt *non futura*. Hunc modum dicendi tenet Caietanus hìc art. 9. §. *Ad hoc brevitèr*, quem sequuntur alij Thomistæ: Et hæc resolutio est confirmior doctrinæ N. Salm. qui loco citato prædicto num. 33. asserunt, futura conditionata terminare simplicem notitiam; & id de ipsis negationibus possibilium expresse docent tract. *de Incarnat.* disp. 18. num. 31.

Et probatur hac brevi ratione: Nam negationes possibilium non cognoscuntur ratione sui, sed vel ratione ipsorum possibilium, vel ratione formarum quas negant, vt de omnibus privationibus docet D. Thomas hìc art. 10. ergo si quidditas possibilium secundùm se, & existentiæ, quibus carent, non cognoscuntur per scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ, ipsæ negationes solùm cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ; sed neque quidditas possibilium secundùm se, neque existentiæ, quibus carent, cognoscuntur per scientiam visionis: ergo neque ipsæ negationes, proindeque possibilia vt *non futura* cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ. Minor subsumpta quoad primam partem est certissima. Et quoad secundam, probatur *primò* ex D. Thoma hìc art. 9. vbi ait, quòd id, quod non est, neque fuit, nec erit, sed tantùm est in virtute Dei, non cognoscitur per scientiam visionis, sed existentiæ, quibus carent possibilia, sunt tantum in virtute Dei: ergo nequeunt terminare notitiam intuitivam, seu visionis. *Secundò*: Nam id, quod non existit in se, neque in aliqua causa, nec in æternitate, nequit terminare scientiam visionis, aut notitiam intuitivam; sed existentia possibilium est huiusmodi: ergo &c.

Confirmatur: Si possibilia vt *non futura* attingerentur per scientiam visionis, anima Christi cognosceret omnia possibilia in particulari vt *non futura*; sed hoc repugnat: ergo Deus per scientiam visionis non videt possibilia, vt *non futura*. Maior probatur: Nam Christus cognoscit in Verbo omnes creaturas, quas Deus cognoscit per scientiam visionis, vt docet D. Thomas in 3. part. quæst. 10. art. 2. præcipuè ad 2. vbi absolutè ait, quòd anima Christi videt omnia, quæ Deus videt in seipso per scientiam visionis, non verò omnia, quæ Deus in seipso cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ. Pro quo etiam videri debent, quæ diximus tract. præced. disp. 4. à num. 35.

34 Contra hunc modum dicendi sentiunt Illust. Godoy disp. 31. Ferre quæst. 4. §. 7. Illust. Palanco quæst. 11. à num. 29. & alij, quos ipsi referunt. Eorum tamen præcipuum fundamentum desumitur ex eo, quòd possibilia vt *non futura* terminant cognitionem liberam Dei; cognitio autem libera Dei non est simplex notitia, quia hæc est necessaria. Sed ad hoc satis constat ex dictis num. 33. vbi ad futurum conditionatum, solùm concessimus, scientiam simplicis intelligentiæ terminari; & tamen scientia ad illud terminata est libera.

Aliunde potest argui: Nam iuxta D. Thomam mala non cognoscit Deus nisi per bona opposita: item, iuxta eundem D. Thomam, Deus per scientiam visionis cognoscit mala sive naturæ, vt privationem (v. g. cæcitatem) sivè culpæ, vt peccata: ergo etiam negationes possibilium cognoscit per scientiam visionis. Patet consequentia: nam ad scientiam visionis sufficit, quòd cognoscatur id, quod positivè removetur ab existentia: sicut in prædictis privationibus sive naturæ, sivè culpæ liquet.

Respondetur, quòd peccata, sivè consistant in positivo, sivè tantùm in privativo, iam habent, præter formam qua privant, aliquid, in quo possunt cognosci per scientiam visionis, nempè causam & materiale illorum, quia non solum cognoscuntur per formam, qua privant: Item privationes aut negationes physicæ possunt etiam cognosci, vel in causis physicis illarum, si habent illas; vel in earum naturis existentibus; & sic chimæra potest cognosci in natura existenti hominis, & leonis existentis. Si verò nihil existat, in quo privationes aut negationes possint videri, nullo modo terminant notitiam scientiæ visionis, sed simplicis intelligentiæ: Et hoc pacto sunt negationes possibilium. ¶ Si verò opponas, quòd illarum existit causa, nempè decretum Dei. Respondetur ex dictis num. 32. quòd D. Thomas non agit in præsenti de scientia Dei terminata ad seipsum, sed de scientia vt terminata ad res, quæ sunt extra ipsum: proindeque vel debet dari aliquid creatum existens, vt privatio & negatio ratione illius terminent scientiam visionis; vel debent terminare scientiam simplicis intelligentiæ. Vnde sicut decretum defactò existens non sufficit, vt futurum conditionatum terminet scientiam visionis; ita decretum existens de non futuritione possibilium sufficiens non est, vt non futuritio terminet scientiam visionis.

DUBIUM III.

Quænam scientia Dei sit causa rerum?

SCientia Dei, vt est causa rerum, potest considerari dupliciter, vel in actu primo, prout tantùm dicit virtutem præcontentivam effectus; vel in actu secundo, quatenus actu applicatur ad illum producendum, & actu illum producit. Sic D. Thomas in præs. art. 16. ad 1. Cæterùm, vt separemus certa ab incertis.

*** *** ***

§. I.

§. I.

Suppositio quædam.

35 SUpponendum est, scientiam simplicis intelligentiæ esse causam productivam rerum saltèm in actu primo. Sic D. Thomas in hac quæst. 14. art. 16. ad 1. vbi ait: *Scientia Dei est causa, non quidem sui ipsius, sed aliorum. Quorundam quidem actu, scilicet eorum quæ secundùm aliquod tempus fiunt. Quorundam verò virtute, scilicet eorum quæ potest facere, & tamen nunquam fiunt.* Similia verba tradit quæst. 15. seq. art. 3. ad 2. dicens: *Eorum, quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantùm.* Tunc sic; sed scientia simplicis intelligentiæ, vt distincta à scientia visionis, solùm terminatur ad ea quæ nunquam erunt, cuius cognitio etsi non sit practica in actu secundo, benè tamen in actu primo, cùm sit de possibilibus: ergo scientia simplicis intelligentiæ est causa effectiva rerum in actu primo.

Et probatur ratione: Nam illa scientia est causa rerum in actu primo, quæ antecedit decretum liberum divinæ voluntatis; sed hoc solùm competere potest scientiæ simplicis intelligentiæ: ergo hæc est causa rerum in actu primo. Minor, præterquàm quòd est expressa D. Thomę, qui sæpè ait, scientiam approbationis supponere decretum liberum divinæ voluntatis, est omnibus nota. Et maior probatur *primò*: Nam eo modo scientia Dei est causa rerum in actu primo, quo ars respectu operis artificiati; sed ars est causa in actu primo vt præcedens actum liberum voluntatis artificis: ergo scientia Dei etiam est causa rerum in actu primo, prout antecedit omne decretum divinæ voluntatis. *Secundò*: Quia omnis scientia ex natura sua practica habet vim in actu primo ad causandum effectum independenter ab actu divinæ voluntatis, aliàs non esset practica per se, sed per accidens & ratione alicuius extrinseci; sed scientia Dei sic est practica: ergo pro priori ad divinam voluntatem est causa rerum in actu primo. *Tertiò*: Voluntas determinatur quoad speciem actus ab intellectu, & scientia, licèt quoad exercitium determinetur scientia per voluntatem: ergo pro priori ad voluntatem scientia est causativa rerum in actu primo. Patet consequentia: nam determinatio quoad exercitium iam supponit vim præcontentivam effectus.

Confirmatur: Nam scientia Dei est causa rerum non solùm directiva, sed etiam executiva, vt supponimus ex dictis dub. 1. ergo debet præsupponi, vt causa in actu primo, ad seipsam vt est causa in actu secundo; sed scientia Dei sub denominatione *visionis* non est causa in actu primo: ergo est scientia simplicis intelligentiæ. Probatur minor: Nam scientia visionis supponit determinationem liberam divinæ voluntatis; hæc autem supponit virtutem causativam, quia voluntas non movet seu determinat quoad exercitium, nisi virtutem, quæ potest producere effectum: ergo scientia visionis non est causa in actu primo.

36 Sed objicies contra hanc rationem: Illa scientia est causa rerum in actu primo, quæ supponit actum liberum divinæ voluntatis; sed scientia simplicis intelligentiæ non supponit actum liberum divinæ voluntatis: ergo non est causa rerum in actu primo. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur ex D. Thoma in hoc art. 8. vbi ait: *Forma naturalis, inquantùm est forma manens in eo, cui dat esse, non nominat principium actionis, sed secundùm quod habet inclinationem ad effectum. Et similitèr forma intelligibilis non nominat principium actionis secundùm quod est tantùm in intelligente, nisi adiungatur ei inclinatio ad effectum, qui est per voluntatem*: ergo forma, seu scientia, quæ est causativa effectus in actu primo supponit actum divinæ voluntatis.

Respondetur, D. Thomam in prædicto testimonio tantùm loqui de causa actu causante, quatenus determinatur ad hunc effectum potiùs quàm ad alium, ad quam determinationem necessariò prærequiritur applicatio divinæ voluntatis. Videatur ibi D. Thomas. Causa verò in actu primo solùm petit præcontinere indifferentèr hunc, & illum effectum; & si sunt ei contingentes, non petit in actu primo dicere inclinationem ad vllum ex illis, proindeque non petit præsupponere actum aliquem voluntatis.

Hoc ita supposito: Lis Thomistarum cum Iesuitis in præsenti controversia est circa causam creaturarum in actu secundo: Iesuitæ enim communiter docent, scientiam visionis non esse causam earum in actu secundo; Thomistis id affirmantibus.

§. II.

Sententia D. Thomæ.

37 DIcendum est, scientiam approbationis, quæ coincidit cum scientia visionis, esse causam rerum per modum actus secundi. Ita D. Thomas in præs. vbi ait: *Vnde necesse est, quòd Deus sit causa rerum per suam scientiam, secundùm quòd habet voluntatem adiunctam. Vnde scientia Dei, secundùm quòd est causa rerum, consuevit appellari scientia approbationis.* Tunc sic; sed iuxta prædicta §. præcedenti D. Thomas in hoc testimonio nequit intelligi de scientia Dei prout est causa in actu primo, quia hæc nimirùm præcedit actum divinæ voluntatis: ergo loquitur de scientia Dei, prout

prout eſt cauſa in actu ſecundo; atqui iuxta D. Thomam ſcientia approbationis, formaliſsimè loquendo, eſt ſcientia viſionis, cùm ſolùm diſtinguantur penes hoc, quòd illa ſe extendit tantùm ad bona; & iſta ad bona, & mala, vt notavimus ex D. Thoma num. 11. ergo iuxta D. Thomam ſcientia viſionis eſt cauſa rerum in actu ſecundo. Idem tradit infrà art. 16. in corp. vbi ait, Deum habere ſcientiam ſimpliciter practicam reſpectu eorum, *quæ ſecundùm aliquod tempus facit*, reſpectu verò eorum, quæ non facit, non habet ſcientiam practicam ſimplicitèr; conſtat autem, quòd ſcientia ſimplicis intelligentiæ non eſt practica ſimplicitèr, quia terminatur præcisè ad poſsibilia, ſeu quia per modum actus primi reſpicit res factibiles: ergo ſolùm reſtat, quòd ſcientia viſionis ſit practica ſimpliciter, quia actu producit illas. Videatur inſuper quæſt. 2. *de Verit.* art. 13. vbi docet: *Scientia Dei, ſecundùm quod ordinatur ad opus quod facit voluntas, tantùm eſt exiſtentium in præſenti, preterito, vel futuro.* Ergo ex D. Thoma ſcientia Dei habet à voluntate ordinari practicè ad opus; ſed hæc nequit eſſe alia præter ſcientiam viſionis, quia hæc tantùm ſupponit actum divinæ voluntatis: ergo hæc eſt cauſa rerum in actu ſecundo.

38 Deinde probatur ratione deducta ex prædictis teſtimonijs. Nam illa ſcientia in Deo eſt cauſa rerum in actu ſecundo, quæ ſupponit applicationem liberam divinæ voluntatis; ſed ſola ſcientia viſionis ſupponit applicationem liberam divinæ voluntatis: ergo ſola ſcientia viſionis eſt cauſa rerum in actu ſecundo. Minor cum conſequentia conſtat. Et maior probatur: Principium indifferens ad oppoſita non producit actu hunc effectum præ alio, niſi determinetur & applicetur ad vnum per appetitum, vt rectè probat D. Thomas hìc ex Ariſt. per hęc verba: *Cùm enim forma intelligibilis ad oppoſita ſe habeat (cùm ſit eadem ſcientia oppoſitorum) non produceret determinatum effectum, niſi determinaretur ad vnum per appetitum, vt dicitur in 9. Metaphyſ.* Ergo ſcientia, quæ actu producit res, debet ſupponere applicationem liberam divinæ voluntatis. *Explicatur*: Nam ſi inquiramus, cur Deus fecit hunc mundum? Non eſt alia reſponſio, niſi quia voluit, iuxta illud Pſalm. 113. *Omnia, quæcumque voluit, fecit.* Cur autem non fecerit alium mundum poſsibilem, ad cuius productionem erat in potentia? Non eſt ſimiliter alia reſponſio, niſi quia noluit. Ergo productio rerum ſupponit actum divinæ voluntatis; ſed ſola ſcientia viſionis ſupponit actum liberum divinæ voluntatis: ergo hæc eſt cauſa rerum in actu ſecundo.

Et confirmatur ex D. Thoma quæſt. 2. *de Verit.* art. 14. Nam *oportet, quòd quecumque ſunt ſimilia, ita ſe habeant, quòd vel vnum ſit cauſa alterius, vel ambo ex vna cauſa cauſentur*; ſed *in omni ſcientia eſt aſsimilatio ſcientis ad ſcitum: ergo opportet, quòd, vel ſcientia ſit cauſa ſciti, vel ſcitum ſit cauſa ſcientiæ.* Tunc ſic; ſed nequit dici, quòd ſcientia viſionis ſit cauſata à re ſcita, neque quòd vtrunque cauſetur ab aliquo tertio, quia reſpectu Dei nihil poteſt habere rationem cauſæ: ergo relinquitur quòd ſcientia viſionis ſit cauſa rerum; non in actu primo, vt ſatis conſtat ex dictis §. præcedenti: ergo in actu ſecundo.

39 Reſpondent Adverſarij: fatendo quidem quòd ſcientia Dei, quæ eſt cauſa rerum, ſupponit, vel (vt meliùs loquantur) habet adiunctam applicationem divinæ voluntatis, obquam rationem debet eſſe ſcientia approbationis. Hoc tamen (aiunt) nequit competere ſcientiæ viſionis: quia *videre* nihil aliud ſonat præter contemplationem ſpeculativam rei iam factæ: Quocircà ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt habet adiunctam applicationem divinæ voluntatis, & habet denominationem ſcientiæ *approbationis*, & eſt cauſa rerum in actu ſecundo.

Hæc ſolutio, ſeu evaſio in duobus fundatur. Primum eſt, quòd ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt ſcientia approbationis, ſi connotet decretum divinæ voluntatis. Secundum, quòd ſcientia viſionis tantùm eſt contemplativa, & ſpeculativa. Et quoad primum refellitur: Tum quia, iuxta D. Thomam, ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſolùm eſt factiva rerum in actu primo, inquantùm terminatur ad ea quæ non ſunt in aliqua differentia temporis, poſſunt tamen fieri; ſed ſcientia approbationis, iuxta eundem Div. Thomam, non ſolùm eſt factiva, ſed eſt actuale *facere* rerum: ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ nequit eſſe ſcientia approbationis. ¶ *Tum etiam*: Nam ſcientia ſimplicis intelligentiæ non eſt actu cauſa rerum; niſi vt applicata per decretum, quo pacto eſt ſcientia approbationis; ſed vt determinata per decretum iam non manet ſcientia *ſimplicis intelligentiæ* ſub hac denominatione: ergo falſum eſt, quòd ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt habet adiunctam voluntatem, ſit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ſimul approbationis. Minor probatur: Nam ſcientia, vt determinata per decretum, non eſt ſcientia de ſolis quidditatibus poſsibilibus, ſed de rebus quæ defactò ponuntur in re; ſed iuxta Div. Thomam ſcientia ſimplicis intelligentiæ, prout diſtincta à ſcientia viſionis, ſolùm eſt de quidditatibus poſsibilibus vt talibus, & adſummùm de rebus conditionatis, abſolutè tamen non exiſtentibus: ergo, cùm ſcientia approbationis ſupponat decretum circa res defactò ponendas, non manet ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Niſi negetur doctrina communis D. Thomæ, & aliter diſponatur diviſio ſcientiæ Dei, ac manet firmata in dub. præced.

40 Quoad ſecundum etiam refellitur. Tum quia non minùs volitio petit ſupponere rem vo-

li-

litam, quàm visio rem, cuius est visio; sed actus voluntatis divinæ decernens existentiam creaturarum non supponit rem existentem, sed causat, vt latiùs dicemus in tract. seq. ergo etiam visio divina ita potest terminari ad rem existentem, quòd causet illam, prout visio est. ¶ *Tum etiam*: Nam intellectio, quæ infallibiliter infert existentiam rei, non est notitia abstractiva, sed intuitiva: ergo visio vt *visio* non petit supponere rem iam existentem. Antecedens probatur: Nam ad notitiam intuitivam sufficit, quòd terminetur ad rem existentem; sed eo ipso, quòd intellectio rem existentem faciat, iam terminatur ad rem existentem: ergo est notitia intuitiva. Et sic sicut intellectio, per quam Pater generat filium, infert filium, & simul est notitia intuitiva illius, in illo eodem signo in quo illum producit; sic intellectio producens creaturas ita infert existentiam earum, quòd simul, & in ipso signo productionis, sit visio illarum.

Adde pro hoc aliud exemplum philosophicum satis accommodatum: Nam intellectus in eodem signo, & per eandem expressionem *intellectionis* qua producit verbum, illud contemplatur: ergo illa intellectio, qua Deus producit creaturas, ita erit dictio, quòd simul sit visio, & contemplatio earum. Consequentia patet à paritate: & antecedens supponitur ex Philosophia, & magis explicabitur ex dicendis in tract. *de Trinit.* ¶ *Maximè*: Quia si scientia visionis solùm esset contemplatio speculativa obiecti existentis, & non practica seu factiva illius, non posset non causari ab eo, saltèm in genere causæ formalis extrinsecæ: sicut volitio, quæ simul non est factio bonitatis obiecti, specificatur ab eo, vt latè demonstrabimus in tract. sequenti; hoc autem nequit concedi de aliquo prædicato divino: ergo.

§. III.

Argumenta Anti-thomistarum solvuntur.

41 EX dictis iam liquet ad argumentum adductum num. 8. Nam vtraque scientia est causa rerum: Aliter tamen, & aliter: quia scientia simplicis intelligentiæ est causa illarum in actu primo; sed scientia visionis est causa earum in actu secundo. Neque officit exemplum visionis corporalis, per cuius analogiam dicitur scientia *visionis*, vt sæpè tradit D. Thomas: Nam visio corporalis non habet ex se efficaciam ad ponendum obiectum visum existens, neque est in ea aliquod inconveniens, quòd causetur ab eo: At visio Dei est ex se efficax ad causandum obiectum creatum secundùm suum *esse* physicum, sicut visio Patris æterni producit filium; aliunde nequit supponere rem existentem, vt videat eam, aliàs specificaretur ab illa: omnis enim visio, quæ terminatur ad obiectum existens pro priori ad ipsam visionem, movetur ab obiecto viso, proindeque causatur ab illo, saltèm in genere causæ specificativæ: ex quo colligitur, quòd causetur ab eo in genere causæ efficientis, vt insinuavimus disp. præced. num. 82.

42 Sed contra prædictam solutionem obicies *primò* ex D. Thoma in hoc art. 8. qui ait, illam scientiam esse causam rerum, quæ de se est indifferens ad oppositа, & determinatur à voluntate ad hunc effectum præ alio; sed solùm scientia simplicis intelligentiæ est indifferens ad oppositа, & hæc sola potest determinari à voluntate, cùm scientia visionis fundetur in decreto: ergo scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum in actu secundo.

Et confirmatur ex eodem Ang. Magist. quæst. 2. *de Verit.* art. 14. vbi ait, quòd scientia est causa rerum, mediante voluntate, sicut substantia est principium actionis, mediante potentia immediatè operativa; sed hoc tantùm competere valet scientiæ simplicis intelligentiæ, non scientiæ visionis, quia hæc non præcedit decretum, sicut substantia præcedit suam potentiam immediatè operativam, sed scientia simplicis intelligentiæ: ergo.

Ad obiectionem, & ad primum testimonium D. Thomæ: Respondetur, quòd licèt scientia, quæ est indifferens ad oppositа, vt determinata per decretum, sit causa actualis rerum, ex hoc tantùm sequitur, quòd eadem sit scientia entitativè, quæ est causa illarum in actu primo; & in actu secundo: quod nos non negamus, imo firmatum relinquimus in dub. 2. Sed in eo ipso, quod Angelicus Doctor ait, nempè quòd causa rerum in actu secundo determinatur per decretum, asserit, quòd scientia sub denominatione *visionis*, seu *approbationis* est causa rerum in actu secundo: quia hæc denominatur talis per connotationem decreti, seu applicationis divinæ voluntatis, & sic ipsamet scientia, quæ pro priori ad decretum est simplicis intelligentiæ, & indifferens ad oppositа; posito decreto, est visionis, & determinatur ad hunc effectum præ alio.

Ad confirmationem, & ad secundum eius testimonium: Respondetur in primis, non militare directè contra præsentem quæstionem, in qua non disputamus, in quo attributo consistat potentia proximè executiva, seu omnipotentia, sed contra sequentem. ¶ Deinde respondetur, mentem D. Thomæ esse, quòd scientia non est causa rerum in actu secundo, prout prævenit decretum, sicut nec substantia creata est causa actionis in actu secundo, prout præcedit aliquam qualitatem. Cæterùm quia scientia, quæ præcedit decretum, est scientia simplicis intelligentiæ, & prout connotat decretum, denominatur scientia *visionis*, manifestè sequitur ex eius doctrina, quòd scientia visionis sit causa rerum in actu secundo.

Obji-

43 Objicies *secundò*: Nam iuxta D. Thomam scientia Dei est causa rerum, sicut ars & scientia in artifice creato est causa domus; sed scientia artificis creati non videt domum, nisi postquam causata est: ergo neque scientia visionis; proindeque hæc non est causa in actu secundo. ¶ Confirmatur: Causa efficiens aliquem effectum antecedit ipsum effectum; sed scientia visionis nequit præcedere rem existentem: ergo nequit illam causare. Maior est certa. Et minor probatur: Nam si præcederet rem existentem, terminaretur ad eam vt non existentem; sed repugnat, scientiam visionis terminari ad rem, vt non existentem: ergo nequit præcedere effectum existentem.

Ad obiectionem respondetur, quòd scientia visionis in artifice creato non supponit suum effectum iam factum, sed etiam concurrit efficienter ad illius productionem: & in hoc parificat D. Thomas scientiam divinam scientiæ artificis creati. Scientia autem divina ob summum sui excessum in multis differt à scientia creata. Differt enim ab ea in primis, quòd domus construenda solùm in *fieri* dependet à scientia seu arte artificis creati, non verò in *facto esse*, sivè in *conservari*; at effectus productus à scientia divina dependet ab ea in *fieri*, in *facto esse*, & in *conservari*. Ex quo colligitur, quòd scientia visionis creata solùm est factiva, simulque speculativa sui effectus, quando primò producitur, post eius tamen productionem tantùm est speculativa: scientia verò visionis divinæ semper est speculativa & practica. Differt etiam in eo, quòd scientia artificis creati, estò dictet domum construendam ex vi propositi efficacis, adhuc manet impedibilis ipsa constructio, quia indiget instrumentis & ministris, ex quorum resistentia, negligentia, aut ineptitudine impeditur executio domus; ideòque nequit illam cognoscere intuitivè: cæterùm effectus dictatus à scientia divina ex vi propositi efficacis est in impedibilis; proindeque in ipso decreto potest videre infallibilitèr ipsum effectum secutum. Differt tandem in eo, quòd scientia creata ob sui limitationem alio actu ostendit, & alio ponit formam præconceptam, & alio posteà speculatur eam in statu quieto: econtrà verò accidit in scientia divina ob oppositam rationem. Ad confirmationem satis constat ex dictis num. 41.

44 Objicies *tertiò*: Nam illa scientia in Deo, & sub eadem denominatione est causa rerum in actu secundo, quæ antecedenter ad decretum est causativa illarum in actu primo; sed huiusmodi est scientia simplicis intelligentiæ: ergo hæc etiam est causa rerum in actu secundo. Maior probatur: Nam causa adæquata sufficiens ad causandum effectum, hoc ipso quòd applicetur, erit causa in actu secundo, si enim posita applicatione non causat, signum est, quòd non erat omninò sufficiens: ergo illa scientia in Deo est causa rerum in actu secundo, quæ antecedenter ad decretum divinæ voluntatis est causativa illius in actu primo.

Respondetur, negando maiorem. Ex cuius probatione tantùm sequitur, quòd scientia simplicis intelligentiæ, entitativè sumpta, sit causa rerum tàm in actu primo, quàm in actu secundo; quod nos nunquam negavimus. Sed aliter loquendum est de illa ex nostro modo concipiendi, & prout consideratur à nobis sub denominatione *simplicis intelligentiæ*, & *visionis*: nam prout concipitur sub denominatione *simplicis intelligentiæ*, solùm concipitur vt indifferens, quia antecedit omnem applicationem divinæ voluntatis: vnde sicut sub hoc statu non competit ei operatio, ita neque est causa actu causans, sed tantùm causativa. Quando autem connotat applicationem divinæ voluntatis, iam eadem entitativè scientia consideratur sub alio statu, & sub denominatione scientiæ *visionis*; proindeque ei sub hac denominatione competit actualis operatio. In summa dicimus, quòd scientia divina sub denominatione *simplicis intelligentiæ* est sufficienter causativa rerum, & connotata applicatione voluntatis, est actu causans; sed per huiusmodi connotationem iam transit illa scientia ad alium statum, seu denominationem, nempè ad formalitatem scientiæ *visionis*: quod verificari valet, in suppositione quòd vtraque scientia sit vnicum attributum.

45 Objicies *vltimò*: Nam ex eo quòd scientia visionis præsupponeret res iam causatas, solùm infertur, quòd sub denominatione *visionis* mensuretur à rebus scitis; sed in hoc nullum datur inconveniens: ergo scientia visionis in Deo non est causa rerum in actu secundo. Minor probatur: Nam scientia visionis sub hac denominatione solùm addit supra suam entitatem, sivè supra scientiam simplicis intelligentiæ quandam terminationem ad res existentes: ergo solùm mensuraretur ab eis secundùm talem terminationem; ex hoc autem nullum sequitur inconveniens, quia talis terminatio solùm dicit relationem rationis, secundùm quam nullum est inconveniens, quòd mensuretur à creaturis: ergo.

Confirmatur: Quia scientia visionis ita terminatur ad peccata, quòd non sit causa illorum; & tamen non mensuratur, aut specificatur ab eis: ergo ex eo, quòd scientia visionis supponeret creaturas productas, non infertur, quòd specificetur ab eis.

Respondetur ad obiectionem, negando minorem. Nam non solùm repugnat, prædicatum divinum secundùm suam entitatem specificari ab aliquo creato, verùm etiam sub quacumque terminatione activa ipsius: nam si substantiæ creatæ sub quacúque terminatione repugnat specificari ab aliquo extrinseco, quia absoluta est, quantò magis cuilibet prædicato divino hoc repugnabit, cùm absolutissimum sit? Deinde falsum omninò

est, quòd terminatio scientiæ visionis consistat in relatione rationis, sicut falsum est, quòd actus liber Dei vt *liber* consistat in relatione rationis, vt dicemus in tract. sequenti.

Ad confirmationem respondetur, quòd propterea scientia Dei non mensuratur à peccatis, licèt ea non causet, quia est causa secundùm materiale illorum, respectu cuius ipsa scientia est mensura, necnon bonitatis oppositæ, in qua velut in obiecto priùs cognito cognoscit formale peccati, vt diximus disp. præced. num. 46. Si verò res existentes & physicas scientia Dei non causaret, ab illis mensuraretur: quia non possunt cognosci ratione alterius priùs cogniti: cuius esset mensura scientia Dei & causa.

DUBIUM IV.

An res videantur à Deo, quia sunt; vel potiùs an res sint, quia videntur ab ipso?

REsolutio huius difficultatis erit maior confirmatio præcedentis, & simul deserviet pro solutione argumenti num. 9. allati.

§. I.

Sententia D. Thomæ.

46 DIcendum est, Deum non scire seu videre res futuras, quia futuræ sunt; sed ideo in sensu causali res esse futuras, quia sciuntur & videntur à Deo. Hæc est proculdubiò mens D. Thomæ, vt fatentur ipsi Adversarij: Licèt Vazquez tom. 1. in 1. part. disp. 18. cap. 6. dicat authoritatibus SS. PP. quas infrà referemus, interpretatione illius non satisfieri: & Herrera in hoc tract. quæst. 11. sect. 4. num. 91. postquàm refert solutionem ipsius D. Thomæ in hoc art. 8. ad 1. subdat: *Verùm hæc solutio authoritati PP. plurimùm videtur detrahere.* Unde pro hac sententia suum Angelic. Præcept. sequuntur omnes eius discipuli: eamque tenent Mag. Sent. 1. dist. 38. Albert. Mag. D. Bonav. Greg. Arimin. ibidem, & alij.

Nostra tamen sententia potissimè probanda est authoritate SS. PP. quibus maximè fidit sententia contraria. D. Augustin. lib. vltimo Confes. cap. vltimo ait: *Nos ista, quę fecisti, videmus, quia sunt; tu autem quia vides ea, sunt.* Idem tradit lib. 6. *de Trinit.* cap. 10. his verbis: *Non enim hæc, quæ creata sunt, ideò sciuntur à Deo, quia facta sunt: imo potiùs ideò facta sunt, vel mutabilia, quia immutabilitèr sciuntur à Deo.* Et lib. 15. cap. 13. ait: *Vniversas creaturas suas & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideò novit; sed ideò sunt, quia novit.* Et paucis interpositis addit: *Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit.*

Non minùs perspicuum modum loquendi habet Greg. Mag. lib. 20. Moral. cap. 23. vbi ait: *Quęcumque sunt, non ab æterno eius ideo videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.* Et lib. 32. cap. 5. inquit: *Nam non existentia videndo creat, videndo continet.*

D. Boëtius lib. 5. *de Consol.* prof. 3. concilians divinam præscientiam cum libertate nostra, & contingentiam rerum, sic inquit: *Neque illam probo rationem, qua se quidam credunt, hunc quæstionis nodum posse dissolvere. Aiunt enim, non ideo quid esse eventurum, quoniam id providentia futurum esse prospexit; sed econtrariò potiùs quoniam quod futurum est, id divinam providentiam latere non possit.* En modum conciliandi divinam præscientiam cum contingentia rerum, quem propugnant Iesuitæ; & improbat Boëtius: Et simul subiungit: *Iam verò quàm præposterum est* (hoc est, exponit ibidem D. Thomas, *perversum*) *vt æternę præscientię temporalium rerum eventus causa esse dicatur. Quid autem aliud est arbitrari: ideo Deum futura, quoniam eventura sunt, providere, quàm putare, quæ olim acciderunt, causam summæ illius esse providentiæ?* In quibus testimonijs notabis eundem modum loquendi, quem habet D. Thomas: ergo qui contradicit D. Thomæ, opponitur alijs Patribus præsertim Augustino, Gregorio, & Boëtio.

47 Triplicitèr tamen exponunt Iesuitę prædicta testimonia. Primò enim aiunt, intentum illorum tantùm esse, Deum non accipere in tempore, aut physicè scientiam à rebus. Secundò, quòd prędicta causalis, *Ideo res sunt, quia videntur à Deo*, tantùm probat, scientiam Dei esse causam rerum identice, inquantùm scilicèt est identicè Deus, qui est causa rerum, non tamen formaliter. Tertiò, quòd quando inquiunt, res esse futuras & existentes, quia sciuntur à Deo, non debet intelligi de scientia visionis, sed de scientia simplicis intelligentiæ.

Sed prima expositio sic refellitur: Tum quia intentum PP. non tantùm est, quòd Deus non accipiat suam scientiam à rebus physicè, aut successivè, sed quòd eius scientia nullo modo dependeat ab illis: si autem vera esset causalis Adversariorum, nempè, *Ideo res præsciuntur à Deo, quia sunt*, scientia Dei dependeret motivè & specificativè ab ipsis rebus, quia ex ipsa futuritione, & existentia rerum moveretur ad ipsas videndas. Tum etiam: quia quidquid sit de intento Patrum, ipsi non solùm aiunt absolutè, *Ideo res esse, quia prævidentur à Deo*, sed etiam absolutè negant illam causalem, *Ideo videntur, quia sunt*; sed hanc causalem affirmant, & defendunt Adversarij: ergo manifestè affirmant SS. Patres propositionem contrariam ei,

ei, quam adstruunt Patres Societatis ; & manifestè negant propositionem, quam Iesuitæ absolutè defendunt.

48 Secunda etiam refellitur : Tum quia si causalis Patrum tantùm est vera in sensu identico, non in sensu formali, sequitur, quòd æquè possent proferre, *Ideo Antichristus erit , quia prævidit Adamum* : hoc autem nullus cordatus admittet, vt veram causalem, aut locutionem: ergo causalis SS. PP. nequit admitti in sensu tantùm identico. Sequela probatur : Nam non minùs cognitio Adami est idem tàm cum essentia divina, quàm cum cognitione Antichristi, ac cognitio futurorum cum ipsa essentia divina: ergo si identitas visionis futurorum cum essentia est sufficiens ratio, vt absolutè possit proferri, futura ideo esse, quia prævidentur à Deo, etiam esset verum dicere, quòd Antichristus est futurus, quia prævidetur Adamus. Tum etiam: quia si identitas cum essentia, quæ est causa rerum, est sufficiens ratio ad proferendam absolutè illam causalem, etiam esset sufficiens ad proferendum absolute hanc causalem, *Quia Deus est immensus, Antichristus est futurus*, quia immensitas est idem cum essentia & decreto ; pariter esset sufficiens ad proferendam hanc, *Quia homo est animal, est discursivus*, cùm formalitas animalis identificetur realiter cum rationalitate, quæ est vera causa & ratio à priori discursus; sed hoc est evertere regulam generalem, quam tradunt Dialectici & cum eis N. Complut. abbrev. lib. 3. Institut. cap. 4. §. *Conditionalis est*, circa propositionem hypoteticam causalem, & rationalem: ergo locutiones SS. PP. nequeunt intelligi tantùm in sensu identico, sed in sensu formali, & causali.

49 Tertia efficaciùs rejicitur vt ineptissima. Tum quia Augustinus, & Gregorius apertè loquuntur de scientia visionis: Primus enim ait: *Nos ista, quæ fecisti, videmus, quia sunt ; tu autem quia vides ea, sunt.* Secundus autem inquit: *Quæcumque sunt, non ab æterno eius ideo videntur, quia sunt ; sed ideo sunt, quia videntur.* Sed hæc testimonia nequeunt nisi violentissimè intelligi de scientia simplicis intelligentiæ : ergo in sententia Patrum scientia visionis est vera ratio à priori futuritionis, & existentiæ rerum. Tum etiam & præcipuè : Nam si prædicta testimonia solùm intelligerentur de scientia simplicis intelligentiæ, hæc causalis esset vera, *Res ideò sunt futuræ aut existentes, quia per scientiam simplicis intelligentiæ videntur à Deo*; sed hic sensus est omninò falsus, quia per scientiam simplicis intelligentiæ non cognoscuntur res existentes, aut futuræ, & multò minùs videntur: ergo. *Explicatur*: Si hæc causalis esset vera, *Res sunt futuræ, quia præsciuntur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ*, etiam hæc esset vera, *Res sunt futuræ, quia præsciuntur à Deo vt possibiles* ; sed hæc est omninò falsa: ergo causalis SS. PP. nequit intelligi de scientia simplicis intelligentiæ. Maior est certa : nam scientia simplicis intelligentiæ solùm terminatur ad res possibiles vt *possibiles*, vt satis probatum est dubijs præced. Minor probatur : Si esset verum, *Res esse futuras, quia præsciuntur à Deo vt possibiles*, nulla creatura præsciretur à Deo vt possibilis, quæ non esset futura ; hoc autem esset hæreticum : ergo &c. *Explicatur magis*: Nam ad veritatem propositionis causalis, quę à Dialecticis dicitur *rationalis*, non solùm desideratur, quòd antecedens sit verum, sed præcipuè quòd consequens legitimè inferatur ex antecedenti, hoc est, quòd antecedens sit causa consequentis: Ob quam rationem propositionem causalem veram confundunt cum vera argumentatione: Et sic idem valet, *Quia homo est rationalis, est risibilis*, ac *Homo est rationalis: ergo est risibilis* (videantur præcitati PP. Complut.) Tunc sic; sed hæc consequentia est mala, *Deus præscit res vt possibiles* (ad quas tantùm terminatur scientia simplicis intelligentiæ) *ergo sunt futuræ* : igitur propositiones causales SS. PP. nequeunt interpretari de ea.

§. II.

Ratio fundamentalis.

50 DEinde probatur ratione D. Thomæ ex art. 14. q. 2. *de Verit.* insinuata n. 14. Nam scientia visionis in Deo, & futurum ita comparantur inter se, vt vel scientia visionis sit causa futuri, vel futurum sit causa scientiæ visionis ; sed futurum nequit esse causa scientiæ visionis, vt latè probavimus disp. præced. à num. 19. de omni scientia divina: ergo scientia visionis est causa rei futuræ: Tunc sic; sed ex eo, quòd Deus videret futurum, quia futurum est, sequitur, quòd futurum sit causa scientiæ visionis ; & ex eo, quòd futurum est, quia Deus videt illud, sequitur, quòd scientia visionis sit causa futuri : ergo Deus non quia futurum est, videt illud, sed quia videt illud, futurum est. Totus primus syllogismus continet doctrinam D. Thomæ loco proximè citato. Vnde solùm restat probare minorem subsumptam quoad vtranque partem. Quoad primam ergo : Tum quia *Deum videre futurum, quia futurum est*, est moveri ad videndum illud ex sua intrinseca intelligibilitate, tanquam ex causa ; sed quod movet intellectum ad sciendum illud, est causa motiva ipsius scientiæ, vt ex se liquet : ergo si Deus videt futurum, quia futurum est, futurum est causa, visionis. Tum etiam: quia ex eo quòd Deus cognosceret immediatè in seipsis creaturas possibiles, & non in omnipotentia, tanquam in causa rectè probavimus disp. præced. à num. 79. quòd scientia Dei specificaretur ab illis ; sed si scientia visionis videt futurum, quia futurum est, non quia causa illius est, videt illud imme-

diatè in seipso : ergo futurum est causa scientiæ visionis. ¶ Quoad secundam etiam probatur: Nam si verum est, quòd futurum sit, quia Deus videt illud, nulla repugnantia datur in eo, quòd illa particula *quia* significet veram causalitatem scientiæ visionis in futurum : ergo ex eo quòd futurum sit, quia Deus videt illud, sequitur, quòd scientia visionis sit causa futuri. Antecedens probatur : Nam vel scientia visionis est causa futuri, vel futurum est causa scientiæ visionis ; sed repugnat, quòd futurum sit causa scientiæ visionis : ergo nulla repugnantia datur in eo, quòd scientia visionis sit causa futuri. Recolantur etiam, quæ diximus num. 43.

51 Et confirmatur ex D. Thoma 1. Contra gent. cap. 61. rat. 6. Nam in hoc distinguitur scientia intellectus humani à scientia divina, quòd scientia humana causatur à rebus, ex quo provenit, quòd scibilia sint mensura scientiæ; econtrà verò scientia Dei est mensura rerum, vt ibi docet D. Thomas : sed si Deus videret futurum, quia futurum est, ipsum futurum esset mensura scientiæ visionis Dei : ergo Deus non videt futurum, quia futurum est, sed ideo futurum est, quia videt illud, vt loquuntur Patres. Minor probatur : Nam si Deus cognoscit futurum, quia futurum est, iam futurum præsupponitur ad ipsam scientiam visionis : ergo esset mensura scientiæ visionis. Probatur consequentia : Tum quia, eo ipso quòd futurum præsupponatur ad scientiam visionis, scientia visionis conformatur cum veritate obiecti futuri, & non econtrà, nam inter duo sibi conformia id, quod præsupponit aliud, conformatur cum illo, non econtrà ; sed hoc est esse mensuram scientiæ visionis : ergo &c. Tum etiam : quia si futurum præsupponitur ad scientiam visionis, iam scientia visionis iudicat, rem esse futuram, quia ita est ; sed *iudicare rem esse futuram, quia ita est*, idem est ac rem futuram esse mensuram scientiæ visionis, siquidem scientia vera est, quia res ita est, & non econtrà : ergo. Tum denique: quia ideo scibilia sunt mensura scientiæ humanæ, quia præsupponuntur ad eam, & hæc cum illis conformatur, hoc est, quia cognoscit ea, quia sunt : ergo si scientia visionis in Deo præsupponit res futuras, hæ erunt mensura illius.

52 Nec valet recursus ad cognitionem futuri in sua essentia, velut in causa. Tum quia, iuxta sententiam Adversariorum, Deus cognoscit immediatè in seipsis tàm creaturas possibiles, quàm futuras, & existentes. Tum etiam: quia si Deus cognoscit creaturas, quia causa est, obquam rationem non sunt mensura scientiæ divinæ, sequitur, quòd cognoscat eas per suam scientiam, quatenus scientia ipsa causa est illarum : ergo non cognoscit eas, quia sunt ; sed ideo sunt, quia Deus per suam scientiam cognoscit eas.

53 Nec prodest alter recursus ad scientiam simplicis intelligentiæ ; ad quam communiter recurrunt contrarij. Nam scientia simplicis intelligentiæ nequit esse mensura futuri in actu secundo, estò sit mensura illius in actu primo: ergo vel scientia visionis mensuratur in actu secundo per ipsum futurum ; vel futurum in actu secundo mensuratur per scientiam visionis per modum causæ illius. Antecedens probatur: Nam scientia simplicis intelligentiæ nequit mensurare quod non est suum obiectum ; sed futurum vt *futurum* non est obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ : ergo scientia simplicis intelligentiæ non est mensura futuri, vt futuri. *Maximè*: Quia estò daremus, quòd scientia simplicis intelligentiæ esset mensura futuri vt *futuri*, non vitatur inconveniens à nobis intentum, videlicet quòd futurum esset mensura scientiæ visionis. Quod sic ostenditur: nam ita se habet scientia simplicis intelligentiæ ad res vt *possibiles*, sicut scientia visionis ad existentes, seu futuras; sed si scientia simplicis intelligentiæ cognosceret res vt *possibiles*, quia in se sunt, & non quia Deus per scientiam simplicis intelligentiæ sic illas cognovit, ideavit, & intulit, scientia hæc ab illis mensuraretur : ergo pariter, si scientia visionis non infert res existentes, vt tales sint, sed potiùs scientia visionis talis est, quia præsupponit res existentes, debet mensurari ab eis.

§. III.

Argumentum præcipuum Adversariorum.

54 ARguitur *primò*, & præcipuè ab authoritate SS. PP. Nam Origen. super epist. ad Rom. ait: *Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum ; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo antequàm fiat.* En propositionem contradictoriè oppositam nostræ conclusioni. Iustin. in lib. Quæst. Contra gent. quæst. 58. sic inquit : *Non est prænotio causa eius, quod futurum erat, sed quod futurum erat, causa est prænotionis : non enim prænotionem sequitur res futura, sed rem futurum prænotio.* Damasc. Dialog. contra Manichæos idem tradit per hæc verba : *Et quidem præscientia Dei vera, & inviolabilis est: verùm ipsa haud quaquam causa est, cur omnino fiat id, quod futurum est ; quin potiùs quia id, vel illud facturi sumus, idcirco præcognoscit, quæ ipsi minimè grata sunt.* D. Hieronym. super cap. 26. Ierem. dicit : *Non quia Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est ; sed quia futurum est, novit Deus, quia præscius futurorum.* Alia permulta testimonio congerunt Adversarij ex Athanasio, N. Cyrill. Alexand. Epiphan. Leone Magn. Beda, Euseb. & alijs Igitur iuxta mentem SS. PP. res sciuntur à Deo, quia sunt ; non quia scit eas, ipsæ sunt.

Hoc argumentum continet duas propositiones diametraliter oppositas alijs duabus adductis

ctis in nostra assertione ex August. Gregor. & Boëtio. Et claritatis gratia ad primam, nempè istam, *Non ideò aliquid est futurum, quia Deus scit illud esse futurum*: Respondetur cum Div. Thoma quæst. 2. *de Verit.* art. 14. vbi ait: *Dicendum, quòd intentio Origenis est dicere, quòd scientia Dei non est causa, quę inducit necessitatem in scito, vt ex hoc cogatur aliquid evenire, quia Deus scit.* Vel aliter potest responderi quantùm ad eandem propositionem cum eodem Angelic. Præcept. in hoc art. 8. ad 1. vbi ait: *Dicendum, quòd Origenes loquutus est attendens rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis nisi adiuncta voluntate.* Quasi diceret, attenta solùm generali ratione scientiæ, falsum est, res esse futuras, quia sciuntur à Deo; aliàs omnis scientia creata esset causa actualis rerum: neque attenta generali ratione scientiæ divinæ, res sunt futurę, quia sciuntur à Deo; aliàs, eo ipso quòd res scirentur per scientiam simplicis intelligentiæ, secluſa voluntate adiuncta, essent futuræ.

Quantùm ad secundam propositionem Origenis, nempè, *Quia futurum est, ideo scitur à Deo*: Respondetur cum eodem D. Thoma loco citato *de Verit.* vbi addit: *Quod autem dicit, Quia futurum est, ideo scitur à Deo, non importatur causa essendi, sed causa inferendi tantùm.* Eodem modo respondet in hoc art. 8. vbi post verba relata hæc adiungit: *Sed quod dicit, ideo præscire Deum aliquid, quia sunt futura; intelligendum est secundùm causam consequentiæ, non secundùm causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quòd Deus ea præscierit, non tamen res futuræ sunt causa, quòd Deus sciat.* Quibus addimus, quod ait super Boëtium lib. 5. *de Consol.* prof. 6. post relatam prædictam sententiam Origenis: *Quod tamen potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd eventus rei sit causa præscientiæ secundùm rationem consequentiæ: & sic responsio est vera. Alio modo potest intelligi, quòd eventus rei sit causa præscientiæ secundùm existentiam: & sic est falsa, & improbatur à Boëtio.* Eodem modo exponit Origenem Mag. Sent. in 1. dist. 38. lit. *D.* Quibus interpretationibus satisfit propositionibus aliorum Patrum, quia habent eandem doctrinam.

Unum tamen, pro vltimata solutione ad relata testimonia, nota, quòd in pluribus illis tantùm loquuntur Patres de peccatis, vt liquet in testimonio allato Damasc. & potest videri in Beda, & alijs: Et de peccatis falsum est in sensu causali, quòd ideo futura sunt, quia præsciuntur à Deo: aliàs Deus esset causa peccati futuri, sicut est causa boni futuri.

55 Sed objicies cum Suario, Vazquio, & alijs modernis: *Primò*: Nam, vt rectè arguebamus suprà num. 51. & 52. contra illos, illa particula *ideo*, aut *quia* non sumitur in propositione hypotetica in sensu præcisè illativo, sed etiam in sensu causativo: ergo dum Patres aiunt, Deum scire futura, quia futura sunt; & non esse futura, quia Deus præscit esse futura, vel non loquuntur dialecticè, vel illam particulam sumpserunt in sensu causali. *Secundò*: Nam in propositione hypotetica adversativa, vna negante, & alia affirmante, vel vtraque debet sumi in sensu illativo, vel vtraque in sensu causali; sed iuxta expositionem D. Thomæ illa propositio Patrum, *Ideo Deus novit res futuras, quia futuræ sunt*, est vera in sensu illativo; & falsa in sensu causali: ergo altera propositio Patrum, *Non ideo sunt futurę, quia illas novit*, in sensu causali est falsa; & in sensu illativo vera.

Tertiò: Nam licèt in præscientia Dei detur magna disparitas, cur sit causa bonorum, & non malorum; nulla tamen disparitas esse valet, cur Deus sciat peccata, quia futura sunt, & non similiter bona: ergo si Deus scit peccatum, quia futurum est, etiam sciet actum bonum futurum, quia futurum est. Antecedens probatur: Nam ideò negamus illam propositionem circa bonum futurum, quia hoc esset mensura scientiæ Dei; sed hæc ratio æquè militat in peccato futuro: ergo nulla est disparitas, cur Deus sciat peccatum, quia futurum est; & non sciat bonum, quia futurum est: proindeque eodem modo debemus admittere causalem Patrum circa bona, ac circa peccata; vel æquè debemus illam negare. *Explicatur*: Nam si hæc propositio, *Quia res est futura, scitur à Deo*, sivè sumatur tantùm in sensu illativo, sivè significetur per eam, quòd Deus per suam scientiam non inducit necessitatem, vera est, eodem modo debet concedi hæc propositio, *Ideo futurum est peccatum, quia scitur à Deo*, ac hæc, *Ideo scitur peccatum, quia futurum est*: quia in vtraque est eadem nota illationis, & defectus necessitatis inductæ per scientiam Dei; sed Patres constantèr negant primam, & absolutè concedunt secundam: ergo interpretationes D. Thomæ multùm derogant authoritati Patrum.

Quartò & vltimò: Patres de eadem scientia, de qua affirmant, Deum cognoscere futura, quia futura sunt; negant, quòd ideo futura sunt, quia præsciuntur à Deo; sed nequeunt interpretari de scientia Dei, attenta præcisè ratione scientiæ in communi, sive attenta ratione scientiæ divinæ in generali: ergo Patres loquuntur de scientia speciali futurorum. Minor probatur: Nam de scientia Dei sub ratione quadam communi, neque de illa vt *divina* potest verificari, quòd cognoscat futura; aliàs scientia divina, non adiuncta voluntate divina, posset cognoscere futura: ergo Patres intelligendi non sunt de scientia in communi, adhùc divina.

56 Ante solutionem harum obiectionum duo advertę. *Primum est*: quòd quando inter Patrum testimonia datur aliqua apparens contra-

tradictio in negotio divinæ præscientiæ, voluntatis, & prædestinationis, ratio exigit, vt ita benignè illa interpretemur extra rigorem significationis, vt trahantur ad sensum proprium D. Augustini. Tum quia in his materijs est inter Sanctos Patres facile Princeps, vt notavimus in limine huius tractatus. Tum quia in his materijs fuit diligentissimè versatus, & ad præsentem quæstionem, & alias similes est coactus propter hæreses Manichæorum, & Pelagianorum, quæ suo tempore grassabantur: quæ proculdubiò Patres ipso antiquiores provocarent ad expresse propugnandam causalitatem divinæ præscientiæ, si eorum tempore Ecclesiam infestarent, vt notavit Augustinus lib. *de Prædestinat. SS.* cap. 14. his verbis: *Quid igitur opus est, vt eorum scrutentur opuscula, qui priusquàm ista hæresis oriretur* (nempe semipelagiana) *non habuerunt necessitatem in hac difficili, ad solvendum, quæstione versari? Quod proculdubiò facerent, si respondere talibus cogerentur.* Hac igitur de causa potiùs debemus stare sensui rigido propositionum D. Augustini, quàm aliorum Patrum; constat autem ex testimonijs relatis num. 49. si secundùm propriam significationem, quam verba præseferunt, sumantur, D. Aug. stare pro nostra assertione, neque alibi docet, quod ex alijs Patribus intendunt Adversarij, aliàs iam illum referrent: ergo ita interpretanda sunt testimonia aliorum Patrum, vt non recedatur à mente propria D. Augustini, & consequenter à nostra assertione.

Secundum est: Quòd hoc est discrimen inter testimonia adducta pro nostra assertione, & testimonia pro sententia & modo dicendi Adversariorum, quòd hæc exponuntur ab vno D. Thoma, qui valet pro mille, à D. Bonav. & à Mag. Sent. præter vniversalem classem Thomistarum, qui ita ea explicant, & mitigant, vt illa detorqueant ad sensum proprium Augustini. Illa verò habent pro sui interpretibus Suarium, Vazquium, Molinam, & alios modernos Societatis, qui testimonia Augustini detorquent ad sensum rigidum Patrum se antiquiorum. Comparemus igitur Expositores cum Expositoribus: certè, esto classis ex antiquioribus, & modernis Thomistis coalescens non prævaleret Scholæ modernæ Moliniſtarum, quis vnquam dubitabit, quòd in vi authoritatis extrinsecæ præstat expositio Patribus data à tantis Magistris ante exortam controversiam scientiæ mediæ, quàm expositio Augustino data à prædictis modernis? His ita præmonitis:

57 Ad primam obiectionem respondetur, illam particulam *quia*, aut *ideò* multoties sumi à Dialecticis in sensu præcisè illativo, non causali: & hanc acceptionem esse propriam, non metaphoricam, vt, velint, nolint, dicunt Adversarij de propositionibus Augustini, Gregorij, & Boëtij. Dubium tamen est, cur particula *quia*, aut *ideo* in horum propositionibus debeat sumi in sensu rigido, & causali; & in propositionibus, quæ ex Patribus relatis num. 57. nobis objiciunt Adversarij, sumatur tantùm in sensu illativo, etsi proprio? Sed huic dubio satis respondetur ex proximè præmonitis. Et quia nullum absurdum sequitur ex eo, quòd pleno ore fateamur, scientiam visionis Dei esse causam & mensuram scitorum; maximum autem ex eo, quòd futura scita sint causa & mensura scientiæ visionis in Deo.

Ad secundam respondetur; nullum esse inconveniens, quòd, facta contrapositione materiali inter duas propositiones adversativas, particula *quia* habeat diversum sensum in vna, ac in alia, iuxta diversam materiam cui applicantur, vt contingit in præsenti. Nam illa propositio Origenis, *Deus scit res futuras, quia futuræ sunt*, nequit intelligi in sensu causali, aliàs res futura esset causa scientiæ divinæ; ideoque solùm potest intelligi in sensu illativo. Altera autem propositio eiusdem Origenis, *Non ideo res est futura, quia Deus illam novit*, si sumatur in sensu causali, est falsa: quia scientiæ visionis propriè potest competere causalitas respectu rei futuræ. Unde si in aliquo sensu vero interpretanda est, recurrendum est ad vnam, vel alteram expositionem D. Thomæ relatam num. 57.

Ad tertiam respondetur, quòd ideo Patres, dum loquuntur de peccatis, proferunt absolutè hanc propositionem, *Quia peccatum futurum est, scitur à Deo*, quia per hunc modum loquendi intendunt declarare, quòd scientia Dei non est causa peccati: quæ propositio in sensu illativo vera est; si autem sumeretur in sensu causali æquè falsa esset ac ista, *Quia bonum futurum est, scitur à Deo*: At quia scientia Dei est causa boni futuri, ideo hæc propositio, *Quia Deus scit bonum futurum, futurum est*, debet accipi in sensu non solùm illativo, sed etiam causali: Alia verò propositio, *Ideo peccatum futurum est, quia scitur à Deo*, licèt possit concedi in sensu præcisè illativo; absolutè tamen negatur à Patribus, quia intendunt declarare, voluntatem nostram non esse coactam à scientia Dei ad peccandum, & scientiam Dei non esse causam peccati. Per quod constat ad illam maiorem explicationem.

Ad quartam, & vltimam respondetur, permissa maiori; negando minorem. Et ad eius probationem dicendum est, quòd illæ duæ propositiones veræ sunt, si intelligantur de scientia visionis, prout est communis creatæ, & increatæ: quia sub hac ratione, sicut verum est, *Scientia visionis cognoscit futurum, quia futurum est*, quo pacto scientia creata illud cognoscit; ita in eodem sensu falsum est, *Quia futurum est, Deus illud prænoscit*. Cum quo rectè cohæret, quòd, attenta scientia visionis, vt visionis

est,

eſt & divina, prima ſit falſa, & ſecunda vera iuxta mentem Auguſtini. Ex dictis ſatis reſpondetur ad argumentum adductum num.9.

DUBIUM V.

Vtrùm ſcientia Dei ſit formaliſsimè ipſa omnipotentia, ſeu potentia immediatè executiva creaturarum?

58 NON niſi ex reſolutione huius dubij completam haberemus notitiam cauſalitatis ſcientiæ divinæ, in quo explicabimus modum executivum, quo cauſat creaturas. Et procedit de ſcientia Dei, prout eſt attributum virtualitèr diſtinctum tàm in actu primo, quàm in actu ſecundo à voluntate, intellectu, & omnibus alijs virtutibus, ſeu attributis intellectualibus. Circa quam invenio quinque præcipuas ſententias. *Prima aſſerit*, omnipotentiam eſſe omninò indiſtinctam ab eſſentia divina. Ita Aureolus in 1.diſt.45.art.1. Suarius in Metaphyſ. diſp. 30.ſect. 17. & alij. *Secunda tenet*, diſtingui virtualitèr tàm à natura divina, quàm à tota linea intellectiva, & volitiva: ex qua infertur, omnipotentiam diſtingui virtualiter à ſcientia divina. Sic Durandus in 1. diſt. 38. quæſt. 1. & alij Recentiores. *Tertia docet*, omnipotentiam æque in recto conſtitui per intellectum, & voluntatem. Sic Vazquez tom. 1. in 1. part. diſp. 102. cap. 4. & alij. *Quarta aſſerit*, in voluntate divina conſiſtere potentiam Dei immediatè executivam creaturarum. Ita Scotus, quem ſequuntur omnes eius diſcipuli, Granadus, & Molina: in quam inclinari videntur Mag. Gonçalez, N. Cornejo, & Albelda, quatenus aiunt, voluntatem immediatius producere creaturas. *Quinta tandem defendit*, omnipotentiam conſtitui per lineam intellectus connotando voluntatem. Ita communitèr Thomiſtæ. Licet inter ſe dividantur: nam Godoy in præſ. diſp. 32. §. 1. num. 5. & §. 5. & §. vltimo, & Ferre in hac 1.part. tract. 13. *de Potent. Dei* quæſt. 4. §. 2. num. 1200. aſſerunt, omnipotentiam in actu primo conſiſtere in intellectu; in actu verò ſecundo in actu ſcientiæ; in quam inclinari videtur Mag. à Sancto Thoma in hac 1. part. quæſt. 25. diſp. 11. art. 2. num. 10. Noſtri verò Salm. in præſ. diſp. 5. dub. 3. conſtituunt eam in ſcientia practica, pro quo modo dicendi referunt Alvarez Nazarium Caietan. & alios. Sed nos mentem noſtram, cum his vltimis, diverſis aſſertionibus explicabimus.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

§. I.

Aſſertio prima.

59 DIcendum eſt *primò*, omnipotentiam diſtingui virtualitèr à natura divina. Hæc concluſio procedit contra Authores primæ ſententiæ. Et traditur à D. Thom. quæſt. 1. *de Potent.* art. 1. ad 14. vbi ait: *Dicendum, quòd potentia Dei non eſt media ſecundùm rem, quia non diſtinguitur ab eſſentia niſi ratione, & ex hoc habetur, quòd ſignificetur vt medium.*

Et probatur ratione fundamentali. Pro cuius luce: Nota *primò*, quòd eſtò nullum prædicatum divinum poſsit terminari ad creaturas tanquam ad ſpecificativum formale, vt oſtendimus diſp. 1. num. 49. & pluries in hac diſp. & probabimus in tract. ſeq. hoc non obſtanti, ſunt aliqua prædicata divina ita connexa cum creaturis, vt ſine illis intelligi nequeant, huiuſmodi ſunt iuſtitia, miſericordia, ſcientia practica, & omnipotentia: Et reſpectu horum creaturæ poſſunt dici ſpecificativum virtuale, non quia aliquod munus ſpecificandi præſtent, ſed quia talia prędicata ita connectuntur cum illis, vt ſi ſemel non repugnaret ab aliqua creatura ſpecificari, ab hoc obiecto, & ſub hac ratione potiùs quàm ab alio ſpecificarentur: v. g. miſericordia divina ita connectitur cum miſeria aliena vt ſublevanda, quòd non poteſt intelligi ſine illa; & ob hanc rationem, ſi non repugnaret ei ſpecificari ab aliquo creato, ab hoc potiùs quàm ab alio ſpecificaretur formalitèr. Omnipotentia autem ita connectitur cum creaturis factibilibus, vt nequeat intelligi ſine illis: proindeque reſpicit omne creabile ſub ratione *factibilis*, vt ſpecificativum virtuale.

60 Nota *ſecundò*, quòd natura divina, prout diſtincta ab attributis, ratione ſuæ eminentiæ, & abſolutiſsimæ perfectionis nequit reſpicere creaturas, vt ſpecificativum virtuale. Nam ita concipere debemus naturam divinam cum fundamento in re, vt conſideremus eam magis abſolutam & indepentem ex noſtro modo concipiendi, quàm attributa: ſicut ſubſtantia creata eſt magis abſoluta ab aliquo extrinſeco, quàm ſuæ proprietates. Quare ſicut ſubſtantiæ creata nullo modo ſpecificatur ab aliquo extrinſeco, ſed à ſuo *eſſe*; ita divina natura non debet reſpicere, vt ſpecificativum virtuale creaturas: & ſicut ſubſtantia creata non eſt proximè operativa, ſed quidquid operatur fit mediis potentijs realitèr diſtinctis; ita ratio poſtulat, vt natura divina non cauſet immediate virtualitèr creaturas, ſed tantùm radicalitèr, mediis ſuis proprietatibus, ſeu attributis tanquam principijs proximis. Hoc, inquam, competit ei ratione ſuæ ſupremæ eminentiæ, & abſolutiſsi-

mæ perfectionis, ratione cuius debemus ei attribuere omnem excogitabilem perfectionem adinstar substantiæ creatæ, & ab ea relegare omnem imperfectionem etiam negativam : Unde sicut substantia creata, quia est perfectior, & magis absoluta quàm accidentia, non producit sua operata nisi radicaliter, & medijs ipsis accidentibus; ita, proportione servata, discurrendum est de natura divina, vt præintellecta ad sua attributa & proprietates. His prænotatis:

61 Formatur ratio nostræ conclusionis: Nam omnipotentia, seu potentia immediatè factiva rerum est de genere earum perfectionum, quæ respiciunt creaturas, vt sui specificativum virtuale, sed natura divina, vt præintellecta ad attributa, non respicit creaturas vt specificativum virtuale: ergo non est principium immediatè executivum creaturarum, sed tantùm radicalitèr. Maior, præterquam quòd constat ex dictis in primo notabili, satis liquet. Tum ex eo quòd nequit intelligi sine creaturis factibilibus, sicut neque misericordia, vt est prædicatum speciale & formale Dei, potest intelligi sine miseria sublevanda. Tum etiam : nam in creatis potentia immediatè operativa respicit operata, vt specificativum formale : ergo in Deo respicit ea, vt specificativum virtuale. Minor etiam patet ex dictis in secundo notabili.

62 Ex his infertur, omnipotentiam non consistere in intellectu divino. Ratio est evidens, si vera sunt hucusque dicta, maximè si supponantur, quæ diximus tract. 1. disp. 2. à num. 35. de constitutivo naturæ divinæ. Nam intellectus divinus pertinet ad constitutivum metaphysicum naturæ divinæ : ergo si natura divina non est ex nostro modo concipiendi cum fundamento in re principium immediatè causativum creaturarum, neque intellectus divinus; ac proinde in eo non consistit omnipotentia.

63 Sed contra hanc conclusionem, & rationem : Objicies *primò*; Si natura divina non respiceret creaturas, vt specificativum virtuale, sequitur, quòd non haberet necessariam connexionem cum eis; sed hoc est falsum, cùm ex destructione possibilium sequatur destructio essentiæ divinæ : ergo respicit creaturas vt specificativum virtuale. *Adde*: quòd si ex absolutissima perfectione naturæ divinæ sequeretur, quòd non sit potentia immediatè executiva, etiam sequeretur, quòd non haberet connexionem necessariam cum creaturis, siquidem absolutior esset, si talem connexionem non dicat.

Respondetur, negando sequelam maioris. Nam ad rationem specificativi virtualis alicuius prædicati divini non sufficit, quòd connectatur necessario cum illo, sed requiritur, quòd illud respiciat per modum principij proximi, & non radicalis: Sicut in creatis, licèt substantia connectatur necessariò multoties cum suis effectibus, non respicit eos, vt sui specificativum formale, quia tantùm producit eos, vt principium radicale. Vnde sicut cum hoc rectè cohæret, quòd substantia sit magis absoluta, quàm potentiæ immediatè operativæ; ita de natura divina sentiendum est, quòd licèt connectatur necessariò cum creaturis, concipitur vt absolutissima, quia concipitur, vt summè fœcunda, & productiva per modum principij radicalis. *Ad additamentum* : Respondetur, quòd natura divina nequit concipi adeò absoluta, vt non dicat connexionem per modum radicis cum creaturis : quia si non diceret connexionem cum eis modo præscripto, neque diceret eam cum omnipotentia, & alijs attributis connexis necessariò cum creaturis, vt ex se liquet; quod est idem, ac destruere naturam divinam.

64 Objicies *secundò* : Non obstanti quòd in creatis substantia sit radicalitèr intellectiva, natura divina est proximè intellectiva: ergo pariformitèr estò substantia creata non sit principium immediatè executivum adextra, non sequitur, quòd natura divina non sit principium proximum effectivum creaturarum. ¶ Et confirmatur : Nam plura, quæ in creatis distinguntur realitèr, tanquam res pertinentes ad diversas lineas, in divinis non distinguntur virtualitèr: ergo ex eo quòd in creatis substantia non sit immediatè operativa, sed media potentia realitèr distincta, non rectè infertur, naturam divinam non esse potentiam proximè executivam creaturarum. Antecedens, relictis alijs, comprobatur exemplo personalitatis, & relationis, quæ in creatis distinguntur realitèr, tanquam res pertinentes ad diversas lineas; & in divinis sunt omninò idem absque distinctione virtuali.

Respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia in creatis ratione præcisè limitationis substantia est radicalitèr intellectiva : & quia ab essentia divina debet relegari omnis vmbra imperfectionis & potentialitatis, sine qua non posset concipi, nisi esset formalissimè suus intellectus, & intellectio primordialis, eo quòd pertineant ad eandem lineam, propterea natura divina est proximè intellectiva, necnon & sua intellectio: Hoc autem non habet locum respectu productionis creaturarum. sicut neque actus miserendi, aut sciendi: quia ex genere suo pertinent ad diversas lineas : & aliunde sicut explicatur maior & magis absoluta perfectio naturæ in eo, quòd non respiciat vt specificativum virtuale miseriam alienam sublevandam, sed hoc relinquitur speciali eius attributo, scilicèt misericordiæ; ita concipitur magis perfecta & absoluta in eo, quòd media potentia virtualiter distincta respiciat creaturas vt *factibiles*. ¶ Ad confirmationem respondetur, relationem & personalitatem in creatis tantùm distingui ex capite limitationis, nempè quia vna est entitas substantialis, & alia accidentalis : cùm ergo Deus sit incapax ali-

alicuius accidentis, relatio à fortiori debet esse substantialis. Supposito autem, quòd sit entitas substantialis, nulla apparet repugnantia, quòd sit personalitas absque distinctione virtuali; & aliunde nullum prædicatum absolutum aptum est ad distinguendas personas in divinis: Unde necessariò fatendum est, quòd relatio, & personalitas non distinguuntur virtualiter, neque ex genere suo pertinent ad diversas lineas.

65 Objicies *tertiò* ex D. Thoma, qui infrà quæst. 25. art. 5. ad 1. sic concludit: *Ideo Deus aliquid facit, quia vult; non tamen ideò potest, quia vult, sed quia talis est in sua natura*: ergo ipsa natura, absque distinctione alicuius potentiæ virtualiter distinctæ, connotata voluntate, immediatè producit creaturas. ¶ Et confirmatur *primò*: Nam maior perfectio explicatur in eo, quòd natura divina sit immediatè factiva creaturarum, quàm in eo, quòd sit tantùm radicalitèr factiva, modo à nobis explicato: ergo est ipsa omnipotentia absque distinctione virtuali. Antecedens probatur: quia substantiam non esse immediatè operativam oritur ex imperfectione & limitatione; proindeque, si esset realitèr ipsa potentia immediatè operativa, perfectior esset ac nunc est: ergo in eo quòd natura divina non indigeat potentia immediatè operativa virtualitèr distincta, maior perfectio explicatur, quàm in opposito. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam ideo in creatis potentia immediatè operativa distinguitur realitèr à sua essentia, quia *esse*, quod est actus essentiæ, & operatio, quæ est potentiæ operativæ, distinguuntur realiter; sed in divinis *esse*, & *operari* non distinguuntur virtualitèr, cùm *esse* non distinguatur virtualitèr ab *intelligere*: ergo neque essentia divina distinguitur virtualitèr à sua potentia immediatè executiva. ¶ Confirmatur *tertiò*: Deus non agit adextrà, nisi quatenus est infinitus in linea entis: ergo non operatur immediatè nisi ratione sui *esse*, secundùm quod continet omnem perfectionem creabilem; sed *esse* Dei pertinet ad constitutivum naturæ divinæ: ergo natura divina est immediatè productiva creaturarum.

Confirmatur tandem, contra id quod diximus de intellectu: Nam in Angelis intellectus, connotata voluntate, est potentia immediatè executiva eorum, quæ operantur adextrà: ergo etiam in Deo. Antecedens ex infrà dicendis constabit. Et consequentia probatur: Tum quia aliàs intellectus angelicus esset perfectior in suo ordine, quàm divinus in suo, cùm per seipsum ille possit producere effectus, secùs iste. Tum etiam: quia non stat, quòd potentia immediatè executiva dicat maiorem identitatem cum intellectu in creatis, quàm in divinis: ergo si intellectus angelicus est potentia immediatè executiva, etiam divinus.

66 Ad obiectionem respondetur, intentum D. Thomæ solum esse, quòd omnipotentia, quatenus est factiva in actu primo, non radicetur in aliquo prædicato libero, sed in ipsa natura secundùm se; oppositum verò docet ibi de actuali productione creaturarum: Ad quod nihil conducit, quòd ipsa natura sit tantùm operativa radicalitèr, vel etiam proximè. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum est, quòd dupliciter possumus loqui de substantia: vel ita quòd, identificando potentiam immediatè operativam, identificet simul *esse*, & operationem, vt rectè arguunt Thomistæ: & in hoc sensu verum est, quòd substantiam creatam non esse potentiam immediatè operativam provenit ex limitatione & imperfectione ipsius: vel ita quòd, identificando potentiam immediatè operativam, non identificaret operationem: & in hoc sensu non esse potentiam immediatè operativam partim provenit ex perfectione, quia nō specificatur ab aliquo extrinseco, quod non parva perfectio est; & partim ex imperfectione, quia limitatur ad non habendam perfectionem potentiæ immediatè operativæ. Igitur, cùm maior perfectio sit non respicere creaturas, vt specificativum sivè formale, sive virtuale, maior perfectio explicatur in eo, quòd natura divina sit radicalitèr operativa, quàm in eo, quòd sit ipsa omnipotentia absque distinctione virtuali.

67 Ad secundam confirmationem respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem, si *operari* intelligatur, vt debet, de productione creaturarum. Verum quidem est, quòd *intelligere* primordiale est omninò idem cum *esse* Dei, & propterea potentia Dei respiciens immediatè *esse*, & potentia respiciens immediatè hoc *intelligere* non distinguuntur virtualitèr: sed præter hoc *intelligere* datur aliud *operari* virtualitèr distinctum ab *esse* Dei tàm de linea voluntatis, quàm de linea intellectus. Vnde ex hoc non rectè concluditur, naturam divinam esse ipsam omnipotentiam absque distinctione virtuali. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd estò Deus operetur, quatenus est infinitus in linea entis, & quatenus ratione sui *esse* continet omnes perfectiones creaturarum, tantùm infertur, quòd contineat illas per suum *esse* per modum radicis: quia hic modus eas continendi est perfectior, vtpotè magis absolutus & independēs ab alio, tanquam à specificativo virtuali. Ex hac autem radice dimanat omnipotentia, quæ æque est infinita in *esse entis*, proportione servata, ac essentia; & ideò continet per modum principij proximi perfectiones omnes creaturarum.

68 Ad vltimam confirmationem, cuius difficultatem tetigimus tract. 1. disp. 2. num. 31. & solutionem distulimus ad hunc locum: Respondetur, concedendo antecedens cum Arist. & D. Thoma 3. *de Anim.* text. 48. cum N. Complut. abbrev. in lib. *de Anim.* disp. 6. num. 12. & negando consequentiam. Quam nulla pro-

probatio suadet: *Non prima*: Nam quod intellectus angelicus sit potentia immediatè executiva adextra, provenit ex imperfectione eius collati cum essentia, videlicet quia substantia ob sui absolutam perfectionem nequit specificari ab aliquo extrinseco, benè verò intellectus. Unde cum maiori perfectione concipimus intellectum divinum in suo ordine, quàm intellectum angelicum, si ita illum ponimus, quòd non respiciat creaturas, vt specificativum virtuale. *Neque secunda.* Tum quia falsum est, quòd potentia executiva in Angelo habeat maiorem identitatem cum intellectu, quàm in Deo: nam sicut in Deo distinguntur virtualiter, etiam in Angelo, vt cum Caiet. 3. *de Anima* cap. 6. observarunt N. Complut. abbrev. loco proximè citato. Cum hoc discrimine, quòd distinctio virtualis in Angelo fundatur in limitatione, proindeque est distinctio excludentis, & exclusi; distinctio autem virtualis inter intellectum divinum, & omnipotentiam fundatur in infinitate, & intima transcendentia adinvicem: quare maior datur identitas inter intellectum divinum, & omnipotentiam, quàm inter intellectum angelicum, & suam potentiam executivam. *Tum etiam*: Quia ex eo quòd permittamus, intellectum angelicum non distingui virtualiter à potentia executiva, sicut nec intellectus practicus à seipso vt speculativo; & omnipotentiam distingui virtualiter ab intellectu divino, nullum sequitur inconveniens, quando illa identificatio fundatur in imperfectione; & ista dinctio in perfectione, vt reipsà contingit. Nam quòd intellectus angelicus sit potentia executiva, oritur ex eo, quòd substantia creata ob sui limitationem indiget potentia factiva adextrà realiter distincta; & aliunde non repugnat ei respicere vt obiectum formale, saltem inadæquatum, aliquid extrinsecum: At quòd intellectus divinus non sit potentia immediatè executiva adextrà, oritur ex eo, quòd pertineat ad constitutivum naturæ, quod maxima perfectio illius est; & ex eo, quòd natura divina sit absolutissima & independens ab alio tanquam à specificativo virtuali, quod non est minor perfectio illius, & per hoc distinguatur à suis proprietatibus & attributis, quæ non petunt explicare ex vi propriæ lineæ perfectionem adeò absolutam.

§. II.

Assertio secunda.

69 Dicendum est *secundò*, omnipotentiam non esse virtualiter distinctam à linea intellectiva, & volitiva. Hæc conclusio est contra Durandum, sed illam admittunt communiter Theologi: Vt deducitur clarè ex D. Thoma infrà quæst. 25. art. 1. ad 4. *in secunda solutione*, necnon quæst. 54. art. 5. vbi de Angelis ait: *Angeli autem non habent corpora sibi naturaliter vnita... vnde de viribus animæ non possunt eis competere nisi intellectus, & voluntas.* Ex quibus verbis formatur prima ratio huius conclusionis: Nam in Angelis non datur potentia distincta realiter a linea intellectiva, & volitiva: ergo neque in Deo virtualiter distincta. Consequentiæ bonitas videtur à paritate constare. Et antecedens probatur: Tum quia natura angelica est purè spiritualis, & consequenter intellectualis; sed natura purè spiritualis & intellectualis nullam potentiam habet distinctam à linea intellectiva, & volitiva: ergo in Angelis non est potentia realiter distincta à linea intellectiva, & volitiva. Tum & præcipuè: Si daretur in Angelo potentia realiter distincta à linea intellectiva, & volitiva, etiam daretur in eo actio, quæ non esset *intelligere*, aut velle, cùm omni potentiæ debeat correspondere sua propria actio; sed in natura pure intellectuali, & spirituali, qualis est angelica, iuxta doctrinam inconcussam D. Thom. non datur alia actio præter *intelligere* & *velle*: ergo neque potentia realiter distincta à linea intellictiva, & volitiva.

70 Respondebis, doctrinam D. Thomæ solùm procedere de actione immanenti, de qua verum est, quòd in natura purè spirituali non datur alia præter *intelligere*, & *velle*. Sed præter hanc potest in ea reperiri alia formaliter transiens.

Contra est: Nam omnis actio Dei est ipsa substantia Dei; sed actio formaliter transiens nequit esse ipsa substantia Dei: ergo in Deo non datur alia actio præter actionem formaliter immanentem. Maior probatur: Tum ex D. Thoma 2. Contra gent. cap. 23. rat. 4. vbi ait: *Divina actio non potest esse de genere earum actionum, quæ non sunt in agente, cùm sua actio sit sua substantia: Oportet igitur, quòd sit de genere illarum actionum, quæ sunt in agente: huiusmodi autem non sunt nisi actiones cognoscentis, & appetentis.* Tum etiam: quia omnis actio est perfectio & complementum potentiæ; Deo autem repugnat secundùm aliquam sui potentiam compleri & perfici per aliquid creatum. Tum denique: quia omnis potentia specificatur ab actu, quem per se primò respicit; sed repugnat, potentiam vllam divinam specificari ab aliquo, quòd non sit substantia Dei: ergo omnis actio Dei est ipsa substantia Dei.

71 Nec refert, si dicatur, quòd actio formaliter transiens recipitur in agente, proindeque in Deo iam erit ipsa substantia Dei. Sed contrà. *Primò*: quia hæc evasio iam deserit modum dicendi Adversariorum, qui aiunt, Deum producere creaturas per actionem creatam. *Tum*: quia falsum est, quòd actio formaliter transiens recipiatur in agente, vt latè probant N. Complut. abbrev. in lib. Physic. disp. 17. quæst. 3. &

Fer-

Ferrara lib. 1. Contra gentes cap. 1. vbi subiungit, actionem formaliter transeuntem recipi in passo esse de mente Arist. Comment. & D. Thomæ. *Tum denique*: Quia estò actio formaliter transiens reciperetur in agente, ob quam rationem omnis actio, estò transiens, esset eius substantia; attamen omnis actio transiens, prout distincta ab actione formaliter immanenti, est propter operatum tanquam propter finem; repugnat autem actionem aliquam divinam, quæ sit ipsa substantia Dei, ordinari ad creaturas tanquam ad finem.

72 Objicies *primò* cum D. Thoma in hac 1. part. quæst. 19. art. 4. ad 4. vbi ait: *Eiusdem effectus scientia est causa vt dirigens, & voluntas vt imperans; sed potentia est exequens, quia nominat principium immediatum actionis*: ergo potentia executiva secundùm D. Thomam distinguitur à linea intellectiva, & volitiva. Id clariùs docet ibidem quæst. 25. art. 1. ad 4. vbi ait: *Potentia non ponitur in Deo vt aliquid distinctum à scientia, & voluntate secundum rem, sed secundùm rationem, inquantùm scilicet potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit.* Et licèt oppositum doceat in solutione secunda, quam ibi adducit, de ea inquit Ferrara: *In veris exemplaribus non ponitur nisi prima responsio.* (Et est quam objicimus) *Secunda autem non est de textu, vt ego in multis vetustis exemplaribus vidi.* Sed adhuc expressiùs id tradit ibi quæst. 27. art. 5. vbi cùm sibi opposuisset, quòd oportet dari intra Deum, præter processionem Verbi per intellectum, & processionem Amoris per voluntatem, aliam tertiam ratione potentiæ: Sic respondet: *Dicendum, quòd potentia est principium agendi adextrà. Vnde secundùm potentiam accipitur actio adextrà. Et sic secundùm attributum potentiæ non accipitur processio diuinæ personæ, sed solùm processio creaturarum.* Ergo admittit potentiam distinctam ab intellectu, & voluntate.

Respondetur, D. Thomam in omnibus his testimonijs solùm concedere distinctionem rationis potentiæ executivæ à scientia, & voluntate; non verò determinat qualitatem huiusmodi distinctionis, an nempè sit distinctio tanquàm attributi ab attributo; vel tanquam rationis inadæquatæ eiusdem potentiæ secundùm inadæquatam connotationem. Et ad hoc determinandum adducit secundam solutionem, in qua docet: *Ipsa scientia Dei, vel voluntas diuina, secundùm quod est principium effectivum, habet rationem potentiæ.* Quæ, vt inquit Ioannes à Sancto Thoma in hac 1. part. quæst. 25. art. 2. num. 6. *est maior explicatio primæ.* Et vt inquit Ferre ibidem quæst. 4. Non est negandum, prædictam solutionem D. Thomæ esse, vt dicit Ferrara, invenimus enim eam in codicibus castigatissimis, quales sunt typis mandati Romæ iussu Pij V.

73 Objicies *secundò*: Nam in nobis potentia executiva distinguitur realiter à linea intellectiva, & volitiva: ergo etiam in Deo distinguitur virtualiter &c. Consequentia videtur legitima: nam quæ in creatis distinguuntur realiter, in divinis distinguuntur virtualiter; maximè si distinguantur per modum potentiæ, & potentiæ, qua ratione intellectus, & voluntas distinguuntur virtualiter in Deo. Antecedens verò probatur: Tum ex D. Thom. q. vnica *de Animæ* art. 13. ad 13. vbi ait: *Dicendum, quòd intellectus, & appetitus movent sicut imperantes motum, sicut oportet esse potentiam motivam, quæ motum exequatur, secundùm quam, scilicèt membra, sequuntur imperium appetitus, & intellectus, vel sensus.* Et loquens specialiter de Angelis quæst. 6. *de Pot.* art. 3. ad 2. sic ait: *Formæ rerum naturalium in mente angelica existentes sunt magis actuales, quàm formæ quæ sunt in materia; & propter hoc sunt immediatum principium perfectioris operationis, quæ est intelligere: operationis verò, quæ est actio materiam transmutans, non sunt immediatum principium; sed mediante voluntate, & voluntas mediante virtute; & virtus immediatè movet motum localem, quo motu mediante, est causa aliorum motuum, & est causa aliqua inductionis formæ in materia.* Ergo sivè in nobis, sivè in Angelis potentia executiva distinguitur realiter à linea intellectiva, & volitiva. Tum etiam: quia potentia executiva motus (v.g.) progressivi, residet in membris: in cuius signum videmus, quòd, hac deficiente, sivè impedita, non potest homo localiter moveri, estò voluntas velit, & intellectus dirigat, & imperet.

Ad obiectionem potest responderi *primò* cum N. Complut. abbrev. in lib. *de Anima* disp. 6. num. 12. permittendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis inter nos, & naturam purè spiritualem, qualis est divina & angelica, est: quia in nobis *sunt quædam vires seu potentiæ, quarum operationes per organa corporea exercentur*, vt docet D. Thomas infrà quæst. 54. art. 5. & vna ex illis potest esse potentia locomotiva seu executiva: At in natura purè spirituali nequit dari alia operatio præter *intelligere*, & *velle*; vt ibidem docet D. Thomas, proindeque potentia executiva non est ab intellectu, & voluntate distincta in Angelo: Porrò distinctio, vel vnitas potentiarum in divinis non debet venari ex his, quæ in naturis creatis inferioribus reperiuntur, sed ex his quæ in superiori. Ad testimonium Div. Thomæ ex quæst. *de Potent.* in qua agit de Angelis: Dicendum est, quòd quantùm ad primam partem illius, hoc est quantùm ad principium intellectionis, solùm loquitur de Angelis: quasi dicat, quòd natura angelica, quia est actualior

quàm forma, quæ est in materia, tantùm est principium operationis perfectissimæ, qualis est *intelligere* & *velle*. Quantùm ad secundam partem testimonij, loquitur de formis, quæ sunt in materia; de quibus sustineri potest doctrina proximè data.

74 Sed probabiliùs respondetur cum eisdem PP. loco citato, quòd non solùm in Angelo, sed etiam in nobis potentia immediatè locomotiva seu executiva non est distincta realiter à linea intellectiva, & volitiva, vel a sensu & appetitu, quod quoad præsens idem est. Et quidem de Angelis expressè id docet D. Thomas loco proximè citato. Et de nobis non minùs expressè docet 2. Contra gentes cap. 82. & in hac 1. part. quæst. 75. art. 3. ad 3. proindeque motus externus non habet in nobis veram rationem actionis, sed purè effectus Ad vtranque probationem vnico verbo respondetur, quòd virtus distincta, quam D. Thomas prærequirit in corpore, vt moveatur, non est virtus propriè activa, sed passiva, dispositiva tamen, vt corpora obediant intellectui, & voluntati: Et ex hoc oritur, quòd quando non datur in nobis huiusmodi dispositio, imperium intellectus, & voluntatis reddatur inefficax.

75 Objicies *tertiò*: Potentia executiva in Deo habet diversum obiectum formale à linea intellectiva & volitiva, vt talibus: ergo est diversa virtualiter ab eis. Antecedens probatur *primò*: Nam obiectum formale lineæ volitivæ, & intellectivæ est Deus; sed obiectum formale potentiæ executivæ non est Deus, sed creaturæ: ergo habet obiectum formale diversum. *Secundò*: Intellectus, & voluntas diverso modo attingunt creaturas; nam intellectus tangit illas dirigendo, voluntas imperando, & potentia executiva exequendo: ergo obiecta formalia illarum potentiarum distinguuntur formaliter.

Respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem satis constat ex dictis disp. 1. num. 93. Ad secundam autem, quæ procedit contra primum dubium huius disputat. potius quàm contra præsentem quæstionem: Dicendum est, quòd linea intellectiva, aut volitiva habet formaliter eminenter munus exequendi, & munus dirigendi, seu imperandi: sicut intellectio primordialis, ex qua Verbum divinum procedit, habet formaliter eminenter & munus intelligendi, & munus producendi. Unde potentia executiva, & linea intellectiva, aut volitiva non habent modos tangendi creaturas formaliter diversos ex parte rei conceptæ, sed tantùm ex modo concipiendi.

76 Objicies *quartò*: Nam actus potentiæ executivæ non est formaliter immanens; sed *intelligere*, & *velle* sunt actus formaliter immanentes: ergo in illis nequit consistere actus potentiæ executivæ. Maior, in qua est difficultas, probatur: Tum, quia productio actualis creaturarum est temporalis, aliàs creaturæ essent ab æterno, quod est hæreticum; sed Deo nequit advenire aliquid de novo intrinsecè: ergo actus potentiæ executivæ non est formaliter immanens. Tum etiam: quia actus, qui est immediata productio effectus, recipitur, vbi effectus, qua ratione ostendunt N. Complut. abbrev. in lib. Phys. disp. 17. quæst. 3. actionem formaliter transeuntem recipi in passo; sed creaturæ non manent intrinsecè in Deo: ergo neque actus illas producens manet formaliter in Deo.

Respondetur, negando maiorem. Et ad primam probationem dicendum est ex dictis num. 7. quòd actualis productio activa creaturarum, licèt quoad denominationem sit temporalis, quoad actualitatem est æterna. Non enim rarò contingit, quòd tota forma existat quoad entitatem, & non quoad denominationem: quia ad istam solet requiri connotatio alicuius extrinseci: sicut species angelica quoad entitatem habet quidquid requiritur ad actualem repræsentationem Petri futuri; & tamen non denominatur *actualiter repræsentativa*, vsquedum existat Petrus, cuius existentia necessaria est, vt resultet in specie illa nova denominatio. Idem contingit in præsenti: nam ad denominationem *actualis productionis creaturarum* requiritur productio passiva creaturarum; quæ proinde non resultat absolutè in actu divinæ potentiæ, vsquedum absolutè creaturæ ponantur in re; neque secundùm quid, vsquedum intelligantur produci in æternitate, estò habeat in se totam entitatem & actualitatem sufficientem, vt sit productio actualis earum. Unde autem proveniat, quòd sit ab æterno actualis productio activa, & non passiva, iam demonstravimus num. relato. *Ad secundam*: Respondetur, quòd illa probatio est recta, quando productio per se primò ordinatur ad effectum; vt contingit in calefactione respectu termini producti, secùs verò quando effectus non est per se primò intentus à productione. Et ita se habet quilibet actus formaliter immanens, & virtualiter transiens (nisi velis negare huiusmodi actum, & destruere hanc inconcussam philosophiam) qui per se primò respicit terminum seu obiectum immanens in principio, quod secundariò tangit effectum, seu obiectum adextrà. Ad hunc ergo modum est actus potentiæ executivæ Angeli, & Dei. Pro quo videri omninò debent, quæ diximus disp. præced. numer. 93.

§. III.

Assertio tertia.

77 DIcendum est *tertiò*, omnipotentiam non consistere æquè in recto in linea intellectiva, & volitiva, sed tantùm in vna, vel altera linea: cæterùm illa, in qua con-

consistit, necessariò debeat connotare alteram lineam. Hæc assertio procedit contra Authores tertiæ sententiæ: & est etiam communis inter Theologos. Et quidem quoad secundam partem satis liquet ex plurimis testimonijs D. Thomæ in tota hac disputat. relatis, in quibus ait, quòd ad productionem creaturarum intellectus concurrit dirigendo, & voluntas imperando. Necnon ex eo, quòd Deus liberè producit creaturas, iuxta illud Apost. ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis*; sed actus voluntatis præsupponit directionem intellectus, iuxta illud axioma, *Nihil volitum, quin præcognitum*: ergo si omnipotentia consistit in linea (v.g.) intellectiva in recto, debet dicere de connotato voluntatem; vel econversò.

78 Quoad primam & præcipuam partem probatur: Nam omnipotentia est speciale attributum Dei: ergo non consistit in recto in linea intellectiva, & volitiva. Antecedens est certum, iuxta definitionem attributi traditam à Damasceno, & insinuatam disp. præced. num. 28. Et consequentia probatur: Nam nullum attributum Dei integratur ex æquo, & in recto ex duplici linea adæquatè diversa; sed linea intellectiva, & volitiva sunt adæquatè diversæ: ergo si omnipotentia est speciale attributum, nequit consistere in recto, & ex æquo in intellectu, & voluntate. Maior probatur: Tum inductione in alijs attributis divinis, v. g. in immensitate, æternitate, voluntate &c. Tum etiam: nam quodlibet attributum habet suam determinatam speciem, aut quasi speciem, sicut in creatis de prædicamentis, de potentijs, & habitibus solet dici; sed ad integrandam vnam determinatam speciem nequeunt in recto, & ex æquo pertinere duæ res adæquatè diversæ, seu habentes species adæquatas: ergo neque ad vnum attributum.

79 Sed objicies: Nam D. Thomas infrà quæst. 22. art. 1. ad 3. ait: *Si providentia ex æquali respiceret voluntatem & intellectum divinum, hoc esset absque detrimento divinæ simplicitatis, cùm voluntas, & intellectus sint idem in Deo*; sed providentia est speciale attributum Dei: ergo non est contra rationem attributi Dei integrari ex æquo, & in recto ex voluntate, & intellectu. ¶ Confirmatur: Nam optimè stat, quòd ea, quæ in suis ordinibus habent essentias & species adæquatè diversas, secundùm aliquam rationem pertineant in recto, & ex æquo ad aliam tertiam speciem: ergo ex eo quòd linea intellectiva, & volitiva habeant in Deo species, aut quasi species adæquatè diversas, non sequitur, quod non possint ex æquo, & in recto constituere omnipotentiam. Antecedens probatur: Tum, quia numerus vtsic dividitur in binarium, & quaternarium tanquam in duas species adæquatè diversas; & tamen vterque numerus constituit speciem numeri senarij: ergo. Tum etiam: quia habitus religionis est vnus & simplex habitus residens in voluntate; & tamen respicit, vt actum primarium, aliquem residentem in intellectu, nempè orationem, præter alios primarios residentes in voluntate: ergo.

80 Ad obiectionem respondetur: fatendo, quòd ex eo quòd providentia constitueretur ex æquo ex intellectu, & voluntate, non derogaretur divinæ simplicitati, quatenus excludit compositionem, sivè realem, sivè rationis: & hoc tantùm intendit D. Thomas in prædicto testimonio. Derogaretur autē simplicitati vnius attributi, quæ non solùm excludit omne genus compositionis, sed etiam distinctionem virtualem: quia vnum attributum, vtpotè distinctum ab alio, est indivisum in se, & divisum à quolibet alio. ¶ Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Cuius nulla probatio convincit: *Non prima*: Nam propterea ad constituendum numerum senarium ingrediuntur in recto species numeri binarij, & quaternarij, quia ordinantur ad constituendum vnum ens per se in infimo gradu perfeitatis, quam in se habet perfeitas numeri arithmetici. Et maximè quia non ingrediuntur prædicti numeri infimi secundùm suas formalissimas rationes ad constituendum numerum; quia vt inquit Arist. *Bis tria non sunt sex*. Vnde sex illæ vnitates, ex quibus coalescere potest duplex numerus specie diversus, nempè binarius, & quaternarius, quatenus sunt sex vnitates materialiter, possunt esse partes materiales plurium specierum numeri, & hoc pacto possunt etiam pertinere ad integritatem numeri senarij, non verò prout sunt partes formales numeri (v.g.) quaternarij. At nihil horum contingere valet in attributo omnipotentiæ, vt ex se liquet.

81 Ad secundam respondetur, potius esse pro nobis, quàm contra nos. Nam actus orationis ita est actus religionis residentis in voluntate, quòd non integratur in recto ex duplici actu adæquato lineæ volitivæ & intellectivæ, sed vnicè est actus intellectus, licèt connotet voluntatem, à qua recipit aliquam modificationem intrinsecam de eius linea: multò ergo minùs in Deo productio actualis creaturarum constituetur ex duplici actu adæquato pertinente ad intellectum, & voluntatem. ¶ Si verò objicias: *Ergo iam potentia executiva in actu primo potest pertinere ad vnam lineam, & actus secundus, seu productio actualis ad aliam; vt contingit in virtute religionis, & actu orationis*. Respondetur, negando consequentiam, propter duas disparitatis rationes. *Prima est*: quia potentia, seu attributum aliquod non admittit in divinis distinctionem virtualem à suo actu, vt dicemus tract. seq. potentia autem creata, seu virtus ob sui limitationem distinguitur realiter ab actu; ideo non datur tanta repugnantia, ad hoc quòd virtus in actu primo pertineat ad vnam lineam,

& actus secundus ad aliam. *Secunda, & præcipua*: Quia omnis linea divina ibi habet suam rectitudinem, vbi habet suam entitatem, eo quòd est infinita in sua linea: At quia linea creata est capax cuiuscumque potentialitatis ob sui finitudinem, non repugnat, quòd oratio (v.g.) sumat suam entitatem à linea intellectiva, & rectitudinem à volitiva. Videantur pro hoc N. Salm. tract. 12. disp. 2. à num. 7.

§. IV.
Assertio quarta.

82 DIcendum est *quartò*, omnipotentiam non consistere in recto in aliquo prædicato pertinente ad lineam voluntatis, sed intellectus. Hanc conclusionem communiter docent Thomistę contra Authores quartæ sententiæ: Et præcipuè probanda est doctrina D. Thomæ: Nam imprimis in hoc art. 8. ait: *Manifestum est autem, quòd Deus per intellectum suum causat res, cùm suum esse sit suum intelligere.* Et vt occludat circa eius mentem omnem ambigendi locum, immediatè subdit: *Vnde necesse est, quòd sua scientia sit causa rerum, secundùm quod habet voluntatem coniunctam.* Deinde: nam sicut ad omnipotentiam requiritur intellectus, & voluntas, ita ad providentiam; sed providentia consistit in recto in intellectu connotando voluntatem, vt expressè docet Ang. Doctor infrà quæst. 22. art. 1. ad 3. his verbis: *Providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis.* Et adhuc expressiùs quæst. 5. *de Verit.* art. 1. vbi ait: *Providentia includit scientiam, & voluntatem, sed tamen essentialitèr in cognitione manet, non quidem speculativa, sed practica:* ergo. Tandem: nam in Angelo potentia executiva consistit in recto in intellectu: ergo etiam in Deo. Antecedens est certum in eodem Div. Thoma opusc. 11. art 3.

83 Et probatur ratione D. Thomæ insinuata in primo testimonio proximè relato. Nam Deus, quatenus est suum *intelligere*, est principium radicale productionis creaturarum: ergo principium proximum etiam debet esse aliquod *intelligere*. Antecedens est certum: quia natura divina, quæ constituitur per *intelligere* actuale, est principium radicale productionis creaturarum. Consequentia verò probatur: Nam inter principium proximum, & radicale præcontentivum creaturarum debet dari omnis proportio excogitabilis: ergo si Deus intellectuali modo per modum radicis continet creaturas, etiam per modum principij proximi intellectuali modo debet illas præcontinere. *Explicatur*: Deus formalissimè vt *intelligens actualitèr* est principium radicale productivum creaturarum: ergo etiam vt *intelligens actualitèr* est proximum principium illarum productivum.

Confirmatur *primò*: Nam illa virtus in Deo est principium proximum productivum creaturarum, quæ magis assimilatur naturæ divinæ in eis continendis; sed hoc convenit attributo intellectus: ergo. Minor probatur: Continere totam latitudinem entis per modum principij radicalis indicat supremam perfectionem in natura per modum *naturæ*: ergo indicat supremam perfectionem inter eas virtutes, quæ per modum principij proximi continet eam; sed perfectior est linea intellectiva, quàm volitiva, maximè in Deo: ergo attributum intellectuale magis assimilatur naturę in continendis creaturis, quàm voluntas.

84 Confirmatur *secundò*: Illa virtus est principium proximum creaturarum, quæ agit per formam, cui ipsę assimilantur; sed tale est attributum intellectuale: ergo. Minor probatur: Forma, cui creatura assimilatur, est idea divina, sicut idea in intellectu artificis creati est, cui præcipuè assimilatur effectus artificiatus adextrà; sed idea residet in intellectu: ergo attributum intellectuale agit per formam, cui assimilantur creaturæ. Propter quod ait D. Thomas in hoc art. 8. *Vnde oportet, quòd forma intellectus sit principium operationis, sicut calor est principium calefactionis.*

Confirmatur *tertiò*: Creaturæ ita producuntur à Deo, quòd Deus per eas loquatur, iuxta illud celebre dictum Augustin. tract. 44. in Ioannem: *Ea, quæ fecit Dominus noster Iesus Christus, & opera, & verba sunt. Opera, quia facta sunt: verba, quia signa sunt*; sed de ratione verbi est procedere immediatè ab intellectu: ergo creaturæ immediatè producuntur à Deo per attributum intellectuale.

85 Sed objicies *primò*: Nam sæpè in Scriptura dicitur, quòd Deus fecit creaturas, quia voluit, vt in Psalm. 113. *Omnia, quæcumque voluit, fecit.* Iudith. 9. *Illud factum est, quod ipse voluit* Et ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Ergo principium proximum productivum creaturarum est voluntas. ¶ *Secundò*: In illa virtute consistit potentia immediatè executiva, ad cuius actum immediatè ponitur effectus; sed talis est actus voluntatis: ergo. Probatur minor: Nam vltimus actus lineæ intellectus est imperium practicum, vltimus verò ex parte voluntatis est vsus; sed effectus immediatè sequitur ad vsum: ergo ponitur immediatè ad actum voluntatis.

Ad primum respondetur, quòd ex illis testimonijs haùd melius potest colligi potentiam executivam consistere in voluntate, quàm ex alijs consistere in intellectu. Nam in ea etiam dicitur, *Verbo Domini cœli firmati sunt*: Et, *Ipse dixit, & facta sunt.* Quæ probant, creaturas procedere à Deo per intellectum. Vnde, vt optimè notat Ioannes à Sancto Thoma loco suprà relato, potiùs ex ratione theologica, quàm ex autho-

authoritate sacræ paginæ deducendum est, in quo consistat omnipotentia.

86 Ad secundum respondetur, concedendo maiorem; sed negando minorem. Et ad eius probationem dicendum est, quòd vsus activus voluntatis non est vltimus actus, ad quem immediatè ponitur effectus, sed imperium practicum intellectus. Pro quo notandum est, quòd ad productionem effectus concurrit in primis scientia simplicis intelligentiæ proponens effectum, qui potest fieri, deinde voluntas intendens efficaciter productionem illius, & tandem intellectus, seu prædicta scientia connotans prædictam intentionem (quo pacto est scientia visionis) per suum imperium executivum immediatè producit effectum. Illa tamen intentio, si comparetur ad talem effectum, potest dici ex vi cuiusdam reflexionis *intentio*, *electio* & *vsus*: quia dum amamus aliquod obiectum præ alio, tunc ille amor per quandam reflexionem & est consensus in ipsum amorem, electio eiusdem amoris, & vsus sui ipsius: proindeque oportet, quòd præcedat ad prædictum amorem aliquod iudicium practicum dictans determinatè, & efficacitèr prædictum amorem, quod quodammodò dici potest *imperium*. In quo sensu locutus est D. Thomas 1. 2. quæst. 16. art. 4. ad 3. vbi ait: *Nihil prohibet, quòd vsus vnius præcedat electionem alterius. Et quia actus voluntatis reflectuntur supra seipsos, in quolibet actu voluntatis potest accipi consensus, electio, & vsus.* Ex quo testimonio planè infertur, quòd iudicium practicè & efficaciter dictans talem actum in eodem sensu debet dici *imperium practicum*: quia iuxta doctrinam generalem D. Thomæ, in tract. *de Prædest.* explicandam, datur imperium practicum præcedens, dictans, & movens ad vsum voluntatis. Cœterùm in hoc imperio distinguenda est duplex formalitas ex nostro modo concipiendi distincta: alia dirigens, & intimans productionem rei, quæ explicari potest per formulam hanc loquendi, *fac hoc*, vel *fiat hoc*: alia immediatè exequens productionem effectus. Inter has autem duas formalitates hoc est discrimen, quòd ad imperium secundùm primam formalitatem sequitur immediatè & infallibiliter, saltem in Deo, vsus activus; & ad vsum activum ipsum imperium vt executivum: iuxta illud, *fiat lux, & facta est lux.* Ex quibus habemus, quòd effectus non sequitur immediatè ad actum voluntatis. Sed hæc latiùs explicanda sunt loco citato.

§. V.

Assertio quinta.

87 Dicendum est *quintò*, omnipotentiam non constitui in actu primo per intellectum, & per actum scientiæ in actu secundo. Hæc conclusio procedit contra Illust. Godoy, & Ferre locis suprà citatis. Et est conformis doctrinæ generali N. Salm. Tum quia intellectus pertinet ad constitutivum naturæ divinæ, vt suprà insinuavimus num. 65. sed omnipotentia tam in actu primo, quàm in actu secundo distinguitur virtualiter à natura divina: ergo omnipotentia in actu primo non constituitur per intellectum. *Tum & præcipuè*: Nam in divinis vnum attributum non est actus secundus respectu alterius, alias nullum ex eis esset infinitum in sua linea; sed iuxta sententiam horum Authorum scientia, & intellectus sunt duo attributa virtualiter diversa: ergo omnipotentia non constituitur per intellectum in actu primo, & per actum scientiæ in actu secundo. *Tum denique*: Nulla potentia in divinis distinguitur virtualiter ab actu secundo ei immediate, & per lineam rectam correspondente; sed productio actualis creaturarum est actus secundus immediate, & per lineam rectam correspondens omnipotentiæ: ergo non distinguitur virtualiter ab ea: Tunc sic; sed iuxta hos Authores scientia distinguitur virtualiter ab intellectu: ergo omnipotentia non constituitur in actu primo per intellectum, & in actu secundo per scientiam.

88 Ex quibus refellitur alius modus dicendi, quem habet Ferre loco suprà citato §. 3. vbi ait, quòd omnipotentia consistit in intellectu, non solùm prout attributaliter distinguitur à virtutibus omnibus intellectualibus, sed prout à seipso distinguitur etiam attributaliter. Sentit enim, quod intellectus divinus penes diversas denominationes *intelligendi*, & *exequendi* est virtualiter, & attributaliter multiplex; & quòd intellectus, vt intellectus, per se respicit *intelligere*; per accidens *operari* adextrà: & vt potentia executiva respicit per se *operari*.

Hic, inquam, modus dicendi refellitur *primò*: Nam distinctio virtualis in divinis solùm datur, iuxta eius sententiam, inter prædicata, quæ æquivalent rebus creatis realiter distinctis; sed intellectus vt *intelligens*, & *exequens* in Angelo (v. g.) non dicit distinctionem realem: ergo in divinis non est virtualiter & attributaliter multiplex. ¶ *Secundò*: Scientia simplicis intelligentiæ non distinguitur, in eius sententia, attributaliter à scientia visionis, vt potest videri in tract. *de Scientia Dei* quæst. 4. §. 1. & tamen vt scientia *simplicis intelligentiæ* respicit creaturas possibiles, & vt *visionis* futuras, & existentes: ergo multò minus intellectus distinguitur attributaliter à seipso, vt est potentia executiva. Probo consequentiam: Ideo probat, scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis non distingui attributaliter, quia has denominationes habent per connotationem ad diversas creaturas, quæ sunt obiectum secundarium; sed *operari* solùm competit intellectui per ordinem ad creaturas: ergo vel fatendum est, quòd crea-

tu-

turæ vt *factibiles* sunt obiectum primarium potentiæ executivæ, quod non concedet: vel dicendum est, quòd *operari*, & *intelligere* in Deo non distinguuntur attributaliter. *Adde*: Quia ex hoc modo dicendi infertur, quòd ipsa intellectio primordialis, prout est intellectio, & dictio producens Verbum, sit attributaliter duplex; hoc autem est falsum, quidquid dicat Ferre prædicto §. 3. num. 1206. vt probabimus in tract. *de Trinit.* In quo non possumus non mirari, quòd dictionem, & intellectionem non distinguat virtualitèr adæquatè in creatis, & in divinis distinguat.

89 Ex quatuor capitibus objicit Godoy contra nostram conclusionem. *Primò*: quia intellectus est præcipuum attributum Dei: ergo in eo debet consistere omnipotentia. Patet consequentia: nam omnipotentia debet consistere in eo attributo, quod perfectiori modo continet creaturas. Sed ex hoc capite minùs rectè arguitur contra nos, qui supponimus, intellectum divinum non esse attributum Dei, sed ipsam naturam divinam. *Secundò*: quia nulla cognitio divina est, quæ non sit vel luminis principiorum, vel scientiæ, vel artis; sed hæ cognitiones distinguuntur virtualitèr ab intellectu: ergo potentia executiva in actu primo consistit in intellectu, & in actu secundo in scientia. Sed in hoc falsum assumit, vt probavimus contra ipsum disp. 1. num. 30. *Tertiò* potest argui ex eius doctrina: quia actus primus distinguitur virtualitèr ab actu secundo. Sed oppositum ostendemus in tract. sequenti. *Quartò* & *vltimò*: ex eo, quòd in Deo non datur cognitio per modum actus primi, seu per modum habitus: igitur; si omnipotentia consistit in intellectu per modum actus primi, in cognitione scientifica consistit per modum actus secundi. Sed ad hoc dicimus, quòd in Deo nulla datur virtus cognoscitiva per modum actus primi, quod sufficit, vt in Deo non detur aliquid per modum actus primi. Sed falsum est, quòd cognitio scientiæ (v. g.) solùm sit in Deo per modum actus secundi, quasi correspondens præcisè cognitioni creatæ, & non habitui, vt putavit Godoy: est enim formaliter eminentèr scientia in actu primo, & cognitio in actu secundo absque distinctione virtuali. Ex quo non sequitur absurdum, quod intendit Godoy, videlicet quòd tribuat facilitatem potentiæ, & relinquat eam in potentia ad actum, vt ex se liquet.

§. VI.

Vltima conclusio.

90 DIcendum est *vltimò*, potentiam executivam consistere formalitèr in scientia Dei, & non in alio attributo intellectuali: proindeque scientiam Dei non solùm producere proximè creaturas per modum virtutis, sed etiam per modum potentiæ. Hæc conclusio, quæ est propria N. Salm. in hoc tract. disp. 5. dub. 3. deducitur expressè ex D. Thoma: Tùm in hoc art. 8. vbi ait: *Vnde necesse est, quòd sua scientia sit causa rerum.* Tum infra quæst. 25. art. 1. ad 4. vbi, loquens de potentia executiva Dei, ait: *Vel dicendum, quòd ipsa scientia, secundùm quod est principium effectivum, habet rationem potentiæ.*

Et probatur hac fundamentali ratione: Nam omnipotentia consistit in recto & formalitèr in aliquo attributo intellectuali; sed nullum commodius potest assignari, quàm scientia Dei: ergo omnipotentia consistit in ea. Maior ex dictis §§. præcedentibus satis liquet. Et minor probatur: Potentia executiva solum respicit substantiam operis absolutè, &, si est infinita, totam latitudinem entis creabilis; sed nullum attributum commodius hoc præstat ac scientia Dei. Minor probatur discurrendo per singula attributa intellectualia: Nam imprimis lumen principiorum, vt distinctum à scientia, non terminatur ad creaturas, sed tantùm ad essentiam divinam vt per se notam: vel estò terminaretur ad eas, non prout formaliter sunt effectus Dei, sicut nec terminatur ad essentiam divinam prout est formalitèr causa creaturarum. Deinde prudentia cum tribus suis comitibus, nempè eubulia, synesi, & gnome, solùm versatur circa agibilia, non verò circa factibilia, quo pacto omnipotentia formalitèr vt talis respicit creaturas; neque respicit essentiam, vt est formalitèr causa creaturarum, sed prout est ratio iudicandi aut præcipiendi. Denique ars non respicit totam latitudinem entis creati sub vniversalissima ratione *entis*, sed sub ratione determinata *operis artificiosi*, sicut prudentia sub ratione determinata *boni operis* conformitèr ad appetitum rectum. Tandem sapientia non distinguitur virtualitèr à scientia Dei. Sed aliunde scientia Dei est attributum vniversalissimum terminatum ad totam latitudinem entis, cùm terminetur ad essentiam divinam, prout est causa vniversalissima omnium effectuum. Ergo sola scientia Dei respicit totam latitudinem entis creabilis secundùm substantiam operis.

Confirmatur: Nam inter attributa intellectualia illud est omnipotentia formalissimè, quod ita est primum, quòd simul sit nobilissimum, & potens continere totam latitudinem entis creati sub vniversalissima ratione *entis*; sed huiusmodi est scientia Dei: ergo in ea consistit omnipotentia. Maior est certa: nam propter eam probavimus num. 88. omnipotentiam non consistere in linea voluntatis. Minor verò probatur: Nam si de aliquibus attributis posset dubitari, maximè de scientia, & arte comparatis inter se: de alijs nullus remanet ambigendi locus

prop-

propter proximè dicta; ſed ſcientia, & ars ita inter ſe comparantur, quòd ſcientia eſt prior quàm ars, cùm ſit prior cognitio vtsìc, quàm artificioſa, & aliunde continet totam latitudinem entis factibilis ſub vniverſaliſsima ratione *entis factibilis*, ambientis agibilia ſecundùm rectam rationem, quæ reſpicit prudentia, & factibilia artificioſa, quæ reſpicit ars, proindeque eſt attributum perfectius prudentia,& arte:ergo ſcientia, potiùs quàm ars, eſt attributum omnipotentiæ. Unde eſtò ſcientia, & ars concurrant proximè ad productionem creaturarum,illa debet eas producere per modum potentiæ, ſed hæc per modum virtutis.

91 Sed objicies *primò*: Ex hoc modo dicendi ſequitur, quòd in Deo detur triplex potentia; ſed hoc eſt falſum: ergo omnipotentia nequit conſiſtere in ſcientia. Maior videtur certa: nam alia eſt potentia ad filium, nempè intellectus; alia ad Spiritum-ſanctum, ſcilicet voluntas; & alia ſcientia, in qua nos ponimus potentiam executivam. Minor probatur: Tum ex D. Thoma, qui perpetuò tradit, in natura purè ſpirituali non dari niſi duplicem potentiam, nempè intellectum,& voluntatem. Tum quia in Angelo non datur niſi duplex potentia: ergo neque in Deo.

Reſpondetur, diſtinguendo maiorem: *ſequitur, quòd detur triplex potentia*, vt triplex attributum virtualitèr diverſum per modum *potentiæ* tàm inter ſe, quàm ab eſſentia divina,nego maiorem; alitèr, concedo maiorem. Neque oppoſitum docet aliquando D. Thomas: Nam eo ipſo, quòd intellectus divinus ſit de conſtitutivo naturæ divinæ, neceſſariò fatendum eſt, quòd ſit formaliter eminentèr natura divina, & potentia in ordine ad Verbum divinum. Aliæ verò, quæ habent tantùm rationem *potentiæ*, & non *naturæ*, correſpondent in creatis alijs duabus potentijs, quæ ſe habent per modum proprietatis. Cur autem in Angelo non detur alia potentia in linea intellectuali præter intellectum, & in Deo ſcientia habeat rationem potentiæ: Ratio in promptu eſt, quia in Angelo propter ſui limitationem intellectus diſtinguitur à natura: poſita autem diſtinctione, non opus eſt alia potentia de linea intellectuali præter intellectum;& aliæ formalitates intellectuales,vt ſcientia, ars &c. habent præcisè rationem virtutis: At in Deo, quia eius intellectus eſt de conſtitutivo naturæ, oportet aſsignare aliam potentiam per ordinem ad creaturas, propter rationem aſsignatam §. 1.

92 Objicies *ſecundò*: In illo attributo conſiſtit omnipotentia, ad cuius actum immediatè ponitur effectus;ſed huiuſmodi non eſt ſcientia: ergo.Minor probatur:Nam ad actum imperij ſequitur immediatè effectus,vt diximus ſupr.num. 91. ſed actus imperij non eſt actus proprius ſcientiæ:ergo. Minor probatur: In intellectu non datur niſi duplex actus imperij,nempè circa factibilia,& circa agibilia; ſed neutrum eſt actus proprius ſcientiæ: nam primum eſt actus proprius artis, ſecundum prudentiæ:ergo &c.

93 Neque fiet ſatis, ſi dicas cum Godoy in hoc tract. diſp.32. num.62. quòd imperium artis eſt actus proprius ſcientiæ, quia ars,& ſcientia nullatenus diſtinguuntur neque in creatis,neque in divinis. Non inquam, fit ſatis: Tum ad hominem,qui oppoſitum docuerat diſp.27 num. 12.non leui ductus ratione. Tum etiam: nam prudentia diſtinguitur virtualitèr à ſcientia in Deo, vt ibidem docet, & in creatis realitèr,quia habent obiecta formaliter diverſa, vt facillimè poteſt demonſtrari: ergo etiam ars diſtinguitur à ſcientia.Patet conſequentia: quia nulla eſt vrgens ratio, cur ſcientia, & prudentia habeant obiecta formaliter diverſa; & non ars, & ſcientia: quia ſicut prudentia eſt recta ratio agibilium determinatè, ita ars eſt determinatè recta ratio factibilium: à quibus rationibus præſcindit ſcientia,quia attingit obiecta artis, & prudentiæ ſub vniverſaliſsima ratione: ergo ſi prudentia diſtinguitur à ſcientia tàm in creatis, quàm in divinis modo ſibi proportionato,etiam ars.

94 Neque impoſsibile, imo nec difficile eſt nobis ſalvare,vt ipſe iudicat numero ſuprà relato ex diſp.27. quòd omnipotentia Dei conſiſtat in ſcientia, & non in arte divina, eſtò concedamus (ſicut concedimus) diſtinctionem virtualem in Deo, conſequenterque realem in creaturis, inter ſcientiam & artem. Nam in eius ſententia imperium prudentiæ eſt actus, ad quem immediatè ſequuntur agibilia, quatenus talia. Inquiramus ergo ab eo:non obſtante quòd prudentia diſtinguatur à ſcientia, & ad actum prudentię ſequatur immediatè ille determinatus effectus,omnipotentia poteſt conſiſtere in ſcientia; vel non? Si dicat hoc ſecundum,aget contra ſeipſum, qui ſtatuit pro concluſione in prædicta diſput. 32. §. vltimo, quòd actualis executio creaturarum eſt actus ſcientiæ. Iuxta quod vel dicendum eſt,quòd in Deo datur duplex potentia executiva virtualitèr diſtincta, alia pro agibilibus, & alia pro factibilibus, quod nullus Thomiſta dicit; vel fatendum, quòd ineptè diſtinguit ſcientiam, & prudentiam. Si dicatur primum: ergo etiam, non obſtante diſtinctione virtuali inter ſcientiam & artem, poteſt ſalvari, quòd omnipotentia conſiſtat in ſcientia, & non in arte.

95 Reſpondetur ergo ad obiectionem, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem neganda eſt maior: nam falſum eſt, quòd in Deo detur tantùm duplex imperium virtualitèr diſtinctum, aliud terminatum ad agibilia, & aliud circa factibilia: reſpectu enim cuiuslibet effectus producti à Deo, præter duplex illud imperium, aliud tertium neceſſariò aſsignandum eſt, nempè ſcientiæ, ita

vt triplex illud imperium immediatè concurrat ad productionem cuiuslibet effectus creati: Alitèr tamen, & alitèr: nam imperium providentiæ, seu prudentiæ terminatur ad illum, prout ordinatur ad finem; imperium artis terminatur ad illum, prout est opus factibile artificioso modo; scientia verò terminatur ad illum sub ratione magis vniversali, nempè sub ratione factibilis absolutè. Neque inconvenit, quòd ad eundem effectum concurrat triplex hic actus immediatè, dummodò concurrant sub diversa ratione. Cum quo rectè cohæret, quòd imperium scientiæ sit actus proprius illius per modum potentiæ, & alia duo respiciant prudentiam, & artem per modum virtutis, ob rationes suprà datas. Per quod constat ad argumentum ex num. 10.

96 Et licèt essentia divina per modum speciei, aut ideæ concurrat immediatè ad productionem creaturarum (præcluditur tacita obiectio) non impedit, quòd scientia sit potentia immediatè executiva. Tum quia tantùm concurrit vt quid se tenens ex parte obiecti, ac proinde non habet rationem potentiæ, cùm hæc se teneat ex parte ipsius agentis, vt liquet in idea, & specie creata: vnde semper relinquitur locus, vt scientia sit potentia executiva. Tum etiam: quia idea seu species se habet per modum formæ exemplaris receptæ in potentia; & alius modus causandi est illius, quod concurrit per modum formæ exemplaris, aut finis; & alius est modus causandi per modum potentię, vt tradit D. Thomas quæst. 5. *de Veritat.* art. 1. ad 7.

Neque inconvenit, quòd essentia divina per modum speciei, aut exemplaris concurrat immediatè in effectum creatum; estò inconveniens sit, quòd concurrat per modum naturæ, aut potentiæ: sicut non inconvenit, quòd substantia angelica concurrat immediatè in operationem per modum speciei, aut obiecti, vt diximus tract. præced. disp. 2. num. 64. licèt sub ratione naturæ, aut potentiæ non possit concurrere immediatè ad eam. Per quod præclusa manet alia replica.

DISPUT. III.

De Scientia Dei erga futura absoluta.

POstquàm egimus de scientia Dei secundùm se, & circa possibilia, oportet, vt eam cum futuris contingentibus comparemus. Cuius notitia concernit litem valdè celebrem inter Theologos: in ea enim controvertitur scientia illa media, quam pro viribus defendunt Patres Societatis. Pro ea tamen enervanda tres tantùm sequentes disputationes dicamus, licet alij permulta volumina consumpserint. In prima agimus de scientia comparativè ad futura contingentia absoluta, in qua investigamus medium, in quo ea Deus cognoscit. Et sit:

DUBIUM I.

Utrùm futura contingentia absoluta certò cognoscantur à Deo in sua essentia, & divinis ideis pro priori ad suum decretum exercitum?

PRo dicendis in hac, & sequentibus disputationibus plura notanda sunt, & alia supponenda.

§. I.

Notantur aliqua: Et alia supponuntur.

1 NOta *primò*, futurum esse, quod habet determinationem in suis causis ad existendum pro aliqua duratione subsecuta ad instans, in quo denominatur *futurum*. Ideoque distinguitur à re possibili, & existenti: à possibili, quia solùm dicit meram non repugnantiam ad existendum, suprà quod futurum addit determinationem in suis causis ad existendum. A re existenti, quia hæc dicit existentiam de præsenti, futurum verò defactò non existit, sed existet. Quod quidem est duplex: aliud absolutum, & est illud, quod defactò non existit, existet tamen posteà, vt Antichristus: aliud conditionatum, & est illud, quod poneretur, si existeret conditio, vt pœnitentia Tyri, & Sidonis cum dependentia à prædicatione, & miraculis Christi. In præsenti disputatione solùm agimus de futuris absolutis; in sequenti agendum de conditionatis.

Futurum absolutum est duplex, aliud necessarium, & aliud contingens. Necessarium est illud, quod, attenta potentia Dei ordinaria, impediri non potest, vt motus crastinus solis. Diximus *attenta potentia Dei ordinaria*: quia de potentia absoluta omne futurum est contingens, quia nullum est, quod absolutè impediri non possit. Futurum contingens est illud, quod potest esse, & non esse, attenta potentia Dei ordinaria. Et hoc est in duplici differentia: aliud est, quod potest esse, & non esse respectu solius potentiæ Dei, vt cœli, & Angeli: Aliud, quod potest esse, & non esse respectu causæ secundæ. Quod rursùs potest esse duplex: aliud, quod pendet à causa determinata ab intrinseco ad illud, & potest impediri ab alia causa secunda, vt fructus arboris, ad quem virtus eius est determinata, & potest impediri à gelu, vel grandine. In quo sensu intelligitur illud celebre dictum Philosophi 2. *de Gener.* text. 24 *Futurus quis incedere, nō incedet.* De quo futuro expresse loquitur

tur D. Thomas quæst. 12. *de Verit.* art. 10. ad 7. vbi optimè explicat prædicta verba Arist. & infrà quæst. 19. art. 7. ad 2. Et quæst. 2. *de Verit.* art. 12. ad 9. ait, quòd Deus potest scire, aliquid esse futurum; quod tamen nunquam erit. Alterum est, quod procedit à causa libera, & indifferenti, vt sunt actus liberi. Et de his præcipuè procedit præsens dubium, & disputatio.

2 Deinde supponendum est, Deum certò cognoscere futura contingentia absoluta. Hæc suppositio est nota de fide, & ratione naturali. Nam imprimis Daniel. 13. dicitur: *Domine, qui nosti omnia, antequam fierent.* Ecclesiast. 23. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita.* Et Isai. 41. ait, cognitione futurorum esse testimonium Divinitatis: *Annunciate, quæ ventura sunt, & sciemus, quòd Dij estis.*

Deinde ratione naturali ostenditur: Nam lumine naturali est certum, Deum cognoscere existentia: ergo eodem lumine notum est, Deum cognoscere futura. Consequentia est legitima; aliàs Deus in tempore mutaretur de non cognoscente in cognoscentem. Antecedens probatur: Tum quia ad perfectionem intellectus nostri attinet scire contingentia, quando existunt: ergo non est, cur hæc perfectio debeat Deo denegari. Tum etiam: quia si Deus non cognosceret certò nostras actiones existentes, non posset illas iudicare; nec debitum præmium, aut pœnam illis tribuere. Tum denique: quia omnia existentia habent certam, & determinatam entitatem, iuxta illud, *Omne quod est, necesse est esse*, proindeque gaudent necessaria scibilitate: ergo cùm intellectus divinus sit infinitus, debet ea cognoscere.

Alia ratione probatur: Nam Deus per suam scientiam practicam, connotando voluntatem, est causa futuritionis omnium futurorum contingentium: ergo nequit non ea cognoscere. Antecedens ex dictis disput. præced. *per totam* satis liquet. Et consequentia probatur: Nam non minùs est proprium scientiæ cognoscere, ac caloris calefacere; sed calor producit calorem calefaciendo: ergo scientia producit res sciendo, & cognoscendo.

3 Sed objicies. Ex cognitione futurorum contingentium sequitur, quòd scientia Dei sit fallibilis; vel quòd futurum non sit contingens: nam illud futurum vel potest aliter evenire, & sic scientia Dei potest falli; vel non potest aliter evenire, & sic futurum est necessarium. ¶ Confirmatur *primò*: Nam si scientia est infallibilis respectu alicuius obiecti, non potest terminari ad obiectum aliter ac terminatur: ergo neque obiectum potest aliter evenire. ¶ Confirmatur *secundò*: Si Deus præscit infallibiter futurum contingens, v. g. fletum D. Petri, nequit D. Petrus tollere illud antecedens, nempè quòd Deus præscierit illum fletum: ergo neque potest tollere consequens, scilicèt ipsum fletum: siquidem in bona consequentia, qui non potest tollere antecedens, neque potest tollere consequens: ergo fletus D. Petri non erit contingens. ¶ Confirmatur *tertiò*: Si antecedens est necessarium, etiam consequens, sicut si antecedens est verum, etiam consequens est verum; sed in hac conditionali, *Petrus convertetur, si scitur à Deo*, antecedens est necessarium: ergo & quòd Petrus convertatur. ¶ Confirmatur *quartò*: Nam ex vna maiori de necessitate, & alia minori de *inesse* sequitur conclusio de necessitate, vt cernere liquet in hoc syllogismo, *Omne scitum à Deo necesse est esse verum; sed Petrus curret, scitur à Deo: ergo necesse est, esse verum, quòd Petrus curret*: ergo scientia Dei tollit contingentiam futurorum.

Ad obiectionem respondetur, negando sequelam quoad vtramque partem. Nam Deus per suam scientiam ita infallibiliter cognoscit futurum contingens, quòd sciat illud eo modo, quo futurum est, id est, quòd estò infallibiliter habiturum est existentiam, potest absolutè illam non habere: quod sufficit, vt scientia Dei sit infallibilis, & futurum contingenter existat. Et ad præcludendam tacitam obiectionem addendum est, quòd futurum potentia antecedenti potest non esse, sed potentia consequenti, hoc est, prout stat sub scientia Dei, non potest non esse: ex quibus primum sufficit, vt futurum contingenter existat; secundum satis est, vt scientia Dei sit infallibilis. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, quòd ex infallibilitate scientiæ divinæ tantùm sequitur, quòd in sensu composito nequeat terminari ad obiectum aliter, ac terminatur. Ex quo etiam sequitur, quòd obiectum in eodem sensu composito, & facta aliqua suppositione libera, aliter evenire non possit: quæ suppositio fundatur in illo Philosophi: *Omne quod est, dum est, necesse est esse.* Sed quia futurum absolutè poterat aliter esse ex vi determinationis divinæ, etiam scientia divina poterat absolutè aliter terminari ad obiectum futurum. Quam solutionem expressè tradit D. Thomas pluribus in locis, maximè 1. dist. 39. art. 1. ad 3.

Ad secundam confirmationem respondetur cum D. Thoma in præs. art. 13. ad 2. vbi ait, quòd quando in antecedenti ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, qui non potest tollere antecedens, non potest tollere consequens, præcisè vt subest antecedenti, benè tamen secundùm se. Unde cùm scientia Dei sit huiusmodi, Petrus poterit absolutè tollere fletum scitum à Deo, estò non possit tollere nec scientiam Dei, nec ipsum fletum, vt stat sub illa, quod non opponitur contingentiæ fletus. *Maximè*: Quia quando antecedens infert consequens liberè, vt in præsenti, ex hoc ipso fletus D. Petri, si ponitur liberè, & absolutè, potest illum non ponere;

non verò requiritur,quòd absolutè possit tollere antecedens,nempe scientiam Dei circa illum. Sed de hoc iterum redibit sermo, dum in tract. sequenti de prædiffinitionibus Dei agamus. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd inter illud antecedens, & consequens datur debita proportio; proindeque non stat,quòd antecedens sit verum, & consequens falsum; neque quòd antecedens sit necessarium, & consequens contingens: nam sicut illud antecedens, *Conversio Petri scitur à Deo*, absolutè potuit non esse, & ex suppositione necessariò est; ita conversio Petri, quæ est consequens, etiam potuit non esse absolutè, licèt ex aliqua suppositione, & prout stat sub illa scientia,non possit non esse. ¶ Ad quartam respondetur cum D. Thoma 2. *de Verit.*art.12. ad 4. quòd illa propositio, *Omne scitum à Deo necesse est, esse verum*, si est de dicto, facit sensum compositum,& est vera; si autem est de re, facit sensum divisum, & in hoc sensu est falsa: quia falsum est, quòd omne scitum à Deo sit in se necessarium, cùm scientia Dei non mutet naturas rerum, quas scit, licèt sit infallibilis.

4 Objicies *secundò*: Nam scientia est de necessarijs,quæ non possunt aliter se habere; sed futura contingentia non sunt necessaria: ergo non possunt cadere sub obiecto scientiæ divinæ. ¶ Confirmatur: Deus omnia, quæ scit, scit per suam essentiam, quæ est medium necessarium; sed in medio necessario nequit cognosci aliquid contingens: ergo Deus non cognoscit futura contingentia.

Ad obiectionem respondetur, quòd, vt aliquod obiectum terminet scientiam divinam, sufficit,quòd sit necessarium necessitate orta ex suppositione præsentialitatis in æternitate: sicut sufficit necessitas orta ex suppositione, quòd existat in se: quia,vt suprà diximus, omne quod est, ex suppositione quod est, necesse est esse. ¶ Ad confirmationem respondetur,quòd essentia divina non est medium cognoscendi futura contingentia, nisi vt determinata per decretum liberum Dei, vt in tota hac disputat. explicabimus.

5 Objicies *vltimò*: Nam, posita scientia Dei infallibili de his futuris, tollitur è medio humana cura circa consecutionem vltimi finis: si enim Deus scit aliquem salvandum,infallibiliter salvabitur, sivè benè, sivè malè vivat.

Hoc genus arguendi est impertinentissimum. Nam, adhuc secluſa per impossibile scientia Dei, homini viventi in hac providentia convenit infallibiliter vnum ex duobus, vel quòd salvabitur, vel quòd damnabitur: & tamen est stulta cogitatio, quòd salvabitur, nisi ponat media conducentia ad salutem. Similiter si Christus, de cuius veritate dubitare non posset,diceret agricolæ,*Hoc anno colliges abundantiam frugum*, stultè ageret, si somno se traderet, nihilque circa culturam terræ operaretur, nihilque seminaret. Igitur quando Deus scit infallibiliter ex vi sui decreti, aliquem salvandum, etiam ex vi eiusdem decreti scit infallibiliter media ab homine liberè ponenda magis vtilia ad sui finis consecutionem. Et ob hanc rationem semper debemus esse soliciti de executione mediorum,iuxta illud Apost. Petri 2.cap. 1. v. 10. *Magis satagite, vt per opera vestra bona certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

His ita præmissis,totum litigium nos inter, & Patres Societatis est in designando medium, in quo Deus cognoscat futura contingentia. Ad quod deservit primò hoc dubium. Pro quo sit;

§. II.

Conclusio Thomistarum.

6 DIcendum est, Deum non posse cognoscere futura contingentia absoluta in sua essentia,vt habet rationem speciei, & ideæ pro priori ad decretum exercitum suæ voluntatis. Hæc conclusio colligitur satis ex D. Thoma: Nam quæst. *3.de Verit.* art. 6. sic ait: *Idea potest esse eius, quod nec est, nec erit, nec fuit; non tamen eodem modo sicut est eorum, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt: quia ad ea, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt producenda, determinatur ex proposito divinæ voluntatis.* Ergo iuxta D. Thomam essentia divina sivè per modum speciei, sivè per modum ideæ non repræsentat determinatè futura contingentia ante decretum exercitum divinæ voluntatis: ergo neque possunt à Deo cognosci certò ante tale decretum.

Deinde probatur ratione deducta ex prædicto testimonio: Essentia divina sivè per modum speciei, sivè per modum ideæ non repræsentat futura contingẽtia absoluta pro priori ad decretum exercitum Dei: ergo neque Deus potest ea cognoscere pro priori ad ipsum decretum. Patet consequentia: nam cognitio sivè divina, sivè creata nequit se extendere ad ea, quæ species, vel idea nullo modo repræsentat. Antecedens verò probatur: tum ex D. Thoma loco proximè relato. Tum quia essentia divina tàm vt species, quàm vt idea pro priori ad decretum liberum repræsentat omninò necessariò, cùm decretum sit primum prædicatum formaliter liberum; sed futura nequeunt repręsentari necessariò ab essentia divina, aliàs non erunt contingentia:ergo non ea repręsentat pro priori ad decretum exercitum Dei. *Tum etiam*: Quia essentia divina solùm potest repræsentare futura, quatenus est causa eorum in actu secundo, vt diximus disp. 1. dub. vltimo; sed essentia divina nequit esse causa futurorum in actu secundo

pro

pro priori ad decretum exercitum divinæ voluntatis, vt liquet ex dictis disp. præced. ergo &c. *Tum deindè*: Quia causa indifferens ad futuritionem, & non futuritionem rei nequit repræsentare determinatè futuritionem illius præ non futuritione; sed essentia divina pro priori ad omne decretum exercitum Dei est causa indifferens, & in actu primo tàm futuritionis, quàm non futuritionis: ergo nequit determinatè repręsentare eius futuritionem præ non futuritione. *Tum denique*: Nam id, quod non est futurum, nequit vt *tale* ab essentia divina repræsentari, neque à Deo cognosci: nam vt inquit D. August. lib. *de Anima, & eius origine* cap. 12. *Quomodò dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Sed nihil est futurum pro priori ad decretum exercitum Dei, vt infrà videbimus. ergo neque cognoscibile vt *tale* à Deo.

7 Huic rationi respondet Ægidius, quòd, vt Deus cognoscat futurum absolutum contingens, v. g. consensum præ dissensu, sufficit, quòd pro priori ad decretum præsupponatur consensus vt possibilis. Ad quod explicandum considerat voluntatem consentientem in triplici signo: in primo considerat voluntatem secundùm se præscindendo ab auxilio: in secundo considerat eam cum auxilio: & in tertio vt actu consentientem. Deinde supponit, hunc triplicem statum præcessisse in statu puræ possibilitatis, eo modo quo defactò existit in re.

Sed contrà est *primò*: Nam sicut possibile est, quòd voluntas habeat auxilium ad consensum, & ipsum consensum, ita est possibile, quòd non habeat; sed hoc non sufficit, vt videat Deus futurum dissensum prę consensu: ergo estò præcedat possibiliter consensus, eo modo quo existit in re, non sequitur, quòd Deus in illo signo determinatè sciat consensum præ dissensu. ¶ *Secundò*: Nam ex hac solutione sequitur, alterum mundum prævidere Deum existentem defactò, eodem modo quo prævidit hunc mundum existere: quia alterum mundum defactò existere est absolutè possibile; sed hoc sufficit, vt Deus prævideat in illo signo possibilitatis, mundum hunc defactò esse futurum: ergo etiam Deus prævidet alterum mundum esse defactò futurum. ¶ *Tertiò*: Quia mundum hunc existere fuisset absolutè necessarium, & non ex suppositione aliqua accidentali: quia mundum hunc existere esse possibile est obiectum necessarium absolutè, sicut mundum alium non existere esse possibile est etiam obiectum necessarium terminans scientiam necessariam, siquidem obiectum hoc (vt de illo compendiosè loquamur) nihil aliud est nisi obiectum merè possibile: ergo nisi inter hoc obiectum vt merè *possibile*, & ipsum vt defactò & absolutè *existens* mediet aliquid formaliter liberum ex parte agentis, nequit esse obiectum liberum, sed absolutè necessarium.

8 Relicta ergo hac evasione, & alijs quæ concernunt doctrinam in sequentibus dubijs impugnandam: Respondent alij dicendo, essentiam divinam tàm per modum speciei, quàm per modum ideæ repræsentare pro priori ad decretum ipsum decretum vt *futurum*, & futuritionem futuritionis effectus: nam sicut futuritio absoluta effectus pendet à decreto existenti, ita futuritio suæ futuritionis pendet ab ipso decreto vt *futuro*.

Sed contrà est *primò*: Nam falsum est, quòd decretum habeat rationem futuri, vt videbimus dub. sequenti, proindeque neque potest dari futuritio futuritionis. ¶ *Secundò*: Quia essentia divina pro priori ad existentiam exercitam ipsius decreti oportet, quòd sit determinata ad hoc decretum præ alio, vt possit illud certò cognoscere vt *futurum*, sed essentia divina pro priori ad existentiam exercitam ipsius decreti non est determinata ad hoc decretum potiùs, quàm ad aliud: ergo nequit repræsentare illud vt *futurum*. ¶ *Tertiò*: Nam in nullo signo intelligitur possibilitas possibilitatis rerum: ergo neque potest dari futuritio futuritionis. Consequentia à paritate constat. ¶ *Quartò* & *vltimò*: Nam sicut futuritio absoluta effectus pendet ab aliqua causa existente, vt supponit hæc evasio ita futuritio futuritionis pendere debet ab aliqua causa defactò existenti: siquidem omnis effectus determinatus creatus pendet ab aliqua causa existenti, cum omnis causa, maximè efficiens, causet suum effectum, inquantùm est actu existens; sed futuritio futuritionis, si est determinata, est effectus creatus non minùs ac ipsa futuritio absoluta, & respectu illius nequit esse causa essentia divina secundùm se, neque decretum vt *futurum*: ergo nequit dari illa futuritio futuritionis.

9 Neque proderit dicere, quòd futuritio futuritionis non est aliquis effectus in rerum natura existens; proindeque non requiritur ad eam causa defactò existens. ¶ Non, inquam, prodest. Tum quia futuritio directè non est effectus in rerum natura existens; & tamen, vt supponit suprà dicta evasio, ad eam requiritur decretum defactò existens per modum causæ efficientis: ergo paritèr, vel non datur futuritio futuritionis, vel ad eam requiritur causa efficiens defactò existens. *Tum etiam*: Quia omnis veritas, quæ est talis per participationem, debet dependere à Deo, qui est prima veritas per essentiam, tanquam à causa efficienti, & si est libera, & contingens, debet procedere ab eo, vt ab agente libero; sed futuritio directa, & reflexa, quæ est futuritio futuritionis, est veritas per participationem, cùm non sit ipsa veritas prima per essentiam: ergo pendet à Deo vt à causa efficienti. *Tum deinde*: Nam possibilitas creaturarum non est effectus defactò existens; & tamen, quia est veritas per participationem, supponit iam existentem omnipotentiam, quæ est prima radix & origo illius per modum causæ qua-

quasi efficientis : ergo idem de futuritione asserendum est. *Explicatur* : Nam ita se habet decretum in ordine ad futura, sicut omnipotentia in ordine ad possibilia ; sed possibilitas creaturarum est quædam denominatio extrinseca proveniens ab omnipotentia tanquam à causa formali,cùm possibilitas coalescat adminùs ex non repugnantia ex parte earum, & ex reali denominatione proveniente ab omnipotentia : ergo etiam futuritio est adminùs quædam denominatio extrinseca realis proveniens à decreto,tanquam à causa formali : Tunc sic ; sed quidquid habet causam formalem extrinsecam suæ denominationis, etiam habet causam quasi efficientem, vt liquet in denominatione *visi*, cuius complexum habet pro causa efficienti id,quod est causa visionis : ergo cùm omnipotentia, & decretum nequeant in se habere aliam causam efficientem denominationis *possibilis*, & *futuri*, ipsa sunt causa quasi efficiens harum denominationum.

Neque obstat, quòd causa tribuens prædictam denominationem extrinsecam sit increata (præcluditur tacita obiectio) quæ non potest habere aliquam causam efficientem.Nam ad rationem causæ efficientis non requiritur, quòd causet in complexo id, quod habet rationem formæ : vt cernere licet in productione Verbi, cuius terminus formalis est natura divina, quæ non producitur ; & in actione incarnativa, quę non producit humanitatem, & subsistentiam Verbi:& ad rationem causæ quasi efficientis sufficit, quòd detur nova veritas creata coalescens ex forma divina, & prædicato aliquo creato obiectivo,licèt prædicatum creatum non existat à parte rei.

Diximus suprà,loquentes de essentia possibilitatis, & futuritionis,*adminùs*,propter infrà dicenda,dum tractemus de constitutivo futuri, & possibilis.

§. III.

Opposita sententia.

10 OPpositum modum opinandi tenet Ægidius Cardinalis in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 2. & alij, quos referunt N. Salm. in præs. disp.7.num.27. Et probatur *primò* ex D. Thoma in hac quæst. 14. art. 13. vbi agit de cognitione futurorum per scientiam divinam. Nam ibi docet, quòd Deus cognoscit certò futura, non solùm quia habet ideas, seu rationes rerum sibi præsentes, sed etiam quia ipsa sunt sibi præsentia : ergo estò decretum sit sufficiens ratio in Deo cognoscendi futura libera, ratione cuius futura sunt Deo physicè præsentia in æternitate, non tollit, quòd etiam idea sit mediam sufficiens illa cognoscendi.

Sed hoc argumentum levissimum est.Tum quia D. Thomas solùm intendit, quòd Deus cognoscat futura, eo modo quo repræsentantur per essentiam divinam, seu ideas secundùm se ; quo pacto futura non repræsentantur vt *futura*, sed tantùm vt possibilia. Præter quem modum illa cognoscendi habet alium, quo cognoscit illa vt *futura* ; quod idem est,ac vt præsentia physicè in sua æternitate. *Tum etiam*: Quia D. Thomas,vt Deus habeat certam cognitionem futurorum, perpetuò recurrit ad cognitionem suæ causæ, non creatæ, sed divinæ ; idea autem non est causa illorum, nisi præsuppositò decreto suę voluntatis.

11 Arguitur *secundò*: Nam idea, seu essentia divina per modum speciei est infinita in repræsentando pro priori ad decretum : ergo pro illo priori debet repræsentare non solùm possibilia, sed etiam futura. ¶ Et confirmatur:Nam data hypothesi impossibili, quòd Deus non esset causa futurorum,essentia divina per modum speciei illa repræsentaret, quia essentia divina esset infinita in linea repræsentandi : ergo essentia divina per modum speciei non dependet à decreto ad repræsentanda futura.

Ad argumentum respondetur, concedendo antecedens;& negando consequentiam.Quia ad infinitatem divinæ essentiæ sive per modum speciei, sivè per modum ideæ sufficit, quòd repræsentet pro priori ad decretum, quod pro priori ad illud est repræsentabile, & quòd in signo decreti repræsentet etiam, quæ in eodem signo sunt repræsentabilia:Si enim in priori signo non repræsentat omnia, quæ in signo decreti sunt repræsentabilia, non est ex defectu sui, sed ex defectu obiecti. Igitur futura pro signo antevertenti decretum non sunt repræsentabilia, sicut nec sunt futura, ideoque nil mirum,quòd in illo signo essentia divina non ea repræsentet: in signo autem decreti iam sunt futura, & repræsentabilia, & defactò ob infinitatem divinæ essentiæ repræsentantur ab ea.

Ad confirmationem respondetur, quòd ex illa hypothesi chimærica sequitur quodlibet:sequitur enim, quòd repræsententur futura ab essentia divina : quia,vtpotè infinita,petit repræsentare omne repræsentabile, quando est absolutè repræsentabile ab alia quacumque specie creata. Sequitur etiam, quòd non repræsentarentur ab ea: quia non repræsentaret ea vt causa eorum, proindeque dependeret ab eis in sua repræsentabilitate, & cognitione ; quod repugnat intellectui divino, vt in duabus disputationibus præcedentibus satis probatum est.

12 Arguitur *tertiò*: Idea divina formalitèr vt *talis* non est exemplar nisi futurorum, vt non obscurè docet D. Thomas quæst. seq. art. 3. in corpor. & ad 2. ergo antecedenter ad decretum potest ea repræsentare ; & consequentèr in illa possunt à Deo cognosci pro priori ad decretum

Au-

Augetur: Nam idea eſt prædicatum neceſſarium Dei: ergo non dependet à decreto: ergo ſi eſt exemplar tantùm futurorum, pro priori ad decretum liberum Dei ea repræſentat.

Ad argumentum reſpondetur cum Div. Thoma quæſt. 3. *de Verit.* art. 6. vbi hæc habet: *Idea reſpicit practicam cognitionem non ſolum in actu, ſed etiam in habitu. Vnde cum Deus de his quę facere poteſt, quamvis nunquam ſint facta, habeat cognitionem virtualitèr practicam, relinquitur, quòd idea poſsit eſſe eius, quod nec eſt, nec fuit, nec erit: non tamen eo modo ſicuti eſt eorum, quæ ſunt vel erunt, vel fuerunt: quia ad ea, quę ſunt, vel fuerunt, vel erunt producenda, determinatur ex propoſito divinæ voluntatis.* In quibus duo notabis, & quòd idea divina actu non exercet rationem exemplaris reſpectu futurorum, niſi præſuppoſito actu libero divinę voluntatis: & quòd etiam exercet rationē ideæ reſpectu poſsibilium. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd reſpectu poſsibilium eſt cauſa practica in actu primo, & reſpectu futurorum eſt etiam in actu ſecundo, ad modum quo de ſcientia divina diximus diſp. præc. dub. 3. Per quæ conciliantur, quæ D. Thomas dicit loco in argumento relato, vt poteſt videri ad 2. ¶ Ad augmentum difficultatis eodem modo reſpondetur, quòd idea, prout repræſentat tantùm poſsibilia, eſt prædicatum neceſſarium; ſed hoc pacto tantùm eſt practica in actu primo: vt autem repræſentat futura, iam addit prædicatum liberum; & hoc modo eſt practica in actu ſecundo.

13 Arguitur *vltimò*: Eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei, aut ideæ non advenit aliqua perfectio per decretum; ſed poſt decretum repræſentat futura: ergo etiam ante decretum. Maior eſt certa: nam nullum prædicatum liberum addit aliquam perfectionem ſupra neceſſarium; aliàs, illo deficiente, deficeret aliqua perfectio Dei. *Augetur*: Nam repræſentatio cuiuſlibet obiecti pertinet ad perfectionem eſſentiæ divinæ: ergo ſi ex decreto non advenit aliqua perfectio, ante illud debet repræſentare futura.

Reſpondetur, conceſsis præmiſsis; negando conſequentiam. Nam eſſentia divina tàm per modum ſpeciei, quàm per modum ideæ habet ex ſe omnem perfectionem excogitabilem ad repræſentandum omne repræſentabile: ſi verò in ſigno antecedenti decretum non repræſentat futura, non eſt quia deficiat ei aliqua perfectio, & ei adveniat ex decreto, ſed ex defectu obiecti: quo poſito per decretum, ſtatim abſque additione novæ perfectionis illud repræſentat. Sicut ſpecies angelica, ex eo quòd actu repræſentet exiſtentia, quæ in ſtatu futuritionis non repræſentabat, non accipit novam aliquam perfectionem, quia ex ſe habebat omnem perfectionem ſufficientem ad illa repræſentanda, dummodò in re ponantur.

DUBIUM II.

Vtrùm Deus certò cognoſcat futura contingentia in decreto vt futuro?

VIdens Suarius quòd eſſentia divina per modum ſpeciei, & ideæ non eſt ſufficiens medium in Deo ad cognitionem certam futurorum contingentium, recurrit ad decretum cum Thomiſtis. Aliter tamen, & aliter: nam Suarius exiſtimavit, decretum vt *futurum* eſſe ſufficiens medium in Deo ad cognitionem certam futurorum (quidquid ſit, an huiuſmodi decretum ſit ab intrinſeco efficax) Thomiſtis oppoſitum aſſerentibus. Cum quibus ſit:

§. I.

Sententia Thomiſtica.

14 DIcendum eſt, non benè aſsignari pro medio cognitionis certæ futurorum decretum vt *futurum*. Hanc concluſionem tenet tota Schola Thomiſtica cum ſuo ſanctiſ. Prȩcept. eidemque ſuffragantur plures Patres Societatis, quos referunt N. Salmant. in præf. num. 48. Et probatur *primò* authoritate, & ratione: Nam decretum divinum nequit habere rationem futuri: ergo decretum vt *futurum* non eſt in Deo medium ad cognoſcenda certò futura. Antecedens probatur: Tum ex D. Thoma quæſt. 6. *de Verit.* art. 3. ad 10. vbi loquens de prædeſtinatione, quæ in eius ſententia includit actum voluntatis divinæ, ſic ait: *Abſolutè loquendo, Deus poteſt vnunquemque prædeſtinare, vel non prædeſtinare, aut prædeſtinaſſe, vel non prædeſtinaſſe: quia actus prędeſtinationis, cùm menſuretur æternitate, nunquam cadit in præteritum, ſicut nunquam eſt futurus: vnde ſemper conſideratur vt egrediens à voluntate per modum libertatis.* Tum etiam: quia ſi decretum divinum haberet rationem futuri, etiam poſſet habere rationem præteriti, quia id, quod eſt futurum, poteſt tranſire in præteritum; ſed decretum divinum nequit habere rationem præteriti, vt ibidem, necnon 1. Sent. diſt. 39. quæſt. 1. art. 1. ad 1. docet Div. Thomas his verbis: *Actus divinæ ſcientiæ nunquam tranſit in præteritum, ſed ſemper eſt actu: & ideò ſemper manet in libertate divinæ voluntatis*: ergo nèque poteſt habere rationem futuri. Tum denique: quia ad veram futuritionem alicuius rei omnino requiritur, quòd res non exiſtat pro aliquo inſtanti reali, cum ordine ad habendam exiſtentiam pro duratione reali ſequenti; ſed nullum eſt inſtans reale, in quo verè, & realitèr decretum Dei de productione futuri non exiſtat; ergo non habet rationem futuri.

Ex-

Explicatur hoc: Nam futurum vt *futurum* opponitur realiter præsenti; sed futurum est realiter præsens in æternitate, tanquam si esset in propria & intrinseca mensura: ergo non habet rationem futuri. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Nam præsens, præteritum, & futurum verè sunt differentiæ temporis: ergo futurum vt *futurum* opponitur realiter præsenti.

Confirmatur: Nam creaturæ non habent rationem futuri respectu æternitatis Dei, qua ratione probavimus tract. 1. disp. 5. num. 17. ex D. Thoma, Deum nihil cognoscere vt *futurum* respectu æternitatis: ergo neque decretum potest habere rationem futuri respectu eiusdem æternitatis. Consequentia videtur legitima: nam creaturæ plus distant ab *esse*, & æternitate Dei, quam eius decretum. *Explicatur* (& simul præcluditur quædam tacita evasio) Nam creaturæ propterea sunt absolutè futuræ, estò existant ab æterno in æternitate Dei, quia propria & intrinseca mensura non est absolutè ab æterno, sed cum addito, nempe in æternitate Dei; sed decretum divinum ita exiit ab æterno in æternitate Dei, quòd hæc sit propria & intrinseca eius mensura: ergo absolutè nequit habere rationem futuri.

15 Nec refert, si respondeas ex doctrina Suarij, quòd vt decretum Dei habeat rationem futuri vel formaliter, vel saltem fundamentaliter, sufficit, quòd essentia Dei cum omnibus suis prædicatis necessarijs antecedat actus illius liberos pro aliqua prioritate *in quo* rationis cum fundamento in re. Quo pacto aiunt N. Salm. tract 5. disp. 9. à num. 102. actum intentionis, quo prædestinati eliguntur ad gloriam, præcedere prioritate *in quo* rationis cum fundamento in re actum electionis respicientis per se primò merita.

Non, inquam, refert. Tum quia implicat in terminis, quòd æternitas sit infinita in ratione *mensuræ*, & ipsum decretum sit intrinsecè & reipsà æternum, & quòd concipiamus illud cum fundamento in re vt *futurum*: ergo nullum prædicatum necessarium Dei queit præcedere pro aliqua prioritate *in quo* adhuc rationis cum fundamento in re sua decreta libera. Antecedens probatur: Nam in quocumque signo, in quo concipimus æternitatem, concipimus eam infinitam; sed implicat concipere eam vt *infinitam*, si non concipimus, se extendere actu, & indivisibiliter ad omnia, quæ in quocumque signo, & duratione sequenti existent: qua ratione vti fuimus loco suprà relato, ad probandum quòd creaturæ non sunt futuræ respectu Dei: ergo implicat in terminis, quòd æternitas sit infinita in ratione *durationis*, & quòd concipiamus cum fundamento in re decretum vt *futurum*. Ex quo etiam liquet implicatio ex parte ipsius decreti, si reipsà est æternum: nam non minus est infinitum decretum in ratione *durantis*, ac æternitas in ratione *durationis*; sed quia æternitas est infinita in ratione *durationis*, extenditur à suo signo existentiæ vsque ad omnia signa, sivè durationes subsequentes: ergo etiam decretum durat in quocumque signo excogitabili, proindeque in nullo signo *in quo* rationis cum fundamento in re potest concipi vt *futurum*.

Tum etiam (per quod prædicta magis explanantur) Nam ad rationem verè, & propriè futuri, prout distinguitur à verè, & propriè existenti, non sufficit, quòd in signo, in quo intelliguntur à nobis prædicata necessaria Dei, non intelligantur decreta libera Dei existere; sed vlteriùs requiritur, quòd reipsà non sint existentia in aliquo instanti reali; vel quòd à Deo intelligantur non existere: sed contra rationem *æterni* est, quòd non sit existens in omni duratione excogitabili, neque aliter potest concipi, nisi ab intellectu fingente, quod longè est à Deo: ergo cùm decretum sit intrinsecè mensuratum æternitate, repugnat, quòd à Deo cognoscatur vt propriè *futurum*.

16 Neque id, quod adducitur ex doctrina N. Salm. potest esse fulcimentum prædictæ evasionis. Quia, vt rectè explicant prædicti Patres ibidem num. 108. aliud est concipere actum intentionis, & electionis comparativè ad æternitatem; & aliud est comparare eos inter se: Aliud comparare eos secundùm rectum ipsorum actuum; & aliud eos comparare secundùm connotata: Et tandem aliud est eos concipere cum fundamento in re; & aliud ex parte nostri imperfecti modi concipiendi. Sensus ergo illorum est, quòd actus intentionis & electionis in Deo, prout comparantur inter se, & ratione connotatorum, ita se habent, quòd in signo, in quo intelligitur intentio & eius obiectum, nempè gloria, non intelligatur electio & eius obiectum, scilicet merita: quod verissimum est. Ad quod tamen concipiendum cum fundamento in re sufficit, quòd prædicta intentio & eius obiectum non dependeant in ordine intentivo ab electione & eius obiecto: & hoc modo concipimus, prædicata necessaria Dei esse priora prædicatis liberis. Cum quo rectè cohæret, quòd comparatis huiusmodi actibus cum æternitate, nequeat vnus concipi cum fundamento in re prior altero; sicut nec obiectum vnius concipitur priùs existens in æternitate, quàm obiectum alterius.

§. II.

Alia ratio pro assertione.

17 PRobatur nostra conclusio alia ratione, per quam evasio suprà relata magis impugnatur: Nam si Deus cognosceret certò sua decreta absoluta pro signo antevertens

tenti eorum exiſtentiam, decreta ipſa evenirent neceſſariò; ſed hoc eſt hæreticum: ergo Deus non cognoſcit ſua decreta pro aliquo ſigno rationis vt *futura*; proindeque in eis prout *futuris* nequit cognoſcere futura creata. Sequela probatur: Tum, quia ſi Deus ſciret certò ſua decreta vt *futura*, pro ſigno in quo nondum intelligitur cum fundamento in re eorum exiſtentia exercita, voluntas divina eſſet omninò determinata ad illa habenda: ergo evenirent neceſſariò. Antecedens eſt certum: quia nihil eſt futurum niſi ex determinatione alicuius cauſæ antecedenti illius exiſtentiam; aliàs non eſſet ratio, cur hoc eſſet futurum determinatè potius, quàm ſuum oppoſitum. Conſequentia verò probatur: Nam voluntas determinata ad aliquem actum pro priori ad omne exercitium liberum illius neceſſariò elicit illum: qua ratione amor, quo Deus diligit ſeipſum, eſt ipſi omninò neceſſarius; & amor poſsibilium, ſi eſſent amabilia: ergo ſi voluntas divina eſt omninò determinata ad habendum decretum de exiſtentia conſenſus pro priori ad omne exercitium liberum ſuiipſius, neceſſariò eliceret illud.

Tum etiam: Nam ſi Deus pro priori ad exiſtentiam decretorum, certò illa ſciret, huiuſmodi ſcientia eſſet neceſſaria: ergo etiam voluntas eliceret illa decreta neceſſariò. Conſequentia videtur legitima: nam voluntas nequit liberè elicere aliquem actum, niſi ex parte intellectus proponatur cùm indifferentia: ſuppoſita autem ſcientia omninò determinata, tollitur indifferentia. Antecedens verò probatur: Nam illa ſcientia non eſſet media, vt ſupponunt Adverſarij: eque eſſet ſcientia libera ſeu viſionis, quia hæc ſupponit exiſtentiam decreti, vel prædeterminantis, vel indifferentis: ergo eſſet neceſſaria.

18 Reſpondent Ieſuitæ pro ſuo Eximio Doctore, determinationem, quam habent tàm voluntas divina erga decreta in ſequenti ſigno ponenda, quàm ſcientia certa de illis, eſſe ſolùm concomitantem, & de materiali ſe habentem ad illa: Quia prædicta ſcientia nullam rationem principij habet erga ea: non enim ideò decretum eſt, quia Deus illud videt; ſed econtrà, quia exiſtit in ſigno ſequenti, Deus ob infinitam præſcientiam ſui intellectus in ſigno antecedenti illud videt: Quod in cauſa eſt, vt liberè procedat à voluntate, liberè illud cognoſcat ex parte obiecti, & concomitanter ſeu de materiali ſe habeat ad exiſtentiam ipſius decreti. Ad modum, quo licèt in Chriſto Domino ſcientia viſionis ſuorum actuum futurorum ante illos præexiſtat, non præexiſtit ex parte actus primi ante illos, ſed merè concomitanter & de materiali erga actum proximum ſe habet.

Sed contrà eſt *primò*, incipiendo ab hoc vltimo: Ideò namque Chriſtus Dominus per ſcientiam beatam (& idem intelligendum eſt, proportione ſervata, de infuſa) cognoſcit certò actus ſuos futuros, quin eveniant neceſſariò, quia videt in decretis divinis defactò exiſtentibus determinationem, quam habet defactò voluntas divina, & habebit voluntas ipſius Chriſti; ſed Deus pro ſigno antecedenti ſua decreta determinata non habet aliquam determinationem liberam actu exiſtentem: ergo vel cognoſcit ea, quia voluntas divina ex ſua natura eſt ad illa determinata; vel nequit certò ea cognoſcere. ¶ *Secundò*: Deus non videt futurum, quia futurum eſt; ſed econtrà futurum eſt, quia Deus videt illud, vt latè probavimus ab authoritate, & ratione diſp. præced. dub. 4. *per totum*: ergo pariter Deus non videt ſua decreta, quia in ſigno poſteriori futura ſunt; ſed econverſò, quia Deus videt ea, futura quodammodò ſunt; proindeque, quia quodammodò cauſa illorum eſt, & non ſe habet ad illa purè concomitanter ſeu de materiali. ¶ *Tertiò*: Nam ſi Deus videret certò ea vt *futura* in ſigno ipſius ſcientiæ, non videret ea in ſeipſa, vt quodammodò eſt cauſa illorum, ſed videret ea immediatè in ipſo eventu futuro, hoc eſt in ſeipſis, prout in ſigno ſequenti extitura ſunt; ſed hoc eſt falſum, ſicut & quòd futura creata videat immediatè in ipſo eventu futuro, vt fusè oſtendimus d. p. 1. dub. 5. ergo &c. ¶ *Quartò*, & *vltimò*: Nam omnis futuritio, pro ſigno vel inſtanti reali, pro quo talis verificatur, deſumitur, tanquam ex prima radice, ex determinatione exiſtenti alicuius cauſæ, vt infrà latè probabimus; ſed pro ſigno, in quo intelliguntur decreta vt *futura*, & Deus certò ea cognoſcit, nulla eſt determinatio libera defactò exiſtens, vt ex ſe liquet: ergo vel voluntas divina eſt ex natura ſua determinata ad illa habenda, proindeque eveniunt neceſſariò; vel non ſunt futura, & conſequenter nequit Deus illa vt *talia* certò cognoſcere.

§. III.

Sententia contraria.

19 OPpoſitam opinionem defendit Suarez lib. 2. *de Scientia conditionata* cap. 8. à num. 10. cui nonnulli cum Faſolo 1. part. quæſt. 14. art. 13. à num. 449. ſubſcribunt. Pro qua arguitur *primò* ratione à priori Patribus Societatis valde familiari, & in hoc tract. nimis importuna: Nam eſtò perfectio Dei poſtulet, quòd decretum divinum realiter exiſtat in æternitate ante effectus creati productionem; minimè tamen, quòd exiſtat in ipſo ſigno ſcientiæ viſionis, ſeu in alio antecedenti, vt à Deo certò cognoſcatur: ergo licèt ex capite æternitatis petat cognoſci vt *exiſtens*, ſecùs verò ex parte cognitionis certæ. Antecedens probatur: Tum, quia Deus pro priori ad ſua decreta intelligitur completiſsimus in linea intelligendi, habenſque ſpeciem perfectiſsimam om-

omnium tàm intra, quàm extra se cognoscibilium; sed, data hypothesi quòd decreta divina non essent æterna, adhuc essent in se cognoscibilia:ergo. Minor probatur: Nam essent futura: ergo cognoscibilia. Tum etiam: nam perfectio Dei postulat, quòd Verbum divinum existat In æternitate; & tamen non postulat, quòd existat pro signo ipsius scientiæ visionis, & multò minùs in signo antecedenti, imo nec in signo in quo cognoscuntur creaturæ, cùm procedat ex cognitione illarum: ergo idem de decreto dicendum est.

Ad hoc argumentum (quod sponte sua cadit, supposita doctrina Thomistica) Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem fatendum est, quòd Deus in omni signo excogitabili intelligitur perfectissimus in linea intelligendi, suaque essentia per modum speciei perfectissimè repræsentat omnia repræsentabilia, & cognoscibilia. Sed falsum omninò est, quòd decreta pro priori ad eorum exercitam existentiam sint cognoscibilia, & repræsentabilia, sicut falsum est, quòd habeant determinatam futuritionem. Hinc provenit, quòd essentiam divinam in illo signo antecedenti ad eorum existentiam exercitam non illa repræsentare, oritur vnicè ex defectu obiecti cognoscibilis, seu repræsentabilis, non verò ex defectu ipsius intellectus divini, aut essentiæ divinæ. Sicut si decretum nunc existens de productione huius mundi defactò non existeret, sicut potuit non existere, non cognosceretur vt *futurum*, aut *existens* ab intellectu divino; aliàs falsificaretur scientia divina, ex defectu præcisè obiecti. *Ad secundam*: Respondetur, quòd quamvis Verbum divinum, vt certò cognoscatur ab intellectu divino, non petat existere in signo antecedenti ad scientiam visionis; petit tamen existere in eodem signo *in quo* adhuc rationis, quia nullum est assignabile signum, in quo Deus non cognoscat Verbum divinum, vt actu producitur. Cum quo rectè cohæret, quòd procedat ex cognitione sui, & creaturarum, vt tractatu *de Trinitate* explicabimus. Et si aliquando Div. Thomas docet, quòd communia sunt priora proprijs, seu relationibus: loquitur præcisè ex nostro imperfecto modo cognoscendi, iuxta quem Verbum divinum nondum intelligitur procedere, neque inteliigitur cognitio perfectissima & comprehensiva Dei. *Vel dic*, esse magnum discrimen inter decreta, & Verbum divinum: hoc enim, vtpotè prædicatum necessarium, determinate continetur in intellectu Dei, & sua essentia in signo antecedenti iam existenti; proindeque certò potest cognosci in sua causa determinata: cæterùm Deus non est determinatus ad habenda decreta ante exercitam eorum existentiam, aliàs evenirent necessariò. Et ob hanc disparitatem potest Verbum certò cognosci antè eius existentiam exercitam, secùs verò decreta.

20 Arguitur *secundò*: Quod est, & potuit non esse, priùs prioritate rationis cum fundamento in re non fuit, quàm actu fuerit; sed talia sunt decreta libera Dei: ergo decreta Dei priùs prioritate rationis cum fundamento in re futura sunt, quàm actu sint: proindeque sicut Deus scit decreta, vt actu *præsentia*, quia actu sunt; & similiter vt *possibilia*, quia, etsi actu non sint, potuerunt tamen esse; ita scire debet ea vt *futura*, quia prius aliqua ratione non fuerunt, quàm actu sint. Maior videtur certa: nam in signo possibilitatis ad *esse*, & *non esse*, vtiquè præsens non fuit; proindeque si res ita est, quòd potuit non esse, priùs prioritate rationis cum fundamento in re non fuit, quàm actu fuerit. Minor etiam per se patet: Nam decretum de productione huius mundi potuit non esse, aliàs productus fuisset necessariò ab æterno. ¶ Et confirmatur: Estò Angelus produceretur ab æterno, priùs ratione cum fundamento in re esset possibilis, quàm præsens, & vt *talis* priùs ratione cognosceretur à Deo: ergo priùs ratione cum fundamento in re esset futurus, quàm præsens, & vt *talis* priùs ratione cognosceretur à Deo. Patet consequentia: quia vbi datur possibile, & præsens, ibi etiam datur futurum.

Ad argumentum respondetur, permissis præmissis; negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia dum res est æterna, fit transitus immediatus à possibilitate ad *esse* exercitum existentiæ, hoc est, à signo, in quo tantum est per modum *possibilis*, ad seipsam vt actu *præsentem*: Ad hoc enim vt res tantùm sit per modum possibilis pro aliquo signo rationis, sufficit, quòd pro illo signo supponat aliquam causam, sivè rationem à priori suæ non repugnantiæ ad *esse*, & *non esse*; quod de eo, quod est actu ab æterno, verificari valet: & propterea decretum, quia ita est, vt supponat aliquam rationem à priori sui ipsius, quatenus potest illud ponere, & non ponere, quodammodò potest concipi cum fundamento in re vt *possibile*: Similiter quia Angelus, estò esset ab æterno, supponit veram causam sui *esse*, quod potuit ponere, & non ponere pro aliquo signo rationis cum fundamento in re, posset à Deo cognosci vt *possibilis*. At decretum ante sui existentiam exercitã nullam supponit causam, aut rationem à priori determinatã ad sui *esse*, sine qua absque vllo fundamento potest concipi vera futuritio: neque cum fundamento in re potest concipi divina voluntas, vt determinata ad suum actum liberum, & præcisivè ab illo, quia determinatio Dei est per modum actus secundi: Unde immediatè transit à statu possibilitatis talis qualis ad statum existentiæ: sicut creaturę immediatè transeunt à statu possibilitatis ad statum existentiæ respectu æternitatis, licet respectu nostri inter vtrunque statum detur status medius futuritionis. Per quod constat satis ad cõfirmationẽ.

Qui

Quibus addimus pro adæquatâ eius solutione, quòd permisso gratis, quòd Angelus possit cognosci à Deo vt *futurus*, in hypothesi qua produceretur ab æterno, secùs verò decretum. Et ratio huius discriminis est: quia Deus pro signo antecedenti productionem eius passivam intelligitur determinatus ad illam per suum decretum ab intrinseco efficax; quod in ordine ad Angelum, & similia futura admittunt omnes sectatores scientiæ mediæ: Econversò pro signo antecedenti evidentiam exercitam decreti Deus non intelligitur determinatus ad illud habendum, ob rationes proximè assignatas: vnde neque intelligitur vt *futurum*, neque vt *tale* potest à Deo cognosci.

21 A cæteris argumentis nunc supersedemus: quia communia sunt cum veritate obiectiva, quam statuunt Iesuitæ in creaturis pro priori ad decretum efficax Dei, de qua commodiùs dub. 4. Duo tamen advertere oportet, pro his, quæ in hoc, & alijs dubijs huius disputationis dicta, vel dicenda sunt. *Primum est*: quòd ex hoc modo cognoscendi futura contingentia absoluta in decreto absoluto futuro, quem adstruit Suarez, & ex alijs modis, sequitur, dari scientiam mediam contingentium absolutorum. Et ratio est: quia Deus certò cognoscit prædicta futura antecedenter ad suum decretum efficax: ergo scientia, qua Deus certò illa cognoscit, est subiectivè Deo necessaria, cùm antecedat decretũ exercitum liberum Dei; & obiectivè libera, quia terminatur ad obiectum liberum: ergo est scientia media. Patet consequentia: quia sententia Iesuitarum hoc modo definit scientiam mediam, prout distinctam à scientia omninò necessaria, & omninò libera. Vnde iam in Schola Societatis dabitur duplex scientia media, vna futurorum contingentium absolutorum, & alia conditionatorum. *Secundum est*: quòd decretum vt *futurum* non est sufficiens medium, vt excogitavit Suarius, ad cognoscenda certò futura absoluta contingentia. Et ratio huius est: quia iuxta sententiam Iesuitarum huiusmodi decretum, dum intelligitur existens, non est sufficiens medium, vt Deus certò cognoscat prædicta futura: ergo neque vt *futurum* potest esse medium sufficiens ad ea cognoscenda. Consequentia est innegabilis. Et antecedens ostenditur: Nam decretum illud, nisi scientiam mediam sepelire velint, est indifferens, & non ab intrinseco efficax; sed decretum, estò præsens, ab intrinseco indifferens nequit esse medium sufficiens ad cognoscenda futura libera: in medio enim indifferenti, nequit certò cognosci effectus determinatus, vt passim docet Div. Thomas, maximè in præs. art. 13. ergo.

***
*** *** *** ***
*** *** ***

DUBIUM III.

Vtrùm Deus certò cognoscat futura contingentia absoluta in supercomprehensione causæ eorum creatæ indifferentis?

AB hoc dubio breviter nos expediemus quia eius resolutio est corollarium præcedentium, vt ex proximè dictis facilè constat. Dicimus tamen in eius titulo *in supercomprehensione causæ creatæ indifferentis*, vt per hoc excludamus præmotionem physicam, quam totis viribus defendunt Thomistæ, quæ vel consistit in decreto ab intrinseco efficaci, vt nonnulli Recentiores defendunt, vel in qualitate creata, supponente decretum ab intrinseco efficax, vt communiùs docent Thomistæ.

§. I.

Sententia Thomistica.

22 DIcendum est, Deum non posse certò cognoscere futura contingentia absoluta in supercomprehensione causæ eorum creatæ indifferentis. Hæc conclusio continet perpetuam mentem D. Thomæ, vt videri potest 1. dist. 38. quæst. 1. art. 5. *de Malo* quæst. 16. art. 7. & in præs. art. 13. Et propterea eum vnanimiter sequuntur Thomistæ, Scotus, & communiter Patres Societatis contra suum Molinam, in sensu quem præsefert; licèt ab aliquibus explicetur in alio sensu.

Et probatur ratione Ang. Præceptoris: Nam in causa indifferenti ad vtrumlibet neutrum extremum potest certò cognosci vt *futurum*; sed voluntas creata pro priori ad consensum liberum (v. g.) sub quibuscumque circunstantijs, & dispositionibus consideratis ex parte actus primi, est omninò indifferens ad vtrumlibet, scilicèt ad consensum, & dissensum: ergo Deus in ea nequit cognoscere futura absoluta libera. Minor est certa in sententia Molinæ, & eius Sociorum, qui perpetuò aiunt, quòd voluntas creata, positis omnibus & quibuscumque requisitis ex parte actus primi ad consensum, potest in sensu composito dissentire. Maior verò probatur: Nam effectus, dum cognoscitur in sua causa, adhuc à Deo nequit aliter cognosci, nisi eo modo quo est, seu præcontinetur in illa, aliàs vel cognitio non esset vera, vel aliter terminaretur ad illum, ac est in sua causa; sed in causa indifferenti, vt indifferenti, suppositis quibuscumque circunstantijs ex parte actus primi, consensus (v. g.) præ dissensu non habet esse determinatum, neque in ea certò & determinatè continetur, aliàs non esset indifferens: ergo in causa indifferenti, vt indifferenti, nequit cognosci certò vnum extremum præ alio.

23 Vidit hanc rationem Molina. Et respondet, maiorem esse veram respectu intellectus cognoscentis talem causam tantùm quidditativè, aut comprehensivè, qualiter eam cognoscit intellectus creatus, secùs verò respectu intellectus cognoscentis causam supercomprehensivè, quomodò cognoscit intellectus divinus voluntatem creatam.

Sed contrà est *primò* ad hominem contra Molinam, qui in sua Concordia disp. 50. §. *Quæres fortasse* docet, Deum non cognoscere suos actus liberos pro signo antecedenti ad exercitam eorum existentiam: & simul asserit, in eodem signo, antequam suam libertatem determinaret, in quam partem sit inflectenda, nostros liberos actus cognoscere. Ex quibus sic impugno: Nam quotiescumque aliquis effectus essentialiter à duabus causis dependet, non potest certò cognosci, antequam sit, nisi cognoscatur vtraque causa; sed omnis effectus creatus dependet per se & essentialiter à Deo ratione sui decreti: ergo nequit Deus certò cognoscere actus liberos voluntatis creatæ, quin simul cognoscat suos actus liberos: Tunc sic; sed iuxta præfatum dicendi modum Molinæ, Deus prius ad exercitam suorum decretorum existentiam non ea cognoscit: ergo neque cognoscere potest in eodem signo actus liberos voluntatis creatæ, estò illam supercomprehendat. *Augetur*: Si Deus cognosceret actus liberos voluntatis creatæ ante determinationem propriam, & ipsius voluntatis creatæ, quia supercomprehendit voluntatem creatam, sequitur, quòd saltèm comprehensivè cognoscat ipsos actus liberos; sed iuxta modum Molinæ Deus nequit comprehensivè cognoscere actus liberos voluntatis creatæ pro signo antecedenti determinationem propriam, & ipsius voluntatis creatæ: ergo neque potest certò ea cognoscere. Maior patet: quia ex eminentissima illa cognitione depicta à Molina non minùs sequitur comprehensio actus liberi, ac voluntatis creatæ. Minor verò probatur: Nam, vt comprehensivè cognoscatur aliquis effectus, oportet, quòd cognoscatur secundùm omnes dependentias, quas habet à suis causis; sed ante determinationem voluntatis divinæ nequit Deus cognoscere actum liberum voluntatis creatæ secundùm dependentiam, quam habet à decreto Dei, cùm iuxta hunc Authorem Deus non cognoscat suum decretum: ergo nequit comprehensivè cognoscere actus liberos voluntatis creatæ.

Nisi mavis dicere, quòd cognoscendo ex vi supercomprehensionis actus liberos creatos, cognoscit à posteriori sua decreta. Si hoc dicas, sequitur *primò*, quòd prima scientia, quam habet Deus de suis decretis sit à posteriori, & quòd illa cognoscat in effectu creato, & non in seipsis: quæ sunt maxima absurda, & Deo indignissima. Sequitur *secundò*, quòd Deus certò cognoscat decreta, quæ habiturus est pro signo sequenti; quod planè negat Molina, vt vidimus.

Impugnatur *secundò* ad hominem contra Molinam, qui in Concordia edita Ulissippone pag. 332. ex eo probat, Deum non cognoscere certò sua decreta libera ante exercitam eorum existentiam, quia aliàs tolleretur eorum libertas. Ex qua doctrina sic impugnatur prædicta solutio: Nam si Deus ante suam determinationem liberam, & actu exercitam cognosceret ex vi supercomprehensionis voluntatis creatæ actus ipsius liberos futuros, tolleretur absolutè à Deo libertas; sed hoc nequit dici: ergo non eos cognoscit. Sequela evidenter probatur: Nam, posito quòd Deus certò cognoscat prædictos actus liberos, certò etiam cognoscit, quid voluntas eius certò determinabit, cùm ex vi prædictæ scientiæ infallibilis nequeat determinare oppositum: ergo si ipsi credamus, tolletur libertas divina.

Impugnatur *tertiò*: Deus non minùs perfectè cognoscit suam voluntatem quàm voluntatem creatam; sed cum hoc nequit stare, quòd Deus non cognoscat actus liberos proprios, & quòd cognoscat actus liberos voluntatis creatæ: ergo non illos cognoscit. Maior videtur innegabilis. Et minor probatur: Nam ex eo probat Molina, ex vi præcisè comprehensionis non cognosci ab vllo cognoscente actus liberos voluntatis creatæ, benè verò ex vi supercomprehensionis, quia hæc excedit illam: ergo vel Deus imperfectius cognoscit voluntatem propriam, quàm voluntatem creatam; vel cognoscit sua decreta vt *futura*; vel tandem non cognoscit actus liberos voluntatis creatæ ex vi præcisè supercomprehensionis.

§. II.

Molinæ fundamenta.

24 SEntentiam oppositam docuit Molina in præf. quæst. 14. art. 13. disp. 50. Pro qua arguitur *primò* ex D. Thoma 1. Contra gent. cap. 67. rat. 3. vbi ait: *Sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter; ita ex causa contingenti completa, si non impediatur*: ergo sicut ex causa necessaria Deus certo cognoscit effectus necessarios; ita ex causa contingenti non impedita certò cognoscit effectus contingentes: proindeque in libero arbitrio creato non impedito poterit Deus certò cognoscere actus eius liberos futuros.

Sed vt evidenter appareat, quòd supradictum testimonium nullo modo profit sententiæ Molinæ, oportet referre, quæ post prædicta verba addit Ang. Doctor, sic enim prosequitur: *Sed cùm Deus cognoscat omnia, vt ex supradictis patet, scit non solùm causas contingentium,*

sed

ſed etiam ea, quibus poſſunt impediri : ſcit igitur per certitudinem, an contingentia ſint, vel non ſint. In quo teſtimonio tantùm loquitur, vt benè vidit Ferrara *ibidem*, de cauſa naturali, quæ poteſt impediri à ſuo effectu per aliam cauſam ſuperiorem, vt liquet in fructu arboris; & propterea annumerat eius cauſam inter cauſas contingentes. Et de hac inquit, quòd Deus certò cognoſcit effectus futuros, quia certò ſcit omnia ea, quibus effectus impediri poteſt. Sed quid inde circa cognitionem effectuum liberi arbitrij, quod, eſtò non impediatur, manet ſemper indifferens ad vtrumlibet? Imò potiùs prædictum teſtimonium, ſi benè perpendatur, poteſt retorqueri contra ſententiam Molinæ: Nam ſi Deus non cognoſceret certò ea, quibus effectus futurus arboris impediri poteſt, non poſſet certò iuxta D. Thomam huiuſmodi effectus cognoſci; ſed talis effectus magis connectitur ſecundùm ſe cum ſua cauſa, quàm actus liberi arbitrij creati : ergo pro priori ad omnem determinationem impedibilem abſolutè, nequit Deus certò cognoſcere effectus noſtri liberi arbitrij.

25 Arguitur *ſecundò*: Comprehenſio liberi arbitrij terminatur certò ad effectum eius neceſſarium: ergo eius ſupercomprehenſio ſe extendit certò ad effectum liberum. Probatur conſequentia : Nam ſupercomprehenſio, maximè quæ excedit infinitè comprehenſionem, plus aliquid debet attingere. ¶ Confirmatur *primò* : Nam quia Angelus cognoſcit comprehenſivè liberum arbitrium, cognoſcit conjecturaliter effectus eius liberos: ergo ſi Deus cognoſcit illud ſupercomprehenſivè, eos cognoſcit certò. ¶ Confirmatur *ſecundò* : Sicut effectus naturalis dependet à cauſa naturali, ita liber à cauſa libera; ſed quia Deus comprehendit cauſam naturalem, cognoſcit in ea certò effectum naturalem : ergo etiam cognoſcit effectum liberum, ſi cauſa illius non impediatur, & vt talis cognoſcitur à Deo.

Argumentum ſanè debiliſsimum eſt. Quod vt notum fiat, arguamus cum Molina: *Potentia terminatur ad id, quod poteſt eſſe; ſed omnipotentia excedit infinite potentiam : ergo poteſt terminari ad id, quod non poteſt eſſe.* Quæ conſequentia eſſet legitima, ſi rectè argueret Molina. Igitur ad veram ſupercomprehenſionem, prout excedit comprehenſionem, ex meritis illius ſolùm deſideratur maior perfectio ex parte intellectus cognoſcentis: ad quod verificandum ſufficit, quòd totum id, quod attingit intellectus comprehendens, attingat intellectus ſupercomprehendens cum maiori claritate. *Quibus adde* : quòd ex vi ſupercomprehenſionis ſolùm ſequitur, quòd cauſa cognoſcatur perfectiſsimo modo ſecundùm omne id, quod in ea eſt cognoſcibile; at in cauſa abſolutè indifferenti effectus adſummùm eſt cognoſcibilis conjecturaliter. Quare etſi Angelus, vel alia creatura, quia cognoſcere poteſt genium & inclinationem hominis (v.g.) conjecturaliter poſſit cognoſcere extremum aliquod determinatum, nequit Deus certò cognoſcere illud, eſtò ſupercomprehendat eam. Per quod conſtat ad primam confirmationem.

Ad ſecundam reſpondetur, quòd ſi ille modus arguendi eſſet rectus, Deus non indigeret ſupercomprehenſione ad cognoſcendum certò effectum liberi arbitrij: ſicut non indiget illa ad cognoſcendum certò effectum neceſſarium in ſua cauſa naturali : proindeque etiam Angelus certò poſſet cognoſcere effectum liberum voluntatis humanæ, quia comprehendit illam: Igitur ex diverſo modo, quo cauſa naturalis, & libera continent ſuos effectus, oritur, quòd Deus comprehendens illas cognoſcat certò effectum neceſſarium futurum, ſecus verò liberum.

26 Arguitur *tertiò* : Ex cauſa omninò indifferenti poteſt oriri effectus determinatus liber: ergo poteſt in ea cognoſci, antequam in ſe exiſtat. Antecedens probatur : Non minùs opponitur cauſa infallibiliter determinata effectui contingenti, quàm effectus determinatus cauſæ omninò indifferenti; ſed iuxta noſtram ſententiam ex cauſa infallibiliter determinata à Deo oritur actus contingens: ergo ex cauſa omninò indifferenti poteſt oriri effectus determinatus. ¶ Et confirmatur : Deus certò cognoſcit effectum liberum in voluntate creata prædeſtinata ab ipſo Deo; & tamen prædeſtinata ad effectum liberum manet abſolutè indifferens, aliàs prædeterminatio auferret eius libertatem : ergo in cauſa indifferenti vt *indifferenti* cognoſcit Deus effectum determinatum.

Hoc argumentum ſæpè nobis objiciunt Ieſuitæ in hoc tractatu. Sed infœlicitèr, quia vel non intelligunt, vel nolunt intelligere ſententiam Thomiſticam. Reſpondetur ergo, negando antecedens: quia ſe determinare per ſuum actum eſt primi agentis liberi, & primi ſe determinantis : agens verò liberum ſecundum, eò quòd *tale*, petit ante ſuum actum determinari à primo, vt Deus primatum habeat in omnibus. Ad probationem neganda eſt maior : Quia contingentiæ effectus non opponitur determinatio ad illum, proveniens à cauſa ſuperiori, ſi determinat cauſam ſecundam ad actum, & modum nativum ipſius actus : at effectus omninò determinatus opponitur cauſæ creatæ omninò indifferenti; aliàs immediatè determinaretur per ſuum actum, quod illi repugnat. Quocircà eſtò effectus abſolutè contingens poſsit oriri à cauſa creata infallibiliter determinata à Deo, ſecùs verò effectus determinatus ex cauſa omninò indifferenti : & ideò primus poteſt à Deo certò cognoſci in ſua cauſa, non verò ſecundus. Ratio huius radicalis eſt : quia actui contingenti, & libero ſolùm opponitur neceſſitas, & modus operandi naturæ

ſine

sine indifferentia iudicij, non verò determinatio, quæ datur ad tollendam indifferentiam suspensivam; aliàs consensus, qui hanc indifferentiam tollit, tolleret etiam contingentiam sui ipsius: determinatio autem Dei solùm datur ad tollendam indifferentiam suspensivam, non verò tollit indifferentiam iudicij, imò potiùs etiam determinat ad hanc indifferentiam iudicij; & idcirco ita ex ea sequitur effectus contingens, quòd in ea possit certò à Deo cognosci. Per quod constat ad confirmationem.

DUBIUM IV.

Vtrùm Deus certò sciat futura absoluta libera in eorum veritate obiectiva pro priori ad decretum Dei ab intrinseco efficax?

27 VIdimus ex præcedentibus dubijs, Deum non cognoscere certò antecedenter ad decretum Dei ab intrinseco efficax futura libera in aliqua causa, secundùm ea quæ se tenent ex parte actus primi, quod libenter iam fatentur omnes Recentiores Societatis (ex quibus facilè quis potest demonstrare, & refellere alios quoscumque modos statuendi scientiam mediam, dummodò reducantur ad modum ea cognoscendi in aliqua causa considerata in actu primo, quomodocumque fingatur, excluso tamen, vel præciso decreto ab intrinseco efficaci) Cæterùm noviſsimè docent, Deum certò ea cognoscere immediatè in seipsis, seu in veritate eorum determinata obiectiva pro priori ad tale decretum. Ad quod explicandum tres propositiones vt *certæ* passim inveniuntur in eis. *Prima est*, quòd oppositio contradictoria duarum propositionum est vnica causa futuritionis vagæ. *Secunda*, quòd ex duabus propositionibus contradictorijs de futuro contingenti absoluto nulla habet determinatam veritatem, aut falsitatem obiectivam pro priori ad omne decretum absolutum Dei: ex quo inferunt nullam habere determinatam veritatem pro omni signo excogitabili. *Tertia*, quòd ad determinatam veritatem vnius propositionis contradictoriæ, in signo quo illam habet, non requiritur decretum Dei ab intrinseco efficax, sed sufficit decretum indifferens. Ex quo meritò supponunt cum suo Eximio Doct. in opusc. lib. *de Scientia absoluta* cap. 8. num. 12. *futurum contingens non sufficienter cognosci in causa, sed non cognosci sine causa*: cumque vna ex causis sit divinum decretum, subiungunt cum eo, quòd *solius decreti cognitio per se non sufficit; est tamen necessaria: quia non potest aliter cognosci emanatio effectus ab integra causa*. Ex quibus propositionibus primam partim concedunt Thomistæ, & partim negant: concedunt enim eam, ea parte qua futuritio vaga est obiectum omnino necessarium, quia necesse est pro omni signo, quòd Petrus convertetur, vel non convertetur; sicut necesse est pro omni signo, quòd Deus decernet, vel non decernet conversionem Petri. At quia omne obiectum creatum, sivè necessarium, sivè liberum, supponit causam primam suæ veritatis, meritò negamus, oppositionem contradictoriam duarum propositionum esse vnicam causam futuritionis: siquidem debet dependere ab omnipotentia saltèm tanquam à causa efficienti, eodem prorsùs modo quo veritas omnium possibilium vt *talium* dependet ab ea. In secunda propositione, illo absoluto modo prolata, nulla lis est inter Thomistas & Iesuitas. Vnde tota huius controversiæ lis, à qua dependet proximè positio, vel eversio scientiæ mediæ, sistit in tertia propositione. Pro cuius declaratione sit:

§. I.

Sententia communis Thomistarum.

28 DIcendum est, Deum non cognoscere certò futura libera absoluta immediatè in seipsis, seu in veritate obiectiva antecedenter ad decretum Dei ab intrinseco efficax. Ita tota Schola D. Thomæ. Et suaderi potest *primò* ex principijs in hoc tractatu iam fundatis: Nam non præsuppositò, vel intellecto decreto Dei ab intrinseco efficaci erga futura libera absoluta, nullum est in Deo medium obiectivum, ex quo deveniat in certam eorum cognitionem: decretum enim indifferens insufficiens est ad certam eorum cognitionem, vt supponunt etiam Iesuitæ: ergo Deus certò ea cognosceret immediatè in seipsis; sed hoc repugnat cognitioni divinæ, vt latè ostendimus disp. 1. dub. 5. *per totum*, præcipuè à num. 79. ergo Deus nequit certò cognoscere futura libera absoluta immediatè in seipsis, seu in veritate obiectiva antecedenter ad decretum Dei ab intrinseco efficax.

Et confirmatur *primò*: Nam vnicum medium obiectivum, in quo Deus cognoscit quancumque creaturam, est sua essentia vt priùs cognita; sed antecedenter ad omne decretum liberum Dei essentia divina non est sufficiens medium, in quo Deus certò cognoscat futura absoluta libera, neque decretum indifferens eam sufficienter determinat: ergo pro priori ad decretum ab intrinseco efficax nequit ea certò cognoscere. Maior constat ex dictis loco suprà relato, maximè §. 1. Minor quoad primam partem & admittitur ab Adversarijs (nisi velint recurrere ad decretum vt *futurum*) & satis probata est ex dictis dub. 1. & 2. huius disputationis: Et quoad secundam supponitur à Iesuitis, iuxta dicta num. præcedenti.

Confirmatur *secundò*: Si Deus ea cognosce-

ceret certò & immediatè in seipsis, seu in veritate eorum obiectiva, seu *in futuro eventu*, vt aiunt ipsi, iam futura libera creata essent obiectum motivum seu determinativum, & terminativum primarium scientiæ divinæ, proindeque essent obiectum partiale specificativum illius; sed hoc repugnat, vt latè probavimus disp. 1. dub. 4. *per totum*, & dub. 5. suprà relato à num. 79. ergo nequit ea cognoscere immediatè in seipsis, seu in eventu futuro. ¶ Confirmatur *tertiò*: Deus non cognoscit futura absoluta, quia sunt, sed ideò sunt, quia Deus cognoscit ea; sed si Deus cognosceret futura libera in seipsis, Deus sciret ea, quia sunt, & non econversò, vt vnanimitèr asserunt contrarij: ergo nequit ea cognoscere immediatè in eventu futuro, seu in veritate eorum obiectiva. Omnia hæc latè firmata relinquimus locis proximè citatis; ideòque sufficiat pronunc leviter ea insinuare, ne acta iterum agamus.

29 Deinde probatur ratione: Nam propositio de futuro contingenti pro priori ad sui existentiam, seu determinationem infallibilem causæ non habet determinatam veritatem, aut falsitatem: ergo nequit certò à Deo cognosci immediatè in seipsa pro priori ad decretum efficax Dei. Consequentia videtur legitima: Nam id, quod non habet determinatam veritatem, aut falsitatem, non habet aliquam determinatam cognoscibilitatem; quod autem non habet determinatam cognoscibilitatem, nequit ab vllo intellectu cognosci, maximè à divino, qui non potest fingere. Antecedens verò probatur *primò* ex Arist. 1. Periherm. cap. 8. vbi ait: *In his, quæ sunt, vel fuerunt, necesse est affirmationem, vel negationem veram, vel falsam esse; in futuris autem res alitèr se habet*: ergo pro priori ad sui existentiam, vel determinationem infallibilem causæ futura libera non habent determinatam veritatem, aut falsitatem. Probatur *secundò* ex D. Thoma pluribus in locis, præsertim in hac 1. part. quæst. 16. art. 7. ad 3. vbi inquit: *Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, vt fieret. Vnde, sublata causa, non esset futurum illud fieri: sola autem prima causa est æterna. Vnde ex hoc non requiritur, quòd ea, quæ sunt semper, fuerit verum, ea futura esse, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, vt essent futura, quæ quidem causa solus Deus est.* Pro priori ergo ad determinationem liberum Dei futura contingentia nullam habent determinatam veritatem, aut falsitatem.

Probatur *tertiò* idem antecedens ratione: Nam omnis propositio de futuro contingenti quoad sui veritatem, vel falsitatem determinatam dependet essentialitèr à decreto Dei ab intrinseco efficaci: ergo pro priori ad illud, vel existentiam exercitam ipsius futuri nequit habere determinatam veritatem, aut falsitatem. Antecedens probatur: Omnis propositio de futuro contingenti quoad sui veritatem, vel falsitatem determinatam dependet essentialitèr à determinatione liberi arbitrij creati; sed nequit dependere essentialitèr à determinatione liberi arbitrij creati, quin etiam dependeat essentialitèr à decreto ab intrinseco efficaci: ergo omnis propositio de futuro contingenti quoad sui veritatem, aut falsitatem determinatam dependet essentialitèr à decreto Dei ab intrinseco efficaci. Maior continet doctrinam ingenuam Adversariorum. Minor verò probatur: Nam determinatio liberi arbitrij creati est determinatio agentis secundi; sed determinatio agentis secundi essentialitèr dependet à determinatione Dei, qui est agens primum: ergo dependet essentialitèr à decreto Dei ab intrinseco efficaci.

30 Huic solido fundamento, quod est compendium totius doctrinæ Thomisticæ, respondent Iesuitæ, quòd ad salvandam veritatem, aut falsitatem determinatam in propositione de futuro contingenti absoluto sufficiunt decretum Dei indifferens, & ipsa determinatio liberi arbitrij creati, quam posteà habiturum est: Quia sicut ad salvandam veritatem determinatam in propositione præsenti sufficit auxilium indifferens collatum à Deo, quo cæteriscque requisitis voluntas constituta in actu primo se pro libito determinat ad ponendum consensum præ dissensu; ita ad salvandam propositionem de futuro contingenti sufficiunt decretum Dei indifferens, & eventus futurus egrediens à voluntate.

Sed contrà est *primò*, & ad hominem: Nam auxilium præcisè indifferens cum alijs requisitis se tenentibus ex parte actus primi non sufficit, vt voluntas creata liberè se determinet ad consensum potiùs, quàm ad dissensum: ergo sine decreto Dei ab intrinseco efficaci nequit salvari veritas, aut falsitas determinata in propositione de consensu præsenti: ergo neque in propositione de futuro. Antecedens probatur: Tum quia agens liberum creatum, priusquàm eliciat consensum præ dissensu, debet esse determinatum ad illum; sed non est determinatum ex sua natura, neque per auxilium indifferens cum cæteris requisitis se tenentibus ex parte actus primi: ergo voluntas creata auxilio indifferenti, cæteriscque requisitis constituta non sufficit, vt liberè se determinet ad consensum potiùs, quàm ad dissensum. Consequentia est legitima: Minor verò quoad primam partem est certa; aliàs voluntas necessariò eliceret consensum: Et quoad secundam continet doctrinam potissimam Iesuitarum. Maior autem probatur: Nam si voluntas creata pro priori ad consensum non est determinata ad illum eliciendum, omnis eius determinatio proveniret vnicè ab ipsa voluntate creata à se liberè eligente; sed hoc est contra rationem determinativi creati, seu secundi: ergo

priùs

priusquam eliciat consensum præ dissensu,debet esse determinata ad consensum.*Tum etiam*:Nam si solùm prærequiritur decretum , seu auxilium indifferens ex parte Dei pro priori ad consensum , Deus non concurreret ad consensum , nisi vt determinatus à creatura; quod est contra rationem primi entis , & primæ causæ.

31 Contrà *secundò* : Nam implicat intelligi , rem purè contingentem habere aliquam veritatem obiectivam determinatam pro priori ad sui existentiam exercitam,nisi sit in illo priori determinatum,quòd habebit determinatè existentiam,vel carentiam illius ; sed res purè contingens pro priori ad sui exercitam existentiam, & sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci, non est determinata ad habendam determinatè existentiam vel carentiam illius: ergo neque habet aliquam veritatem obiectivam determinatam.Maior videtur innegabilis : Nam in signo, aut tempore futuritionis, si non est determinatum , quòd habebit existentiam potiùs , quàm carentiam illius, non est vnde determinatè cognoscatur in illo signo aut tempore existentia potiùs , quàm carentia illius : qua ratione vsi sumus suprà ad probandum , quòd Deus non cognoscit certò in sua essentia, præcisis alijs,aut in comprehensione causæ secundę actus liberos illius futuros. Minor verò probatur : Nam pro priori ad existentiam exercitam consensus , & sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci,solùm intelliguntur ex parte Dei prædicata eius necessaria , & decretum indifferens : ex parte autem creaturæ ipsa voluntas libera cum cæteris requisitis,ocasionibus, & circumstantis in quibus ponitur : sed omnia ista indifferentia sunt, & æquè absolutè componibilia cum existentia consensus, & eius carentia : ergo non est determinatum, quòd habebit determinatè existentiam potiùs, quàm carentiam consensus.

32 Contrà *tertiò* : Nam per vos nihil in Deo , vel in voluntate creata defactò existens pro tempore futuritionis determinat ad habendum posteà consensum potiùs , quàm carentiam illius ; sed neque existentia consensus posteà habenda , in qua vnicè consistit , iuxta Adversarios , determinatio creaturæ , determinat pro tempore futuritionis : ergo in eo tempore est omninò indeterminatum,quòd habebit consensum potiùs , quàm carentiam illius. Minor probatur : Quod defactò non existit , tempore quo aliquid est determinatum ad aliquem effectum, nequit determinare ad talem effectum ; sed existentia habenda, seu eventus futurus non existit toto tempore suæ futuritionis : ergo nequit esse determinativum sui ipsius pro tempore futuritionis illius. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur : Quod defactò non existit , pro tempore quo non existit , indiget,vt determinetur ab alio ad sui existentiam habendam : ergo nequit determinare ad aliquem effectum , pro tempore quo non existit.

Confirmatur hoc , & simul explicatur: Nam existentia vt *habenda* præcedit eventum rei , non existentia exercita existentiam vt *habendam* ; sicut existentia , quæ habetur , præcedit existentiam habitam , & non econversò;sed existentia habenda explicat statum futuritionis, & eventus rei in se statum existentiæ : ergo status futuritionis potiùs determinat statum existentiæ futuræ , quàm status existentię futuræ statum futuritionis.Consequ. probatur: Nam repugnat , quòd prius inquantum *tale* determinetur à posteriori : ergo repugnat , quòd eventus futurus sit determinatio ad existentiam habendam. Quæ omnia comprehendit D. Thom. 1. dist.38.quæst. 1. art. 5. ad 2. sub his paucis verbis : *Futurum contingens non est determinatè verum , antequam fiat , quia non habet causam determinatam.* In quo testimonio loquitur de causa creata. At si loqueretur de causa divina, iuxta positionem Adversariorum , idem asserendum foret , nempe quòd antequàm res fieret,non esset determinatè vera.

33 Neque proderit recursus ad præsentiam physicam in æternitate , vel ad præsentiam obiectivam respectu divini intellectus,quæ sunt vltimata effugia Adversariorum. *Non primus*: Nam prius est, quòd res sit absolutè futura in se , quàm quòd existat in æternitate: non enim quia res existit in æternitate , est futura in se ; sed quia est futura in se , existit in æternitate : ergo vt verificetur de re futura , quòd habet veritatem determinatam in æternitate , quæ à Deo cognoscatur , debet assignari fundamentum aliquod, vt res in se determinatè sit futura; sed hoc nullum est neque ex parte creaturæ,neque ex parte Dei , sublato decreto ipsius ab intrinseco efficaci , vt suprà probatum est : ergo futurum contingens,sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci, non habet veritatem determinatam in æternitate , proindeque neque in ea potest Deus illud cognoscere. *Neque secundus*, propter eandem rationem: Nam id quod non est verum in se veritate obiectiva transcendentali , nequit esse verum veritate formali respectu illius intellectus , maximè in sententia Adversariorum, qui docent, rem non esse futuram, quia Deus illam prænoscit , sed econversò,ideò eam Deum prænoscere , quia futura est ; sed sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci , & pro priori ad exercitam existentiam rei futuræ , res contingens nullam habet veritatem transcendentalem determinatam: ergo non est præsens Deo obiectivè.

§. II.

Aliud fundamentum pro conclusione Thomistica.

34 PRobatur alia ratione ab inconvenienti. Nam si futura contingentia haberent independenter à decreto Dei ab intrinseco efficaci determinatam veritatem, aut falsitatem, in qua Deus certò cognosceret propositionem de futuro contingenti; veritas illorum esset necessaria, non contingens; quod nequit dici. Sequela probatur: Nam si futura contingentia independenter à decreto Dei ab intrinseco efficaci haberent determinatam veritatem, aut falsitatem, pro nullo signo essent indifferentia ad veritatem, & falsitatem; sed eo ipso veritas, aut falsitas est necessaria: ergo. Minor est certa: nam veritas, aut falsitas pro signo possibilitatis est necessaria. Maior verò probatur: Nam ea non sunt indifferentia pro aliquo signo ad veritatem, & falsitatem, quæ independenter ab omni determinatione libera habent determinatam veritatem, aut falsitatem; sed, sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci, futura pro omni signo haberent determinatam veritatem, aut falsitatem independenter ab omni determinatione libera: ergo pro nullo signo essent indifferentia ad veritatem, & falsitatem. Maior est certa. Et minor probatur: Tempore futuritionis haberent determinatam veritatem, & falsitatem independenter ab omni determinatione libera: ergo etiam pro omni signo. Antecedens est certum: nam, sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci, nulla alia determinatio restat ad determinatam veritatem, & falsitatem pro tempore futuritionis, cùm in hoc tempore non existat determinatio libera creaturæ. Consequentia verò probatur: Nam non est ratio, cur independenter ab omni determinatione libera habeant tempore futuritionis determinatam veritatem, aut falsitatem, & non pro omni signo excogitabili: ergo si in tempore futuritionis habent determinatam veritatem, aut falsitatem independenter ab omni determinatione libera, etiam pro omni signo; proindeque haberent determinatam veritatem, aut falsitatem pro signo possibilitatis. Quam rationem desumpsimus ex Div. Thoma sic explicante Aristotelem loco suprà relato lect. 13.

35 Huic rationi respondent Adversarij, quòd estò futura habeant determinatam veritatem, aut falsitatem independenter à decreto Dei efficaci, habent tamen illam non ex natura sua, sicut habent possibilia, sed ex suppositione libera eventus futuri: ex suppositione enim quòd aliquando verum est, quòd consensus Petri erit, fuit verum ab æterno independenter à decreto Dei efficaci, quòd consensus Petri est futurus. Et cùm consensus liberè ponendus sit à Petro, hinc est, quòd veritas illius est absolutè contingens.

Sed hæc evasio ex dictis §. præcedenti facilè refellitur. Nam veritas depræsenti, quæ datur tempore futuritionis de re futura, non dependet ex suppositione libera eventus futuri; aliàs neque dependet ex determinatione in eo tempore existenti vel creaturæ, vel Dei, sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci: ergo esset omninò necessaria. Maior probatur: Nam eventus futurus non determinat veritatem de præsenti, quæ est in re futura, sed econversò: ergo veritas, quæ est ab æterno in re futura, non dependet à suppositione libera consensus futuri: proindeque vel nulla est veritas ab æterno de re futura; vel est necessaria. Antecedens probatur: Nam prius inquantùm priùs non determinatur à posteriori, sed econversò; atqui eventus futurus est posterior tempore futuritionis in communi omnium apprehensione, sicut prior est existentia habenda, quàm existentia, quæ defactò habetur, & existentia quæ habetur, quàm existentia habita: ergo eventus futurus non determinat veritatem, quam res futura habet ab æterno, sed econversò.

Confirmatur hoc: Nam si propositio de futuro contingenti esset vera ab æterno, præcisè quia eventus aliquando erit, etiam esset vera pro signo possibilitatis, & pro signo antecedenti productionem Verbi; sed hoc semel concesso, destruitur libertas & contingentia consensus: ergo, sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci, destruitur libertas creata. Minor admittitur ab Adversarijs: Et meritò, quia ad libertatem requiritur omninò, quòd sub aliquo signo intelligatur indifferens ad essendum, & non essendum. Maior verò probatur: Nam, sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci, eventus futurus nullum determinativum habet pro tempore antecedenti suam existentiam ad hoc signum, & non ad aliud: ergo esset vera pro signo possibilitatis, & pro signo antecedenti productionem Verbi. Antecedens videtur evidens: quia non est determinatio Dei; vt dicunt Adversarij: neque determinatio creaturæ, cùm hæc non sit ab æterno.

36 Neque proderit recursus ad decretum indifferens, quod intelligitur esse in signo posteriori ad productionem Verbi, & possibilitatem creaturarum. ¶ Non, inquam, prodest. Nam decretum Dei indifferens, quod adstruunt Adversarij, eo ipso quòd sit indifferens, non est determinativum veritatis determinatæ de consensu: ergo in signo huius decreti nequit incipere veritas determinata de futuro contingenti potiùs, quàm in signis præcedentibus. Antecedens nequit negari ab Adversarijs: cùm hi doceant, quòd decretum Dei indifferens determinatur à creatura, & non econversò. *Explicatur*

hoc: Nam in quocumque signo, in quo salvatur veritas determinata de consensu, debet salvari aliquid connexum cum consensu; sed decretum indifferens in sententia Adversariorum non est connexum cum consensu potiùs, quàm cum carentia illius: ergo in signo huius decreti non incipit veritas determinata de consensu; proindeque vel in signo huius decreti nondum intelligitur veritas determinata illius; vel est determinata ex natura sua.

§. III.
Sententia contraria.

37 OPinionem contrariam defendit Suarez opusc. *de Scientia Dei futurorum contingentium* lib. 2. cap. 2. à num. 3. Vazquez in præs. disp. 66. cap. 2. quibus reipsà subscribit tota Schola Societatis, licèt alijs, alijsque vocibus ab eis explicetur. Quorum præcipuum fundamentum desumitur ex impugnatione decreti Dei ab intrinseco efficacis. A quo nunc supersedemus, quia pertinet ad sequens dubium. Hoc autem fundamento præciso, nullum aliud alicuius momenti restat, quod non possit retorqueri in Adversarios ex doctrina eorum communi, vt ex sequentibus constabit.

Arguitur ergo *primò*: Nam hæc propositio, *Antichristus erit*, vel *Antichristus peccabit*, ex suppositione quòd erit, habet infallibilem veritatem ab æterno independenter à decreto Dei ab intrinseco efficaci: ergo independenter ab eo potest à Deo certò cognosci. Antecedens probatur: Tum ex Magno Parente August. tom. 6. lib. 26. contra Faustum cap. 4. vbi ait: *Tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita.* Tum ex D. Anselmo lib. *de Concordia præscientiæ & prædistinat. gratiæ cum libero arbitrio* cap. 1. vbi inquit: *Rem verò futuram necesse est esse futuram: quoniam futurum esse nequit, & non futurum.* Tum denique: Nam omnis propositio de futuro contingenti regulatur per suam de *inesse*, illaque ab æterno est vera, quæ habet in tempore suam de *inesse* veram: ergo hæc propositio, *Antichristus peccabit*, habet infallibilem veritatem ab æterno independenter à decreto Dei ab intrinseco efficaci, ex suppositione quòd verificetur in tempore, quòd *Antichristus peccat.*

Confirmatur: Nam necessarium est, quòd propositio de *inesse* sit determinate vera, vel falsa secluſis alijs, v. g. hæc, *Antichristus peccat*: iuxta illud axioma, *Omne quod est, ex suppositione quòd est, necesse est esse*: ergo paritèr ab æterno hæc est vera secluſis alijs, *Antichristus peccabit.* Patet consequentia: nam propositio de futuro regulatur per suam de *inesse*. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam vt propositio de præterito sit modò vera, sufficit, quòd sua propositio de *inesse*, secluſis alijs, aliquando fuerit vera: ergo vt propositio de futuro sit absolutè vera, sufficit, quòd sua de *inesse* in tempore futuro sit determinatè vera. Consequentia constat à paritate.

58 Ad argumentum respondetur, negando suppositum. Supponit enim, quòd Antichristus peccabit independenter à decreto Dei permissivo ad formale peccati, & prædeterminativo ad materiale; quod est falsum: sicut falsum est in nostra sententia, *D. Petrus convertetur*, independenter à decreto Dei ab intrinseco efficaci. Et ad primam probationem ex authoritate D. Augustini desumptam: Dicendum est, quòd S. Doctor loquitur ibi de futuris, quæ talia sunt per ordinem ad causam primam: de quibus verum est non posse futura non fieri: hoc autem ideò est, quia supponunt decretum Dei ab intrinseco efficax. Per quod constat ad testimonium D. Anselmi. *Ad tertiam*: Respondetur: fatendo, quòd omnis propositio de futuro contingenti regulatur per suam de *inesse*, proindeque si hæc, *Petrus consentit*, modò est vera, etiam hæc, *Petrus consentiet*, ab æterno est vera: At, vt propositio de *inesse* sit vera, omninò requiritur quòd dependeat à decreto ab intrinseco efficaci, & non nisi ratione illius potest verificari propositio de futuro contingenti. Ex quo clarè infertur, quòd veritas propositionis de futuro contingenti, vt in hac, *Petrus consentiet*, non debet salvari pro omni signo rationis, vt non diffitentur Adversarij, sed incipit salvari à signo ipsius decreti. Si autem salvaretur propositio de *inesse*, vt hæc *Petrus modò consentit*, independenter à decreto efficaci à nobis stabilito, vnum ex duobus necessariò inferendum est: vel quòd tempore præcedenti eius existentiam non habeat veritatem determinatam, quia pro eo tempore in nulla causa est determinatum, quòd consentiet: sicut mors Ezechiæ prædicta Isaiæ 38. vt futura non habebat determinatam veritatem absolutam, quia non erat determinatum per omnes suas causas, vt esset futura: Vel quòd pro signo sivè possibilitatis, sivè divinitatis habeat determinatam veritatem, quia non est maior ratio ad illam pro hoc potius, quàm pro alio signo.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd propositio de *inesse* necessariò est vera, in suppositione quòd obiectum illius existat: at sicut obiectum nequit existere, nisi dependenter à decreto Dei efficaci (alitèr enim non existeret) ita propositio de futuro nullam queit habere veritatem determinatam, nisi dependenter ab illo. *Maximè*: Quia propositio de *inesse* ad suam veritatem determinatam sufficiens determinativum habet desumptum ex sua existentia, quæ modò exercetur, propositio verò de futuro independenter à decreto ab intrinseco efficaci caret omni determinativo ad sui veritatem determinatam. Unde, re benè perpensa, est arguere à sensu composito ad sensum divisum, quia argui-

guitur à re prout existenti in se ad seipsum, prout continetur in suis causis indeterminatis & indifferentibus; qui modus arguendi est vitiosus. ¶ Ad secundam respondetur, permittendo antecedens; sed negando consequentiam. Et ratio discriminis est per se nota: Nam res, quæ semel est, existit dependenter à voluntate & decreto efficaci Dei: & sicut eius *esse* præsupponitur ad omne tempus subsequens ipsam; ita & potiori iure præsupponitur decretum: vnde connotativè ad hoc decretum, & ad decretum de eius *non esse* post *esse*, salvatur veritas determinata in propositione de præterito. In propositione autem de futuro, nullo supposito decreto, nullum determinativum adest ad eius veritatem determinatam ex parte alicuius causæ: quare vel fatendum est, quòd non habet illam: vel concedendum est, esse non minùs necessariam, quàm veritatem possibilium.

39 Arguitur *secundò*: Pro priori ad decretum efficax Dei vna ex his contradictorijs, *Antichristus erit*: *Antichristus non erit*, debet esse determinatè vera, vel falsa; cùm vtraque nequeat esse determinatè vera, vel falsa: ergo in illo priori cognoscet Deus certò, quænam ex his sit determinatè vera, & determinatè falsa. Patet consequentia: nam scientia Dei, cùm sit infinita, debet se extendere ad omne cognoscibile. ¶ Confirmatur: Nam hæc disiunctiva, *Antichristus erit, vel nòn erit*, est necessariò vera pro quocumque signo: ergo aliqua pars pro quocumque signo est determinatè vera. Patet consequentia: nam veritas propositionis disiunctivæ dependet ex veritate vnius partis.

Ad argumentum tripliciter solet à Nostratibus responderi. Illam tamen solutionem nos seligimus, quam nequeunt Adversarij negare iuxta sua principia insinuata num. 27. Respondetur ergo, quòd ex duabus propositionibus contradictorijs de futuro contingenti non petitur, vnam esse determinate veram, & alteram falsam ex vi solius oppositionis contradictoriæ, omni alio secluso. Nam quamvis oppositio contradictoria postulet, quòd si vna propositio vera est, altera debeat esse falsa, vel quòd fundet necessitatem vagam pro omni signo; non tamen postulat, quòd affirmans præ negante sit vera, vel econversò, ex vi præcisè oppositionis contradictoriæ, seu pro omni signo: hoc enim vnicè provenit ex libera determinatione causæ, quæ si ponit effectum, propositio illum affirmans est determinatè vera; & negans falsa. Cum hoc tamen discrimine inter Thomistas, & Iesuitas, quòd iuxta istos tantùm requiritur ad ponendum effectum determinatio causæ secundæ decreto Dei indifferenti instructæ, si effectus est causatus liberè ab ea: vnde, iuxta eorum principia, veritas determinata propositionis affirmativæ de consensu (v. g.) incipit à signo, quo Deus decernit dare illi auxilium, cum prævisione quòd Petrus sub eo consentiet. Iuxta Thomistas verò requiritur priùs determinatio causæ primæ, à qua dependet determinatio causæ secundæ, & in signo, quo intelligitur determinatio Dei, intelligitur futura determinatè determinatio creaturæ, & eius effectus, & propositio illum affirmans est determinatè vera; & negans determinatè falsa.

Ad confirmationem respondetur, quòd ex eo quòd propositio disiunctiva de duabus contradictorijs sit necessariò vera pro omni signo, non sequitur, propositionem aliquam determinatam pro omni signo esse veram: sicut ex eo quòd pro omni signo sit necessaria, non sequitur, aliquam partem esse determinatè necessariam. Et ratio est: quia ad veritatem propositionis disiunctivæ pro omni signo sufficit, quòd vtraque pars sit incompossibilis: quod necessariò verum est, sicut verum necessariò est, esse impossibile, quòd Petrus sit albus, & non sit albus: At veritas determinata vnius partis præalia, sicut accidit contradictioni, ita provenit ex determinatione causæ, modo proximè explicato.

Ab alijs obiectionibus abstinemus: tum quia ex dictis facile potest eis ocurri: tum & præcipuè, quia æquè vrgent Adversarios.

DUBIUM V.

An Deus cognoscat certò futura contingentia absoluta in decreto ab intrinseco efficaci suæ voluntatis?

40 IMpugnatis præcipuis modis dicendi Patrum Societatis, tempus est, vt veram D. Thomæ, & totius eius Scholæ sententiam stabiliamus, & medium necessarium, in quo Deus futura contingentia certò cognoscit, declaremus. Pro quo supponimus, futura absoluta, quæ à sola Dei voluntate pendent, talitèr cognosci in decreto efficaci suæ voluntatis, vt aliter non possint ab ipso cognosci. Ratio evidens est: Nam nullus effectus contingens potest certò cognosci nisi in seipso, prout actu est, vel in sua causa totali, vt sæpè docet D. Thomas, maximè in hoc art. 13. sed huiusmodi est contingens respectu Dei; aliàs Deus est vnica & totalis causa illius per suum decretum: ergo nequit Deus illum certò cognoscere, antequàm existat, nisi in decreto efficaci suæ voluntatis. Per quod nolumus excludere essentiam divinã, quia ea est obiectum primarium cuiuslibet cognitionis divinæ: dicimus tamen, quòd ipsa essentia divina neque per modum obiecti cogniti, neque per modum repræsentationis est sufficiens medium, per quod Deus talem effectum cognoscat, nisi determinetur per decretum, & nisi repræsentet seipsam vt determinatam per decretum, & ipsum decretum. Unde tota difficultas re-

reducenda est circa effectus liberos futuros dependentes à voluntate creata.

Pro quo vlteriùs supponimus) vt sic detur locus quæstioni) ex dicendis tract. sequenti, dari in Deo erga prædicta futura absoluta decretum ab intrinseco efficax, in quo nobiscum conveniunt plures Patres Societatis Diversimodè tamen sentientes de illo,ac nos:nam illi aiunt, huiusmodi decretum regulari per scientiam mediam, per quam priùs videt Deus futurum in statu futuritionis conditionatæ: Ex quo plures ex illis inferunt, quod estò Deus possit videre prædictum futurum sub statu absoluto in decreto efficaci, hoc tamen non est omninò necessarium(Quid verò sentiendum sit de hoc modo ponendi efficaciam decreti, satis constabit ex dicendis duabus disputationibus sequentibus, necnon tract. sequenti) Nos autem ita ponimus Dei decretum ab intrinseco efficax, quòd præcedat prævisionem futuri sub quovis statu. Et de hoc procedit præcipuè quæstio, an nimirùm hoc decretum ab æterno existens sit vnicum & necessarium medium, ut Deus certò cognoscat futura absoluta libera pendentia a voluntate creata? Pro qua sit:

§. I.

Sententia D.Thomæ.

41 DIcendum est, decretum Dei ab intrinseco efficax esse medium vnicum & omninò necessarium, in quo Deus certò certitudine metaphysica futura absoluta libera cognoscat. Hæc sententia est adeò communis inter Thomistas,vt supervacaneum sit illos recensere: nam hæc vnicè sufficit ad discernendum veros Thomistas ab Antithomistis.

Et probatur *primò* authoritate Magni Parentis Augustini, qui lib. *de Prædestin.SS*,cap. 10. sic ait: *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Nam prædestinatio,cùm sit transmissio certissima & infallibilis salvandorum in gloriam, nequit non supponere Dei electionem ab intrinseco efficacem erga electos: ergo si prædestinatione certò cognoscit futura libera, etiam in decreto ab intrinseco efficaci ea cognoscit. Idem tradit cap. 17. his verbis: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem, ea prædestinatione in qua Deus sua futura facta præscivit.* Clariùs id docet D. Hilar. *9. de Trinit.* vbi inquit: *Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit.*

Confirmatur ex D. Thoma pluribus in locis præsertim in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 5. vbi ait: *Deus ab æterno non solùm vidit ordinem sui ad rem, ex cuius potestate res erat futura, sed ipsum esse rei intuebatur* (& est idem,quod affirmat hìc art. 13.) Ergo iuxta D. Thomam Deus cognoscit certò futura, non solùm prout sunt præsentia in æternitate, sed prout ratione sui decreti dicit ordinem ad illa. Accedit aliud eius testimonium ex quæst. 3. *de Veritat.* art.7. in corp. vbi sic asserit contra Platonem: *Sed quia nos ponimus Deum immediatam causam vniuscuiusque rei, secundùm quòd in omnibus causis secundis operatur, & quòd omnes effectus secundi ex eius prædestinatione proveniat, ideò non solùm primorum entium, sed etiam secundorum ideas ponimus.* Et in art.8. proximè sequenti contra ipsum Platonem ait: *Nos ponimus. quod per divinam providentiam definiuntur omnia singularia, & ideò oportet, nos singularium ponere ideas.* Ergo ideæ singularium contingentium, iuxta D. Thomam, præsupponere debent decretum Dei, & aliter nequeunt illa repræsentare. Sed clariùs id docet ibidem art.6. vbi ait: *Idea potest esse eius, quod nec est, nec fuit, nec erit: non tamen eodem modo sicuti est eorum, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt, quia ad ea, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt, producenda, determinatur ex proposito divinæ voluntatis.* Sed prætermitti non potest, quod docet 1. Contra gent. cap. 68. *ratione* 5. Loquens enim de cognitione cogitationum,& operationum humanæ voluntatis,postquàm asseruit, quòd eas cognoscit in seipso tanquam in artifice earum per intellectum, & voluntatem, sic concludit, solvens dificultatem quæ contra hoc esse poterat ex capite libertatis: *Dominium autem, quod habet voluntas supra suos actus; per quod in eius est potestate velle, & non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exteriùs agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse, & operari: & sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis: vt sic, Deus seipsum cognoscendo* (perpende) *huiusmodi cognoscere possit.* Ex his ergo,& pluribus alijs à Molina prævisis sensit,& ingenuè fassus est, Angelicum Præceptorem sibi in hac parte contrariari, vt potest videri in Concordia disp. 35. §. *In his duobus*,& §. *Caiet.* Et id ipsum de Sancto Augustino expresse confessus est.

42 Sed dices: Si res ita est, cur D.Thomas vt in plurimum recurrit ad præsentiam physicam futurorum in æternitate, vt in Deo salvet illorum cognitionem? Respondetur id pluribus titulis fecisse. *Primò*: vt salvet, divinam cognitionem respectu illorum esse perfectissimam, & clarissimam, quia ex præsentia in æternitate intuitiva est. *Secundò*; vt assignet modum generalem ea cognoscendi: nam respectu peccatorum non est decretum divinæ voluntatis medium cognitionis,nisi tantùm permissivum. *Tertiò*: vt Deo attribuat eorum cognitionem, non solum intra causam,sed etiam extrà eam,nempè prout sunt in seipsis. *Quartò*: vt manifestet, scientiam Dei non auferre eorum contingentiam,

tiam, quamvis ſit infallibilis, quia terminatur ad illa, vt ſunt iam præſentia. Sed vnum pro comperto habendum eſt, quòd decretum efficax, ſicut eſt radix, vt ponantur in ſuo tempore in rerum natura, cui accidit æternitas faciens illa coëxiſtere Deo ab æterno in ſeipſa, ita eſt præcipuum fundamentum, vt Deus vtroque modo ea cognoſcat, nempè in ſeipſo tanquam in cauſa, & in ſeipſis prout actu ſunt.

43 Deinde probatur ratione fundamentali: Nam decretum Dei eſt medium neceſſarium ad hoc, vt Deus certò cognoſcat futura libera pendentia à voluntate creata; aliàs eſt ſufficiens, vt illa Deus cognoſcat: ergo decretum Dei ab intrinſeco efficax eſt medium vnicum & omninò neceſſarium, in quo Deus certò ea cognoſcat. Utraque præmiſſa probãda eſt. Maior igitur ſuadetur: Tum, quia implicat, Deum certò cognoſcere aliquid creatum, niſi in ſua eſſentia velut in cauſa; ſed nequit futura contingentia cognoſcere in ſua eſſentia, niſi vt determinata per decretum: ergo: Minor iſta probatur: Nam eſſentia divina non eſt cauſa futurorum contingentium, niſi vt determinata per decretum, vt ſatis probatum eſt cum D. Th. diſp. præced. à num. 40. ergo nequit Deus certò cognoſcere futura contingentia in ſua eſſentia, niſi vt determinata per decretum. *Tum etiam*: Nam Deus comprehenſivè cognoſcit omnes effectus creatos: ergo ex vi cognitionis talium effectuum debet cognoſcere omnes cauſas, à quibus eſſentialitèr dependent; ſed omnis effectus creatus eſſentialitèr dependet à Deo: ergo implicat, Deum certò, & comprehenſivè cognoſcere effectus futuros liberos, quin eadem cognitione cognoſcat ſeipſum, prout eſt cauſa eorum: ergo cùm ſit cauſa eorum per decretum, nequit prædictos effectus cognoſcere, niſi cognoſcat ſuam eſſentiam vt determinatam per decretum: Iam sic; ſed repugnat, Deum cognoſcere aliquid ſui à poſteriori, vt ſatis conſtat ex dictis diſp. 1. num. 27. ergo decretum eſt medium neceſſarium, vt Deus certò cognoſcat futura contingentia. ¶ Deinde probatur minor primi ſyllogiſmi: Nam illud in Deo eſt medium ſufficiens ad cognoſcenda futura contingentia procedentia à voluntate creata, quo poſito infallibilitèr ſequitur effectus totus, & totalitèr; ſed eſſentia divina vt determinata per decretum infallibiliter infer effectum liberum procedentem à voluntate creatâ totum, & totalitèr: ergo eſſentia divina vt determinata per decretum eſt in Deo ſufficiens medium ad cognoſcenda futura libera procedentia à voluntate creata. Maior videtur certa apud Adverſarios: qui ducti hac ratione aiunt, Deum cognoſcere certò in ſuo decreto efficaci futura contingentia procedentia tantùm à ſua voluntate. Minor verò probatur: Nam omnis effectus liber procedens à voluntate creata dependet à decreto Dei decernente efficacitèr ipſum effectum liberum tàm quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum liberratis; aliàs Deus non eſſet cauſa vniverſaliſsima, & efficaciſsima, vt ſuè probandum eſt tract. ſequenti: ergo eſſentia divina vt determinata per decretum infallibilitèr infert effectum liberum procedentem à voluntate creata totum, & totalitèr.

Confirmatur: Ita eſſentia divina vt determinata per decretum eſt medium cognoſcendi futura omnia, eſtò procedant à voluntate creata, ſicut ipſa eſſentia vt affecta omnipotentia eſt medium cognoſcendi poſsibilia; ſed eſſentia divina ut affecta omnipotentia eſt medium neceſſarium, & ſufficiens, vt Deus certò cognoſcat poſsibilia; vt ſatis probatum eſt diſp. 1. à num. 71. ergo etiam eſſentia divina vt determinata per decretum eſt medium neceſſarium, & ſufficiens, vt Deus certò cognoſcat futura contingentia procedentia à voluntate creata. Maior, in qua eſt difficultas, probatur: Ideo eſſentia divina vt affecta omnipotentia eſt medium neceſſarium, & ſufficiens cognoſcendi poſsibilia, quia eſt cauſa prima, à qua infallibiliter participant ſuam entitatem, & intelligibilitatem; ſed etiam futura libera procedentia à voluntate creata participant ab eſſentia divina vt determinata per ſuum decretum omnem ſuam entitatem, & intelligibilitatem: ergo etiam eſt in Deo medium neceſſarium, & ſufficiens ad illa cognoſcenda.

44 Dices decretum non ſufficere, vt Deus certò cognoſcat futura libera procedentia à voluntate creata, quia non eſt cauſa adæquata. ¶ Contrà eſt *primò*: Nam decretum Dei non eſt cauſa adæquata actus neceſſarij futuri procedentis à voluntate creata, item omnipotentia non eſt cauſa adæquata actus liberi procedentis à voluntate creata vt *poſsibilis*; & tamen omnipotentia, & decretum ſunt ſufficiens & infallibile medium ad cognoſcendos prædictos actus reſpectivè: ego eſtò decretum non ſit cauſa adæquata actus liberi futuri, poteſt, & debet eſſe medium ſufficiens & infallibile ad illum cognoſcendum. Conſequentia probatur: Nam ideò præmiſſæ ſunt veræ, quia determinatio voluntatis creatæ ad actum neceſſarium futurum, & determinatio poſsibilis ad prædictum actum vt *poſsibilem* eſſentialitèr dependent à decreto, & omnipotentia; ſed etiam determinatio libera futura voluntatis creatæ eſſentialitèr dependet à decreto Dei efficaci & infruſtabili: ergo etiam eſt medium ſufficiens ad illum cognoſcendum. ¶ *Secundò*: Si voluntas creata pro priori ad exercitium ſui actus liberi eſſet determinata ad ponendum illum infallibilitèr, & infruſtrabiliter, proculdubiò eſſet medium ſufficiens, in quo Deus cognoſcens certò illam determinationem, cognoſceret etiam certò prædictum actum, eſtò talis actus dependeret à ſeipſo, vt non negabunt Adverſarij; ſed decretum Dei eſt determina-

natio infallibilis & infrustrabilis,ad quam infallibiliter sequitur determinatio ipsius voluntatis creatæ, vt pronunc supponimus: ergo est medium sufficiens, vt Deus certò cognoscat actum futurum liberum procedentem à voluntate creata. ¶ *Tertiò*: Posito decreto Dei efficaci & infrustrabili, infallibiliter sequitur determinatio voluntatis creatæ: ergo est sufficiens medium,in quo cognoscatur à Deo certò prædicta determinatio; sed,cognita determinatione voluntatis creatæ, certò cognoscitur eius effectus: ergo de primo ad vltimum decretum Dei est sufficiens medium ad cognoscendum actum liberum futurum voluntatis creatæ; vel negandum est huiusmodi decretum.

45 Sed respondeti potest *primò* nostræ rationi cum Suario, & eius Socijs, quòd vt effectus liber futurus totus & totaliter dependeat à Deo, sufficit,quòd sit causa illius ratione alicuius decreti indifferentis,& inefficacis antecedentis scientiam mediam: nam pro priori ad talem scientiam,qua Deus scit Petrum consensurum,si in hac, vel illa occasione ponatur, datur in Deo decretum, quo vult dare ei concursum,ad quidquid ipse voluerit facere, non determinando quòd talis concursus sit adhunc actum determinatè, nec ad obiectum determinatum.

Sed contrà est *primò*: Quia hæc solutio procedit præcipuè contra id,quod supponimus, scilicet dari decretum efficax: quo supposito,de eo inquirimus,an sit medium sufficiens, in quo Deus certò cognoscat futura contingentia libera? ¶ *Secundò*: Quia prædictus concursus Dei indifferens, sublato concursu ab intrinseco efficaci, est omninò chimæricus, & insufficiens, vt in eo Deus cognoscat illa scientia consensumPetri determinatum: ergo prædicta solutio ruit. Antecedens quoad primam partem constabit ex dicendis in duabus disputationibus seq. & fortè in tract. sequenti. Quoad secundam est indubitatum apud Aduersarios,& ex dictis in tota hac disputatione satis constat:Nam in causa indifferenti ad vtrumlibet nequit certò cognosci effectus determinatus;sed supradictum decretum est huiusmodi, vt supponit hæc solutio:ergo est insufficiens medium ad cognoscendum consensum potiùs, quàm eius carentiam. ¶ *Tertiò*: Quia ægrè, aut nullo modo posset saluari, consensum esse speciale donum Dei, contra id quod clamant Scripturæ, Concilia, & PP. & ordinavit Aquaviva Generalis Societatis, qui disputationibus Romæ habitis interfuit. Supposito ergo quòd intercedere debet decretum Dei efficax:

46 Respondeti potest *secundò*, quòd estò detur in Deo decretum efficax & infallibiliter inferens consensum, decretum tamen hoc dependet ex præuisione scientiæ mediæ, per quam Deus prævidet, quid voluntas creata operatura sit, si in tali occasione collocaretur.

Sed contrà est *primò*: Nam (quidquid sit de præuisione hac futuri conditionati per scientiam mediam) inquiro: decretum efficax subsecutum ad præuisionem scientiæ mediæ vel est omninò necessarium, vt in eo Deus cognoscat consensum absolutum Petri; vel non est necessarium? neutrum dici potest, persistendo in terminis solutionis: ergo non est admittenda. Minor quoad primam partem probatur: Nam effectus creatus ab illis causis, à quibus pendet in *esse*,pendet etiam in *cognosci* iuxta doctrinam D.Thomæ, & ab illis causis,à quibus pendet in *esse* sub statu conditionato, pendet etiam in statu absoluto, cùm sit essentialiter idem effectus; sed iuxta illos,effectus sub statu futuritionis conditionatæ non dependet à decreto Dei efficaci, aliàs destrueretur scientia media: ergo neque ad cognoscendum illum sub statu absoluto. Quoad secundam partem etiam ostenditur: Si existentia decreti non esset necessaria ad cognoscendum futurum absolutum, nec esset necessaria scientia libera vt *talis*, cùm scientia libera vt *talis* petat inniti decreto vt *existenti*; sed hoc nequeunt admittere fautores scientiæ mediæ; aliàs nulla esset distinctio inter cognitionem futuri conditionati,& absoluti,vel inter scientiam mediam, quæ in sententia illorum terminatur ad futurum conditionatum,& inter scientiam visionis,quæ terminatur ad futurum absolutum: ergo est necessarium ad cognoscendum certò futurum absolutum.

Contrà est *secundò*: Nam si ad efficaciam diuinæ voluntatis præsupponeretur prædicta præuisio consensus sub statu conditionato, iam eventus esset futurus, quia creatura vult,& non quia Deus vult; ideo enim Deus decerneret Petrum consensurum, quia prævidit Petrum voliturum: ergo creatura esset prima causa, in quam ille effectus vltimatè reduceretur: ergo determinatio creaturæ non penderet à determinatione Dei, sed econversò. Quo quid absurdius! ¶ *Tertiò*: Nam si Deus per scientiam mediam prævideret consensum Petri futurum sub statu conditionato, futuritio illius sub statu conditionato neque penderet à scientia media, cùm iuxta illius fautores sit merè speculativa præsupponens suum obiectum, neque à decreto efficaci: ergo iam daretur aliquod obiectum creatum, quod vel non penderet à Deo, vel penderet ab eo vt agente necessario; sed neutrum dici potest, vt ex se liquet: ergo &c. Sed hoc magis constabit ex dicendis disputatione sequenti,in qua instituemus speciale dubium circa constitutivum futuri. *Adde primò*: Quia hæc solutio supponit, quod negamus, nempè necessitatem scientiæ mediæ, cuius insufficientiam, & impossibilitatem demonstrabimus disput. vltima huius tractatus. *Adde secundò*: Quia ad persistentiam huius solutionis oportebat assignare medium, in quo

Deus

Deus prævideret futurum ſub ſtatu cõditionato; quod nullum eſſe poteſt prꝛter decretum efficax in Deo ab æterno exiſtens, vt probabimus diſput. ſeq. *Præterquamquòd*: Propterea enim recentiores Ieſuitæ recurrunt ad prævisionem ſcientiæ mediæ, quia niſi hæc antecedat prædeffinitionem efficacem Dei, tolleretur libertas creaturæ; ſed tam longe hoc abeſt, quinimò potiùs ſit neceſſariò cauſa libertatis creatæ; cùm effectus tàm quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum in quocumque ſtatu ſivè conditionato, ſivè abſoluto dependeat à Deo tanquam à primo libero, & movente: ergo &c. Hæc omnia levi manu inſinuavimus, quæ infrà latiùs expendemus.

§. II.

Adverſans Opinio.

47 COntrariam opinionem tenent recentiores Societatis. Licèt aliquatenùs inter ſe diſſideant: Nam Vazquez generaliter negat in Deo neceſsitatẽ decreti ad cognoſcendum certò quodlibet futurum: cæteri eius ſocij tantùm illud negant quoad futura libera procedentia à voluntate creata Et arguitur *primò* cum Vazquio: Nam medium, in quo Deus cognoſcit futurum, debet eſſe priùs intelligibile, quàm ipſum futurum; ſed decretum abſolutum non eſt priùs intelligibile, quàm effectus futurus: ergo. Minor probatur: Decretum ſolùm addit ſupra actum neceſſarium Dei quemdam reſpectum rationis ad effectum, vel denominationem extrinſecam dependentem ab effectu: ſed neque reſpectus rationis, neque denominatio extrinſeca proveniens ab effectu ſunt priùs intelligibiles, quàm effectus ipſe, cùm in ipſo fundentur: ergo &c. ¶ Confirmatur: Quod non eſt infallibiliter connexum cum futuro, nequit eſſe medium, in quo Deus illud certò cognoſcat; ſed decretum eſt huiuſmodi: ergo. Minor probatur: Nam decretum ſolùm importat in recto actum neceſſarium, qui ex ſe non eſt infallibiliter connexus cum futuro contingenti: pro obliquo autem importat effectum, vel eſt ipſe effectus: ergo decretum non eſt infallibiliter connexum cum futuro.

Argumentum nihil nos premere debet: quia nunquàm admittemus, decretum liberum Dei conſtitui per relationem rationis, aut per denominationem extrinſecam proveniẽtem ab effectu: hæ enim formalitates iam ſupponunt actum liberum Dei in ſuo *eſſe* conſtitutum, vt dicemus tract. ſequenti. Quocircà, eſtò demus, ad relationem rationis & denominationem extrinſecam præcedere cognitionem fundamenti, & termini, nihil contra nos.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd ſi decretum liberum Dei conſtituitur in recto per formalitatem, aut terminationem activam intrinſecam defectibilem, & diſtinctam ab actu neceſſario, vt multi tam ex Thomiſtis, quàm ex Ieſuitis probabiliter volunt, facilè poteſt explicari connexio decreti cum effectu futuro; proindeque poteſt, & debet eſſe medium, in quo certò cognoſcat futurum. Sed quia probabilius eſt, actum liberum non addere aliquid intrinſecum actui neceſſario: Reſpondetur, quòd eſtò decretum liberum Dei quoad entitatem non ſit connexum cum effectu futuro connexione neceſſaria; poteſt tamen eſſe connexum infallibiliter cum illo connexione libera infallibili, quatenus Deus actu ipſo neceſſario, quo diligit ſeipſum neceſſariò, liberè diligit creaturas: quippè proutsic iam connectitur infallibiliter cum illo, non vtcumque, ſed vt eſt quid illatum ex ipſo decreto; ad eum proportionalem modum, quo creaturæ poſsibiles ſunt connexæ cum omnipotentia tanquam effectus illatus ab ea, & omnipotentia cum illis. Et hac ratione decretum Dei liberum poteſt eſſe medium, in quo Deus certò cognoſcat futurum.

48 Arguitur *ſecundò*: D. Thomas pluribus in locis, dum agit de cognitione futurorum contingentium, maximè pendentium à voluntate creata, recurrit ad eorum præſentiam in æternitate, vt ſalvet illorum certam cognitionem in Deo, non verò ad cauſarum determinationem, vt poteſt videri in præſenti art. 13. & in 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 5. in corp. ad 2. ad 3. & ad 6. in quibus locis docet, quòd ex cognitione cauſæ non ſequitur in Deo cognitio infallibilis effectus futuri: ergo Deus non cognoſcit certò futurum in ſuo decreto. ¶ Et confirmatur *primò* ex ipſo S. Doctore quæſt. 2. *de Verit.* art. 12. vbi ait, quòd futura vt *futura* nequeunt certò cognoſci; ſed tantùm ſunt futura, prout ſunt in ſuis cauſis determinatis antequam intelligantur eſſe actu in ſeipſis: ergo &c. ¶ Confirmatur *ſecundò* ex eodem Ang. Mag. quæſt. 12. *de Verit.* art. 10. ad 7. vbi ait: *Dicendum, quòd aliquid poteſt dici eſſe futurum, non ſolùm ex hoc, quod ita erit, ſed quia ita eſt ordinatum in cauſis ſuis, vt ſic ſit futurum.* Ergo præter modum cognoſcendi futurum in ſuis cauſis, habet Deus alium modum cognoſcendi illud in ſeipſo: proindeque decretum non eſt neceſſarium medium, in quo Deus certò cognoſcat futurum. ¶ Confirmatur *tertiò*: Iuxta eundem S. Præcept. 2. 2. quæſt. 171. art. 6. ad 2. prophetia comminaroria non eſt ſemper certa abſolutè, vt patet in Ninivè ſubverſione, & morte Ezechiæ; ſed per eam revelatur futurum, prout præcisè eſt determinatum in ſuis cauſis: ergo in decreto nequit certò cognoſci.

Ad argumentum reſpondetur, quòd quando D. Thomas excludit determinationem cauſarum, vt medium ſufficiens, in quo certò futura cognoſcantur, ſolùm loquitur de determinatione cauſarum ſecundarum: In qua verum ôminò

ninò est, sublata præmotione physica; non posse certò cognosci futura: quia nulla est causa creata ita determinata ad suum effectum producendum, vt non possit ab alia causa superiori impediri, maximè ab ipso Deo: Vnde vt infallibilitèr cognoscatur, oportet, quòd cognoscatur in seipso, prout actu iam est. Porrò idem omninò est, Deum cognoscere certò futura, prout actu iam sunt in æternitate, ac cognoscere illa in suo decreto: quia cùm hoc sit causa illorum, est etiam potissima radix, vt habeant præsentiam physicam in æternitate. Vndè duplicem modum cognoscendi futura infallibiliter habet Deus: Primum, prout actu iam sunt in æternitate ratione decreti per modum causæ omninò infallibilis: & hoc modo ita cognoscit, quòd adhuc non cognoscit ea immediatè in seipsis, sed in sua essentia vt determinata per decretum; non tamen sistit in ipsa causa, sed postquàm illam cognoscit, transit ad cognoscenda ipsa futura in seipsis, vt alibi diximus, & hoc est cognoscere illa non vt *futura*, sed vt *existentia*. Secundum autem, quatenus præcisè cõsiderantur in sua causa æterna, & determinata: & hic modus etiam est sufficiens ad cognoscenda infallibilitèr futura, vt sæpè loquitur Div. Thomas relatus num. 41. alijsque in locis. Sed adhunc modum cognoscendi adhuc requiritur æternitas, non per modum facientis coëxistentia futura, sed per modum durationis immutabilis ipsius decreti, itaut si per possibile vel impossibile hæc æternitas esset immutabilis, mensuraret decretum, & non faceret coëxistentia futura, decretum ipsum esset sufficiens medium in Deo ad cognoscenda certò futura, proindeque in prædicta hypotesi illa cognosceret. Sed quia æternitas ita est mensura immutabilis decreti, vt simul extendatur ob sui infinitatem actu simul, & ab æterno vsque ad tempus, in quo futurum est determinatum, propterea cognitio Dei non solùm est cognitio futuri in causa, hoc est, in decreto, sed etiam in seipso modo suprà relato: & ob eandem rationem D. Thomas passim recurrit ad præsentiam physicam futurorum in æternitate ad certam eorum cognitionem. Per quod constat ad primam confirmationem.

49 Ad secundam respondetur, intentum D. Thomæ valdè diversum esse ab intento Adversariorum. Nam hi præter futuritionem dependentem à suis causis concedunt aliam desumptam formalitèr ab eventu futuro. Et si hanc vocant *formalem*, & illam præcisè *causalem*, quin sit diversa, nihil contra nos: quia iuxta hunc modum dicendi sicut futuritio hæc desumpta ab eventu futuro dependet à decreto in suo *esse*, etiam dependet in *cognosci*. Intentum ergo D. Thomæ solùm est, quòd alia est futuritio desumpta à causa secunda, & alia desumpta ab eventu futuro, qui reipsà erit, sed dependentèr à causa prima, vt satis se explicat loco allegato. Nullum tamen ex his futuritionibus potest Deus cognoscere independenter à suo decreto: nam futuritio rei, quæ reipsà erit, cognoscitur ab ipso in decreto, per quod absolutè decernit futuritionem ipsius rei: at futuritio, quæ consistit præcisè in causis secundis præparatis, cognoscitur etiam certò, eo modo quo continetur in prædictis causis, in alio decreto sic præparante huiusmodi causas. ¶ Ad tertiam respondetur, concedendo maiorem; & distinguendo minorem: *prout est determinatum in suis causis* secundis, & immediatis, concedo minorem: *prout est determinatum* in causa superiori, nego minorem: Et negatur consequentia. Propterea enim prædicta prophetia non est omninò certa, quia solùm revelatur futurum prout est determinatum in suis causis proximis, & in voluntate divina secundùm exigentiam connaturalem talium causarum; at quia alitèr determinatur à voluntate Dei absoluta, quæ potest impedire causas proximas, & defactò impedivit in prædictis eventibus, propterea talis prophetia absolutè non est certa: quod si Isaiæ revelaretur, cognovisset certò in ipso decreto absoluto Dei, quid absolutè eveniret.

50 Arguitur *tertiò*: Si decretum esset medium, in quo Deus certò cognoscit futurum, cognitio futuri in Deo esset virtualitèr distincta à cognitione eiusdem vt *possibilis*, proindeque scientia simplicis intelligentiæ distingueretur attributalitèr à scientia visionis; quod est falsum, iuxta dicta disp. præced. à num. 12. Sequela ostenditur: Nam tunc cognitiones distinguuntur virtualitèr in Deo, quando respiciunt idem obiectum sub diversa ratione formali; sed ita se haberent cognitio futuri, & cognitio possibilis: siquidem illa specificaretur ab essentia divina vt modificata per decretum; & ista ab eadem essentia vt modificata per omnipotentiam: ergo distinguerentur virtualitèr.

Respondetur negando sequelam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd sicut idem est principium, quod infert necessariò possibilia, & quòd vt determinatum per decretum infert liberè existentia; & sicut idemmet actus amoris necessariò tendit ad bonitatem divinam, & liberè ad creaturas; ita eademmet cognitio potest tendere necessariò ad essentiam divinam vt modificatam per omnipotentiam, & prout est ratio cognoscendi possibilia, & liberè ad eandemmet essentiam vt determinatam per decretum, vt est ratio cognoscendi futura. Et ratio est eadem vtrobique: quia tunc arguitur ratio diversa formalis sufficiens ad distinguendas in Deo virtualitèr cognitiones, quando ex parte creaturarum datur secundùm se diversa ratio formalis sufficiens ad distinguẽdas cognitiones, & virtutes intellectuales creatas, vt contingit in arte, & prudentia. Quod non evenit in possibili, & futuro: & sic per eandem visionem beatam

quili-

quilibet beatus videt plura possibilia, & futura: signum ergo est, quòd in ordine ad hæc obiecta solùm explicat quandam extensionem secundariam ad suum obiectum purè secundarium: quod non arguit distinctionem virtualem, aut realem respectivè in cognitionibus.

51 Arguitur *quartò*: Deus nequit cognoscere futurum liberum in illo medio, quod aufert libertatem, & essentiam talis futuri; sed tale est decretum Thomisticum hucusque propugnatum: ergo. Minor probatur: Nam huiusmodi decretum ita antecedit positionem actus liberi, quòd voluntas creata non possit impedire eius efficaciam; sed suppositio antecedens inferens elicientiam actus, & inauferibilis à voluntate creata, nequit non destruere libertatem, & indifferentiam potentiæ, quæ omninò prærequiritur ad elicientiam liberam actus: ergo decretum Thomisticum aufert libertatem.

Fatemur, hoc argumentum esse præcipuum, & fortè vnicum fundamentum sententiæ contrariæ. Sed reverà procedit contra id, quod supponimus circa possibilitatem prædicti decreti Thomistici ex dicendis tract. sequenti, vbi exprofessò examinabimus possibilitatem, & existentiam huiusmodi decreti. Interim respondetur breviter solutione communi Thomistarum, quòd tunc nimirùm suppositio antecedens tollit libertatem, quando omnino se tenet ex parte actus primi, determinat potentiam ad vnum, & non est in eius potestate eam ponere, aut positam auferre. Decretum autem efficax Thomisticum potiùs se tenet ex parte actus secundi, quàm primi: quia supponit potentiam cum omnibus requisitis præcontentivis actus, & solùm datur, vt actus fiat, & liberè fiat, quod omninò necessarium est, vt salvetur in Deo ratio causæ primæ, & supremi dominij in omnibus: Et quando suppositio antecedens est huiusmodi tàm longe abest, quòd tollat libertatem creaturæ, quòd imo potiùs illam perficit, siquidem reducit illam ad suum actum fortiter, & suavitèr.

52 Arguitur *vltimò*: Nam peccatum in tempore existens fuit ab æterno futurum; & tamen nequit à Deo cognosci in decreto efficaci prædeterminanti: ergo idem potest dici de cæteris futuris. Consequentia ex paritate constat. Et minor, in qua potest esse difficultas, probatur: Nam Deus nequit ab æterno habere decretum prædeterminans ad malitiam peccati, aliàs esset author illius: ergo nequit peccatum vt *futurum* cognoscere in decreto efficaci.

Hoc argumentum exposcit speciale examen, quod differimus vsque ad tract. sequentem. Breviter tamen ex ibi dicendis hìc respondebitur: Notando priùs, quòd in peccato, maximè commissionis, duo inveniuntur, nempè entitas physica, & deformitas positiva moralis, ad quam, si peccatum lethale est, sequitur infallibilitèr privatio gratiæ, in qua vlteriùs datur conceptus *culpæ*, & conceptus *pœnæ*. Erga hæc diversimodè se habet Deus: nam in ordine ad entitatem physicam peccati, & in ordine ad privationem gratiæ, prout habet rationem *pœnæ*, Deus habet ab æterno decretum positivum ab intrinseco efficax, ratione cuius vel formaliter, vel efficienter habent suam futuritionem physicam: At circa deformitatem moralem repertam in actu peccati, aut privatione gratiæ prout est malum Dei, tantùm habet decretum permissivum efficax, ex vi cuius sequitur infallibiliter ab æterno logicè, non physicè, ipsa deformitas. Et quòd Deus habeat huiusmodi decretum permissivum, ad quod infallibilitèr logicè sequitur ipsa deformitas peccati, constat tum ex illo Psalm. 29. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Et ex illo Ps. 80. *Dimisi eos secùndum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Tum ex D. August. in Enchirid. cap. 95. vbi ait: *Aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo.* Tum denique ex D. Thoma in præs. art. 9. ad 3. vbi hæc habet: *Vnde non oportet, quòd quæcumque scit Deus, sint, vel fuerint, vel futura sint, sed solùm ea, quæ vult esse, vel permittit esse.*

Ex his respondetur, quòd peccatum in tempore existens fuit ab æterno futurum, & vt tale cognoscitur à Deo: Aliter tamen, & aliter: nam entitatem physicam peccati, eiusque existentiam cognoscit Deus certò ab æterno in decreto suo efficaci positivo, sed deformitatem ipsam moralem in decreto suo permissivo. Neque peccatum est eodem modo futurum ab æterno: nam secundùm suam entitatem physicam est physicè futurum, quia supponit causam sui physicam, & determinatam ab æterno: sed secundùm suam deformitatem est futurum tantùm logicè, ob oppositam rationem. Ex quo colligitur, quòd Deus non sit Author illius deformitatis, vt ex se liquet. Ex quo deinde colligitur, quòd homo liberè peccet: quia decretum hoc permissivum, & denegativum gratiæ efficacis relinquit illum cum potentia ad actum, licet infallibilitèr sequatur carentia illius ex denegatione auxilij efficacis.

DUBIUM VI.

Vtrùm præsentia physica futurorum in æternitate sit omninò requisita, vt Deus ea cognoscat infallibilitèr, invariabilitèr, & immutabilitèr?

53 NOta, hoc dubium in duplici hypothesi intelligi posse. *Primò*, fingamus, quòd cognitio divina non mensuretur æternitate, sed alia mensura inferiori: inquiritur, an hoc obstet infallibilitati cognitionis divinæ? *Secundò*, supponamus cum Iesuitis,

& Scotistis, quòd estò cognitio divina mensuretur æternitate, futura non existant physicè in illa ab æterno: inquiritur, Deus habebit medium, in quo infallibiliter illa cognoscat ab æterno? Vt autem ad id, quod ad præsens difficultate non caret, accedamus, opportet aliqua præsupponere.

§. I.

Nonnullæ suppositiones.

54 SUpponendum est *primò*, Deum infallibiliter cognoscere ab æterno futura, antequam sint in propria differentia temporis, ratione præsentiæ physicæ, quam habet in æternitate. In hoc conspirant omnes Thomistæ. Et quidem, data hac præsentia, nullus fortè dissentiet: Nam, supposita ab æterno præsentia physica futurorum in æternitate, habent certam & determinatam cognoscibilitatem respectu Dei, cui sunt ita præsentia, ac in sua propria duratione; sed Deus, imo & nos cognoscimus infallibiliter res, dum existunt in propria duratione, ratione huius præsentiæ: ergo etiam Deus cognoscit ab æterno futura infallibiliter, ratione præsentiæ physicæ, quam habent in æternitate.

55 Nota tamen, quòd dum dicimus, Deum cognoscere certò futura ab æterno ratione præsentiæ physicæ in æternitate, non est sensus, quòd ipsa præsentia physica sit obiectum primarium cognitionis divinæ, imò nec ipsa æternitas, cùm sola essentia divina sit obiectum specificativum illius; sed quòd æternitas se habeat vt medium, in quo cognoscantur: eo proportionali modo quo decretum, estò non sit obiectum primarium, est medium, in quo Deus cognoscit futura. Vel (vt propriùs loquamur) ipsa essentia divina, vt modificata per decretum, & æternitatem, est medium, in quo Deus illa cognoscit. Præsentia tamen passiva futurorum ex parte ipsorum se tenens est tantùm conditio, vt Deus certò illa cognoscat. Quo prænotato, manet efficax ratio suprà posita ad suadendam conducentiam huius præsentiæ physicæ in æternitate, vt Deus certò cognoscat futura, & nullum vidimus, ea supposita, in hoc implicari. Difficultas tamen est, an hæc præsentia sit omninò necessaria, vt Deus illa infallibiliter cognoscat?

56 Supponendum est *secundò*, ad infallibilem cognitionem futurorum prærequiri omninò, quòd Deus, & eius operationes mensurentur æternitate. Et ratio efficax deducitur ex his, quæ docet D. Thomas in præs. quæst. 14. art. 13. Nam futurum vel cognoscitur in seipso, vel in sua causa; sed si Deus mensuraretur mensura inferiori æternitate, neutro modo cognosceret infallibiliter futura: ergo. Minor quoad primam partem est certa: Nam futura, antequam sint existentia, nequeunt cognosci in seipsis: & propterea D. Thomas loco proximè citato ait, quòd Deus cognoscit certò non solùm ordinem causarum, sed etiam res in seipsis, quia nimirùm eius cognitio mensuratur æternitate, quæ omnia supercomprehendit tempora: econtrà verò ait, quòd cognitio creata non cognoscit futura in seipsis, sed præcisè ordinem causarum, quia eius intuitus limitatur ad aliquod tempus determinatum: ergo si Deus non mensuraretur æternitate, ratione cuius tantùm possunt futura esse existentia, non posset cognoscere certò futura in seipsis. Quoad secundam verò partem probatur: Nam futura nequeunt certò cognosci à Deo, nec ab alio in causa creata; alias nec in causa divina, si per impossibile non mensuraretur æternitate: ergo non posset Deus illa cognoscere certò in causa aliqua. Maior liquet: nam omnis causa creata est absolutè, & simpliciter contingens, cùm saltem possit à Deo annihilari; in causa autem contingenti vt *tali* nequit aliquod extremum determinatum omnino infallibiliter cognosci, vt rectè docet D. Thomas loco citato. Minor probatur: Nam si Deus non mensuraretur æternitate, non esset omninò indefectibilis, sicut nec propria mensura: ergo nequiret Deus in seipso cognoscere omninò infallibiliter futura. Patet consequentia: nam in causa non omninò indefectibili nequit omninò indefectibiliter cognosci futurum.

Quocircà licèt ævum sit naturaliter indefectibile, & defactò nunquã deficiet; si tamen Deus mensuraretur ævo sempiterno, solùm sequitur, quòd Deus cognosceret futura in seipso infallibilitate connaturali, non verò infallibilitate omnimoda: quia eius decretum, in quo illa cognosceret, non esset omnibus modis indefectibile, sicut nec ævum, quo mensuraretur. Quod declarari valet ævo angelico, vel ævo cœlesti: quę, quia defectibilia sunt per ordinem ad potentiam Dei absolutam, non sufficiunt, vt Deus, vel aliud cognoscitivum possit omninò indefectibiliter cognoscere aliquem effectum Angeli, & cœli, licèt naturaliter sint indefectibilia. Propterea quę solùm in causa sempiterna vt mensurata æternitate possunt futura omninò indefectibiliter, attenta quacumque potentia, cognosci. Difficultas ergo præsentis dubij restringitur ad hypothesim; in qua Deus mensuratur æternitate (vt sentiunt omnes) & futura non essent physicè præsentia Deo ab æterno (vt volunt Scotistę, & communiter Iesuitę) an nimirùm tunc Deus haberet medium, in quo infallibiliter illa cognosceret? Pro quo:

57 Supponendum est *tertiò*, præsentiam futurorum in æternitate esse omninò necessariam adhoc, vt cognitio divina sit intuitiva illorum. Ita communiter Thomistæ. Et colligitur ex D. Thoma pluribus in locis, in 1. dist. 38. quæst.

1. art. 5. ad 2. vbi ait: *Quia cognitio divina æternitate mensuratur, quæ eadem manens omni tempori est præsens, ideo vnunquodque contingentium videt, prout est in suo actu.* Vbi, vt vides, ad præsentiam futurorum in æternitate recurrit, vt illa videat, & vt cognoscat illa intuitivè. Quem modum loquendi habet super Boëtium lib. 5. *de Consid.* prosa 6. & quæst. 2. *de Verit.* art. 12. & in præs. art. 13.

Et probatur breviter: Nam ad cognitionem intuitivam, prout distinctam ab abstractiva, requiritur præsentia physica obiecti; sed futura ab æterno non habent præsentiam physicam in propria duratione: ergo vt cognitio divina sit intuitiva illorum, omninò prærequiritur præsentia physica eorum in æternitate. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur ex definitione notitiæ intuitivæ, *Cognitio rei præsentis*; sed si futura nullam præsentiam physicam habent respectu cognitionis, non est cognitio rei præsentis, sed absentis, cùm cognoscantur reduplicativè vt *futura*: ergo ad cognitionem intuitivam futurorum, prout distinctam ab abstractiva, requiritur præsentia physica obiecti.

58 Nec refert, si dicas, ad notitiam intuitivam sufficere, quòd obiectum cognoscatur secundùm essentiam, existentiam, & omnia accidentia, prout exercendum est in tempore determinato. Non, inquam, refert. Tum, quia notitia intuitiva dicitur talis per ethymologiam desumptam à visione corporali, vt cum D. Thoma dicemus in nostro tract. *de Scientia Christi* disp. 2. dub. 3. num. 24. sed visio corporalis terminatur ad obiectum sub exercitio existendi in tempore visionis: ergo idem dicendum est de visione intellectuali. Tum etiam: nam obiectum consideratum sub exercitio existendi, vel comparatur vt *actu existens*, vel vt *futurum*: si dicatur primum, habemus intentum. Si secundum: ergo non terminat notitiam intuitivam. Patet consequentia: quia repugnat futurum vt *futurum* terminare notitiam intuitivam. Tum denique: quia de ratione notitiæ intuitivę est terminari ad obiectum, prout est in seipso; sed ad cognoscendum obiectum in seipso omninò requiritur præsentia physica illius, vt suprà vidimus ex D. Thoma: ergo, cùm futura non habeant ab æterno præsentiam physicam in propria duratione, vel futura non cognoscuntur à Deo ab æterno intuitivè; vel omninò desideratur præsentia physica in æternitate.

Quibus suppositis: solùm restat difficultas: An supposito quòd *esse* Dei, & eius cognitio mensurentur æternitate, sed futura non haberent ab æterno præsentiam physicam respectu illius, deficeret medium, in quo omninò infallibilitèr ea cognoscereret?

§. II.

Sententia affirmativa defenditur.

59 DIcendum est, præsentiam physicam futurorum in æternitate necessariò requiri, vt Deus omninò infallibilitèr ea cognoscat ab æterno. Conclusio ista absolutè proposita defenditur ab omnibus Thomistis: Licèt nonnulli ab ea nomine-tenus dissideant penès particulas *mediatè* & *immediatè*: nam Illustr. Godoy, Palanco, Ferre, & alij aiunt, sufficere decretum mensuratum æternitate, vt in eo Deus omninò futura ab æterno cognoscat, licèt per consequentias mediatas inferatur, hoc decretum non esse omninò immutabile, si futura non sunt præsentia physicè Deo ab æterno.

Et probatur *primò* authoritate D. Augustini lib. 2. *ad Simplician.* quæst. 2. vbi ait: *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt futuræ, sed præsentes; ac per hoc non iam præscientia, sed scientia tantùm dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum sunt, quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo, bis ergo ea sentit, vno quidem modo secundùm futurorum præsentiam; altero verò modo secundùm præsentium scientiam. Aliquid ergo temporalitèr accidit scientiæ Dei: quod absurdissimum, atque falsissimum est.*

60 Respondent Adversarij huic elegantí testimonio, quòd D. Augustinus solùm reputat absurdissimum ponere in Deo successionem temporis futuri, & præsentis; vel duplicem cognitionem, aliam, qua ab æterno cognoscat Antichristum vt *futurum*, & alteram, qua postea cognoscat illum vt *præsentem*.

Contrà est: Nam iuxta mentem D. Augustini, si futura non sunt præsentia Deo physicè ab æterno, bis cognosceret illa absolutè; sed absurdissimum est concedere, Deum bis cognoscere futura absolutè: ergo iuxta mentem Augustini ad infallibilem cognitionem futurorum requiritur præsentia physica illorum. Consequentia ex infrà dicendis constabit. Et minor probatur: Tum, quia iuxta D. Augustinum, ex eo quòd absolutè Deus bis cognoscat futura, aliquid temporalitèr accidit scientiæ Dei; sed hoc reputat absurdissimum: ergo &c. *Adde*: Nam ex eo, quòd Deus bis cognoscat futura, vno modo antea, & alio modo pòst, vel accidit ei novus modus intrinsecus cognoscendi futura, seu nova cognitio; vel accidit ei tantùm nova extrinseca denominatio? Si dicas primum: ergo concedis quid absurdissimum in Deo. Si secundum: ergo ex eo quòd Deus bis cognoscat futura,

nullum sequitur absurdum contra mentem D. Augustini. Patet consequentia : nam nullum absurdum est concedere, quòd Deo adveniat in tempore aliqua denominatio extrinseca.

Confirmatur hęc ratio authoritate sui fidissimi discipuli D. Thomæ in præs. quæst. 14. art. 13. vbi ait : *Contingens aliquod dupliciter potest considerari : vno modo in seipso, secundum quod iam in actu est ; & sic non consideratur vt futurum, sed vt præsens, nec ad vtrumlibet contingens, sed vt determinatum ad vnum: & propter hoc sic infallibiliter subdi potest certæ cognitioni. Alio modo potest considerari contingens, vt est in sua causa ; & sic consideratur vt futurum, & vt contingens nondum determinatum ad vnum : & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni.* Quibus suppositis concludit, Deum certò cognoscere futura, quia respectu illius ab æterno sunt præsentia in seipsis, & non solum in suis causis: ergo sentit non posse salvari infallibilem cognitionem futurorum in Deo sine præsentia physica illorum vel in se, vel respectu æternitatis. Nec valet recursus ad causam æternam: propter proximè dicenda, quibus aperietur efficacia vtriusque testimonij.

6 Deinde probatur ratione ex prædictis testimonijs deprompta : Nam nullus effectus potest omninò certò cognosci, nisi cognoscatur in seipso vt est existens, vel in aliqua causa omninò invariabili ; sed si futura non sunt ab æterno Deo physicè præsentia, non possunt cognosci certò in seipsis, neque in aliqua causa omninò immutabili, esto Deus mensuretur æternitate: ergo præsentia physica futurorum in æternitate omninò requiritur ad infallibilem cognitionen eorum. Maior continet doctrinam D. Thomæ proximè relatam. Et minor quoad primam partem ex eodem testimoniò etiam liquet : nam vt aliquis effectus cognoscatur certò in seipso, requiritur, quòd actu sit ; cumque futura in seipsis actu non sint ab æterno in propria duratione, manifestè sequitur, quòd si non sunt præsentia physicè Deo, prout sunt existentia respectu æternitatis, nequent certò cognosci in seipsis. Quoad secundam verò partem probatur minor: Nam Deus est causa futurorum per suam scientiam : ergo debet illa cognoscere in seipso vt modificato per suam scientiam ; sed, sublata ab æterno præsentia physica futurorum respectu æternitatis, scientia Dei esset mutabilis : ergo non posset ea certò cognoscere in seipso. Minor subsumpta probatur : Tum, quia scientia Dei mutaretur de abstractiva in intuitivam, cùm ab æterno cognosceret futura vt *futura*, quod est proprium cognitionis abstractivæ ; & posteà illa cognosceret vt præsentia, quod est proprium notitiæ intuitivæ ; sed hoc arguit mutationem iuxta mentem D. Augustini : ergo &c. Tum etiam & præcipuè : Nam Deus ab æterno haberet aliquam cognitionem, quæ adveniente tempore Antichristi deficeret, nempe istam: *Antichristus est realiter & physicè futurus respectu meæ cognitionis, & æternitatis ab æterno* : deinde, vt inquit D. Augustinus, Deo adveniret in tempore aliqua cognitio, nempè hęc : *Nunc Antichristus* (designando tempus illius) *est meæ cognitioni & æternitati præsens*: quod absurdissimum est : ergo, sublata ab æterno præsentia physica futurorum respectu Dei, scientia eius esset mutabilis.

62 Nec valet recursus ad decretum mensuratum æternitate. Tum, quia, si scientia Dei est mutabilis, nulla est apparens ratio, cur decretum illius sit omninò immutabile, cùm detur omnimoda proportio inter cognitionem & actum voluntatis, & iste reguletur per illam. *Tum etiam* : Nam causa adæquata creaturarum est scientia Dei vt determinata per decretum: ergo in scientia potius, quàm in decreto debet cognosci futurum ; sed scientia Dei esset mutabilis : ergo vanus est recursus ad decretum mensuratum æternitate, vt Deus cognoscat infallibiliter futura.

63 Huic rationi communiter respondent Adversarij, quòd esto non detur præsentia physica futurorum ab æterno in æternitate, non sequitur aliqua variatio intrinseca ex parte scientię Dei. Quia ab æterno Deus sciret, Antichristum esse sibi futurum vsque ad tempus nativitatis illius, & vsque in æternum hoc cognosceret ; & ab æterno sciret, Antichristum esse sibi præsentem à tempore nativitatis vsque ad mortem illius, & vsque in æternum hoc cognosceret; & tandem ab æterno sciret esse sibi præteritum à tempore mortis eius vsque in æternum, & vsque in æternum hoc etiam cognosceret : Sicut nulla sequitur variatio ex parte scientiæ Dei ex eo, quòd cognoscat, Antichristum esse nunc nobis futurum, & postea alijs præsentem, & tandem præteritum respectu aliorum. *Maximè* : Quia solùm sequitur aliqua variatio in denominatione aliqua intrinseca dependente ex variatione obiecti, seu connotati, non verò in entitate scientiæ divinæ : quod nonnunquàm contingit in alijs denominationibus intrinsecis, sivè divinis, sivè creatis. *Adde primò* : Quia ex nostra ratione adsummùm sequitur variatio intrinseca in aliqua cognitione reflexa, qualis est cognitio, qua Deus iudicat Antichristum esse sibi ab æterno futurum, non verò in cognitione directa, qua in suo decreto cognoscit futurum. Imò, esto hæc esset mutabilis, adhuc posset esse omninò certa : quia certitudo compati potest cum mutabilitate cognitionis. *Adde secundò* : quòd nostra ratio destruit hypothesim à nobis suppositam, nempè quòd Deus, & eius operationes mensurentur æternitate : iuxta quam nequit rationabiliter probari mutatio intrinseca neque ex parte cognitionis, neque ex parte decreti.

Hæc

64 Hæc evasio ex nullo capite subterfugit vires supradictæ rationis. Non ex primo: Tum, quia, eo ipso quòd ab æterno & vsque in æternum cognosceret Deus, Antichristum esse sibi futurum vsque ad tempus illius, nequit non cognoscere illum vt sibi futurum: ergo bis cognosceret futurum; sed hoc nequit stare, quin aliquid temporaliter Deo adveniat, quod absurdissimum est iuxta mentem Augustini: ergo &c. *Tum etiam*: Quia, eo ipso quòd futura non sint ab æterno Deo physicè præsentia, formaret ab æterno iudicium, quo affirmat Antichristum esse sibi futurum; sed hoc iudicium nequit subsistere adveniente tempore Antichristi: ergo iam deficeret hoc iudicium Dei, & consequenter adveniret postea de novo aliud iudicium, quo affirmaret Antichristum esse sibi præsentem. *Tum denique*: Nam, data hypothesi quòd Deus decerneret in tempore productionem alicuius creaturæ, & mutatio huius creaturæ de possibili in futuram fieret in tempore, rectè argueretur mutatio tàm ex parte voluntatis, quàm ex parte scientiæ Dei: ergo, data hypothesi quòd scientia Dei non terminetur ab æterno ad creaturam vt sibi præsentem ab æterno, debet argui mutatio ex parte scientiæ Dei. Patet consequentia: ob paritatis rationem, quia in vtroque casu terminaretur in tempore ad creaturam novo modo, quo non terminabatur ab æterno.

65 Nec ex secundo capite: propter proximè dicta. Nam nova denominatio in tempore, quę non dependet ex creaturis, nequit non inferre mutationem intrinsecam ex parte Dei; sed denominatio, quæ resultat in Deo, ex eo quòd iudicet in tempore Antichristum esse sibi præsentem, est denominatio nullo modo dependens à creaturis: ergo nequit resultare absque mutatione intrinseca Dei. Maior per se liquet: nam nova denominatio realis, & maximè intrinseca, nequit dari in tempore absque mutatione alicuius extremi, vt inductivè potest ostendi. Minor verò probatur ex doctrina D. Thomæ in præs. quæst. 14. art. 15. ad 1. Nam hęc est differentia inter denominationes *Domini*, & *Creatoris*, & denominationes *scientis* & *volentis*, quòd illæ terminantur ad creaturas prout in seipsis, sed istæ prout in Deo: quia illę fundantur in actionibus, quæ significantur per modum transeuntis; istæ per modum permanentis: ergo estò illæ dependeant quodammodò à creaturis, istæ vero nullo modo ab illis dependent.

66 Ex quo infertur, æternitatem fore mutandam intrinsecè: Quia huiusmodi denominationes *scientis*, *videntis*, & *volentis* debent mensurari duratione propria & intrinseca ipsius scientis, videntis, & volentis: sed ab æterno illas non mensuraret: ergo haberet in se *anteà* & *postea*, & consequenter mutaretur. Ex quo etiam patet, cur Deus non mutetur cognoscendo, Antichristum esse nunc nobis futurum, & posteà præsentem: quia nimirùm tunc absolutè non iudicat secundùm propriam mensuram, sed iuxta mensuram creatam; & aliunde tàm futuritio, quàm præsentia Antichristi semper & immutabiliter sunt Deo præsentes.

67 Neque ex tertio capite adducto in primo additamento: Tum, quia ex ibi concessis iam sequitur mutatio intrinseca ex parte cognitionis futurorum sive reflexæ, sivè directæ, in suppositione quòd futura non sint Deo præsentia ab æterno; sed, quidquid sit de certitudine prædictæ cognitionis, hoc est non parvum absurdum, relegandum à Deo iuxta mentem Augustini: ergo hæc evasio nequit sustineri. *Tum etiam*: Nam ipsa cognitio directa futurorum transiret in tempore de abstractiva in intuitivam; sed ille transitus arguit quoddam genus imperfectionis iuxta mentem Augustini, quia ex hac mutatione deducit, aliquid temporaliter advenire Deo: ergo &c. *Tum denique*: Quia si in Deo daretur mutatio intrinseca ex parte cognitionis reflexæ, & non directę, sequitur quod vtraque cognitio distingueretur realiter; quòd non est minus inconveniens & absurdum, quàm concedere incertitudinem cognitionis divinę respectu futurorum. *Adde*: Quia semel concesso, quòd vtraque cognitio futurorum sit variabilis, non solum sequitur mutatio ex parte Dei, sed etiam fallibilitas ipsius cognitionis. Nam quævis cognitio divina non terminatur ad futura, nisi prout continentur in sua causa; sed causa in recto creaturarum est ipsa scientia Dei in actu secundo: ergo si hæc est mutabilis, non possunt in ea cognosci certò futura: sicut optimè arguunt Adversarij, cognitionem Dei esse fallibilem, si eius decretum est mutabile.

68 Neque ex quarto capite adducto in secundo additamento: Nam si futura non sunt Deo physicè præsentia ab æterno, æternitas non est eiusdem rationis, ac nunc est; sed eo ipso Deus esset mutabilis in suis cognitionibus, & decretis: ergo nullum esset medium, in quo Deus infallibiliter cognosceret futura. Patet consequentia: nam in causa contingenti nequeunt certò cognosci futura. Maior similiter est per se nota: nam æternitas, quam nos adstruimus, ita ambit tempus futurum, vt non admittat *anteà*, & *posteà*: econtrà verò æternitas in prædicta hypothesi, cùm non ambiat actu & ab æterno tempus futurum, nequit non in se habere *anteà* & *posteà*. Minor verò probatur: Nam si æternitas haberet *anteà* & *posteà*, permitteret, quòd Deus posset nunc vnum velle, & posteà aliud: ergo Deus esset mutabilis in suis cognitionibus, & decretis.

§. III.

Argumentorum Responsio.

69 OPinionem oppositam tenent quotquot negant præsentiam physicam futurorum in æternitate ab æterno, quos diximus tract. 1. disp. 5. num. 22. Quibus adhærent plures alij, qui nobiscum consentiunt in præsentia physica futurorum in æternitate, vt Illustr. Godoy in præs. disp. 42. num. 5. Lisbon. disp. 19. art. 4. P. Emmanuel a Conceptione Trinitarius Excalceatus, Ferre, & alij. Pro qua opinione Illustr. Godoy adducit nonnulla testimonia D. Thomę, quibus suadere conatur, sufficere essentiam divinam vt determinatam per decretum ad omnimodam certitudinem cognitionis illorum. Quæ testimonia explicata manebunt, si appareat solutio huius principalis argumenti sententiæ contrariæ.

Arguitur ergo *primò*: Nam estò non detur ab æterno physica præsentia futurorum in æternitate, adhuc datur medium sufficiens, in quo Deus omninò certò illa cognoscat, maximè si Deus mensuretur æternitate: ergo præsentia physica futurorum respectu æternitatis non requiritur, vt Deus illa certò cognoscat. Antecedens probatur: Medium infallibiliter connexum cum alio est sufficiens ratio infallibilis cognitionis illius; sed decretum est huiusmodi respectu futurorum, maximè si Deus mensuretur æternitate: ergo, negata præsentia physica futurorum in æternitate, adhuc esset medium sufficiens, in quo Deus illa omninò certò cognosceret.

Et confirmatur: Deus cognoscit omninò certò futura conditionata; sed ad illa certò cognoscenda non requiritur præsentia physica illorum in æternitate, sed sufficit decretum ea mensuratum: ergo etiam ad cognoscenda futura absoluta sufficit decretum mensuratum æternitate, quin adhoc sit necessaria præsentia eorum in æternitate.

Ad argumentum satis constat ex dictis §. præcedenti: iuxta quę negandum est antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori; neganda est minor. Quia estò decretum mensuratum æternitate, quæ nunc est, sit infallibiliter connexum cum futuris, secùs verò decretum mensuratum æternitate alterius rationis, ac nunc est: In suppositione autem, quòd futura non sint Deo physicè præsentia ab æterno, æternitas Dei non esset adeò immutabilis, sicut nunc est, cùm haberet *anteà* & *posteà*, consequenterque permitteret mutabilitatem in decretis, & cognitionibus. Quocircà decretum esset fallibiliter connexum cum futuris, ideoque non esset sufficiens medium ad futura certò cognoscenda.

Ad confirmationem respondetur, concessis præmissis; negando consequentiam, ob notabile discrimen inter futura absoluta, & conditionata. Futura enim conditionata inquantùm *talia* non sunt capacia existendi in æternitate, quia nunquam existent in se: ideoque ex non existentia eorum in æternitate nequit argui aliqua mutabilitas neque ex parte æternitatis, neque ex parte decreti: aliàs semel quòd decretum mensuretur æternitate, quæ nunc est, hoc est æternitate omnino invariabili, iam assignatur sufficiens medium, in quo infallibiliter iuxta suum modum possint cognosci. Oppositum colligeretur, in suppositione quòd futura absoluta non essent ab æterno physicè præsentia respectu æternitatis: nam hæc aliquando existent in se, & ex eo quòd non existant ab æterno respectu æternitatis, arguitur, æternitatem habere *antè* & *pòst*, & esse variabilem. Ex quo iterum arguitur, decretum non esse omnino infallibile, proindeque non esse medium sufficiens ad illa omnino certò cognoscenda.

70 Arguitur *secundò*: Intellectus creatus potest certò cognoscere futura, estò non sint præsentia illi physicè in ea duratione, in qua sic cognoscuntur: ergo etiam Deus posset illa certò cognoscere, estò non essent ab æterno physice præsentia respectu æternitatis. Consequentia videtur legitima: aliàs intellectus divinus esset peioris conditionis in cognoscendo ac intellectus creatus, cæteris paribus. Antecedens probatur in cognitione fidei, in visione beatifica, & in cognitione scientiæ infusæ Christi Domini, respectu quarum non sunt physicè coëxistentia; & tamen sunt cognitiones certæ futurorum: ergo intellectus creatus potest omnino certò cognoscere futura, estò non sint illi physicè præsentia in ea duratione, in qua cognoscuntur.

Hoc argumentum tangimus in nostro tract. *de Scientia Christi* disp. 4. num. 28. Et iuxta solutionem illi dandam num. 30. Respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentia. Et ratio discriminis est: quia in suppositione quòd futura sint physicè Deo præsentia ab æterno, rectè arguitur omnimoda immutabilitas tàm ex parte æternitatis & decreti, quàm ex parte futuritionis & existentiæ creaturarum respectu Dei. Qua suppositа, non repugnat species creata exemplata ab essentia divina, vt determinata per hoc decretum omninò immutabile, quæ repræsentet futurum immediatè in seipso, per quam intellectus creatus potest illud certò cognoscere. Et ob hanc causam Christus per scientiam infusam cognoscit certò futura: & beatus certò etiam illa cognoscit, quia vnitur illi essentia divina per modum speciei vt determinata per decretum omninò immutabile, & repræsentans futura: & tandem fides initur infallibili testimonio Dei,

&

& præsupponit radicaliter evidentiam in attestante, quam repræsentat aliqua species infusa, vt contigit Prophetis, & Apostolis. Per oppositum, si auferatur præsentia physica futurorum ab æterno respectu Dei, tolleretur ab intrinseco omnimoda immutabilitas tàm respectu æternitatis, quàm ex parte decreti, ideoque non posset in Deo assignari medium infallibile, in quo futura certò cognosceret: aliunde non posset illa certò cognoscere per speciem sibi infusam ab alio, & exemplatam ab alia omninò immutabili: Unde necessariò deficeret infallibilitas cognitionis.

Et certè, si hoc argumentum esset efficax, probaret *primò* (contra id, quod supposuimus num. 4.) quòd Deus posset certò futura cognoscere, estò Deus mensuraretur tempore: quandoquidem cognitio infusa Christi, & cognitio fidei sunt omninò certæ, estò mensurentur tempore discreto. Probaret *secundò*, quòd sine præsentia physica futurorum in æternitate posset Deus cognoscere certò futura in seipsis: sicut Christus per scientiam infusam illa cognoscit in seipsis. Cuius oppositum docet Div. Thomas in præs. art. 13. Et clariùs quæst. 12. *de Verit.* art. 10. vbi ait, futura, nisi sint præsentia in æternitate, vel existentia in seipsis, solùm cognosci quantùm ad ordinem causarum: *Vt rectè considerantibus appareat, in hoc, quòd futura præscire dicimus, esse magis præsentium, quàm futurorum scientiam habere*: quasi dicat, quòd præscientia futurorum in nobis non est aliud, quàm scientia causarum præsentium. ¶ Neque ex hoc inferas, cognitionem scientiæ infusæ, & visionem beatam vel esse notitiam intuitivam futurorum, vel non attingere futura. Quia prædicta verba D. Thomæ tantùm procedunt de cognitione connaturali, non verò de cognitione participata, quales sunt visio beata, & cognitio scientiæ infusæ.

71 Arguitur *vltimò*: Cognitio, qua Deus defactò cognoscit futura, est certa, & omninò infallibilis; sed hæc cognitio nondependet à præsentia futurorum in æternitate ergo. Minor probatur: Nam prædicta cognitio præcedit ordine rationis præsentiam futurorum in æternitate: ergo non dependet à præsentia futurorum in æternitate. Antecedens videtur certum: nam præsentia futurorum supponit decretum de eorum productione; decretum autem cognitionem infallibilem illorum.

Confirmatur *primò*: Nam æternitas ex se non est causa rerum, nec connexa cum illis: ergo non requiritur, vt certò cognoscantur futura. ¶ Confirmatur *secundò*: Futura contingentia habent determinatam veritatem, dum considerantur futura, qua ratione cognoscuntur certò à beatis, & à Christo per scientiam infusam: ergo estò non essent Deo physicè præsentia, possent ab eo omninò certò cognosci. Patet consequentia: nam Deus certò cognoscit quidquid certò est cognoscibile, præcisis alijs. ¶ Confirmatur *tertiò*: Deus, data hypothesi quòd desineret esse ante productionem Antichristi, cognosceret illum certò ab æterno, aliàs non haberet cognitionem infinitam: ergo non requiritur præsentia physica illius ad æternitatem, vt certò cognoscatur a Deo. Patet consequentia: nam, data illa hypothesi, Antichristus non esset physicè præsens ab æterno respectu Dei.

Ad argumentum respondetur, quòd præsentia futurorum ad æternitatem potest considerari dupliciter; vel ex parte ipsius æternitatis ad ipsa; vel ex parte futurorum ad æternitatem. Neutro autem modo supponit prioritate *in quo*, adhuc rationis, decretum, nec cognitionem: sed passivè considerata solùm supponit decretum, & cognitionem prioritate *à quo* in genere causæ efficientis; sicut æternitas ipsa præcedit in genere causæ formalis: itaut in eodem signo, in quo concurrit decretum & cognitio practica futurorum, concurrit etiam ipsa æternitas in genere causæ formalis mensurantis, cum mutua quasi dependentia æternitatis à decreto & cognitione, & cognitionis & decreti ab æternitate. Neque est verum, quòd cognitio practica supponit decretũ prioritate *in quo*, sed tantùm datur similis quasi mutua dependentia inter ea. Ex quo facilè colliges, quòd hæc præsentia futurorum, vtroque modo considerata, requiritur ad infallibilitatem cognitionis: licèt diverso modo, nam ex parte Dei considerata requiritur per modum rationis formalis, sed ex parte creaturarum per modum conditionis.

Per quod constat ad primam confirmationem: Respondetur enim, negando antecedens: nam estò æternitas non sit causa activa, est tamen causa formalis præsentiæ physicæ futurorum: Et licèt considerata secundùm se non sit connexa cum futuris, vt determinata tamen per decretum est illis connexa, & imprescindibilis ab eis. ¶ Ad secundam respondetur, quòd si futura non sunt Deo ab æterno physicè præsentia, nequit salvari infallibilitas omnimoda decreti: ac per consequens neque veritas omninò determinata futurorũ, quia hæc omninò dependet à decreto. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd in illa hypothesi non haberet cognitionem certam omni modo, seu infallibilitate metaphysica, neque haberet cognitionem infinitam; quia ex impossibili sequitur quodlibet.

DIS-

DISPUT. IV.

De Scientia futurorum conditionatorum.

AD perfectam, & completam notitiã ſcientiæ divinæ non minùs conducit explicare, an Deus cognoſcat futura conditionata, quàm futura abſoluta. Propterea quæ inſtituimus pro his futuris conditionatis hanc quartam diſputationem: in qua declarabimus medium, in quo Deus illa cognoſcit.

DUBIUM I.

An futura contingentia conditionata certò cognoſcantur à Deo?

UT ſtatus quæſtionis clarè innoteſcat, oportet aliqua prænotare circa intelligentiam, & diviſionem futuri conditionati.

§. I.

Tituli quæſtionis explanatio.

1 FUturum conditionatum, prout ab abſoluto diſtinguitur, eſt illud, cuius futuritio dependenter ab aliqua conditione enuntiatur. Hoc autem futurum poteſt eſſe in duplici differentia: nam aliud dependet à conditione ex vi decreti divini ita decernentis, quod defactò erit, quia defactò exiſtet conditio: In quo ſenſu Incarnatio Verbi habuit rationem futuri conditionati, quia pendebat in ſui exiſtentia à peccato Adami ex vi præſentis decreti, talitèr quòd ſi non peccaſſet, Incarnatio non foret, vt docet D. Thomas 3. part. quæſt. 1. art. 3. Alterum eſt, quod nunquam habebit exiſtentiam; illam tamen haberet, ſi conditio poneretur in rerum natura: Et huiuſmodì eſt converſio Tyriorum, & Sidoniorum, quę nunquam habuit, aut habebit exiſtentiam; illam tamen haberet, ſi Chriſtus feciſſet in Tyro, & Sidone ſigna, & prodigia, quæ fecit in Corozaim & Bethſaida. Præſens tamen difficultas, necnon tota hęc diſputatio præcipuè procedit de futuris conditionatis ſecundi generis: licèt non omnino aliena ſit à futuris primi generis, ſi intelligantur, antequàm poſitivè, & abſolutè determinetur à Deo exiſtentia conditionis, & ipſius futuri dependentis ab ea.

2 Futurum autem conditionatum ſecundi generis in tres ſpecies communitèr dividitur à Theologis, iuxta triplicem modum, quo conditio ſe habet ad eventum futurum. Aliud eſt, cuius conditio eſt impoſsibilis: vt *ſi lapis eſſet homo, diligeret Petrum*; vel *ſi lapis eſſet homo, eſſet vivens ſenſibile*: vel *ſi lapis eſſet homo, eſſet inſenſibilis*. De his non intelligitur quæſtio, licèt pro complemento doctrinæ aliquid inferius dicemus. Aliud eſt, cuius conditio eſt diſparata, nullam conducentiam habens ad poſitionem eventus: vt *ſi Petrus dormiret, Turca converteretur*: vel *ſi Papa oraret, Turca ſaltaret*: propter quod ſolet dici futurum conditionatum *diſparatum*. Aliud denique eſt, cuius conditio habet aliquam connexionem ad poſitionem eventus.

Quod vlterius poteſt eſſe multiplex. Aliud namque connectitur connexione ſimpliciter neceſſaria cum conditione: vt *ſi ſol luceret, dies eſſet*. Aliud connectitur connexione infallibili, & neceſſaria ex ſuppoſitione cum conditione: vt *ſi Petrus efficaciter moveretur à Deo, conſentiret*. Aliud connectitur cum conditione connexione neceſſaria naturali, non metaphiſica: vt *ſi ignis applicatur paſſo diſpoſito, comburet*. Ad quod poteſt reduci illud, quod habet cum conditione cõnexionem certam moraliter: quod conſiſtet in eo quòd, poſita conditione, effectus ſemper evenit, licèt metaphyſicè poſsit non evenire: vt *ſi Petrus pulſetur graviſsima tentatione, & ſpeciali gratia non adiuvetur, tentationi ſuccumbet*. Aliud denique eſt, cuius conditio habet tantùm connexionem coniecturalem, ſeu probabilem, vt in exemplo Tyriorum, & Sidoniorum.

3 Ex his ſupponendum eſt *primò*, futurum, cuius conditio connectitur neceſſariò abſolutè, vel infallibilitèr cum eventu futuro, ſi ſumatur in vi illationis, cognoſci à Deo certò per ſcientiam neceſſariam, ſeu independenter à decreto libero divinæ voluntatis. Ratio eſt: quia per huiuſmodì ſcientiam cognoſcit Deus veritates neceſſarias; ſed futurum huiuſmodì eſt veritas neceſſaria: ergo. Minor liquet: Tum, quia veritas illius propoſitionis fundatur ſupra bonitatem conſequentiæ, quæ eſt omninò infallibilis. Tum etiam: quia propoſitio prædicta reipsà eſt de poſsibili, licèt enuntietur ſub formula de futuro; & ſic eadem veritas eſt in illa, ſivè efformetur ſub formula de præſenti, aut de præterito, vt perſpicienti conſtabit. Idemque dicendum eſt, ſi decretum efficax Dei aſſumeretur vt conditio: vt in hac, *ſi Deus decerneret efficaciter converſionem Tyriorum, & Sidoniorum, converterentur*. Secùs verò, ſi huiuſmodì decretum non aſſumitur vt expreſſa conditio propoſitionis hypoteticę (licèt reipsà prę ſupponatur) ſed alia valde diverſa, v. g. quòd ſigna, quæ facta ſunt in Corozaim & Bethſaida, fierent in Tyro, & Sidone.

Diverſum iudicium formandum eſt de prędictis propoſitionibus, ſi ſumantur non ſolùm in vi illationis, ſed etiam vt enuntiant aliquid de futuro vt *tali*. Quia ſub hac conſideratione non ſpectant ad ſcientiam neceſſariam Dei, ſed ad libe-

beram : quia veritas enuntiata non eſt de poſsibili, ſed de futuro. Et in hoc ſenſu non ſunt omninò alienæ à conſideratione huius diſputationis.

4 Supponendum eſt *ſecundò*, conditionalem, cuius conditio non connectitur infallibiliter metaphyſicè, eſtò antecedat ad poſitionem effectus, ſi ſumatur in vi illationis, eſſe omninò falſam, & vt *talem* cognoſci à Deo per ſcientiam naturalem. Ratio eſt clara : nam veritas cuiuſcumque propoſitionis, ſi ſumatur in ſenſu illativo, fundatur ſupra bonitatem conſequentiæ ; ſed prædictæ conditionalis conſequentia eſt mala, cùm antecedens non connectatur cum conſequenti : ergo eſt falſa : Iam ſic; ſed conſequentia, quæ ſemel eſt mala, ſemper eſt mala, & neceſſariò fallax : ergo cognoſcitur certò per ſcientiam naturalem. Sed quia prędicta propoſitio poteſt accipi non in ſenſu illativo, ſed quatenus ſolùm enuntiat conditionatum futurum, propterea de illa præcipuè procedit preſens diſputatio.

5 Tandem ſupponendum eſt, Deum per ſcientiam omninò infallibilem ſubiectivè cognoſcere quodlibet futurum conditionatum, vt *futurum* ex vi ſuæ conditionis, eo modo quo ex vi talis conditionis eſt conditionatè futurum. Et ratio deſumitur ex D. Thoma in 1. diſt. 38 quæſt. 1. art. 5. Nam Deus cognoſcit ſcientia infallibili ex parte ſui modum, quo conditio connectitur cum eventu futuro, ſicut cognoſcit infallibiliter modum, quo futura continentur in ſuis cauſis proximis : ergo ſicut, quando cauſa eſt infallibiliter connexa cum eventu futuro, cognoſcit infallibiliter tàm ex parte ſui, quàm ex parte obiecti eventum futurum, & ſicut quando cauſa eſt connexa connexione morali, cognoſcit infallibiliter metaphyſicè in ea, quòd eventus futurus abſolutus erit certò tantùm moraliter, & ſicut quando cauſa habet conducentiam tantùm coniecturalem, cognoſcit infallibilitate metaphyſica, quòd coniecturaliter eveniet effectus ; ita de futuris conditionatis, quorum conditio hoc triplici modo poteſt connecti cum illis, aſſerendum eſt. Hæc profectò indubitata ſunt, & ab omnibus debent ſupponi.

6 Sed aliqui Patres Societatis dubitant erga hanc doctrinam duplici ex capite. *Primò* : quia non agnoſcunt aliud futurum ſivè abſolutum, ſivè conditionatum, niſi quod eſt infallibiliter futurum. Quod probant ex D. Auguſtino, qui lib. 26. contra Fauſtum cap. 4. ſic loquitur: *Tam non poſſunt futura non fieri, quàm non fuiſſe facta præterita.* Et, paucis interiectis: *Quapropter omnia, quæ verè futura ſunt, ſine dubio fient : ſi autem facta non fuerint, futura non erant.* Et ex D. Fulgentio lib. *de Veritate prædeſtin.* cap. 9. vbi ait : *Nullatenus poſſe habere vocabulum* futuri, *quod* præſentis *appellatione non eſt quandoque cenſendum.* Sed per ordinem ad cauſas ſecundas nihil verè poteſt dici, quòd aliquando erit exiſtens : ergo neque verè poteſt denominari *futurum.* || *Secundò*: nam implicat, quòd futuritio cognita ſit aliquando fallibilis, quin cognitio illius ſit ſimili modo fallibilis : ergo ſcientia Dei de his futuris nequit eſſe infallibilis ex parte ſui.

Ad primum, quod tantùm continet difficultatem de voce, aut modo loquendi, reſpondetur, manifeſtè opponi D. Thom. & Ariſt. qui vocabulum *futuri* non denegant effectibus præcontentis in ſuis cauſis ſecundis, eſtò reipsa non eveniant. Nam ita eum appellat D. Thomas *de Malo* quæſt. 16. art. 7. loco ſuprà relato ex lib. Sent. & in præſenti art. 13. Et vterque aliquibus in locis aiunt, id quod futurum eſt, non ſemper fore. Ad teſtimonium autem Auguſtini, & Fulgentij : Dicendum eſt ; ſermonem in eis tantùm eſſe de futuro proprie & ſimplicitèr *tali*, quod dependet à cauſa prima & inevitabili, ſecus verò de futuro improprie, & ſecundumquid *tali.* || *Ad ſecundum* : Reſpondetur, quòd eſtò futuritio ſit fallibilis, ſi tamen cognoſcitur vt *fallibilis*, poteſt cognoſci certò : ſicut ſi futuritio eſſet falſa, infallibiliter poteſt cognoſci à Deo vt *falſa.* Talis ergo eſt cognitio, quam Deus habet de futuro ſivè abſoluto, ſivè conditionato per ordinem ad ſuas cauſas ſecundas aut conditiones, à quibus dependent, quòd evenire non poſſunt aliter, ac cognoſcuntur à Deo: ideoque cognitio Dei eſt infallibilis, non quia infallibiliter eveniet effectus; ſed quia tantùm affirmat, quòd eo modo effectus ſunt futuri, quo continentur in ſuis cauſis ſecundis.

His ita ſuppoſitis : tota difficultas huius dubij, & ferè totius diſputationis eſt de futuris conditionatis, quorum conditio non connectitur metaphyſicè cum illis : An nimirùm Deus ea certò cognoſcat certitudine metaphyſica tàm ex parte ſui, quàm ex parte obiecti ? In quò vnum vt certum habendum eſt, nullum catholicum (quominùs Thomiſtam) aſſerere, Deum non cognoſcere certò futura omnia conditionata, ſub quacumque conditione fingantur, ſi verè ſunt futura. Solùm ergo aſſerit opinio aliquorum Thomiſtarum, non omnia conditionata cognoſci à Deo vt determinatè futura, quia futura non ſunt, eo quòd Deus non habeat decretum erga ea : quod valdè probabile eſt. Sed vt in hac difficultate cum maiori diſtinctione procedamus, in tres dividimus aſſertiones.

§. II.

Aſſertio prima.

7 DIcendum eſt *primò*, Deum certò certitudine metaphyſica non ſolùm ſubiectivè, ſed etiam obiectivè cognoſcere futura contingentia conditionata de conditione

conducenti ad positionem eventus vt determinatè vera, vel vt determinatè falsa. Hanc assertionem communiter defendunt Theologi ex vtraque Schola, præter paucos infrà referendos. Et probatur *primò* ex sacris litteris: Et in primo loco adducimus celebre illud testimonium Lucæ 10. & Matth. 11. vbi dicitur: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.* Huic testimonio consonat aliud æquè vrgens ex 3. Reg. cap. 11. vbi sic habetur: *Non ingredimini ad eas* (Iudæi scilicèt ad filias gentium) *neque de illis ingredientur ad vos; certissimè enim avertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Similesque conditionales habentur alijs in locis, quę possunt videri in N. Salm. in præs. disp. 9 à num. 14. vsque num. 23.

8 Dices *primò* cum Curiele, & Ledesma, his testimonijs prædici futura conditionata, non vt certò metaphysicè futura, sed tantùm coniecturaliter, aut certò moraliter. ¶ Contra est *primò*: quia hęc expositio locum non habet, dum apponitur particula illa *certissimè*, & ex eius rigorosa & propria significatione nullum sequitur inconveniens: quod in præsenti non sequitur, sed maxima perfectio in Deo, vt infra videbimus ¶ *Secundò*: Hæ authoritates de cognitione obiectivè certa, imo & certissima explicantur à SS. PP. & sic intelligit primam D. Augustinus lib. *de Dono perseverantiæ*, cap. 9. quem refert, & approbat D. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 5. ad 2. ¶ *Tertiò*: Nam propterea ex prædictis testimonijs argueretur cognitio tantùm probabilis, aut certa moraliter, quia in pluribus alijs additur particula *fortè*; sed hoc non obstat: Tum, quia in testimonijs proximè relatis non invenitur talis particula, sicut nec in alijs pluribus, sed alia determinatè significans ex se maiorem certitudinem. Tum, quia particula *fortè* non semper minuit certitudinem eventus: & sic in pluribus invenitur, ex vi cuius nequit oriri aliqua dubitatio, vt in illo Act. 8. vbi Petrus loquens ad Simonem Magum ait: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Quem textum sic exponit D. Ambros. *Particulam*, si fortè *apparentem quidem afferre dubitationem, reipsà tamen nullam.* ¶ *Quartò* & *vltimò*: Si ijs, similibusque oraculis non teneremur firmitèr credere futuritionem conditionatam, liberum cuique esset, non obstantibus testimonijs, quibus prænuntiatur peccatum Antichristi futurum, asserere non revelari peccatum, sed probabilitatem, aut certitudinem moralem peccandi, aliasque prędictiones eodem modo eludere: non enim clariùs in istis eventus absolutus prænuntiatur, quàm in relatis testimonijs eventus conditionatus. *Adde*: Nam quamvis per prophetiam comminatoriam plura Deus revelet præcisè iuxta dispositionem causarum secundarum, vt dicit D. Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 6. & quæst. 12. *de Verit.* art. 10. testimonia tamen allegata nullam continent comminationem; sed non est, cur non debeant accipi vt infallibilitèr futura, quatenus testimonia ita se habent. ergo &c.

9 Dices *secundò* cum Ioanne à Sancto Thoma, & Illmo. Palanco locis infrà referendis, ex his testimonijs solùm colligi futura conditionata in Scripturis revelata, aliaque pertinentia ad ordinem huius vniversi cognosci à Deo infallibilitèr; at de reliquis rem esse inexploratam, quia non constat, an Deus formaverit decreta obiectivè conditionata. Sed hęc evasio sufficienter ibit impugnata ex infrà dicendis. ¶ Vlterius probari posset authoritate SS. PP. Sed pro his videantur N. Salm. loco suprà relato disp. 9. à num. 34.

10 Deinde probatur ratione efficaci: Nam nullum est instans reale, in quo propositio conditionalis non habeat determinatam veritatem, aut determinatam falsitatem: ergo nullum est instans reale, in quo Deus omninò certò non cognoscat futurum conditionatum, vel vt determinatè verum, vel vt determinatè falsum. Consequentia nequit negari ab Adversarijs, nisi negando infinitatè scientiæ divinæ, quæ non terminaretur ad omne scibile, eo modo quo est scibile. Antecedens autem probatur: Nullum est instans reale, in quo Deus non decernat positivè circa futurum conditionatum, vel quòd determinatè erit, si ponatur conditio cónducens ad positionem illius, estò non sit infallibilitèr connexa; vel quòd determinatè non erit: ergo nullum est instans reale, in quo propositio conditionalis non habeat determinatam veritatem, aut falsitatem. Antecedens, in quo tantúm potest esse difficultas, præterquàm quòd satis constabit ex dicendis in tract. sequenti, brevitèr ostenditur: Nam nullum est futurum absolutum, nullumque instans reale, in quo Deus non decernat, vel quòd determinatè sit, vel quód determinatè non sit: ergo idem asserendum est de futuro conditionato.

Augetur difficultas valdè vrgens Adversarios: Nam in signo, in quo intelligitur Deum se determinare circa futura sivè absoluta, sivè conditionata, vel decernit absolutè, quód posita conditione existat futurum, vel non decernit; sed quodcumque dicas, futurum conditionatum habet determinatam veritatem, aut falsitatem: ergo Deus omninò certò illum cognoscit. Maior solùm indiget explicatione: nam non negamus, quòd potest in Deo concipi signum, in quo non intelligatur Deus neque positivè decernere, neque carere positivè decreto circa futurum conditionatum, vt est signum prædicatorum essentialium, & possibilium, proindeque pro illo signo neque tale futurum habet deter-

determinatam veritatem, aut falſitatem, non ſecus ac de futuro abſoluto dictum eſt diſp. præcedent. dub. 4. non ſecus etiam ac hæc propoſitio, *Petrus eſt albus*, in ſigno prædicatorum eſſentialium, & præciſivo accidentalium, neque eſt determinatè vera, neque determinatè falſa. Volumus ergo dicere, quòd in ſigno deputato, vt poſitivè decernat eius exiſtentiam, aut carentiam illius, vel debet poſitivè decernere, vel carere omni poſitivo decreto erga illud. Minor verò probatur: Nam ſi in illo ſigno habet Deus poſitivum decretum, quo determinatè decernat poſitionem futuri dependentèr à conditione, vel habet decretum contrarium: ergo propoſitio conditionalis habet determinatam veritatem, aut falſitatem, vt non negabunt Adverſarij: Si autem in eodem ſigno nullum habet poſitivum decretum, ſed verè ſuſpenſivè ſe habet: ergo propoſitio, in qua affirmatur eventus futurus ſub conditione, eſt determinatè falſa; & propoſitio, in qua affirmatur eventus non futurus, eſt determinatè vera.

Et confirmatur: Nam ſicut Deus vidit, quòd conditio prædicationis Chriſti (v. g.) erat indifferens ad converſionem, vel non converſionem Tyriorum; ita etiam vidit, quòd hæc indifferentia auferri poterat per determinationem divinæ voluntatis decernentis eorum pœnitentiam ſub illa conditione; ſed eo ipſo, quòd in ſigno deſtinato ad decernendum converſionem, vel non converſionem nihil poſitivè decernat, tollitur omnis indifferentia ad converſionem, & non converſionem, & potiori titulo ſi poſitivè vnam, vel aliam determinatè decernit: ergo propoſitio conditionalis eſt determinatè vera, aut determinatè falſa, & vt talis eſt certò cognoſcibilis à Deo. Minor probatur: Nam tunc tollitur indifferentia ad converſionem, & non converſionem, quando Deus nequit habere volitionem circa converſionem eventus futuri ſub conditione; ſed eo ipſo, quòd in ſigno deſtinato ad decernendam determinatè converſionem, aut non converſionem, Deus poſitivè nihil decernat, Deus iam nequit habere volitionem, aut nolitionem poſitivam circa talem converſionem, aliàs Deus eſſet mutabilis, & actus eius non eſſet æternus: ergo tollitur omnis indifferentia ad converſionem, & non converſionem.

§. III.

Duplex alia aſſertio.

11 DIcendum eſt *ſecundò*, Deum cognoſcere infallibiliter omnia conditionata diſparata, ſeu futura quæ enuntiantur ſub aliqua conditione impertinenti ad poſitionem eventus: vt *ſi Petrus dormiret, Turca converteretur*, ſumpto ly *ſi* dependenter ab ordine, & diſpoſitione divini decreti; ſecùs verò ſi ſumatur in vi illationis. Hæc ſecunda pars facilè conſtat ex dictis num. 4. Nam conditionalis affirmativa, ſumpto ly *ſi* in vi illationis, affirmat, eventum ex conditione inferri, aut ab illa cauſari, vel dependere; at ex conditione impertinenti vt *tali* non infertur, nec cauſatur, nec propriè dependet, aliàs non eſſet impertinens: ergo conditionalis affirmativa de conditione impertinenti, ſi particula *ſi* in vi illationis ſumatur, ſemper eſt falſa, ſicut de propoſitione coniecturaliter tantùm conducenti ſupra dictum eſt: proindeque tantùm à Deo cognoſcitur vt determinatè falſa, & per ſcientiam naturalem.

Sed objicies, pro huius maiori luce: Nam hæc affirmativa, *ſi Petrus dormiret, Turca converteretur*, in ſenſu cauſali, aut illativo iuxta nos ſemper eſt falſa: ergo eius contradictoria, nempè hæc, *ſi Petrus dormiret, Turca non converteretur*, ſemper eſt vera: quod tamen dici non poteſt: nam ſicut converſio Turcę neque infertur, neque cauſatur ex dormitione Petri; ita nec carentia converſionis cauſatur ex dormitione. ¶ Reſpondetur, eas propoſitiones in ſenſu illativo non eſſe contradictorias, ſed vtranque eſſe affirmativam, & falſam: nam per primam affirmatur dependentia converſionis à dormitione Petri, per ſecundam affirmatur dependentia carentiæ converſionis ab eadem dormitione; & vtrunque eſt falſum. Quapropter, ſi dialectica elementa conſulimus, in conditionalibus huiuſmodi contradictorium propoſitionis affirmativæ formari debet per negationem cadentem non quidem ſupra conditionatum, ſed ſupra conditionem, & particulam *ſi*: vt ſi dicas; *ſi Petrus dormiret, Turca converteretur*: *non ſi Petrus dormiret, Turca converteretur*: in quibus non affirmatur, & negatur abſolutè converſio Turcæ, ſed dependentia eius à ſomno. Hoc igitur modo intellectæ ſunt contradictoriæ: quia in vi illationis in vna affirmatur, quòd conditionatam habet dependentiam à conditione; quod eſt falſum, & vt tale cognoſcitur per ſcientiam naturalem: & in alia negatur; & hoc eſt veriſimum, & cognoſcitur per eandem ſcientiam naturalem.

12 Quoad primam, & præcipuam partem facilè probatur: Nam nulla implicatio datur in eo, quòd ex natura ſua impertinens, fiat pertinens & conducens ex ordinatione divina; ſed defactò Deus poſuit dependentiam in aliquo effectu à conditione ex natura ſua impertinenti: ergo Deus certò cognoſcit futura conditionata diſparata vt determinatè vera, vel vt determinatè falſa. Maior patet: Nam quis prohibere poteſt, quòd Deus pro ſuo libitò ponat dependentiam alicuius effectus ab aliqua conditione impertinenti, & ex ſe nullo modo conducenti? Minor liquet: Tum in illa prophetia Eliſæi ad Regem Iſraël, quæ adducitur 4. Reg. cap. 13. vbi dicitur: *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies*

sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem. Etenim percutere iaculo terram septies ex se impertinens erat ad devastationem Syriæ, sed multùm conducebat ex ordinatione divina, qua nimirùm alligaverat devastationem Syriæ percussioni terræ, tanquam signo illius. Tum etiam in aqua: cuius ablutioni alligavit Deus peccati originalis remissionem, quamvis ipsa remissio nullam ex natura sua connexionem habeat cum ablutione corporali per aquam. Tum denique in mysterio Incarnationis: quam Deus disposuit sub conditione, quòd primus homo peccasset, vt tradit D. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 3. Et certum omninò est, quòd peccatum impertinenter se habet ad Incarnationem, imò potiùs ex se avertit Deum ad præstandum hoc maximum beneficium.

Et confirmatur ex dictis pro præcedenti assertione: Nam eadem quoad præsens est ratio de futuris conditionatis, quorum conditio non habet infallibilem connexionem cum positione effectus, estò habeat aliquam conducentiam, ac de futuris conditionatis quorum conditio caret omni connexione & conducentia intrinseca; sed futura conditionata, quorum conditio non habet connexionem metaphysicam cum eventu, sed tantùm coniecturalem, sunt determinatè vera vel falsa ex dispositione divina: ergo idem asserendum est de futuris sub conditione disparata. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Quia neutrum futurum ex natura sua habet infallibilem nexum cùm conditione; aliàs connexio coniecturalis ex se non est sufficiens ratio ad futuritionem determinatam effectus: ergo eadem ratio est de futuris vtriusque generis.

13 Dicendum est *tertio*, futura conditionata de conditione impossibili cognosci certò à Deo per scientiam naturalem, quando conditionatum, quod enuntiatur, habet necessariam connexionem cum conditione: vt in hac, *si lapis esset homo, esset rationalis*: idemque dicendum est de conditionatis, quæ repugnantiam metaphysicam habent cum conditione: vt in hac, *si Petrus esset lapis, esset rationalis*: Futura verò conditionata, quorum conditio contingenter se habet ad vtrumlibet, non posse certò a Deo cognosci: vt in hac, *si lapis esset homo, eligeret statum Religionis.* Et quoad primam partem probatur: Deus comprehensivè cognoscit per scientiam naturalem non solùm omnia possibilia absoluta, sed etiam omnia possibilia conditionata, omniaque impossibilia tàm absoluta, quàm conditionata; sed futura conditionata, quæ habent nexum essentialem cum conditione potius pertinent ad statum possibilitatis sub conditione de impossibili, quam ad statum futuritionis, licèt propositio conditionalis enuntietur sub formula de futuro, in cuius signum videmus, quòd sivè formetur sub formula de præsenti, aut de præterito, aut de futuro, eandem veritatem habet: ergo certò cognoscuntur à Deo per scientiam naturalem. *Adde:* Quòd similes propositiones communiter accipiuntur in vi illationis; sed in vi illationis necessariò sunt veræ, aut falsæ: ergo cognoscuntur à Deo per scientiam necessariam. Si autem accipiantur vt enuntiantes aliquid de futuro, non in vi illationis, necessariò sunt falsæ, & impossibiles, propter rationem proximè applicandam futuris conditionatis sub conditione impossibili tantùm conducenti, & vt tales cognoscuntur à Deo per eandem scientiam naturalem.

14 Quoad secundam partem etiam probatur: Nam quod nullam determinatam veritatem habere potest vel ex se, vel ex determinatione divina, nequit certò cognosci à Deo nisi vt impossibile, sed futura conditionata de conditione impossibili, conducenti tamen ad positionem effectus, non possunt vllam determinatam veritatem habere vel ex se, vel ex dispositione divina ergo. Minor probatur: Nam in primis ex tali conditione conducenti non sequeretur potius electio status Religionis quàm carentia illius, vt suprà probatum est: Deinde Deus nequit id determinare: Tum, quia tale decretum ridiculum, & absurdum videtur: tùm, quia Deus nequit conditionatè decernere id, quod non potest decernere absolutè; sed nequit absolutè decernere, quòd lapis homo eligat statum Religionis, vt ex se liquet: ergo neque conditionatè id potest decernere. Tum denique: Nam si Deus posset habere decretum de futuris sub hypothesi, & conditione impossibili, seriò posset decernere, quid ipse faceret, si esset peccabilis: vel an resisteret aut succumberet alteri Deo, sub conditione, quòd iste existeret; sed hæc monstra cadere vix possunt in hominem falsis imaginationibus delusum, vel saltem sui compotem: ergo multò minùs in Deum.

§. IV.

Opposita Oppinio.

15 PRO sententia duabus primis assertionibus opposita communiter refertur Ledesma lib. *de Auxilijs* disp. 2. *de Scientia futurorum contingentium* difficultat. secunda, quam etiam defendit Curiel controv. 7. & vt probabiliorem amplectitur N. Cornejo disp. 3. dub. 2. cuius probabilitatem nec nos possumus negare in sensu explicato num. 6. quidquid Patres Societatis proclament. Et ne molesti simus in citandis Authoribus, non referimus pro hac sententia plures ex illis tàm antiquis quàm modernis, qui non distinguunt inter futura conditionata de conditione conducente, & disparata, & alios multò plures distinguentes inter illa, & asserentes futura de conditione disparata à Deo certò non cognosci. Huic sententiæ

tix ex parte ſuffragatur Ioannes à Sancto Thoma, qui in præſ. diſp. 20. art. 2. num. 4. & 33. eſtò concedat, futura conditionata revelata in Scripturis, aliaque pertinentia ad ordinem huius vniverſi cognoſci à Deo infallibiliter; aſſerit tamen de reliquis rem eſſe inexploratam, quia non conſtat Deum habere decreta conditionata erga omnes combinationes poſsibiles: quem ſequuntur aliqui Recentiores, maximè Illmus. Palanco in præſ. quæſt. 6. art. 7.

Arguitur *primò* pluribus teſtimonijs ſacræ Scripturæ, vbi Deus enuntiat eventus conditionatos futuros appoſitis particulis *fortè, fortaſsis, forſitan*, quæ incertitudinem ex parte obiecti ſignificant: Sic Gen. 3. Deuter 4. Math. 11. ¶ Et confirmatur ex cap. 4. Exodi, vbi cùm Deus Moyſi concederet virgam illam mirabilem ad Hebræorum fidem conciliandam, & ad Pharaonem per miracula ad populi libertatem flectendum, ita ait: *Si non crediderint tibi, nec audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. Quòd ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint &c.* Ecce quomodò ſecundo ſigno fidem adhibendam eſſe affirmat Dominus; & tamen id ipſum in dubium revocat: ergo illum eventum non cognovit certò, ſed tantum coniecturaliter, attenta ſcilicèt cauſarum diſpoſitione, & ſignorum ſufficientia.

Ad argumentum ſatis conſtabat ex dictis num. 8. Sed reſpondetur *primò* cum D. Hieronym. in cap. 26. Ierem. vbi ait: *Verbum ambiguum* forſitan *maieſtati divinæ non poteſt convenire, ſed noſtro loquitur affectu, vt liberum hominis ſervetur arbitrium.* ¶ Reſpondetur *ſecundò* cum D. Auguſt. qui tract. 37. *in Ioan.* nem ait, particulas illas non eſſe verba dubitationis, ſed increpationis. *Quando dicit* forſitan, *non dubitat, ſed increpat. Dubitationis verbum eſt, cùm dicitur ab homine, ideo dubitante, quia neſciente. Quando verò dicitur à Deo, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas.* ¶ Tandem reſpondetur cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 171. art. 6. ad 1. quòd quamvis Deus de futuris abſolutis, aut conditionatis non ſolùm cognoſcat ordinem, quem cauſæ ſecundę dicunt ad eorum productionem, ſed etiam eventum ipſum, & exitum ordinis; aliquando tamen ſolùm revelat ordinem, ſeu inclinationem cauſarum ſecundarum, non verò exitum ipſum, qui interdum contrarius eſſe videtur prædictioni, licèt reipsa non ſit, propter modificationem aliquam, quæ in divina locutione ſubintelligitur. Idque, ait, plerumque accidere in revelationibus comminatorijs. Id ipſum clariùs docet *de Verit.* quæſt. 12. art. 10. in corp. & ad 2.

Ad confirmationem eodem modo reſpondetur, revelationem ſcilicèt Moyſi factam eſſe iuxta ſenſum prophetiæ comminatoriæ, & attenta cauſarum ſecundarum inclinatione, & ſufficientia ſignorum, quibus tunc Deus vtebatur vt eorum terrore, & quaſi minis inducerentur Ægiptij ad populi hæbraici libertatem, & Iudæi ad Moyſi fidem habendam. Ex quo nullo modo inferri valet, Deum certò eventum non præſci iſſe: aliàs Deus non cognoſceret certò illa futura, quæ ad ſtatum abſolutum tranſeunt, qualis erat fides à Iudęis habenda, & duritia Pharaonis; cuius oppoſitum planè conſtat ex capitibus ſequentibus.

16 Arguitur *ſecundò* ex D. Auguſtino: qui cap. 14. *de Prædeſtin. SS.* exponens illud Sapientiæ cap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius*, ſic ait: *Dictum hoc eſt ſecundum pericula huius vitæ, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Idem docet lib. 1. *de Anima, & eius origine* cap. 12. vbi inquit: *Ipſa exinanitur præſcientia omnino, ſi quod præſcitur, non erit: quomodò enim dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum*: ergo Auguſtinus palàm negat Deo præſcientiam futurorum ſub conditione.

Reſpondetur, omninò indubitatum eſſe apud Auguſtinum Deum habere certam præſcientiam malitiæ illius iuvenis, ſi diutiùs viveret; & oppoſitum non niſi *perverſiſsimè*, & *inſaniſsimè* poſſe dici aſſerit lib. *de Correct. & gratia* cap. 8. exponens eundem textum, cuius verba videri poſſunt in N. Salmant. in præſ. diſp. 9 num. 35. Unde dum lib. *de Prædeſtin. SS.* dicit, verba illa non accipienda eſſe *ſecundùm præſcientiam Dei, ſed ſecundùm pericula huius vitæ*, intelligendus eſt iuxta occaſionem, & intentum, in quo ea verba protulit: Intentum autem eius erat ſe opponere Maſilienſibus aſſerentibus homines puniendos eſſe, aut præmiandos propter bona, vel mala opera præcisè conditionata, ſi diutiùs viverent, quaſi ſi eſſent abſoluta peccata, aut abſolutè merita. Contra quos arguens S. Parens poſt varias authoritates, & rationes oſtendit per prædicta verba, nullum demereri, aut mereri propter opera, quæ faceret data aliqua hypotheſi, ſed propter opera, quæ omninò & abſolute fecit. Aliam expoſitionem adducunt prædicti Patres num. 39. quam ſequuntur alij Thomiſtæ, ſed illam differimus ad diſput. ſequentem, quia quoad præſens data eſt ſufficiens.

17 Arguitur *tertiò*: Nulla futura conditionata ſive de conditione conducenti, ſive de diſparata habent certam, & determinatam veritatem, aut falſitatem: ergo certò non ſciuntur à Deo. Antecedens probatur: Veritas conditionalis in illatione conſiſtit, vt ſæpè docet D. Thomas; ſed in prædictis conditionatis conditio non habet illationem infallibilem cum eventu, aliàs non eſſent contingentia conditionata: ergo non habent certam & determinatam veritatem.

Et

Et confirmatur : Nam propositio conditionalis de futuro contingenti, vel facit sensum, quòd ita esset; estò Deus non voluisset, vel præscinditur in ea à decreto, vel subintelligitur decretum : Si dicas primum, vel secundum, est omnino falsa, & impossibilis, & vt talis cognoscitur à Deo per scientiam naturalem : quia cùm eventus debeat esse effectu Dei, nequit poni excluso decreto, vel eo præciso : Si dicas tertium: ergo est necessaria, vt constat ex dictis num. 3. ac proinde cognoscitur à Deo per scientiam naturalem : ergo nulla datur contingenter vera.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dic, quòd ad veritatem determinatam futuri conditionati sufficit, quòd fundetur in illatione, quam eventus habet cum conditione vel ex vi prædicatorum essentialium, vel ex vi decreti divini. Proindeque semper verificatur, quòd veritas illius consistit in vi illationis; aliter tamen & aliter, nam ad veritatem propositionis sub conditione connexa essentialiter sufficit ipsa conditio; sed ad veritatem conditionalis de futuro contingenter dependenti à conditione requiritur decretum Dei, ratione cuius conditio habet infallibilem connexionem cum eventu futuro, & sic potest certò cognosci à Deo.

Ad confirmationem respondetur, quòd propositio conditionalis non habet veritatem excluso, vel præciso decreto, bene tamen eo subintellecto signatè. Neque ad veritatem illius determinatam requiritur, quòd ex parte conditionis, sive ex parte ipsius effectus conditionati ponatur expressè ipsum decretum, quia tunc pertineret ad scientiam naturalem, vt rectè probat argumentum, & nos supponimus: neque requiritur ad veritatem illius, quòd subintelligatur decretum, quia, adhuc posito decreto ex parte conditionis, manet effectus conditionatus indifferens; sed sufficit, quòd subintelligatur decretum ex parte ipsius effectus: ac proinde facit hunc sensum, *si Tyri* (v. g.) *vidissent opera Christi, pœnitentiam agerent, Deo volente & determinante ipsam pœnitentiam.* Et ob hanc rationem propositio secundùm se manet contingens, & non necessaria : contingens enim est, quòd, illis videntibus opera Christi, Deus determinet pœnitentiam, cùm possit determinare carentiam illius, sicut determinavit in Bethsamitis. Hæcque eadem doctrina applicanda est propositioni conditionali de conditione disparata.

18 Arguitur *quartò* : nam scientia conditionata plures includit imperfectiones: ergo non datur in Deo. Antecedens probatur : Quia in primis particula *si* est nota compositionis, proindeque Deus componeret conditionatum cum conditione. Deinde importat discursum : siquidem idem valet dicere, *si sol lucet, dies est*, ac dicere, *sol lucet ergo dies est*. Insuper dicit cognitionem nihil affirmantem, aut negantem circa existentiam conditionis. Importat rursùs quandam intellectus suspensionem, imo fictionem aliquam, quatenus nimirùm conditio apprehenditur aut assumitur, tanquam si existeret, cùm reipsà non existat. Tandem importat ineptitudinem, & otiositatem: quia Deus habet scientiam absolutam de existentia, vel non existentia conditionis & conditionati : sicut si quis videret solem lucentem, non nisi otiosè & ineptè diceret, *si sol lucet, dies est*. Adde : Nam iudicium, quod ex natura sua est practicum, & nullum sortitur effectum, imperfectum est; sed talis est cognitio conditionatorum: ergo imperfecta.

Hæc absurda intulit Claudius Typhanius novissimus Societatis scriptor, qui *Anonymus* de ordine solet nuncupari. Sed hoc argumentum retorquetur in primis in arguentem : Nam ipse concedit scientiam coniecturalem conditionatam : hanc enim nullus catholicorum negare potest, sicut negare non valet, quòd Deus comprehensivè cognoscat quamlibet causam creatam, quæ multoties solùm contingenter connectitur cum effectu; & tamen non concedet sequi ex hac cognitione coniecturali absurda suprà adducta. Præsertim quia cognitio præcisè coniecturalis ex suo conceptu formali imperfectior multò est, quàm infallibilis. Item hæc absurda militant contra scientiam de conditionatis necessarijs; quæ catholicè negari non potest.

Deinde probatur, prædictas imperfectiones non esse communes omni scientiæ conditionatæ, sed creatæ & humanæ proprias. Nam, vt benè docet D. Thomas in præs. art. 14. quamvis intellectus divinus ex parte obiecti cognoscat enuntiationem, discursum, compositionem, & coniecturas nostras; non tamen cognoscit enuntiando, componendo, discurrendo, aut coniecturalitèr attingendo, sed simplici, & firmo intuitu, & ab omni imperfectione puro cognoscit eandem veritatem conditionatam, quam nos imperfecto modo cognoscimus. Per quod constat ad primum, secundum, & tertium absurdum.

Ad quartum respondetur, quòd licèt pro signo antecedente purificationem conditionis cognitio divina maneat suspensa circa existentiam conditionis & conditionati, non tamen manet absolutè suspensa : quia suspensio importat cognitionem vnius formalitatis, & non alterius, dum cognoscibilis est : futura autem conditionata pro signo antecedenti absolutam existentiam illorum solùm cognoscibilia sunt conditionatè, & in hoc signo ita cognoscitur conditio, quòd simul cognoscitur ipse effectus conditionatus : & sic nulla suspensio est in intellectu, in his quæ cognoscibilia sunt pro illo signo : In sequenti verò signo, in quo purificatur conditio,

tio, & determinatur absolute effectus, totum etiam cognoscitur a Deo simplici intuitu. Et quando res ita contingunt, non datur in intellectu imperfectio suspensionis: Sicuti si dicamus, quòd cognitio principiorum in quodam signo antecedit cognitionem conclusionum; sed, vt re egetur à Deo omnis vmbra imperfectionis, sufficit, quód cognitio ipsa principiorum vel includat cognitionem conclusionum, vel in toto instanti reali sit cognitio illarum.

Ad quintum inconveniens respondetur, quód si Deus non haberet decretum conditionatum de conversione Tyriorum sub conditione indifferenti, sed tantùm absolutum, fatemur equidem, quòd scientia conditionata esset inepta, otiosa, imo & impossibilis: si autem pro signo antecedenti decretum absolutum ex parte obiecti habet decretum conditionatum, nullatenus debet dici *inepta*, & *otiosa*, sed omninò *necessaria*: quia necessarium est Deo cognoscere certò, quidquid cognoscibile est. Quòd autem huiusmodi decretum non sit otiosum, & ineptum constabit ex infrà dicendis.

Ad additamentum respondetur, quòd licèt iudicium practicum absolutum, quod nullum reipsà sortitur effectum, imperfectum sit; iudicium tamen practicum absolutum ex parte subiecti, & conditionatum ex parte obiecti, nullam imperfectionem habet, ex eo quòd reipsà non ponat effectum, sed sufficit, quòd illum poneret, si existeret conditio: hoc enim est proprium genium huiusmodi iudicij, quòd ei repugnet ponere absolutè effectum; aliàs non esset conditionatum, sed omnibus modis absolutum.

19 Vltimò arguitur: Nam prefata futura vel cognoscuntur certò in seipsis, vel in suis causis; neutrum dici potest: ergo non cognoscuntur à Deo certò. Maior liquet: quia sicut non est alius modus essendi, ita nec cognoscendi obiectum. Minor verò quoad primam partem ostenditur: Nam in se nihil sunt: ergo nequeunt cognosci in seipsis. Quoad secundam etiam probatur: Nam causa est indifferens ad vtrumlibet: ergo nequeunt cognosci certò in suis causis.

Confirmatur: Prædicta futura nequeunt cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ, quia hæc terminatur ad res purè possibiles, & necessarias: neque per scientiam visionis, quia hæc terminatur ad res existentes determinatè in aliqua differentia temporis: ergo per nullam scientiam divinam certò cognoscuntur à Deo.

Ad argumentum respondetur, quód huiusmodi futura cognoscuntur in suis causis, & in seipsis: in suis causis, quia cognoscuntur certò in decreto divinæ voluntatis, in quo habent *esse* determinatum ad *esse*, sub hypothesi quòd existat conditio: ex quo infertur, quòd cognoscantur certò in causis secundis, prout subsunt prædicto decreto. Cognoscuntur etiam in seipsis secundùm *esse* reale obiectivum, quod resultat ex decreto. Quid sit hoc *esse* obiectivum, infrà explicabimus. ¶ Ad confirmationem satis constat ex dictis disp. 2. à num. 32. Sufficiat nunc notare, quòd argumentum, & maxime confirmatio possunt retorqueri in Aduersarios, vtpotè concedentes Deo cognitionem coniecturalem horum futurorum, vt intuenti perspicuè constabit.

DUBIUM II.

Vtrùm pro priori ad decretum, subiectivè in Deo existens, possit ipse certò metaphysicè futura conditionata cognoscere?

HÆC est controversia illa, quæ inter Patres Societatis & Venerabiles Alumnos Ordinis Prædicatorum attrocissimum bellum invexit, omnes Academias commovit, & vniversalem Ecclesiam non parùm occupavit. Hęc est illa, ex qua tàm plures, tàm graves, tàm necessariæ, & contrarię deducuntur illationes circa divinam scientiam, providentiam, prædestinationem, omnipotentiam, & eius gratiam, necnon circa nostram libertatem, & meritum, vt fermè pro eius diversitate diversa sit Theologia. Sed quia omnia, quæ in præsenti dicenda forent, præventa manent ex dictis disput. præced. *per totam*, hìc solùm tangemus ea, quę ad futura conditionata spectant, quæ vnica assertione complectimur. Pro qua sit:

§. I.

Sententia Thomistica.

20 DIcendum est, ex principijs scientię mediæ, quæ negant necessitatem decreti actu in Deo existentis ad hoc, vt Deus certò metaphysicè futura conditionata cognoscat, sequi certò ea non cognoscere. Quę assertio intelligenda est tàm de futuris conditionatis, quæ transeunt ad statum absolutum, quàm de illis, quæ remanent in statu pure conditionato. Estque communis omnium Thomistarum: quibus suffragantur plures Scotistæ.

Et probatur *primò* ratione: Nam implicat, Deum certò cognoscere vt conditionatè futurum, quod futurum non est; sed pro priori ad decretum actu in Deo existens futurum conditionatum futurum non est: ergo pro priori ad decretum nequit Deus certò illud cognoscere. Minor probatur: Implicat, aliquid sivè absolutè, sivè conditionatè esse futurum, quin transeat de statu merè possibilitatis ad statum futuritionis; sed pro priori ad decretum nullum futurum potest transire de statu merę possibilitatis ad statum futuritionis: ergo. Minor probatur: Implicat, aliquid transire de statu merę possibilitatis ad statum futuritionis, nisi, quando fit huiusmodi transitus, detur

detur actu aliqua causa efficiens illius transitus; sed pro priori ad decretum Dei actu existens nulla causa datur efficiens illius transitus: ergo pro priori ad decretum Dei actu existens nullum futurum potest transire de statu possibilitatis ad statum futuritionis. Maior probatur (deinde probanda minor) Tum, quia *esse conditionatè futurum* est novus effectus distinctus ab *esse merè possibili*; sed implicat poni in rerum natura aliquem effectum absque causa actu existenti, dum ponitur talis effectus: ergo implicat aliquid transire de statu meræ possibilitatis ad statum futuritionis, nisi detur aliqua causa efficiens transitus illius. Tum etiam: nam implicat, quòd, dum actu est aliqua denominatio vera realis creata, non detur actu causa vera & realis illius denominationis; sed *rem esse futuram* est actu vera realis denominatio creata distincta à denominatione *merè possibilis*: ergo &c. Tum denique: nam *rem esse futuram* est esse actu determinatam, vt potiùs sit, quàm non sit; sed implicat, quòd dum res actu est determinata, vt sit, non detur causa actu efficiens huius determinationis: ergo &c. ¶ Deinde probatur minor: Nam huiusmodi causa vnica nequit esse voluntas creata. Tum, quia hęc ab æterno non existit; transitus autem ille est ab æterno. Tum, quia repugnat aliquis effectus creatus vnicè dependens à causa creata; alias subtraharetur à dominio & providentia Dei. Neque potest esse ipse Deus; alias proveniret ab eo necessariò, vt ex se liquet: ergo pro priori ad decretum Dei actu existens nulla datur causa actu efficiens illius transitus.

21 Huic rationi, quæ valdè torquet ingenia Iesuitarum, miris modis respondent. Communior autem eorum solutio docet, quòd, vt aliquid transeat de statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ, non requiritur aliqua causa efficiens actu existens ab æterno, sed sufficit, quòd existeret causa, si existeret effectus: quia ad effectum, qui modò non est, nec aliquando erit, sed solùm esset sub conditione, non requiritur causa, quæ modò sit, sed sufficit causa, quæ esset. Hæc solutio continet ingeniam Recentiorum mentem.

Sed contrà est *primò*: Nam de futuris conditionatis non solùm verificatur, quòd essent, si poneretur conditio, sed etiam verificatur, quòd erunt, si ponatur conditio: ergo requiritur causa actu existens, vt aliquid transeat à statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ. Antecedens probatur ex illo 1. Reg. cap. 23. vbi interrogante David: *Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui mecum sunt, in manus Saul?* responsum accepit: *Tradent.* Vbi enuntians Deus traditionem conditionatam Davidis, & nunquam extituram, non dicit *traderent*, sed *tradent*: ergo de futuris conditionatis, quæ nunquam erunt, verificatur, quòd absolutè erunt, si ponatur conditio.

Secundò (& simul præcedens impugnatio explicatur) Nam vt futurum absolutum transeat à statu possibilitatis ad statum futuritionis absolutæ requiritur decretum Dei actu & ab æterno existens: ergo etiam requiritur decretum Dei actu & ab æterno existens, vt aliquid transeat à statu possibilitatis ad statum futuritionis sub conditione. Antecedens est omninò certum adhuc inter Aduersarios, pro quo recolantur, quę diximus disp. præced. num. 27. Et consequentia probatur: Nam sicut de futuro conditionato non verificatur de præsenti, quòd est, sed quòd erit, si ponatur conditio, ita de futuro absoluto non verificatur de præsenti quòd est, sed quòd erit; hoc non obstanti, ad eius transitum de statu possibilitatis ad statum futuritionis non sufficit decretum, quòd erit, sed requiritur decretum, quòd actu est ab æterno: ergo, non obstanti quòd de futuro conditionato verificetur tantùm, quòd erit, si ponatur conditio, ad eius transitum de statu possibilitatis ad statum futuritionis sub conditione requiritur decretum Dei actu existens ab æterno.

Explicatur hoc: Nam de futuro absoluto non solùm verificatur ab æterno, quòd transibit in statum futuritionis, sed etiam quòd ab æterno transit ad illum statum: ergo etiam de futuro conditionato verificatur ab æterno, quòd transit in statum futuritionis sub conditione, & non solùm quòd transiret. Hoc enthymema videtur omninò certum: aliàs ab æterno neutrum futurum esset futurum, sed tantùm possibile, hoc est, in potentia vt sit futurum. Iam sic; sed vt futurum absolutum transeat ab æterno à statu possibilitatis ad statum futuritionis absolutæ omninò requiritur decretum ab æterno existens: ergo idem de futuro conditionato asserendum est.

22 Nec valet, si dicas, futuro absoluto, formaliter immediatè & attenta indigentia ipsius, sufficere decretum, quòd erit: imo effectui merè possibili, attenta indigentia ipsius, sufficere possibilitatem omnipotentię, & ex meritis horum effectuum non requiri ab æterno existentiam omnipotentię, seu decreti. Uerùm, cùm titulo perfectionis infinitæ Deo conuenientis idem sit in omnipotentia esse possibilem, ac actu & necessariò esse, & in decreto Dei idem sit existere aliquando, ac existere semper; ideo vtriusque actualis existentia mediatè saltèm, identicè, & ratione infinitatis postulatur ab effectu possibili, & ab effectu absolutè futuro. At quia futurum conditionatum plerumque non existet, sed tantùm existeret, si poneretur conditio, minimè postulat aliquando existentiam exercitam decreti, sed tantùm conditionatam, proindeque non requiritur, quòd actu existat ab æterno adhuc identicè.

Sed contrà est *primò*, incipiendo á creaturis possibilibus: Nam implicat, aliquid dici,

&

& eſſe actu ab æterno poſsibile, quin ex meritis ipſius poſsibilis exiſtat actu & ab æterno omnipotentia: ergo implicat etiam aliquid dici, & eſſe actu ab æterno futurum ſivè abſolutè, ſivè conditionatè, quin actu ab æterno exiſtat cauſa illius ex indigentia ipſius futuri. Antecedens probatur: Tum, quia implicat aliquid eſſe poſsibile, quin ex meritis ipſius poſsibilis exiſtat ab æterno Deus ſecundum ſuam eſſentiam, ſecundùm quam eſt cauſa radicalis omnium poſsibilium: ergo etiam poſsibile ex ſui indigentia petit exiſtere ab æterno omnipotentiam. Antecedens probatur: Nam ſemper ac verificatur poſsibile, verificatur poſſe participare eſſentiam divinam: ergo in quocumque ſigno, quo poteſt illam participare, verificatur eſſentiam divinam exiſtere: nam ab eo, quod nihil eſt, nihil poteſt participari: tunc ſic; ſed eo ipſo, quòd verificetur actu & ab æterno de aliquo, quòd eſt poſsibile, ab æterno verificatur actu, quòd poteſt participare eſſentiam divinam; quia nullum aſsignabile eſt inſtans, in quo non poſsit participare eſſentiam divinam, aliàs iam daretur inſtans, pro quo non poſſet exiſtere, proindeque non eſſet poſsibile, quatenus pro omni inſtanti poteſt exiſtere, ſed quatenus eſt poſsibile, vt exiſtat in aliquo inſtanti determinato: ergo implicat aliquid eſſe poſsibile, quin ex meritis ipſius Deus exiſtat actu ab æterno ſecundùm ſuam eſſentiam. Tum etiam (& demus gratis, quòd nulla creatura poteſt exiſtere ab æterno, licet omnis creatura ſit poſsibilis ab æterno) Nam ſi effectus poſsibilis ex meritis proprijs non peteret cauſam actu ab æterno exiſtentem, non haberet actu ab æterno aliquid, per quod diſtinguerentur à futuro; ſed poſsibile vt *poſsibile* habet aliquid, per quod diſtinguatur actu & ab æterno à futuro vt *futuro*: ergo ex meritis proprijs petit cauſam actu ab æterno exiſtentem. Minor videtur certa: quia futurum vt *futurum* eſt in ſtatu diverſo à ſtatu poſsibilitatis, eſtque iam determinatum ad exiſtendum, quod non habet poſsibile vt *poſsibile*. Maior verò probatur: Nam ſi non petit cauſum actu ab æterno exiſtentem, ſolùm poteſt dici poſsibile ab exiſtentia poſsibili ipſius, vel à potentia poſsibili vt *poſsibili*; idemque dicendum eſt de futuro vt *futuro*, proportione ſervata; ſed exiſtentia poſsibilis vt *poſsibilis*, & potentia poſsibilis vt *poſsibilis* nihil reipsà ſunt: ergo nihil actu haberent, per quod actu ab æterno diſtinguerentur. ¶ *Adde*: Quia ſupradicta doctrina manifeſtè opponitur D. Thomæ infrà quæſt. 46. art. 1. ad 1. vbi ait: *Dicendum, quòd antequam mundus eſſet, poſsibile fuit mundum eſſe, non quidem ſecundùm potentiam paſsivam, quæ eſt materia, ſed ſecundùm potentiam activam Dei.* Ergo, vt aliquid dicatur actu poſsibile, requiritur, quòd actu exiſtat potentia Dei, à qua dicitur *poſsibile*. || *Maximè*: Quia ſi poſsibile vt *poſsibile* non peteret ex meritis proprijs omnipotentiam actu & ab æterno exiſtentem, non poſſet certò à Deo cognoſci, niſi in ſeipſo, cùm non poſſet cognoſci in cauſa actu exiſtenti; hoc autem repugnat, vt ſatis probatum manet in diſp. 1. dub. 5. ergo.

23 Contrà eſt *ſecundò*, (ſpecialitèr arguitur de futuro ſivè abſolutò, ſive conditionato) tum ex D. Thoma in hac 1. part. quæſt. 16. art. 7. ad 3. vbi ait: *Illud, quod nunc eſt, ex eo futurum fuit, antequam eſſet, quia in cauſa ſua erat, vt fieret: vnde ſublata cauſa non eſſet futurum, illud fieri. Sola autem cauſa prima eſt æterna: vnde ex hoc non ſequitur, quòd ea, quæ ſunt, ſemper fuerit verum ea eſſe futura, niſi quatenus in cauſa ſempiterna fuit, vt eſſent futura; quæ quidem cauſa ſolus eſt Deus.* Ergo, iuxta D. Thomam, futurum vt *futurum*, ſivè conditionatè, ſivè abſolutè, vel futurum verè ab æterno non eſt, vel ex meritis proprijs petit cauſam actu & ab æterno exiſtentem. Idem colligitur ex his, quæ docet in 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 5. ad 2. vbi ait: *Futurum contingens non eſt determinate verum, antequàm fiat, quia non habet cauſam determinatam* (loquitur de cauſa creata) Si ergo non eſt determinate futurum, quia non habet cauſam determinatam, manifeſtum eſt, quòd ex meritis proprijs petit cauſam actu exiſtentem & determinatam, vt ſalvetur verificativum veræ, & infallibilis futuritionis. Non minùs perſpicuè id tradit in præſ. art. 13. in corp.

24 Tum etiam ratione deducta ex his, quæ diximus diſp. præced. à num. 30. Nam futurum ſivè abſolutum, ſivè conditionatum, proportione ſervata, eſt determinatum pro tempore futuritionis ad habendam poſteà exiſtentiam; ſed hoc nequit ſtare, niſi ex meritis proprijs vtrunque petat cauſam actu exiſtentem pro tempore futuritionis: ergo vt verificetur, quòd futurum eſt actu, & verè futurum ab æterno, non ſufficit decretum, quod erit, aut quod eſſet, ſed requiritur decretum Dei actu & ab æterno exiſtens. Maior cum conſequentia conſtat. Et minor probatur: Nam hæc determinatio nequit provenire ab ipſo futuro, vt futurum eſt, quia in ſe eſt nihil: neque ab ipſa cauſa vt *futura*, propter eandem rationem: & quia cauſa futura maximè creata multoties eſt indifferens ad vtrumlibet: & tandem quia eadem ratio militat circa determinationem, vt ponatur cauſa, ac circa determinationem, vt ponatur eventus futurus: neque tandem ab ipſo eventu futuro, quia determinatio eſt ad ipſum eventum, & ipſe eventus non eſt determinatio ad ipſam actualem futuritionem: ergo nihil reſtat pro hac determinatione, niſi cauſa actu exiſtens.

Augetur difficultas: Nam in communi hominum apprehenſione ſtatus futuritionis conſequitur ſtatum poſsibilitatis, & præcedit ſtatum exi-

existentię, tanquam quid inter vtrunque medians: ergo ad verificandum statum illum medium non sufficit eventus ipse futurus, neque causa illius vt *futura*, sed requiritur causa actu existens. Consequentia probatur: Nam nihil de vtroque statu extremo queit constituere statum illum medium: quia existentia, quæ habetur, constituit statum prędsentem; & existentia vt *possibilis* statum possibilitatis: ergo debet esse causa actu existens, & determinata ad dandam existentiam. Sed hęc infrà magis explanantur, dum de constitutivo futuri exprofesso agatur. Recolantur tamen, quæ diximus disp. præced. num. 32.

§. II.

Aliæ rationes Thomisticæ:

25 PRobatur insuper nostra conclusio alia ratione communi Thomistarum: Nam pro priori ad decretum Dei efficax actu existens nullum est medium obiectivum, in quo Deus certò & ab ęterno cognoscat consensum futurum sub conditione auxilij *A*: ergo pro priori ad illud Deus non cognoscit certò futura conditionata indifferentia. Antecedens probatur: Deus non cognoscit huiusmodi futura præcisè in ideis divinis: neque in decreto vt *futuro*: neque in supercomprehensione causę: neque in veritate eorum obiectiva: neque tandem in decreto Dei indifferenti: ergo pro priori ad decretum efficax Dei nullum est medium obiectivum, in quo Deus certò cognoscat futura conditionata. Antecedens probatur: Nam futurum absolutum in nullo ex medijs recensitis potest certò à Deo cognosci, vt probatum est disp. prędsced. *per totam*: ergo neque futurum conditionatum. Consequentia videtur legitima: quia quoad hoc eadem ratio est de vno, ac de alio.

Et confirmatur: Intellectus ex se indifferens ad cognoscendum consensum sub auxilio *A*, & carentiam illius, non potest certò cognoscere consensum potiùs, quàm carentiam illius, nisi ab aliquo determinetur; sed intellectus divinus secundùm se est indifferens ad cognoscendum consensum conditionatum Petri (v. g.) sub auvilio *A*, & carentiam illius: ergo nequit certò cognoscere consensum potius, quàm carentiam illius, nisi ab aliquo determinetur. Iam sic; sed hæc determinatio nequit provenire ab ipso intellectu, cùm sit potentia necessaria, & ex se indifferens ad cognitionem determinatam consensus, vel carentię illius: neque à divina voluntate, vt supponunt Adversarij: neque à voluntate Petri, vt stat sub illa conditione, quia sub ea est omninò indifferens, vt consentiat, & non consentiat, neque indifferentia hęc potest ab ea auferri, nisi Domino id disponente, & decernente: ergo pro priori ad decretum Dei ab intrinseco efficax nequit Deus certò cognoscere futura contingentia conditionata.

26 Respondebis cum aliquibus iunioribus Societatis, intellectum ipsum seipsum determinare ad cognoscendum consensum potiùs, quam carentiam illius, quatenus intellectus ipse ponit consensum ipsum obiectivè.

Sed hęc solutio nequit stare cum principijs scientię mediæ. Tum, quia, iuxta eius principia, res non ideo sunt futuræ, quia Deus prędsvidit esse futuras, sed econversó. *Tum etiam*: Nam iuxta principia scientiæ mediæ cognitio futuri conditionati subsequitur determinationem conditionatam arbitrij creati; hoc autem repugnat stando solutioni traditę; cùm non subsequatur physicè, vt patet; neque obiectivè aut logicè, aliàs ante cognitionem iam esset obiectivè verum, consensum extiturum sub conditione, quod prætata solutio negat: ergo. *Tum denique*: Nam ex prędicta solutione sequitur, pro priori ad scientiam mediam neutrum ex his obiectis, *Consensus conditionatè extiturus est*: *Consensus conditionatè extiturus non est*, esse determinatè verum, ac proinde pro illo priori nullum dari determinativum, vt Deus vnum prę altero determinatè cognoscat. Vbinam ergo provenit, quòd pro posteriori signo habeat scientiam mediam de consensu potiùs, quàm de carentia illius: Non ex determinatione voluntatis creatæ: tum, quia hæc ab æterno nihil est: tum & quia nec obiectivè præcesserit, vt admittit hæc solutio. Restat ergo, quòd hæc determinatio à Deo ipso proveniat ergo cuiusvis extremi cognitio Deo est plenissimè libera; hoc autem repugnat apertè cum principijs scientię mediæ, quæ iuxta ipsius sectatores est subiectivè necessaria: ergo hæc solutio nequit stare cum principijs scientiæ mediæ, sed magis accedit ad doctrinam Thomisticam. *Accedit*: Nam cognitio, quæ non ponit obiectum entitativè, sed illud supponit, etiam supponit illud vt *cognoscibile*, quia cognoscibilitas est passio entis: vnde obiectum in sui veritate transcendentali non dependet à cognitione, nisi vt *cognitum*, quę est denominatio præcisè extrinseca proveniens à cognitione; sed consensus conditionatus entitativè acceptus in principijs scientię mediæ non dependet à determinatione Dei, sed à determinatione creaturæ, à qua determinatur tam voluntas divina, quàm intellectus divinus: ergo neque intellectus divinus est determinativum illius obiectivè sumpti. Propter quæ hęc solutio deseritur ab alijs ingenuis sectatoribus scientię mediæ.

27 Unde communitèr respondent alij, ipsam existentiam consensus, quæ foret, si constituatur sub auxilio *A*, esse medium obiectivum, & determinativum intellectus divini. Determinativum autem efficiens est voluntas creata, quę pro sua libertate sub illo auxilio consentiret po-

potiùs, quàm non conſentiret: Deus enim, quamvis etiam debeat cauſare formalem illam denominationem, non tamen eſt determinativum adhuc efficiens: quia non concurrit per decretum determinatum, ſed indifferens, & determinandum à creatura.

Hanc ſolutionem malè audiunt noſtri Thomiſtæ, & in ea inſurgunt multiplici ex capite. *Primò*: quia ſi creatura determinaret voluntatem, & intellectum divinum, ſequitur, & quòd ſpecificarentur a determinatione creata, & quòd voluntas divina non eſſet prima cauſa conſenſus, ſed voluntas creata; hæc autem repugnant cum ſumma perfectione Dei. Ex quo inferuntur alia, quæ impugnata relinquimus, tum diſp. 1. tum diſp. 2. nempè quòd Deus non intueatur conſenſum conditionatum in ſeipſo tanquam in cauſa, ſed immediatè in ipſo conſenſu. Quod ita vrget pro futuro abſoluto, quòd magis vrgeat in futuro conditionato, cùm in ſententia oppoſita ad illum non requiratur decretum actu exiſtens, ſed decretum, quod foret, ſi exiſteret conſenſus. Infertur etiam, quòd Deus videat conſenſum conditionatum, quia foret; non foret, quia Deus videt illum. ¶ *Secundò*: Nam ſi creatura determinaret voluntatem divinam, ſequitur, quòd Deus concurreret neceſſariò: ſicut ob eandem rationem contra nos arguunt, voluntatem creatam determinatam a Deo concurrere neceſſariò. Quæ impugnatio maximè vrget in principijs ſcientiæ mediæ, cùm omni vi deſtituatur iuxta doctrinam Thomiſticam, vt ex dicendis diſput. ſequenti conſtabit. ¶ *Tertiò ſequitur*: quòd voluntas creata non concurrat liberè in ſuum actum, vt liquet ex dictis diſp. præced. & magis conſtabit loco proximè relato. ¶ *Quartò & vrgentius*: Quia Deus per ſcientiam mediam nequit certò explorare conſenſum ſub auxilio *A*, potiùs quàm carentiam illius: quia voluntas creata ſub auxilio illo eſt omninò indifferens, non minùs quàm voluntas divina ſub decreto indifferenti. ¶ *Quintò & vltimò*: (per quod proxima impugnatio magis explanatur) Nam medium obiectivum, & determinativum intellectus divini debet eſſe pro priori ad exiſtentiam conſenſus: ergo ipſa exiſtentia conſenſus nequit eſſe medium obiectivum, & determinativum intellectus divini. Antecedens probatur: Illud eſt medium obiectivum & determinativum intellectus divini, quod eſt determinativum futuritionis conditionatę illius; ſed ipſa exiſtentia conſenſus non determinat futuritionem ſui ipſius, quia poſterius inquantùm *tale* nequit eſſe determinativum prioris: ergo medium obiectivum, & determinativum intellectus divini debet eſſe pro priori ad exiſtentiam conſenſus.

***

§. III.

Patrum Societatis Opinio.

28 OPpoſitam ſententiam tenent communiter Patres Societatis: qui eſtò inter ſe diſſideant in aſſignando medium obiectivum, in quo Deus certo cognoſcit futura conditionata, & licèt plures ex eis admittant decretum actu & ab æterno in Deo exiſtens, in vno conveniunt, nempè, quòd non requiritur decretum Dei ab intrinſeco efficax actu & ab æterno exiſtens. Pro qua:

Arguitur *primò*: Nam per hoc præcisè, quòd Petrus hodie vocatus conſentiat, hæc propoſitio, *ſi Petrus vocaretur, conſentiret*, eſt vera pro priori ad decretum: ergo vt talis à Deo certò cognoſcitur. Antecedens probatur: nam per hoc præcisè, quòd Petrus hoc auxilio vocatus conſentiat, herì fuit verum, quòd ſi vocaretur, conſentiret: ergo etiam eſt verum ab æterno pro priori ad decretum. Antecedens ſupponitur. Et conſequentia probatur: Ideo herì eſſet verum, quòd ſi Petrus vocaretur, conſentiret, quia propoſitio conditionalis contingens regulatur per ſuam de *eſſe*; quæ ratio æquè militat de duratione heſterna, ac de quacumque alia anteriori etiam pro priori ad decretum.

Reſpondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum, quod ideo herì fuit verum, quòd ſi Petrus vocaretur, conſentiret, ex ſuppoſitione quòd hodie vocatus conſentiat, quia non poteſt fieri ſuppoſitio vera, quòd hodie vocatus conſentiat, quin herì & ab æterno exiſtat in Deo decretum de illa ſuppoſitione, aliàs conſenſus hodiernus non penderet à providentia Dei. ¶ Quibus addimus *primò*, quòd ſi fiat ſuppoſitio falſa, quòd Petrus hodie vocatus conſentit independenter à decreto Dei, propoſitio conditionalis neque herì, neque ab æterno eſſet vera, quia ſuopoſitio non eſſet vera per ordinem ad intellectum divinum. Et ratio huius iam inſinuata manet diſp. præced. nam illa propoſitio non eſſet vera per ordinem ad intellectum, cui non eſt repręſentabilis ab eſſentia divina: eſſentia autem divina nullam veritatem creatam contingentem poteſt repræſentare niſi vt determinata per decretum, aliàs ad ſui repręſentationem determinaretur à veritate creata, quod eſt omninò falſum, vt probatum eſt diſp. 1. dub. 5. ¶ Addimus *ſecundò*, quòd eſtò ſit verum hodiè, herì, & ab æterno, quòd Petrus hodie vocatus conſentit, quia ſupponitur decretum de eius conſenſu: hoc autem, præciſis alijs, non ſufficit, vt verificetur herì & ab æterno, quòd ſi vocaretur, conſentiret: quia ad veritatem conditionalis non ſufficit decretum abſolutum de conſenſu, ſed inſuper deſideratur aliud decretum decernens conſenſum ſub con-

ditione vocationis, quod valde diversum est à decreto præcisè de consensu. ¶ Addimus *tertiò*, quòd si illud antecedens teneret, sequitur, quòd ex suppositione veritatis de *inesse* propositio conditionalis sit vera etiam pro signo necessariorum; quod ast absurdum.

29 Arguitur *secundò*: Nam hæ propositiones, *si Petrus vocaretur, consentiret*: *non si Petrus vocaretur, consentiret*, sunt contradictoriæ etiam pro priori ad decretum de consensu aut carentia illius sub illa vocatione: ergo pro priori ad illud vna est determinatè vera, & altera falsa. Consequentia probatur: Nam lex contradictoriarum petit, quòd non possint esse simul veræ, aut simul falsę: ergo vna debet esse determinatè vera, & altera falsa. *Explicatur*: hæc propositio, *si Petrus vocaretur, consentiret*, vel habet quidquid requiritur ad eius veritatem pro priori ad decretum: Et si hoc ita est: ergo est determinatè vera, & eius contradictoria determinatè falsa: Vel non habet: Si dicatur hoc: ergo est determinatè falsa, & eius contradictoria vera: ergo pro priori ad decretum vna est determinatè vera, & altera falsa:

Et confirmatur: Pro priori ad decretum hæc copulativa, *si Petrus vocaretur, consentiret, & non consentiret*, est determinatè falsa: ergo hæc disiunctiva, *si Petrus vocaretur, consentiret, vel non consentiret*, est vera. Consequentia probatur: Ideo illa copulativa est falsa, quia aliqua propositio cathegorica, ex qua resultat, est determinatè falsa: falsitas enim copulativæ ex falsitate alicuius ex cathegoricis resultat: ergo si vna cathegorica est determinatè falsa, altera est determinatè vera; sed ad veritatem propositionis disiunctivæ sufficit, quòd vna pars sit determinatè vera: ergo prædicta propositio est vera.

Ex hoc argumento, & confirmatione sequitur *primò*, propositiones contradictorias de futuro absoluto pro priori ad decretum esse determinatè veras, vel falsas. Cuius oppositum ostendimus disp. præced. dub. 4. Sequitur *secundò*, huiusmodi propositiones sivè disiunctivas, sivè copulativas esse determinatè veras, vel falsas pro signo necessariorum: Quod non admittunt Adversarij. ¶ Respondetur ergo ad argumentum, iuxta dicta loco proximè relato num. 39. concedendo antecedens. Sed negando consequentiam: Quia ad veritatem oppositionis contradictoriæ non requiritur, quòd vlla propositio sit determinatè vera pro omni signo, sed sufficit, quòd si vna est vera, altera sit falsa; vel quòd vnaquæque illarum fundet necessitatem vagam, vt pro omni instanti reali habeat determinatam veritatem, vel falsitatem. Quare depicta oppositio contradictoria potiùs pertinet ad veritatem necessariorum, quàm contingentium: sicut Deus in signo necessariorum cognoscit decretum vagè sumptum circa futuritionem, vel non futuritionem consensus. Item copulativa est impossibilis, & sic pro priori ad omne decretum est absolutè falsa, non quia aliqua ex cathegoricis pro omni signo sit determinatè falsa, cum quęlibet sit indifferens pro signo necessariorum, vt ponatur, vel non ponatur, sed quia in copulativa enuntiatur simultas vtriusque partis, quæ simultas impossibilis est pro omni signo. Per quod constat ad confirmationem.

30 Arguitur *tertiò*: Intellectus divinus, vtpote infinitus & omniscius, vt aliquod obiectum cognoscat, nullo alio indiget, nisi eo, quo obiectum indiget, vt sit verum & scibili; sed futurum conditionatum, vt sit verum & scibile, nullo indiget actuali decreto: ergo neque intellectus divinus, vt illud sciat. Minor probatur: Nam, vt futurum conditionatum sit verum & scibile, non requiritur, quòd absolutè sit, sed sufficit, quòd posita conditione esset; sed vt futurum conditionatum esset posita conditione, non requiritur decretum, quod actu sit, sed quod esset: ergo. Minor probatur: Ut futurum conditionatum sit possibile, non requiritur decretum, quod actu sit, sed sufficit possibile: ergo vt futurum conditionatum esset possita conditione, sufficit decretum, quod esset. Consequentia probatur: Ideo antecedens est verum, quia effectus solùm exigit causam, ea proportione qua ipse est: nam vt optime ait D. Thoma 2. Contra gent. cap. 21. n. 3. *Effectus suis causis proportionaliter respondent*: *vt scilicet effectus in actu causis actualibus attribuamus*; *& effectus in potentia causis, quæ sunt in potentia*: Iuxta quam doctrinam effectus nunc existens non petit causam anteà existentem, sed præcisè causam nunc existentem; & effectus præteritus tantùm exigit causam præteritam; & possibilis possibilem: ergo effectus, qui esset, tantùm postulat decretum, quod esset.

Confirmatur *primò*: Ut futurum sub conditione esset, sufficit illa decreti existentia, quæ sufficit ipsi decreto, vt sub illa tale futurum causaret; sed vt divinum decretum tale futurum causaret, non debet esse actu existens: ergo. Minor ostenditur: Nam decretū, quod iuxta Thomistas causaret per se & proximè futurum sub conditione, non tàm est decretum conditionatum modò præsens, quàm decretum obiectivè & subiectivè absolutum, quo tunc Deus absolutè illud prædeterminaret; sed decretum hoc, vt per se patet, non existit actu, non alia ratione nisi quia actu non causat, sed causaret: ergo vt divinum decretum futurum conditionatum causaret, non petit esse actu existens.

Confirmatur *secundò*: Sic pendet causa necessaria à decreto Dei necessitante, sicuti libera à decreto libertatem conferente; sed vt causa necessaria operaretur necessariò conditionatè, v. g. vt ignis combureret stupam, si ei applicaretur, non postulat in Deo decretum actuale ne-

neceſsitans conditionatè, aliàs veritas illius non cognoſceretur à Deo per ſcientiam neceſſariam: ergo vt cauſa libera operaretur liberè conditionatè, non poſtulat decretum actuale conferens conditionate libertatem, ſeu decretum prædeterminans conditionatum actu exiſtens.

Confirmatur *vltimò*: Actus vitalis non minùs pendet eſſentialiter à potentia vitali, quam à decreto Dei, ſed vt actus eſſet vitalis, non poſtulat potentiam vitalem, quæ actu ſit, ſed ſufficit potentia vitalis, quæ foret: ergo neque petit decretum, quod actu ſit, ſed quod foret. ¶ Hoc argumentum cum ſuis confirmationibus eſt ratio potiſsima & à priori oppoſitæ ſententiæ, & ex qua pendet poſitio ſcientiæ mediæ.

31 Sed, re bene perpenſa, parum ilta negotij faceſſunt. Reſpondetur enim ad argumentum *primò* diſtinguendo maiorem: *Vt ſit verum & ſcibile* modo proprio ipſius Dei, concedo maiorem; ſi non eſt ſcibile modo proprio ipſius Dei, nego maiorem: Et diſtincta ſimiliter minori, negatur conſequentia.

Itaque modus proprius in Deo cognoſcendi omni ſcibile creatum eſt cognoſcere illud in ſeipſo tanquam in cauſa. Futurum autem conditionatum non eſt in Deo cognoſcibile, ſi præſcindatur à decreto exiſtenti: quia pro priori ad illud Deus eſt indifferens ad vtrumlibet: neque aſsignari poteſt decretum actu exiſtens de futuritione decreti conditionati, in quo Deus cognoſcat decretum futurum conditionatum, & conſequenter futurum conditionatum in eo, aliàs iam requireretur exiſtentia illius decreti, vt Deus certò cognoſceret futurũ conditionatum: quod perpetuò negant Adverſarij. Unde eſtò futurum conditionatum eſſet ſub conditione exiſtens, ac proinde eſſet ſcibile, non tamen eſſet cognoſcibile reſpectu Dei.

32 Reſpondetur *ſecundò*, concedendo maiorem; ſed negando minorem. Ad cuius probatione dicendum, quòd de futuro conditionato non ſolùm verificaretur, quòd eſſet, ſi poneretur conditio; ſed etiam actu & ab æterno verificatur, quòd exiſteret, ſi poneretur conditio. Inter quos modos loquendi eſt latum diſcrimen: Nam in primo nullum datur verificativum actu & ab æterno, quòd eſſet, ſi poneretur conditio; ſed quòd daretur verificativum illius, ſi exiſteret decretum connectens futurũ cum conditione: Ex quo infertur, quòd actu & ab æterno non verificetur futuritio conditionata illius, ſed quòd actu eſſet, ſi eſſet decretum: quare ante exiſtentiam decreti illud futurum ſolum queit concipi in ſtatu poſsibilitatis, quia eſt obiectum omninò neceſſarium; & hoc modo tantùm poteſt à Deo actu & ab æterno cognoſci. At in ſecundo modo loquendi, iam verum eſt dicere actu & ab æterno, quòd determinatè eſſet effectus ſub conditione præ carentia illius: & ad hoc verificandum neceſſarium eſt omninò decretum actuale determinans ad poſitionem effectus ſub conditione potius, quàm ad carentiam illius, & non niſi eo mediante poteſt actu cognoſci effectus ſub conditione præ carentia illius. In ſumma dicimus, quòd eſtò ad poſitionem effectus, qui eſſet, ſi poneretur conditio, non requiratur ex meritis ipſius effectus cauſa actu exequens, ſed ſufficit cauſa quæ exqueretur; requiritur tamen cauſa actu decernens poſitionem effectus ſub illa conditione, potiùs quàm carentiam illius: quia determinatio ad vnum præ alio non poteſt ab alio principio deſumi neque in genere cauſæ efficientis, neque in genere cauſę formalis, cùm cætera alia indifferentia ſit ad vtrumlibet. Et hoc modo intelligitur D. Thomas loco citato Contra gent.

33 Ad paritatem deſumptam ex poſsibili: Dicimus, quòd eſtò ad poſsibile vt *poſsibile* non requiratur decretum actu exiſtens, quia pertinet ad ſtatum neceſſariorum, & hac ratione non requiratur ad illud prædicatum Dei contingens actu exiſtens; requititur tamen omnipotentia actu exiſtens, in qua conſiſtit poſsibilitas rerum, vel quæ infert neceſſariò poſsibilitatem intrinſecam illarum: At verò futuritio ſive abſoluta, ſive conditionata eſt ſtatus contingens, & diverſus à ſtatu poſsibilitatis: Et ad hunc ſtatum nequit perveniri, niſi ex vi alicuius cauſæ actu exiſtentis pro tempore futuritionis: quia eius exiſtentia eſt actu determinata, & non ab ipſo eventu futuro, cùm ſtatus futuritionis determinatę precedat exiſtentiam effectus ſive abſoluti, ſive conditionati.

Ad primam confirmationem reſpondetur ex dictis, quòd eſto futurum conditionatum ex meritis proprijs, vt actu cauſaretur, non poſtulet decretum prædeterminativum Thomiſticum executivum, quod actu ſit, ſed ſufficiat, quòd eſſet, ſi effectus cauſaretur, poſtulat tamen decretum actuale determinativum, vt eſſet effectus ſub conditione: quia abſque illo non eſſet verum, quòd foret potiùs, quàm non foret ſub conditione; cùm prę ſcindendo à decreto Dei decernente, quòd foret potiùs, quàm non foret ſub conditione, cætera omnia ſint indifferentia ad vtrumlibet.

Ad ſecundam reſpondetur, iuxta dicta num. 31. quòd effectus conditionatus ſub conditione connexa metaphyſicè cum illo, ſi ſumatur in vi illationis, non poſtulat decretum actu exiſtens, vt à Deo certò metaphyſicè cognoſcatur: quia huiuſmodi effectus eſt omninò neceſſarius, pertinenſque ad ſcientiam Dei omninò neceſſariam, ad quam de materiali ſe habet, quòd propoſitio de illo efformetur ſub formula de præſenti, aut de prętcrito, aut de futuro. Sed neque hic effectus in vi futuri conditionati poteſt certò à Deo cognoſci, niſi ratione decreti actu exiſtentis, & determinatis futuritionem præ non futuritione illius, & extrahentis illum à ſta-

tu

tu posſibilitatis : Effectus ſimilitèr futurus vt *talis* ſivè abſolutus, ſive conditionatus naturaliter tantùm connexus cum cauſa, vt combuſtio ignis in paſſo diſpoſito, & applicato, multò minus poteſt à Deo certò infallibiliter cognoſci, niſi in ſuo decreto exiſtenti, quia nequit niſi ex vi illius omninò certò evenire. Unde Deus per ſcientiam neceſſariam tantùm cognoſcit prædictum effectum futurum, prout eſt determinatus in cauſis ſecundis, quæ cognitio eſt infallibilis ex parte ipſius Dei, ſed non eſt infallibilis omninò ex parte obiecti. Et licèt daremus, quòd prædictus effectus non poſtularet decretum actu exiſtens, non inde probaretur, quòd effectus conditionatus pendens à cauſa omninò indifferenti non poſtularet : quia ad primum effectum cauſa eſt ſufficienter determinata ex natura ſua ; ſed ad ſecundum eſt omninò indifferens: quare, vt omninò ſit verum actu & ab æterno, quòd effectus iſte eſſet, requiritur decretum Dei actu & ab æterno exiſtens.

Ad vltimam confirmationem reſponderur, quòd actus vitalis, vt ſit futurus ſivè abſolutè, ſivè conditionatè reſpectu cauſæ ſecundæ, omninò requiritur, quòd exiſtat determinatio ex parte ipſius cauſę ſecundę, & ad talem futuritionem non ſufficit potentia vitalis, quæ foret. At quia ex parte Dei poteſt eſſe, & defactò exiſtit determinatiò ad talem effectum, quin exiſtat determinatio ex parte potentiæ vitalis, propterea talis effectus non ſolùm eſt futurus reſpectivè ad cauſam primam, ſed etiam abſolutè & ſimpliciter, quia determinatio Dei à nulla cauſa ſecunda poteſt fruſtrari. Alia argumenta, quę contra noſtram ſententiam poſſunt efformari, differimus in ſequens dubium, & diſputationem, & tractatum ſequentem.

DUBIUM III.

Per quid conſtituatur futurum ſivè abſolutum, ſivè conditionatum in eſſe talis ?

34 HÆC quæſtio, quæ eſt præcipuà in his controverſijs de futuro, tota devolvitur ad futuritionem infallibilem, quia ex dicendis pro futuritione infallibili, facile deducitur, quid dicendum ſit de futuritionibus per ordinem ad cauſas ſecundas. Pro quo ſupponendum eſt *primò*, rem non conſtitui infallibiliter futuram per non repugnantiam ad eſſendum, nec per omnipotentiam divinam, neque per vtrunque ſimul. Cuius ratio eſt : quia non repugnantia ad eſſendum convenit omnibus poſsibilibus ; plura autem ſunt poſsibilia, quæ non ſunt futura. Item omnipotentia eſt prædicatum omninò neceſſarium : ergo ſolùm poteſt tribuere denominationem omninò neceſſariam ; ſed denominatio *futuri* eſt contingens; ergo neque conſtituitur per omnipotentiam. Ex quo facile deducitur non conſtitui per vtrunque ſimul.

35 Supponendum eſt *ſecundò*, futurum in ratione *talis* non conſtitui adæquatè per carentiam exiſtentiæ : Nam per id, quo conſtituitur futurum in ratione *talis*, debet diſtingui à poſsibili vt *tali* ; ſed per carentiam exiſtentiæ non diſtinguitur futurum à poſsibili, cùm poſsibile etiam habeat carentiam exiſtentiæ : ergo non conſtituitur adæquatè per carentiam exiſtentiæ. ¶ Supponendum eſt *tertiò*, futurum dependens vnicè à voluntate divina, qualis fuit productio Angeli, & huius mundi, reſpicere decretum Dei, vt vnicam & adæquatam radicem ſuæ futuritionis. In hac ſuppoſitione conveniunt nobiſcum Patres Societatis non minùs ac in præcedenti. Et ratio eſt : Nam ab eo tanquam ab vnica & adæquata radice dependet res vt futura, à qua dependet vt exiſtens, ſed huiuſmodi effectus in ratione *exiſtentis* vnicè dependet à voluntate divina : ergo etiam in ratione *futuri*. ¶ Supponendum eſt *quartò*, cum communiori ſententia Societatis, contra Rever. Tirſo, Sphorcia, Sparza, Antonium Perez, Ribadeneira, Arandam, & alios, formam conſtitutivam futuri non eſſe divinam ſcientiam, ſivè abſolutam reſpectu futuri abſoluti, ſivè mediam reſpectu conditionati. Quæ ſuppoſitio vt melius percipiatur : Notandum eſt, quòd ſcientia viſionis in Deo eſt proxima cauſa rerum, vt diximus diſp. 2. dub. 5. *per totum* : ſed, vt exerceat veram rationem cauſę, debet ſupponere decretum, à quo res dependet in actu ſecundo tanquam à prima radice. Et in hoc ſenſu idem eſt dicere, futurum conſtitui per divinum decretum, ac per ſcientiam divinam. Solum ergo procedit prædicta ſuppoſitio contra prędictos Recentiores, aſſerentes ſcientiam Dei non eſſe cauſam rerũ, neque eſſe innixam decreto. Quæ ex dictis num. 26. facile oſtenditur: Nam iuxta hos Authores ſcientia Dei eſt merè ſpeculativa erga ſuum obiectum : ergo nequit conſtituere futurum in ratione *talis*. Conſequentia probatur: Nam ſcientia ſpeculativa in hoc diſtinguitur à practica, quòd hæc facit ſuum obiectum, & illa ſupponit. Recolantur omninò dicta loco proximè relato.

36 His ſuppoſitis, circa præſentem controverſiam duplex militat ſententia. Prima docet, futuritionem formalem conſiſtere in non exiſtentia rei pro *nùnc*, & exiſtentia pro tempore ſequenti, abſoluta quidem, ſi futurum fuerit abſolutum ; conditionata vero, ſi fuerit conditionatum. Hęc ſententia licèt alijs, alijſque vocibus explicetur, quæ illam potiùs obſcurant, quàm expeditam relinquunt, eſt omnium Patrum Societatis, exceptis proximè relatis. Imo nec iſti à cæteris diſident pluſquàm in voce: nam loquuntur ſolùm de futuritione extrinſeca

inten-

intentionali, ſeu in *eſſe veri*, non verò de obiectiva intrinſeca, ſeu in *eſſe entis*. In vno, & præcipuo puncto differunt à Thomiſtis, nullo excepto, quòd futuritionem conſtituunt independenter à decreto Dei ab intrinſeco efficaci. Secunda, quæ eſt omnium Thomiſtarum, defendit, futuritionem conſtitui dependenter à decreto ab intrinſeco efficaci: cum hoc tamen diſcrimine inter eos, quòd Ferre in præſ. quæſt. 7. §. 4. cum alijs graviſsimis Thomiſtis, ſuppreſſo nomine ab eo relatis, aſſerit, formam, qua formaliter conſtituitur futurum in ratione talis, eſſe connexionem ſeu habitudinem intrinſecam, quam Antichriſtus (v.g.) habet ex vi divini decreti cum exiſtentia phyſica poſteà habenda: in quem modum dicendi valde inclinant N. Salm. in præſ. diſp. 9. num. 73. alijſque in locis, in quibus paſſim admittunt in futuro ſivè abſoluto, ſive conditionato aliquod *eſſe* intrinſecum, & obiectivum. At cæteri Thomiſtæ ita tenaciter huic decreto adhærent, vt nihil præter illud pro forma formaliter futurum conſtituente deſiderent. Cum quibus ſupradicti PP. Salm. in præſ. diſp. 7. num. 37. aperte conveniunt. Noſtram autem mentem ſequentibus aſſertionibus explicabimus.

§. I.

Prima Aſſertio.

37 DIcendum eſt *primò*, nullam dari formam conſtitutivam formaliter futuri independenter à decreto Dei ab intrinſeco efficaci. Hæc concluſio determinatè procedit contra omnes defenſores ſcientiæ mediæ. Et probatur *primò* ab authoritate Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum cap. 4. vbi faſſus ſe neſcire, an illud, de quo loquitur, ſit futurum, ſubiungit: *Ideo neſcio, quia quid habeat de hac re voluntas Dei, me latet: illud me tamen non latet ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas haberet.* Item tract. 68. in Ioan. verba illa Prophetæ, *Fecit, quæ futura ſunt*, ſic exponit. *Vt fecerit futura illa prædeſtinando, & facturus ſit illa operando.* Ergo iuxta D. Auguſtinum forma conſtitutiva futuri nequit intelligi independenter à voluntate Dei ab intrinſeco efficaci. Neque aliena ſunt à præſenti controverſia teſtimonia ipſius Magni Parentis relata diſp. præced. num. 41. & D. Hilarij aſſerentium, Deum non cognoſcere futura niſi in ſua prædeſtinatione, includente decretum Dei ab intrinſeco efficax.

Et confirmatur ex D. Thoma infrà quæſt. 16. art. 7. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd illud, quod nunc eſt, ex eo futurum fuit, antequam eſſet, quia in cauſa erat, vt fieret: vnde ſublata cauſa non eſſet futurum illud fieri. Sola autem cauſa prima eſt æterna: vnde ex hoc non ſequitur, quòd ea, quæ ſunt, ſemper fuerit verum eſſe futurum, niſi quatenus in cauſa ſempiterna fuit, vt eſſent futura, quæ quidem cauſa ſolus eſt Deus.* Huic authoritati meritò accedere poſſunt teſtimonia ea eiuſdem Ang. Præcept. quæ adduximus ſupra loco proximè relato, ad probandum, decretum Dei eſſe vnicum medium in Deo ad cognoſcenda certò futura. Ergo iuxta Ang. Mag. futuritio nequit ſalvari independenter à decreto Dei ab intrinſeco efficaci.

38 Nec proderit impræſentiarùm primus recurſus ad futuritionem radicalem, ſeu cauſalem & extrinſecam. Tum, quia in hac aſſertione nihil aliud intendimus. Tum etiam: quia hæc aſſertio vnicè procedit contra Patres Societatis; ſed iuxta illorum modum nullum decretum actu exiſtens in Deo requiritur ad veram futuritionem rerum ſivè abſolute, ſivè conditionate: non ab intrinſeco efficax, quia hoc apud eos eſt impoſsibile: nec inefficax, quia pro effectu, qui non eſt, ſed erit, aut eſſet, tantum requiritur decretum, quod erit, aut eſſet: ergo D. Thomas expreſsè ſtat pro noſtra concluſione, & contra Patres Societatis.

Deinde probatur noſtra concluſio ratione deducta ex hucuſque dictis in hac, & præcedenti diſputatione. Nam *rem eſſe futuram* nihil aliud eſt, quàm eſſe determinatam tàm cauſaliter, quàm formaliter, vt poſteà ſit; ſed res, quæ nunc non eſt, nequit eſſe determinata nec cauſaliter, nec formaliter, vt poſteà ſit, independenter à decreto Dei ab intrinſeco efficaci: ergo. Minor probatur: Tum quia omnis determinatio creaturæ dependet à Deo; ſed non dependeret ab eo, niſi daretur in ipſo decretum ab intrinſeco efficax: ergo. Minor probatur: Nam ſublato decreto Dei ab intrinſeco efficaci, concurſus Dei potiùs determinaretur à creatura, quàm creatura determinaretur à Deo, vt manifeſtè concedunt Adverſarij: ergo determinatio creaturæ non dependeret à Deo. Tum etiam: Nam *rem eſſe actu, & ab æterno futuram* eſt rem eſſe determinatam tempore futuritionis ad habendam exiſtentiam; ſed ſublato, vel præciſo decreto Dei ab intrinſeco efficaci, omnia, quæ dantur tempore futuritionis, ſunt indifferentia ad habendam exiſtentiam, & non habendam: ergo nequit eſſe determinata vel cauſaliter, vel formaliter, vt poſteà ſit, independenter à decreto Dei ab intrinſeco efficaci.

39 Huic rationi ſatis efficaci, relictis alijs evaſionibus minoris momenti, reſpondent communiter Recentiores Societatis, quòd *rem eſſe futuram*, ſi adæquatè ſumatur, eſt eſſe actu determinatam ad exiſtentiam tàm cauſaliter, quàm formaliter. Sed hoc ideo eſt, quia *rem eſſe futuram* dicit pro formali carentiam exiſtentiæ pro tempore futuritionis, & exiſtentiam rei poſteà habendam: Vnde ſi futurum ſumatur, ſecundùm ea, quæ importat actu pro tempore futu-

turitionis, non petit este determinatum ad habendam existentiam, nec causaliter, si est futurum liberum dependens à voluntate creata, neque formaliter, vt rectè probat nostra ratio. Sed futurum sic sumptum solùm accipitur inadæquatè: adæquate enim acceptum dicit etiam de formali existentiam ipsam, non quæ modò sit, sed quæ erit, per quam res formaliter determinatur ad existendum tempore sequenti. Quocircà futuritionis tempore solùm ampliativè dici potest res determinata ad existendum determinatione tàm formali, quàm causali, non à decreto prædeterminante, sed à voluntate creata.

Pulchra quidem solutio, & ad speciem apparens, sed immensis impugnationibus obnoxia est. Nam in primis ex hac solutione infertur, quòd determinatio Dei non exiitat ante determinationem voluntatis creatæ: ergo cùm determinatio voluntatis creatæ non exiitat pro priori ad consensum, sed per existentiam exercitam ipsius consensus sive absoluti, sive conditionati, voluntas divina determinatur ab existentia ipsius consensus; hoc autem repugnat: ergo fatendum est, quòd pro priori ad existentiam consensus est omninò determinatum de futuro, quòd habebit existentiam. Minor subsumpta probatur: Tum, quia repugnat causæ primæ determinari à causa secunda, aliàs in ratione *determinantis* non esset causa prima. Tum etiam: quia si voluntas divina determinaretur ab existentia exercita ipsius consensus, & non anteà à suo decreto, sequitur, influxum Dei iam supponere existentem ipsum consensum, sicut omne determinabile supponit suum determinativum: ergo consensus ipse iam subterfugeret omnem causalitatem Dei efficacem tàm prædeterminantem, quàm simultaneam; hoc nequit admitti in sententia Adversariorum: ergo pro priori ad consensum debet esse determinatio Dei, cuius ratione futurum determinatum maneat saltèm causaliter ad habendam existentiam tempore sequenti.

40 Vlteriùs impugnatur prędicta solutio. Nam si tempore futuritionis non verificaretur de futuro, esse determinatum ad habendam existentiam, neque verificaretur de illo eodem tempore, quòd est futurum; sed hoc repugnat: ergo. Minor constat: aliàs hæc propositio, *Nunc Antichristus est futurus*, esset falsa; quod est contra fidem. Maior verò probatur: Nam in instanti, aut tempore, in quo non verificatur aliquod determinativum sive causale, sive formale, vt Antichristus habeat postea existentiam, neque potest verificari, quòd sit futurus: in hoc enim distinguitur id, de quo verificatur nunc, quòd habebit existentiam, ab eo de quo non verificatur, quòd hoc nunc nullum determinativum habet ad habendam existentiam, & illud habet; sed si in tempore futuritionis non verificatur de futuro esse determinatum ratione decreti, non verificatur nunc determinativum sive causale, vt concedunt Adversarij, sivè formale, vt nòn minùs consequentèr admittunt: ergo neque verificatur, nunc esse futurum.

Explicatur hoc, & simul augetur præcedens impugnatio. Nam in *nunc* nostri temporis verificatur absolutè, quòd Antichristus est futurus; sed hoc nequit stare, si determinativum formale futuri vt *talis* est existentia posteà habenda: ergo pro priori ad illam est determinativum tàm causale, quàm formale. Maior videtur innegabilis: aliàs hæc propositio, *Nunc Antichristus est futurus*, esset falsa; & sua contradictoria, nempè hæc, *Nunc Antichristus non est futurus*, esset vera; quod est contra fidem. Minor verò probatur: Nam, vt *nunc* nostri temporis verificetur absolutè, quòd Antichristus est futurus, debet verificari *nunc* nostri temporis determinativum formale, & consequenter causale ad habendam illius existentiam; sed nunc non verificatur esse existentiam posteà habendam: ergo si determinativum formale futuri in ratione *talis* est existentia posteà habenda, nequit verificari absolutè, quòd Antichristus nunc est futurus.

41 Deindè impugnatur eadem solutio, & simul detegitur, quod tangit de ampliatione. Nam si hæc propositio, *Antichristus nunc est futurus*, esset vera in vi ampliationis, vel esset, quia copula ampliatur, vel quia prædicatum præcise ampliatur, vel quia vtrunque; sed iuxtà nullam ex his acceptionibus prædicta propositio est vera, si nunc non datur determinativum formale futuritionis: ergo. Minor quoad primam partem ostenditur: Nam si copula præcisè ampliaretur, hęc propositio, *Nunc Antichristus est futurus*, æquivaleret huic, *Nunc Antichristus est, erit futurus*; vel huic, *Antichristus nunc est, & erit futurus*; sed prima & continet incongruam grammaticam, & stultissimam dialecticam, vt ex se liquet: & secunda est falsa, quia per eam innuitur, quòd tempore, quo Antichristus erit existens, erit futurus, quod est omninò falsum: ergo illa propositio, *Nunc Antichristus est futurus*, non est vera in vi ampliationis copulæ. Quoad secundam etiam probatur: Tum, quia repugnat prędicatum alicuius propositionis ampliari, quando copula non ampliatur: nam prædicatum accipitur iuxta exigentiam copulæ; sed præfata propositio in vi ampliationis copulæ est falsa: ergo etiam in vi ampliationis prędicati. Tum etiam: nam si huiusmodi propositio esset vera per ampliationem prædicati, etiam hæc esset vera, *Antichristus est futurus, qui, inquantùm talis, erit futurus*: non adest enim alius modus ampliandi prędicatum, vt liquet in hac, *Avarus expetit pecunias*, cuius prædicatum ampliatur sic, *Avarus expetit pecunias, quæ sunt, fuerunt, vel erunt*: ergo talis propositio esset vera pro tempore, quo Antichristus existet, proindeque tunc verè diceretur de illo,

illo, quòd eſt futurus; quod apud omnes reputatur chimæricum. Ex quo manet probata tertia pars illius minoris.

42 Tandem impugnatur prædicta ſolutio. Nam de futuro verè affirmatur nunc, *Conſenſus* (v. g.) *nunc non exiſtit, & exiſtet poſtea*; ſed implicat hoc complexum verificari nunc de præſenti, quin de præſenti ſit determinativum, quòd exiſtet poſtea: ergo falſum eſt, quòd pro tempore futuritionis non verificatur determinativum tàm formale, quàm cauſale ipſius futuri. Minor probatur: quia ſi de præſenti verificatur, quòd exiſtet poſtea, etiam de præſenti verificatur ordo ad exiſtentiam poſteà habendam: nam, vt inquit D. Thomas quæſt. 12. *de Verit.* art. 10. ad 2. *Præſcientia Dei, ſecundùm hoc propriè* præſcientiæ *nomen habet, quòd ad eventum reſpicit, qui futurus eſt: ordo enim ad eventum eſt in præſenti: vnde de eo magis habetur ſcientia, quàm præſcientia*: ſed nequit verificari de præſenti ordo ad exiſtentiam poſteà habendam, ſi nullum adeſt determinativum vel formale, vel cauſale, ad illam habendam, cùm ordo de præſenti ad exiſtentiam potius, quàm ad carentiam ſit quædam determinatio de præſenti ad illam habendam; ergo &c.

§. II.

Secunda Aſſertio.

43 Dicendum eſt *ſecundò*, rerum futuritionem formaliter conſiſtere in actuali præparatione ſeu determinatione cauſæ primæ ad illarum productionem, proindeque futurum rectè definiri, *Quod eſt determinatum in Deo ad habendam exiſtentiam pro duratione ſequenti.* Ex qua definitione facilè poteſt depromi definitio futuri, quod eſt tale per ordinem ad cauſam ſecundam, iuxta diverſos modos quibus effectus ſunt determinati in illa. Hæc concluſio præcipuè procedit contra Mag. Ferre relatum n. 36. & ex conſequenti contra Patres Societatis. Continetque ingenuam mentem N. Salm. tum diſp. 7. n. 37. tum diſp. 9. n. 74. quo in loco vltimatè determinant, & explicant id, quod pro ſententia oppoſita ex eis n. præced. adduci poteſt.

Noſtra ſententia poteſt probari pluribus teſtimonijs Magni Parentis Auguſtini, & D. Thomæ: ex quibus illa tantùm ſeligemus, pro quibus non habet locum communis recurſus Adverſariorum ad futuritionem cauſalem. Probatur igitur *primò* ex D. Auguſt. tum ex lib. 11. Confeſſ. cap. 18. vbi hæc habet: *Cum ergo videri dicuntur futura, non ipſa, quæ nondum ſunt, id eſt, quæ futura ſunt, ſed eorum cauſæ, vel ſigna forſitàn videntur, quæ iam ſunt: ideò non futura, ſed præſentia ſunt iam videntibus, ex quibus futura prædicantur.* Tum in lib. 6. *de Gen.* ad literam cap. 16. & 17. vbi ait: *Deum futura facere nihil aliud eſt, quam eorum cauſas præparare*: Sed hæc nequeunt ſtare, ſi daretur aliud conſtitutivum formale præter præparationem cauſæ: ergo. Minor probatur: Nam iuxta ſententiam oppoſitam non ſolùm videntur cauſæ præparatæ, ſed etiam futura ipſa in ſeipſis: item *futura facere* aliquid aliud eſt ex parte effectus, quàm eorum cauſas præparare; quæ propoſitiones contradictoriè opponuntur dictis Auguſtini.

Et confirmatur ex D. Thoma quæſt. 12. *de Verit.* art. 10. in corp. vbi ait: *Circa futurorum cognitionem duo eſt conſiderare, ſcilicèt ipſum ordinem cauſarum ad futuros eventus, & exitum ſeu executionem talis ordinis::: Quæcumque igitur virtus creata aliquam cognitionem habet de futuris, ſua cognitio non fertur, niſi ad ordinem cauſarum::: Sed Deus non ſolùm cognoſcit futura ratione ordinis cauſarum, ſed quantùm ad ipſum exitum, & executionem ordinis. Cuius ratio eſt: quia eius intuitus menſuratur æternitate.* Ergo nihil aliud eſt cognitio futuri vt *futuri*, niſi cognitio ordinis, quam cauſa dicit ad eventum futurum; ſed iuxta ſententiam oppoſitam in futuro vt *futuro* aliquid aliud reſtat cognoſcendum tàm à Deo, quàm à cognoſcente creato, nempè conſtitutivum formale & intrinſecum ipſius futuri: ergo contra mentem D. Thomæ agit, vtpotè qui aliud conſtitutivum futuri vt *talis* agnoſcit præter præparationem, & determinationem cauſarum.

44 Deinde probatur ratione à priori. Nam per illam formam conſtituitur futurum in ratione *futuri*, per quam determinatur formaliter ad habendam exiſtentiam; ſed nihil eſt præter cauſam, quod poſsit formaliter determinare futurum ad habendam exiſtentiam: ergo futurum in ratione *talis* conſtituitur formaliter per determinationem cauſæ ad illius productionem pro duratione ſequenti. Maior ab omnibus admittitur. Minor verò probatur: Omnis determinatio formalis ad exiſtentiam habendam affert ſecum ordinem & habitudinem realem ad illam; ſed nullus ordo, nullave habitudo eſt in futuro vt tali, præter habitudinem formalem quam dicit cauſa ad productionem illius pro duratione ſequenti: ergo. Minor probatur: Omnis ordo ſeu habitudo realis fundatur ſupra entitatem actu exiſtentem; ſed nulla entitas exiſtit pro tempore futuritionis præter determinationem cauſæ; futurum enim vt tale, ſecundùm quod dicit intrinſecè, nihil eſt: ergo nullus ordo, nullave habitudo eſt in futuro vt tali, præter habitudinem formalem, quam cauſa dicit ad eius productionem pro duratione ſequenti.

Explicatur hoc: Nam quod realitèr & phyſicè eſt determinatum determinatione formali ad habendam exiſtentiam pro duratione

sequenti, rèaliter & physicè importat ordinem, habitudinem & connexionem cum existentia habenda; sed futurum vt *futurum*, secundùm quod importat intrinsecè, non importat realiter & physicè vllum ordinem, habitudinem aut connexionem cum existentia habenda: ergo neque habet aliam determinationem formalem præter determinationem causæ. Maior videtur certa: nam de eo, quod est determinatione formali determinatum ad habendam existentiam pro duratione sequenti, realiter & physicè verificatur, quòd nunc non existit, & existet posteà, quod absque reali & physico ordine seu connexione verificari non valet. Minor verò probatur: Quia quod nihil est in se, nequit in se & intrinsecè habere ordinem physicum & realem ad aliud, quia non entis nullę sunt qualitates; sed futurum vt *futurum*, secundùm quod importat intrinsecè, realiter & physicè est nihil: ergo nequit physicè & realiter dicere ordinem ad existentiam posteà habendam.

45 Neque refert, si dicas cum Ferre loco suprà relato num. 1250. quòd licèt futurum, secundùm id quod importat intrinsecè, non sit aliquid reale physicum, est tamen aliquid reale obiectivum: & hoc pacto dicit ordinem & connexionem non physicam, sed realem obiectivam cum existentia posteà habenda.

Non, inquam, refert. Tum quia, iuxta D. Thomam pluribus in locis, futura solùm possunt cognosci secundùm *esse*, quod habent in suis causis, & secundùm *esse*, quod iam actu & physicè habent in seipsis, vel ratione propriæ & intrinsecæ durationis, vel ratione æternitatis; sed, semel concesso quod futura habent aliquod *esse* reale obiectivum, aliquemque ordinem realem itidem obiectivum, non solùm cognoscerentur à Deo secundùm *esse*, quod physicè & realiter habent in æternitate, & secundùm *esse* quod habent in suis causis, sed etiam secundùm esse reale obiectivum, quod in ratione *futuri* habent in seipsis: ergo contra D. Thomam agit, qui concedit futuris aliquod *esse* reale obiectivum, distinctum ab *esse*, quod habent physicè in suis causis, & in seipsis dum actu existunt. ¶ *Tum etiam*: Nam D. Thomas sæpè docet, scientiam Dei non esse præscientiam futurorum, sed scientiam præsentium; sed cum hoc nequit stare, quòd futura pro tempore futuritionis habeant aliquod *esse* reale obiectivum intrinsecum; aliàs in Deo daretur scientia illorum secundùm hoc *esse* obiectivum, proindeque posset dici absolutè scientia hęc præscientia futurorum: ergo falsum est, futura habere aliquod *esse* reale intrinsecum pure obiectivum. ¶ Neque valet dicere cum laudato Mag. loco proximè citato, Deum priùs cognoscere in suo decreto, & æternitate futura vt sibi physicè præsentia, quàm secundùm hanc realitatem purè obiectivam: quia res vt existens pro suo tempore priùs connectitur cum decreto, quàm futurum vt *futurum* connectatur cum existentia habenda. *Non* (inquam) *valet*. Nam si priùs intelligeretur, rem existentem connecti cum decreto, quàm rem futuram vt *talem* connecti cum existentia habenda, connexio futuri vt *futuri* resultaret ex connexione, quam res existens habet cum decreto: ergo priùs inquantùm *prius* posset resultare à posteriori vt *posteriori*, cùm prius sit rem esse futuram, quàm existentem: quod certè sustineri non valet. ¶ Tum denique: Nam *esse* reale obiectivum fundatur supra *esse* reale physicum & entitativum: sicut veritas seu cognoscibilitas obiectiva fundatur supra veritatem physicam & entitativam: ergo si futura pro tempore futuritionis non habent *esse* intrinsecum reale, physicum & entitativum; neque habent *esse* intrinsecum reale obiectivum. *Augetur*: Repugnat *esse* reale obiectivum, cui repugnat existere physicè in re; sed tale esset illud *esse* reale obiectivum intrinsecum, quod Adversarij adstruunt in futuro vt *tali*: ergo repugnat. *Adde*: Quia de Antichristo (v.g.) nunc verificatur physicè, quòd sit futurus, seu quod physicè nunc non est, & physicè posteà erit: ergo habet futuritionem physicam, sed omnis denominatio physica debet formaliter provenire à forma physica: ergo hæc est, quę formaliter & physicè constituit futurum; sed hæc forma nulla esse potest præter determinationem physicam causæ iam existentem: ergo ipsa est.

§. III.

Argumentorum solutio.

46 COntra primam conclusionem arguitur *primò*, ex capite libertatis. Nam implicat, futuritionem actus liberi constitui per id quod pugnat cum eius libertate; sed decretum prædeterminans est huiusmodi: ergo futuritio actus liberi nequit eo decreto constitui. Sed hoc argumentum enervatum manet disp. 3. num. 51. & illud exprofesso examinabimus tract. sequenti.

47 Arguitur ergo *secundò*: Nam malitia formalis peccati Antichristi est ab æterno infallibiliter futura, at non dependenter à decreto ad illam prædeterminante: ergo non omnis futuritio infallibilis dependet à decreto Dei prædeterminante. Huius etiam argumenti solutio insinuata manet loco proximè relato num. 52. illamque fusiùs expendemus tract. sequenti, vbi eius doctrinam ab impugnationibus vindicabimus. Contra eandem conclusionem, prout iacet, nullum aliud argumentum superest solvendum.

48 Contra secùndam arguitur *primò*: Nam per hunc actum, *Antichristus non est, sed erit*, concipitur & affirmatur, Antichristum esse formam-

maliter futurum; ſed per hunc actum nihil aliud concipitur & affirmatur præter carentiam præſentem Antichriſti, & eius exiſtentiam in tempore ſequenti: ergo per hanc carentiam, & exiſtentiam ſequentem Antichriſtus conſtituitur formaliter in *eſſe futuri*. Conſequentia patet: nam per id res quælibet conſtituitur formaliter in *eſſe talis*, quo præciſe concepto vel affirmato, illa vt *talis* affirmatur atque concipitur. Minor etiam ex ipſis terminis liquet. Maior tandem probatur: Nam per illam propoſitionem non affirmatur aut concipitur, Antichriſtum eſſe poſsibilem: nam purè poſsibile nunquam erit, & de Antichriſto dicitur, quòd erit aliquando: Rursùs non affirmatur, eſſe præteritum: quia non dicitur fuiſſe, ſed fore: Tandem non affirmatur, eſſe præſentem: quia potiùs affirmatur de illo non eſſe de præſenti: Ergo affirmatur eſſe futurum.

Ad hoc argumentum (quod nihil prodeſt Patribus Societatis: quia de Antichriſto nequit verificari, quòd *erit*, hoc eſt, quòd habebit exiſtentiam abſque decreto efficaci divinæ voluntatis) Reſpondetur, concedendo maiorem; & diſtinguendo minorem: *nihil affirmatur* ſignatè, tranſeat minor: *nihil affirmatur* exercitè, nego minorem. Fatemur equidem idem affirmari ex parte rei ſignificatæ per hanc propoſitionem, *Antichriſtus non eſt, ſed erit*, ac per iſtam, *Antichriſtus eſt futurus*. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd per hanc propoſitionem, *Antichriſtus eſt futurus*, ratione copulæ de præſenti affirmatur in recto & exercitè aliquid de præſenti, & in obliquo aliquid de futuro: ſed per iſtam, *Antichriſtus non eſt, ſed erit*, ratione copulæ de futuro affirmatur in recto & exercitè aliquid de futuro, & in obliquo aliquid de præſenti. Unde prima propoſitio, nempè *Antichriſtus eſt futurus*, facit hunc ſenſum: *Antichriſtus eſt determinatus, vt exiſtat poſteà*: Quare determinatio cauſæ nunc exiſtens, vt iacet, ingreditur in recto, & exiſtentia ventura in obliquo. Secunda autem propoſitio, videlicet *Antichriſtus erit*, facit hunc ſenſum: *Antichriſtus erit exiſtens*: vbi, vt vides, exiſtentia de futuro affirmatur in recto. Sed tamen nequit non determinatio ſignatè, & ſaltèm in obliquo affirmari: quia, vt ſuprà probatum eſt, nequit de Antichriſto nunc affirmari, quòd erit, quin ſaltèm ſignatè, & in obliquo affirmetur, quòd nunc eſt determinatus, vt poſteà exiſtat potiùs, quàm non exiſtat. Et licèt nulla detur diverſitas ex parte rei ſignificatæ, vt diximus, diverſitas copulæ de præſenti, quæ reperitur in vna, & de futuro, quæ invenitur in alia, ſufficit ad inducendum diverſum modum ſignificandi eandem rem.

Neque verbum *erit* sic ampliatur, aut alienatur à propria ſignificatione, vt perperàm Ieſuitæ arguunt contra Thomiſtas. Nam iuxta explicationem Thomiſtarum verbum *erit* ita explicatur iuxta propriam & ſtrictam ſignificationem de futuro, quòd nequeat rectè explicari, niſi affirmetur per illud determinatio cauſæ de præſenti, quia non niſi ratione illius vt *exiſtentis* poteſt verificari determinatè, quòd erit: & ſic non alienamus illud verbum, aut ampliamus ad ſignificatum ſignatum illius. At Ieſuitæ in his propoſitionibus, *Antichriſtus eſt futurus*: *Antichriſtus erit*, verbum *eſt*, aut *erit* ampliant, vel accipiunt quoad ſuum ſignificatum explicitum iuxta improprios ſenſus: ducti præcisè eo motivo, quòd ad verificandas prædictas propoſitiones non eſt neceſſarius recurſus ad aliquod determinativum ſivè formale, ſivè efficiens actu exiſtens: quod non videtur ſatis tutum: Sicut non eſt ſatis tutum, hanc propoſitionem, *Antichriſtus eſt futurus*, non poſſe explicari iuxta propriam eius ſignificationem: cùm, relegata determinatione cauſæ vt proprio ſignificato illius, nihil reſtet de præſenti, quod propriè per verbum *eſt* ſignificetur.

49 Arguitur *ſecundò*: Præteritum formaliter conſtituitur per carentiam exiſtentiæ modò, & per exiſtentiam, quæ fuit: ergo etiam futurum conſtituitur per carentiam, quæ eſt, & per exiſtentiam, quæ erit. Antecedens ſupponunt Adverſarij, aſſerentes eſſe communem ſententiam Thomiſtarum: & conſequentia probatur à paritate. ¶ Confirmatur: Nam res in *eſſe exiſtentis* non conſtituitur formaliter per cauſam actualiter producentem, ſed per propriam exiſtentiam: neque in *eſſe poſsibilis* per cauſam potentem producere, ſed per eandem exiſtentiam intrinſecam vt *poſsibilem*: ergo neque in ratione *futuræ* conſtituitur per cauſam vt determinatam ad producendum, ſed per exiſtentiam habendam.

Ad argumentum reſpondetur cum Illuſt. Godoy in præf. diſp. 33. num. 134. concedendo antecedens. In ſenſu tamen longè diverſo ab eo, quem intendunt Adverſarij: Iſti enim diſcurrentes eodem prorsùs modo de præterito, ac de futuro, aiunt, quòd ſicut futurum conſtituitur in recto non ſolùm per carentiam exiſtentię, quæ modò eſt, ſed etiam per exiſtentiam, quę erit; ita præteritum non ſolùm conſtituitur in recto per carentiam exiſtentię, quæ modò eſt, ſed etiam per exiſtentiam, quę fuit. Thomiſtæ autem præteritum ſolùm in recto conſtituunt per carentiam exiſtentiæ, quæ eſt tempore prętericionis, licèt importet exiſtentiam habitam in obliquo. Iuxta quam doctrinam concedendum eſt (inquam) antecedens; ſed neganda conſequentia. Cuius diſcrimen traditur à Philoſopho 1. Perhierm. cap. 8. per hæc verba: *In ijs igitur, quæ ſunt, & fuerunt, neceſſe eſt affirmationem, vel negationem veram, vel falſam eſſe. In ſingularibus autem,*

tem, atque futuris non similiter sese res habet. Cuius rationem explicat Div. Thomas ibidem lect. 13. quia nimirùm præsens, & præteritum non manet indifferens ad existendum, & non existendum: At futurum vt *futurum*, iuxta modum illud constituendi, nihil habet modò, quod non sit indifferens ad vtrumlibet. Quare estò præteritum constituatur in recto per carentiam existentiæ, connotantem in obliquo existentiam, quæ fuit; futurum tamen non potest constitui per carentiam existentiæ, connotantem existentiam, quæ erit.

50 Hæc solutio, quoad modum ponendi futuritionem à Patribus Societatis, est adæquata. Disparitas tamen hæc non videtur sufficiens, inquit Ferre num. 1249. Nam posito decreto de existentia futuri tempore sequenti ponenda, infallibiliter ponenda est in re: ergo si ob hanc rationem carentia existentiæ, quæ modò est, vt connotans existentiam, quæ fuit, est forma intrinsecè constitutiva præteriti, etiam carentia existentiæ, quæ modò est, connotans existentiam, quæ erit, est forma constitutiva futuri.

Sed ad hoc respondetur, sustinendo solutionem suprà traditam, explicandoque radicitùs discrimen Aristotelis, & Div. Thomæ inter futurum, & præteritum. Nam cùm præteritum aliquando extiterit, potest ab eius existentia habita oriri aliqua denominatio in re præterita: ideoque hęc est vera, *Res est præterita, quia fuit*; non tamen econversò, *Ideò fuit, quia est præterita.* Quippè denominatio aliqua præsens optimè potest inferri ab existentia, quæ præcesit; sicut posterius potest inferri à priori: Et ob hanc rationem prima propositio est vera. Secunda autem, quia innuit, denominationem prœteritionis de præsenti inferre existentiam, quæ fuit, absolutè est falsa: quia posterius inquantùm *tale* nequit prius inferre. Existentia ergo rei futuræ, cùm subsequatur eius futuritionem, non potest à pripri eam inferre, vt cogitabat Ferre. Ex quo declaratum manet, quòd denominatio rei futuræ vt *talis* nequit provenire tanquam à forma, nisi ab ipso decreto, licèt denominatio rei prœteritæ non oriatur à forma existenti: proindeque estò præteritum constituatur per carentiam existentiæ, connotantem ipsam existentiam, quæ fuit; futurum verò non debet constitui per carentiam existentiæ, connotando existentiam, quæ erit, sed vnicè per præparationem causæ. Hæc diximus pro tuenda solutione Illust. Godoy, quæ valdè conformis est doctrinę N. Salm. in præs. disp. 7. dub. 6. per totum.

51 Secundò respondetur ad principale argumentum cum Sapientissimo Bolivar tract. 3. dub. 1. num. 114. negando antecedens. Eodem enim modo discurrit de præterito, ac de futuro: Nam sicut res tempore futuritionis denominatur infallibilitèr futura à decreto Dei efficaci de dando rei futuræ existentiam tempore determinato, pariter tempore præteritionis denominatur infallibiliter præterita à divino decreto, quo Deus vult rem existere in hac differentia temporis, & posteà non existere. Ideoque Adamus dicitur præteritus non ex carentia existentiæ, quæ eadem est, sive Adamus extitisset, sivè non; sed ex divino decreto, quo Deus statuit, Adamum ita existere in sua differentia temporis, quòd non extiterit in sequenti. Quocirca per idemmet decretum constituitur futurum, & præteritum, sed diverso modo consideratum: nam per illud, quatenus eo Deus vult, quòd res non existat nunc, & existat posteà, constituitur in ratione *futuræ*: & per illud, quatenus Deus vult rem extitisse, sed nunc non existere, constituitur in ratione *præteritæ*; itaut tàm futuritio, quàm præteritio non dicantur tales comparativè ad æternitatem, sed comparativè ad diversas durationes creatas. Quam solutionem insinuavimus disp. 3. num. 38. respondendo ad secundam confirm.

52 Sed dices: Æternitas decretorum Dei non tàm requiritur ex indigentia effectus producendi, quàm ex propria ipsius perfectione. Fingamus namque, reliquis prædicatis divinis perseverantibus, decreta Dei in tempore incipere, neque destructa vlterius non perseverare: vtique hoc casu adhuc verè affirmabitur Adamum olim fuisse, & modò iam non esse; at hoc non esset affirmare illum esse præsentem, futurum, aut purè possibilem: ergo est affirmare illum esse præteritum; sed non ratione decreti præsentis, quod nimirùm hypothesis ipsa excludit: ergo *esse præteritum* non consistit formaliter in decreto presenti. ¶ Confirmatur: Nam positis his duobus, nempè rem extitisse, & modó non existere, completissimè intelligimus rem esse præteritam; sed ad nullum istorum requiritur formaliter decretum actu existens: non ad primum, quia ad existentiam physicam decretum solùm habet rationem causæ efficientis: neque ad secundum, quia carentia existentię eodem modo dependet à decreto, ac ipsa existentia: si ergo ad ipsam existentiam comparatur tantùm per modum causæ efficientis, etiam ad carentiam illius.

Ad obiectionem satis constat ex dictis num. 22. Nam sicut æternitas omnipotentiæ requiritur per se non solùm ex perfectione propria ipsius Dei ad effectum vt *possibilem*, sed etiam ex indigentia ipsius effectus: & sicut æternitas decreti requiritur per se ex indigentia effectus vt *futuri*; ita æternitas decreti requiritur ex indigentia effectus vt *præteriti*. Ratio enim est eadem pro effectu tàm vt *possibili*, & *futuro*, quàm vt *præterito*; sicut enim requiritur determinatio,

tio nunc exiſtens ad effectum vt *poſsibilem*, & *futurum*, ita requiritur determinatio in Deo nunc exiſtens ad effectum vt *præteritum*: quia niſi adſit decretum, quo Deus determinet, rem nunc non exiſtere, ſemper exiſtet ex vi decreti, quo determinavit antea exiſtere, cùm non eſſet decretum reſtrictivum rei exiſtentis pro differentia temporis poſterioris ad ſuam exiſtentiam exercitam.

Ad confirmationem reſpondetur, concedendo maiorem; & negando minorem quoad ſecundam partem. Cuius probatio ibi incluſa nullius momenti eſt: Nam cùm exiſtentia phyſica rei, dum actu exiſtit, ſit forma phyſica realiter inhærens in ipſa re, poteſt ab ea denominatio *exiſtentis* provenire, quin neceſſe ſit recurrere ad aliquid extrinſecum, quod in genere cauſæ formalis det prædictam denominationem. At denominatio *præteriti*, cùm conveniat rei non iam exiſtenti, neque decretum aliquid phyſicè efficiat, à quo formaliter intrinſecè præſtetur, oportet, quòd ipſum decretum det per modum formæ extrinſecæ denominationem *præteriti*.

53 Per quod conſtat ad primam inſtantiam num. 49. in confirmatione adductam. Ad ſecundam de poſsibili, vt reſpondeatur: Nota doctrinam D. Thomæ infrà quæſt. 46. art. 1. ad 1. vbi ait: *Dicendum, quòd antequam mundus eſſet, poſsibile fuit mundum eſſe, non quidem ſecundum potentiam paſsivam, quę eſt materia, ſed ſecundum potentiam activam Dei. Et etiam ſecundùm quod dicitur aliquid abſolutè poſsibile, non ſecundùm aliquam potentiam, ſed ex ſola habitudine terminorum, qui ſibi non repugnant, ſecundùm quod poſsibile opponitur impoſsibili, vt patet per Philoſoph. in 5. Metaph. cap.* 17. Ex quibus verbis conſtat, duplicem eſſe in creatura poſsibilitatem: aliam deſumptam ex non repugnantia ſuorum prędicatorum eſſentialium, ratione cuius diſtinguitur ab impoſsibili, & hęc invenitur in omni ſtatu ſivè futuritionis, ſivè exiſtentiæ, ſivè prętéritionis. Aliam, quæ conſtituit propriè ſtatum, & ratione huius diſtinguitur poſsibile à futuro, exiſtenti, & prętérito. Inter has duas poſsibilitates datur aliud diſcrimen: nam prima conſiſtit in denominatione negativa, licet nomine tenus appareat affirmativa, ſecunda verò eſt poſitiva.

Ex his reſpondetur, poſsibile ſecundùm poſsibilitatem poſitivam, ſeu conſtituentem ſtatum, conſtitui formaliter per omnipotentiam per modum cauſæ formalis extrinſecæ, vt ſatis colligitur ex verbis D. Thomæ proximè relatis: quem modum dicendi aperte tradunt N. Salm. in pręſ. diſp. 7. num. 39. Vnde hęc inſtantia poteſt retorqueri in Adverſarios, & ea confirmatur non leviter noſtra ſententia: Nam quia res denominatur *poſitivè poſsibilis* quoad ſtatum, & nullum aliud prædicatum poſitivum pro illo ſtatu exiſtit præter omnipotentiam, à quo prædicta denominatio poſsit præſtari, rectè arguitur, omnipotentiam eſſe vnicam cauſam formalem extrinſecam poſsibilitatis; ſed idem vrget in futuritione: ergo nulla forma poteſt aſsignari pro conſtitutivo futuri quoad ſtatum præter decretum. ¶ Neque ex eo, quòd poſsibile iuxta primam acceptionem conſtituatur intrinſecè per aliquid intrinſecum, deducitur dari aliquam futuritionem conſtitutam per aliquid intrinſecum ipſi futuro: Tum quia omnis futuritio eſt prædicatum contingens: quare nequit non provenire ab aliquo prædicato contingenti; quod nullum poteſt aſsignari tępore futuritionis præter decretũ liberum Dei. *Tum etiam*: Nam propterea poſsibili aſsignamus illam duplicem poſſibilitatem, quia poſsibilitas deſumpta ex non repugnantia prędicatorum convenit ei pro omni ſtatu, quæ quidem ſe habent vt ſubſtratum, ſivè ſubiectum poſsibilitatis, futuritionis, exiſtentię, & præteritionis. Quocircà ad futuritionem nihil aliud deſideratur præter hæc prædicata eſſentialia rei extrinſecè deputata, & ordinata ad exiſtendum tempore determinato.

54 Vltimò arguitur: Nam decretum efficax Dei eſt cauſa efficiens futuritionis creaturarum: ergo non eſt forma conſtitutiva futuri. Antecedēs probatur: Tum, quia futuritio eſt effectus formalis; ſed omnis effectus formalis habet cauſā efficientem: ergo decretum Dei eſt cauſa efficiens futuritionis. Tum etiam: nam rem eſſe futurā eſt veritas creata; omnis autem veritas creata dependet à Deo tanquam à cauſa efficienti: ergo. Deinde probatur cōſequentia. Nulla cauſa eſt efficiēs, quin producat aliquem effectum diſtinctum à ſeipſa cum ſeipſam non poſsit producere: & propterea probamus tàm in Philoſophia, quam in Theologia, vnionem realiter diſtinctam ab extremis, quia ſcilicet datur nova actio, & non productiva multoties extremorum: ergo quod producitur à decreto, non ipſum decretum, erit forma conſtitutiva futuri. Quę vtique nihil aliud eſſe poteſt prętèr intrinſecum ordinem, & connexionem infallibilem ad exiſtentiam, quę erit.

Hoc argumentum proponimus ad enucleandam quandam doctrinam N. Salm. quam afferunt loco ſuprà relato à n. 38. quam ægrè ferunt aliqui Thomiſtę, præcipuè Illuſt. Godoy loco ſuprà citato num. 50. Reſpondetur ergo imprimis cum prædictis Patribus n. 37. quòd eſtò ad futuritionem non requiratur decretum per modum cauſæ efficientis, deſideratur per modum cauſæ formalis extrinſecæ: Et hoc ſufficit, vt conſtituat formaliter futurum, quia hoc, & non alio modo concipitur conſtitutivum futuri: ſicut hoc modo concipitur conſtitutivum viſi, quod in ratione talis tantùm dependet formaliter ab apſa viſione tanquam à forma extrinſecè denominante.

Sed

55 Sed ad tuendam (quantùm fas sit) doctrinam prędictorum PP. Respondetur *secundò*, concedendo antecedens, modo proximè explicando; & negando consequentiam. Et ad eius probationem dicendum est, quòd eo pacto, quo Deus dicitur causa efficiens possibilitatis tàm positivæ, quàm negativæ suprà descriptæ, dicitur causa futuritionis per suum decretum. Porrò Deus per suam omnipotentiam in aliquo vero sensu debet dici causa efficiens possibilium ratione status: non quia forma denominans *possibile* in ratione status, & ipsa denominatio sit effectus omnipotentiæ in genere causæ efficientis: quia, vt rectè probat argumentum, est quid indistinctum ab ipsa omnipotentia; sed quia ipsa omnipotentia à priori infert (vt prima omnium causa) in genere causę efficientis possibilitatem negativam rerum, quæ est subiectum possibilitatis positivæ, seu denominationis provenientis ab eadem omnipotentia. Vt enim aliqua causa sit verè effectiva alicuius effectus totalis, non requiritur, quòd producat omnes eius partes, sed sufficit, quòd producat, seu inferat à priori aliquam eius partem, vel vnionem partium: vt liquet in productione Verbi divini, per cuius actionem Pater æternus non producit essentiam diuinam, sed personalitatem tantùm: & in actione incarnativa, quæ neque producit humanitatem; aut personalitatem, sed tantùm vnionem hypostaticam. Vnde eó tantùm potest Deus dici causa efficiens possibilium secundùm statum, quia infert à priori & in genere causę efficientis subſtratum illius, nempè, possibilitatem negativam eorum. Quod (velit, nolit) concedit ipse Godoy num, 30. dum concedit in possibili hanc possibilitatem intrinsecam per modum subſtrati: qua concessa, cùm sit veritas creata, & per participationem, necessariò fateri debet, Deum esse veram causam efficientem totius complexi.

56 Ad rem ergo deveniendo: Dicimus, quòd vt Deus dicatur vera causa efficiens futuri ratione decreti, sufficit, quòd à priori inferatur à Deo in genere causæ efficientis subſtratum futuritionis, quod non est aliud præter possibilitatem negativam; & quòd à priori in genere causæ formalis oriatur denominatio *futuri*: quia tunc totum complexum dependet à Deo, & non nisi dependenter à decreto. Et in hoc sensu intelligendi sunt prælaudati PP. in eodemque sensu explicandi sunt, dum aiunt, futuritionem esse novam veritatem creatã, quia coalescit ex veritate intrinseca possibilium per modum subiecti, & ex ipsa formali futuritione, quæ formaliter procedit à decreto.

***

DISPUT. V.

De Impossibilitate scientiæ mediæ.

HÆC disputatio est corollaria duarũ præcedentium, in eaque velùt in compendio trademus, quæ præcedentibus determinata sunt. Deserviet etiam ad aperienda plura (inter innumera) inconvenientia, quæ ex positione scientiæ mediæ, seu scientiæ conditionatæ Iesuiticæ inferuntur: necnon ad solutionem plurium obiectionum, quas Thomistis Aduersarij opponunt.

DUBIUM UNICUM.

Utrùm scientia media, seu conditionata Iesuitica sit impossibilis?

ANtequàm ad difficultatis punctum accedamus, operæ pretium duxi scientię conditionatæ tam Iesuiticæ, quàm Thomisticæ indolem, conuenientiam, discretionem, & nomen explanare, vt omnis æquivocatio pellatur. Et quia Theologum agere in animo est, & non historiographum, omnes illas narrationes, etsi vtiles ad præsentem controversiam, prætermittemus, quę ad antiquitatem, inventionem, & progressum scientię medię conducunt. Videantur tamen (si placet) N. Salm. tract. 3. disp. 10. *per totam*, & Ioannes à Sancto Thoma, qui sincerè (vt par erat) referunt disputationes habitas Romæ super hac grauissima re coram Clemente VIII. & Paulo V. necnon coram pluribus Cardinalibus, & triginta doctissimis viris ab his duobus summis Pontificibus ad hanc causam velut Iudicibus, & Censoribus designatis.

§. I.

Scientiæ conditionatæ explanatio.

1 NOta *primò* (ne controversia hæc sit de nomine) non esse idem *scientiam esse conditionatam*, ac mediare inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. Et ratio est: quia omnes ex Nostratibus, & plures ex Iesuitis tenent, scientiam dividi adæquatè in vtranque scientiam relatam, quam divisionem probatam relinquimus disp. 2. à num. 21. & docuimus, scientiam conditionatam, prout terminatur ad subſtratum futuri conditionati, esse simplicis intelligentiæ, & prout terminatur ad formam constituentem illud in ratione *talis*, esse scientiam, qua videntur cætera prędicata formalia Dei, vel visionis. A quo modo dicendi om-

omnem ſcientiæ mediæ profeſſorem recedere neceſſe eſt, qui futurum conditionatum per nullum prædicatum exiſtens conſtituit. Vnde quod ad examen vocamus, eſt: An inter ſcientiam naturalem ſeu neceſſariam, & liberam detur in Deo aliqua ſcientia media? Pro cuius maiori luce:

2 Nota *ſecundò*, ſcientiam divinam conditionalem, quæ à Ieſuitis, eiuſque ſectatoribus defenditur, ſic aptè deſcribi poſſe: *Cognitio infallibilis contingentium conditionatorum, independens à decreto præſenti.* Quam deſcriptionem, quæ eſt propria ſcientiæ mediæ, poſſumus explicare per hanc formulam loquendi, qua velùt vtitur Deus, nempè *Scio Tyrios* (v. g.) *convertendos eſſe, ſi decernerem, Evangelium eis à Chriſto proponi.* Econtrà verò ſcientia conditionata, quæ à Noſtratibus acerrimo conatu tuetur, ſic congruè definiri valet: *Notitia infallibilis contingentium conditionatorum Deo libera.* Vel (quod in idem recidit, & præcedentem magis explicat) *Scientia futurorum infallibilis, & contingens, decreto abſoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti innixa.* Dicitur decretum hoc *abſolutum ex parte actus*, ſeu ſubiectivè: quia actu exiſtit in Deo, cùm actu efficaciter, & ab æterno decernat converſionem Tyriorum, ſub conditione quòd Chriſtus illis prædicaſſet. Dicitur item *conditionatum obiectivè*: quia non reſpicit obiectum vt exiſtens, aut extiturum abſolutè, ſed dumtaxat quod exiſteret, ſi purificaretur à Deo conditio, nempè Chriſti Domini prædicatio. Ex quo habes, Deum per hanc ſcientiam Thomiſticam hoc, vel ſimili modo, tendere: *Scio Tyrios convertendos eſſe: quia nunc & ab æterno volo, & decerno, quòd ſi vellem proponi illis Evangelium à Chriſto, convertantur. Sed quia abſolutè nolo, quòd convertantur; nolo etiam, quòd illis à Chriſto Evangelium proponatur.*

3 Ex quo vides, in quo ſcientia conditionata Ieſuitica cum Thomiſtica conveniat; & in quo ab ea differat. Convenit tum in certitudine (vt profeſſores ſcientiæ mediæ ſine fundamento aiunt) quia vtraque eſt infallibilis ſui obiecti: tum in conditione vel hypotheſi, quæ vtrobique indifferens ad eventum, & eius carentiam eſſe aſſeritur: Non enim hic eſt ſermo de illis conditionatis, quæ, conditione poſita, neceſſaria ſunt: vnde conditionalis iſta, *Antichriſtus converteretur, ſi prædeterminaretur à Deo ad converſionem*, in omnium ſententia eſt neceſſaria, pertinetque ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt ſuprà diximus.

4 Differt tamen ab ea toto cœlo. Primò & præcipuè ex parte medij quo obiectum à Deo cognoſcitur: quia in Schola Thomiſtica medium eſt voluntas Dei, non ideò noſcentis conditionaliter, quia ſic fiet obiectum ſub conditione, ſed quia ipſe Deus ita vult cognoſcere, & quia iam actu opus noſtrum decrevit eſſe futurum ſub conditione indifferenti: Et ita ſcientia futuri conditionati non ponitur vt omninò neceſſaria, vt Deus efficaciter velit (quam præ-diffinitionem ad operis liberi, & boni exiſtentiam eſſe requiſitam, etſi pendentem à directione ſcientiæ mediæ, quidam Societatis aſſerunt) ſed potiùs ſubſequitur ad ipſum decretum, totum hoc negotium in divinum decretum, & ſuavem, fortiſſimam tamen, divinę voluntatis efficaciam reſolvendo. In Schola verò Ieſuitarum nullum medium connexionis actu præſens deſideratur; ſed ſufficit eſſentia divina tanquam medium purę repræſentationis, quatenus ratione eſſentiæ (quæ eſt ſpecies rerum omnium perfectiſsima) intellectus divinus ſufficienter determinatur ad cognoſcendam converſionem Tyriorum, ſemel poſito quòd ab illis ſivè abſolutè, ſivè conditionatè ponenda ſit.

5 Secundò differt ex parte conditionati. Nam in noſtra ſententia futurum contingens conditionatum, & procedens à voluntate creata, petit duas actiones, primam liberam Dei; & homini ſecundam, itaut licèt ſecunda hominis arbitrio evitabilis & libera ſit; prima tamen, id eſt actio divina, vel prædeterminatio, neque vllo modo libera, neque evitabilis, vel comparabilis eſt à noſtro arbitrio. In ſententia verò Ieſuitica conditionatum, facta libertatis à Deo conceſſæ ſuppoſitione, eſt tantundem homini liberum; & actio Dei eſt à nobis acquiſibilis, & evitabilis.

6 Ex quibus liquet *primò*, ſcientiam conditionatam in vtriuſque partis pictura non dici *conditionatam*, quia ſit talis ex parte ſubiecti; aliàs non eſſet formaliter in Deo, ſed ſolùm eſſet in illo, ſi purificaretur conditio, ad modum quo Ieſuitæ diſcurrunt circa decretum conditionatum, proindeque defactò Deus non haberet cognitionem infallibilem de futuro conditionato, cuius conditio nunquam purificabitur: at oppoſitum tenet vtraque Schola, vt vidimus diſp. præced. & colligitur ex ſuprà dictis deſcriptionibus. Dicitur ergo *conditionata præcisè ex parte obiecti*: vel quia obiectum eius eſt futurum purè conditionatum (hoc eſt) quod nunquàm defactò erit; vel quia eſtò aliquando erit, dependenter tamen à conditione, quæ etiam implebitur; attamen, vt pertinet ad hanc ſcientiam, priùs conſideratur ſub ſtatu conditionato, & antecedenter ad decretum abſolutum & efficax terminatum ad conditionem.

7 Liquet *ſecundò*, cur ſcientia conditionata Ieſuitica iure optimo ab omnibus appelletur *media*, quia nimirùm mediat inter ſcientiam Dei neceſſariam, & liberam. Quod duobus modis explicari valet: Primò quia de vtraque ſcientia aliquid participat, ſicut quodlibet medium de extremis: à neceſſaria enim participat libertatis

tis exclusionem, cùm non præsupponat decretum: à libera verò contingentiam, cùm terminetur ad obiectum contingens. Atque adeò, propriè loquendo, nec necessaria est, nec libera: Non necessaria: quia absolutè est defectibilis, sicut obiectum, in quod fertur: supposita enim sufficientia ad consensum, vel dissensum, privativè est in manu creaturę, & per exclusionem Dei vt determinantis, facere, quòd existat in Deo scientia media de consensu, consentiendo; vel quòd existat scientia media de dissensu, dissentiendo, & deficiat altera scientia. Neque libera: quia neque ipsa, neque eius obiectum decretum Dei actu existens prærequirit, sicut illud exposcunt obiecta scientiæ liberæ.

Secundò potest explicari modus, quo mediat inter vtranque scientiam, ratione obiecti ab ea per se inspecti. Hoc enim est futurum conditionatum; futurum autem conditionatum est medium inter obiectum scientiæ necessariæ, & liberæ: nam scientia necessaria terminatur ad creaturas possibiles, & necessarias; libera verò ad futura absoluta: inter quæ obiecta mediat vtique futurum conditionatum, vt ex se liquet.

8 Nota *tertiò*, scientiam mediam, adhuc iuxta illius propugnatores, latiùs patere quàm scientiam conditionatam: Quia omnis scientia conditionata est scientia media; non verò omnis scientia media est conditionata: nam prout explicatur nomine scientiæ *conditionatæ*, solùm terminatur ad futura conditionata; sed prout explicatur nomine scientiæ *mediæ*, extenditur etiam ad futura absoluta ante divinum decretum actu existens. Quocirca Suarez tom. 1. Prolog. 2. *de Gratia* cap. 1. num. 3. non immeritò revocat scientiam hanc ad scientiam visionis.

His ad scientiæ mediæ, seu conditionatæ Iesuiticæ intelligentiam ita prælibatis, sensus huius controversiæ est: An existat in Deo hæc scientia; vel ex quibus capitibus illi repugnet? Erga quam solùm adducemus præcipua capita, ratione quorum videtur impossibilis: nam omnia inconvenientia recensere esset in immensum abire: ob eandem rationem à referendis Authoribus pro vtraque parte supersedemus.

§. II.

Reiectio scientiæ mediæ ex Scriptura.

9 DIcendum est, scientiam mediam, seu conditionatam Iesuiticam esse impossibilem. Hæc conclusio probatur *primò* pluribus testimonijs sacræ paginæ. Præcipuè ex illo Apost. 1. ad Corinth. cap. 4, vbi ait: *Ne, supra quàm scriptum est, vnus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ergo iuxta Apost. discretio consentientis à non consentiente revocari debet in gratiam Dei; sed iuxta principia scientiæ mediæ non revocaretur in gratiam Dei: ergo secundùm scripturam hæc scientia est impossibilis. Minor subsumpta probatur: Nam, iuxta illius principia, in auxilijs gratiæ consentiens, & non consentiens essent pares: ergo discretio vnicè revocaretur in arbitrium creatum, non in gratiam Dei.

10 Respondent communiter Patres Societatis, in hoc testimonio loqui Apostolum de discretione, quę actu fit, quæ potiùs est obiectum scientiæ visionis, quàm scientiæ conditionatæ. Et ita importunè hùc affertur præfatus locus Apostoli: quia impræsentiarùm solùm sit sermo de scientia conditionata, quę non terminatur ad discretionem, quæ actu fit, sed quę esset, si poneretur conditio; proindeque non petit principium, quod actu discernat.

Sed hæc evasio impertinens est. Tum quia, vt diximus disp. præced. licet discretio inter Tyrios (v. g.) & Sidonios non sit futura absolutè, est tamen actu futura conditionatè; sed ad discretionem futuram, & exercitam absolutè requiritur actu, & ab æterno principium activum actu discernens bonos à malis: ergo etiam ad discretionem actu futuram conditionatè requiritur principium actu existens præparans huiusmodi discretionem. *Tum etiam*: Quia iuxta Adversarios discretio ita ex eisdem principijs sumenda est, ex quibus posita conditione sumitur discretio absoluta: ergo testimonium D. Pauli æquè vrget in statu conditionato, ac in statu absoluto.

11 Propter hæc respondent solutione vtrique statui accomodata: dicuntque, quòd in statu absoluto Deus salutariter operantem discernit à non operante, vt simul homo se discernat; Deus quidem principaliùs & in genere causę omnia bona dantis; homo verò minùs principaliter & in genere causæ eligentis, & acceptantis gratiam Dei: vt sic possit homo gloriari non ex operibus naturalibus, sed ex gratiosis, quę ex gratia procedunt: iuxta illud Apost. 2. ad Corinth. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et iuxta illud eiusdem Apost. 2. ad Corinth. 3. *Omnis sufficientia nostra ex Deo est.*

Sed contrà est *primò*: Nam Deus nequit dici principalis discernens per hoc, quòd donet consentienti principia sufficientia, inter quæ computatur gratia sufficiens: ergo esset liberum arbitrium, contra mentem Apost. Antecedens probatur: Nam per gratiam consentienti, & non consentienti communem nequit Deus esse principalis discernens vnum ab alio: nam, vt inquit D. August. lib. *de Prædestin. SS.* cap. 5.

Nihil

Nihil autem huic ſenſui tàm contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quenquam gloriari, tanquam ipſe ſibi fecerit, non gratia Dei: ſed gratia, quæ diſcernit bonos à malis, non quę communis eſt bonis, & malis: ſed in gratia ſufficienti ſunt pares conſentiens, & non conſentiens: ergo Deus nequit dici principalis diſcernens per hoc, quòd donet conſentienti principia ſufficientia.

12 *Secundò*: Nam ſi Deus eſſet principalis diſcernens conſentientem à non conſentiente, conſenſus ſalutaris eſſet gratia & beneficium ſpeciale Dei; ſed conſenſus ſalutaris non eſſet gratia & beneficium ſpeciale Dei, ſi tantùm tribuit conſentienti omnem ſufficientiam, ſicut & diſſentienti: ergo Deus nequit dici principalis diſcernens conſentientem à non conſentiente, per hoc præcise quod conſentienti donet gratiam ſufficientem. Maior videtur certa: nam omnis effectus gratioſus potiùs reduci debet in cauſam principaliorem, quam in minùs principalem, proindeque ſi Deus eſt principalis diſcernens, conſenſus ipſe eſſet ſpeciale donum Dei. Minor verò probatur: Tum ex D. Thoma 3. Contra gent. cap. 89. vbi reprehendit Origenem ex eo, quòd aiebat, Deum eſſe ſpecialem donantem nobis *velle*, & *perficere*, quia dat nobis virtutem volendi, non autem ſic, quòd faciat nos velle hoc, aut illud: ergo nequit conſenſus dici ſpeciale donum Dei, ſi tantùm tribuit conſentienti omnem ſufficientiam. Tum etiam: nam ſi æquè tribuit Deus conſentienti, ac non conſentienti omnem ſufficientiam, quin præter hoc habeat alium influxum ſpecialem, & prævium in conſenſum, ipſe conſentus non eſſet alia gratia præter gratiam ſufficientem: ergo ſolùm eſſet gratia in ſua radice, non in ſeipſo: ergo ſolum teneretur conſentiens gratias Deo referre ſpecialiter propter gratiam ſufficientem, non verò ſpecialiter propter ipſum conſenſum, vt ex ſe liquet: non ergo eſſet ſpeciale beneficium Dei.

Nec proficit recurſus ad concurſum ſimultaneum. Nam Deus per concurſum ſimultaneum ſolùm concurrit vt determinatus a creatura: vnde æqualitèr offert illum conſentienti, ac non conſentienti: ergo huiuſmodi concurſus nequit diſcernere principalitèr conſentientem à non conſentiente. Conſequentia probatur. Nam *diſcernere vnum ab alio* eſt vnum alteri præferre; ſed *offerre ſuum concurſum ſimultaneum*, non eſt præferre vnum alteri: ergo huiuſmodi concurſus nequit diſcernere conſentientem à non conſentiente.

13 *Tertiò*: Non ſtat, Deum principaliter diſcernere conſentientem in actu ſecundo à non conſentiente, quin conſenſus actualis ſit ſpecialis gratia Dei diſtincta à gratia ſufficienti; ſed non ſtat actualem conſenſum eſſe ſpecialem gratiam Dei ſi ſolùm donat principia ſufficientia ad conſenſum: ergo. Minor probatur: Nam id, ad quod homo non tenetur orare, imò ad quod eſſet ſtulta oratio, non eſt gratia ſpecialis Dei; ſed ſi ad ſalutarem conſenſum non opus eſt, quòd Deus donet aliam gratiam prævenientem præter principia ſufficientia ad conſenſum, non eſt neceſſaria, imò ſtulta eſſet oratio ad conſentiendum. Minor probatur: Tum ex D. Auguſt. lib. 1. *de Natura & gratia* cap. 19. vbi ait: *Quid ſtultius quàm orare, vt facias, quod in poteſtate habes?* Tum ex D. Hierony. lib. 2. adverſus Pelag. vbi ad confutandos Pelagianos, vtens illis verbis Chriſti Domini Math. 26. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*, ſic loquitur: *Debuiſſet dicere iuxta vos: Surgite, & reſiſtite. Liberum enim habetis arbitrium; & ſemel conceſſa vobis à Domino poteſtate, nullius alterius indigetis auxilio.* Tum denique ratione ex his teſtimonijs deducta. Nam oratio ſolum dirigitur ad id, quod non eſt in manu noſtra: ad conſenſum ergo ſalutarem præter gratiam ſufficientem vel requiritur nova gratia, vel non? Si primum: ergo Deus nequit eſſe principalis diſcernens per gratiam ſufficientem. Si ſecundum: ergo ſolùm eſt neceſſaria oratio ad gratiam ſufficientem, proindeque, hac ſuppoſita, ſuperflua erit oratio ad conſenſum.

14 Maximè: quia in ſententia Adverſarij tum voluntas (licèt gratia elevata) habet ex ſe virtutem agendi proximam, qua partialitèr concurrit ad conſenſum: quod à fortiori fatendum eſt, ſemel conceſſo quòd gratia Dei non eſt, quæ primò determinat & eligit, ſed ipſa voluntas. Ex quo ſequitur *primò*, quòd homo ex proprijs viribus ſe ſaltèm partialitèr diſcernat. Quod etſi non negent Adverſarij, eſt contra mentem Auguſt. lib. *de Dono perſev.* cap. 6. vbi ait: *Tutiores igitur vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Idemque paſsim clamant alij PP. relati tract. 2. diſp. 3. num. 65. Sequitur *ſecundò*, quòd homo per vires proprias ſit principalitèr diſcernens, & Deus minùs principalis. Nam ille principaliùs diſcernit conſentientem à non conſentiente in actu ſecundo, qui principaliùs influit in conſenſum; ſed, ſuppoſita in homine virtute proxima ad conſenſum ſalutarem, influxus illius eſt principalior, quàm influxus gratiæ: influxus enim gratiæ determinatur & ſubordinatur influxui proprio voluntatis creatę: ergo &c.

15 Nec proderit recurſus, pro his impugnationibus vitandis, ad ſimplicem conſenſus prædiffinitionem regulatam ſcientia media: quam quidem neceſſariam eſſe ex parte Dei fatentur plures Patres Societatis, quamvis non ſit neceſſaria ex parte effectus.

Non, inquam, proderit: Tum, quia ab eis principijs dependet conſenſus abſolutus, à quibus conditionatus; ſed conſenſus conditionatus non ſupponit prædiffinitionem ſimplicem

ex parte Dei regulatam per scientiam mediam: ergo hæc prædiffinitio simplex ex parte Dei non datur in statu absoluto, proindeque Deus non discernit per eam consentientem in actu secundo à non consentiente. Maior admittitur ab Adversarijs. Et minor probatur: Nam consensus conditionatus est obiectum proprium scientiæ mediæ; sed hæc, vtpotè pure speculativa, præsupponit suum obiectum: ergo præsupponit consensum conditionatum; ac proinde vel ad eum non requiritur ex parte Dei prædiffinitio consensus, vel hęc non dependet à directione scientiæ mediæ. *Tum etiam*: Nam si huiusmodi prædiffinitio non requiritur ex parte effectus, sed tantùm ex parte Dei, discretio in actu secundo ex parte Dei erit purè affectiva & extrinseca, quatenus cum maiori affectu tribuit idem donum sufficiens consentienti præ non consentienti, non verò effectiva & intrinseca: ergo quòd hæc prædiffinitio simplex reddatur efficax reipsà, vnicè dependet ex determinatione creaturæ: ergo reipsà creatura consentiens est, quę principaliter discernit se à non consentiente. *Tum denique*: Nam iuxta Adversarios prædicta prædiffinitio non applicat per maiores vires consentientem, & aliunde est ab illo evitabilis, & acquisibilis: ergo, suppositа gratia sufficienti secundùm se æquali vtrobique, non opus est pro vincenda tentatione speciali oratione, iuxta dicta D. Augustt. & Hieronym.

16 Ex quibus præclusum manet aliud commune effugium Adversariorum, nempè ad coniunctum ex collatione auxilij sufficientis, & scientia media congruitatis: quatenus nimirum hìc & nunc vocatio congrua confertur à Deo ex affectu congruitatis, ratione cuius consentiens maius reipsa, & quoad effectum recipit donum, quia accipit ab eo non tantùm entitatem auxilij vtrobique communis, sed etiam ipsum consensum, eo quòd auxilium congruum ei conferre decrevit, hoc est, quia decrevit conferre ei auxilium idem vtique quoad entitatem, in occasione tamen & circumstantijs, quibus cognovit per scientiam mediam se consensurum. Vnde semper Deus est principalis discernens.

Ex dictis (inquam) hoc effugium manet præclusum. Tum, quia ex hac solutione infertur saltèm, quòd homo in statu conditionato se principaliter discernat: ergo idem dicendum erit de illo in statu absoluto. Patet consequentia: nam ab eisdem causis, à quibus prævidetur dependens effectus in statu conditionato, dependet in statu absoluto. Antecedens verò probatur: Nam Deum constituere absolutè hominem in hac occasione & circumstantijs, & donare ei absolutè auxilium, quod appellatis *congruum*, pendet ex eo, quòd Deus prævidet per scientiam mediam, quòd Petrus, si ponatur cum his conditionibus se tenentibus ex parte actus primi, consentiet; & Paulus non consentiet: Petrus acceptabit gratiam; & Paulus non acceptabit: ergo vnicum determinans in actu secundo consensum conditionatum est ipsa voluntas Petri: ergo ipsa est, quæ in illo statu conditionato se vnicè discernit physicè in actu secundo, ex quo Deus movetur ad dandam absolutè totam congruitatem auxilij. *Tum etiam & breviùs*: Nam, concepta gratia sufficienti in Petro in hac occasione & circumstantijs, sivè in statu conditionato, sivè absoluto, Petrus potest reddere vacuam gratiam Dei, sicut & Paulus: ergo si, nullo alio superaddito, ille reddit illam efficacem, & iste non, vnicè dependet ex libero arbitrio: ergo in actu secundo liberum arbitrium est, quod in vtroque statu principaliter se discernit. *Maximè*: Quia si Petrus, positis omnibus illis requisitis ex parte actus primi, & omni alio dono secluso, potest consentire, & non consentire, non habet Deus medium, in quo infallibiliter sciat illum consensurum, vel non consensurum: ergo donum illi collatum in statu absoluto nequit dici *congruum* ex prævisione scientiæ mediæ.

§. III.

Reiectio scientiæ mediæ ex D. Augustino.

17 PRobatur *secundò* conclusio ex mente D. Augustini. Quod multipliciter fieri valet: primò ex confessione Adversariorum: nam vt ait Irin. lib. 4. cap. 14. *Illa est vera, & sine contradictione probatio, quæ etiam ab Adversarijs ipsis symbola testificationis profert*; sed ipsi Adversarij vltrò fatentur, suam scientiam ab opinione Augustini recedere: ergo scientia media est contra mentem Div. Augustt. Minor probatur: Tum, quia Molina, qui huius scientiæ gloriatur fuisse primum inventorem, in Concordia quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. attestatur, quòd si sua scientia data, explanataque fuisset, *ex Augustini opinione tot fideles non fuissent turbati*: ergo scientia media aliena est à sententia Augustini. Tum etiam: nam Vazquez 1. part. disp. 97. cap. 3. num. 19. & 20. ait: *Fateor sanè suspecta mihi esse testimonia Prosperi, & Fulgentij* (in materia de gratia) *quòd diligentissimi, & exactissimi Augustini discipuli sint, & oppositam* (ei, quam tenet ipse Vazquez) *videantur sequi sententiam*. Tum denique: nam, alijs prætermissis, Ioan. Mariana lib. 3. *de Morte & immortalit.* cap. 6. sic affatur: *Augustinus argumentis victus novam prædestinationis formam invexit post lapsum hominis: non fluxam quoad eventum, & inconstantem quippè ex libero arbitrio; sed ex gratia certam prorsùs, ac ratam, atque ex vocantis voluntate.*

18 Secundò suaderi potest: Supponendo, quòd opinio Augustini in materijs de prædesti-

na-

natione, & de gratia eſt doctrina vniverſalis Eccleſiæ. Quæ ſuppoſitio, miſsis innumeris teſtimonijs ſummorum Pontificum, Conciliorum, & SS.PP. erga doctrinam generalem D.Auguſtini, probatur ſpecialiter vno vel altero circa has materias. Nam Innocent. I. epiſt. ad S. Auguſt. & invenitur in operibus ipſius S. Auguſtini tom.2. & in numero epiſtolarum eſt 93. ſic ei conſcripſit: *Multifarijs ad deſtruendum* (Pelagianorum) *Magiſterium vti poſſemus exemplis, niſi ſciremus Sanctitatem veſtram ad plenum omnes Scripturas callere divinas; præſertim cùm veſtra relatio tantis ac talibus teſtimonijs ſit referta, vt his ſolis valeat præſens dogma* (Pelagianum) *reſcindi.* Clemens VIII. in ſerm. ad Congreg. de Auxilijs ſic aiebat: *Cùm multi Pontifices Prædeceſſores noſtri doctrinæ S. Auguſtini de Gratia tam acres fuerint aſſertores, & vindices, vt quaſi hæreditario iure eam in Eccleſia relinqui voluerint; æquum non eſt, vt patiar eam hac quaſi hæreditate privari.* Neque prætermittendo iudico clarum teſtimonium D. Hieronym. (licèt alia perilluſtria SS. Fulgentij, Proſperi, Bernard. Remigij, Prudentij taceam) qui lib. 3. Dialog. adverſus Pelagianos cap.vltimo hæc habet: *Superſedendum huic labori* (ſcribendi contra Pelagianos) *cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatij: In ſilvam ne ligna feras: aut enim eadem diceremus ex ſuperfluo; aut ſi nova voluerimus dicere, à clariſsimo ingenio* (S.Auguſtini) *occupata ſunt meliora.* Et in epiſt. 30. apud S. Auguſtinum ait: *Mihi decretum eſt amare te, ſuſcipere, colere, mirari, tuaque dicta quaſi mea defendere:*

Quo ſuppoſito, probatur aſſumptum principale teſtimonio Clementis VIII. loco proximè citato, quod eſt clariſsimum, eſtò ſit ab eo tanquam à Doctore particulari: *Ratio* (inquit) *propterquam aſtringere ſtatui totam hanc diſputationem* (de Auxilijs) *ad normam doctrinæ S. Auguſtini de Gratia, ſecunda eſt, quòd idem Sanctus nihil videtur prætermiſiſſe eorum, quæ ad præſentes controverſias pertinent. Quandoquidem ſi agitur de neceſsitate gratiæ, eam deſcribit dicens: eſſe neceſſe, vt nos præveniat, comitetur, & ſequatur. Si de vi, aſſerit, vires efficaciſsimas præbere voluntati. Si de effectu, teſtatur facere de nolente volentem. Si de modo, aſſerit, Deum in facere omnipotentiſsima facilitate. Denique ſic diſſolvit obiectiones, vt doceat, liberum arbitrium non tantùm benè cum illa gratia, quam defendit, cohærere, ſed etiam fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum.* Quis non videat in his dictis plura contineri aliena à ſenſu ſcientiæ medię? Suadetur inſuper teſtimonio S. Fulgentij lib. 2. *de Verit. prædeſtin.* cap. 18. vbi loquens de S. Auguſtin. ſic ait: *Senſum quippè Chriſti habens, tam gratiæ Dei, quàm humani arbitrij & officia diſcrevit, & merita; ſemper divinis humana ſubjiciens, & veraciter docens, divinitùs homini & gratuitò iuſtificationis opus, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum.* Accedat S. Proſperus, qui in epiſt. ad Auguſt. hæc ſcribit: *Hoc propoſitum vocationis Dei, quo ante mundi initium eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, vt ſecundùm quòd placuit Creatori, alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere* (dicunt Maſsilienſes) *& Sanctis occaſionem temporis adferre. Removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, & ſub hoc* prædeſtinationis *nomine fatalem quandam induci neceſsitatem. Atque vt brevius, ac plenius quidquid opinantur, exponam, quidquid in libro hoc ex contradicentium ſenſu Sanctitas tua ſibi oppoſuit, hoc totum ab iſtis Sanctis* (ipſis Maſsilienſibus) *intentioſiſsimè conclamatur.* In quibus verbis, quæ ſinceram Auguſtini mentem continent, plura reperies ſcientię medię adverſa. ¶ *Adde:* Nam Bellarm. *de Grat. & lib. arbitr.* lib.1.cap. 12. ait: *Hęc opinio* (Molinæ ſcilicet de Gratia efficaci) *aliena eſt omninò à ſententia S. Auguſtini, & quantùm ego exiſtimo à ſententia etiam Scripturarum.* Et infrà: *Et evertit omninò fundamentum prædeſtinationis divinæ, quam Auguſtinus ex divinis literis ſolidiſsimè comprobavit.*

19 Mitto inconvenientia, quę olim doctrinæ Auguſtinianæ Maſsilienſes objiciebant, & prædeſtinationi Thomiſticę defenſores ſcientiæ medię nunc objiciunt: quod non leve ſignum eſt, ſcientiam decreto Thomiſtico innixam eſſe eandem, quam ponebat D.Auguſtinus; & ſcientiam mediam eſſe ei adverſam. Mitto etiam, ſanctiſsimum Parentem in concordia libertatis, & gratiæ, & ad explanandas prædeſtinationis hinc inde ebullientes difficultates nunquam recurriſſe ad ſcientiam mediam: quod argumentum, licèt negativum, non parùm vrget: quia cùm eam ignoraſſe non præſumendum ſit de eius ſublimi ingenio, ea vſus ſanè fuiſſet, ſi veram credidiſſet. Mitto denique argumenta petita ex principijs Auguſtinianæ doctrinæ, quale eſt illud ſuprà diſp.2.dub.4. *Deus non videt res futuras, quia futuræ ſunt; ſed ideò futuræ ſunt, quia Deus videt eas.* Quod fundamentum perpetuò negant profeſſores ſcientię mediæ, quia illo vident eam interimi. Sed quia hucuſque ex Auguſtino refutavimus ſcientiam mediam per conſequentias mediatas, oportet illam vlteriùs impugnare ipſiſsima eius doctrina, ex qua vnum, vel alterum teſtimonium eruemus.

20 Pro quo ſupponendum eſt, ſcientiam mediam D. Auguſtino fuiſſe propoſitam à D. Proſpero, & D. Hilario. Nam D. Proſpero in ſua epiſt. ad Auguſtinum mentem Maſsilienſium Semipelagianorum ſic exponit: *Penè omnium*

nium par invenitur & vna sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, vt ob hoc alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque prævideri, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione, præscierit. En ipsam scientiam mediam, qua Deus prævidet, quid facturum sit arbitrium creatum sub adiutorio Dei gratiæ indifferentis communis bonis, & malis, antequàm aliquid decernat, aut prædestinet. Et expoſcens hanc sibi difficultatem ab Augustino resolvi, proponit eam sub his vocibus: *Vtrùm præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, vt ea ipsa, quæ sunt proposita, sint accipienda præscita?* Et tandem quærit: *An per præscientiam posit stare propositum; vel an vniformiter præscientia sit subnixa proposito?* In quibus verbis clarè proponitur status scientiæ mediæ, quia nequit apertiùs proponi, quàm dùm quæritur, an Deus futura cognoscat ante, vel post propositum suæ voluntatis. Idem præstitit D. Hilarius; narrans in sua epistola, Semipelagianos ad suadendam huiusmodi præscientiam præcedentem decretum, velutì ad hominem arguentes vsos potissimùm fuisse authoritate ipsius Augustini, qui lib. *de Quæstion. Pagan.* quæst. 2. dixerat: *Tunc Christum voluisse hominibus apparere, quando & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Vide scientiæ mediæ notionem, quæ erat vnicum Massilienſum asilum. Unde Faustus Rhegiensis eorum Coriphæus lib. *de Gratia, & humanæ mentis arbit.* sæpè inculcat, quòd *nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* Ubi Hilarius enarrat, Massilienſium motiva non aliunde desumi, quàm ex læsione libertatis, & inutilitate correptionis: quæ sunt præcipua fundamenta, quæ nobis objiciunt scientiæ mediæ Sectatores.

21 Quo supposito: Probatur *tertiò* idem assumptum eleganti testimonio D. Augustini lib. *de Prædestin. SS.* cap. 9. quo quæstioni propositæ à Prospero & Hilario, & obiectioni desumptæ ex prædicta quæstione contra Paganos respondet his verbis: *Cernitis, me sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Pelagianorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem, sufficere videretur. Quid enim verius, quàm præsciviſſe Christum, qui, & quando, & quibus in locis in eum fuerant credituri? Sed vtrum tantummodò eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere, ac differere nunc nondum putavi. Proinde posset etiam dici, tunc voluisse apparere Christum, quando sciebat, & vbi sciebat, qui electi fuerant in eo ante mundi constitutionem.*

In quibus verbis loquitur in primis S. Antistes de futuro conditionato, sicut locutus fuerat in quæstione illa contra Paganos, nimirùm *Quinam essent illi, qui crederent Christum in his, vel illis circumstantijs loci, & temporis?* per quod præcluditur commune effugium ad futura absoluta. Deinde asserit, Deum præscire, quinam in varijs circumstantijs essent, & non essent credituri. Et tandem concludit, in eis fidem præscire, quibus prædestinaverat se donaturum fidem: Quasi diceret, præscientiam non dirigere prædestinationem seu decretum, sed potiùs præscientiam inniti decreto & prædestinationi. Proptereaque cap. 10. sequent. dixit: *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.*

§. IV.

Reiectio scientiæ mediæ ex D. Thoma:

22 TErtiò probatur conclusio ex Div. Thoma, à quo tantùm intersecabimus ea testimonia, quæ procedunt directè contra scientiam mediam, vel quæ agunt de voluntate divina conditionata. Primum habetur quæst. 6. *de Verit.* art. 3. vbi cùm in quarto argumento sibi obiecisset contra certitudinem prædestinationis, quòd non habet certitudinem absolutam, sed conditionatam, ex hypothesi scilicèt quòd humana voluntas consentiat: Respondet, concedendo certitudinem absolutam, non negando dependentiam à conditione his verbis: *Dicendum, quòd causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subiacet::: Et ideo ordo divinæ prædestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem.* In quibus verbis evertit apertè scientiam mediam. Nam iuxta eam consensus liberi arbitrij præsupponitur prævisus à Deo ante ipsam prædestinationem in statu absoluto, vt communiter eius professores docent, & in statu conditionato, vt omnes nullo excepto tenent; sed D. Thomas in prædicto testimonio ad certitudinem absolutam consensus, qui consideratur in statu conditionato, recurrit ad causalitatem divinæ prædestinationis, in qua decretum Dei subintelligitur, vt fatentur Adversarij: ergo iuxta Div. Thomam non datur scientia media, per quam explorat Deus consensum liberi arbitrij.

23 Nec proderit recursus ad humanam voluntatem vt coniunctam cum consensu, quam præsupponit prædestinatio. Non (inquam) proderit. Nam præsuppositio hæc, vt est coniuncta cum consensu, subiacet ordini prædestinationis, vt ibi expressè docet D. Thomas; sed iuxta Adversarios voluntas, vt est coniuncta cum consensu, non subiacet ipsi prædestinationi: ergo nihil prodest ad certitudinem prædestinationis recursus

ſus ad præſuppoſitionem humanæ voluntatis. Minor, ſi intelligatur de voluntate coniuncta cum conſenſu in ſtatu conditionato, inoffenſo pede currit apud Adverſarios: ſi verò intelligatur de illa vt coniuncta cum conſenſu in ſtatu abſoluto, ſuadetur sic: Tum, quia in ſententia Adverſariorum prædeſtinatio ſupponit prævisionem meritorum: ergo in ſtatu abſoluto, iuxta illos, conſenſus non ſubiacet prædeſtinationi, & decreto. Tum etiam: Nam iuxta principia ſcientiæ mediæ conſenſus futurus abſolutus ad ſui certam prævisionem non petit ex ſe prædeſtinationem actu exiſtentem: ergo conſenſus non ſubiacet prædeſtinationi ſeu decreto; ſed econversò decretum ſeu prædeſtinatio ſubiacet conſenſui. Cuius oppoſitum docet ibidem D. Thomas per hæc verba: *Sic enim dicendo, non diceretur prædeſtinatus differre à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantùm ex parte præſcientiæ, & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis: neque prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis, quod eſt contra authoritatem Scripturæ, & dicta SS. Vnde præter certitudinem præſcientiæ ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem.* Si ergo præſcientia non eſt cauſa prædeſtinationis, manifeſtum eſt, quòd prædeſtinatio non præſupponit conſenſum futurum, ſed illum infert, & ordinat; proindeque Deus in negotio prædeſtinationis non dirigitur ſcientia media.

24 Secundum habetur in hac 1. part. quæſt. 23. art. 5. vbi ait: *Fuerunt alij, qui dixerunt, quòd merita ſequentia prædeſtinationis effectum ſunt ratio prædeſtinationis; vt intelligatur, quòd ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinavit ſe daturum, quia præſcivit eum benè vſurum gratia: ſicut ſi Rex det alicui militi equum, quem ſcit eo benè vſurum.* En ſcientiam mediam optimè & breviter depictam, prout à ſuis profeſſoribus declaratur. Sed hanc opinionem ibi apertè impugnat, & rejicit: quia nimirùm Deus non movetur ad prædeſtinandum ex bono vſu gratiæ vt præſcito, cùm collatio gratiæ, & ipſe vſus ſit effectus omninò gratuitus procedens ex prædeſtinatione: ergo ex hoc teſtimonio clarè rejicitur ſcientia media. Patet conſequentia: nam iuxta Adverſarios prædeſtinatio præſupponit præſcientiam boni vſus, non ſolùm in ſtatu conditionato, ſed etiam in ſtatu abſoluto.

25 Deinde poteſt ſuaderi ex pluribus ſignis & coniecturis doctrinæ Ang. Præcept. ex quibus clarè deducitur, ipſum rejicere ſcientiam mediam, dum ſtatuit principia omni vſui illius contraria. Quæ quia in toto hoc tract. explanata manent, hìc ad compendium reducemus. *In primis* docet, futuritionem rerum ſumi ex cauſarum præparatione, ac determinatione: quæ in alio conſiſtere nequit, quàm in decreto Thomiſtico, ſeu ab intrinſeco efficaci. Recolantur, quæ diximus cum ipſo diſp. 3. num. 41. & diſp. 4. num. 37. *Deindè* docet, futuritionem eſſe denominationem deſumptam formaliter ex determinatione decreti, in illaque formaliter conſiſtere. Videantur, quæ diximus loco vltimo allegato num. 43. *Præterea* docet, propoſitiones de futuro contingenti ante divinum decretum actu exiſtens nullam habere determinatam veritatem, aut falſitatem, vt vidimus diſp. 3. num. 29. & deinceps. *Inſuper* docet, Deum non cognoſcere creaturas in ſeipſis, ſed in ſua eſſentia vt determinata per decretum. Pro quo videri poteſt diſp. 1. dub. 5. & diſp. 3. num. 6. & num. 41. *Rursùs* docet, ſcientiam divinam eſſe priorem rebus, neque ab illis menſurari: conſequenterque affirmat, non ideò res à Deo ſciri, quia futuræ ſunt, ſed econversò ideò eſſe futuras, quia ſciuntur à Deo. Vide, quæ diximus diſp. 2. n. 49. *Item*, vt S. Doctor libertatem noſtram cum divinis decretis componat, ad efficaciam divinę voluntatis recurrit, quę (vt ait) non ſolùm attingit ſubſtantiam operis, ſed etiam modum illius, vt illam reducat ad Deum tanquam in primum liberum, & motorem: cuius teſtimonia infrà, vel in hac diſp. vel in tract. ſequenti referemus. *Tandèm* docet, Deum phyſicè movere cauſam liberam ad ſuas operationes, vt videbimus ex ipſo loco proximè relato. Hæc omnia, & alia quæ omittimus, manifeſtè proſternunt ſcientiam mediam, & omnem vſum illius, prout ponitur non ſolùm à Maſſilienſibus, ſed etiam ab omnibus Ieſuitis.

26 Accedit alia non levis probatio ex alijs duobus ſignis deducta. Primum eſt confeſsio ipſa Adverſariorum. Nam Molina in ſua Concordia aſſerit, D. Thomam circa hanc difficultatem eandem cum Auguſtino habere ſententiam; ſed ipſe cum alijs ſocijs tenent, ſententiam Div. Auguſtini eſſe oppoſitam ſuę opinioni, vt vidimus num. 17. ergo etiam ſententia D. Thomæ. Secundum eſt, quòd cùm Clemens VIII. decreviſſet, vt in Congregat. habita Romæ diſceptatio hæc de Auxilijs ſolis D. Auguſtini, & Div. Thomæ teſtimonijs tractaretur, omnes aſsiſtentes, vllo vel altero excepto, protulerunt, vtrunque ſanctum Doctorem ſcientię mediæ refragari, vt teſtantur N. Salm. in hoc tract. diſp. 10. num. 69.

§. V.

Reiectio ſcientiæ mediæ ratione à priori.

27 QUartò probatur noſtra concluſio ratione à priori. Nam impoſsibilis eſt in Deo ſcientia, cui repugnat obiectum; ſed huiuſmodi eſt ſcientia media, ſeu conditionata Ieſuitica: ergo. Minor probatur: Obiectum ſcientiæ mediæ, ſeu conditionatæ Ieſuiticæ eſt futurum conditionatum contin-

gens

gens independens à decreto actu in Deo existenti; sed repugnat futurum contingens conditionatum independens à decreto actu in Deo existenti: ergo repugnat obiectum scientię medię. Minor probatur: Nihil potest actu esse futurum sivè conditionatè, sivè absolutè, quìn detur actu causa vel efficiens, vel formalis illius, dum futurum est; sed, non existente decreto actu & ab æterno in Deo, nulla assignabilis est causa futuri conditionati: ergo repugnat futurum contingens conditionatum independens à decreto actu in Deo existenti. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: *futuritio* est vera, realis, & physica denominatio distincta à denominatione merè *possibilis*; sed implicat dari veram, realem, & physicam denominationem absque causa actu existenti vel efficienti, vel formali, dum datur prędicta denominatio, vt inductivè potest ostendi in omnibus alijs denominationibus physicis: ergo nihil potest esse futurum, quin detur actu causa vel efficiens, vel formalis illius, dum futurum est. Quam rationem sæpè proposuimus in hoc tract. præsertìm disp. præced. n. 20. eamque ab evasione precipuà Adversariorum vindicavimus.

28 Et confirmatur: Nam ad hoc ponitur scientia conditionata ab omnibus, vt Deus infallibilitèr cognoscat futura contingentia conditionata; sed per scientiam mediam, seu conditionatam Iesuiticam Deus nequit certò & infallibilitèr cognoscere futura contingentia conditionata: ergo Deo repugnat. Minor probatur: Si Deus cognosceret certò huiusmodi futura, vel ea cognosceret in seipso, vel in alia causa creata, vel in seipsis; sed nullum ex his medijs est aptum, vt Deus per scientiam mediam cognoscat futura contingentia conditionata: ergo. Minor probatur brevitèr quoad singulas partes: Nam in primis Deus nequit ea cognoscere immediatè in seipsis, vt vniversalitèr probatum est de omnibus creaturis disp. 1. dub. 5. Deinde nequeunt cognosci in aliqua causa creata: Quia in medio indifferenti, nequit cognosci vnus determinatè effectus præ alio; sed voluntas creata adhuc constituta cum auxilio sufficienti & in omnibus circunstantijs excogitabilibus est absolute indifferens: ergo nequeunt certò cognosci in aliqua causa creata. Deinde neque Deus potest ea cognoscere in seipso: Nam, sublato decreto actu existenti, nihil est in Deo per modum medij priùs cogniti infallibilitèr connexi cum consensu conditionato futuro, vt ex se liquet: ergo non posset illum cognoscere in seipso.

29 Neque proderit recursus ad decretum futurum conditionatè, ad quod plures ex societate recurrunt, sicut recurrunt ad decretum futurum absolutè pro cognitione certa futuri absoluti. Non (inquam) proderit: Tum quia decretum Dei nequit habere rationè *futuri* adhuc pro aliquo signo rationis cum fundamento in re, vt latè probavimus disp. 2. dub. 2. *Tum etiam*: Quia ad cognitionem decreti vt *futuri* sivè absolutè, sivè conditionatè est eadem difficultas, ac ad cognitionem consensus futuri, cùm nulla determinatio in Deo præintelligatur actu existens ad habendum decretum de consensu potiùs, quàm de carentia illius. *Tum denique*: Qua hic recursus iam communitèr à suis describitur. *Maximè*: Quia hoc decretum vel est indifferens ad vtrumlibet, vel est determinatum; neutrum dici potest: Non primum: quia in decreto indifferenti vt *tali* nequit cognosci effectus determinatus, vt de causa creata indiferenti suprà insinuavimus. Neque secundum: Tum, quia repugnat in principijs scientię mediæ vllum decretum, maximè determinatum, absque directione scientiæ mediæ; sed huiusmodi decretum conditionatè futurum non regulatur per scientiam mediam, quia hæc supponit suum obiectum, proindeque solum explorat illud, quod idem est, ac supponere consensum conditionatè futurum, necnon decretum determinatum conditionatè futurum: ergo nequit esse determinatum. Tum etiam: Nam decretum hoc nequit esse prævium, seu applicativum voluntatis creatæ iuxta principia scientiæ mediæ, cùm hoc magnoperè ab horreant eius professores: ergo deberet esse simultaneum; sed decretum simultaneum nequit esse medium ad cognoscendum futurum conditionatum, cùm hoc determinetur à consenso futuro, vt ipsi communitèr tradunt: ergo nullum.

§. VI.

Reiectio scientiæ mediæ ab inconvenientibus.

PRæter probationes hucusque datas, quibus rejicimus scientiam mediam, tot restant, quot sunt inconvenientia, quę ex eius positione inferunt nostri Thomistæ. Sed quia hæc sunt innumera, & brevitati consulimus, ea tantùm elucidabimus, quæ sunt velut præcipuà capita aliorum.

30 Primum inconveniens est auferre à Deo rationem primi motoris & causæ. Quod sic expenditur: Nam si esset posibilis scientia media, seu conditionata Iesuitica, proindeque impossibilis Thomistica, Deus non esset prima causa, primumque liberum respectu conversionis Tyriorum. Sequela probatur: Illa est prima causa conversionis Tyriorum, à qua primò oritur determinatio voluntatis illorum; sed determinatio Tyriorum ad conversionem conditionatam primò oritur à voluntate ipsorum: ergo. Minor probatur: Nam conversio Tyriorum ab illo primò determinatur in statu conditionato, à quo determinaretur primò in statu absoluto; sed in statu absoluto primò determinaretur à voluntate creata, cùm Deus solùm concurrat per decretum, seu influxum indifferentem: ergo conversio Tyriorum in statu conditionato primò determi-

terminaretur à voluntate eorum, non à Deo.

31 Huic rationi communiter reſpondent Ieſuitæ, quòd vt Deus dicatur prima & præcipua cauſa converſionis Tyriorum abſolutæ, ſi daretur, non requiritur, quòd phyſicè prædeterminet voluntatem illorum ad converſionem, ſed ſufficit, quòd conferat auxilium indifferens ex præviſione ſcientiæ mediæ, medio quo voluntas creata eliciat converſionem, quæ eſt vnica determinatio illius. Nec in hoc præcisè ſiſtit concurſus divinus, quia ſuo concurſu ſimultaneo producit immediatè omnem determinationem creaturę.

Sed contrà: Nam in primis Deus per auxilium indifferens nequit conſtitui abſolutè in ratione primæ cauſæ converſionis: deinde nec per concurſum ſimultaneum: denique neque per vtrumque ſimul: ergo non eſſet cauſa prima converſionis. Antecedens quoad primam partem libenter admittitur ab Adverſarijs, ne fortè incidant in ſententiam Durandi aſſerentis, Deum eſſe primam cauſam actus liberi creati, per hoc præcisè quòd tota virtus, ac potentia determinandi ad illum a Deo eſt, & ab eo liberè communicatur creaturæ. Vt quoad ſecundam partem probetur, ſupponendum eſt ex dictis diſp. 2. num. 70. Deum non operari ad *extra* per operationem formaliter tranſeuntem, ſeu creatam, ſed per actionem formaliter immanentem (eſtò virtualiter tranſeuntem) & divinam. Quo ſuppoſito, probatur *primò*: nam concurſus ſimultaneus vnius cauſæ non tendit directè ad operationem alterius cauſæ, ſed vnicè ad effectum, vt liquet in duobus portantibus lapidem: ergo concurſus ſimultaneus Dei non concurrit effectivè in converſionem liberam creaturæ: ergo hæc non dependet a Deo tanquam a cauſa prima. *Secundò*: Nam, gratis dato quòd concurſus ſimultaneus formalis Dei conſiſtat in actione creaturæ, adhuc ipſa actio creaturę prout à creatura eſt aliquid creatum; ſed hæc formalitas creata in actione creata reperta nequit dependere à concurſu ſimultaneo Dei, ſublato concurſu prævio: ergo. Probatur minor. Vt actio, prout egrediens ab vna cauſa, dependeat ab alia, oportet, vt hæc agat in illam, movendo eam ad actionem, aliter nequit explicari, quomodò actio vnius cauſæ non ſolùm ſecundùm ſe, ſed etiam prout ab ipſa egreditur, dependeat ab altera; ſed Deus per concurſum ſimultaneum non agit in creatura, illam movendo, vt per ſe patet, & ſupponunt Adverſarij: ergo actio creaturæ prout à creatura non dependet a concurſu ſimultaneo Dei, ſublato concurſu prævio. *Tertiò*: Concurſus ſimultaneus Dei determinatur à concurſu creaturæ, vt apertè concedunt Adverſarij: ergo Deus per concurſum ſimultaneum non eſt primum determinans effectivè converſionem Tyriorum abſolutam, ſi daretur: ergo neque eſt prima cauſa ratione illius. Patet conſequentia: nam idem eſt eſſe primum determinans, ac eſſe cauſam primam.

32 Ex quibus facilè probatur idem antecedens quoad tertiam partem: Nam nequit Deus habere rationem primæ cauſæ reſpectu noſtræ determinationis vt *talis*, quin ſit primum determinans noſtram converſionem liberam; ſed Deus nequit conſtitui in ratione primi determinantis converſionem per ſuum concurſum vt confiatum ex concurſu dante auxilium indifferens, & concurſu ſimultaneo efficienter cauſante ipſam converſionem: ergo. Minor probatur: Primum determinans nequit illud eſſe, quod agit per concurſum determinatum ab alio, vt ex ſe liquet; ſed complexum ex concurſu Dei conferentis auxilium ſufficiens, & ex concurſu ſimultaneo determinatur à creatura, cùm in ſententia Recentiorum totum hoc complexum ſit ex natura ſua & ab intrinſeco indifferens: ergo nequit conſtituere Deum primum determinans.

33 Ex dictis ſponte ſua cadit, quod prædicta evaſio tangit de præviſione converſionis per ſcientiam mediam. Nam, permiſſa hac ſcientia media, per eam Deus videt, quod ſi Tyrij ponerentur in his vel illis circumſtantijs pro innata ſua libertate his circumſtantijs inſtructi converterentur: ergo Deus tantùm eſſet cauſa prima, quòd homo ponatur in his vel illis circumſtantijs, ſecùs verò quòd Tyrij converterentur. Antecedens eſt certum. Et conſequentia probatur: Nam illa converſio non prænoſcitur a Deo in illo ſtatu conditionato vt profectura à Deo vt prædeterminante per concurſum determinatum ad converſionem, vt omnes ſcientiæ medię profeſſores fatentur: ergo concurſus Dei conſideratus in illo ſtatu conditionato eſt indifferens, & concurſus conditionatus Tyriorum eſt prima determinatio conditionata: ergo Deus non eſt primum determinans, primuſque motor in illo ſtatu conditionato: ergo neque concipitur per ſcientiam mediam vt prima cauſa converſionis illorum; ſed idem dicendum foret de eadem converſione, ſi ad ſtatum abſolutum reduceretur: ergo de primo ad vltimum ſcientia media aufert à Deo rationem primæ cauſæ.

34 Secundum inconveniens ex poſitione ſcientiæ mediæ eſt, per eam lædi libertatem divinam in ordine ad operationes noſtras liberas. Quod oſtendi poteſt *primò*, ex his quæ diximus diſp. 3. à num. 17. Nam Deus per ſcientiam mediam neceſſariò videt conſenſum Petri futurum, necnon decretum futurum Dei, ſub quo conſentiet: ergo decretum Dei, & conſenſus Petri eveniunt Deo omninò neceſſario, ac proinde tollitur libertas Dei. Antecedens admittitur ab Adverſarijs: nam in eorum ſententia ſcientia media non eſt Deo libera, vtpotè nullo decreto exiſtenti innixa. Conſequentia autem probatur: Nam voluntas omninò determinata

ad

ad suum actum ex suppositione sibi non libera, necessariò ponit illum, maximè in sententia contraria, quę hoc vtitur fundamento ad probandum contra Thomistas, decretum ab intrinseco efficax tollere nostram libertatem; sed eo ipso quòd Deus per scientiam mediam necessariò prævideat consensum Petri futurum, necnon decretum futurum Dei, voluntas ipsius manet omninò determinata ad decretum de consensu, necnon ad ipsum consensum ex suppositione sibi non libera, nempè ex prævisione scientiæ medię: ergo tàm decretum Dei, quàm consensus Petri eveniunt Deo necessariò.

35 *Secundò*: Nam ad libertatem Dei respectu consensus nostri liberi omninò prærequiritur, quòd sub illo auxilio determinato, in eaque occasione, qua Petrus potest consentire, & non consentire, Deus possit ponere consensum, & carentiã illius; sed, suppositа prævisione scientiæ medię de carentia consensus Petri, Deus non potest ponere consensum: ergo Deus non esset liber. Minor probatur: Tum, quia suppositа prævisione scientiæ mediæ de carentia consensus, si poneret consensum, falsificaret scientiam mediã, quam Deus haberet de carentia consensus. Tum etiam & pręcipuè: nam voluntas divina non potest facere, in principijs scientię mediæ, quòd voluntas creata eliciat consensum sub illo auxilio determinato, in eaque occasione, qua ipsa voluntas creata vellet se determinare ad carentiam consensus: ergo sub illo auxilio, in eaque occasione, qua Deus prævidet Petrum non consensurum, non potest ponere consensum.

36 Respondent Recentiores *primò*, suffice. re quòd Deus omninò liberè conferat Petro auxilium, sub quo possit se convertere, & non convertere, vt Deus liberè concurrat per concursum simultaneum ad quodcumque extremum contradictionis, ad quod voluntas Petri velit se determinare.

Contrà est: Nam si Deus non haberet alium influxum, præter illum, quo confert Petro auxilium sufficiens ad consensum, & ratione illius Petrus consentiret, aut non consentiret, proculdubiò tantùm collatio auxilij esset Deo libera, non verò determinatio actualis ipsius Petri: sicut si Petrus daret Paulo nummũ ad emendũ equum, & nullum alium influxum præstaret in determinatione ipsius, non posset dici, quòd est causa libera, imò nec absolutè causa ipsius determinationis, vt nobiscum supponunt Adversarij contra Durandum; sed concursus simultaneus Dei, suppositо auxilio sufficienti, est Deo omninò necessarius: ergo. Minor, in qua est difficultas, probatur evidenter: Nam concursus simultaneus Dei in principijs scientiæ mediæ plenè subjicitur determinationi creaturæ: ergo est omninò necessarius, nisi præsuponatur alius concursus antecedenter influens in determinationem liberam Petri.

Quæ impugnatio adeò clara, & vrgens est, & à quocumque perceptibilis, vt ea benè perpensa dispellat omne effugium ad prævisionem scientiæ mediæ. Nam scientia media potius requiritur ex perfectione Dei inquantùm omniscij, quàm ex indigentia effectus: ergo per se loquendo nihil confert ad hoc, vt consensus Petri sit Deo liber, vel omissio illius; imo potius priùs supponitur, quòd consensus Petri sit Petro & Deo liberè possibilis, & conditionatè futurus, quàm Deus per scientiam mediam illum sciat. Unde cùm consensus Petri ab eisdem causis dependeat in statu absoluto, ac prævidetur in statu conditionato, si Deus in statu conditionato non potest facere, quód Petrus sub hoc auxilio determinato, in hacque occasione consentiat, neque poterit in statu absoluto.

37 Respondent *secundò*, ad libertatem divinæ voluntatis sufficere, quòd Deus possit determinare consensum Petri sub aliquo auxilio, imò & sub infinitis, quæ vagè necesse est per scientiam mediam prævideri efficacia, estò sub hoc auxilio determinato, & sub his circumstantijs nequeat illum determinare.

Contrà est *primò*: Nam ex hac solutione sequitur saltem, quòd Deus non sit liber in determinando consensum, qui Petro est possibilis sub hoc auxilio determinato, & in hac occasione: quod profectò evertit supremum dominium Dei, quod consistit in eo, quòd possit quidquid non implicat contradictionem, vt est consensus possibilis Petro. ¶ *Secundò*: Nam Petrus sub quocumque auxilio vagè & in quacumque occasione excogitabili potest se determinare ad consensum, & ad carentiam illius: ergo absolutè potest se determinare ad carentiam consensus: ergo idem iudicium ferendum est de Deo, vt prævidente Petrum sub infinitis auxilijs, & in infinitis occasionibus vagè sumptis, ac vt prævidente illum sub hoc auxilio determinato, in hacque occasione: ergo qui concedit, Deum non posse determinare consensum Petri sub hoc auxilio determinato, etiam concedere debet, quòd non possit illum determinare in hac occasione, & sub hoc auxilio vagè.

38 Dicere autem (vt aliqui aiunt cum Suario lib. 13. *de Auxilijs* cap. 14.) dari casum, in quo Deus non possit determinare consensum Petri. Est in primis succumbere difficultatis oneri, nempè quòd liberè non concurrat ad consensum Petri possibilem. Deinde est evertere totam doctrinam Parentis Augustini, qui lib. *de Correct. & gratia* cap. 14. docet, Deum magis habere in sua potestate hominum voluntates, quàm ipsi suas; cuius oppositum suadetur ex prædicto modo dicendi, cùm consensus sit Petro absolute possibilis sub quocumque auxilio, & Deo sit impossibilis. Et in Enchirid. cap. 97. ait: *Quis tam impiè desipiat, vt Deus ma-*

las

les hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & vbi voluerit, non poſſit in bonum convertere. Tandem ex illo ſequitur, conſenſum eſſe abſolutè impoſsibilem: quia impoſsibile eſt, quod Deus facere non poteſt: ſi ergo Deus nequit abſolutè determinare conſenſum Petri, erit abſolute impoſsibilis.

39 Tertium inconveniens eſt, per ſcientiam mediam auferri libertatem noſtram. Quod probari valet *primò* ex proximè dictis. Nam repugnat, conſenſum eſſe poſsibilem Petro in inſtanti *A*, niſi Deo ſit poſsibilis pro ipſo inſtanti; ſed ſi Petrus diſſentit in inſtanti *A* (ſcientia media admiſſa) conſenſus eſt Deo abſolutè impoſsibilis: ergo etiam Petro: Minor probatur: Tum ex dictis. Tum quia implicat, quòd Deus poſsit ponere conſenſum liberum Petri, niſi præeunte ſcientia media de illo, ad quod neceſſe erat auferre ſcientiam mediam de diſſenſu cum priori incompoſsibilem; ſed hoc Deo eſt impoſsibile, cùm non dependeat ab ipſo ponere, aut auferre prædicatum ſibi neceſſarium, vt eſt ſcientia media, & hoc neque in ſenſu compoſito, neque in ſenſu diviſo: ergo, ſuppoſita ſcientia media de diſſenſu, conſenſus eſt Deo abſolutè impoſsibilis. Hæc autem probatio eſt tantùm indirecta, & mediata.

Probatur ergo *ſecundò*, & proximè ex principijs Adverſariorum. Nam impoſsibile eſt, voluntatem liberè conſentire in eo ſigno aut inſtanti, pro quo abſolutè eſt illi impoſsibilis ſuſpenſio voluntaria conſenſus, vt eſt principium per ſe notum, quodque male applicatum contra Thomiſtas vrgent Adverſarij; ſed conſentienti in inſtanti *A*, adiuto auxilijs ſcientia media regulatis, impoſsibilis eſt abſolutè ſuſpenſio voluntaria conſenſus pro ipſo inſtanti *A*: ergo non liberè conſentit. Minor probatur: Nam impoſsibilis eſt abſolutè ſuſpenſio voluntaria conſenſus, niſi præcedat ſcientia media de illa; ſed abſolute eſt impoſsibilis ſcientia media de ſuſpenſione conſenſus pro inſtanti *A* conſenſus: ergo conſentienti in inſtanti *A*, adiuto auxilijs ſcientia media regulatis, impoſsibilis eſt abſolutè ſuſpenſio voluntaria conſenſus pro eodem inſtanti *A*.

Confirmatur ſatis efficacitèr: Nam tunc actus omninò neceſſariò procedit à voluntate, quando id, quod ſe tenet ex parte actus primi, infallibiliter connectitur cum actu; ſed complexum conſtans ex ſcientia media conſenſus & auxilio ſufficienti ad illum ſe tenet ex parte actus primi, illumque infallibiliter infert: ergo procedit neceſſariò à voluntate. Malor continet principium, quod maximè (etsi inepte) vrgent Ieſuitæ contra præmotionem phyſicam. Minor verò ſigillatim probatur: Nam in primis auxilium præſtat potentiæ virtutem ad conſenſum, vt non negabunt Adverſarij, proindeque ſe tenet ex parte actus primi: Deinde ſcientia media præcedit auxilium, cùm ex directione illius conferatur: ergo ſi auxilium ſe tenet ex parte actus primi, etiam ſcientia media: Tandem quòd totum hoc complexum inferat infallibiliter conſenſum, eſt pluſquam certum: tum quia in eo conſiſtit efficacia gratiæ: tum quia alias ſcientia media poſſet falſificari: ergo infallibiliter infert conſenſum.

40 Reſpondent Recentiores rationi, verum eſſe, quòd in inſtanti *A* conſenſus non poteſt exiſtere ſcientia media de ſuſpenſione conſenſus in eodem inſtanti. Sed hæc impoſsibilitas eſt conſequens, & in ſenſu compoſito, non verò abſoluta & in ſenſu diviſo: ad quod ſufficit, quòd in ſtatu conditionato Petrus (v.g.) poſſet ponere carentiam conſenſus, ad quam ſi ſe determinaſſet, acquireret ſcientiam mediam de ſuſpenſione conſenſus. ¶ Eodem modo occurrunt confirmationi: dicendo, quòd ſcientia media de conſenſu in ſtatu conditionato non ſe tenet ex parte actus primi, ſed præſupponit ipſum conſenſum: & auxilium, ſecundùm id quod importat intrinſecè, neque in ſtatu abſoluto, neque in ſtatu conditionato infert ex ſe infallibiliter ipſum conſenſum. Unde, ex nullo capite læditur libertas conſenſus.

Sed quantùm ad primum admiratio magna occupat Thomiſtas, audientes apud Adverſarios vſum ſenſus compoſiti & diviſi, qui illum in nobis ſunt valde pertæſi. Sed qui illo abutantur (vt inquiunt illi) elucidabit ſequens impugnatio. Id namque poteſt conſentiens in ſtatu abſoluto abſolute, quod in conditionato conditionatè, alias conſenſus prævisus in ſtatu conditionato non eſſet conſenſus ſtatus abſoluti; ſed iuxtà Adverſarios conſentiens in ſtatu abſoluto non poteſt abſolutè acquirere ſcientiam mediam de ſuſpenſione conſenſus: ergo neque potuit in ſtatu conditionato. *Explicatur*: Nam voluntas id abſolutè non poteſt, quod, vt exiſtens abſolutè, abſolutè non poteſt; ſed voluntas, vt abſolutè exiſtens, abſolute non poteſt facere, quòd non exiſtat ſcientia media conſenſus, neque quòd exiſtat ſcientia media diſſenſus: ergo &c. ¶ Per quod reiecta manet ſolutio adhibita confirmationi. Nam ſcientia media de conſenſu præcedit auxilium in ſtatu abſoluto, alias Deus non conferret illud ex motivo efficaciæ, neque pro priori ad decretum cognoſceret efficaciam illius; ſed libertas actus potiſsimè dependet à voluntate ſe determinante in ſtatu abſoluto: ergo ſi in hoc ſtatu complexum ex ſcientia media & auxilio infert infallibiliter per modum actus primi conſenſum, neceſſariò abſolutè procedit ab ea. *Maximè*: Quia ſi ſupradicta impugnatio bene perpendatur, efficaciter ſuadet, ſcientiam mediam eſſentialiter præcedere conſenſum in vtroque ſtatu, vel in vtroque ſubſequi, licèt aliter diſcurrant Adverſarij. Nam vel auxilium in ſtatu conditionato eſt efficax independenter

à scientia media; vel dependenter ab ea: Si dicatur primum: ergo in vtroque statu scientia media subsequitur consensum: Si dicatur secundum: ergo in vtroque statu antecedit, cùm efficacia auxilij eadem sit in vtroque statu.

§. VII.

Reiectio scientiæ mediæ ab alijs duobus inconvenientibus.

51 QUartum inconveniens, quod ex positione scientię medię infertur, est tolli certitudinem propriam prædestinationis. Pro cuius luce supponendum est, prædestinationem non solùm esse omninò certam certitudine præscientiæ, sed etiam certitudine ordinis seu causalitatis, vt optimè docet D. Thomas pluribus in locis, præsertim quæst. 6. *de Verit.* art. 3. vbi ait: *Non potest dici, quòd prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit nisi certitudinem præscientiæ: vt sic dicatur, quòd Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium; sed cum hoc de prædestinato scit, quòd non deficiet à salute. Sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis sed tantùm ex parte præscientiæ: & sic præscientia esset causa prædestinationis: nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Vnde præter certitudinem præscientię ipse ordo prędestinationis habet infallibilem certitudinem.* Quæ verba si cum proximè præcedentibus combinantur, habebis, nomine *certitudinis ordinis*, & nomine *certitudinis causalitatis* idem prorsùs intelligi. Ex quibus constat, prædestinationem præter certitudinem præscientiæ habere aliam, quæ fundatur in causalitate, & influxu in media, & ratione illorum in gloriam.

Et hoc ratione suadetur: Nam providentia Dei tàm generalis, quàm specialis, qualis est prædestinatio, est recta ratio agibilium practica præsuponens voluntatem efficacem finis, & consistens en ordinatione, & præparatione mediorum efficaciter conducentium ad eius assecutionem. Quocircà prædestinatio à D. Augustino lib. *de Dono perseu.* cap. 14. definitur sic: *Præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*: ergo prædestinatio habet certitudinem causalitatis in media conducentia ad salutem æternam, necnon in ipsam salutem.

42 Ex his ergo probatur, essentiam prædestinationis destrui per scientiam mediam. Nam, data scientia media, consecutio vitæ æternæ, & media conducentia ad illam necessariò non pendent à prædestinatione tanquam à causa: ergo essentia prædestinationis stare nequit in principijs scientię mediæ. Consequentia ex proximè prælibatis satis liquet. Et antecedens probatur *primò*: Quia id non dependet ab alio tanquam à causa, sine quo potest perfectè & comprehensivè cognosci; sed in principijs scientiæ medię Petrus (v. g.) positus in hac occasione potest prævideri consensurus, perseveraturus, & tandem vitam æternam consecuturus pro priori ad prædestinationem: ergo consecutio vitæ æternæ, & media ad eam conducentia non pendent à prædestinatione tanquam à causa. Minor continet genuinam mentem Recentiorum, vt alibi diximus. Et maior probatur: Repugnat effectum perfectè & comprehensivè cognosci, quin cognoscatur secundùm omnes dependentiæ modos, quibus à sua causa adæquata dependet: ergo id non pendet ab alio tanquam à causa, sine quo potest perfectè, & comprehensivè cognosci. ¶ *Secundò*: Nam in principijs scientiæ mediæ prædestinatio solum executioni mandatur per media ex se fallibilia, & inefficaciter conducentia ad effectum principalem illius, qualis est perseverantia finalis, & vita æterna: ergo consecutio vitę æternæ, & media efficaciter ad eam conducentia non pendent ab ea tanquam à causa. Antecedens est certum: nam decretum, cui innititur prædestinatio, est decretum indifferens conferens præcisè auxilia sufficientia. Consequentia verò probatur: Causa, quæ ex se non infert efficaciter consensum salutarem potiùs, quàm dissensum, proprie loquendo non potest dici causa illius, sed vnicè seu principaliter hoc reducendum est in causam principaliter determinantem consensum; sed talis est voluntas creata, etsi auxilio sufficienti instructa, & non prędestinatio: ergo consecutio vitæ æternæ, & media efficaciter conducentia ad illam non pendent à prædestinatione tanquam à causa.

43 Et confirmatur: Nam in principijs scientiæ mediæ destruitur essentia doni perseverantiæ: ergo etiam essentia prædestinationis: proindeque prædestinatio non est certa certitudine causalitatis. Secunda consequentia pendet ex prima: Et prima patet ex antecedenti: nam donum perseverantiæ est vnus ex potioribus effectibus prædestinationis infallibiliter ex se connexus cum vita æterna. Antecedens autem probatur: Nam donum perseverantiæ, iuxta Augustinum, & Concilium Tridentinum, est speciale donum Dei respectu iustificatorum collatum præcisè prædestinatis, & non omnibus iustificatis, habens ex se infallibilem nexum cum *perseverare*, & vita æterna; sed, scientia media admissa, perseverantia habitualis non est ex se infallibiliter connexa cum actu perseverandi, neque actus perseverandi est speciale donum Dei collatum prædestinatis præ non prędestinatis iustificatis: ergo in principijs scientiæ medię

destrui-

deſtruitur donum perſeverantiæ. Maior poteſt videri in N. Salm. tract. 14. diſp. 3. dub. 11. Minor verò probatur: Nam in principijs ſcientię mediæ cum æquali dono gratię habituali vnus perſeverat, & alius cadit: ergo, ſcientia media admiſſa, perſeverantia habitualis non eſt ex ſe infallibiliter connexa cum actu perſeverandi, neque actus perſeverandi eſt ſpeciale donum Dei.

44 Huic rationi reſpondent communiter Recentiores, quòd vt prædeſtinatio ſit certa certitudine cauſalitatis, ſufficit, quòd conferat prædeſtinato auxilia ſufficientia ex prævisione congruitatis illorum per ſcientiam mediam. Eodemque modo ſatisfacere conantur confirmationi: dicendo, quòd donum perſeverantiæ tàm habituale, quàm actuale ſolùm dicitur ſpeciale donum Dei, in quantùm perſeveraturo dat auxilia ſufficientia ad perſeverandum, ex prævisione conditionata quòd perſeverabit vſque in finem, ſi in tali occaſione collocetur.

Sed contrà eſt *primò*: Nam ex hac ſolutione infertur, quòd ſalus æterna, mediaque ad eam efficaciter conducentia in ſtatu conditionato non dependeant à prędeſtinatione: ergo neque in ſtatu abſoluto. Conſequentia videtur legitima: nam ab eiſdem principijs, a quibus ſalus prædeſtinati pendet in ſtatu conditionato, pendet in ſtatu abſoluto, aliàs effectus eſſet diverſæ rationis. Antecedens verò probatur: Nam prędeſtinatio ſupponit prævisionem ſcientiæ mediæ; ſed prævisio ſcientię mediæ prędſupponit ſalutem æternam in ſtatu conditionato, mediaque eius efficacia: ergo ſalus æterna in ſtatu conditionato non dependet à prędeſtinatione.

Augetur hoc: Prædeſtinatio, & donum perſeverantię eſt ſpeciale donum Dei collatum prædeſtinato præ non prædeſtinato; ſed in principijs ſcientiæ mediæ nequit ſalvari hæc maioritas doni: ergo deſtruit prędeſtinationem, & donum perſeverantiæ. Minor probatur: Nam in ſtatu conditionato is, qui prædeſtinatus eſt, prævidetur ſub eiſdem auxilijs & in eadem occaſione, ac non prædeſtinandus: ergo in ſtatu conditionato non prævidetur cum maiori dono prędeſtinatus, ac non prædeſtinatus: ergo nec in ſtatu abſoluto. Patet hæc vltima conſequentia: Nam eadem eſt determinatio creaturę in vtroque ſtatu: proindeque ſi in vno ponitur conſenſus abſque ſpeciali dono Dei, etiam in alio. Eodemque modo impugnatur ſolutio confirmationi adhibita.

45 *Secundò*: Nam prædeſtinare per decretum ex ſe indifferens, regulatum tamen ſcientia media de congruitate auxiliorum, nihil aliud eſt, quàm Deum ordinare prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut & quemlibet alium; ſciendo tamen de prædeſtinato, quòd non deficiet à ſalute, ſi collocetur in hac occaſione, & tali auxilio ornetur; econtrà verò ſciendo de non prædeſtinato, quòd deficiet à ſalute, eſtò collocetur in eadem occaſione, & ſimili auxilio ſit ſuffultus: ergo prædeſtinatio ex ſe nihil addit ſuprà providentiam prædeſtinato & non prędeſtinato communem niſi prævisionem, quòd ſi prædeſtinato conferantur illa auxilia, perſeverabit, & alter non ergo prædeſtinatio ſic conſtituta non diſtinguetur à providentia generali, proindeque ex meritis ipſius prædeſtinationis prædeſtinatus non diſtinguetur a non prædeſtinato, ſed ex meritis liberi arbitrij creati: quod eſt contra D. Thomam loco ſuprà relato.

Tertiò & vrgentiùs: Nam iuxta ſolutionem datam collatio auxiliorum in prædeſtinato ſuprà providentiam generalem ſolùm addit certitudinem prę ſcientiæ, ratione cuius vnus prævidetur conſenſurus, & alius non conſenſurus ſub eiſdem auxilijs, & in eadem occaſione: ergo prædeſtinatio ſuprà providentiam generalem ſolùm addit certitudinem præſcientiæ. Conſequentia probatur: Nam id tantum addit ſuprà providentiam generalem, per quod prædeſtinatus ſecernitur à non prædeſtinato; ſed prędeſtinatus tantùm diſtinguitur à non prædeſtinato in hoc, quòd collatio auxiliorum in prædeſtinato addit præſcientiam conſenſus conditionati ſub eiſdem auxilijs, & in eadem occaſione, ſub quibus non prædeſtinatus non prævidetur conſenſurus conditionatè: ergo prædeſtinatio ſolùm addit ſuprà providentiam, prędeſtinato, & non prædeſtinato iuſtificato communem, certitudinem præſcientiæ.

46 Ex alio capite oſtenditur, ſcientiam mediam eſſe incompoſsibilem cum divina prædeſtinatione reſpectu adultorum. Nam horum prædeſtinatio non fit ſaltem connaturaliter ex prævisis meritis, & ſic certitudo eius non fundatur in talibus operibus, ſed in gratuita voluntate Dei, vt pro *nunc* ſupponimus ex dicendis in tract. *de Prædeſtinat.* ſed, data ſcientia media, prædeſtinatio adultorum fieret ſemper ex prævisis meritis: ergo ſcientia media deſtruit certitudinem propriam divinę prædeſtinationis. Minor probatur: In principijs ſcientiæ mediæ Deus nullum adultum poteſt prædeſtinare, niſi prævidendo illum in ſtatu conditionato eſſe conſenſurum, perſeveraturum, & vitam æternam conſecuturum: ergo in principijs ſcientiæ mediæ prædeſtinatio adultorum fieret ſemper ex meritis prævisis.

Ex quo liquidò infertur, Deum per potentiam ipſius abſolutam non poſſe prædeſtinare eum, qui prævidetur in ſtatu conditionato reſiturus gratiæ, in quocumque ordine collocetur, nullus quippe eſt ordo, in quo Petrus (v.g.) ſub quocumque auxilio non poſsit diſſentire. Supponamus ergo, quòd in hac & illa occaſione, ſub hoc & illo auxilio, & ſic de reliquis, vellet ſe determinare ad diſſenſum ad exercendam ſuam libertatem, & quòd Deus prævidet per ſcientiam

mediam eum restiturum sub his auxilijs & occasionibus: in hac certè hypothesi Deus non posset illum prædestinare, vt non negabunt Adversarij: ergo potest dari casus metaphysicus, in quo Petrum non possit prædestinare, supposita scientia media. Pro quo recolantur, quæ diximus supra in hoc dub. à num. 34.

47 Ultimum inconveniens illatum ex positione scientiæ mediæ est, Deum concurrere ignoranti, cœco, imprudentique modo. Nam Deus, in principijs scientiæ mediæ, solùm influit in operationem liberam creaturę per concursum prævium conferendo ei præcisè auxilia sufficientia, & indifferentia, & per decretum seu concursum simultaneum determinandum a creatura: ergo concurrit cœco & imprudenti modo. Antecedens est certum in sententia Iesuitarum. Et consequentia probatur: Nam Deus, prout confert auxilia indifferentia, nequit certò scire, an voluntas creata consensura sit, cùm in sensu composito illorum possit dissentire: deinde decretum concomitans seu concursus simultaneus, si determinatur à creatura, ex se est indifferens: ergo pro priori ad concursum creaturæ nequit certò Deus scire, quid voluntas creata determinatè elicitura est: quod vtiquè est concurrere cœco & imprudenti modo: sicut si quis præpararet manum ad scribendum, & non determinaret scribere hoc præ illo, sed ad hoc determinaretur ab alio, proculdubiò iste scriberet cœco & imprudenti modo.

Et confirmatur: Nam *scire aliquid ex eventu* est supponere aliquam ignorantiam in eo, qui hoc modo scit; sed in principijs scientię mediæ Deus scit determinationem ipsam creaturæ ex ipso eventu: ergo supponitur cum ignorantia illius. Minor est certa: nam in sententia Iesuitica futuritio rei, sivè conditionata, sivè absoluta, vnice dependitur ab eventu, & non ab aliqua determinatione divina. Maior verò patet in eo, qui præparat manum ad scribendum, quidquid alteri placuerit: nam etiò sciat scripturam post litteras efformatas, supponit tamē in eo ignorantiam, quia non cognoscit eam, nisi quando in seipsa est.

48 Ex quo infertur, scientiam mediam auferre à Deo attributum providentiæ. Nam concursus, qui non præsupponit intentionem finis in particulari, procedit absque providentia: providentia enim, cùm sit pars prudentiæ, supponit intentionem finis, vt in tract. *de Prædest.* latissimè ostendemus ex Arist. & D. Thoma; sed in principijs scientiæ mediæ concursus Dei procedit absque intentione finis in particulari, cùm ex se sit indeterminatus, determinandus à concursu creaturę: ergo sicut ille, qui præpararet manum ad scribendum, ignorando tamen & non determinando effectum in particulari, concursus illius procederet absque intentione finis in particulari, proindeque absque providentia; sic Deus, qui hoc simili modo concurrit cum creatura in principijs scientiæ mediæ, influit absque providentia in effectum liberum creaturæ.

49 His omnibus communiter respondent scientiæ mediæ sectatores, quòd vt Deus non procedat cœco & imprudenti modo in decernendo suum concursum cum creatura, sufficit, quòd per scientiam mediam sciat, quid determinatè, & in particulari voluntas creaturæ operatura sit, si in tali occasione collocetur, & tali auxilio fulciatur.

Sed contrà est *primò*: Nam scientia media nequit dirigere Deum ad offerendum suum concursum; sed sublata scientia media in principijs Adversariorum Deus concurreret cum creatura cœco & imprudenti modo: ergo scientia media non tollit, quòd Deus concurrat cœco & imprudenti modo. Maior probatur: Nam scientia media supponit tam in statu conditionato, quàm in statu absoluto, suum obiectum, in quo comprehenditur divinum decretum, eiusque concursus: ergo nequit dirigere Deum ad offerendum suum concursum. Antecedens probatur: Nam voluntas creata non ideò elicit in aliquo statu suum actum, quia sic prævidetur à Deo, sed econtrà ideò sic prævidetur à Deo, quia voluntas creata illum elicit: ergo in vtroque statu supponit suum obiectum.

Secundò: Licèt Deus per scientiam mediam prævideat effectum determinatè ponendum, non tamen ex propria determinatione, sed ex determinatione creaturæ: ergo prævidet, suum proprium concursum non producere ex se effectum determinatum; ac proinde ex proprio influxu non scit determinatè, quid voluntas creata elicitura est; sed hoc sufficit, vt concursus Dei procedat cœco & imprudenti modo: sicut si quis præpararet suam manum ad scribendum scripturam aliquam ex se indeterminatam, determinandam tamen ab alio, etiò aliunde sciret, quid alter determinatè scriberet, concursus proprius procederet ab illo cœco & imprudenti modo, cum à se esset indeterminatus: ergo directio scientiæ mediæ non tollit, quòd concursus Dei procedat cœco & imprudenti modo.

Tertiò: Deus, adhuc suppositâ directione scientiæ mediæ, solùm præparat concursum indifferentem ad effectum determinatum creaturæ, quandoquidem tantùm producit auxilia sufficientia, & præstat concursum simultaneum: ergo, ex vi concursus Dei adæquati, effectus posteà sequutus casualis & fortuitus est; sed concursus, cui effectus est casualis & fortuitus, nequit non esse imprudens & ignarus ex se: ergo idem quod priùs. *Præsertim*. Quia, vt suprà diximus, scientia media præsupponit eventum rei, qui supponit concursum divinum, cum sit merè speculativa: Quod in statu conditionato adeò certum est, vt nullus Adversariorum dubitaverit; & in statu absoluto eadem ratio

sua-

ſuadet. Igitur concurſus Dei ex omni capite eſt caſualis, fortuitus, imprudens, & ſine intentione finis in particulari.

§. VIII.

Reiectio ſcientiæ mediæ ex ſolutione argumentorum.

50 DEnique refellitur ſcientia media ex ſolutione argumentorum. Quorum primum & capitale deſumitur ex comparativa illa reprehenſione, qua Chriſtus Dominus Luc. 10. & Matth. 11. exemplo Tyriorum Iudæos increpabat his verbis: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Sed reprehenſio hæc iniuſta, & irriſoria fuiſſet, ſi Gentiles illi non per ſcientiam mediam, ſed per Deo liberam, & conditionaliter prædeſtinativam cognoſcerentur pœnitentiam acturi: ergo non per illam, ſed per illam ſcientiam eorum pœnitentia conditionata à Deo cognoſcitur. Minor probatur: Vt reprehenſio male operantis per comparativam ad bene operantem iuſta ſit, debet eſſe inter vtrunque æqualitas, in his ſaltem quæ non pendent à propria voluntate, vt docet Ariſt. 3. Topicor. alias argumentum ipſum eſſet ſuimet ſolutio, ſed, ſi Thomiſtica ſententia vera eſt, non ſeruaretur huiuſmodi æqualitas inter extrema comparationis: ſiquidem Tyrij abſque vlla libertate & merito ſuo recepturi eſſent auxilium illos prædeterminans ad converſionem, proindeque longè melius forent inſtructi ad operandum, quam Iudæi, qui nulla potentia libera, nullaque actione, vel omiſsione culpabili minorem gratiam ſuſceperunt, nempè purè ſufficientem, eque maiorem habere potuerunt ſua electione: ergo iniuſta fuiſſet reprehenſio, ſi &c.

51 Hoc argumentum, quod varijs modis amplificare non ceſſant Aduerſarij, oppoſuerunt olim Monachi Adrumentini D. Auguſtino, cuius meminit ipſe lib. *de Correct. & gratia* cap. 6. Neque ſpecialiter militat contra ſcientiam Thomiſticam, ſed præcipuè contra efficaciam diuinæ gratiæ, prout ab omnibus catholicis credita eſt: omnes enim fateri debemus, Deum ſua gratia ſine vllis meritis bonis conferre efficaciter Petro præ Iuda converſionem, & perſeverantiam in bono: ergo iniuſta eſſet increpatio Iudæ per comparationem ad Petrum. Conſequentia patet, ſi argumentum contra nos efformatum efficax eſt: nam ad iuſtam reprehenſionem comparativam requiritur inter vtrunque æqualitas, in his ſaltem quæ non pendent à voluntate propria; quæ in exemplo Petri, & Iudæ non eſt.

52 Nonminùs contra ſcientiæ mediæ ſectatores, quam contra nos vrget. Nam iuxta eos nullus converti poteſt, & agere pœnitentiam, niſi Deus dederit auxilium, ſub quo prævidet eum in ſtatu conditionato pœnitentiam acturum. In qua ſuppoſitione, poſſent Iudæi Deo reſpondere: *Si nobis Domine, dediſſes auxilia, ſub quibus prævidiſti nos fore conuertendos, ſicut contuliſſes Tyrijs, conuerteremur vtique, ſicut & illi.*

53 Neque effugiunt difficultatem, dicendo quòd omnis peccans habere debet auxilium ſufficiens ad operandum ſalutariter; proindeque ſeruatur inter peccantem, & non peccantem æqualitas ſaltèm proportionalis, ita ut ſicut D. Petrus (v.g.) erat inſtructus ad operandum honeſtiſsimè, Iudas eſſet inſtructus adminus honeſte operandum. Non (inquam) effugiunt. Tum, quia non poteſt negari, quòd gratia efficax eſt ſpeciale Dei beneficium collatum D. Petro præ Iuda non purè affectivum & extrinſecum, vt ſic Deus ſit principalis diſcernens conſentientem à non conſentiente: ergo oportet, quòd inter Petrum & Iudam, inter Iudæum & Tyrium detur inæqualitas non ſolùm abſoluta, ſed etiam proportionalis: ſi ergo ſeruatur inter eos hæc inæqualitas, vel iniuriè reprehenditur Iudas per comparationem Petri, & Iudæus per comparationem Tyrij; vel argumentum contra nos factum non habet vim. *Tum etiam*: Nam poteſt accidere, quòd vnus per ſcientiam mediam prævideatur melior in ſtatu conditionato, quàm alter, vel quia Deus prævidet eum meliùs vſurum eadem gratia, vel quia prævidet pluribus auxilijs conſenſurum; & quòd huic neget Deus omnia ea auxilia, ſub quibus prævisus eſt conſenſurus, & conferat tantum ea, quibus prævisus eſt diſſenſurus: alteri verò concedat illa pauca auxilia, quibus prævisus eſt conſenſurus, qui fere omnibus alijs auxilijs prævisus eſt diſſenſurus. In qua hypotheſi datur non parua materia querelæ: Nam quid prodeſt (v.g.) Iudæo, quòd conſtituatur in eiſdem circumſtantijs, ipſiſsimoque auxilio inſtruatur ac Tyrius, ſi Iudæo illud confert, quia prævidet eum diſſenſurum, & Tyrio confert, quia prævidet eum conſenſurum; ſi illi negat alia innumera auxilia, quibus prævisus eſt conſenſurus, & illi concederet auxilium, quo tantundem eſſet conſenſurus? Sanè eſto ſupponat vtrunque in eiſdem prorsus circumſtantijs, & cum ipſiſsima gratia, poteſtas Iudæo collata eſt merè ſpeculativa, & inefficax, cùm impoſsibile ipſi ſit in ſtatu abſoluto illam reddere efficacem, niſi ex prævisione ſcientiæ mediæ de eius efficacia, etſi illam prævidiſſet efficacem, eam Iudæo denegaſſet: ergo iuſtè poteſt Iudæus de Deo conqueri, quòd illi ſolum conferat auxilium illud, quo prævidetur diſſenſurus, negando ei plurima, quibus prævidetur conſenſurus, & Tyrio conferret auxilium, eò idem in *eſſe rei*, quo prævidetur con-

converſurus; negando plurima, quibus prævidetur inconvertibilis. Omnes ergo huic querelæ comparativæ reſpondere tenentur.

54 Sed pro legitima ſolutione argumenti: Notandum & præſupponendum eſt *primò*, quòd vt omiſsio actus præcepti imputetur alicui ad culpam, ſufficit, & requiritur, quòd teneatur ad actum præceptum ex vi præcepti, & poſsit illum ponere: vt tenent communiter Theologi, & clarè deducitur ex illo Iacobi 4. *Scienti bonum facere & non facienti peccatum eſt illi.* ¶ Secundò ſupponendum eſt cum omnibus Theologis, quòd eo ipſo quòd alicui conferatur à Deo auxilium ſufficiens ad aliquem actum præceptum, habet poteſtatem ſufficientem ad ponendum illum: Quocircà, ſi illum non ponit, imputatur ei ad culpam, & iuſtè poteſt increpari ſaltèm abſolutè. ¶ Ex quo deducitur, & ſupponendum eſt *tertiò*, quòd ſemel conceſſa Iudæo à Deo hac poteſtate ratione auxilij ſufficientis, poteſt iuſtè reprehendi increpatione comparativa ſaltèm proportionali: ad quam ſufficit, quòd ille, qui peccat, habeat abſolutam poteſtatem ad ponendum actum præceptum. Vbi enim eſt æqualis obligatio, & ſufficiens poteſtas ad poſitionem actus præcepti, poteſt tranſgrediens præceptum iuſtè increpari increpatione comparatva ſaltèm proportionali.

55 Ex his reſpondetur ad argumentum ſolutione Thomiſtis & Ieſuitis communi, quòd Iudæi iuſtè à Deo increpabantur comparativè ad Tyrios, eſtò eis conceſſum non fuerit ab eo auxilium ab intrinſeco efficax, ſeu Thomiſticum: quia ad hoc ſufficit, quòd eis præſtiterit auxilia ſufficientia ad converſionem: nam eo ipſo, quòd inter peccantem & non peccantem detur æqualitas ſaltèm proportionalis in auxilijs ſufficientibus, tollitur ab intrinſeco omnis iuſta excuſatio ex parte peccantis, tamenſi careat concurſu vltimato ex parte Dei. Nam Deus non tenetur conferre omnibus auxilia efficacia, ſed tantùm ſufficientia: quibus ſuppoſitis, ſiquis non ponit actum præceptum, omiſsio imputatur ei ad culpam, eſtò Deus non conferat ſuum concurſum ad actum ſecundum medio decreto ab intrinſeco efficaci. ¶ Pro cuius intelligentia: Nota, duplicem in hac materia inſtitui poſſe quæſtionem: alteram, cur vnus homo præ alio non conſentit, quando vterque paribus gratiæ auxilijs ſufficientibus prevenitur? Alteram, cur vnus præ alio vocetur auxilio efficaci, quo infallibiliter convertitur? Prior quæſtio ſolvitur per *nolle* arbitrij creati auxilio ſufficienti præventi, iuxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſraël.* Secunda verò ſolvenda eſt per *velle* & *nolle* Dei, iuxta illud dictum eiuſdem Prophetæ: *Tantummodò in me auxilium tuum.* Cuius conſilia adoranda ſunt ſilentio, dicendumque cum Apoſt. ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Et ad Rom. 9. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Et *An non licet mihi, quod volo facere?* Nec aliter ſolvi poſſe docuit Auguſt. cap. 8. *de Bono perſev.* Cur iſte ita vocetur, vt vocantem ſequatur; ille autem non ita vocetur vt vocantem ſequatur, inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Sicut in ſententia Ieſuitica, ſeu iuxta principia ſcientiæ mediæ poteſt illa duplex quæſtio inſtitui, etſi diverſis vocibus: altera eſt, cur vnus homo prę alio non conſentit, quando vterque paribus auxilijs intrinſecis exornatur? Altera, cur vnus præ alio vocatur his auxilijs, quibus conſenſurum eſſe per ſcientiam mediam prænovit Deus? Poſterior hęc quæſtio nequit ſolvi, niſi per *velle* & *nolle* Dei. Prior verò per *nolle* arbitrij creati auxilio ſufficienti ſuffulti.

§. IX.

Solvitur argumentorum ex authoritate Auguſtini.

56 SEcundum argumentum poteſt deſumi ex doctrina Div. Auguſtini tum lib. 1. ad ſimplicianum quæſt. 2. vbi ait *Nullius Deus fruſtrà miſeretur: cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodò ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* In quibus verbis apertè docet miſericordem illam voluntatem, cuius meminit Apoſt. 18. ad Rom. *Ergo Deus, cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*, non eſſe antecedentem, ſeu præveniente omnem præſcientiam, ſicut eſt Thomiſtica, ſed potiùs conſequentem, & ſupponentem bonum vſum gratiæ conditionaliter præſcitum. Tum etiam: non illam quæſtionem, cur ex duobus æquali auxilio ſufficienti prevenitis vnus convertatur, & non alius? Solvit lib. 12. *de Civit. Dei* cap. 6. per *velle* & *nolle* creati arbitrij, & non per aliam vocationem ab intrinſeco efficacem: *Si duo*, inquit Doctorum Aquila, *æqualiter affecti animo & corpore videant pulchritudinem, qua viſa vnus eorum ad illicitè perfruendum moveatur; alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret: ſi eadem tentatione ambo tententur, & vnus ei cedat, atque conſentiat; alter perſeveret; quid aliud apparet, niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere.*

Confirmatur ex alijs duobus teſtimonijs eiuſdem S. Doctoris. Primum habetur cap. 14. *de Bono perſev.* vbi ex eo quòd Tyrij & Sidonij crederent, ſi vidiſſent miracula, quibus viſis Iudei non crediderunt, ſic infert: *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, qui moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis muneribus audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Atqui hac Auguſtini deductio nulla prorsùs eſſet, ſi fides Tyriorum non aliter futura fuit, quàm vi præſen-

tis

tis decreti conditionaliter prædeterminativi, cùm omnes æque ſint naturaliter dociles ad fidem Deo efficaciter prędeterminante: ergo falsò, & contra Auguſtinum requiritur huiuſmodi decretum ad conditionalem futuritionem. *Adde:* Nam fruſtrà apponeretur illa particula *ſi congrua*, cùm fieri non poſsit, vt non ſint congrua ſigna aut verba, quę aptantur illi decreto. ¶ Secundum habetur in expoſitione quarundam propoſitionum epiſt. ad Rom. propoſit. 5. vbi ſic loquitur: *Non omnes, qui vocati ſunt, ſecundùm propoſitum vocati ſunt: hoc enim propoſitum ad præſcientiam, & prædeterminationem Dei pertinet; nec prędeſtinavit aliquem, niſi quem præſcivit crediturum, & ſecuturum eſſe vocationem ſuam.* En Auguſtinum palàm docere, ante omnem prædiffinitionem aut prædeſtinationem boni operis ſub vocatione aliqua præcedere in Deo præſcientiam boni vſus gratię ſub tali vocatione: ergo prędcientia illa non eſt innixa decreto prædeſtinativo, proindeque eſt ſcientia media.

57 Reſpondetur, D. Auguſtinum eſſe prò ſcientia conditionata Thomiſtica ſatis conſtare ex dictis §. 3. Ad primum teſtimonium adductum in argumento tripliciter reſpondetur à N. Salm. tract. 14. à num. 48. ex quibus illam ſolutionem eligimus, quam præſeferunt in præſ. diſp. 10. num. 54. Reſpondetur ergo, quòd cùm D. Auguſtinus ait, tunc vocationem eſſe congruam, quando congruit ei, qui ita vocatur, non ita intelligendum eſt, vt hęc idoneitas conſiſtat in aliqua attemperatione creati arbitrij ad gratiam, quæ non ſit effectus gratiæ, vt tradebant Pelagiani, ſed aliquid proveniens ex efficaci propoſito Dei. Quocircà hæc vocatio aliquando vocatur *congrua*, aliquando verò *ex propoſito*, quia (vt ipſe ſe exponit) ſemper Auguſtinus loquitur ſine præiudicio latentis conſilij Dei, vt vidimus loco citato num. 21. Quibus accedunt, quæ docet lib. 2. Retract. cap. 1. vbi meminit prædicti libri ad Simplicianum, & recognoſcens eſſe opus ſuum ſic ait: *In cuius quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanę, ſed vicit Dei gratia. Nec niſi ad illud potuit perveniri, vt liquidiſſima veritate dixiſſe intelligatur Apoſt. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Quod volens etiam Martyr Cyprianus oſtendere, hoc totum ipſo titulo definivit dicens, in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt.* En quomodò totam aptitudinem reducit ad Dei gratiam contra profeſſores ſcientiæ mediæ. Quinimò in ipſo loco nobis obiecto recurrit pro hac aptitudine ad gratiam Dei, qui omnia largitur, vt in fine illius quæſtionis poteſt legi. Et certè ſi prędictum teſtimonium aliquid contra nos ſuaderet, probaret etiam contra ſententiam catholicam, quandoquidem ibi ageret S. Antiſtes cum Pelagianis.

Ad ſecundum teſtimonium in eodem argumento adductum reſpondetur: prænotando, illos iuvenes poſſe conſiderari, vel in ordine ad circumſtantias, & ſigna exteriora, quæ reducuntur ad *poſſe* illorum, ſeu gratiam ſufficientem, vel in ordine ad omnia auxilia interiora. Igitur ſi illi iuvenes accipiantur ſecundùm primam conſiderationem, certum omninò eſt, quòd in eo, quòd vnus tentationi reſiſtit, & alter illi ſuccumbit, nihil aliud apparet, niſi vnum voluiſſe, & alterum noluiſſe à caſtitate deficere. Et in hoc ſenſu loquitur Magnus Parens Auguſtinus. Itaque, vt diximus §. præced. hęc quæſtio, ſi attendamus ad cauſam inferiorem vt ornatam præcisè auxilio ſufficienti, non aliter ſolvenda eſt, niſi per *velle* & *nolle* creati arbitrij. Si autem accipiantur iuxta ſecundam conſiderationem, & per ordinem ad cauſam altiſsimam, aliquid aliud reſtat, nimirùm voluntas efficax Dei, quæ vni dat perſeverantiam, & alteri negat: & quæſtio inde orta tantùm ſolvenda eſt recurrendo ad altitudinem iudiciorum Dei, & voluntatem omninò gratuitam, qua quos vult indurat, & quorum vult miſeretur, vt ita tota diſcretio inter conſentientem & non conſentientem reducatur non in liberum arbitrium, ſed in ipſum Deum, vt ſæpe docet cum Apoſt. Div. Auguſtinus.

58 Ad confirmationem, & ad primum eius teſtimonium: Reſpondetur quòd hi, qui moventur infallibiliter ad fidem, non prędividentur moti ad eam infallibiliter, niſi audiant congrua verba, vel ſigna, vt inquit D. Auguſtinus. Sed eorum congruitas dependet à decreto Dei ab intrinſeco efficaci: quod non datur erga omnes, qui vocantur, ſed prędiſe circa aliquos. Neque hi per vires proprias poſſunt proximè ſe diſponere ad fidem, vt malè intelligunt Adverſarij illa verba Auguſtini, nempè *habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentię.* Licèt remotè & negativè per vires naturales poſsint ſe diſponere ad eam, quatenus removent impedimenta quædam ad credendum: ſunt enim quidam propter excellentiam ingenij naturaliter magis diſpoſiti ad apprehendendas veritates ſibi propoſitas, ſeu motiva credibilitatis eorum, & in hoc ſenſu poteſt dici, hos habere in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem. Sed hæc diſpoſitio eſt tantùm remota & negativa, vltra quam requiritur alia proxima per lumen ſupernaturale infuſum, nimirùm auxilium ſufficiens, vt quis poſsit credere; & vt actu credat, requiritur inſuper aliud auxilium, quo ad credendum infallibiliter applicetur: Et hoc confert, cui vult, cùm vult, & prout vult, vt poſt verba nobis obiecta non obſcure tradit ipſe Parens Auguſtinus: *Audiunt enim* (inquit)

&

& *faciunt*; *quibus datum est*: *non autem faciunt*, *sive audiant*, *sive non audiant*, *quibus non datum est* ::: *Quorum alterum ad misericordiam*, *alterum ad iudicium pertinet illius*, *cui dicit anima nostra*: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi*, *Domine*.

59 Ad secundum testimonium in eadem confirmatione allatum: Respondetur, verba in eo relata non esse D. Augustini, sed Ioannis Arborei, cuius doctrina non est admittenda, quia refert sententiam Augustini, quæ est ipsissima Thomistarum, & illum rejicit, & sequitur sententiam Origenis. Sic Alvarez lib. 1. Respons. cap. 1. num. 36. & N. Salm. in præs. disp. 10. num. 135. alijsque Thomistæ. *Quibus adde* Augustinum lib. 1. Retract. cap. 23. aliqua verba in prædicto testimonio contenta, necnon alia prædictis priora, & posteriora retractasse, vt multi exponunt. Sed vt radicitùs intelligatur, quid nomine *præscientiæ* dicat Augustinus in relato testimonio (si suum est) & in alijs, accipe generalem regulam D. August. quam tradit lib. *de Dono persever.* cap. 18. his verbis: *Aliquando prædestinatio significatur nomine* præscientiæ, *sicut ait Apost. Non repulit Dominus plebem suam*, *quam præscivit. Hoc quod ait*, præscivit *non rectè intelligitur*, *nisi* prædestinavit; *sed prædestinasse est hoc præscivisse*, *quod fuerat ipse facturus. Quid ergo prohibet*, *quando apud aliquos legimus* Dei præscientiam, *& agitur de vocatione electorum*, *eandem prædestinationem intelligere?*

§. X.

Solvitur argumentum ab autheritate D. Thomæ.

60 TErtium argumentum desumitur ex doctrina D. Thomæ, qui pluribus testimonijs videtur scientiæ mediæ suffragari. Primum sumitur ex his, quæ docet in 1. dist. 40. quæst. 4. art. 2. in argumento *Sed contra*, vbi ait: *Dicunt sancti communiter*, *Dionys. Augusti. & Anselm. quòd causa*, *quare iste non habet gratiam*, *est*, *quia ipse noluit accipere*, *& non quia Deus noluit dare*. Et in corpore art. sic concludit: *Patet ergo*, *quod huius defectus* (videlicet gratiæ) *absolutè causa prima est ex parte hominis*, *qui gratia caret*: sed negata scientia conditionata Iesuitica, potiùs homo non acciperet gratiam, quia noluit eam Deus prædiffinire, vt acciperet, quàm econversò: ergo iuxta D. Thomam datur in Deo scientia media.

Secundum sumitur ex 3. part. quæst. 1. art. 3. ad 4. vbi ait: *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum*. Et valde consequenter ad hæc quæst. 12. *de Verit.* art. 10. in corp. & ad 3. ac sæpè alibi docet, non omnia prædestinata esse, quę præscita sunt, sed latiùs patere Dei præscientiam, quàm prædestinationem; sed vt veritas huius doctrinæ constet, oportet aliquorum contingentium Deum habere præscientiam non fundatam in prædestinatione, aut prędiffinitione efficaci, quæ sivè intelligatur de præscientia absoluta, sivè de conditionata, plane contradicit Thomisticę sententiæ, & favet Iesuiticæ: ergo iuxta D. Thomam hæc, & non illa, admittenda est.

61 Tertium sumitur ex prędicta quæst. 3. part. art. 5. & 6. vbi vt redderet rationem decreti, quod Deus habuit, vt Incarnatio non esset in initio mundi, neque in finem differretur, ait, eam desumendam esse ex eo, quòd præscivit effectus liberos futuros, qui essent, si Christus carnem assumeret in aliquo ex his temporibus; sed prædicti effectus cognoscebantur à Deo per scientiam mediam, cum cognoscerentur pro priori ad decretum Incarnativum: ergo datur.

Quartum desumitur ex his, quę docet quæst. & art. proximè relatis *de Verit.* vbi distinguens prophetiam prędestinationis, & præscientię, sic ait: *Quando ex sola operatione divinæ virtutis*, *aliquid fit*, *vt suscitatio Lazari*, *secundùm hoc est prophetia prædestinationis*: *quia*, *vt dicit Damascenus*, *ea*, *quæ Deus prædestinat*, *non sunt in nobis*. Eodem modo loquitur in solut. ad 3. & 4. argum. vbi inquit, quòd id, quod ex arbitrio nostro est, *prædestinationi subesse dicitur per accidens*; est tamen per se præscitum à Deo: ergo dum D. Thomas distinguit inter ea, quæ sunt vnicè à voluntate divina, & quæ sunt à voluntate humana, & ait illa esse prædestinata, & hæc esse tantùm præscita, plane concedit scientiam mediam. Patet consequentia: nam prædestinatio communiter sumpta, vt in præsenti accipitur, & præfinitio in idem coincidunt: ergo si ea, quæ pendent à libero arbitrio, cognoscuntur à Deo independenter à præfinitione Dei, cognoscuntur certè per scientiam mediam.

Ultimum, relictis multis alijs, sumitur ex his, quæ docet lect. 5. super cap. 6. Ioann. ad illa verba, *Nemo potest venire ad me*, *nisi Pater meus traxerit illum*, vbi sic loquitur. *Hominem multipliciter trahit Deus*, *revelatione veritatis internæ*, *persuasione*, *operatione miraculorum*, *blanditijs*, *admirabili delectatione & amore veritatis*: vbi cùm percurrat modos gratiæ efficacis, non enumerat præmotionem physicam, sed tantùm suasiones, revelationes &c. quæ dumtaxat pertinent ad motionem moralem: ergo signum est, prędmotionem physicam penitùs latuisse Doctorem Angelicum. Patet consequentia: nam nullibi oportunius mentionem faceret, quàm vbi gratiæ efficaciam exponebat.

62 Ad primum testimonium respondetur, D.

D. Thomam in illo loco ſolùm agere de gratia ſufficienti. De qua omninò verum eſt, quòd ſi Deus eam aliquibus, maximè obſtinatis, denegat, defectus primus & principalis eſt ex parte hominis, quatenus non vult eam recipere; vel quatenus ſe indiſponit poſitivè ad eam: Deus enim hanc gratiam omnibus offert. ¶ Ad ſecundum, in quo loquitur D. Thomas de Incarnatione ob remedium peccati: Reſpondetur, S. Doctorem tantùm loqui de prædeſtinatione in ſenſu formaliſsimo, quo pacto præſupponit intentionem finis, & electionem mediorum, & conſequenter præſcientiam illorum, quatenus futura ſunt initiativè: quod & nos fatemur. At hęc præſcientia nullatenus antevertit omne decretum, vt volunt Recentiores ad ſuam ſcientiam mediam ſtabiliendam; ſed ſi eſt præſcientia mediorum, ſupponit decretum electivum eorum, & ſi eſt præſcientia finis, præſupponit decretum electivum illius. An autem præſcientia Incarnationis, quæ eſt finis omnium ſpectantium ad hoc vniverſum, innixa decreto intentivo efficaci ſive abſoluto, ſivè conditionato, debeat præſupponere præſcientiam peccati originalis, & aliorum mediorum quomodocumque conducentium ex ordinatione divina ad eam, alia quæſtio eſt pertinens ad tractatum *de Incarnatione*: ſed reſolutoriè dicimus, quòd in eodem ſigno *in quo* adhuc rationis vtraque præſcientia coëxiſtit cum mutua dependentia in diverſo genere cauſæ.

63 Ad tertium reſpondetur: Fatendo, quòd Deus præſcivit effectus liberos, qui eſſent, ſi Incarnatio Chriſti eſſet in initio mundi, vel vſque ad finem illius differretur. Cœterùm præſcientiam horum effectuum habuit Deus in ſuo decreto conditionato actu & ab æterno in ipſo exiſtenti: neque oppoſitum alicubi docet Div. Thomas.

Ad quartum reſpondetur, *prædeſtinationem* accipi poſſe tripliciter: Poteſt enim *primò* ſumi vniverſaliſsimè, prout creatura per eam ordinatur ad aliquem finem, cuiuſcumque ordinis ſit: & hęc acceptio eſt minùs propria, vt docet D. Thomas infrà quæſt. 23. art. 2. ad 2. Poteſt etiam ſumi magis ſtrictè, pro tranſmiſſione creaturæ rationalis in vitam æternam, quæ tranſmiſsio fit ex gratia Dei: & in hoc ſenſu docet S. Doctor quæſt. 10. *de Verit.* art. 10. ad 4. quòd meritum noſtrum ſolùm ſubiacet prædeſtinationi, quatenus eſt ex gratia, quæ à ſolo Deo eſt. Et in eodem ſenſu docet ibi, quòd *id, quod eſt ex libero arbitrio, prædeſtinationi ſubeſſe dicitur per accidens*: non quia aliud eſt, quod procedit à libero arbitrio, & aliud, quod procedit à gratia; aut quia liberum arbitrium & gratia ſunt cauſæ partiales actus noſtri liberi & meritorij: ſed quia actus liber & meritorius, quatenus præciſivè concipitur vt procedens à libero arbitrio, non ſubiacet divinę prædeſtinationi niſi per accidens, id eſt, quatenus concipitur procedere ſimul à gratia. Tandem poteſt ſumi *prædeſtinatio* pro prædeterminatione eius, quod à ſolo Deo fit, vt reſuſcitatio Lazari, & alia huiuſmodi: & de his dicit Damaſc. quòd Deus ita prædeſtinat, quæ nullo modo ſunt in nobis. Cœterùm per hoc nullo modo tollit, quòd non prędeterminet ea, quæ ſunt in nobis, ſed quòd illa prædeterminat prędeterminatione non imponente nobis neceſsitatem: ita eum exponit Ang. Doctor loco proximè citato ex 1. part. Nunquam tamen docet Mag. Angelicus, quòd aliqua ſunt præſcita, quin ſint prædeſtinata prædeſtinatione ſaltem primo modo ſumpta: quod oportebat ad probandam ſcientiam mediam.

64 Ad vltimum reſpondetur; prędictum textum D. Thomæ diminutè referri ab Adverſarijs, quia poſt verba relata immediatè ſubdit ſequentia: *Sed quia non ſolùm revelatio externa, vel obiectum virtutem trahendi habet, ſed etiam interior inſtinctus impellens & movens ad credendum, ideò multos trahit Pater ad Filium per inſtinctum divinæ operationis moventis interiùs cor hominis ad credendum, iuxta illud: Deus eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere. Et illud: Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud.* In quibus verbis clarè meminit prædeterminationis phyſicæ: Nam præter modos ſuprà enumeratos vlteriùs addit alium efficaciorem, nempè inſtinctum interiorem, quo movet & impellit hominem ad credendum, ita vt medio illo vertat cor hominis, quocumque voluerit. Quem modum trahendi eodem modo anteà depinxerat Magnus Parens Auguſtinus lib. 1. Contrà duas epiſtolas Pelagian. cap. 19. vbi exponens eadem verba Chriſti, ſic ait: *Trahitur ergo miris modis, vt velit, ab illo, qui novit intùs in ipſis hominum cordibus operari: non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant*; ſed movere, & impellere ad credendum, ita vt Deus vertat cor hominis, quocumque voluerit, & ita vt ex nolentibus fiant volentes, nequit competere omnibus modis trahendi præcisè moraliter, aut per auxilium præcisè ſufficiens: ergo D. Thomas in verbis proximè relatis clare meminit prædeterminationis phyſicæ.

65 Sed dices: Poſtquàm S. Doctor inter modos trahendi annumeravit præfatum inſtinctum, ſtatim ſubiungit: *Ideò trahit multos Pater ad Filium per inſtinctum divinæ operationis moventis interiùs cor hominis ad credendum.* En non dicit, *Trahit omnes*, ſed *trahit multos*, veluti ſupponens Deum alios trahere modis anteà memoratis, diſtinctiſque ab illo inſtinctu; ergo nomine *inſtinctus* Thomi-

mistícam prædeterminationem non significat. Patet consequentia. Tum quia hæc ita est necessaria in Thomistarum sententia, vt Deus neminem trahere possit nisi per illam. Tum etiam: nam aliàs cæteri modi trahendi essent superflui, si in solo instinctu prædeterminante, vt volunt Thomistæ, virtutem trahendi S. Doctor agnovisset.

Respondetur, quòd trahere ad credendum potest sumi dupliciter: vel in actu primo, præbendo nimirùm auxilia sufficientia: & in hoc sensu multis & diversis modis trahit Deus omnes, videlicet revelatione veritatis internæ, persuasione, operatione miraculorum, blanditijs, admirabili delectatione, & amore veritatis, quę omnia pertinent ad auxilia sufficientia. Vel in actu secundo, scilicet per instinctum interiùs moventem & impellentem ad credendum: & hoc modo non trahit omnes, sed paucos, iuxta illud Matth. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Hic autem modus trahendi, qui est proprius prædeterminationis physicę, estò formaliter sit vnicus, materialiter potest esse multiplex, iuxta diversos motus, quibus homo ire potest ad Deum, nimirùm ex timore, amore, spe, & delectatione: qui motus, aut modi in alios subdividi possunt, & sunt dispositivi ad ipsum motum fidei, dependentque à præmotione physica. Neque propterea hi modi dispositivi ad fidem superflui sunt, quia miris modis potest Deus disponere hominem ad præfatum instinctum efficacitèr impellentem ad credendum, in quo consistit vltimata motio ad fidem, quæ estó non omnibus concedatur, multis tamen tribuitur: Et ob hanc rationem dixit Ang. Doctor, quòd hoc instinctu trahit *multos*, non *omnes*.

Præcipua argumenta à ratione petita enervata manent in toto hoc tractatu. Alia efformari possunt ab impossibilitate, inutilitate & otiositate decreti conditionati. Cuius tamen existentiam, & necessitatem ad obiecta contingentia conditionata cognoscenda in Deo, defendunt Thomistæ. Alia ab inconvenientibus, quæ ex decreto ab intrinseco efficaci tàm conditionato, quàm absoluto inferunt Iesuitę: quorum accuratam expensionem & solutionem differimus vsque ad tractatum sequentem, vt alibi monuimus.

***

TRA-

TRACTATVS IV.

DE VOLUNTATE DEI.

SICUT ad intellectum naturaliter sequitur voluntas, ita post tractatum de Intellectu & & Scientia Dei immediatè debet succedere tractatus de eius Voluntate. Dequa, eiusque affectionibus differit D. Thomas in hac 1. part. à quæst. 19. vsque ad 22. Et nos, eius vestigijs tutissimè inhærendo, huic tractatui operam damus, illum in tres disputationes secantes. In prima agemus de Quidditate voluntatis divinæ: in secunda de eius Libertate: & in tertia de efficacia illius.

DISPUT. I.

De Quidditate voluntatis Dei.

UT methodum Div. Thomæ observemus, oportet quæstionem *An est* prælibare, vt ab hac non levi difficultate expediti, quæ ad vindicandam rationem D. Thomæ præcipuè conducit, ad enucleandam eius essentiam accedamus. Pro qua sit:

DUBIUM I.

An ratione D. Thomæ rectè demonstretur, dari in Deo voluntatem?

1 SUpponimus, in Deo existere voluntatem. Hæc suppositio est de fide, vt omnes sacræ Scripturæ paginæ testantur: vt patet ex illo Math. 6. & 26. *Fiat voluntas tua.* Et ex illo ad Rom. 12. *Vt probetis, quæ sit voluntas Dei.* Quæ testimonia & alia innumera SS. Patres & Scholastici semper interpretati sunt in sensu proprio. Et quamvis ad hanc veritatem suadendam pluribus rationibus vtatur D. Thomas 1. Contra gent. cap. 2. alijsque in locis, circa rationem, quam in præsenti art. 1. adducit, eiusque efficaciam aliqui ex Iesuitis dissident, tenentque eam non esse demonstrationem, sed meram congruentiam. Vt autem eius soliditas & vis perpendatur, hoc dubium peculiare excitamus.

*** *** *** ***

§. I.

Ratio D. Thomę declaratur.

2 DIcendum est, rationem D. Thomę esse efficacem & demonstrativam. Hanc conclusionem tenent omnes eius Discipuli, quibus suffragantur Suarius lib. 3. *Attributis positivis* cap. 6. Molina in præs. & alij Recentiores Societatis.

Suadeturque nostra assertio ipsa ratione D. Thomæ ad hanc formam redacta: Nam voluntas datur, vbi datur intellectus; sed in Deo datur intellectus: ergo etiam voluntas. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Nam sicut res naturalis constituitur in actu per suam formam naturalem, ita intellectus constituitur in actu per formam intelligibilem; sed ad formam naturalem sequitur quædam habitudo ipsius rei naturalis ad ipsam formam, ita vt quando habet illam, quiescat in ea, & quando ipsam non habet, tendat in eam: & idem est de qualibet perfectione naturali, quę est conveniens naturæ, & ita ad formam ignis sequitur inclinatio ad locum sursum, & ad formam lapidis propensio ad locum deorsum: quæ habitudo inclinatio, & propensio vocatur *appetitus naturalis*: ergo etiam ad formam intellectus debet sequi habitudo naturæ intellectualis ad bonum per eam apprehensum: itaut tendat in illud, quando eo caret, & quiescat in eo, quando illud habet; sed hęc habitudo appellatur *inclinatio*, seu appetitus *rationalis*, quod est idem ac voluntas: ergo voluntas sequitur intellectum.

Et confirmatur, simulque ostenditur efficacia huius rationis ex definitione volũtatis tradita ab Arist. 1. Rethoric. & ab omnibus Philo-

losophis & Theologis accepta: Nam voluntas est *Appetitus boni cum ratione*, id est, appetitus prosequutivus boni vt propositi per rationem: ergo intellectus est radix & ratio à priori voluntatis: ergo dum D. Thomas probat in Deo esse voluntatem, ex eo quòd in ipso est intellectus, rectè & ex propria radice probat existentiam illius.

§. II.

Obiectionum solutio.

3 SEd vt efficacia prædictæ rationis magis eluceſcat, oportet obiectiones contra eam ebullientes enodare. Arguitur ergo *primò*: Ex ratione D. Thomæ tantum sequitur, quòd sicut res naturalis dicit inclinationem ad formam naturalem, per quam constituitur in suo *esse* naturali, ita res intellectualis dicat appetitum ad formam intelligibilem, per quam intellectus constituitur in actu intelligibili; sed ex appetitu ad formam intelligibilem non rectè probatur existentia voluntatis: ergo ex ratione D. Thomæ non rectè infertur in Deo dari voluntatem. Minor probatur: Tum, quia natura intellectualis independenter à voluntate habet appetitum innatum ad formas intelligiles. Tum etiam: quia voluntas non est appetitus ad formas intelligibiles, sed ad bonum prout est in se: ergo ex appetitu ad formam intelligibilem non rectè deducitur existentia voluntatis.

Et confirmatur: Nam ratio D. Thomæ procedit in quatuor terminis; sed hic modus arguendi est vitiosus, vt tenent communiter Dialectici: ergo ratio D. Thomæ non est efficax. Maior probatur: Nam ex eo, quòd intellectus constituitur in actu per formam intelligibilem, sicut res naturalis per formam naturalem, & formam naturalem sequitur inclinatio rei naturalis, intulit D. Thomas inclinationem ad bonum apprehensum; sed hæc ratio procedit in quatuor terminis, quandoquidem in præmissis non fit mentio boni apprehensi, sed formæ intelligibilis, & in conclusione fit mentio boni apprehensi, & non formæ intelligibilis: ergo procedit in quatuor terminis.

4 Neque fiet satis dicendo, formam intelligibilem non ponere in numero cum bono apprehenso, quia est ipsum bonum apprehensum. Non (inquam) fit satis: Tum, quia hoc principium non est per se notum, sed tantùm probabile, ex principio autem probabili non sequitur conclusio demonstrativa. Tum etiam: Nam ex ratione D. Thomæ, vt non procedat in quatuor terminis, omninò requiritur, quòd probaretur inclinatio tendens ad obiectum, eo modo quo species est idem cum illo; sed ex ratione Div. Thomæ probatur inclinatio tendens ad obiectum secundùm suum *esse* naturale, & species non est ipsum obiectum secundùm prædictum *esse* naturale: ergo procedit in quatuor terminis.

Pro solutione huius obiectionis, & aliarum subsequentium, duo breviter supponenda sunt ex dictis tract. 2. disp. 2. dub. 2. & 3. Primum est, species intelligibiles esse formas intellectus, dantes ei speciem in ordine intellectuali. Secundum est, species habere eandem naturam numero ac obiecta, sub diverso tamen modo, itaut quando obiectum non potest vniri per speciem cum potentia, ob improportionem quam dicit, vniatur media specie intelligibili substituente vices illius, ad illudque per se subordinata. Quibus suppositis:

5 Ad obiectionem respondetur, negando maiorem: Nam ratio D. Thomæ ex appetitu naturali ad formam naturalem, per quam constituitur, non tantùm probat appetitum ad formam intelligibilem, quantùm ad rem apprehensam secundùm suum *esse* naturale. Quod vt evidentius fiat, sciendum est cum D. Thoma 1. Contra gent. cap. 72. quòd res naturalis sicut non est talis, vsque dum habeat formam, per quam in suo *esse* constituitur, ita nullum appetitum habet, antequàm præhabeat prædictam formam. Unde appetitus residens in re naturali, de quo Div. Thomas, & per quem suadet existentiam voluntatis, est ad perfectionem sibi conuenientem, prout est constituta per suam formam naturalem, vel ad ipsam formam vt complendam, & coniungendam cum perfectione sibi debita, vt patet in igne tendente ad suum centrum. Pariformiter ergo appetitus, quem in natura intellectuali probat D. Thomas, ex eo quòd constituitur per formam intelligibilem, non est ad ipsam formam intelligibilem, prout intellectus est iam per ipsam in suo *esse* intellectuali constitutus, sed ad ipsum obiectum secundùm suum *esse* naturale, quo pacto est valdè conueniens ipsi, & habetur vltimatè & perfectè. Vnde ex illa actuatione excitativa speciei intelligibilis rectè infertur appetitus ad res, prout sunt, qui est voluntas; sicut ex actuatione formæ ignis rectè arguitur appetitus naturalis ad vltimam eius perfectionem. Etsi quandoque contingat, speciem intelligibilem esse ipsum obiectum, prout est in se, vt in Deo, & in Angelis ex parte, contingit, quiescit in illo fruendo; quod est voluntatis munus, vt supponit D. Thomas in præs.

6 Neque refert, si objicias, quòd D. Thomas, postquam asseruit, quamlibet rem naturalem habere habitudinem ad suam formam naturalem, immediatè subdit: *Et idem est de qualibet perfectione naturali, quod est bonum naturæ*, id est, de qualibet perfectione supervenienti: ergo in primis verbis loquitur de forma constitutiva independenter à perfectione com-

completiva seu vltimata ; aliàs inutiliter præfata verba addidisset.

Non (inquam) refert propter duas solutiones, quas huic obiectioni adhibent N. Salm. in præs. à num. 16. Prima est, quòd per illa verba superaddita non intelligit S. Doctor, rem naturalem habere habitudinem ad perfectionem completivam suprà descriptam, quia de hac in præcedentibus verbis iam dixerat. Sed quòd illa forma complens etiam habet appetitum ad sui vnionem cum proprio subiecto. ¶ Si verò dicas, quòd hæc perfectio nondum existit, proindeque non potest appetere se subiecto communicare. Respondetur breviter, quòd prædicta solutio intelligenda est de perfectione existenti.

Secunda solutio est, quòd in prioribus verbis D. Thomas loquitur de inclinatione rei naturalis consecuta ad formam secundùm omnes illas perfectiones, quę fluunt ab ea per dimanationem, quo pacto dicitur forma propria illius ; & huiusmodi perfectiones non ponunt in numero cum forma constitutiva illius. Propterea quc in eisdem verbis intellexit, ad quamlibet potentiam formę sequi inclinationem naturalem ad sui complementum : iuxta id quod ait infrà quæst. 80. art. 1. *Unaquæque potentia animę est quędam forma seu natura, & habet naturalem inclinationem in aliquid : vnde vnaquæque appetit obiectum sibi conveniens naturali appetitu* : v. g. potentia visiva, quatenus facit vnum *quid* cum forma animali, appetit vnionem cum suo obiecto medijs speciebus intentionalibus, & ipsum videre. In sequentibus verbis loquitur de perfectione non dimanante ab ipsa natura, sed supeveniente illi ex vi alterius actionis distinctæ ab actione generativa : de qua etiam verificatur, quòd appetit naturaliter perfectionem sibi debitam : Et ex vtraque inclinatione arguit S. Doctor, naturam intellectualem habere specialem appetitum ad bonum sibi conveniens, ex eo quòd habet intellectum actuatum per speciem.

7 Ad confirmationem adductam num. 3. Respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam, quæ optima est. Nam in via Arist. & D. Thomæ certum omninò est, formam intelligibilem sive impressam, sive expressam esse formaliter ipsum obiectum apprehensum, licet sub diverso modo essendi : nam illam naturam, quam obiectum habet sub *esse* naturali, species habet sub *esse* intelligibili & diminuto. Et hinc oritur, quòd natura intellectualis, postquàm medio intellectu est actuata per vtranque speciem, appetat ipsum obiectum secundùm suum *esse* naturale, quia obiectum secundùm hoc *esse* est vltima perfectio & complementum sui ipsius, & ipsius naturę intellectualis. Si ergo ex appetitu naturali ad formam naturalem rectè deducitur appetitus naturalis ad formam intelligibilem, vt argumentum supponit, huiusmodi appetitus non debet esse ad ipsam formam secundùm suum *esse* intelligibile, sed naturale; sicut appetitus rei naturalis est non tàm ad formam ipsius constitutivam, quàm ad complementum illius. Ad quod de materiali se habet, quòd forma intelligibilis sit formaliter ipsum obiectum apprehensum : quia in omnium sententia obiectum secundùm suum *esse* naturale est consummatio & perfectio ipsius formæ intelligibilis, & naturæ intellectualis. Quocircà estò appetitus ad apprehensionem formæ (præoccupatur quędam obiectio) sit innatus ; appetitus tamen ad ipsum bonum secundùm se etiam apprehensum nequit non esse elicitus : quia forma vt *cognita* non fundat appetitum innatum, sed elicitum. Per quod constat ad vtranque probationem, quæ refellit solutionem inter arguendum datam, & proximè magis elucidatam.

8 Arguitur *secundò*: Voluntas inest animæ, priusquàm aliqua species intelligibilis : siquidem voluntas est hominis & Angeli passio, species verò accidens commune : ergo non rectè infert D. Thomas ex forma intelligibili seu specie existentiam voluntatis. Probatur consequentia. Nam id, ex quo infertur voluntas, debet esse prius illa ; sed accidens commune non est prius, quàm passio, vt ex se liquet : ergo ex forma intelligibili non rectè infertur voluntas.

Et confirmatur *primò* : Nam potest species, imò cognitio alicuius obiecti absolutè dari, quin circa ipsum obiectum voluntas habeat aliquod exercitium, vt liquet in cognitione possibilium : ergo intellectus non infert voluntatem. ¶ Confirmatur *secundò* : Quia non videtur repugnans Deum condere aliquam naturam intellectivam, quæ non sit appetitiva : sicut nec facilè reddetur ratio, cur Deus creare nequeat aliquam naturam sensitivam, & non appetitivam.

Ad argumentum respondetur, quòd intentum D. Thomæ non est probare immediatè voluntatem ipsam, vt passio est, quia hæc est prior specie intelligibili, vt convincit argumentum, sed suadere immediatè actum voluntatis : vt ex eius formali modo procedendi satis colligitur. Nam dicit, naturam habentem bonum apprehensum, similem habitudinem habere, id est, actualem apprehensionem, quæ est accidens commune & subsequi similem volitionem, quæ etiam est accidens commune. Ex quo rectè infertur, quòd ad potentiam apprehensivam, quę passio animæ est, subsequatur etiam potentia appetitiva, quæ similiter est passio animæ.

Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens. Quia possibilia quatenus *talia*, estò non prosequamur amore, vt infrà dicemus, terminant nolitionem positivam : quia vo-

voluntas divina, propoſito quolibet obiecto ab intellectu, nequit manere ſuſpenſa: quod ſufficit ad probandam exiſtentiam voluntatis. Quinimò eſtò poſſet manere ſuſpenſa, ex cognitione tamen poſsibilium rectè argueretur eſſe facultatem in Deo ad habendum aliquod exercitium poſitivum erga ea, quo probatur efficaciter voluntas. Imò hoc ipſum ſuaderet exercitium liberum omiſivum: quia quodcumque exercitium liberum ſupponit voluntatem. ¶ Ad ſecundam reſpondetur, permittendo gratis poſſe Deum condere naturam intellectualem non appetitivam: at hoc eſſet præternaturaliter: cùm ergo nihil non naturale poſsit in Deo inveniri, inde eſt, quod ex exiſtentia intellectus rectè probatur exiſtentia voluntatis. Diximus *permittendo gratis*: quia reverà non admittimus naturam intellectualem non radicantem voluntatem. Et ratio eſt: quia nequit fingi natura intellectiva, quæ non ſit apprehenſiva entis, & conſequenter boni, quod eſt paſsio entis: bonum verò apprehenſum eſt excitativum amoris: vnde natura intellectiva nequit non eſſe apprehenſiva obiecti excitantis ad amorem: Nequit autem bonum eſſe amoris excitativum, quin natura ſit ad amorem excitabilis, cùm ſint correlativa; hoc eſt habere voluntatem: ergo de primo ad vltimum repugnare videtur natura intellectiva non radicans voluntatem.

DUBIUM II.

An Voluntas divina habeat rationem potentiæ?

9 HÆc controverſia vniverſalis eſt & communis omni attributo Dei. Ex cuius deciſione pendet omninò reſolutio graviſſimæ illius difficultatis de conſtitutivo naturæ divinæ; quod iam explicatum relinquimus tract. 1. diſp. 2. dub. 2. & 3. & ſuppoſitis ibi in præſenti dicendis, probavimus num. 39. intellectionem divinam primordialem pertinere ad conſtitutivum metaphyſicum naturæ divinæ, eo quòd intellectus non diſtinguatur virtualiter ex parte rei conceptæ ab ea. Quæ ratio, ſi vera ſunt quæ in hoc dubio ſtabilienda erunt, eſt adeò efficax, vt omnem dubitandi rationem procul abigat. Sed claritatis gratia, & vt difficultatis cardo notus omnibus appareat, operæ pretium duximus certa ab incertis ſeparare.

§. I.

Notabilia aliqua, & ſuppoſitiones;

10 NOta, voluntatem poſſe comparari in ordine ad terminum productum ad *intrà*, videlicèt ad Spiritum-ſanctum, & in ordine ad effectus ad *extrà*; cùm nulli dubium ſit, omnes creaturas eſſe effectus divinæ voluntatis, iuxta illud Apoſt. ad Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, & Spiritum ſanctum procedere realiter per voluntatem. ¶ Ex quibus acceptionibus ſupponendum eſt, in voluntate divina ſalvari veram, & propriam rationem potentiæ. Tum quia id expreſsè docet D. Thomas infrà quæſt. 25. art. 1. ad 3. vbi dicit: *Salvatur in Deo ratio potentiæ quantùm ad hoc, quòd eſt principium effectus.* Et quæſt. 41. art. 4. ad 1. *Potentia ad actus notionales non dicitur in divinis per reſpectum ad aliquam perſonam factam, ſed ſolùm per reſpectum ad perſonam procedentem.* Tum etiam, & præcipuè propter rationem ab eo inductam art. citato quæſt. 25. quæ eſt huiuſmodi: Tunc aliquid eſt maximè principium activum, quando eſt maximè actuale; ſed Deus eſt ſummè actualis, vtpotè actus purus: ergo eſt ſummum principium activum: ſed ſummo principio activo convenit ratio potentiæ; ergo cum voluntas divina ſit maximè activa, iuxta præfata Apoſt. verba, nequit non rationem potentiæ fortiri reſpectu illorum, quorum eſt productiva, ſivè per factionem, vt creaturarum, ſivè per productionem, vt perſonæ ad intra.

11 Nota *ſecundò*, voluntatem divinam poſſe etiam comparari ad ſuum actum, ſcilicèt *velle*: quod dupliciter accipi poteſt, vel eſſentialiter, vel notionaliter: inter quas aceptiones hoc eſt diſcrimen, quòd ſecundùm priorem rationem tantùm dicit ordinem ad obiectum; at ſecundùm poſteriorem etiam dicit reſpectum ad terminum realiter productum. Senſus quæſtionis ſolùm intelligitur de voluntate per ordinem ad actum eſſentialiter ſumptum, quia ex dicendis de eo ſecundùm hanc acceptionem facilè quis deducere poteſt, quid dicendum ſit de eo notionaliter ſumpto, maximè ſi vera eſt ſententia Thomiſtarum communis, quæ aſſerit, actum notionalem eſſe in recto ipſum actum eſſentialem dicentem in obliquo relationem. Ob eamdemque rationem non difficilè apparebit, quid ſentiendum ſit de eo, prout terminatur ad creaturas: quia iuxta noſtram ſententiam productio actualis illarum conſiſtit in ipſo actu neceſſariò abſque additione alicuius formalitatis intrinſecæ.

12 Sed pro actu eſſentialiter accepto ſupponendum eſt vlteriùs, voluntatem divinam non habere realiter rationem potentiæ. Nam ſi voluntas divina haberet realiter rationem potentiæ reſpectu ſui actus eſſentialis, eſſet realiter actus primus, & principium reale illius; hoc autem repugnat tam voluntati, quam actui: ergo voluntas divina realiter non eſt potentia actus eſſentialis. Maior eſt certa: nam ratio potentiæ & principij in nihilo differunt, vt ſuprà vidimus ex D. Thoma. Minor verò probatur: quia ſi voluntas divina eſſet realiter principium ſui actus, rea-

realiter distingueretur ab eo ; hoc autem repugnat tum summæ simplicitati Dei, vt ex se liquet : tum summę actualitati ipsius voluntatis, cui repugnat esse in potentia reali ad ipsum actum: tum summæ perfectioni ipsius actus,qui eo ipso , quòd produceretur realiter , esset finitus & creatus : ergo repugnat tàm ex parte voluntatis , quam ex parte illius actus , quòd voluntas divina sit realiter principium sui actus essentialis. Ex eodem principio supponendum est contra Scotum , & eius discipulos , voluntatem divinam non habere realiter formaliter rationem potentiæ & principij in ordine ad suum actum essentialem : cuius oppositum fatendum esset , si vera est eorum sententia de distinctione reali formali interveniente inter voluntatem & eius actum, sicut inter essentiam,attributa,& relationes.

His præmissis , difficultas est inter Authores non modica : An voluntas divina sit virtuale principium sui actus essentialis : & an hoc sufficiat , vt verè & proprie dicatur potentia illius? ¶ Erga quam duplex refertur opposita sententia. *Prima defendit* : voluntatem divinam esse principium virtuale volitionis , habereque verè & proprie rationem potentiæ. Ita Godoy in præf. disp. 47. Ferre quæst. 2. Lardito in suo tract. *de Voluntate Dei* dub. 2. Carrasco tract. *de Scientia Dei* , vbi defendit distinctionem adæquatam virtualem inter intellectum & intellectionem. Pro quo modo dicendi refert alios Recentiores Thomistas, quibus subscribunt plures Patres Societatis. *Secunda tenet* : voluntatem divinam non habere rationem potentiæ virtualis respectu sui actus , sed tantùm iuxta imperfectum nostrum modum concipiendi non fundatum in ipsa re. Ita Ioannes a S. Thoma in præf. Gonet, Albelda, Gabriel à S. Vicentio, Lezana, quibus suffragantur ex Societate Suarez , Herice , & alij , & præcipuè N. Salm. in hoc tract. disp. 2. dub. 1.

§. II.

Vera sententia , & menti D. Thomæ conformior.

13 DIcendum est, voluntatem divinam non habere rationem potentiæ, seu actus primi adhuc virtualis ex parte rei conceptæ , seu cum fundamento in re , sed præcisè ex parte nostri modi concipiendi , seu (quod idem est) ex modo significandi. Et probatur *primò* authoritate D. Thomæ : Nam 2. Contra gent. cap. 10. sic ait : *Si aliquæ actiones Deo conveniunt , quæ non in aliquod factum transeant , sed maneant in agente , respectu harum non dicetur in Deo potentia , nisi secundùm modum intelligendi , non secundùm rei veritatem. Huiusmodi autem actiones sunt intelligere, & velle* ::: *Intellectus igitur, & voluntas in Deo non sunt vt potentiæ , sed solùm vt actiones.* In quibus verbis aperte opponitur sententiæ contrariæ : nam D. Thomas in eis docet , voluntatem divinam secundùm rei veritatem , hoc est verè & propriè , non esse per modum potentię, sed per modum actus; sed opposita sententia tenet , voluntatem divinam verè & proprie habere rationem potentiæ : ergo D. Thomas tenet nostram sententiam , & oppugnat oppositam. Idem tradit infra quæst. 41. art. 4. vbi etiò videatur concedere in Deo potentiam respectu actuum notionalium (solvitur tacita obiectio) toto illo articulo confirmat nostram sententiam, præcipuè ad 3. his verbis : *Respectu horum actuum* (videlicet intelligere,& velle) *non potest salvari ratio potentiæ in Deo , nisi secundùm modum intelligendi , & significandi tantùm.* Quid clarius pro nostra assertione ?

14 Nec refert,si dicas cum Palanco tract. *de Scientia Dei* quæst. 3. quòd D. Thomas in relatis testimonijs intelligi debet de potentia ex nostro modo intelligendi cum fundamento in re. Non , inquam , refert : nam in hac 1. part. quæst. 2. art. 1. ad 3. æquiparat potentiam respectu actus cum natura respectu suppositi ; sed in sententia huius Authoris natura & suppositum , non personale, sed essentiale , non distinguuntur ratione cum fundamento in re , vt videri potest disp. 2. quæst. 7. à num. 58. ergo D. Thomas ita favet nostræ assertioni, vt nullum fundamentum præstet modo dicendi , quem habet Palanco. Et vt videas inconsequentiam huius Authoris, recole, quæ diximus tract. 1. disp. 2. num. 51. vbi reperies, quòd ex vna parte inter prędicata pertinentia ad constitutionem methaphysicam naturæ recognoscit eandem distinctionem rationis, ac inter intellectum & voluntatem, & inter voluntatem & volitionem ; & ex alia concedit,voluntatem divinam habere rationem potentiæ cum fundamento in re. Certè , si *velle* divinum pertineret ad constitutivum metaphysicum naturæ divinæ , ægrè posset salvari in Deo ratio potentiæ respectu illius cum fundamento in re , cùm idem sit esse potentiam cum fundamento in re ac ex parte rei conceptæ.

15 Probatur *secundò* ratione: Nam si voluntas divina haberet rationem potentiæ virtualis ex parte rei conceptæ , seu cum fundamento in re in Deo salvaretur voluntas , quæ esset potentia secundùm rem ; sed hoc repugnat : ergo voluntas divina non habet rationem potentiæ virtualis ex parte rei conceptæ. Minor constat: quia ad hoc,vt esset potentia secundùm rem respectu actus primordialis, necessarium erat,quod secundùm rem produceret illum , ad quod iterum erat necessarium , quòd intervenerit distinctio realis. Maior verò probatur : Nam de potentia , quæ est virtualiter talis ex parte rei concep-

ceptæ, verè & propriè affirmari potest, quòd invenitur in re: sicut quia ex parte rei conceptæ apprehendimus in Deo paternitatem, verè & propriè affirmamus, quòd paternitas est in Deo secundùm rem: idemque dicimus de misericordia, æternitate, & alijs attributis: ergo si voluntas divina haberet rationem potentię virtualis ex parte rei conceptæ, seu cum fundamento in re, in Deo salvaretur voluntas, quæ esset potentia secundùm rem.

16 Respondent Adversarij, negando maiorem: Quia amplius requiritur, vt voluntas dicatur potentia secundùm rem, quàm vt dicatur potentia secundùm rationem ex parte rei conceptæ: Tum quia inter naturam divinam & attributa datur distinctio virtualis, seu rationis ex parte rei conceptæ, sivè cum fundamento in re; quin propter hoc salvetur distinctio secundùm rem inter ea. Tum etiam, & præcipuè: quia natura divina est radicale principium virtuale, seu rationis ex parte rei conceptæ tàm attributorum, quàm volitionis primordialis, & non propterea dicitur principium illorum secundùm rem.

Contrà est: nam in sententia Adversariorum idem est voluntatem esse principium virtuale ex parte rei conceptæ, ac verè & propriè habere rationem potentię; sed nequit habere verè & propriè rationem potentiæ, quin sit potentia secundùm rem: ergo in idem recidit voluntatem divinam respectu actus primordialis esse potentiam virtualem ex parte rei conceptæ, ac esse potentiam secundùm rem. Minor probatur: Nam habere verè & propriè rationem potentiæ idem est; ac formaliter independenter à nostro intellectu habere rationem potentiæ; sed habere formaliter independenter à nostro intellectu rationem potentiæ est idem; ac esse potentiam secundùm rem: ergo nequit habere verè & propriè rationem potentiæ, quin sit talis secundùm rem. Maior, in qua est difficultas, liquet in omnibus prædicatis, quę verè & propriè Deo tribuuntur, de quibus affirmamus esse formaliter secundùm rem.

Neque instantiæ suprà adductæ oppositum suadent. *Non prima*: Nam distinctio virtualis, seu fundamentalis, quæ reperitur inter naturam divinam & eius attributa ad hoc, vt verificetur, quòd est vera & propria, sufficit, vt eminentia divina, quæ est ratio prædictæ distinctionis, conveniat Deo secundùm rem & formaliter independenter à nostro intellectu, vt latè diximus cum D. Thoma tract. 1. disp. 3. dub. 2. per totum. Quocircà instantia hæc confirmat nostram impugnationem & rationem: Nam distinctio rationis ex parte rei conceptæ nequit Deo competere, quin id, ratione cuius competit ei talis distinctio, sit in Deo formaliter ex parte rei conceptæ & secundùm rem, & non solùm ex parte nostri intellectus: ergo pariter si Deo convenit ratio potentiæ virtualis ex parte rei conceptæ, etiam debet ei convenire ratio potentiæ secundùm rem. *Neque secunda*: Nam propterea natura divina verè & propriè est principium virtuale & radicale attributorum, & volitionis primordialis, quin apprehendamus esse principium secundùm rem, quia verè & propriè salvatur inter ea distinctio virtualis ratione prędictę eminentiæ. Cæterùm voluntas divina nequit distingui virtualiter ex parte rei conceptæ ratione eminentiæ: quia hæc solùm causat præfatam distinctionem inter ea, quę pertinent ad diversas lineas; voluntas autem & volitio primordialis non pertinent ad diversas lineas. Vnde distinctio virtualis ex parte rei conceptæ vel nequit admitti inter eas, vel debet provenire ex capite limitationis. Semel hac admissa, à fortiori infertur, voluntatem divinam esse potentiam secundùm rem, quod est intentum præcipuum nostrę rationis. Sed hoc ratione sequenti magis expendemus.

§. III.

Alia ratio prò conclusione.

17 PRobatur assertio alia ratione: Nam voluntas per modum potentię ad actum primordialem dicit imperfectionem: ergo voluntas per modum potentiæ in Deo non est admitenda. Antecedens probatur: Voluntas per modum potentię dicit rationē actus primi actuabilis & perfectibilis per actum secundū: ergo dicit imperfectionem. Antecedens probatur: Omnis actus primus est potentialis relatè ad actum secundum: ergo est actuabilis & perfectibilis per actum secundum. Antecedens probatur. Nam id, quod non est summè actuale in aliqua linea, est in potentia ad vltimum actum eiusdem lineæ; sed actus primus non est summè actualis in ea linea, in qua est actus primus: ergo actus primus est potentialis relatè ad actum secundum.

Et confirmatur: Nam si voluntas divina haberet verè & propriè, & ex parte rei conceptæ rationem potentiæ relatè ad actum primordialem, volitio primordialis verè & propriè, & ex parte rei conceptę esset perfectior voluntate; hoc autem repugnat summæ perfectioni voluntatis divinæ: ergo nequit habere rationem potentię relatè ad actum primordialem. Maior videtur certa: Nam in suppositione quòd voluntas divina habeat verè & propriè, & ex parte rei conceptæ rationem potentiæ, est actus primus ordinatus ad volitionē tanquam ad finem; constat autem, quòd finis est perfectior his, quæ sunt ad finem. Minor autem probatur: Nam contra rationem voluntatis divinæ, eiusque actus est, quòd ita illa sit potentia respectu illius, quod non possit esse principium activum illius; sed si volitio primordialis est perfectior voluntate

tate, hæc nequit esse principium activum illius: ergo repugnat, quòd volitio primordialis ex parte rei conceptæ, seu verè & propriè, sit perfectior voluntate. Maior in phrasi D. Thomę est omninò certa: nam *potentia significat principium*, vt docet infrà q. 41. art. 4. ad 3. & alibi. Minor verò probatur: Nam principium activum debet esse vel magis perfectum, vel æquè perfectum, relatè ad id cuius est principium, cùm debeat illud perfectè præcontinere: ergo si volitio primordialis est voluntate perfectior, hæc nequit esse principium activum illius.

18 Huic rationi respondet Mag. Ferre loco suprà relato num. 465. concedendo, quòd voluntas divina sit perfectibilis per volitionem, & limitata virtualitèr. Ex quo tamen (ait) nulla sequitur imperfectio positiva: Nam sola actualis formalis limitatio affert secum imperfectionem.

Sed hæc evasio, prout iacet, nequit subsistere. Nam de nullo prædicato divino verè, & propriè potest affirmari, quòd est limitatum; sed, semel concesso quòd voluntas divina est perfectibilis & limitata virtualitèr, verè & proprie affirmaretur de illa, quòd est limitata & perfectibilis: ergo. Minor probatur: Tum quia, semel concesso quòd voluntas divina est potentia virtualis ex parte rei conceptæ, verè & proprie affirmatur de ea, quòd habet rationem potentiæ: ergo pariter de ea posset verè & propriè affirmari, quòd est perfectibilis & limitata, si de ea affirmatur, quòd est perfectibilis & limitata virtualitèr. Tum etiam: quia gradus genericus non est realiter formaliter perfectibilis per differentias, sed tantùm virtualitèr; & tamen hoc sufficit, vt verè & propriè sit limitatus: ergo.

19 Propter quod Illustris. Godoy, Lardito, & alij, etsi respondeant eadem solutione, diversis tamen vocibus explicata. Dicunt enim, quòd estò voluntas divina habeat rationem actus primi, & volitio rationem actus secundi; non tamen potest affirmari de voluntate, quòd sit potentialis & perfectibilis per volitionem: quia voluntas implicitè & per transcendentiam dicit ipsam volitionem, sicut natura divina importat implicitè & per transcendentiam attributa, seu omnes perfectiones divinas: ob quam causam non est perfectibilis & potentialis in nostra sententia respectu volitionis. Ad quod fundandum, aiunt, voluntatem divinam & volitionem pertinere ad duas lineas adæquatas, & diversas specificè, estó sint eiusdem lineæ genericæ, sicut voluntas, & misericordia.

Confirmationi respondet Illustris. Godoy loco suprà relato num. 67. quòd volitio non procedit à voluntate tanquam à causa adæquata; sed vt à virtute naturę, à qua resultat: effectus autem licèt nequeat excedere suam causam adæquatam, non tamen inconvenit, quòd excedat in perfectione virtutem causæ, seu principium proximum, dummodò perfectè præcontineatur in radice.

20 Sed neutra ex his solutionibus potest subsistere. *Non prima* adhibita rationi: Nam contra summam perfectionem & actualitatem voluntatis divinæ est, quòd ita sit verè & propriè actus primus, quòd non importet implicitè volitionem; sed, semel concesso quòd voluntas divina est actus primus ex parte rei conceptæ, nequit importare implicitè & per transcendentiam volitionem: ergo nequit de illa affirmari cum proprietate, quòd sit actus primus. Maior videtur omninò certa: Nam eò ipso quòd sit actus primus non includens per transcendentiam actum secundum, ex parte rei conceptæ est actuabilis & perfectibilis per actum secundum, proindeque distinctio ibi interveniens procedit ex limitatione. Minor autem probatur: Nam id, quod verè & propriè est actus primus pertinens ex suo conceptu formali ad lineam eandem specificam, ad quam pertinet actus secundus, nequit dicere per transcendentiam actum secundum; sed voluntas & volitio primordialis ex suo conceptu formali pertinent ad eandem lineam specificè: ergo si voluntas divina est ex parte rei conceptæ actus primus, nequit per transcendentiam includere volitionem, quæ est actus secundus. Maior patet: Tum quia id, quod non est verè & propriè omnis perfectio suæ specificæ lineæ ex suo conceptu formali, est actuabile, perfectibile, & limitatum intra suam lineam, quod est contra rationem transcendentis, vt ex se liquet. Tum etiam (per quod proximè dicta radicitùs explicantur) nam ad transcendentiam vnius prædicati divini in alio omninò requiritur, quòd prædicatum transcendens formaliceter per id, per quod transcendit: ex quo vlterius fit, quòd vtrunque prædicatum sit in vltimo suæ perfectionis, seu lineæ: quod stare non potest, si prædicatum, per quod transcendit, est actus primus spectans ad eandem lineam cum actu secundo. In summa est idem ac dicere, quòd huiusmodi distinctio potius provenit ex limitatione, quam ex eminentia seu æquivalentia ad plura. Minor verò probatur *primò*: Nam si ob aliquam rationem voluntas & volitio pertinerent ad lineas diversas, maximè quia æquivalent pluribus realitèr distinctis, vt aiunt Adversarij; sed hoc est falsum, vt duobus exemplis (omissis alijs) manifestari potest: primum est ipsa voluntas divina, quæ gerit munus potentię & præmotionis absque distinctione virtuali, licèt æquivaleat voluntati & præmotioni in creatis realitèr distinctis: secundum est personalitas divina, quæ absque distinctione virtuali æquivalet personalitati & relationi realitèr distinctis in creaturis: ergo voluntas & volitio non pertinent ad diversas lineas. *Secundò* ratione: Nam vnitas lineę in aliqua ratione formali debet consistere in his prædicatis, quibus proceditur re-

cto tramite ad idem obiectum formale : ſicut ad eandem lineam prædicamentalem ſpectant ea, per quæ directè & per lineam rectam procedi-tur à primo & ſupremo genere vſque ad indi-viduum ; ſed voluntas & volitio recto tramite tendunt ad idem obiectum formale, vt ex ſe li-quet : ergo pertinent ad eandem lineam ſpeci-ficam. Maxime quia nulla alia radix adeò fun-damentalis aſsignari valet pro vnitate,& diverſi-tate linearum præter aſsignatam, quæ ex pluri-bus capitibus non appareat voluntaria.

21 Minùs ſubſiſtere poteſt ſolutio adhibi ta confirmationi. Quia, ſemel conceſſa voluntate divina per modum potentiæ, volitio divina ſub expreſſo conceptu *actualitatis* non ſolùm excedit voluntatem, quæ eſt principium proximum, ſed etiam ipſam naturam, à qua dimanat : ergo voluntas neque ſecundùm ſe, neque vt eſt vir-tus ipſius naturæ poteſt illam producere : cum-que Deus non poſsit eſſe inſtrumentum alterius cauſæ ſuperioris in ordine ad illam formalita-tem, planè ſequitur, quòd voluntas divina ne-quit habere rationem principij ſeu potentiæ ex parte rei conceptę relatè ad volitionem primor-dialem. Hæc vltima conſequentia legitimè in-fertur ex prima ; & prima ex antecedenti : Nam nullum prædicatum ſivè in Deo, ſivè in creatis poteſt verè & propriè procedere abſque princi-pio perfectè illud præcontinente. Antecedens au-tem ſuppoſita ſententia Adverſariorum circa conſtitutivum naturæ divinæ per *intelligere* ra-dicale, facilè probatur ex conceſsis ab Illuſtriſ. Godoy in ſupradicta ſolutione. Quia natura non explicat maiorem actualitatem, quàm voluntas, vt ex ſe liquet ; ſed volitio excedit in actualitate voluntatem : ergo etiam naturam. Ob quam ra-tionem natura humana (v. g.) in ſententia N. Salm. pluribus in locis non concurrit vt cauſa principalis ad intellectionem & volitionem ſub ratione *vltimæ actualitatis*, ſed tantùm vt cau-ſa inſtrumentalis in virtute Dei. *Præſertim* : Quia, ſuppoſita diſtinctione virtuali inter vo-luntatem & volitionem, voluntas nequit eſſe principium volitionis præcisè vt virtus inſtru-mentaria naturæ, vt ipſi Adverſarij aiunt : tum quia hoc pugnat cum ſumma perfectione volun-tatis in ſua linea. Tum & præcipuè : quia eſtò de potentia, quæ eſt vitalis in infimo gradu vitali-tatis, poſsit hoc verificari, vt de potentia gene-rativa equi ſeu plantæ, ſecus verò de potentia vitali in ſupremo gradu vitalitatis, vt eſt vo-luntas & intellectus, quæ in ſuis actibus perfe-ctè moventur à ſe.

22 Nec, ad vtranque impugnationem enervandam, aliquid valet recurſus ad naturam divinam relatè ad volitionem eſſentialem. Nam in noſtra ſententia natura divina vltimatè con-ſtituitur metaphyſicè per *intelligere* actuale pri-mordiale. In qua ſuppoſitione facilè explicatur, quòd natura divina non comparetur vt actuabi-lis & perfectibilis per volitionem primordialem : quia eo ipſo quòd ſic conſtituatur, volitio perti-net ad diverſam lineam adęquatam, & natura di-vina non comparatur per modum potentię ſeu actus primi, ſed per modum actus ſecundi vnius lineæ ad actum ſecundum alterius ſe adinvicèm per tranſcendentiam includentibus. Et eadem ratione facilè explicatur, quòd natura divina ſit principium virtuale volitionis : quia iuxta præ-dictam ſuppoſitionem volitio non explicat ma-iorem actualitatem quàm natura divina, ſed comparantur inter ſe vt actus ſecundi duarum linearum : ita tamen quòd ſi natura divina di-ſtingueretur realitèr à volitione, realitèr for-maliter influeret in eam, & ob hanc rationem natura divina dicitur principium virtuale radi-cale volitionis, & non econverſò. Videantur di-cta tract. præced. diſp. 1. num. 39. & 40.

§. IV.

Argumentorum enodatio.

23 ARguitur *primò* : Nam in Deo ſal-vatur cum omni proprietate fa-cultas proximè volitiva ; ſed facultas proximè volitiva habet rationem potentię reſpectu voli-tionis : ergo voluntas divina verè & proprié ha-bet rationem potentiæ reſpectu volitionis. Minor conſtat : nam facultas per modum potentiæ re-latè ad actum nihil aliud dicit niſi virtutem, ſeu *poſſe* ad actum. Maior verò probatur : Nam in Deo ſalvatur actualis volitió cum proprietate : ergo etiam ſalvatar facultas proximè volitiva. Patet conſequentia : nam *poſſe* ad volendum & actualis volitio mutuò ſibi correſpondent.

Et confirmatur *primò* : Nam in nobis *poſſe* ad volendum pertinet ad perfectionem naturę intellectivæ : ergo etiam in Deo : ergo ſicut in nobis facultas proximè volitiva ſalvatur cum proprietate, licèt ob ſui limitationem ſalvetur ſecundùm rem, in Deo debet ſalvari cum pro-prietate ſecundùm rationem ob ſui infinitatem. ¶ Confirmatur *ſecundò* : Iuxta D. Thomam in 1. diſt. 22. quæſt. 1. art. 3. ad 4. quia ſapientia, & bonitas dicuntur de Deo, & creaturis analo-gicè, in Deo inveniuntur cum proprietate, ſed etiam facultas proximè volitiva & volitio di-cuntur de Deo & creaturis analogicè : ergo in-veniuntur propriè in Deo ; ſed facultas proximè volitiva eſt idem ac ratio potentiæ : ergo volun-tas in Deo habet rationem potentiæ.

Ad argumentum reſpondetur, concedendo maiorem ; & negando minorem. Nam ſicut aliud eſt, quòd detur in Deo realiter voluntas ſeu facultas proximè volitiva, & aliud quòd huiuſmodi voluntas ſit realiter potentia relatè ad volitionem ; ita aliud eſt, quòd verè & pro-priè ſalventur voluntas & volitio, & aliud quòd voluntas cum proprietate ſit potentia relatè ad

vo-

volitionem. Nam ad primum sufficit, quòd in Deo realiter formaliter detur voluntas omninò identificata cum volitione, hoc est, quòd detur in Deo realitèr formaliter facultas volitiva, quę æquivaleat absque distinctione virtuali voluntati & volitioni creatis. Sed ad secundum requiritur, quòd voluntas Dei distinguatur à volitione vel realiter, vel virtualiter ex parte rei conceptæ: & hoc pugnat cum infinita perfectione voluntatis divinæ, vt §§. præcedentibus probatum est.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd *posse* ad volendum cum distinctione vel reali, vel virtuali à volitione ita est de perfectione naturæ intellectivæ, quòd simul includat imperfectionem privativam, quæ omninò à Deo releganda est. Quocirca si per *posse ad volendum* intelligatur propria ratio potentiæ, prout in hac quæstione proceditur, Deo denegandum est; secus verò si per illud intelligatur ratio potentiæ identificatę absque distinctione virtuali cum volitione. ¶ Ad secundam respondetur, quòd estò voluntas & volitio dicantur de Deo & creaturis analogicè; ratio verò *potentiæ* non dicitur analogicè de voluntate divina, & creata relatè ad actum, sed tantùm æquivocè. Cuius discriminis ratio jam suprà tacta est: Nam in Deo verè & propriè datur voluntas & volitio, ad quod non requiritur, quòd distinguantur realiter, vel virtualiter, sed sufficit, quòd eadem virtualitas Dei sit formalitèr eminenter ex parte rei conceptę voluntas & volitio. Cœterùm vt ratio *potentiæ* analogicè diceretur de Deo & creaturis, requirebatur, quòd voluntas divina ex parte rei conceptę distingueretur à volitione (Ob quam rationem ratio potentiæ relatè ad terminum dicitur analogicè & non tantùm æquivocè de Deo & creaturis) sed quia non distinguitur, nequit dici nisi tantùm æquivocè, hoc est ex modo concipiendi.

24 Arguitur *secundò*: Nam in Deo salvatur secundùm veritatem voluntas per modum *actionis*: ergo etiam secundùm veritatem salvatur conceptus potentiæ, seu principij relatè ad actum. Consequentia videtur legitima: nam de conceptu primario actionis est dicere egressionem à principio; ideòque vel repugnat in Deo conceptus proprius *actionis*, vel concedi debet verè & propriè ratio *potentiæ*, seu principij. Antecedens probatur: In Deo salvatur verè & propriè voluntas per modum actus secundi; non de linea essendi, aliàs in Deo verè & propriè non salvaretur linea operativa: ergo de linea operandi: ergo salvatur secundùm veritatem voluntas per modum *actionis*.

Et confirmatur: Nam essentia divina habet verè & propriè rationem principij elicitivi relatè ad volitionem: ergo etiam voluntas divina. Antecedens videtur certum: alias volitio divina solùm oriretur à natura divina per dimanationem, consequenterque processio Spiritus sancti non esset per veram actionem, sed per puram dimanationem, contra id quod Theologi communiter docent adversus Durandum. Consequentia verò probatur: Quia natura divina nequit esse principium elicitivum proximum volitionis, sed tantùm radicale virtuale; sed verum principium radicale alicuius actionis petit verum principium proximum illius: ergo si natura divina est principium volitionis vere & propriè, etiam voluntas.

Ad argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Neque probatio ibi inclusa convincit: quia de ratione actionis ex genere non est dicere egressionem à principio, sed tantùm de ratione actionis finitè & limitatæ. Et ratio est in præcedenti §. insinuata: quia videlicèt sicut de ratione actionis vitalis est dicere egressionem, ita est de ratione illius dicere receptionem in principio; hoc autem vnicè competere potest actioni finitæ & limitatæ, secus verò actioni infinitæ. Vnde de ratione actionis verè talis ex suo conceptu formali solùm est esse vltimam actualitatem de linea operativa. Quod (velint, nolint) concedere debent Adversarij: Nam volitio, vt actio est, debet præcontineri vel formalitèr vel eminenter in aliquo principio: ergo pro priori ad volitionem datur voluntas cum actualitate formaliter, vel eminenter æquivalente actualitati actionis, cùm non valeat esse recursus ad aliam causam superiorem, vt illam extra se emittat: ergo vel non potest dari in Deo verus conceptus *actionis*, vel non distinguitur virtualitèr à voluntate.

Ad confirmationem satis constat ex dictis num. 16. & num. 22. Ex quibus dicendum est, quòd natura divina ea tantùm ratione dicitur principium virtuale elicitivum volitionis, quatenus ita distinguitur virtualiter ab ea, vt si ab ea distingueretur realiter, volitio ipsa realiter radicaliter procederet à natura, & non econversò, sicut volitio creata realitèr procedit à natura. Ad hoc autem verificandum sufficit eminentia Dei æquivalentis duabus lineis adæquatè diversis cum ordine præscripto: vnde verè & propriè natura divina non dicitur principium illius. Neque verè & propriè procedit ab ea per veram dimanationem: quia ex vna parte voluntas (idemque dic de alio quocumque attributo) non se habet præcisè per modum actus primi, cui propriè competit dimanatio, sed etiam per modum actus secundi: & ex alia natura divina comparatur ad actum voluntatis vt actus secundus vnius lineæ ad actum secundum alterius. Quocircà omnia prædicata divina ita debent concipi in Deo ex parte rei conceptæ, quòd vna linea (estò in ea comprehendatur linea primordialis) non comparetur per modum actus primi respectu alterius, sed Deus in omnibus lineis concipiatur vt actus purissimus & actualissimus: cum hoc tamen discrimine, quòd summa actua-

litas aliquarum linearum pertinet ad lineam essendi vt æternitas &c. & vltima actualitas aliarum pertineat ad lineam operandi: quod venari debemus, vel quia res in creatis ita contingunt, vel quia emittunt terminos ad *intra*, vel ad *extra*.

25 Arguitur *tertiò*: Nam inter voluntatem, & volitionem datur in Deo distinctio virtualis ex parte rei conceptæ: ergo voluntas Dei habet verè & propriè rationem principij & potentię relatè ad volitionem. Antecedens probatur *primò*: Nam ea in divinis distinguuntur virtualiter ex parte rei conceptæ, quæ æquivalent in creatis rebus realiter distinctis; sed voluntas & volitio in Deo ita se habent, vt ex se liquet: ergo &c. *Secundò*: Voluntas, & volitio pertinent ad lineas specificè & adæquatè diversas: ergo distinguuntur virtualiter ex parte rei conceptæ. Antecedens probatur: Nam ratio obiectiva voluntatis vtsic est diversa à ratione obiectiva vollitionis vtsic: vel alijs terminis, voluntas ex genere non includit volitionem, licet eam includat ratione subiecti, quatenus nempè est in Deo: ergo pertinent ad lineas specificè & adæquatè diversas. Antecedens probatur: Nam voluntas ex genere habet diversâ definitionem, ac volitio: ergo ex genere non illam includit.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad primam eius probationem dicendum est, quòd non quælibet æquivalentia ad res creatas realitèr distinctas sufficit ad distinctionem virtualem ex parte rei conceptæ in divinis, sed requiritur æquivalentia ad res creatas pertinentes ex genere suo ad lineas adęquatè diversas: porrò voluntas, & volitio ex genere suo non pertinent ad duas lineas adæquatè diversas propter rationem traditam num. 20. quocircà estò æquivaleant voluntati & volitioni, in creatis realitèr distinctis, non debent distingui virtualitèr ex parte rei conceptæ.

Ad secundam probationem respondetur, negando antecedens. Cuius ratio ibi data nulla est: Nam ratio obiectiva voluntatis vtsic, prout prędscindit à creata & increata, neque positivè includit volitionem ex suo concepto formali, nec positivè excludit, sed præcisivè se habet ad eam: itaut in Deo ob summam sui actualitatem includat eam non solùm per transcendentiam, quo pacto vnum prædicatum includit aliud, estò sint diversæ lineę, sed etiam formalissimè, quatenus ex parte rei conceptæ est eadem indivisibilis virtualitas; & prout est in creatura, neutro modo illam includat ob oppositam rationem. Qua de causa estò voluntas creata, quia creata est, habeat diversam definitionem ac volitio creata, secùs verò voluntas divina. Vnde si velimus describere voluntatem divinam, sic illam debemus definire: *Appetitus rationalis actualissimus*, seu *tendentia actualissima ad bonum sub ratione boni*: in qua definitione includitur formaliter, & in recto ipsa volitio. Econtrà voluntas creata debet sic definiri: *Appetitus rationalis potentialis*, seu *tendentia per modum actus primi ad bonum*: Et volitio *per modum actus secundi*. Voluntas autem, vt præscindens à creata & increata, ita describi debet: *Appetitus rationalis ad bonum*.

26 Vltimò arguitur: Nam volitio est in Deo operatio vitalis: ergo procedit à voluntate tanquam à principio & potentia operante vitaliter. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Nam *agere*, seu *operari vitalitèr* essentialiter importat rationem principij operationis vitalis: ergo si volitio est operatio vitalis, procedit à voluntate per modum principij & potentiæ operantis vitalitèr. Antecedens probatur: Quicumque vivit per aliquam operationem, ita vivit per eam, vt moveatur à se, in quo consistit essentia vitæ in actu secundo; sed hoc nequit stare, quin importet rationem principij respectu illius: ergo *agere*, seu *operari vitalitèr* essentialitèr importat rationem principij respectu operationis.

Et confirmatur ex D. Thoma quæst. 1. *de Pot.* art. 1. ad 1. vbi sic ait: *Est autem de ratione operationis habere principium, non de ratione essentiæ*; sed volitio divina in Deo habet verè & propriè rationem operationis: ergo verè & propriè habet principium, consequenterque voluntas divina habet rationem potentiæ. Minor probatur: Nam eo modo est operatio, quo est actus vitalis; sed verè & propriè est actus vitalis: ergo etiam verè & propriè est operatio.

Ad argumentum satis constat ex dictis num. 24. Nam sicut de *velle* divino verè & propriè verificatur, quòd est operatio vitalis, quia verificetur, quòd verè Deus movetur per illud; ita verificatur de illo, quòd est operatio vitalis, quia verificetur de illo, quòd egreditur verè & propriè ab aliquo principio. Et ratio est eadem vtrobique: quia officium vitæ non est *moveri à se* nisi in creatis, & idcirco in Deo voluntas divina nec habet verè & propriè rationem principij activi, nec passivi. Vt satis innuit D. Thomas in præs. quæst. 18. art. 3. ad 2. his verbis: *Dicendum, quòd sicut Deus est ipsum suum esse, & suum intelligere, ita est suum vivere: & propter hoc non habet vivendi principium.* Vnde in Deo nequit concipi cum fundamento in re vita per modum actus primi, & vita per modum actus secundi, sed omnis vita Dei debet concipi vt actualissima & perfectissima, sicut omnis eius virtus operativa hoc modo concipitur.

Per quod patet ad confirmationem. Authoritas D. Thomæ solùm procedit de principio ex modo concipiendi tantùm: In quo sensu verum est, quòd operatio habet principium, & non essentia; quia essentia divina concipitur ad instàr essentiæ creatę, de cuius ratione est, quòd

non

non habeat aliquod principium intrinſecum, & hac ratione eſſentia divina nequit concipi vt habens aliquod principium: Sed quia in operatione creata res aliter contingit, propterea operatio divina poteſt concipi vt habens principium. ¶ Neque refert, ſi dicas, hanc expoſitionem non habere locum in noſtra ſententia: iuxta quam natura divina conſtituitur metaphyſicè per intellectionem actualem, de qua verificari poteſt, quòd habet principium ex modo imperfecto concipiendi. Non (inquam) refert. Nam intellectio divina eſt ob ſui eminentiam eſſentia Dei & operatio: cum hoc diſcrimine, quòd concepta ſub ratione *eſſentiæ* non concipitur vt habens principium; benè verò ſi concipiatur ſub expreſsione *operationis*. Pro quo etiam recolenda ſunt, quæ notavimus tract. 1. diſp. 2. num. 18. Iuxta quæ intellectio diſtinguitur à *velle* divino in hoc, quòd *velle* divinum, cùm non pertineat ad conſtitutivum metaphyſicum naturæ divinæ, non poteſt concipi ad modum *eſſentiæ*, ſed tantùm ad modum *operationis*: & ideò ſi concipiatur imperfectè, concipitur cum ordine ad principium, ſecus verò intellectio divina niſi modo explicato.

§. V.

Duobus dubiis fit ſatis.

27 Hic ſolet inquiri *primò*: Utrùm rectè cohæreat cum voluntate divina per modum actus puriſsimi, quòd ſint in ea virtutes affectivæ virtualiter diſtinctæ tàm inter ſe, quàm ab ipſa voluntate? ¶ Circa quod triplex poteſt referri ſententia. *Prima*, in ſuppoſitione quòd voluntas divina habeat verè & propriè rationem potentiæ relate ad actum, docet in voluntate divina eſſe virtutes affectivas, v. g. miſericordiam, per modum actus primi virtualiter diſtinctam à voluntate & ab actu miſerendi. Ita plures ex Thomiſtis, quos ſuppreſſo nomine refert doctiſsimus Ferre in præſ. quæſt. 2. §. 7. *Secunda*, eadem ſuppoſitione præmiſſa, tenet virtutes affectivas conſideratas per modum actus primi non diſtingui virtualiter à voluntate, benè verò conſideratas per modum actus ſecundi. Sic Illuſtriſ. Codoy diſp. 50. Ferre loco proximè relato, & alij. *Tertia* & *vltima* aſſerit, virtutes affectivas exiſtentes in voluntate divina, nulla ſuppoſitione facta, diſtingui virtualiter ab illa, itaut ſi in Deo conſideretur voluntas per modum actus primi, vt tenet prima ſententia, virtutes affectivæ diſtinguntur virtualiter ab ea non ſolùm per modum actus ſecundi, ſed etiam per modum actus primi. Sed quia in Deo omne attributum eſt formaliter eminenter actus primus & ſecundus abſque diſtinctione virtuali, virtutes affectivæ hoc modo diſtinguntur à voluntate. Ita Authores relati num. 21. pro ſecunda ſententia.

28 Cui modo dicendi adhæremus. Et poteſt ſuaderi impugnando ſententias oppoſitas: quarum prima ſatis enervata manet ex dictis in toto hoc dubio. Pro impugnatione ſecundæ: Nota, fautores illius eſſe in eo ſenſu, quòd neque in intellectu divino, neque in voluntate divina dantur virtutes æquivalentes virtutibus noſtris & actibus earum, ſed vnicè correſpondent actibus illarum, quam doctrinam extendunt ad Angelos relate ad virtutes naturales, non verò ad virtutes ſupernaturales. Pariformiter docent, intellectum ſeu voluntatem nullum habere actum ſecundum, qui vnicè pertineat ad potentiam, & non correſpondeat in nobis actui alicuius virtutis. Quorum ſecundum dictum ſufficienter impugnatum manet tract. præced. diſp. 1. à num. 30. Primum autem ſatis enervatum ibit, præbendo rationem fundamentalem noſtri modi dicendi.

Nam virtus miſericordiæ (v. g.) & voluntas habent in Deo diverſa obiecta formalia: ergo ſivè miſericordia conſideretur in Deo per modum actus primi, ſivè per modum actus ſecundi, diſtinguitur virtualiter à voluntate. Conſequentia eſt legitima; nam diſtinctio virtualis attributorum in Deo, & realis in creatis deſumitur vel ex limitatione, vel ex diverſitate formali obiectorum. Antecedens verò probatur: Nam voluntas divina & eius actus primordialis reſpicit bonitatem divinam in omni ſua amplitudine, & prout eſt in ſe; miſericordia reſpicit eam prout eſt ratio miſerendi: ergo habent obiecta formaliter diverſa. Antecedens eſt certum. Et conſequentia probatur: Quia non ob aliam rationem ſcientia divina, & intellectus divinus habent obiecta formaliter diverſa.

29 Reſpondebis, hanc rationem fore efficaciſsimam, ſi in Deo obiectum miſericordiæ adderet ſpecialem difficultatem formalem: voluntas autem divina omni prorsùs difficultate caret ad amandum ſuum obiectum omni modo, quo amabile eſt: aliàs non haberet omnem perfectionem ſibi debitam, cùm careret perfectione virtutis, quæ datur ad ſupplendum defectum potentiæ in attingentia ſui obiecti.

Contrà eſt: Quia nulla imperfectio privativa datur in voluntate divina in hoc, quòd habeat difficultatem formalem in attingentia obiecti formalis miſericordiæ, dummodò non habeat difficultatem ſubiectivam, ſed Deus nullam difficultatem ſubiectivam habet in attingentia obiecti miſericordiæ: ergo, niſi obſtaret imperfectio potentialitatis in virtute miſericordiæ & in voluntate divina, in Deo diſtinguerentur per modum actus primi, & non ſolum vt actus ſecundus ab actu primo. Conſequentia eſt legitima: & minor conſtat exemplo Chriſti Domini, Adami in ſtatu innocentiæ, Angelorum, & cuiuslibet beati, in quibus non datur difficultas ſubiectiva ad exercenda opera virtutum natu-

ra-

ralium. Maior verò probatur: Quia nulla imperfectio privativa datur in eo, quòd quis habeat difficultatem formalem in attingentia obiecti, quod tantùm addit difficultatem obiectivam supra obiectum ipsius potentię; sed obiectum misericordiæ addit difficultatem obiectivam supra obiectum voluntatis secundùm se: ergo nulla imperfectio privativa datur in voluntate divina, estò habeat difficultatem formalem in attingentia obiecti misericordiæ. Minor potius supponenda est, quàm probanda ex communi calculo Theologorum, & Philosophorum, asserentium obiecta virtutum esse formaliter diversa ab obiectis potentiarum. Maior verò probatur: Quia nulla imperfectio privativa datur in eo, quòd voluntas divina non habeat ex se omnem perfectionem pertinentem ad diversam lineam; sed id, quod addit difficultatem obiectivam, petit ad sui proximam attingentiam perfectionem pertinentem ad diversam lineam, cùm diversitas linearum pensanda sit potius ex diversitate formali obiectorum, quàm ex alio capite: ergo &c.

Adde *primò*: Nam quando virtus superaddita potentiæ se habet per modum actus secundi, & potentia se habet per modum actus secundi, se adinvicèm includentibus per transcendentiam & identitatem realem, nulla datur vmbra imperfectionis tàm ex parte virtutis, quàm ex parte potentiæ; sed hoc pacto se habent voluntas & misericordia in Deo, vt liquet ex dictis §§. præcedentibus: ergo nulla imperfectio datur in Deo ex eo, quod misericordia distinguatur virtualiter à voluntate. Maior probatur: Nam imperfectio privativa solùm habet locum, quando virtus habet rationem habitus, dispositionis, & accidentis, & potentia rationem actus primi; sed hæc omnia procul pelluntur, quando potentia & virtus se habent per modum actus secundi se invicèm per transcendentiam & identitatem realem includentes, vt cuilibet perspicienti constabit: ergo. Adde *secundò* quę diximus tract. præc. disp. 1. dub. 3. *per totum*, maximè num. 39. quibus facilè enodantur rationes, quibus convincuntur Adversarij ad oppositos modos discurrendi.

30 Inquiri potest *secundò*: An *velle* divinum sit de constitutione metaphysica naturę divinę? ¶ Respondetur negativè cum N. Salm. in præs. disp. 2. dub. 3. quibus suffragantur communiter Theologi tàm intrà, quàm extra Scholam D. Thomæ, contra Suarium & alios paucos. Et (missis probationibus aliquorum, quia insufficientes sunt) probatur *primò* ratione simul & authoritate. Nam id, quod non constituit specialem gradum vitæ, sed consecutivè se habet ad illum, nequit in Deo pertinere ad constitutionem metaphysicam ipsius; sed voluntas divina est huiusmodi: ergo non est de constitutione metaphysica naturæ divinæ. Maior patet. Et minor probatur ex D. Thoma infrà quæst. 78. art. 1. vbi ait: *Appetitivum non constituit aliquem gradum viventium*; sed voluntas, est appetitus rationalis: ergo non constituit specialem gradum vitæ, sed consecutivè se habet ad illum.

Probatur *secundò* ratione fundata in illo principio ab omnibus Philosophis accepto, *Nihil volitum, quin præcognitum*: quę potest reduci ad hanc formam: Nam linea adæquata supponens aliam lineam adæquatam nequit pertinere ad constitutionem naturę nec adæquatè nec inadæquatè; sed linea voluntatis est linea adæquata supponens aliam lineam adæquatam: ergo nequit in Deo pertinere ad constitutionem naturæ. Maior est certa: nam linea naturæ non est nisi vnica & prima: & propterea docent communiter Theologi, essentiam divinam non constitui metaphysicè per cumulum omnium perfectionum. Minor verò probatur: Nam iuxta præfatum axioma voluntas supponit intellectum; sed linea intellectus est linea adæquatè diversa à linea voluntatis: ergo linea voluntatis est linea adæquata supponens aliam lineam adæquatam. Minor probatur: Nam diversitas adæquata linearum desumitur ex diversitate formali obiectorum; sed voluntas, & intellectus habent obiecta formaliter diversa, cum intellectus respiciat ens sub ratione *veri*, & voluntas respiciat illud sub ratione *boni*: ergo linea intellectus est linea adæquatè diversa à linea voluntatis.

Et confirmatur: Nam appetitus tàm in ratione actus primi, quàm in ratione actus secundi supponit naturam appetentis iam adæquatè constitutam: ergo nequit pertinere ad constitutionem metaphysicam naturæ divinæ. Antecedens probatur: Nam omnis appetitus est inclinatio ad bonum naturæ appetentis conveniens: propterea enim quis appetit aliquod bonum, quia est talis naturæ, & tale bonum est conveniens & consonum prædictæ naturæ: ergo appetitus tàm in ratione actus primi, quàm in ratione actus secundi supponit naturam appetentis iam adæquatè constitutam.

31 Probatur *vltimò* ratione: Nam si voluntas esset de constitutione metaphysica naturæ divinæ, processio Spiritus-sancti esset generatio. Sequela probatur: Ut processio sit formalissimè generatio, sufficit, quòd termino eius communicetur formalissimè & ex vi processionis natura, vt in tract. *de Trinit.* magis explanabimus; sed, suppositò quòd voluntas sit de cōstitutione metaphysica naturę divinæ, Spiritui-sancto communicaretur formaliter & ex vi processionis natura divina: ergo. Minor probatur: Spiritui-sancto cōmunicatur formalissimè voluntas divina: ergo etiam natura divina. Consequentia probatur: tum, quia cui cōmunicatur formaliter id, quod constituit in sua quasi specie naturam,

ram, etiam communicatur ipſa natura. Tum etiam, quia proceſsio perfectiſsima petit, quòd ſi ex vi illius communicatur formaliſsimè prædicatum pertinens ad aliquam lineam, communicentur etiam omnia alia prædicata, quæ pertinent ad eandem lineam; aliàs non eſſet perfectiſsima. Tum denique: Nam, ſuppoſito quòd voluntas diuina ſit de conſtitutione metaphyſica naturæ, vltimatè & præcipuè conſtitueretur per eam, cùm quælibet natura conſtituatur præcipuè per id, quod vltimò intelligitur in tali natura: ergo meliùs intelligeretur communicari formaliſsimè Spiritui-ſancto naturam diuinam, communicata formaliſsimè voluntate, quàm Verbo diuino, communicato formaliſsimè intellectu.

Et confirmatur: Nam ſi *velle* diuinum eſſet de conſtitutione metaphyſica naturæ diuinæ, amor eſſet de eſſentia metaphyſica verbi diuini; ſed hoc eſt contra D. Thomam quæſt. 4. *de Verit.* art. 3. ad 3. vbi ait: *Notitia eſt de ratione verbi quaſi importans eſſentiam verbi, ſed amor eſt de ratione verbi, non quaſi pertinens ad eſſentiam eius, ſed quaſi concomitans ipſum*: ergo *velle* diuinum non eſt de conſtitutione metaphyſica naturæ diuinæ. Maior probatur: Quod eſt de conſtitutione metaphyſica naturæ diuinæ, eſt de eſſentia verbi: nam verbum, cùm procedat per generationem, debet conſtitui metaphyſicè per terminum formalem generationis, qui eſt natura diuina, ſed voluntas diuina eſſet id, quo potiſsimè conſtitueretur natura diuina: ergo eſſet metaphyſicè de eſſentia verbi. Neque contra dicta vrget aliquod argumentum, quod ex dictis tract. 1. diſp. 2. dub. 2. & 3. & tract. 3. diſp. 2. dub. 3. non maneat enodatum.

DUBIUM III.

Quodnam ſit obiectum primarium voluntatis diuinæ?

32 SUpponimus *primò*, Deum amare ſe-ipſum, & alia à ſe: quia id ſæpè nuntiat ſacer textus, vt ille: *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Proverb. 16. ſed omnia, quæ operatur ad *extrà*, diliget: ergo Deus diligit ſeipſum, & alia à ſe. Item ait Sapient. 11. *Diligis enim omnia, quæ ſunt.* Supponimus *ſecundò*, bonitatem diuinam eſſe adminùs obiectum primarium inadæquatum diuinæ voluntatis, quod ex dicendis §. immediatè ſequenti ſatis conſtabit. Dubitamus tamen: An creaturæ pertineant ad obiectum primarium *quod* motivum, ſeu terminativum illius; vel an ſint obiectum tantùm materiale & ſecundarium? Inquirimus eriam: An bonitas diuina, prout includit omnes diuinas perfectiones, ſit obiectum motivum volũtatis diuinę; vel ſola bonitas eſſentiæ prout diſtinctę ab attributis. Et licèt reſolutio huius controverſiæ quoad primam partem ſatis firmata maneat tract. præced. diſp. 1. dub. 4. concluſione prima, vbi ratio tradita pro obiecto intellectus divini vniverſalis eſt omni prædicato divino; tamen pro voluntate eſt alia ſpecialis ratio impræſentiarùm expendenda. Pro qua ſit.

§. I.

Prima Concluſio.

33 DIcendum eſt *primò*, voluntatem Dei ſolam bonitatem divinam vt obiectũ primarium & formale reſpicere; creaturas verò vt obiectum materiale & omninò ſecundarium. Sententia hæc eſt communis omniũ Thomiſtarum: pro qua referunt N. Salm. in præl. diſp. 3. num. 28. plures antiquos extra Scholam D. Thomæ, & Ferre nonnullos Patres Societatis. Traditurque non obſcurè à D. Thoma in præſ. art. 2. in corpore, vbi ait: *Sic igitur vult & ſe eſſe & alia. Sed ſe vt finem, alia verò vt ad finem, inquantùm condecet divinam bonitatem, etiam alia ipſam participare.* Idem tradit ad 2. his verbis: *In his quæ volumus propter finem, tota ratio movendi eſt finis, & hoc eſt quod movet voluntatem.* Et paucis interpoſitis: *Vnde cùm Deus alia à ſe non velit niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas, non ſequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem eius niſi bonitas ſua.* Neque ſubticere licet rationem, quam tradit 1. Contra gentes cap. 86. vbi ait: *Finis eſt ratio volendi ea, quæ ſunt ad finem: Deus autem vult bonitatem ſuam tanquam finem: omnia autem alia tanquam ea, quæ ſunt ad finem: ſua igitur bonitas eſt ratio quare vult alia, quæ ſunt diverſa ab ipſo.* Et confirmari poteſt ex his, quæ cap. 87. ait: *Quamvis autem aliqua ratio divinæ voluntatis aſſignari poſſit, non tamen quòd voluntatis eius ſit aliqua cauſa.*

Ex his formatur ratio probativa noſtræ concluſionis: Nam obiectum primarium formale & adæquatum voluntatis tam creatæ quàm divinæ eſt id, quod poteſt habere rationem finis; ſed creaturæ nequeunt exercere rationem finis reſpectu voluntatis divinæ: ergo nequeunt pertinere ad obiectum primarium formale & adæquatum divinæ voluntatis. Maior ex dicendis tract. *de Vltimo fine* ſupponitur. Et ſuaderi poteſt ex D. Thoma: Nam tota ratio movendi voluntatem eſt finis; ſed obiectum primarium eſt tota ratio movens voluntatem: ergo obiectum adæquatum voluntatis eſt finis. Minor verò probatur: Tum quia finis eſt ratio movendi voluntatem; ſed bonitas creaturarum nequit eſſe ratio movendi voluntatem divinam: ergo creaturæ nequeunt ſortiri rationem finis reſpectu voluntatis divinæ. Tum etiam: Nam finis eſt potior his, quæ ſunt ad finem; ſed omnis bonitas creata

eſt

est inferior voluntate divina: ergo idem quod priùs. Tum denique, quod est finis voluntatis, & realitèr distinguitur ab ipsa, est vera causa realis illius, & propterea D. Thomas loco citato Contra gent. negat, divinam voluntatem habere aliquam causam, estò habeat veram rationem finalem, quia sua bonitas non distinguitur realitèr ab ea; sed creaturæ nequeunt habere veram rationem causæ in ordine ad voluntatem divinam: ergo nequeunt habere rationem finis voluntatis divinę.

34 Huic solidissimæ rationi Div. Thomę respondent communiter Adversarij: fatendo, quòd creaturæ movent divinam voluntatem ad earum dilectionem, habentque rationem causæ respectu illius: In quibus nullum recognoscunt inconveniens: Nam estò voluntati divinæ (aiunt) repugnet moveri physicè à bonitate creaturarum, respicereque illas vt causam physicam & propriam (quo pacto intelligendus est Div. Thomas) non tamen repugnat ei moveri intentionalitèr seu moralitèr à creaturis: hoc enim solùm est impropriè & latè moveri ab eis, illasque respicere vt causam impropriam.

Sed hæc solutio aliena est à mente D. Thom. & à vera philosophia. Tum quia de ratione finis est exercere verè & propriè rationem causæ, relatè ad ea quæ sunt ad finem: ergo qui concedit, creaturas habere rationem finis relatè ad voluntatem divinam, pariter concedit creaturas verè & propriè exercere rationem causæ relatè ad eam. Antecedens probatur: Nam in sententia D. Thomæ, omniumque Philosophorum causa finalis habet verè & propriè rationem causæ, imo excedit alias causas in causando: ergo habet verè & propriè rationem causæ, relatè ad ea quæ sunt ad finem. *Tum etiam*: Nam id, quod respectu voluntatis creatæ habet rationem finis, verè & propriè exercet rationem causæ respectu illius; & tamen non movet physicè voluntatem creatam, sed tantùm moralitèr & intentionalitèr: in hoc enim distinguitur motio causæ efficientis à motione causæ finalis, quòd illa est physica, hæc autem tantùm metaphorica, intentionalis, seu moralis: ergo qui concedit creaturis rationem finis relatè ad voluntatem divinam, cum proprietate tanta tenetur eis concedere veram rationem causæ, quanta quilibet finis exercet rationem causæ relatè ad voluntatem creatam; sed finis voluntatis creatæ verè & propriè exercet rationem causæ relatè ad illam, aliàs causa finalis ex genere non esset vera & propria causa, contrà mentem omnium Philosophorum: ergo vel creaturæ non habent rationem finis respectu voluntatis divinę; vel voluntas divina verè & propriè respicit eas per modum causæ.

35 Neque proficit Adversarijs recursus ad rationem causæ voluntatis divinæ sumptæ in ratione terminationis, secùs verò sumptę quoad entitatem. Non (inquam) proficit. Nam idem est *voluntatem divinam respicere creaturas vt finem*, seu vt sui obiectum specificativum & primarium, ac respicere eas vt veram causam sui quoad suam entitatem: ergo vel voluntas divina non solùm quoad terminationem, sed etiam quoad entitatę respicit creaturas vt veram causam finalem, vel non respicit eas vt finem sui ipsius quoad terminationem. Ans. probatur: Nam si voluntas divina respiceret creaturas vt veram causam finalem, seu vt obiectum primarium & specificativum, respiceret etiam eas vt causam suæ primariæ terminationis; sed idem est *creaturas esse causam finalem suæ primariæ terminationis*, ac esse causam illius secundùm suam entitatem: ergo. Maior patet: Nam in idem recidit, potentiam aliquam respicere aliquid vt sui obiectum specificativum & primarium, ac suam primariam terminationem desumere per ordinem ad illud; quod enim terminat secundariò potentiam, nequit eam specificare, neque potest sortiri rationem obiecti primarij relatè ad illam, vt ex ipsis terminis patet. Minor verò probatur: Nam terminatio primaria cuiuslibet rei est ei essentialis: ergo idem est *creaturas esse causam finalem voluntatis divinę quoad terminationem primariam*, ac esse causam finalem quoad suam essentiam, seu entitatem.

Explicatur hoc: Nam illa terminatio libera vel est voluntas divina, vel ens creatum: si dicatur secundum, non est ad rem: quia hùc non quærimus specificativum seu causam finalem alicuius entitatis creatæ, sed ipsius voluntatis divinæ. Si dicatur primum, reddit argumentum: *Primò*: Quia nullum prædicatum divinum potest respicere creaturas, nec ipsum Deum vt veram sui causam. *Secundò*: quia illa terminatio ad creaturas esset primaria: aliàs non essent specificativum seu causa finalis ipsius voluntatis; sed terminatio intrinseca & primaria cuiuslibet potentiæ constituit eam in sua specie & entitate, vt concedunt Adversarij: ergo creaturæ essent vera causa voluntatis divinæ quoad suam entitatem.

36 Secundò probatur ratione. Pro cuius exacta intelligentia, observa *primò*, duas esse differentias amoris: alius enim est affectivus, & alter effectivus. Ex quibus prior dicitur talis, quia voluntas amantis fertur ad rem amatam, ad illamque afficitur quasi mota ab eius bonitate. Posterior sic dicitur: quia voluntas efficit obiectum amatum. Inter hos duos amores datur duplex discrimen: Primum est, quòd per amorem affectivum res amata veluti transformat in se amantem: ob quam rationem effectus huius amoris est extasis, qua amans raptus à bonitate obiecti exit extra se, vt tradit D. Dionys. cap. 4. de Divinis nominib. & D. Thomas 1. 2. quæst. 28. art. 1. ideòque dicitur: *Anima magis est ubi amat, quam ubi animat*. Econtrà verò per amo-

amorem effectivum amans quodammodò trahit ad se amatum: quia obiectum suę dilectionis producit, illudque sibi assimilat, & coniungit. Ex quo oritur secundum discrimen, quòd videlicèt in amore purè affectivo amatum se habet tanquam perficiens appetitum amantis, & amans tanquam dependens ab amato: In amore verò purè effectivo amans, cùm se habeat vt præcisè dans bonitatem obiecto amato, & ipsum amatum vt recipiens, non dependet ab amato; sed econversò amatum dependet ab amante: Et idcirco ad amorem istum amans nequit permoveri nisi à bonitate sua, & ex summa illius liberalitate & fœcunditate.

Observa secundò; quòd in amore divino duæ formalitates, ex modo concipiendi distinctæ, considerandæ sunt, *affectionis* scilicèt, & *effectionis*, quæ explicandæ sunt modo præscripto: cum hac tamen differentia, quòd vt *affectivus* terminatur ad ipsum Deum, quia ipse Deus diligit se quasi attractus à bonitate sua; sed vt terminatur ad creaturas, solùm est effectivus: iuxta illud, quod Augustinus audivit: *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* Et illud D. Bonav. in 3. dist. 32. quęst. 1. *Amor divinus non est amor inclinans ad alterum, sed potiùs alia inclinans, & trahens ad seipsum.* Necnon iuxta illud D. Bernardi lib. *de Amore Dei.* cap. 4. *Hoc est amare tuum, quod tu amas te amantes à dulcedine bonitatis tuæ. Non enim afficeris ad nos, vel à nobis, cùm nos amas; sed es, quod es, qui semper ad ipsum es: nos autem à te, ad te, & in te afficimur, cùm te amamus.* Item in Soliloquijs num. 12. *Amor tuus bonitas tua est: amas nos, inquantùm nos efficis tui amatores, nos affectu, tu effectu vnum nos in te efficiens.* Idipsum docet D. Thomas pluribus in locis, præsertìm in hac 1. part. quæst. 20. art. 2. his verbis: *Quia voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur sicut ab obiecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius, sed econversò bonitas eius vel vera, vel æstimata provocat amorem* (Ecce amor affectivus) *Sed amor Dei est infundens & creans bonitatem in rebus.* Ecce effectivus.

His præmonitis conficitur secunda ratio nostrę conclusionis. Nam illud est obiectum primarium voluntatis divinæ, quod movet & allicit ad seipsum voluntatem; sed bonitas creaturarum non movet & allicit voluntatem divinam: ergo. Minor probatur: Si bonitas creaturarum alliceret voluntatem divinam ad sui amorem, amor Dei erga creaturas esset affectualis; sed in Deo nequit dari amor affectualis erga creaturas, sed tantùm purè effectualis: ergo bonitas creaturarum non movet & allicit ad sui dilectionem voluntatem divinam.

§. II.

Secunda conclusio.

37 Dicendum est *secundò*, obiectum formale specificativum voluntatis divinæ esse aggregatum ex bonitate essentiæ & attributorum. Hæc assertio duo supponit: primum, quòd relationes divinę non important specialem bonitatem distinctam à bonitate essentiæ & attributorum, & propterea excluduntur à ratione formali obiectiva & specificativa voluntatis divinæ, & charitatis creatę. Secundum est, quòd attributa dicunt specialem perfectionem distinctam virtualiter à perfectione essentiæ. Et in his suppositionibus eam tuentur plures & graviśimi Theologi tàm intra, quàm extra Scholam D. Thomæ: à quibus proculdubiò non recedunt N. Salm. asserentes in tract. *de Charit.* disp. 2. dub. 2. §. 2. obiectum charitatis creatę esse bonitatem divinam coalescentem ex bonitate essentiæ, & attributorum.

Et probatur ratione desumpta ex D. Thoma locis infrà referendis. Nam idem est obiectum formale primarium voluntatis divinæ, & charitatis creatæ cum diversitate tantùm penes finitudinem, & infinitudinem; sed bonitas divina prout ambit in recto tàm bonitatem essentiæ, quàm bonitatem attributorum est obiectum formale primarium charitatis creatæ: ergo etiam voluntatis divinæ. Maior est certa, si supponatur, quòd charitas est participatio formalis voluntatis divinæ: nam participatio formalis in hoc distinguitur à participatione virtuali, quòd participans formaliter prædicatum Dei, habet eundem modum formalem ipsius Dei cum diversitate tantundem penes finitudinem & infinitudinem, & penes rationem subsantiæ & accidentis, non verò participans illud virtualitèr; vt manifestari potest inductivè pluribus exemplis in vtroque genere participationis. Minor, in qua est præcipua difficultas, probatur: Nam obiectum formale & primarium charitatis creatæ est summum bonum; sed summum bonum in *esse talis* constituitur per bonitatem essentiæ & attributorum: ergo obiectum formale primarium charitatis creatæ est bonitas divina coalescens in recto ex bonitate essentię & attributorum. Maior expressè traditur à D. Thoma 2. 2. q. 24. art. 4. ad 2. vbi ait: *Charitas est in summo ex parte obiecti, inquantùm scilicet eius obiectum est summum bonum.* Minor verò probatur: Tum, quia summa bonitas positivè debet esse infinita & non tantùm negativè, hoc est in aliqua determinata linea; sed hoc nequit competere bonitati essentiæ præcisè, sed bonitati divinæ coalescenti ex bonitate essentiæ & attributorum: ergo summum bonum in *esse talis* constituitur per bonitatem essentiæ & attributorum. Tum etiam: nam

ſumma bonitas nequit poſitivè conſtitui in ratione *talis* per illam, cui aggregari poteſt formaliter & poſitivè aliquid boni; ſed bonitas præcisè eſſentiæ eſt huiuſmodi, ſecùs verò bonitas divina coaleſcens ex bonitate eſſentiæ & attributorum: ergo per iſtam conſtituitur ſummum bonum.

38 Et confirmatur *primò*: Nam obiectum primarium & ſpecificativum charitatis creatæ eſt Deus ſub ratione *vltimi finis*, vt docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 23. art. 7. & quæſt. 26. art. 1. ad 1. his verbis: *Charitas tendit in vltimum finem ſub ratione vltimi finis*: ergo Deus ſub ratione *vltimi finis* eſt obiectum formale voluntatis divinæ. Patet conſequentia: tum ob rationem generalem, quòd voluntas ſolùm ſpecificatur à fine ſub ratione *finis*, vt vidimus §. præced. *Tum etiam*: quia participatio formalis alicuius prædicati divini & ipſum prædicatum divinum habent idem obiectum formale & primarium, cum diverſitate tantùm penes finitatem & infinitatem. Iam ſic; ſed Deus in ratione *vltimi finis* conſtituitur in recto & ex æquo per bonitatem eſſentię & attributorum: ergo bonitas divina coaleſcens ex æquo ex bonitate eſſentiæ & attributorum eſt obiectum formale & ſpecificativum tàm charitatis creatæ, quàm voluntatis divinę. Minor probatur: Nam de ratione vltimi finis veri, & non falsò exiſtimati, eſt ſatiare appetitum; ſed hoc nequit competere bonitati præcisè eſſentiæ, cùm non ſit ſummum bonum: ergo Deus non conſtituitur in ratione *vltimi finis* præcisè per bonitatem eſſentię, ſed ex æquo per bonitatem eſſentiæ & attributorum.

Et confirmatur *ſecundò*: Amor Dei erga attributa eſt purè affectualis non minùs propriè ac erga ſuam eſſentiam: ergo bonitas attributorum pertinet ad obiectum primarium voluntatis divinæ. Conſequentia probatur: Nam omnis amor purè affectualis ordinatur ad finem ſub ratione *finis*, vel ad medium ſub ratione *medij*; ſed amor Dei non terminatur ad bonitatem attributorum per modum medij: ergo terminatur ad illam per modum finis; ac proinde reſpicit eam vt obiectum formale. Minor probatur: Tum quia media ſunt via & tendentia ad aſſequendum finem; bonitas attributorum non eſt via & tendentia ad aſſequendam bonitatem eſſentię; aliàs ordine executionis bonitas attributorum priùs perficeret voluntatem divinam, quàm bonitas eſſentiæ: ergo amor Dei non terminatur ad bonitatem attributorum per modum medij. *Tum etiam*: nam media, ſeu *vtilia dicuntur, quæ non habent in ſe, vnde deſiderentur*: vt inquit D. Thom. in hac 1. part. quæſt. 5. art. 6. ad 2. ſed attributa habent in ſe independenter ab eſſentia bonitatem, vnde deſiderentur: ergo non terminant amorem Dei per modum medij.

39 Adde: nam ſemper ac D. Thomas agit de obiecto charitatis creatæ, excludit à ratione obiecti formalis tantùm creaturas: ergo ſignum eſt, quòd bonitas attributorum æquè pertinet ad obiectum formale illius ac bonitas eſſentiæ.

Huic rationi & primæ confirmationi, miſſis alijs ſolutionibus nullius ſubſiſtentiæ, reſpondent Adverſarij, quòd obiectum formale & primarium voluntatis divinæ & charitatis creatæ eſt ſummum bonum bonitate eſſentiæ: quia ea attingitur ratione ſui, bonitas verò attributorum non niſi ratione bonitatis eſſentiæ. Conſequenterque docent, ſolam eſſentiam habere per ſe rationem vltimi finis, de cuius ratione eſt, quòd attingatur ratione ſui, & attributa non niſi ratione illius. ¶ Ad ſecundam confirmationem poteſt reſponderi ex doctrina illorum, necnon ex doctrina N. Salm. tract. 8. in procemio, quòd eſtò attributa propriè loquendo non habent rationem medij, lato tamen vocabulo poſſunt dici *medium*: quia medium in hac acceptione dicitur illud, quod attingitur ratione alterius; & hoc ſufficit, vt non habeat propriè rationem finis.

Sed hæc ſolutio in primis eſt contra mentem D. Thomæ: Nam obiectum charitatis creatæ & voluntatis divinæ, iuxta eius mentem, debet eſſe ſummum bonum abſolutè (vt liquet ex verbis ſuprà relatis, vbi non dixit eſſe ſummum bonum cum addito diminuente, ſcilicet in linea aliqua determinata) ſed bonitas eſſentiæ non eſt ſummum bonum abſolutè & abſque aliquo addito diminuente, vt meritò ſupponit præfata ſolutio: ergo obiectum formale primarium voluntatis divinæ, & charitatis creatæ non eſt ſumma bonitas præcisè de linea eſſentiæ. Deinde refellitur eadem ſolutio, ſi ratio noſtra, & confirmationes paulò plus expendantur: Nam ad rationem finis abſolutè vltimi non ſufficit, quòd ſit ſummè bonus & perfectus eſſentialiter (vt ſic dicamus) ſed vlteriùs deſideratur, quòd ſit ſummè bonus & perfectus in *eſſe entis*; ſed Deus ratione bonitatis præcisè eſſentiæ non eſt ſummè bonus & perfectus in *eſſe entis*: ergo. Minor eſt certa: nam bonitati eſſentiæ fit additio bonitatis & perfectionis ratione attributorũ, vt cum Adverſarijs ſupponimus. Maior verò probatur: Nam de ratione vltimi finis eſt ſummè perficere & ſatiare ſummum appetitum; ſed tantùm bonitas ſumma in *eſſe entis* poteſt ſummè perficere & ſatiare ſummum appetitum, qualis eſt voluntas divina: ergo. Minor probatur: Non poteſt ſummè ſatiare & perficere ſummum appetitum bonitas, quæ ex ſe ſaltèm negativè eſt finita; ſed bonitas eſſentiæ, eſtò ſit infinita poſitivè in ſua linea, eſt tamen abſolutè negativè finita in *eſſe entis*, cùm deficiat ei bonitas & perfectio attributorum: ergo bonitas eſſentiæ, non intellecta bonitate attributorum, nequit ſummè perficere & ſatiare ſummum appetitum.

§. III.

§. III.

Sententia opposita primæ conclusioni.

40 ADversus primam assertionem sentiunt Aureolus, Durandus in 1. dist. 45. & Suarez in Relect. *de libertate divinæ voluntatis*: cui suffragantur plures Patres Societatis. In quorum gratiam:

Arguitur *primò*: Deus amat creaturas rationales amore amicitiæ; sed talis amor nequit in Deo salvari, quin voluntas divina habeat pro obiecto primario bonitatem creatam: ergo. Minor probatur: Nam in hoc distinguitur amor amicitiæ ab amore concupiscentiæ, quòd concupiscientia vult bonum subiecto amanti; amicitia verò vult bonum subiecto amato propter ipsum amatum sistendo ibi: si enim amicus amicum cum bono amato sibi subordinat, nequit non esse concupiscentia, vt patet in eo, qui desiderat servo suo honorem, hic certè non est absolutè amicus servi, quandoquidem tam servum, quàm bonum ipsius propter semetipsum amat: ergo amor amicitiæ Dei ad homines nequit non habere pro obiecto primario bonum seu subiectum creatum.

41 Pro solutione exacta huius argumenti: Observa *primò*, amicitiam, inter alias divisiones quibus secari potest, quasque referunt N. Salm. tract. *de Charitate* disp. 1. à num. 2. specialiter dividi in amicitiam *excellentiæ*, & *æqualitatis*: quæ in eo differunt, quòd æqualitatis amicitia debet inter æquales seu præstantes sibi æqualia obsequia versari, vt inter civem & civem, vel inter fratrem & fratrem: At excellentiæ amicitia solùm invenitur inter Superiorem & inferiorem, vt inter Regem & subditum, inter Patrem & filium: qui, vt constat, non se amant amore simili, nec eadem sibi præstant, cùm Rex (v. g.) amicis subditis curam & providentiam impendat; subditi verò Regi obsequium tribuant & humilitatem.

Observa *secundò*, ad amicitiam non exigi, quòd amicus sit finis actus amicitiæ, sed quòd sit finis, cui bonum desideratur, & quòd taliter impertiatur ei, quòd tale bonum sit amico amato vtile, non verò amanti per amicitiam. In quo præcipuè differt amicitia à concupiscentia.

42 Hinc respondetur ad argumentum, quòd estò illa conditio possit admitti in amicitia æqualitatis, secus verò in amicitia excellentiæ, qualis est Dei ad homines & Angelos. Et ratio huius est duplex. *Prima*: Nam amicitia Dei ad homines & Angelos debet esse honesta; amicitia autem honesta debet respicere Deum vt vltimum finem: vnde nequit competere amicitiæ Dei, quòd vnicè respiciat vt *finem* creaturas, & bonum eis collatum, vt intendebat argumentum. *Secunda*: quia Deus nequit amare creaturas propter vtilitatem propriam, aliàs posset perfici à bonitate creaturarum: & hac ratione vtilitas ex bono eis à Deo collato nequit esse finis intermedius amicitiæ Dei ad homines & Angelos. Quare, vt salvetur amicitia reciproca inter Deum & creaturas, non desideratur in Deo actus respiciens amicum vt *finem*, eo modo quo ipse Deus propter sui eminentiam ab hominibus amicis amari debet, sed solùm quòd homo sit finis illius boni, quod Deus illi impertitur, & quòd tàm bonum præstitum, quàm homo eo ornatus ordinentur ad Deum vt ad finem vltimum *cuius gratia*. Per hoc quippè sufficienter distinguitur amicitia à concupiscentia: quia hæc semper & vltimò quærit vtilitatem amantis.

43 Arguitur *secundò*: Nam in voluntate Dei existunt verè & formaliter virtutes morales, vt iustitia, misericordia, liberalitas &c. ergo voluntas divina specificatur à creaturis. Antecedens apud nos est indubitatum. Et consequentia probatur: Obiectum, quod est primarium & specificativum alicuius virtutis residentis in aliqua potentia, est etiam primarium respectu ipsius potentiæ, licet sub ratione magis vniversali; sed virtutes morales residentes in voluntate divina specificantur à creaturis: ergo. Minor probatur. Tum, quia in hoc distinguntur virtutes morales à Theologicis, quod hæ respiciunt honestatem divinam vt obiectum primarium, & illæ honestatem creatam. Tum etiam: nam affectus divinus, qui movetur à bonitate divina, est affectus charitatis: ergo affectus sublevandi miseriam alienam in Deo vel non movetur proximè ex bonitate divina, vel est affectus charitatis. Tum denique: nam si misericordia divina moveretur ex bonitate divina, sequitur fore in nobis duplicem misericordiam, aliam, quæ moveretur ab honestate creata: aliam, quę moveretur à bonitate divina vt sublevativa: quia hic modus non est, cur à nobis non possit formaliter participari.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius probationem potest in primis negari maior vniversaliter sumpta: nam obiectum specificativum Logicæ est ens rationis, & in sententia valde probabili non pertinet ad obiectum primarium intellectus, in quo residet. Hoc etiam apertè apparet in Deo iuxta nostra principia: nam cùm voluntas divina non comparetur ad virtutes morales in Deo existentes nisi vt actus secundus vnius lineæ ad actum secundum alterius, & non per modum potentiæ vniversalis verè & propriè, necesse est dicere, quòd obiectum virtutis residentis in Deo non debet esse inadæquatum primarium potentiæ; sed sicut actui determinato, quo Angelus diligit seipsum, correspondet obiectum diversum ab eo, quod

quod correſpondet virtuti miſericordiæ in eo exiſtentis, ita de voluntate divina & miſericordia diſcurrendum eſt.

44 Sed quia ratione materiæ ſentimus, eandem repugnantiam eſſe in eo, quòd miſericordia divina ſpecificetur à creaturis ac voluntas, permittenda eſt illa maior; cæterum minor debet negari. Cuius nulla ex tribus probationibus vrget. *Non prima*: nam ratio diſtinguendi virtutes morales à Theologicis ibi data, eſtò ſit efficax in creatis ratione materiæ, ſecus verò in divinis: Et tantùm diſcrimen ſtat in eo, quòd virtus ſeu potentia creata poteſt perfici à creaturis, poteſtque ei aſsignari ſpecificativum, quod ſit vera cauſa illius; potentia verò ſeu virtus divina nequit perfici à creaturis, neque poteſt ab eis dependere tanquam à vera cauſa, aut ratione à priori. ¶ Si verò inferas: *Ergo miſericordia in Deo eſt virtus Theologica.* Reſpondetur cum pluribus Thomiſtis concedendo conſequentiam. Nam eſtò virtus Theologica, prout abſtrahit à creata & increata, ſit tantùm triplex, ſcilicet Fides, Spes, & Charitas; omnes tamen virtutes, prout in Deo & ratione materiæ, ſunt Theologicę. Vel reſpondetur, negando conſequentiam. Nam de ratione virtutis Theologicę eſt ita reſpicere pro obiecto motivo & ſpecificativo formali bonitatem divinam, quòd non reſpiciat creaturas vt ſpecificativum virtuale: Cuius ſignum nullum aptius aſsignari valet, niſi quòd in nobis non reſpicit honeſtatem creatam vt ſpecificativum formale: nam ſpecificativum virtuale illud dicimus, quod ita inſpicitur à virtute ſeu potentia, quòd, ſi poſſet ſpecificari ab aliquo realiter diſtincto, eſſet ſpecificativum illius formale, iuxta doctrinam traditam tract. præced. diſp. 2. à num. 62. Nulla autem virtus Theologica ex tribus ſuprà enumeratis in nobis ſpecificatur formaliter à creaturis, & propterea in divinis non reſpicit eas vt ſpecificativum virtuale, ſed tantùm vt obiectum omninò materiale & ſecundarium tàm formaliter, quàm virtualiter: Econtrà verò virtus moralis, v. g. miſericordia, ſpecificatur formaliter in nobis ab honeſtate creata, & propterea in Deo reſpicit eam vt ſpecificativum virtuale. Per hoc igitur ſufficienter diſtingui poteſt adhuc in Deo virtus Theologica à miſericordia, ſeu ab omni virtute morali. Quocircà in Deo ex parte voluntatis nulla virtus Theologica oportet deſignari præter ipſam voluntatem, quæ formaliſsimè eſt ipſa charitas divina, cuius participatio formalis eſt charitas creata, & non alterius virtutis à voluntate Dei virtualiter diſtinctæ in ipſo reſidentis.

45 Neque ſecunda probatio vrget, propter proximè dicta. Nam affectus charitatis ſolùm eſt illo ſivè in Deo, ſivè in nobis, qui movetur à bonitate divina ſecundùm ſe: affectus verò, qui movetur à bonitate divina, prout eſt ratio ſublevandi miſeriam alienam, non eſt propriè virtutis charitatis, ſed alterius virtutis ab ea virtualiter diſtinctæ. *Neque tertia*: Nam in nobis impoſsibilis eſt miſericordia quæ moveatur per ſe primò a bonitate divina vt ſublevativa miſeriæ. Et ratio eſt: quia miſericordia in nobis debet eſſe virtus moralis: virtus autem moralis nequit reſpicere in nobis honeſtatem divinam, vt finem proximum, ſed adſummùm vt finem radicalem ex imperio charitatis. Quod vt clarè percipias: nota cum D. Thoma 1. 2. quæſt. 60. art. 2. quòd proprium obiectum virtutis moralis potiùs eſt operatio quàm res extrinſeca, erga quam verſatur: operatio enim in virtute moral eſt finis per ſe primò intentus ab ea: econtrà verò finis proximus virtutis Theologicæ non tàm eſt operatio, quàm obiectum extrinſecum, quod attingit. Ex hoc ergo principio repugnat in nobis virtus moralis, quæ ſpecificetur à bonitate divina; ac proinde quòd miſericordia divina participetur formaliter à miſericordia creata.

46 Arguitur *tertiò*: Nam ad actum, quod Deus confert præmium propter opera honeſta, & ad actum quo punit peccata, movetur ex bonitate, & malitia operum: ergo reſpectu huiuſmodi actus aliquid creatum exercet rationem finis & ſpecificativi. Antecedens patet: Nam Deus confert præmium homini, quia honeſtè operatur, & ſupplicium, quia turpiter operatur: ergo motivum præmiandi, & puniendi eſt aliquid creatum.

Reſpondetur negando antecedens. Ad eius probationem dicendum eſt cum D. Thoma infrà in hac quæſt. 19. art. 5. quòd dum Deus vult aliquid creatum propter aliud, *vult hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc.* Pro cuius intelligentia ſciendum eſt, aliud eſſe, quòd volitio finis ſit cauſa volitionis mediorum, & aliud quòd volitio illa velit, vt media ſint propter finem. In primo denotatur, quòd volitio finis eſt cauſa volitionis mediorum, ad quod deſideratur diſtinctio realis inter ipſos actus. In ſecundo denotatur, quòd intercedat præcisè cauſalitas inter res volitas. Igitur dum Deus confert homini præmium propter meritum, non movetur ab ipſo merito ad conferendum præmium, ſed à bonitate divina, vt eminentialiter continet meritum, & vult, quòd meritum moraliter influat in præmium; vel confert præmium dependenter à merito in genere cauſę efficientis moralis: Et hoc tantummodò poteſt dici, quòd Deus confert homini præmium, quia honeſtè operatur.

*** *** *** ***
*** *** ***

§. IV.

§. IV.

Argumenta adversus secundam conclusionem.

47 CONtra secundam conclusionem sentiunt plures Thomistę tam in presenti, quàm in tract. *de Charit.* vt sunt Ferre, Gonet, Palanco, Lardito, & alij in suis manu-scriptis. Et probatur: Nam illud est obiectum primarium & specificativum voluntatis divinæ, quod ratione sui amatur, & cœtera ratione illius; sed bonitas essentiæ amatur ratione sui, & attributa non amantur nisi ratione essentiæ: ergo. Minor probatur: Tum, quia bonitas essentiæ est radix, à qua bonitas attributorum descendit. Tum etiam: Nam *sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia à se vult volendo bonitatem suam*, vt inquit Div. Thomas in præs. art. 2. ad 2. sed Deus ita intelligit essentiam suam, quòd illam intelligat ratione sui, & attributa ratione essentiæ: ergo bonitas essentiæ attingitur ratione sui, & est ratio diligendi attributa.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo maiorem; sed negando minorem. Et ad primam probationem, permisso antecedenti; negatur consequentia. Nam aliud est, quòd essentia divina sit radix, à quâ velutì dimanat bonitas attributorũ; & aliud quòd hæc tantùm ratione sit ratio diligendi attributa: ad primum enim sufficit, quòd essentia divina sit ex parte rei conceptę in Deo primum prædicatum. Ad secundum verò vlteriùs desiderabatur, quòd Deus constitueretur adæquatè in ratione vltimi finis per bonitatem essentię, quod (vt suprà demonstratum est) est falsum. ¶ Ad secundam probationem satis constat ex dictis tract. præced. disp. 1. num. 58. vbi redditur disparitas sufficiens inter intellectionem, & volitionem divinam. Quę disparitas non obscurè colligitur ex ipso testimonio D. Thomæ nobis obiecto: non enim inquit Angelicus Doctor, quòd Deus diligit alia a se diligendo essentiam suam, sicut inquit, quòd cognoscit alia à se cognoscendo *essentiam suam*; sed quòd, diligendo *bonitatem suam*, diligit alia à se, sicut cognoscendo essentiam suam cognoscit alia a se. Quibus verbis duo innuit, videlicet quòd creaturæ neque diliguntur, neque cognoscuntur nisi ratione essentiæ; ad quod omninò de materiali se habet, quòd ratio cognoscendi & amandi creaturas sit sola essentia divina vt distincta ab attributis, vel ipsa essentia cum attributis ex æquo. Innuit etiam, quòd estò sola essentia vt distincta ab attributis sit ratio cognoscendi alia à se vel realitèr, vel virtualitèr, non verò est sola ratio diligendi alia à se: & propterea dum in ordine ad cognitionem ponit *essentiam*, meditatò in ordine ad dilectionem non ponit particulam hanc, sed aliam longè diversam, scilicet *bonitatem*. Ad quid ergo mutavit particulam, nisi vellet intelligi, quòd essentia non est ratio diligendi attributa & creaturas, licet sit ratio ea cognoscendi.

48 Instas: Ratio formalis, cur Deum diligimus ex charitate, est, *quia Deus est*, hoc est (vt vulgò dicitur) *Por ser quien es*: ergo ratio formalis primaria movens Deum, vt diligat se, est, quia Deus est, non quia sapiens, potens, aut iustus est. Nec refert dicere, quòd Deum diligimus, quia Deus est physicè, quo pacto includit in recto sapientiam, potentiam, & iustitiam, non quia Deus est metaphysicè. Non (inquam) refert. *Primò*: quia per prius Deus est amabilis, quia Deus est, quàm quia sapiens: ergo motivum primarium est Deus, *quia Deus est*, hoc est vt metaphysicè per lineam primordialem constituitur. *Secundò*: Nam summa Dei sapientia solùm potest amari per ordinem ad bonitatem essentiæ vt per prius amabilem, cùm summa sapientia Dei solùm sit summè amabilis, *quia sapientia Dei est*: ergo bonitas essentiæ est, quæ vnicè movet ad dilectionem Dei tam in nobis, quàm in ipso Deo.

Respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam. Nam ratio movens tàm Deum, quàm nos ad diligendum eum ex charitate, non est Deus *quia Deus est*, hoc est sub ratione Deitatis metaphysicè sumptæ, sed sub ratione Deitatis physicè acceptę: quia hæc sola est summè & infinitè bona bonitate infinita positivè & constituit Deum in ratione vltimi finis. Cui solutioni nulla ex illis duabus probationibus refragatur. *Non prima*: Nam estò concederemus, quòd Deus per prius constituitur in ratione amabilis inadæquatè per bonitatem essentię quàm per bonitatem attributorum, secùs verò adæquatè. Ex quo tantùm inferri possunt duo: primum, quòd Deus per bonitatem essentiæ constituitur in ratione obiecti primarij inadæquati principalitatis; sed tamen in communi omnium sententia non est idem obiectum principale, ac obiectum adæquatum motivum. Secundum est, quòd per charitatem creatam poterit amari Deus ratione essentiæ, quin ametur explicitè ratione attributorum, tamen nequit amari Deus ex charitate, nisi per se primò amentur saltem implicitè attributa: imò Deus explicitè debet amare per se primò tàm essentiam, quàm attributa, quia amor eius infinitus est. *Neque secunda*: Nam falsum est, quòd sapientia Dei ametur cum ordine ad bonitatem essentiæ: omnia enim, quæ in recto ingrediuntur ad constituendam bonitatem summam & infinitam positivè, & rationem vltimi finis, amantur ratione sui & absque ordine ad aliud: sapientia autem Dei (& idem intellige de cœteris attributis) ingreditur in recto ad constituendam bonitatem summam & infinitam positivè & rationem

vlti-

vltimi finis, ad quod sufficit, quòd in se, secundùm id quod importat ex propria linea, dicat bonitatem infinitam negativè, hoc est propriam suæ lineæ, quo pacto & non alio essentia divina importat etiam bonitatem infinitam. Unde sapientia Dei non solùm amatur, quia sapientia Dei est, sed etiam quia est pars intrinsecè constituens summum & infinitum positivè bonum.

49 Arguitur *secundò* (& erit replica contrà dicta) Deus constituitur per bonitatem essentiæ præcisè in ratione vltimi finis: ergo bonitas essentiæ est ratio adæquatè motiva & specificativa voluntatis divinę. Antecedens probatur *primò*: Nam illa est ratio formalis constituens Deum in ratione vltimi finis, quę constituit Deum in ratione primi principij; sed sola essentia divina constituit Deum in ratione primi principij quia ipsa est radix virtualis attributorum: ergo etiam constituit eum in ratione vltimi finis. Maior videtur certa: Nam causa finalis, & causa efficiens mutuò sibi correspondent. *Secundò*: Deus constituitur in ratione vltimi finis per illam rationem, per quam quidditativè & essentialiter est summè bonus, non verò per illam, per quam est summè bonus præcisè completivè & attributaliter: bonitas enim attributalis & completiva competit ei ratione bonitatis essentię, sicut essentia est ratio, cur subiecto illius competant omnes suæ proprietates: ergo sola bonitas essentiæ est ratio formalis constituendi Deum in ratione vltimi finis.

Respondetur, negando antecedens. Cuius primæ probationis maior distinguenda est: *Illa ratio constituit Deum in ratione vltimi finis, quæ constituit eum* physicè *in ratione primi principij*, concedo maiorem; *quæ constituit in ratione primi principij* metaphysicè, subdistinguo, tam proximè quàm radicaliter, concedo maiorem; solùm in ratione primi principij radicalis, nego maiorem: Et; distincta minori eodem modo, neganda est consequentia. ¶ Si verò inquiras, cur sicut essentia divina constituit metaphysicè Deum in ratione primi principij radicalis, non constituat ipsum in ratione vltimi finis? Responsio est: quia de ratione principij proximi est respicere creaturas vt specificativum, sivè virtuale sivè formale, operationem, & operata; hoc autem repugnat essentiæ divinę ob sui summam eminentiam & independentiam (sicut ob proportionalem rationem repugnat substantiæ creatę) non verò attributis, quorum non est tanta independentia; & propterea possunt respicere creaturas vt specificativum virtuale: ideòque natura divina metaphysicè solùm debet obire munus radicis; & non virtutis proximę. De ratione verò vltimi finis non est specificari à creaturis, neque formaliter neque virtualiter; cùm ille sit, cuius gratia omnia fiunt: vnde ratio vltimi finis ex parte hac non petit esse determinata ad solam essentiam. Aliunde vltimus finis debet constitui per bonum summum & infinitum positivè, quod non stat in sola bonitate essentię: hacque de causa ratio adęquata metaphysicè finalizandi non potest esse sola essentia, ergò in essentia sola consistat ratio radicalis metaphysica principij. *Ad secundam probationem*: Respondetur, negando antecedens: Quia ratio vltimi finis non consistit præcisè in eo, per quod Deus constituitur summè & essentialiter perfectus, sed in eo per quod constituitur perfectus summè & infinitè positivè in *esse entis*, ad quod requiritur non solùm bonitas essentialis, sed etiam bonitas attributalis & completiva. Neque est idem quòd bonitas attributalis conveniat Deo ratione essentię, hoc est quòd essentia sit radix & ratio à priori, à qua virtualiter dimanant attributa, ac quòd bonitas essentię sit ratio adæquata constituendi Deum in ratione vltimi finis: Nam bonitas attributorum, quomodocumque Deo conveniat, pertinet in recto ad constitutionem boni summi & infiniti positivè, & hoc sufficit, vt simul cum essentia constituat in recto rationem vltimi finis.

50 Arguitur *tertiò*: Nam illud est obiectum primarium divinæ voluntatis, quod constituit Deum obiectum congruum divinæ dilectionis; sed hoc tantùm præstat bonitas essentiæ: ergo. Minor probatur: Nam id, quod in Deo exercet rationem formæ sanctificantis ipsum formaliter, constituit eum obiectum congruum divinæ dilectionis; sed sola essentia vt metaphysicè distincta ab attributis est id, quod in Deo exercet rationem formæ sanctificantis: ergo. Minor probatur: Sola gratia habitualis, vt distincta à charitate, est in nobis forma sanctificans formaliter; sed gratia habitualis est participatio formalis naturæ divinæ vt distinctæ ab attributis: ergo sola essentia divina, vt distincta ab attributis, est in Deo forma sanctificans ipsum formaliter.

Hoc argumentum, cui maximè innititur opposita sententia, iuxta nostra principia parùm nos premit. Nam gratia habitualis solùm est participatio naturæ divinæ sub munere radicis, non verò naturę divinæ adæquatè acceptæ adhuc metaphysicè, cùm proutsic dicat intellectionem primordialem, quàm non participat in nobis gratia; & tamen gratia in nobis participans tantùm munus radicis est adæquata forma sanctificans nos formaliter, & in Deo non solùm est natura divina sub munere *radicis*, sed etiam sub munere *intellectionis*: ergo aliquid aliud importat in Deo forma constituens ipsum in ratione obiecti congrui divinę dilectionis, ac in nobis.

Respondetur item, distinguendo maiorem: Si per *obiectum congruum* intelligatur id, quod præcisè importat formam sanctificantem ad *intrà*, concedo maiorem; si per *obiectum congruum* intelligatur obiectum adæquatum per se primò amabile, nego maiorem: Et, distincta

mino-

minori eodem modo, negatur consequentia. Obiectum enim congruum divinæ dilectionis potest in duplici sensu accipi: vel quatenus per illud innuitur id, quod metaphysicè est forma in Deo sanctificans; vel quatenus per illud innuitur obiectum dignum amabilitate primaria. Fatemur igitur, quòd natura divina, vt distincta ab attributis, constituit Deum obiectum congruum divinę dilectionis, si obiectum congruum sumatur primo modo: quia, vt benè probat argumentum, ipsa est in Deo forma adæquatè sanctificans metaphysicè, sicut in nobis gratia habitualis distincta à charitate: Cæterùm si per *obiectum congruum divinæ dilectionis* intelligatur obiectum dignum amabilitate primaria, non debet esse sola essentia divina; sed tota bonitas Dei vt complectens tàm bonitatem essentiæ, quàm attributorum, quia ex his omnibus ex æquo consurgit bonitas summè perfecta & infinita positivè, & constitutiva vltimi finis. Aliter discurrendum est de creatura, prout constituitur per gratiam habitualem in ratione obiecti congrui dilectionis amicabilis sivè increatæ, sivè creatæ per charitatem: quia creatura gratia habituali affecta non diligitur per charitatem vt vltimus finis, imò nec vt obiectum formale, seu vt finis intermedius, sed tantùm vt effectus & diffusio bonitatis divinæ.

DUBIUM IV.

An Deo conveniat Amor propriè dictus: Et an distinguatur virtualitèr à gaudio?

51 SUpponimus cum Adversarijs, in Deo esse verè & propriè gaudium de bono proprio. Iterum supponimus, alios voluntatis affectus in ordine ad se nullum habere locum in Deo præter amorem strictè talem: hi enim sunt novem præter duos relatos, scilicet odium, fuga, tristitia, timor, audacia, ira, desiderium, spes, & desperatio; sed nullus ex his affectibus potest Deo convenire: ergo nullus affectus voluntatis habet locum in Deo in ordine ad se præter amorem & gaudium. Minor constat: nam ex illis affectibus sex priores tendunt ad malum sub ratione *mali*, & tres vltimi terminatur ad bonum, vt absens præcisè, vel vt absens simul & arduum: certum autem est, quòd in Deo nequit esse aliquod malum, neque illi potest de esse aliquod eius bonum intrinsecum. Quocirca difficultas solùm procedit de amore strictè dicto. Pro cuius luce, nota, quòd estò in gaudio, & desiderio includatur ratio amoris generaliter dicti, seu sumpto amore in communi pro actu voluntatis terminato ad bonum, adhuc in voluntate nostra datur alius affectus terminatus ad bonum, qui in strictiori acceptione dicitur *amor*, & distinguitur realiter à desiderio & gaudio, vt non obscurè tradit D. Thomas 1.2. quæst. 25. art. 2. in corp. Cuius distinctio ab illis sumitur ex limitatione & distinctione obiecti: nam desiderium terminatur ad bonum vt absens, gaudium ad ipsum bonum vt possessum; sed amor specialitèr dictus tendit ad bonum secundùm se vt præscindens ab absentia, seu præsentia: ergo in nobis datur amor specialiter dictus. Meritò igitur potest dubitari, an in Deo verè & propriè sit prædictus affectus in ordine ad seipsum: & an distinguatur virtualitèr à gaudio?

§. I.

Conclusio prima.

52 DIcendum est *primò*, in Deo esse amorem propriè & strictè dictum. Hęc conclusio communis est inter Theologos: videturque expressa D. Thomæ in præs. quæst. 20. art. 1. vbi ait: *Dicendum, quòd necesse est ponere amorem in Deo. Primus enim motus voluntatis est amor :::: vnde in quocumque est voluntas, oportet esse amorem. Remoto enim primo, removentur alia. Ostensum est autem, in Deo esse voluntatem. Vnde necesse est in eo ponere amorem.* In quibus verbis Ang. Præceptorem loqui de amore strictè dicto apertè constat: nam solus iste amor est primus voluntatis motus, à quo cæteri originantur: ergo vel non datur in Deo gaudium, vel debet præsupponere amorem strictè dictum. Idipsum docuit 1. Contra gent. cap. 91. rat. 6. his verbis: *Omnis affectionis principium est amor. Gaudium enim & desiderium non est nisi boni amati; sed in Deo est gaudium: ergo in Deo est amor. Patet igitur ex prędictis, quòd in nostris affectionibus nulla est, quæ in Deo possit propriè esse, nisi gaudium & amor.* Sed in his verbis nequit intelligi de amore in communi: Tum, quia amor ita acceptus non ponit in numero cum gaudio; & D. Thomas, dum negat in Deo existentiam aliarum affectionum, quę ponunt in numero cum gaudio, concedit amorem. Tum etiam: quia aliàs D. Thomas in prędicto capite tantùm intendisset, probare in Deo existentiam gaudij, cùm in illo intimè includatur amor; cuius oppositum constat ex litera textus. Tum denique: quia in prædicto testimonio concedit illas affectiones, quę in nobis sunt propriè tales; sed concedit amorem & gaudium, prout in nobis sunt actus speciales, & inter se distincti: ergo iuxta D. Thomam in Deo est propriè & strictè amor. Tandem hoc ipsum tuetur in 3. dist. 32. quæst. 1. art. 1. vbi cum eadem proprietate concedit in Deo existentiam amoris ac existentiam gaudij; sed iuxta D. Thomam, & ipsos Adversarios in Deo datur propriè gaudium: ergo etiam amor strictè dictus. Aliàs frustra præter gaudium numerasset amorem.

53 Et probatur ratione D. Thomæ loco citato ex 1. part. Nam in Deo datur verè & propriè gaudium de bono ipsius: ergo etiam datur strictus amor. Consequentia patet: Nam implicat aliquem gaudere nisi de bono à se amato: sicut implicat aliquem desiderare bonum à se non amatum. Hanc rationem paucis verbis comprehendit D. Thomas loco citato, dum ait: *Nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum, neque aliquis gaudet nisi bono amato.* Non minùs illam expressit in verbis immediatè præcedentibus: *Amor est primus actus voluntatis. Et propter hoc omnes alij motus appetitivi præsupponunt amorem quasi primam radicem.* Et paulò infrà: *Remoto primo, removentur alia.*

54 Probatur insuper alia ratione desumpta ex eodem Ang. Præcept. ibidem: Nam Deo non repugnat vere & propriè actus voluntatis, quo tendat ad bonitatem divinam, vt est summè & infinitè bona, præscindens in suo conceptu explicito à possessione; sed actus sic tendens ad bonum est amor strictè dictus: ergo in Deo datur huiusmodi actus. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Nam bonitas divina non minùs est amabilis ab ipso, quia est bona absolutè, quàm qualibet bonitas creata est amabilis à creatura, quatenus est bona absolutè: ergo non repugnat Deo actus voluntatis, qui tendat ad bonitatem divinam, vt est summè & infinitè bona, præscindens in suo conceptu explicito à possessione.

Explicatur: Quia nulla imperfectio importatur in eo, quòd voluntas tendat in bonum divinum, vt est summum quoddam & infinitum bonum: ergo admittendus est in Deo amor strictè dictus. Antecedens probatur: Nulla imperfectio in prædicto modo tendendi potest excogitari, nisi orta ex eo quòd voluntas tenderet in summum bonum non possessum, vel ex eo quòd prædictus actus distingueretur realiter à gaudio; sed ex eo quòd voluntas divina tendat in summum bonum, vt summum bonum est, nulla ex his imperfectionibus sequitur: ergo. Minor probatur: Nam in primis amor strictè dictus, vt tenderet in bonum non possessum, petit absentiam obiecti; sed amor strictè dictus non petit absentiam obiecti, vnde D. Thomas in hac 1. part. art. suprà citato ait, quòd *amor respicit bonum in communi sivè habitum, sivè non habitum*: ergo non tenderet in bonum non possessum. Deinde distinctio realis inter actus solùm potest oriri ex limitatione; sed prædictus actus est in Deo illimitatus: ergo non distingueretur realiter à gaudio. Quinimò nec distinguitur virtualitèr ex parte rei conceptæ, vt ex dicendis in secunda assertione constabit.

55 Respondet Herice, quòd amor specialiter dictus, licèt non petat absentiam realem obiecti; petit tamen, quòd voluntas in modo tendendi præscindat à possessione illius: qui modus tendendi sicut importat imperfectionem divino intellectui repugnantem, ita voluntati divinæ.

Sed contrà est *primò*: Nam amor abstrahens à possessione obiecti tantùm negativè nullam imperfectionem importat; sed huiusmodi est amor specialiter dictus: ergo concedendus est in Deo. Maior probatur: Amor compossibilis cum præsentia & possessione obiecti, imò crescens ex possessione illius non importat aliquam imperfectionem; sed amor præscindens à possessione obiecti tantùm negativè est talis; quòd crescat ex possessione illius: cùm enim amor specialiter dictus fundetur in vnione, & causet vnionem, vt cum D. Dionys. docet Ang. Doctor 1. Contra gent. cap. 91. rat. 3. nequit non crescere ex possessione obiecti: ergo amor, abstrahens à possessione obiecti tantùm negativè, nullam imperfectionem importat.

Secundò & vrgentiùs: Nam amor strictè dictus, qui est formaliter & eminenter gaudium, nullam imperfectionem importat, atque ideò non tantùm metaphoricè, sed etiam verè & propriè Deo concedendus est; sed talis est amor, quem Deo tribuimus: ergo. Minor constabit ex dicendis assertione sequenti. Et maior probatur: Nam amor specialiter talis, qui est formaliter eminenter gaudium, solùm ex suo conceptu explicito, etsi formali, præscindit negativè à possessione obiecti, secùs verò ex conceptu suo adæquato: ergo ex hac parte nullam imperfectionem importat.

Maximè: quia vbi est verè & propriè voluntas absque vlla imperfectione, concedendus est verè & propriè amor, qui est actus primarius illius; sed amor specialiter dictus est huiusmodi: ergo amor specialiter dictus nequit Deo negari. Maior est expressa D. Thomæ q. 20. art. 1. huius 1. partis. Minor verò probatur: Nam in charitate creata actus primarius est amor specialiter dictus, cuius signum est, quòd iste actus potest idem numero continuari in patria, gaudium verò solùm existit, dum obiectum possidetur, & est effectus amoris: ergo amor specialiter dictus est actus primarius voluntatis sivè divinæ, sivè creatæ.

§. II.

Conclusio secunda.

56 DIcendum est *secundò*, amorem specialem, & gaudium non esse actus virtualiter in Deo distinctos, sed eundem actum esse formaliter eminenter amorem specialem & gaudium. Hæc conclusio procedit contra Ioannem a Sancto Thoma, Illustris. Godoy, Ferre, Gonet, & alios. Sed eam tenent expressè N. Salm. in hoc tract. disp. 4. §. 3.

Estque

Eſtque non parùm conſona doctrinæ D. Thomæ quæſt. 20. citata art. 1. ad 1. vbi ait: *Deus vna & ſimplici operatione gaudet, & eadem ratione ſine paſſione amat.*

Et probatur: Nam ea, quæ pertinent ad eandem lineam, nequeunt in Deo diſtingui virtualiter; ſed amor ſpecialiter dictus & gaudium pertinent ad eandem formaliſsimam lineam: ergo in Deo non diſtinguntur virtualiter. Minor probatur: Voluntas, & amor ſpecialiter dictus pertinent ad eandem formaliſsimam lineam: item voluntas, & gaudium pertinent ad eandem formaliſsimam lineam: ergo etiam amor & gaudium. Conſequentia eſt legitima, iuxta illud tritum axioma, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, quod vim maximè habet in ijs, quæ ſunt idem cum tertio re & ratione, hoc eſt in ijs quæ ſunt eiuſdem formaliſsimæ lineæ. Antecedens quoad primam partem, ſi procedit de amore ſpecialiter dicto pertinente ad lineam primariam voluntatis, & non ad lineam tranſverſalem, ſeu alicuius virtutis, ſatis conſtat ex dictis dub. 2. Quoad ſecundam probatur *primò*: Nam voluntas & gaudium tendunt in idem obiectum formale, ſicut voluntas & amor; ſed hac ratione voluntas & amor pertinent ad eandem lineam: ergo etiam voluntas & gaudium. *Secundò*: nam nullus actus in Deo diſtinguitur virtualiter à potentia, aut pertinet ad diverſam lineam, niſi ſit actus ſpecialis alicuius virtutis, quare Ioannes à S. Thoma, nobis contrarius, in hoc tract. diſp. 5. art. 1. num. 28. docet, intentionem & electionem in Deo non diſtingui virtualiter inter ſe, nec à volontate; ſed gaudium non eſt actus ſpecialis virtutis: ergo gaudium & voluntas pertinent ad eandem formaliſsimam lineam.

57 Et confirmatur *primò*: Nam voluntas in Deo eſt adeò eminens, vt abſque diſtinctione virtuali æquivaleat in nobis voluntati & volitioni; ſed voluntas divina, vt æquivalet voluntati noſtræ, vt eſt potentia ad volendum & gaudendum, non importat diſtinctionem virtualem: ergo neque vt æquivalet in nobis amori & gaudio. Conſequentia videtur legitima. Et minor probatur: Voluntas noſtra, vt eſt vis ad volendum, non pertinet ad diverſam lineam, neque diſtinguitur à ſeipsà vt eſt vis ad gaudendum: ergo idem dicendum eſt de voluntate divina.

Explicatur hæc ratio cum confirmatione: Nam propterea in Deo voluntas, & miſericordia diſtinguntur virtualiter, pertinentque ad diverſas lineas, quia in creatis diſtinguntur non præcisè ob infitam limitationem, ſed etiam quia diſtinguntur tanquam duæ res ex genere ſuo pertinentes ad duas lineas; ſed oppoſitum contingit in voluntate, vt eſt vis ad volendum & gaudendum: ergo voluntas Dei, vt eſt vis ad diligendum, non diſtinguitur virtualiter à ſeipsà vt eſt vis ad gaudendum. Iam ſic; ſed voluntas divina nequit concipi cum fundamento in re per modum actus primi in ordine ad volitionem aut gaudium: ergo voluntas divina vt eſt actualis amor non diſtinguitur virtualiter ab actuali gaudio.

58 Confirmatur *ſecundò*, & ſimul præcluditur præcipuum motivum Adverſariorum: Nam obiectum formale gaudij in Deo non diſtinguitur formaliter obiectivè ab obiecto formali amoris: ergo neque amor & gaudium diſtinguntur virtualiter. Antecedens probatur: Nam in Deo obiectum ſcientiæ eſt adeò eminens, vt abſque diſtinctione formali obiectiva Deitas contineat obiectivè rationem practici, & ſpeculativi tanquam duas rationes inadæquatas ex imperfecto modo concipiendi diſtinctas: ergo etiam bonitas divina, quæ eſt obiectum voluntatis, continet formaliter eminenter tanquam duas rationes inadæquatas ex ſolo noſtro imperfecto modo concipiendi rationem obiectivam amoris, & gaudij. Patet conſequentia: quia non minùs eminens eſt bonitas divina in ſpecificando voluntatem divinam, ac Deitas in ſpecificando ſcientiam divinam.

59 Et confirmatur *vltimò*, evertendo aliud fundamentum Adverſariorum. Ideò namque gaudium & amor diſtinguerentur virtualiter, quia comparantur inter ſe per modum actus primarij & ſecundarij, & gaudium eſſentialiter ſupponit amorem, à quo originatur; ſed eſtò hæ rationes ſint ſufficientes ad diſtinctionem realem in creatis ob ſui limitationem, non ſufficiunt ad diſtinctionem virtualem in divinis: ergo non diſtinguntur. Minor quoad primam partem in primis probatur: Nam actus charitatis quo diligimus Deum, & actus, quo diligimus proximum, ſunt realiter diſtincti, & comparantur inter ſe per modum actus primarij & ſecundarij; & tamen Deus eodem indiviſibili actu diligit primariò ſeipſum, & ſecundariò creaturas: ergo quòd comparentur inter ſe amor, & gaudium per modum actus primarij, & ſecundarij, non ſufficit ad diſtinctionem virtualem in divinis. Idemque apparet in actibus intentionis & electionis, ob præfatam rationem & confirmationes, quidquid dicat Ferre. Et in amore ſpecialiter dicto & intentione, vt non negabunt Adverſarij. Probatur inſuper eadem minor quoad ſecundam partem: Tum eiſdem exemplis amoris Dei & creaturarum, ſiquidem ex amore ſui movetur Deus ad diligendas creaturas, & ex intentione finis ad eligenda media. Tum etiam: quia intellectualitas ſupponit immaterialitatem, cùm probetur à priori per eam; & tamen in ſententia Adverſariorum non datur diſtinctio virtualis inter immaterialitatem & intellectualitatē Dei: ergo. Tum denique: nam amor ſupponit voluntatem; & tamen non diſtinguitur virtualiter ab ea, vt conſtat ex dictis dub. 2. er-

go quòd gaudium ſupponat eſſentialiter amorem, non eſt ratio efficax ad diſtinctionem virtualem in divinis. Et ratio eſt: quia vnam formalitatem præſupponere aliam, ortumque ducere ex ea, non ita intelligendum eſt, quòd hoc verificetur ex parte rei conceptæ ſeu cum fundamento in re, niſi quando ex ſuo conceptu formali pertinent ad diverſas lineas; quod in præſenti non contingit: & ob hanc rationem tantùm ex imperfecto modo concipiendi vna formalitas actus eſt primaria, & alia ſecundaria, & vna præſupponit aliam, ortumque ducit ex ea iuxta eundem imperfectum modum concipiendi.

§. III.

Argumenta contra primam concluſionem.

60 OPpoſitam primæ concluſioni opinionem tenet præcipuè Herice tract. 2. diſp. 13. conc. 6. Pro quâ refertur Gabriel in 3. diſt. 26. Et probatur *primò*: Nam in Deo non datur affectus deſiderij erga perfectiones ſibi intrinſecas: ergo neque amor ſtrictè dictus. Conſequentia probatur: Ideò repugnat in Deo deſiderium, quia bonitati divinę repugnat conditio ex parte obiecti petita, nempè abſentia poſitiva illius; ſed etiam repugnat illi conditio petita ad amorem ſpecialiter dictum: ergo. Minor probatur: Conditio exacta ex parte obiecti ad amorem ſtrictum eſt abſtractio à præſentia & abſentia illius, vel à poſſeſsione & non poſſeſsione; ſed iſta abſtractio repugnat bonitati divinæ relatè ad voluntatem Dei, ſiquidem repugnat ei indifferentia, ad hoc quòd poſsideatur vel non poſsideatur: ergo repugnat ei conditio exacta ad amorem ſpecialiter dictum.

Et confirmatur: Nam ſi in voluntate divina reſpectu bonitatis Dei daretur amor ſpecialitèr dictus, per talem affectum tenderet ad eam quatenus infinitè bonam, itaut ſi per impoſsibile bonitas divina non poſſideretur a Deo, adhuc tenderet ad eam, quia eſt ſibi gratiſsima; ſed prædictus affectus ex ſua natura eſt imperfectus: ergo. Minor patet: Nam affectus non tendens ex ſe vſque ad conſecutionem obiecti eſt vialis, & sìc imperfectus.

Ad argumentum reſpondetur, concedendo antecedens; ſed negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt per ſe nota: nam deſiderium poſitivé excludit poſſeſsionem obiecti, proindeque inconiungibile eſt cum gaudio propriè tali: cæterùm amor ſpecialiter dictus non excludit poſitivè poſſeſsionem illius, ſed ex ſuo conceptu formali præciſivè ſe habet ad eam, itaut non repugnet ei coniungi cum gaudio. Et poteſt contingere, quòd amor ſtrictè dictus importet ob ſui eminentiam vtranque rationem abſque diſtinctione virtuali ex parte rei conceptæ, in quo caſu prædictus actus tendit formaliter eminenter in bonitatem obiecti, & quatenus bonitas eſt, & quatenus poſſeſſa eſt. Unde non reſpicit eam cum indifferentia vt poſsideatur & non poſsideatur, ſed ſecundùm vnum conceptum inadæquatum tendit ad eam quatenus bona eſt, & ſecundùm alium ex noſtro imperfecto modo cognoſcendi tantùm diſtinctum tendit ad illam vt poſſeſſam. Et hoc modo ſe habet amor divinus in ordine ad bonitatem divinam; in quo modo tendendi nulla includitur imperfectio, eſtò amor diſtinctus à gaudio illam oportet.

Per quod conſtat ad confirmationem. Nam demus gratis, quòd amor ſpecialiter dictus ſit actus vialis; hoc tantùm probaret imperfectionem in amore, qui diſtinguitur à gaudio, ſecùs verò in amore, qui eſt etiam formaliter eminenter gaudium, vt eſt amor divinus. Sicut intentio & electio ſunt actus viales, & quia in voluntate divina identificantur abſque diſtinctione adhuc virtuali, liberi ſunt ab omni imperfectione. Diximus *demus gratis*: quia reipsà amor ſpecialiter dictus non eſt actus vialis. Quod patet à ratione, & à ſigno: A ſigno: nam actus propriè vialis ceſſat acquiſito termino, ſicut ceſſat via adveniente termino; amor autem ſtrictè dictus non ceſſat adveniente gaudio: quia dum bonitatem obiecti poſsidemus, non ſolùm gaudemus de ea, quia poſſeſſa eſt, ſed etiam eam diligimus, quia bona eſt. A ratione: quia voluntas non ſolùm quieſcit in bono per gaudium, ſed etiam per amorem: nam voluntas non tàm quieſcit in delectatione rei amatę & poſſeſſæ, quàm in vnione cum illa, quam facit ipſe amor ſpecialiter dictus, & quam per ſe primò intendit ipſa voluntas.

61 Arguitur *ſecundò*: Nam in intellectu divino nequit dari cognitio Dei præſcindens ab exiſtentia: ergo neque in voluntate divina poteſt dari actus terminatus ad bonitatem Dei præſcindentem à poſſeſsione. Antecedens videtur certum in via D. Thomæ, qui in hac 1. part. quæſt. 14. art. 9. docet ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſolùm terminari ad poſsibilia. Maximè: quia cùm eſſentia Dei conſtituatur metaphyſicè per *eſſe* ſeu exiſtentiam, idem eſſet Deum cognoſcere ſeipſum vt præſcindentem ab exiſtentia, ac præſcindere ab eo quod eſt illi eſſentiale; quod eſſet concedere non parvam imperfectionem in intellectu divino. Conſequentia verò probatur: Tum quia ideò intellectus divinus nequit terminari ad eſſentiam Dei vt præſcindentem ab exiſtentia, quia Deus eſt eſſentialiter exiſtens, ſed etiam bonitas Dei eſt eſſentialitèr poſſeſſa: ergo ſi Deus nequit cognoſcere ſe vt præſcindentem ab exiſtentia, ita nequit amare ſe vt præſcindentem a poſſeſsione. Tum etiam: quia vbi repugnat abſolutè cognitio, repugnat ab-

absolutè amor, quia cognitio est regulativum amoris: ergo si Deus non cognoscit bonitatem suam nisi vt possessam, nequit habere actum voluntatis terminatum ad bonitatem suam vt præscindentem à possessione.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad primam probationem, concessis præmissis; negatur iterum consequentia. Et ratio disparitatis est: quia si Deus cognosceret se vt præscindentem ab existentia, cognosceret se notitia abstractiva; notitia autem abstractiva ex sua ratione formali excludit positivè existentiam: quod repugnat in Deo tàm ex parte obiecti, quam ex parte intellectus. Non tamen repugnat eidem cognitioni divinę, quòd cognoscat bonitatẽ Dei, vt est summum quoddam & infinitum bonum, & vt possessam. Aliunde nisi supponatur bonitas rei secundùm se placens & amata, non posset voluntas moveri, & procedere ad fruendum ea. Et his rationibus estò repugnet intellectui divino terminari ad Deum vt prescindentem ab existentia, non repugnat voluntati divinę actus, qui secundùm aliquem conceptum inadæquatum terminetur formaliter ad bonitatem Dei secundùm se. Quod instari potest in visione beatifica: quæ, attingens Deum prout est in se, non prescindit ab existentia & possessione; & tamen quia terminatur ad bonitatem divinam, quia summè bona est, & quia possessa est, est regulativum amoris beatifici specialiter dicti, qui est primus affectus charitatis creatę, & gaudij ad eum subsecuti. Per quod constat ad secundam probationem.

§. IV.

Argumenta contra secundam conclusionem.

62 ADversus secundam conclusionem arguitur primò: Nam actus habentes obiecta formaliter diversa distinguntur tanquam res pertinentes ex genere ad diversas lineas, ac proinde in creatis distinguntur realiter, & in divinis virtualiter adæquatè seu cum fundamento in re; sed amor specialiter dictus, & gaudium habent obiecta formaliter diversa: ergo. Minor probatur: Nam vbicũque datur amor specialiter dictus, habet pro obiecto bonum vt *bonum* præscindens à possessione, & non possessione; gaudium verò habet pro obiecto ipsum bonum vt *possessum*; sed hæc obiecta ex suo conceptu formali sunt formaliter diversa: sicut bonum vt bonum est, & ipsum bonum vt non possessum, quo pacto terminat desiderium: ergo amor specialiter dictus, & gaudium habent obiecta formaliter diversa.

Et confirmatur: Nam non est ratio, cur voluntas & misericordia ex genere habeant obiecta formaliter diversa, & quòd amor & gaudium non habeant ex genere obiecta etiam formaliter diversa; sed defactò voluntas & misericordia ex genere habent obiecta formaliter diversa, & ob hanc rationem in creatis distinguntur realiter, & in divinis virtualiter: ergo idem asserendum est de amore, & gaudio. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, probatur: Nam in ratione obiecti non minùs distinguntur bonum quia *bonum*, & bonum quia *possessum*, quàm bonum quia *bonum*, & bonum quia est ratio *sublevandi miseriam*: ergo si voluntas & misericordia habent obiecta formaliter diversa, etiam amor & gaudium.

Explicatur: Nam sicut bonitas divina, quia bona est, & quia est ratio miserendi, est eadem bonitas, & solùm importat munera inadęquata ex nostro modo concipiendi distincta; ita eadem bonitas quia bona est, & quia possessa, importat duo munera inadæquata ex nostro modo concipiendi distincta: & tamen considerata sub præfatis primis muneribus sufficiens est ad distinguendos actus proprios voluntatis, & misericordiæ: ergo idem dicendum est de illa considerata sub muneribus posterioribus relatè ad amorem, & gaudium.

Adde: Nam in nobis bonitas proprij *esse* habet tàm rationem bonitatis, quàm esse possessam à nobis, itaut essentialiter competat ei esse à nobis possessam; & tamen in nobis terminat actus gaudij, & amoris realiter distinctos: ergo estò in Deo bonitas duplex illud munus importet, debet terminare actus amoris, & gaudij virtualiter diversos.

63 Ad argumentum respondetur concedendo maiorem; sed distinguendo minorem: *habent obiecta formaliter diversa* in creatis, concedo minorem; in Deo, nego minorem. Vel aliter: ex genere suo, nego minorem; ex capite limitationis, concedo minorem. Et negatur consequentia. Ad cuius probationem dicendum est, quòd bonum vt *bonum*, & ipsum bonum vt *possessum* ex hoc precisè capite non constituit obiecta formaliter diversa relatè ad voluntatem divinam & eius actus, sed tantùm in ordine ad actus voluntatis creatæ, quia limitati sunt. Sicut obiectum electionis, & intentionis non sunt formaliter diversa in ordine ad voluntatem divinam; sed solùm in ordine ad voluntatem creatam & eius actus: ea tantùm ratione, quia linea voluntatis creatæ est finita & limitata. Pro quo recolenda est ratio nostræ conclusionis cum suis confirmationibus. Diximus *ex hoc præcisè capite*: quia non dubitamus, quòd gaudium pertinens ad lineam misericordię, & amor pertinens ad lineam primordialem voluntatis habent obiecta formaliter distincta ex genere suo: sed hoc (vt diximus) non contingit præcisè, quia amor & gaudium sunt, sed quia gaudium pertinet ad lineam virtutis; &

amor solùm pertinet ad lineam potentię: & hoc pacto amor misericordiæ & amor voluntatis habent etiam obiecta formaliter diversa. Iuxta quæ necessariò supponendum est, quòd sicut in linea primordiali voluntatis datur amor specialiter dictus, & gaudium de bono secundùm se; ita in linea misericordiæ datur amor specialiter dictus, & gaudium de bono proprio misericordiæ. Igitur hucusque dicta tantùm intelligi debent de amore & gaudio vnius lineæ rectæ (vt sic dicamus) quia de amore lineæ rectę, & de gaudio lineæ transversalis idem dicendum est, ac de voluntate & misericordia. Videantur suprà dicta num. 27. & deinceps.

64 Ad confirmationem respondetur, negando maiorem. Et ad eius probationem negandum est antecedens. Ratio disparitatis est: quia ad attingendum bonum vt *bonum*, & bonum vt *possessum* præcisè ex hoc capite non requiritur diversa virtus (vt sic dicamus) ex parte actus primi: cæterùm ad attingendum bonum prout est ratio miserendi, requiritur nova virtus superaddita voluntati, cùm ad attingendum bonum secundùm se sufficiat ipsa voluntas. Unde ex genere semper ac in creatis requiritur specialis aliqua virtus ad attingendum aliquod obiectum, obiectum illius distinguitur formaliter ab obiecto potentię ex suo conceptu formali, & non tantùm ex capite limitationis: Oppositum verò asserendum est, dum ad attingendum obiectum in creatis non requiritur nova & specialis virtus (excipe ab hac regula virtutem, quæ est participatio formalis potentię Dei, vt est charitas, & lumen gloriæ) Si ergo ad attingendum bonum vt *possessum* non requiritur nova virtus superaddita voluntati, & ad attingendum bonum misericordiæ requiritur, necessariò fatendum est, quòd estò obiecta voluntatis & misericordiæ ex genere suo sint formaliter diversa, & obiecta amoris & gaudij etiam distinguantur in creatis ex capite limitationis, secùs verò in divinis.

Ad illam explicationem confirmationis: Respondetur, fatendo, quòd in *esse rei* non magis distinguitur bonitas divina, quia bona est, à seipsa vt possessa, quàm bonitas divina secundùm se à seipsa, prout est ratio miserendi. At in *esse obiecti* aliter discurrendum est, ob rationem proximè tactam. Itaque ex diverso capite venanda est distinctio prædictarum formalitatum in *esse rei*, ac in *esse obiecti*: & ideò stabit optimè, quòd omnes illæ formalitates obiectivæ in *esse rei* tantùm distinguantur inadæquatè, & ex nostro modo concipiendi, & quòd bonitas secundùm se, & vt est ratio miserendi distinguantur adæquatè in *esse obiecti*, secùs verò bonitas quia bona est, & quia possessa. Pro quo adduci possunt innumera exempla tàm in creatis, quàm in divinis, à quibus recitandis supersedemus, quia omnibus sunt satis nota. *Ad additamentum*: Respondetur, permittendo maiorem; sed distinguendo minorem: *Terminat actus realiter distinctos* ex capite limitationis, concedo minorem; ex genere suo, nego minorem. Solutio constat aperte ex terminis distinctionis, qui iam suprà explicati manèt. Diximus *permittendo maiorem*: quia non est adeò notum, quòd bonitati essentiali Petri competat essentialiter esse possessam ab ipso Petro, quia potest subsistere subsistentia divina.

65 Arguitur *secundò* (& erit replica contra solutionem datam) Ideò enim amor, & gaudium non distinguerentur virtualiter, quia eadem voluntas divina absque distinctione virtuali est vis ad amandum & gaudendum, sicut eadem voluntas creata est absque distinctione reali, & fortè virtuali, adæquata vis ad amorem & gaudium; sed hęc ratio non est efficax: ergo. Minor probatur: Nam etiam voluntas tàm creata, quàm divina est cum simili identitate vis ad amandum & miserendum; & tamen amor secundùm se, & actus misericordiæ distinguntur ex genere suo: ergo.

Ad hoc argumentum, & replicam respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem satis constat ex dictis dub. 2. huius disputat. & præcipuè tract. præced. disp. 1. num. 39. quia aliter discurrendum est de voluntate divina, ac de voluntate creata relatè ad actum miserendi. Nam cùm voluntas creata verè, propriè, & realiter habeat rationem potentiæ realis relatè ad lineam volitivam adęquatè sumptam complectentem lineam rectam & transversalem, est vis proxima per modum potentię non solùm ad actum primordialem, sed etiam ad actus virtutum affectivarum: cum quo rectè cohæret, quòd indigeat virtute superaddita per modum virtutis ad actus lineæ transversalis. Vnde stat optimè, quòd ipsa voluntas creata per modum potentiæ sit vis proxima ad amandum & miserendum absque distinctione reali, & fortè virtuali, & quòd amor, & actus misericordiæ distinguantur non solùm ex capite limitationis, sed etiam ex suo conceptu formali tanquam res ex genere pertinentes ad diversas lineas. Cæterùm in Deo omnes eius formalitates sunt per modum actus secundi, ac proinde voluntas eius verè & propriè non exercet rationem potentiæ vniversalis respectu virtutum affectivarum, sed sicut ipsa voluntas est formaliter eminenter vis proxima ad amandum, & ipse amor, ita misericordia est vis proxima ad miserendum, & ipse actus misericordiæ: Unde falsum est, quòd voluntas divina ex parte rei conceptæ sit vis proxima ad miserendum. Ex modo tamen concipiendi hoc potest concedi: sed hoc tantùm est concipere voluntatem divinam ad instàr voluntatis nostræ non seclusis imperfectionibus, & est ita comparare actum misericordiæ cum ea, quòd si ei non repugnaret

suppo-

ſupponere aliquod principium ſivè reale, ſivè virtuale ex parte rei conceptæ, procederet à voluntate per modum potentiæ, & á miſericordia per modum virtutis, vt in nobis contingit. Sed, adhuc permiſſo quòd voluntas divina haberet vere & propriè rationem potentiæ virtualis reſpectu actus miſericordię, argumentum non convinceret: quia vrgentior eſt ratio ad diſtinguendum actum alicuius virtutis ab actu, qui non procedit à virtute, ſed à ſola potentia, quàm ad diſtinguendos actus, qui paritèr procedunt præcise à potentia ſeu à potentia media virtute. Maximè, ſi potentia verè & propriè non habet rationem actus primi relatè ad actum primordialem, eſtò habeat rationem potentiæ relatè ad actum tranſverſalem.

66 Arguitur *vltimò* cum Mag. Ferre in præf. tract. 10. quęſt. 153. Nam quando duo actus ita comparantur inter ſe, quòd vnus ſit primarius & alter ſecundarius, & vnus oriatur ex alio, debent diſtingui virtualitèr; ſed ita ſe habent amor & gaudium: ergo. Minor quoad vtrumque partem traditur expreſsè à D. Thoma 2.2. quæſt. 28. art. 4. in charitate creata, cuius doctrina proportione ſervata tenenda eſt in charitate divina: quia ſicut per charitatem creatam nos non gaudemus niſi de bono amato, ita nec Deus gaudet de bonitate propria, niſi quia eſt amata.

Ad hoc argumentum ſatis conſtat ex dictis n. 59. quin oporteat aliquid ſuperaddere.

§. V.

Quibuſdam dubiolis fit ſatis.

67 PRO complemento doctrinæ in hoc dubio traditæ, necnon totius diſputationis: Inquires *primò*, an in Deo detur deſiderium in ordine ad bona extrinſeca? ¶ Supponimus, nullum eſſe in Deo deſiderium in ordine ad bona propria: quia deſiderium eſt boni non habiti. Paritèr ſupponimus, Deum non poſſe deſiderare ſibi bona aliqua extrinſeca; aliàs poſſet illa recipere, & mutari. Solùm ergo procedit prefatum quæſitum de bonis extrinſecis, & per ordinem ad alios, an nimirùm Deus nobis deſideret plura bona?

Reſpondetur negativè cum communi calculo Theologorum contra Vazquium, Suarium, Herice, & alios Patres Societatis. Et ratio huius eſt: quia deſiderium terminatur tanquam ad proprium obiectum ad bonum abſens deſiderantis; ſed Deo nullum bonum creatum eſt abſens: ergo. Minor probatur: Nam omnia bona creata dupliciter ſunt Deo preſentia, primò in ęternitate, ſecundò in plena poteſtate; ſed quod his modis eſt alicui præſens, non poteſt eſſe abſens ſimpliciter: ergo Deo nullum bonum creatum eſt abſens.

68 Reſpondebis, hanc rationem ſolùm probare, Deum non deſiderare ſibi bona creata, ſed quia prædicta bona nobis ſunt abſentia, nulla repugnantia datur in eo, quòd illa nobis Deus deſideret. ¶ Contrà eſt. Nam qui habet plenè in ſua poteſtate, vt aliquod bonum alter poſſideat, vel non poſſideat, improprie poteſt dici illud ei deſiderare; ſed ita ſe habet Deus in ordine ad bona noſtra: ergo Deus nequit propriè aliquid nobis deſiderare.

Quæ probatio non ſolùm vrget pro bonis dependentibus à ſolo Deo, ſed etiam pro bonis dependentibus à noſtra libertate: Nam etiam bona pendentia à libertate noſtra plenè ſunt ſub poteſtate & dominio Dei: iuxta illud D. Auguſtini: Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas. Per quod impugnata manet ſpecialiter ſententia Patris Herice vtentis prædicta diſtinctione.

69 Ex quibus infertur, Deum non habere ſpem in ordine ad bona noſtra. Tum, quia præter quàm quòd obiectum ſpei etiam eſt bonum abſens, eſt futurum ſperanti; ſed, vt ex ſuprà dictis patet, nullum bonum creatum eſt Deo futurum: ergo non poteſt elicere actum ſpei. Tum etiam: Nam ſpes bonum, quod proſequitur, alterius auxilio nititur apprehendere, ac proinde habens ſpem nequit plene bonum ſperatum in ſe pręcontinere; ſed Deus ad nullum bonum creatum eget auxilio alterius, cùm ſit plenè in ſua poteſtate & dominio, eſtò dependeat à voluntate noſtra: ergo idem quod prius.

70 Sed objicies: Nam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, vt inquit Apoſt. 1. ad Timoth. 2. (iuxta quod inquit Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Epheſ. quòd *Deus mirum in modum cupit, & vehementer deſiderat noſtram ſalutem*) ergo huiuſmodi amor eſt coniunctus cum gaudio, vel cum deſiderio, itaut, ſi bonum amatum eſt præſens, coniungatur cum gaudio; ſi abſens, cum deſiderio; ſed ſalus omnium hominum neque eſt, neque fuit, neque erit præſens: ergo eſt in Deo deſiderium circa prædictam ſalutem. ¶ Et confirmatur: Nam creaturæ procedunt ex amore Dei erga ſe; ſed huiuſmodi amor non eſt gaudium: ergo deſiderium. Minor probatur: Nam gaudium terminatur ad obiectum vt poſſeſſum, quocircà debet ſupponere illud exiſtens; ſed amor, à quo procedunt creaturæ, non illas ſupponit poſſeſſas & exiſtentes: ergo non eſt gaudium.

Ad obiectionem reſpondetur, quòd illa voluntas, qua Deus diligit ſalutem omnium, nequit propriè dici *deſiderium*: quia Deus habet in ſua virtute & poteſtate ſalutem omnium. Dicitur tamen impropriè *deſiderium*, inquantùm ſcilicet confert reipsà omnibus media ſufficientia ad illam conſequendam.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd amor Dei, à quo procedunt creaturæ, eſtò non ſuppo-

ſupponat creaturas exiſtentes, cauſat tamen exiſtentiam, & eſt ſimul activa poſſeſsio illarum, & hoc ſufficit, vt ſit gaudium. Sicut amor, à quo procedit Spiritus-ſanctus, ob ſimilem rationem non eſt deſiderium erga eum, ſed gaudium.

71 Inquires *ſecundò*: An in Deo detur propriè ira, & odium? ¶ Ante cuius reſolutionem ſupponimus, non exiſtere in Deo alios affectus recenſitos num. 51. videlicet triſtitiam, timorem, audaciam, deſperationem, & fugam: quia concernunt vt obiecta vel bonum vt impoſsibile, vel malum futurum & difficilè evitari; ſed nullum bonum noſtrum eſt Deo impoſsibile, nec vllum malum nobis accidere poteſt niſi Deo volente, aut permittente: ergo præfati affectus non exiſtunt in Deo. ¶ Supponimus etiam, quòd ſi loquamur de ira & odio, vt pertinent ad appetitum ſenſitivum, & vocantur *paſsiones*, nullatenus Deo poſſunt attribui: quia caret corpore, in quo reſidet prędictus appetitus. Quibus ſuppoſitis:

Reſpondetur quæſito *primò*; quòd in Deo propriè non eſt odium. Ratio huius traditur à D. Thoma 1. Contra gent. cap. 96. his verbis: *Ex hoc autem apparet, quòd odium alicuius rei Deo convenire non poſsit. Sicut enim amor ſe habet ad bonum, ita odium ſe habet ad malum: nam his, quos amamus, bonum volumus; his verò, quos odimus, malum. Si igitur voluntas Dei ad malum inclinari non poteſt, vt oſtenſum eſt, impoſsibile eſt, quòd ipſe rem aliquam odio habeat.*

72 Quæ ratio explicatur ſic: Nam odium propriè tale eſt affectus, quo quis vult alicui malum vt malum illius eſt; ſed in Deo nequit eſſe affectus vllus, quo velit creaturis malum, vt malum earum eſt: ergo neque poteſt eſſe odium propriè tale. Maior videtur certa: nam sìc ſe habet amor ad bonum, ſicut odium ad malum: vnde ſicut *hominem amare* eſt velle illi bonum, vt bonũ illius eſt ex complacentia illius, ita *illum odio habere* eſt illi malum velle, vt malum illius eſt. Minor probatur: Si Deus haberet affectum, quo vellet creaturis malum, vt malum illarum eſt, diſpliceret in creaturis, quatenus creaturæ ſunt; ſed Deus nequit diſplicere in creaturis, quatenus creaturæ ſunt, iuxta illud Sap. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*: ergo in Deo nequit eſſe affectus vllus, quo velit creaturis malum, vt malum earum eſt.

73 Dices: non diſplicere in homine, quia homo eſt; ſed in eo quia peccator eſt: & hac ratione poteſt ei velle malum, vt malum illius eſt. ¶ Contrà eſt: Nam odium propriè tale proprium eſt rerum ſubſiſtentium, vt ſubſiſtentes ſunt, vt docet D. Thomas loco ſuprà relato; ſed homo, vt peccator eſt, non eſt ſubſiſtens, vt ex ſe liquet: ergo eſtò Deus diſpliceat in homine, vt peccator eſt, propriè nequit eum odio habere. *Explicatur*: Nam *diſplicere in homine, quia peccator eſt*, eſt idem ac amare hominem, quia homo eſt, & diſplicere in eo, quia peccator eſt; ſed hoc non niſi abuſivè poteſt dici *odium*: ergo. Probatur minor: Nam propriè eſt illum amare, quia amor terminatur ad illum vt ſubſiſtentem. Vnde diſplicere in eo, quia peccator eſt, eſt idem ac ſiquis amando filium, quia filius eſt, diſpliceat in eo, quia malus eſt; quod non niſi abuſivè poteſt dici *odium*.

74 Sed pro ſolutione argumentorum, maximè ſi ſumatur ex ſacro textu, habenda eſt præ oculis mirabilis doctrina D. Thomæ, quam tradit loco citato num. 4. vbi ſic ait: *Dicitur autem Deus aliqua odire ſimilitudinariè: Et hoc duplicitèr: vno quidem modo ex hoc, quòd Deus amando res, volens earum bonum eſſe, vult, contrarium bono, ſcilicèt malum, non eſſe: vnde malorum odium habere dicitur: Nam quæ non eſſe volumus, dicimus odio habere: ſecundùm illud Zachar. 8. Vnuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc ſunt, quę odi, dicit Dominus. Hęc autem non ſunt effectus, vt res ſubſiſtentes, quorum proprium eſt odium & amor. Alius autem modus eſt ex hoc, quòd Deus vult aliquod maius bonum, quod eſſe non poteſt ſine privatione minoris boni, & ſic dicitur odire, cùm magis hoc ſit amare. Sic enim inquantùm vult bonum iuſtitiæ, vel ordinis vniverſi (quod eſſe non poteſt ſine punitione, vel correptione aliquorum) dicitur illa odire, quorum punitionem vult, vel correptionem, ſecundùm illud Malac. 1. Eſau odio habui. Et illud Pſalm. 5. Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem &c.*

Ex quibus liquidò conſtat, duplici titulo odium, quo Deus proſequitur peccatores, dici ſimilitudinarium, & abuſivum, dum eis vult malum pœnæ. Primò, quia ad odium propriè tale non ſufficit velle damnatis pœnam, vt eſt illis mala, ſed requiritur velle eam illis ex motivo mali: Deus autem nequit velle damnatis pœnam niſi ex motivo iuſtitiæ, quod honeſtiſsimum eſt. Et hac ratione nequit dici, damnatos propriè odiſſe: Sicut non dicitur, quòd Iudex odit propriè latronem, dum zelo iuſtitiæ vult ei mortem; aliàs eſſet peccans: neque illum ſuſpendit propter aliquam oppoſitionem, quam habet cum illo, ſed propter amorem iuſtitiæ, quam ſervare intendit, cuiquè furta latronis contrariantur. Secundò, quia eſtò Deus velit peccatori pœnam, quæ illi mala eſt ſecundùm inclinationem particularem, eſt tamen illi bona ſecundùm inclinationem, quam habet vt pars vniverſi, ſecundùm quam per ſe primò reſpicit bonum ipſius vniverſi, & bonum Authoris ſupremi omnium. Quocirca niſi voluntas damnati depravata eſſet, ſe tali pœnæ conformaret: quod ſignum eſt, quòd talis pœna non ex odio damna-

natorum, ſed ex amore iuſtitiæ deſcendit. Quibus præoccupatæ manent obiectiones.

75 Reſpondetur *ſecundò* quæſito, in Deo non eſſe propriè iram. Et ratio eſt: nam iuxta D. Thomam in præſ. quæſt. 20. art. 1. ad 2. ira *triſtitiam ſupponit*, & iuxta Philoſ. 1. *de Anima* text. 16. ira eſt appetitus *doloris vicißim alteri inferendi*: iratus enim videtur hoc intendere, vt dolorem, quem ſentit, in alterum effundat, & ſic allevietur à proprio dolore & triſtitia; ſed in Deo non habent locum triſtitia & dolor: ergo neque ira.

76 Sed dices: Miſericordia in nobis dolorem concernit, vt expreſsè docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 30. art. 3. in corp. & tamen in Deo reperitur vere & propriè miſericordia: ergo pariformiter poterit ira in ipſo reperiri purificata ab imperfectione doloris, ſicut miſericordia purificatur.

Reſpondetur cum doctrina D. Thomæ infrà quæſt. 21. art. 3. quòd eſtò miſericordia in nobis ſupponat triſtitiam & dolorem, itaut nos faciant moveri ad miſerendum, ipſa ſecundùm ſuum conceptum formalem præcipuè tendit ad miſeriam proximi ſublevandam, quatenus eſt coniunctus miſerenti per amorem: vnde, hac coniunctione ſuppoſita & miſeria eius, ſtat motivum formale miſericordiæ, eſtò deficiant cætera, ſicut deficiunt in Deo, vt ſupponit arguens. Sed motivum iræ eſt inferre malum, quod mitiget dolorem inferentis: quare ſi talis dolor eſt Deo impoſsibilis, malum ab eo illatum eius dolorem mitigare non poterit, nec propriè iraſci. Et quòd ira nequeat concipi ſecundùm ſuum conceptum formalem abſque prædicto dolore, aut triſtitia, traditur expreſsè à D. Thoma 1. Contra gent. cap. 89. vbi ait: *Ira igitur à Deo longe eſt ſecundùm rationem ſuæ ſpeciei, non ſolùm quia effectus triſtitiæ, ſed etiam quia eſt appetitus vindictæ propter triſtitiam ex iniuria illata conceptam.* Quocirca quandò Deus nocumentum creaturis infert, in quo modum tenere videtur irati, hoc facit per iuſtitiam vindicativam.

Hìc ſolet inquiri, quæ virtutes exiſtant in voluntate diuina, & maximè an in ea ſint iuſtitia & miſericordia? Sed hanc vltimam propriè exiſtere in Deo ſatis conſtat ex proximè dictis. De iuſtitia legali, commutativa, & diſtributiva, ad quam reducitur vindicativa, poſſunt videri dicenda à nobis tract. *de Incarnat.* diſp. 1. dub. 7. vbi oſtendemus exiſtentiam iuſtitiæ in Deo, prout formaliter eminenter continet omnes prædictas ſpecies. De alijs virtutibus reſidentibus in voluntate noſtra faciè cuivis apparebit, quæ ex ſuo conceptu formali importent imperfectionem, quæ verò non: ex quo etiam apparebit, quænam ſint Deo repugnantes, quænam non.

***

DISPUT. II.

De diuinę voluntatis Libertate.

1 EXplicata iam natura voluntatis diuinæ, duas potiſsimas eius perfectiones explanare conamur, libertatem ſcilicet eius in diligēdo, & efficaciam in cauſando. Pro quibus inſtituimus hanc, & ſequentem diſputationem. Sed ante omnia, quæ in hac diſputatione dicenda ſunt, prę oculis habere oportet, duplicem eſſe libertatem, quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, per contrapoſitionem ad duas ſpecies neceſsitatis, quæ eiſdem nominibus vocantur. Libertas *quoad ſpecificationem* dicitur, cùm voluntas poteſt elicere actus contrariè oppoſitos, vt amorem & odium; vel attingere obiecta contraria, vt honeſtum & turpe: vnde meritò dicitur libertas *contrarietatis*. Libertas *quoad exercitium* vocatur, cùm voluntas poteſt quidem amare, & non amare aliquod obiectum; nequit tamen illud odio habere: & hac de cauſa dicitur etiam libertas *contradictionis*. Vnde libertas hæc ſemper clauditur in priori: quia, vt docet D. Thomas in 1. diſt. 5. art. 1. oppoſitio contradictoria includitur in contraria & privativa. Ex quo etiam fit, quòd neceſsitas ſit duplex, ſcilicet quoad ſpecificationem, & quoad exercitium. Tunc voluntas neceſsitatur quoad exercitium, quando non poteſt elicere actum contrarium, neque ceſſare ab eo, quem elicit. Tunc verò neceſsitatur quoad ſpecificationem tantùm, quando poteſt ceſſare ab actu, nequit tamen elicere actum contrarium. His ſuppoſitis: Inquirimus *primò*.

DUBIUM I.

An Deus diligat ſe liberè?

SCotus in 1. diſt. 2. quæſt. 7. alijſque in locis ſentit, proceſsionem Spiritus-ſancti eſſe eſſentialiter liberam: ductus eo motivo, quia voluntas ita eſt eſſentialiter libera, quòd nequeat naturaliter operari: operari enim *liberè*, & *naturaliter* ſunt modi oppoſiti per ſe primò diſtinguentes potentias. Ex quo oritur hæc conſequentia inevitabilis, nempè quòd Deus diligit ſe liberè. Contra quem ſit.

*** *** *** ***
*** *** ***

§. I.

§. I.

Communissima sententia.

2 Dicendum est, Deum diligere se necessariò tàm quoad specificationem, quam quoad exercitium. Hæc sententia quoad vtranque partem est communis Theologorum. Et quoad primam facilè suadetur, supposito quód bonitas divina sit obiectum adæquatè specificans voluntatem divinam, vt vidimus disp. præced. dub. 3. num. 33. Quia nulla potentia potest habere actum extra limites sui obiecti specificativi; sed bonitas divina est obiectum specificativum voluntatis divinæ: ergo nequit elicere actum amoris extra limites bonitatis divinę; quod est illam amare necessariò quoad specificationem.

3 Quoad secundam partem probatur eadem conclusio *primò*: Nam mysterium Trinitatis est prædicatum Deo omninò necessarium: ergo in Deo dari Spiritum sanctum est omninò necessarium; sed Spiritus sanctus procedit per amorem: ergo in Deo existit amor sui omninò necessarius. Patet consequentia: quia Spiritus sanctus petit procedere per amorem, quo Pater & filius diligunt se.

Secundò: Deus est essentialiter beatus, & consequenter omnimoda necessitate, iuxta illud Apost. 1. ad Timoth. 6. *Solus Deus est beatus*; sed ad perfectam beatitudinem necessariò requiritur fruitio: ergo hæc necessariò existit in Deo: fruitio autem essentialiter supponit amorem: ergo etiam convenit ei essentialiter amor: Iam sic; sed beatitudo Dei consistit in perfecta cognitione sui: ergo necessariò sequitur ad eam amor sui: ac proinde in Deo existit amor sui omninò necessarius.

Et confirmatur *primò*: Nam voluntas, cui proponitur summum bonum per cognitionem perfectissimam, & semota quacumque circumstantia potente eam retardare, nequit circa tale bonum suspendere actum, in quo sita est necessitas quoad exercitium; sed voluntati divinæ proponitur summum bonum sub forma præscripta: ergo diligit illud omninò necessariò. Minor cum cósequentia liquet. Et maior probatur: Non alia ratione fatentur communiter Theologi, beatos non posse suspendere amorem erga bonitatem divinam, nisi quia hæc illorum voluntati per cognitionem claram & perfectam proponitur vt summum bonum: ergo cùm Deus non minùs, quàm illi, seipsum cognoscat, & aliunde sit obiectum propriæ voluntati connaturalius, nequit suspendere actum amoris erga bonitatem propriam.

Confirmatur *secundò*: Angelus necessariò quoad exercitium diligit suam substantiam: ergo etiam Deus bonitatem propriam. Antecedens non obscurè traditur à D. Thoma infrá quæst. 60. art. 3. Et consequentia probatur: Ideò Angelus diligit necessariò quoad exercitium suam substantiam, quia est bonum sibi coniunctissimum, & nequit à cognitione illius vnquam cessare; sed hęc omnia perfectiori modo existunt in Deo relatè ad bonitatem propriam: ergo diligit etiam illam necessariò quoad exercitium.

4 Probatur *tertiò* conclusio ex dictis disp. præced. dub. 2. Nam voluntas divina ita est actus purissimus, vt non solùm repugnet ei habere rationem potentię realis relatè ad suum actum secundum, sed etiam rationem potentiæ virtualis; sed si Deus diligeret se liberè libertate quoad exercitium, eius voluntas haberet rationem potentiæ non solùm virtualis, sed etiam realis relatè ad suum actum secundum: ergo. Minor probatur: Nam si Deus diligeret se liberè, posset non elicere dilectionem sui: ergo posset esse sine dilectione sui: quod est idem ac habere rationem potentiæ realis relatè ad suum actum secundum. ¶ Confirmatur: Nam *posse non elicere dilectionem sui* est idem ac non esse essentialiter dilectionem sui: ergo esset concedere in Deo aliquid, quod non est Deus.

5 Rationes hæ efficacissimæ sunt ad suadendam in Deo necessitatem quoad specificationem, & exercitium ad diligendum se: circa quas, stando principijs Thomistarum familiaribus, nullum suboritur dubium.

Difficultas tamen non parva est erga rationem, quam in præs. quæst. 19. art. 3. adducit D. Thomas, pluribus affirmantibus solùm probare necessitatem quoad specificationem, vt Caiet. Ferrara, Zumel, Bañez, & alij. Et vt difficultas apparet, placet ipsam rationem D. Thomæ ad hanc formam reducere: Quælibet potentia necessariam habitudinem habet ad suum obiectum specificativum, sicut visus ad colorem; sed obiectum specificativum voluntatis divinæ est bonitas divina: ergo voluntas divina terminatur omnimoda necessitate ad bonitatem divinam. Hæc (inquam) ratio difficultate non caret: nam beatitudo vtsic, seu bonum in communi est obiectum adæquatum voluntatis creatæ, & color in communi visus; & tamen voluntas creata non fertur ad bonum in communi necessitate quoad exercitium, vt rectè probant N. Salmant. tract. 10. disput. 2. dub. 5. §. 2. neque visus petit semper esse in actuali visione coloris: ergo prædicta ratione solùm queit probari necessitas quoad specificationem.

6 Nihilominus Illustris. Godoy, Ferre, Albelda, Arauxo, & N. Salm. in præs. disp. 4. à num. 11. tenent, prædictam rationem efficacem esse ad suadendam vtranque necessitatem, si sub hac forma instauretur: Quælibet potentia fertur necessariò non solùm quoad specificationem,

nem, sed etiam quoad exercitium ad suum obiectum specificativum, quando est intimè vnitum cum illa, nullumque impedimentum intrinsecum vel extrinsecum apparet, quod potentiam possit ab actu retardare; sed hæc omnia contingunt in voluntate divina relatè ad bonitatem propriam: ergo Deus fertur in bonitatem propriam vtraque necessitate. Minor cum consequentia constat. Et maior suadetur exemplis nobis obiectis: nam in primis lucidum coloratum, si debitè applicetur visui, nihilque adsit, quod ipsum à visione impediat, non potest ab exercitio illius se cohibere: deinde si voluntati creatæ intimè coniungatur sua beatitudo, neque vllum impedimentum appareat illam a suo exercitio retardans, vt contingit in beatis respectu beatitudinis alterius vitæ, quæ propriè est beatitudo, tunc necessariò quoad exercitium fertur in illam.

Quòd autem voluntas nostra in hac vita non feratur necessariò omnibus modis in suam beatitudinem, seu in bonum in communi, oritur & ex eo quòd non sit obiectum intimè coniunctum cum illa, & ex eo quòd semper proponatur sub aliqua ratione mali; ad quod sufficit, vt ipsum exercitium continuum diligendi sit non parùm molestum. Ex quibus iam constat ad rationem dubitandi.

§. II.

Argumenta contraria.

7 ARguitur *primò*: Spiritus-sanctus liberè procedit, vt tradit D. Thomas *de Potent.* quæst. 10. art. 2. ad 5. sed Spiritus sanctus procedit ex amore, quo Deus diligit bonitatem suam: ergo libere amat bonitatem suam. ¶ Ad hoc respondetur, D. Thomam solùm ibi loqui de libertate vt opposita coactioni, non verò de libertate procedente ex indifferentia. Videatur Angel. Magister infrà quæst. 41. art. 2. ad 3. vbi ait Spiritum-sanctum procedere per voluntatem, vt purè natura est.

8 Arguitur *secundò*: Voluntas nostra tendit ad suum obiectum specificativum necessitate quoad specificationem, & libertate quoad exercitium: ergo etiam voluntas divina hoc modo tendit in bonitatem divinam, quæ est eius obiectum specificativum. Consequentia probatur: Ideò antecedens est verum, quia relate ad suum obiectum specificativum voluntas nostra est natura & libertas, ideòque qua parte est natura, tendit in illud necessariò quoad specificationem; & qua parte est libertas, tendit liberè quoad exercitium: ergo etiam voluntas divina est libertas & natura in ordine ad suum obiectum specificativum.

Respondetur, concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Et ad probationem, concesso antecedenti; negari debet consequentia. Ratio disparitatis iam tradita est suprà num. 6. Nam ideò voluntas nostra erga suum obiectum specificativum fertur partim per modum naturæ, & partim per modum libertatis, quia ex vna parte omnis potentia est determinata ad suum obiectum specificativum, & ex alia voluntas nostra non habet secum coniunctum bonum in communi, neque hoc proponitur voluntati nostræ sub omni ratione boni: At voluntati divinæ proponitur perfectissimè bonitas divina vt est summum bonum, & hæc est illi intimè coniuncta & identificata: neque voluntas divina potest separari à suo actu secundo, estò haberet rationem potentiæ virtualis relatè ad illum. Et propter has rationes ita tendit in suum obiectum specificativum, quod est bonitas divina per modum naturæ, quòd nequeat tendere in illud per modum libertatis, nisi in obiecta omninò materialia, quæ sunt creaturæ.

9 Arguitur *tertiò*: Deo debet tribui perfectior modus operandi; sed perfectior est modus operandi per modum libertatis quàm per modum naturæ: ergo Deus diligit se liberè. Minor probatur: Nam perfectior est modus operandi cum pleno dominio supra suam operationem, quàm oppositus modus operandi: quapropter ratione suæ intrinsecę imperfectionis hic vltimus modus operandi convenit rebus intellectu carentibus; sed *operari cum pleno dominio supra suam operationem* est idem ac operari liberè: ergo perfectior est modus operandi liberè, quàm modus operandi necessariò.

Ad hoc argumentum respondetur, quòd operari liberè & cum pleno dominio suprà suum actum secundum aliquando est perfectio simplicitèr simplex & perfectior modo operandi necessariò; & operari necessariò est quandoque etiam perfectio simplicitèr simplex & perfectior modo operandi liberè. Nam operari liberè erga obiecta finita & limitata est modus operandi perfectior, quàm operari erga ea necessariò, quia ea obiecta vtpotè limitata non petunt apprehendi sub omni ratione boni, & si aliquando appetitus rapitur necessariò in illa, est, quia cognitio est imperfectissima: At quando obiectum est summè & infinitè bonum, modus tendendi necessariò in illud est modus operandi perfectior, quia huiusmodi obiectum, vtpotè infinitum, est dignum amore infinito & necessario; & tendere in illud secundùm merita illius, nequit non fundari in maxima perfectione tàm intellectus, quàm appetitus: Et hac ratione perfectior modus tendendi est in beatis in ordine ad bonitatem divinam, quorum voluntas fertur in eam per modum naturæ, quàm in hac vita, vbi tendit ad eam per modum libertatis.

10 Arguitur *quartò*: Nam si Deus se diligeret necessariò quoad exercitium, etiam hoc

modo diligeret quamlibet perfectionem propriam : sed hoc est falsum : ergo Deus non diligit se necessariò quoad exercitium. Maior liquet: Nam quælibet perfectio Dei ita pertinet ad constitutionem Dei, vt sine illa non possit consistere : quare vel non diligit se necessariò, vel debet necessariò diligere omnes suas perfectiones. Minor verò probatur : Quodlibet attributum, secundùm id quod importat ex propria linea, non est summè & infinitè bonum absolutè ; sed sola ratió summi & infiniti boni absolutè & positivè necessitat voluntatem quoad exercitium: siquidem in ea tantùm invenitur omnis ratio boni, & nulla ratio mali : ergo Deus non diligit necessarió quamlibet eius perfectionem.

Respondetur, concedendo maiorem ; sed negando minorem. Et ad eius probationem fatemur, nullum attributum, si considereretur secundùm id præcisè quod dicit de propria linea, habere perfectionem omnibus modis infinitam. Ex quo posset permitti, quòd si à Deo posset amari vna perfectio, quin amarentur omnes, non amaretur necessariò. Cæterùm perfectio vnius attributi ita est finita (vt sic dicamus) negativè secundùm id quod importat ex propria linea, quòd est infinita absolutè & positivè : Tum, quia à parte rei omnia prædicata divina sunt eadem formalitas : Tum, quia vnum attributum importat per transcendentiam realem omnes Dei perfectiones. Unde nequit à Deo amari perfectio vnius lineæ, quin amentur omnes perfectiones Dei. Constat autem, quód bonitas Dei, prout includit omnes eius perfectiones, necessitat voluntatem beati; quantò magis voluntatem ipsius, qui per suum intellectum nobilissimum meliùs ponderat merita proprię amabilitatis ? Diximus *posset permitti* : Nam si, stante distinctione reali inter naturam angelicam & eius proprietates, voluntas eius nequit terminari ad eius substantiam necessariò, quin pari necessitate tendat ad eius, proprietates, quid mirùm quòd Deus, vbi non datur nisi vna indivisibilis perfectio realis & formalis, nequeat perfectionem vnius atributi diligere, quin cæteras diligat. *Maximè* : Quia estò posset amari vna perfectio Dei à seipso, quin amarentur aliæ, adhuc in quamlibet voluntas eius raperetur necessariò quoad exercitium : ad quod sufficit, quòd huiusmodi perfectio sit infinita in sua linea ; & quód voluntas Dei nequeat esse potentialis, proindeque semper debeat tendere actu ad suum obiectum specificativum ; & tandem quód quælibet perfectio sit intimè coniuncta cum Dei voluntate, sine qua hęc nequit consistere, & nullum impedimentum sive intrinsecum, sive extrinsecum queit dari retardans ab eius dilectione.

11 Arguitur *vltimò*: Nam si Deus necessariò omnibus modis diligit bonitatem suam, etiam necessariò omnibus modis odit peccatum; hoc est falsum: ergo. Minor constat: alias impediret absolutè peccatum, cùm voluntati Dei nullus possit resistere. Maior verò probatur : Nam peccatum, quantùm est de se ; destruit divinam bonitatem ; sed eadem necessitate qua quis diligit aliquod obiectum, odit malum ei oppositum: qua ratione quia nostra voluntas fertur necessariò quoad specificationem in bonum in communi, necessarió quoad specificationem odit malum in communi: ergo si necessariò omnibus modis Deus diligit bonitatem suam, etiam hoc modo odit peccatum.

Respondetur, negando sequelam maioris. Et ad eius probationem dic, quòd qui amat aliquid, eodem modo odit malum, quod ei opponitur immediatè, efficacitèr & in effectu, secùs verò si opponitur ei præcisè in affectu, & non immediatè, sed obiectivè. Igitur peccatum non opponitur bonitati divinę immediatè, efficacitèr, & in effectu, sed hanc oppositionem exercet cum gratia & charitate: Undè estò Deus omnino necessariò diligat bonitatem suam, non sequitur, quòd odio prosequatur peccatum omnimoda necessitate.

DUBIUM II.

Utrùm Deus diligat liberè creaturas futuras, & existentes?

12 VIdimus dub. præcedenti modum, quo voluntas Dei fertur ad bonitatem suam secundùm se, superest, explicemus modum, quo terminatur ad creaturas. Quas possumus considerare in triplici statu, videlicet possibilitatis, futuritionis, & existentiæ. De creaturis consideratis in primo statu agemus dub. seq. quia de illis est maior difficultas. Unde dubium præsens solùm procedit de futuris, & existentibus.

Supponimus tamen *primò*, Deum diligere creaturas existentes. Hoc est fide divina omninò certum : vt constat ex illo Psalm. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Et probatur ratione D. Thomæ adducta in præs. quæst. 19. art. 2. cuius medulla potest reduci ad hanc formam: Nam quicumque amat aliquam bonitatem, etiam amat quęcumque talem bonitatem participant ; sed creaturæ existentes participant bonitatem Dei, quia intantùm existunt, inquantùm Dei bonitas actu diffunditur in creaturis : ergo Deus diligit creaturas existentes. ¶ Confirmatur: Deus per voluntatem suam producit omnia, vt dicitur ad Ephes. 1. ergo Deus diligit creaturas existentes. Patet consequentia: Nam *diligere* nihil aliud est quàm per voluntatem producere bonum; constat autem existentiam rerum esse maximè bonam : ergo si Deus per voluntatem producit creaturas, diligit eas.

Supponimus *secundò*, Deum diligere creaturas futuras. Hoc etiam est de fide. Et deduci-

tur

tur ex illo Apoſt. ad Rom. 9. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni, aut mali egiſſent..... Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et ex illo Ierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te.* Et probatur ratione: In eodem inſtanti, in quo quis eligitur ab aliquo ad aliquod bonum, diligitur ab eo; ſed creaturæ futuræ ab æterno eliguntur à Deo ad exiſtentiam vel ad gloriam: ergo ab æterno diliguntur a Deo. Pro quo duplex amor diſcernendus eſt in Deo, alius intentivus, & alius exequutivus. Licèt ergo Deus amore exequutivo non diligat creaturas futuras, non tamen poteſt negari eas diligere amore intentivo. In quo ſenſu docet D. Thomas in 3. diſt. 32. art. 5. quæſtiunc. 1. quòd Deus magis diligit peccatorem prædeſtinatum, quàm iuſtum reprobum. Quibus ſuppoſitis, deciſio dubij pendet ex duplici aſſertione.

§. I.

Duplex aſſertio.

13 Dicendum eſt *primò*, Deum abſolutè eſſe liberum libertate quoad ſpecificationem, & quoad exercitium in amando creaturas futuras, & exiſtentes. Hæc concluſio eſt communis Theologorum. Pro qua adducit D. Thomas loco citato art. 3. in argumento *Sed contrà* illa verba Apoſt. ad Epheſ. 1. iam ſuprà inſinuata: *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*: quod autem operamur ex conſilio voluntatis, non ex neceſsitate volumus. Idem poteſt colligi ex pluribus alijs teſtimonijs ſacræ paginæ, vt videri poſſunt in N. Salm. diſp. 5. num. 53.

Et probatur ratione, qua ſuadetur libertas abſoluta: Nam qui appetit neceſſariò finem, ſolùm appetit neceſſariò media, ſine quibus finis conſiſtere nequit, ſecùs verò quę contingenter annectuntur cum fine; ſed bonitas Dei ita eſt finis, ratione cuius amantur ab ipſo creaturæ futuræ & exiſtentes, vt ſine eis ſubſiſtere poteſt: ergo. Minor liquet: Nam cùm Deus ſit ens à ſe, ad ſui conſiſtentiam nulla indiget: & ſicut ab æterno fuit ſine creaturis, ita potuit durare in æternum ſine illis. Maior verò probatur: tum quia ideò neceſſariò volumus cibum, quia neceſſariò volumus vitam, quæ ſine cibo ſubſiſtere nequit: econtrà verò ideò ex ſuppoſitione quòd velimus iter agere, neceſſariò non eligimus equum, quia ſine illo poſſumus abſolutè iter agere. Tum etiam: quia finis ſe habet in agibilibus, ſicut principium in cognoſcibilibus; ſed licèt principia ſint neceſſariò cognoſcibilia, non cognoſcuntur neceſſariò concluſiones, quæ cum ipſis contingenter connectuntur: ergo neque voluntas diligit neceſſariò media, ſine quibus finis ſubſiſtere poteſt.

Et confirmatur: Si amor Dei neceſſariò terminaretur ad creaturas, iſtę fuiſſent ab æterno, contra illud Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum, & terram*: ergo amor Dei ſaltèm efficax liberè terminatur ad eas. Probatur antecedens: Cauſa neceſſaria non impedita ab alia ſuperiori producit effectum quamprimùm poteſt, vt liquet in illuminatione Solis, & alijs cauſis neceſſarijs; ſed Deus eſt inimpedibilis ab alia cauſa ſuperiori ad productionem huius mũdi (v.g.) & ab æterno eſt potens illum producere: ergo, ſi terminaretur neceſſariò ad creaturas, iſtæ fuiſſent ab æterno. Hoc autem maximè vrget in Deo, in quo eius *velle* eſt eius *agere*.

14 Probatur inſuper alia ratione, per quam non ſolùm ſuadetur in Deo libertas abſoluta, ſed etiam quoad ſpecificationem, imò & contrarietatis. Nam tunc ſalvatur libertas quoad ſpecificationem, & libertas contrarietatis quando quis poteſt ponere actus, vel obiecta non ſolùm ſpecie diſtincta, ſed etiam contrariè oppoſita; ſed voluntas Dei in ordine ad creaturas ſe habet huiuſmodi: ergo. Minor probatur: Nam in primis *velle* & *nolle* ſunt actus ſpecie diſtincti & contrariè oppoſiti; ſed ſicut Deus voluit productionem huius mundi, potuit nolle eius productionem: ergo potuit habere actus ſpecie & contrariè diſtinctos. *Deindè*: Deus decernens Incarnationem Verbi in hominum redemptionem potuit ſtatuere contrarium, videlicet quòd in peccatis ſuis manerent, ſicut decrevit de apoſtatis Angelis. *Item*: Deus efficacitèr determinans Æthiopes denigrare, potuit eos nivea afficere albedine: ergo voluntas Dei potuit eligere obiecta contraria. Ex quo manet probata libertas quoad exercitiũ, ſeu contradictionis: nam hæc eſſentialiter includitur in libertate contrarietatis, ſeu quoad ſpecificationem: nequit enim intelligi libertas ad actus vel obiecta oppoſita, quin adſit facultas ad quemlibet ex illis, & eius carentiam, in quo libertas contradictionis conſiſtit.

15 Dicendum eſt *ſecundò*, non eſſe inconveniens ponere in Deo neceſsitatem quoad ſpecificationem erga aliqua obiecta ſecundaria, id eſt, erga creaturas. Hæc concluſio eſt non minùs communis Theologorum, quàm præcedens. Et aperte deducitur ex D. Thoma infrà quæſt. 21. art. 1. ad 2. vbi ait: *Cùm bonum intellectum ſit obiectum voluntatis, impoſsibile eſt Deum velle niſi quod ratio ſuæ ſapientiæ habet*: ergo voluntas Dei neceſsitatur quoad ſpecificationem erga bonum, ſuæ ſapientiæ ratione regulatum; itaut licèt Deus poſsit non operari ad *extra* in linea virtutis, ex ſuppoſitione tamen quòd operetur in prædicta linea, non poſsit non complacere in bono virtutis. Idem colligitur ex his, quæ docet 1. Contra gent. cap. 95. vbi ait: *Deum non poſſe velle aliquod malum, quia ſemper operatur operatione virtutis*; ſed virtus eſt neceſsitata quoad ſpecificationem in bonum morale, cùm ſit id, quo quivis operatur benè moraliter: ergo & Deus.

16 Et probatur ratione deducta ex prædictis testimonijs: Nam tunc voluntas est necessitata quoad specificationem tantùm, quando ex suppositione quòd versetur circa bonum & rectum, non nisi prosequendo & amando versari potest; sed Deus ita est determinatus ad bonum virtutis, vt, in suppositione quòd versetur circa bonum creatum virtutis, nequeat non illud amare, & in malo ei oppositò displicere: ergo est necessitatus quoad specificationem erga plura obiecta creata. Minor probatur: Tum quia id, quod est infinitè rectum, nequit in aliquid obliquum & malum declinare; sed voluntas Dei est infinitè recta, imò & ipsa essentialis rectitudo: ergo, ex suppositione quòd versetur in bonum creatum virtutis, nequit non illud amare, & in malo oppositò displicere. Tum etiam: Nam charitas creata nequit respicere nisi bonum & honestum; sed charitas creata est participatio formalis voluntatis divinæ: ergo neque voluntas divina, quæ est ipsa charitas & virtus per essentiam, potest tendere, nisi in bonum & honestum.

17 Et confirmatur: Nam non est contra rationem perfectissimæ libertatis, quòd voluntas sit determinata ad amandum bonum honestum, & ad displicendum in malo culpæ, imò voluntatem ita se habere arguit perfectiorem libertatem; sed Deo concedenda est perfectissima libertas, qua alia maior excogitari non valeat nec in ratione perfectionis, nec in ratione libertatis: ergo volùtas divina debet esse necessitata quoad specificationem ad aliqua obiecta creata. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Tum ex D. August. cap. 105. in Enchir. vbi ait: *Multò quippè liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit servire peccato.* Tum ex D. Anselmo lib. *de Libero arbit.* cap. 1. qui ait: *Liberior voluntas est, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quàm quæ illam potest deserere.* Tum denique ex D. Thoma infrà quæst. 62. art. 8. ad 3. vbi optimè confirmat his verbis: *Quòd liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius. Sed quòd eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Vnde maior libertas arbitrij est in Angelis, qui peccare non possunt, quàm in nobis, qui peccare possumus.*

18 Sed vt prædicta ratio cum sua confirmatione, imò & ipsa conclusio clarior appareat: Nota, aliqua obiecta esse prohibita quia mala, vt odium, mendacium &c. quę nulla ratione possunt honestari neque ab ipso Deo: quia tendunt obiectivè ad destructionem ipsius Dei. Et hæc fundamentaliter sunt mala, & illa diligere est peccatum, nisi adsit conscientia erronea, aut inadvertentia invincibilis, quæ in Deo locum non habent. Et de his præcipuè procedit conclusio: quæ non solùm debet intelligi de voluntate Dei efficaci, sed etiam inefficaci, seu simplici complacentia, quia ratio suadet efficaciter necessitatem relatam de vtraque voluntate.

Ex his potest inferri, nullum esse inconveniens ponere in Deo necessitatè tàm quoad specificationem, quàm quoad exercitium erga obiecta creata, facta aliqua suppositione sibi libera. Hoc corollarium potiùs indiget explicatione, quàm probatione: Etenim necessitas ex suppositione oritur ex eo, quòd aliquid liberè est volitum, cum quo necessariò annectitur aliud, sine quo primum subsistere nequit, vt si Deus vult esse hominem, necessariò debet velle creare animam, quia sine ea non potest subsistere homo Et in hoc genere necessitatis Deus necessariò quoad exercitium diligit creaturas existentes: quia, ex suppositione quòd existant, nequeunt non à Deo diligi, cùm eas producat per suum *velle*, & conseryet in suo *esse*.

§. II.

Sententiæ contrariæ.

19 SEntentiam primæ conclusioni oppositam tenuerunt Arist. Avicena, & Commentat. Pro qua arguitur *primò*: Deus amat bonitatem suam omninò necessariò: ergo etiam creaturas. Consequentia probatur: Deus ita diligit bonitatem suam, vt hæc sit ratio formalissima amandi creaturas; sed implicat, quòd ratio formalis amandi creaturas diligatur necessariò, quin ipsæ creaturæ etiam diligantur necessariò: ergo si Deus diligit bonitatem suam necessariò, etiam creaturas.

Et confirmatur *primò*: Deus diligit necessariò bonitatem suam, non solùm secundùm se, sed etiam vt est finis creaturarum; sed implicat amari necessariò bonitatem, prout est finis creaturarum, quin ipsæ creaturæ amentur necessariò: ergo. Minor liquet: nam implicat diligi bonitatem, prout est finis creaturarum, quin diligãtur creaturæ: ergo implicat diligi necessariò bonitatem divinam, prout est finis creaturarũ, quin ipsę creaturæ diligantur necessariò. Maior verò probatur: Nam bonitas divina, prout est finis creaturarum, & prout est ratio illas volendi, est infinita, in eaque nulla apparet ratio mali: ergo diligitur à Deo necessariò.

Confirmatur *secundò*: Nam finis ita se habet in appetitivis, sicut principium in demonstrativis, vt docet Philos. 2. Physic. text. 89. & in 7. Ethic. cap. 8. sed in demonstrativis, si principium est necessarium, sequitur conclusio necessariò: ergo in appetitivis, si finis est omninò necessarius & necessariò amatur à Deo, etiam ea quæ sunt ad finem.

Hoc argumentum proponit sibi D. Thomas quæst. 23. *de Verit.* art. 4. arg. 11. ad quod re-

reducuntur præfatæ confirmationes. Et reſpondet his verbis: *Quòd in ſyllogiſmis, ſi principium ſit neceſſarium, non ſequitur concluſio neceſſaria, niſi ſit neceſſaria habitudo principij ad concluſionem: & ita quantuncumque finis ſit neceſſarius, niſi id, quod eſt ad finem, habeat neceſſariam habitudinem ad ipſum, vt ſine quo finis eſſe non poſsit, nulla erit neceſsitas ex fine in eo, quod eſt ad finem. Sicut etsi principia poſsint eſſe vera, concluſione exiſtente falſa, propter defectum neceſſariæ habitudinis non ſequitur ex neceſsitate principiorum concluſionis neceſsitas.* Qua ſolutione benè intellecta, ſufficienter conſtat ad argumentum. Nam etiò bonitas divina, quantum eſt ex ſe, ſit infinita, & ob hanc rationem ſit neceſſariò diligibilis à Deo; at prout eſt ratio diligendi creaturas, & exercet actu rationem finis illarum, diligitur liberè, cùm diligatur cum eis per modum vnius indiviſibilis obiecti, & per eundem indiviſibilem actum; & cùm in creaturis reluceat bonitas involuta pluribus imperfectionibus, hinc eſt, quòd bonitas divina, vt actu exercet rationem finis creaturarum, vnà cum illis non diligitur neceſſariò, ſed omninò liberè. Igitur bonitas divina & eſt ratio diligendi ea, cum quibus habet neceſſariam connexionem, & ea cum quibus non habet. Aliter tamen & aliter: nam ipſa bonitas, vt eſt ratio volendi ea, cum quibus neceſſariò connectitur, amatur ſimul cum illis neceſſariò; ſicut neceſſariò cognoſcitur principium neceſſarium, & concluſio neceſſariò ex eo deducta: Cæterùm ipſa bonitas, prout eſt ratio diligendi ea, cum quibus non habet neceſſariam connexionem, videlicet creaturas, cùm ametur vnà cum illis per modum vnius indiviſibilis obiecti, amatur ſimul cum illis liberè; ſicut principium vt inferens concluſionem contingentem cognoſcitur contingentèr cum illa. Per quę patet ad vtranque confirmationem.

20 Arguitur *ſecundò*: Nam miſericordia in Deo habet inclinationem infinitam in creaturas: ergo tendit ad eas neceſſariò. Antecedens eſt certum: nam miſericordia quò maior eſt, eò maiorem dicit inclinationem: ſi ergo eſt infinita, infinitam dicit inclinationem. Conſequentia verò probatur: Infinita inclinatio nullam permittit libertatem: ergo ſi miſericordia importat infinitā inclinationem in creaturas, tendit ad eas neceſſariò. Antecedens probatur: Nam quantò magis res inclinatur in aliquam partem, tantò minùs habet de libertate, vt ex ſe liquet: ergo ſi inclinatio eſt infinita, nullam habet libertatem.

Ad hoc argumentum reſpondetur, diſtinguendo antecedens: *habet inclinationem infinitam* in actu primo, concedo antecedens; in actu ſecundò, nego antecedens. Solutio conſtabit explicatis terminis diſtinctionis. Miſericordia enim (ſicut & alia attributa) poteſt conſiderari vel in actu primo, inquantùm poteſt miſereri; vel in actu ſecundo inquantùm actu miſeretur. Verum quidem eſt, quòd in actu primo habet infinitam inclinationem: quia infinite ſyncathegorematicè, hoc eſt magis ac magis ſine termino, poteſt miſereri: ſicut omnipotentia eſt infinita in actu primò, quia poteſt producere effectus ſine termino ſe excedentes in perfectione ſpecifica. At in actu ſecundo non inclinatur infinitè ad creaturas, quia actu non vult eis bonum infinitum. Et ſi quandoque communicat eis tale bonum, vt contingit in myſterio Incarnationis, tunc bonum nó communicatur modo infinito. Radix huius debet deſumi ex natura ipſius voluntatis divinæ, & ex capacitate naturæ creatæ: illa enim, quidquid producit ad *extrà*, non petit producere neceſſariò, quia non petit communicari neceſſariò niſi ad *intrà*: & iſta propter ſui finitudinem non eſt capax bonitatis infinitæ niſi modo præſcripto. Et his de cauſis Deus non propendit neceſſariò in creaturas.

21 Adverſus ſecundam concluſionem ſentiunt aliqui, quos ſuppreſſo nomine referunt N. Salm. in præſ. diſp. 5. num. 40. Et arguitur *primò*: Nam potentia ſolùm eſt neceſsitata quoad ſpecificationem reſpectu ſui obiecti ſpecificativi; ſed creaturę non pertinent ad obiectum ſpecificativum voluntatis divinæ, ſed ſunt obiectum materiale & ſecundarium illius: ergo voluntas Dei non eſt neceſsitata quoad ſpecificationem ad diligendum aliquod obiectum creatum. ¶ Et confirmatur: Nam tantùm id quod eſt beatitudo, vel in quo non apparet aliqua ratio mali, poteſt neceſsitare voluntatem; ſed creaturæ neque ſunt beatitudo Dei, neque ſunt id, in quo nulla apparet ratio mali: ergo nullo modo voluntas divina eſt neceſsitata ad diligendam aliquam creaturam.

Ad argumentum reſpondetur, negando maiorem. Quia nonnunquam aliqua potentia poteſt eſſe neceſsitata quoad ſpecificationem reſpectu alicuius obiecti materialis & ſecundarij, quando nimirum vel obiectum materiale connectitur neceſſariò cum obiecto formali & ſpecificativo, vt dicemus dub. ſeq. vel obiectum formale nequit movere ad oppoſitum obiecti materialis. Igitur bonitas divina, quæ tantùm eſt obiectum formale & ſpecificativum, & finis adæquatus voluntatis divinæ, ita eſt ratio volendi creaturas, quòd, cùm ſit ipſa rectitudo per eſſentiam, nequit eſſe ratio volendi inhoneſta. Et ob hanc rationem voluntas Dei eſt neceſsitata quoad ſpecificationem ad diligendum bonum honeſtum, & ad diſplicendum in bono turpi. ¶ Per quod conſtat ad confirmationem: Nam obiectum honeſtum non neceſsitat Dei voluntatem quoad ſpecificationem niſi ob rationem proximè aſsignatam: quia nimirum voluntas Dei eſt infinitè recta; cum quo non cohæret, quòd poſsit diſplicere in bono honeſto, aut complacere in obiecto turpi.

22 Sed dices: Ut aliquid habeat rationem boni honesti, sufficit, quòd a Deo præcipiatur, & vt aliquid habeat rationem boni inhonesti, sufficit, quòd à Deo prohibeatur; sed Deus potest prohibere id, quod honestum est, & præcipere quod nunc prohibitum est: ergo potest complacere in bono turpi, & displicere in bono honesto.

Respondetur, concedendo maiorem, & permittendo minorem; negando tamen consequentiam. Quia semel quod aliquid actu a Deo prohibeatur, nequit Deus in eo complacere, neque potest displicere in eo, quod reipsà à Deo præcipitur: quia in sensu composito prohibitionis obiectum, quod alias esset honestum, redderetur turpe, & in sensu composito actualis præcepti obiectum, quod alias esset turpe, redderetur honestum. ¶ Adde, aliqua esse obiecta adeò ex natura sua turpia saltem fundamentaliter, vt nequeat non Deus illa prohibere, vt mendacium, odium ipsius Dei, & alia huiusmodi: & alia ex natura sua esse adeò honesta, vt nequeant à Deo prohiberi, vt veritas & actus charitatis: alia esse mixta, vt furtum & homicidium, itaut furtum vt *furtum*, homicidium vt *homicidium* sint inhonesta; sed quia vita hominis & eius bona temporalia sunt in supremo dominio Dei, potest Deus præcipere interfectionem illius, necnon ablationem bonorum temporalium, vt non tarò ista præcipit.

DUBIUM III.

An Deus diligat creaturas possibiles? Et an, si eas diligeret, diligeret eas necessariò?

23 VIdimus in dub. præced. modum, quo voluntas Dei terminatur ad creaturas futuras & existentes; superest declarare, an, & quomodò terminetur ad possibiles vt *possibiles*. Pro quo nota *primò*, creaturam possibilem posse considerari vel secundùm *esse* quod habet in Deo, vel secundùm *esse* possibile distinctum ab omnipotentia. Iuxta quæ certum omninò est, creaturas primo modo consideratas diligi à Deo: quia proutsic non sunt creaturæ, sed ipsa creatrix natura, vt monet Augustinus. Difficultas ergo intelligenda est de ipsis creaturis posteriori modo consideratis.

Nota *secundò*, creaturam esse possibilem (vt alibi declaravimus) importare primò, quòd Deus sit participabilis secundùm suam substantiam: quia, cum sit fons totius entitatis, implicat aliquid esse possibile, quin ab ipso sit participabilis. Hac participabilitate in Deo suppositâ (quæ solet vocari *idea*) resultat inter prædicatum & subiectum non repugnantia, quæ reipsà fundatur in illa: & quia non repugnant, Deus ratione suæ omnipotentiæ poterit illa ponere in re. Sed quia non omnia, quæ Deus facere potest, executioni mandabit, ex collectione, quam sub omnipotentia sua esse cognoscit, decrevit aliqua extra se ponere, quæ ex vi huius decreti reducuntur existentia vel futura; & alia vt non existant, & hæc remanserunt sub statu possibilitatis: ideòque istæ creaturæ reipsà & physicè nihil sunt, possunt tamen absolutè esse: Et de illis inquirimus, an possint sub illa nihilitate à Deo amari.

Nota *tertiò*, amorem Dei esse duplicem, efficacem simulque effectivum, qui reipsà efficit obiectum, quod amat; & inefficacem seu affectivum, qui dicitur *simplex complacentia in bono*, nihilque operatur in bono. Titulus quæstionis non procedit de primo, sed de secundo, quia nullus effectus est in possibilibus a Deo productus.

§. I.

Prima conclusio.

24 DIcendum est *primò*, Deum non diligere creaturas possibiles. Hæc est sententia communis Thomistarum, quam defendunt N. Salm. in præs. disp. 5. dub. 1. Et non obscurè colligitur ex D. Thoma quæst. 23. *de Verit.* art. 4. ad 13. vbi ait: *Cum dicitur Deum velle aliquid, non significatur illud aliquid inesse Deo, sed tantummodò importatur ordo ad illius effectionem in propria natura.* Ex quo testimonio, & alijs relatis disp. præced. num. 36. deducitur, amorem Dei erga creaturas vllas non esse purè affectualem; sed amor Dei in creaturis possibilibus nihil efficit: ergo neque diligit eas. Idipsum colligitur ex his, quæ docet 1. Contra gent. cap. 81. *in fine* his verbis: *Deus non omnia vult, quæ ad bonitatem ipsius ordinem habere possunt; omnia autem scit, quæ ad essentiam eius, per quam intelligit, qualemcumque ordinem habent.* Ex quo principio duo inferunt Thomistæ, & quòd obiectum intellectus est abstractius obiecto voluntatis, & quòd intellectus est voluntate perfectior: ergo iuxta D. Thomam Deus non diligit vllo modo creaturas possibiles.

25 Et probatur ratione fundamentali, per quam simul refellitur quidam modus dicendi Illust. Godoy, Gonet, & aliorum, dicentium possibilia habere aliquam bonitatem. Nam implicat voluntatem divinam amore prosequi obiectum omni bonitate destitutum; sed creaturæ possibiles sunt huiusmodi: ergo. Minor probatur: De ratione boni est concernere existentiam in aliqua differentia temporis habendam; sed creaturæ possibiles non concernunt existentiam in aliqua differentia temporis: ergo nullam habent bonitatem. Maior, in qua solùm potest esse difficultas, suadetur *primò* ex Div. Thoma suprà quæst. 6. art. 3. vbi ait: *Vnumquodque dicitur bo-*

bonum ſecundùm quòd eſt perfectum : perfectio autem alicuius rei triplex eſt : Prima quidem ſecundùm quòd in ſuo eſſe conſtituitur : ſecunda verò, prout ei aliqua accidentia ſuperadduntur ad ſuam perfectam operationem neceſſaria : tertia verò perfectio eſt per hoc, quòd aliquid aliud attingit ſicut finem : ergo iuxta D. Thomam prima rei perfectio deſummitur per ordinem ad exiſtentiam. Idem colligitur ex ijs, quæ ibidem docet ad 1. his verbis : *Oportet, quòd quælibet res ſit vna per ſuam eſſentiam, non autem bona, vt oſtenſum eſt.* Sed clariùs id docuit quæſt. 5. art. 1. vbi inquit : *Vnumquodque eſt actu bonum, inquantùm eſt appetibile. Vnde Philoſ. 1. Ethic. dicit, quòd bonum eſt, quod omnia appetunt : Vnumquodque autem eſt appetibile, inquantùm eſt perfectum, nam omnia appetunt ſuam perfectionem : Intantùm autem eſt perfectum vnumquodque, inquantùm eſt actu. Vnde manifeſtum eſt, quòd intantùm aliquid eſt bonum, inquantùm eſt ens.* Et vt præcludatur communis recurſus ad ens nominaliter ſumptum, ſtatim adiecit : *Eſſe enim eſt actualitas omnis rei* ; ſed per *eſſe quod eſt actualitas omnis rei* non intelligit Ang. Præceptor *eſſe* eſſentiæ, ſed *eſſe* exiſtentiæ, vt expreſsè videri poteſt in q. 3. art. 4. & q. 4. art. 1. ad 3. ergo iuxta D. Thomam omnis perfectio deſumitur per ordinem ad exiſtentiam. Secundò probatur eadem maior ratione : Nam ratio boni ſolùm inveniri poteſt in eo quod perfectum eſt, bonum enim coincidit cum perfecto & integro ; ſed nulla res eſt integra & perfecta abſque exiſtentia : ergo de ratione boni eſt concernere exiſtentiam. Quocircà Ariſt. 3. Metaphyſ. ait, quòd mathematicalia non ſunt bona, quia abſtrahunt à materia & exiſtentia.

26 Reſpondebis cum Illuſtriſ. Godoy, & Gonet, quibus hæc ratio & doctrina non placuit, quòd bonum coincidit cum integro integritate vel eſſentiali, vel exiſtentiali : In poſsibilibus autem quamvis non detur integritas exiſtentialis, datur tamen integritas eſſentialis, & hæc ſufficit, vt ſint bona bonitate ſaltem ſecundumquid. Neque oppoſitum alicubi docet D. Thomas : nam ſemper intelligendus eſt de *eſſe* eſſentiæ, aut exiſtentiæ, quando ait, quòd perfectio deſumitur ab *eſſe*.

Contrà eſt *primò* : Quia hæc ſolutio nequit habere locum in doctrina D. Thomæ : Nam ſi eſſet excogitabilis perfectio & bonitas abſque exiſtentia, vel abſque ordine practico ad eam, ſequeretur, quòd res creata eſſet bona & perfecta ſecundùm ſuam eſſentiam ; ſed hoc eſt contra D. Thomam ſuprà quæſt. 6. iam citata ad 2. vbi ait : *Dicendum, quòd licèt vnumquodque ſit bonum, inquantùm habet eſſe, tamen eſſentia rei creatæ non eſt ipſum eſſe : & ideò non ſequitur, quòd res creata ſit bona per ſuam eſſentiam.* Quo quid expreſsius?

Secundò : Nam quod reverà eſt nihil, nequit habere integritatem eſſentiæ, & conſequenter neque perfectionem aliquam, aut bonitatem ; ſed quod caret exiſtentia reverà eſt nihil : ergo quod caret exiſtentia, caret etiam omni bonitate & perfectione. Maior eſt certa : nam non entis nullæ ſunt qualitates & proprietates. Minor verò probatur : Quod caret exiſtentia, actu caret actualitate exiſtentiæ, vt ſupponitur, & actualitate eſſentiæ ; ſed quod caret vtraque hac actualitate, reverà eſt nihil : ergo quod caret exiſtentia, eſt nihil. Maior probatur : Si haberet actu actualitatem eſſentiæ, non poſſet vlla res produci ex nihilo, & ita Angelus non poſſet produci per creationem ; ſed hoc abſque maximo errore concedi non poteſt : ergo quod caret exiſtentia, non habet actu actualitatem eſſentiæ.

27 Et confirmatur *primò* : Quod actu caret exiſtentia, poteſt tamen illam habere, vt eſt creatura poſsibilis, tantùm poſsibiliter eſt ens & bonum ; ſed ad terminandum actualem amorem non ſufficit entitas aut bonitas poſsibilis : ergo creaturæ poſsibiles ſub illo ſtatu non diliguntur à Deo. Maior ex proximè dictis ſatis conſtat. Et minor probatur : Nam quod actu non participat rationem formalem obiecti voluntatis, non poteſt terminare actualem amorem illius ; ſed bonitas poſsibilis actu non participat rationem formalem obiecti voluntatis, quod eſt ratio boni : ergo bonitas poſsibilis non ſufficit ad terminandum actualem amorem.

Explicatur : Nam malum poſsibile non ſufficit ad terminandam actualem diſplicentiam ; aliàs Deus actu poſſet diſplicere in homine iuſto propter peccatum poſsibile, necnon in Beatiſsima Virgine, & adhuc in humanitate Chriſti Domini, cùm poſsit in ea exiſtere peccatum, in ſuppoſitione quòd dimitteretur à Verbo ; hoc videtur nimis durum concedere : ergo bonum poſsibile non eſt ſufficiens ad terminandam actualem complacentiam.

Confirmatur *ſecundò* : Si res poſsibilis vt *poſsibilis* eſſet amabilis, obiectum voluntatis non eſſet minùs abſtractum quàm obiectum intellectus : nam ſicut obiectum intellectus eſt quidditas rei ſub conceptu *quidditatis*, ita obiectum voluntatis eſſet quidditas rei ſub conceptu *quidditatis* ; hoc eſt contra commune placitum Theologorum & Philoſophorum, & contra D. Thomam quæſt. 82. art. 3. ergo amabilis non eſt.

28 Probatur concluſio alia ratione, per quam præcedens magis roboratur : Nam *amare* eſt velle alicui bonum, vel illud ſupponendo, vel deſiderando, vel producendo ; ſed nullo ex iſtis modis Deus vult creaturæ poſsibili aliquod bonum : ergo non diligit creaturas poſsibiles. Minor quoad primam partem probatur : Nam implicat Deum ſupponere in creatura aliqua ſub quocumque ſtatu bonitatem, quam ipſi non com-

communicet per ſuum amorem : ergo non vult creaturæ poſsibili aliquod bonum , illud ſupponendo. Quoad ſecundam etiam ſuadetur: Tum, quia in Deo repugnat propriè deſiderium , vt probatum manet diſput. præcedent. à num. 67. Tum etiam : quia propterea Adverſarij adſtruunt in Deo amorem terminatum ad creaturas poſsibiles quia gaudent actu aliqua bonitate: ergo non vult eis bonum , illud deſiderando. Quoad tertiam tandem ſuadetur : Nam in creatura poſsibili nihil Deus producit : quia ſub eo ſtatu ſolùm dicit non repugnantiam , vt producatur : ergo neque ei vult bonum , illud producendo.

Et confirmatur *primò* : Deus non vult, creaturam poſsibilem habere exiſtentiam , vt ſupponitur : ergo non vult ei aliquod bonum. Probatur conſequentia : Nam qui vult,rem non exiſtere , vult ei omne malum : nam *velle non exiſtere* eſt velle carentiam omnis entitatis, & carentia omnis entitatis eſt omne quaſi malum: quare, ſi res anihilaretur , diceretur Deus omninò illam quaſi odiſſe, quia tol eret ab ea omnem entitatem : ergo ſi Deus non vult , creaturam exiſtere, non vult ei aliquod bonum.

Confirmatur *ſecundò* : Nullus deſiderat ſanitatem purè poſsibilem , neque complacet, & delectatur in ſanitate purè poſsibili: ergo neque Deus. Patet conſequentia à paritate : & antecedens ab experientia.

Confirmatur tandem:Repugnat amor alicuius obiecti , quin vel obiectum ſit cauſa amoris, vel amor ſit cauſa obiecti ; ſed neque creatura poſsibilis poteſt eſſe cauſa amoris divini,vt ſupponimus ex dictis diſput. præced. dub. 3. neque amor Dei eſt cauſa creaturę poſsibilis; aliàs non eſſet purè poſsibilis:ergo repugnat amor divinus ad creaturam poſsibilem terminatus.

§. II.

Secunda concluſio.

29 DIcendum eſt *ſecundò* , data hypotheſi quòd Deus amet creaturas poſsibiles, eas amat omninò neceſſariò. Ita N. Salm. loco ſuprà citato num. 29. cum communi ſenſu Theologorum tàm intra , quàm extra Scholam D. Thomę. Et probatur ratione: Nam creaturæ poſsibiles neceſſariò connectuntur cum omnipotentia , itaut,illis ablatis , omnipotentia auferatur ; ſed Deus amat omninò neceſſariò ſuam omnipotentiam:ergo etiam omninò neceſſariò diligit creaturas poſsibiles , ex ſuppoſitione quòd à Deo ſint diligibiles. Maior ex alibi dictis ſupponitur : minor eſt certa , iuxta dicta dub. 1. huius diſput. Et conſequentia probatur: Qui amat neceſſariò aliquod obiectum neceſſariò connexum cum alio , etiam debet neceſſariò amare id , cum quo habet prædictam connexionem : qua ratione Authores primæ concluſionis contrarij præcipuè moventur ad concedendum, amorem Dei terminari ad creaturas poſsibiles: & ob eandem rationem amans neceſſariò beatitudinem , etiam neceſſariò amat ſuum *eſſe* & ſuam vitam , quia nimirùm ſine eis nequit eſſe beatus.

Augetur hęc ratio : Ex eo D. Thomas in hac quæſt. 19. art. 3. necnon 1. Contra gent. cap. 81. probat , Deum non diligere neceſſariò creaturas (vtique futuras,& exiſtentes) eſtó diligat neceſſariò bonitatem ſuam , quia bonitas Dei eſt talis , vt ſine eis conſiſtere poſsit ; ſed creaturę poſsibiles ſunt tales,vt ſine eis perfectio Dei ſubſiſtere non poſsit, itaut, ablata quacumque creatura poſsibili , auferretur omnipotentia quæ nunc exiſtit : ergo ſi diligit creaturas poſsibiles,diligit eas neceſſariò.

30 Et confirmatur *primò* : Amor liber Dei in ordine ad creaturas nequit exiſtere ſine mutatione vel ex parte ipſius actus,vel ex parte creaturarum ; ſed amor Dei terminatus ad creaturas nequit in ſe intrinſecè pati aliquam mutationem, vt infra demonſtrabimus ; neque vlla mutatio poteſt dari ex parte poſsibilium , cùm non ſint defectibiles & contingentes,aliàs poſsibilia poſſent fieri impoſsibilia ergo in ſuppoſitione quòd Deus amet creaturas poſsibiles,debet eas diligere neceſſariò.

Explicatur hoc amplius : Si Deus liberè diligeret creaturas poſsibiles,poſſet tranſire de amãte in non amantem poſsibilium; ſed hoc repugnat:ergo.Minor probatur: Non poteſt eſſe tranſitus de amante in non amantem ſine mutatione aliqua vel ex parte amantis , vel ex parte amati: ſicut non poſſet dari tranſitus de non creanti in creantem,niſi daretur mutatio ex parte creaturę: neque poſſet dari tranſitus in Deo non diligente peccatorem in diligentem illum,niſi adeſſet mutatio ex parte ipſius peccatoris infundendo gratiam; ſed nulla mutatio poteſt eſſe ex parte Dei, cùm ſit immutabilis,neque ex parte poſsibilium, cùm poſsibilitas rerum ſit omninò neceſſaria,vtpotè fundata in connexione prædicatorum eſſentialium non habentium repugnantiam ad *eſſe*: ergo repugnat dari in Deo tranſitus de non amãte in amantem poſsibilium.

Confirmatur *ſecundò*: Non minùs neceſſaria eſt bonitas poſsibilium , ex ſuppoſitione quòd illam habeant,quàm illorum veritas;ſed quia *intelligere* Dei eſt infinitum , & veritas poſsibilium neceſſaria , Deus neceſſariò cognoſcit creaturas poſsibiles: ergo etiam illas amaret neceſſariò, in ſuppoſitione quòd eas amet.

31 Rationi noſtræ poteſt reſponderi ex doctrina Adverſariorum , quòd illa regula de neceſſariò connexis verè tenet in his,quæ amantur efficacitèr vt media neceſſariò connexa cum conſecutione finis , ſecùs verò in his , quæ non ſe habent vt media efficacia ad conſecutionem finis,

finis, neque terminant amorem efficacem, sed simplicem complacentiam: nam hoc genus amoris, cùm non tendat ad rem consequendam, potest ex duobus necessariò connexis sibi complacere in vno, & non in altero: sicut potest mihi complacere bonitas hominis quatenus rationalis est, & displicere quatenus mortalis est, licèt mortalitas sit necessariò connexa cum homine.

Primæ confirmationi potest responderi, quòd potest dari transitus in Deo de non amante in amantem possibilium, quin detur mutatio ex parte possibilium, aut ex parte ipsius amoris: Quia ad illum transitum sufficit, quòd actus desinat quoad attingentiam & terminationem, & non requiritur, quòd desinat quoad entitatem. ¶ Secundæ confirmationi responderi valet, quòd interest magnum discrimen inter intellectum, & voluntatem: ille enim, vtpotè infinitus & ex se potentia necessaria, necessariò fertur ad omne obiectum cognoscibile: at voluntas est essentialiter libera, & nequit necessariò terminari ad obiectum, nisi aliàs sit summè bonum.

32 Sed in primis solutio adhibita nostræ rationi refellitur *primò*: Nam amans necessariò aliquod obiectum, necessariò debet amare illud sine quo esse non potest, iuxta ipsius capacitatem: sicut cognoscens necessariò & comprehensivè aliquod obiectum, necessariò etiam cognoscit illud, sine quo esse non potest iuxta exigentiam & capacitatem illius; sed quia creaturæ possibiles sunt necessariò connexæ cum omnipotentia, & aliàs in se sunt cognoscibiles, cognoscuntur à Deo necessariò, non solùm quia cognoscibiles sunt, sed quia connectuntur necessariò cum omnipotentia, licèt cum hoc discrimine, quòd omnipotentia cognoscitur intuitivè, & creaturæ possibiles abstractivè, quo genere cognitionis tantundem capaces sunt: ergo cùm necessariò connectantur cum bonitate divina, & aliunde non sint capaces amoris efficacis, sed simplicis complacentiæ (in suppositione quòd amabiles sint) debent terminare necessariò amorem divinum. ¶ Et confirmatur: Nam quia materiale peccati connectitur necessariò cum formali malitia, implicat nobis complacere materiale, & displicere formale illius: Tum propter connexionem: tum quia vtraque formalitas continetur intra obiectum nostræ voluntatis: quia verò formale non continetur intra obiectum voluntatis divinæ, potest Deus amare materiale peccati, sine eo quòd diligat formale, quin huic obstet connexio: ergo si creaturæ possibiles absolutè sunt diligibiles à Deo, nequit Deus amare suam omnipotentiam, quin simplici complacentia diligat creaturas possibiles.

Refellitur *secundò*: Nam, dato, non concesso, quòd amans necessariò vnum connexionis extremum possit non amare simplici complacentia aliud; implicat tamen, quòd amet necessariò illud vt *connexum*, quin amet etiam id, cum quo connectitur: quapropter implicat aliquem amare hominem vt connexum cum mortalitate, & non amare ipsam mortalitatem; sed Deus amat necessariò suam omnipotentiam non solùm secundùm se, sed etiam vt connexam cum possibilibus: ergo etiam possibilia, si à Deo sunt, amabilia.

Diximus *dato*, *non concesso*, propter plura exempla, in quibus apparet voluntatem amantem vnum necessariò connexum cum alio non posse non amare id, cum quo connectitur: v.g. Angelus amans necessariò suam substantiam nequit non amare suas proprietates, cum quibus connectitur: beatus diligens necessariò suam beatitudinem nequit non diligere suum *esse* & vitam, sine quibus subsistere nequit: idemque relucet in pluribus alijs.

33 Non minùs efficacitèr refellitur evasio adhibita primæ confirmationi. Tum, quia quando attingentia obiecti non fundatur super aliqua variatione ipsius obiecti, non potest tolli attingentia illius, nisi tollatur entitas ipsius: ideò enim actus liber terminatus ad creaturas existentes est contingens, ipsa entitate invariata permanente, quia obiectum contingens est variabile & causabile ab ipso actu; sed possibilitas creaturarum neque est aliquid contingens, neque causabile à voluntate divina: ergo necesse est, quòd vel Deus diligat eas necessariò, vel varietur entitas actus divini.

34 Denique refellitur solutio adhibita secundæ confirmationi. Nam non obstanti, quòd intellectus sit potentia ex se necessaria, potest necessariò attingere aliquod principium, & contingenter attingere conclusionem non connexam cum illo: econtrà verò implicat attingere principium vt connexum cum conclusione, quin necessitetur ad attingendam ipsam conclusionem: ergo disparitas nulla est. ¶ Et confirmatur: Nam intellectus divinus non solùm cognoscit necessariò creaturas possibiles, quia quid cognoscibile sunt, sed etiam quia cognoscitur necessariò omnipotentia vt connexa cum illis; sed etiam Deus amat ipsam omnipotentiam vt connexam cum possibilibus: ergo, si ista sunt amabilia, etiam debet illa amare necessariò.

§. III.

Argumenta contra primam conclusionem.

35 PRima sententia nostræ primæ assertioni opposita defendit, Deum amare creaturas possibiles affectu quodam inefficaci, seu simplici complacentia. Quam tenent communitèr Patres Societatis. Et probatur *primò* ex D. Thoma 1. Contra gent. cap. 84. *in fine* vbi ait: *Deus non vult nisi ea, quæ sunt, vel possunt esse bona.* ¶ Et confirmatur ex ijs, quæ docet infrà quæst. 37. art. 2. ad 3. his verbis:

Vnde sicut Pater dicit se & omnem creaturam verbo, ita diligit se & omnem creaturam Spiritu sancto. Sed Pater intelligit omnem creaturam possibilem Verbo; ergo diligit omnem creaturam possibilem Spiritu sancto.

Ad argumentum respondetur, D. Thomam loqui ibi de amore possibilium comparativè ad impossibilia, quæ Deus non vult, neque velle potest: in quo sensu idem est ac dicere, quòd Deus, etiò non possit diligere impossibilia, potest tamen diligere possibilia, inquantùm potest eis conferre existentiam. Vel quod defactò diligit futura & existentia, quę in lata acceptione dicuntur possibilia vt contrapositа impossibilibus. Vel potest dici (per quod præcedens interpretatio magis elucidatur) quòd D. Thomas loquitur de *velle* proportionabiliter ad obiecta, itaut ea quæ sunt, velit in actu secundo; ea quæ possunt esse, velit in actu primo: cùm tamen in ordine ad impossibilia neutro modo possit se habere, de quibus erat eius præcipua intentio, vt legenti totum caput constabit. ¶ Ad confirmationem facilius respondetur, quòd intentum D. Thomæ illo in loco solum erat, quòd Pater diligit Spiritu sancto quidquid diligit, sicut dicit Verbo quidquid dicit. Vnde priùs oportebat probare ex ipso, vel absolutè, quòd Deus diligit creaturas possibiles.

36 Arguitur *secundò*: Nam creaturæ possibiles actualiter sunt bonæ: ergo falsum est, quòd non diliguntur á Deo ex bonitatis defectu. Antecedens probatur *primò* ex D. Thoma 3. Contra gent. cap. 20. vbi ait: *Bonum quodammodò amplioris est ambitus, quàm ens. Propter quod Dionys.* cap. 4. *de Divin. nom. dicit, quòd bonum se extendit ad existentia & non existentia.* Item in præs. quæst. 19. art. 6. ad 2. ait: *Deus cognoscit omne ens & verum, non tamen vult omne bonum*: ergo possibilia sunt actu bona. *Secundò*: Bonitas sequitur ens perfectum & integrum; sed possibilia sunt entia integritate essentiali: ergo sunt etiam bona. *Tertiò*: Essentiæ sunt sicut numeri, hoc est in perfectione inęquales, vt docet Philos. ergo quælibet habet suam perfectionem & bonitatem. *Quartò*: Metaphysica scientificè deducit ex ente inter alias passiones bonitatem; sed scientia versatur circa possibilia, quia de eis solùm possunt efformari propositiones æternæ veritatis: ergo sunt bona.

Et confirmatur: Nam nulla est ratio, cur ens dividatur in ens nominalitèr sumptum, & ens participialitèr sumptum; & quòd bonum non gaudeat simili divisione: ergo ad ens nominalitèr sumptum sequitur bonitas nominalitèr sumpta; sed creatura possibilis est ens nominalitèr sumptum: ergo etiam habet similem bonitatem.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad primum testimonium D. Thomę, dicendum est, esse indignum Thomistis illud afferre pro sensu intento ab illis. Quod vt fiat evidentius, notandum est, S. Doctorem cap. illo explanare velle, quid sit bonum, & in quibus entibus possit reperiri: & præmisso dari in substantijs completis & spiritualibus, videlicet in Angelis, procedit ad inquirendum, vtrum sit in compositis ex materia & forma: & respondens affirmativè ait, huiusmodi entia, quæ sunt entia absoluta, esse bona ratione formæ; materiam verò, quæ non est ens nisi in potentia, hoc est, subiectiva, gaudere bonitate ex hoc, quòd importat ordinem ad *esse* ratione formæ. Vnde concludit, quòd bonum se extendit ad existentia & non existentia, id est ad entia completa, quę absolutè per se existunt, & ad materiam, quæ ratione sui non existit. Sed quid inde contra nos? Vide aliam solutionem in D. Thoma 1. part. quæst. 5. art. 2. ad 2. & art. 3. ad 3. || Ad secundum testimonium non minùs constat ex contextu: nam ibi loquitur Ang. Doctor de eo, quod potest habere rationem entis, non tamen est actu ens; ac proinde loquitur de eo, quod potest esse bonum. Per quod constat ad primam probationem.

Ad secundam, admissa maiori (quæ non ex omni parte veritatem attingit, vt videre est in peccato & relationibus, quæ sunt integra in suo ordine, quin in illo bonitate gaudeant) distinguitur minor: *integritate essentiali* subiectivè, nego minorem, cùm supponi debeat esse actu nihil extra Deum: obiectivè, transeat minor: *ergo sunt bona simili bonitate*, vel negatur suppositum; vel concedatur consequentia. Quia solum infertur, quòd creaturæ possibiles habent bonitatem potentialem, non verò actualem omninò ad amorem requisitam. Videatur D. Thomas suprà quęst. 6. art. 3. vbi docet, non ad quamlibet integritatem bonitatem subsequi, sed ad actualem.

Ad tertiam respondetur, quòd essentiæ sunt inæquales in perfectione iuxta capacitatem illarum, itaut si sunt in actu existentes, tunc actu sunt bonæ, & vna actu perfectior est alia: si tantùm sunt in potentia, etiam vna est perfectior alia in potentia. Et eodem modo respondetur ad quartam probationem.

Ad confirmationem respondetur, quòd bonitas eo modo sequitur ad ens, quo illud est ens: ens autem nominalitèr sumptum tantùm est ens in potentia: quare bonitas illi conveniens solùm potest esse bonitas in potentia, quę non sufficit ad terminandum actu divinum amorem.

37 Arguitur *vltimò*: Vt Deus amet creaturas possibiles, sufficit bonitas possibilis: ergo defactò illas amat. Antecedens probatur: Deus vult omnes homines salvos fieri; sed hæc volitio terminatur ad salutem possibilium: nam ex vi illius voluntatis salus nec redditur existens, nec futura: ergo vt Deus amet creaturas possibiles, sufficit bonitas possibilis.

Con-

Confirmatur *primò*: Deus complacet se, imò gaudet efficaciter, de eo quòd omnipotentia sit essentialiter connexa cum possibilibus: ergo etiam amat ipsa possibilia. Antecedens est certum: nam in ea connexione stat summa perfectio. Consequentia verò probatur: Nam implicat amari vnum connexum cum alio reduplicativè vt *connexum*, & hoc non amari: & propterea nullus concedit, Deum diligere materiale peccati vt connexum cum formali, ne inferatur amare ipsum formale: ergo si Deus diligit omnipotentiam vt connexam cum possibilibus, nequit non diligere ipsa possibilia.

Confirmatur *secundò*: Deus odio habet negationem possibilium: ergo amat possibilia. Antecedens videtur certum: nam ex negatione possibilium sequitur negatio omnipotentiæ; constat autem Deum odio habere negationem suæ omnipotentiæ: igitur odio debet habere negationem possibilium. Consequentia vero probatur: Nam odium negativi oritur ex amore affirmativi: quia enim Petrus diligitur, *non esse* illius odio habetur.

Confirmatur *tertiò*: Non minùs bonitas consequitur ens, quàm veritas: ergo sicut in possibilibus non est actu bonitas, ita nec veritas; & tamen veritas possibilis sufficit, vt Deus cognoscat possibilia: ergo etiam sufficit bonitas possibilis ad ea diligenda.

38 Confirmatur *vltimò* pluribus. Primò: nam futura actu sunt nihil; & tamen actu diliguntur à Deo: ergo etiam possibilia diliguntur à Deo, estò actu sint nihil. *Secundò*: Nam nos quando abstrahimus vniversalia, eavel diligimus, vel possumus diligere; & tamen non dicunt ordinem ad *esse*: ergo idem de possibilibus dici debet. *Tertiò*: Possibilia sunt actualiter perfectiva intellectus, cùm pertineant ad dandam speciem intellectui; sed omne perfectivum potest actualiter amari: ergo possibilia sub statu possibilitatis possunt actualiter amari.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum est, amorem illum, quo Deus vult omnes homines salvos fieri, non terminari ad salutem purè possibilium, sed ad salutem futuram futuritione absoluta, estò inchoata, vel futuritione conditionata. Quod perspicuum fiet ex eo, quòd prædictus amor est effectivus, quia ex eo oriuntur auxilia sufficientia; constat autem, iuxta sententiam contrariam, amorem terminatum ad possibilia nullo modo esse effectivum, sed simplicem complacentiam: ergo non terminatur ad salutem purè possibilium. Ex quo infertur, salutem omnium habere aliquam bonitatem in determinatione causarum, & ratione illius potest terminare divinum amorem.

39 Ad primam confirmationem respondetur, retorquendo illam in Adversarios. Nam Deus gaudet efficaciter de eo, quòd omnipotentia sit essentialiter connexa cum possibilibus: si ergo ex vi huius connexionis diligere etiam debet possibilia, erit vtique amore efficaci; quod negant Adversarij. Igitur ex connexione extremorum in *esse rei* non sequitur simultas in amabilitate, nisi alias supponantur intra limites potentiæ affectivæ: quod de possibilibus verificari nequit, cùm in se subiectivè nihil sint. Exemplum de materiali peccati, si sumatur secundùm se, probat, quod intendimus; si sumatur formaliter vt *connexum*, nihil obest: quia entitas peccati reduplicativè vt connexa cum deformitate est intra lineam mali moralis saltem fundamentaliter, & ob hanc rationem optimè arguitur, quòd amans materiale etiam amat formale malitiæ.

Ad secundam respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicimus, quòd sicut expositione possibilium infertur à posteriori positio omnipotentiæ, & tamen asserimus Deum amare omnipotentiam, quin amet possibilia; ita ex negatione possibilium sequitur à posteriori negatio omnipotentiæ, quin ex hoc valeat inferri, quòd Deus, odio habens negationem omnipotentiæ, odio habeat negationem possibilium. *Maximè*: Quia frequenter odio habetur aliquod obiectū, non solum propter amorem illius, cui immediatè opponitur, sed etiam propter illud, cui contrariatur mediatè: vt videre est in peccato actuali læthali, quod nedum destruit immediatè actum bonum, sed etiam gratiam, ob cuius mediatam destructionem est valde abominabile.

40 Ad tertiam respondetur, concedendo primum enthymema, & etiam minorem sumptam; sed negando consequentiam. Propter notam disparitatem, quam tradit D. Thomas in hac q. 19. art. 6. ad 2. per hæc verba: *Dicendum, quòd actus cognoscitivæ virtutis est secundùm quòd cognitum est in cognoscente: actus autem virtutis appetitivæ est ordinatus ad res, secundùm quòd in seipsis sunt. Quod autem potest habere rationem entis & veri, est virtualiter in Deo, sed non totum existit in rebus creatis. Et ideò Deus cognoscit omne verum, non tamen vult omne bonum, nisi inquantùm vult se, in quo virtualiter omne bonum existit.* Quam solutionem vt rectè percipias: Observa; hoc esse discrimen inter obiectum intellectus & voluntatis, quòd obiectum intellectus non attingitur ab eo, nisi prout ratione alicuius entis in actu trahitur ad ipsum, videlicet ratione speciei. Et ob hanc rationem si de obiecto, quod non datur in se actualiter existens, possibilis est species, non est cur intellectus non habeat cognitionem de illo: quia veritas transcendentalis & obiectiva, quæ illi deest ex proprijs meritis, suppletur per hoc, quod est esse actu in tali specie: Cùm igitur Deus habeat actu speciem

de possibilibus, & eam Angelis in prima sui conditione infundat, hinc est, quòd intellectus tam divinus, quàm creatus actualiter cognoscunt possibilia non absque actuali veritate obiectiva, cùm sit in specie, sed præcisè absque eo, quòd detur in se in *esse* naturali: Neque hoc exigit potentia intellectiva, nisi quando ab obiecto speciem capit, vel quando ipsum intuitivè cognoscit. At obiectum voluntatis non illam terminat, nisi prout est in se vel reverà, vel in apprehensione. Unde quia possibilia in se nihil sunt, neque à Deo possunt apprehendi ad modum entis in actu, Deus nequit ea diligere.

41 Ad quartam, quæ pluribus constat, singillatim respondetur. *Ad primum ergo*: Dicimus, futura ideò diligi à Deo, quia dicunt aliquem ordinem exercitum ad existentiam; qui possibilibus denegatur. *Ad secundum*: Potest dici, quòd universalia possunt considerari: vel præcisivè, & tunc comparantur possibilibus: vel cum ordine ad *esse* mediantibus individuis, à quibus practice participantur. Si primo modo considerentur, non sunt diligibilia, sicut nec creaturæ possibiles: secundo modo possunt amari, sicut ipsa individua. Vel dic cum Ferre, quòd in universalibus est considerare & entitatem, & statum: si considerentur secundùm entitatem, possunt diligi: quia sæpè physicè existunt, vtpotè cum individuis identificata. Si verò considerentur secundùm statum, sunt entis rationis, & propterea non sunt odibilia aut amabilia. *Ad tertium*: Respondetur, iuxta dicta num. præced. quòd possibilia non sunt perfectiva intellectus, nisi ratione speciei actualiter existentis, ante cuius receptionem est omnimodò in potentia. Sed tunc erunt existentia ratione illius, nec remanent in statu possibilitatis. Et quòd in tali casu diligitur, non est obiectum, quod media specie repræsentatur; sed vel cognitio, in quam influit, vel intellectus vt specie actuatus, vt patet evidenter in cognoscentibus malum & peccatum.

§. IV.

Argumenta contra secundam conclusionem.

42 SEcunda sententia nostræ secundæ conclusioni opposita docet, Deum amare liberè possibilia. Pro quâ refertur Scotus in 3. dist. 32. quæst. vnic. art. 3. & alij iuniores ex eadem familia, & ex Societate. Et arguitur *primò*: Quia nulla bonitas finita potest necessitare ad amorem divinum; sed, suppositâ in possibilibus bonitate amabili, hæc est finita: ergo nequit necessitare Deum ad ea amanda. Maior, in qua tolùm est difficultas, constat ex dictis duobus dubijs præcedentibus, in quibus docuimus solum esse proprium infiniti & summi boni necessitare voluntatem tam divinam, quàm creatam.

Et confirmatur *primò*: Nam creaturæ existentes plùs habent de bonitate quàm possibiles, sicut plùs habent de entitate & actualitate; sed Deus non amat necessariò creaturas existentes: ergo nec possibiles. ¶ Confirmatur *secundò*: Voluntas nostra non amat necessariò possibilia, quamvis supponantur bona & amabilia: ergo nec voluntas divina. Patet consequentia: quia voluntas divina est independentior à bono creato & finito.

Ad argumentum respondetur negando maiorem. Quia bonitas finita quamvis nequeat necessitare voluntatem divinam ex titulo bonitatis, potest tamen eam necessitare ex titulo connexionis necessariæ cum bono infinito & satiativo. Bonitas autem possibilium (si reipsâ est in illis) est talis conditionis, quòd connectatur essentialiter cum bono infinito: vnde amor divinus primariò terminatur omnimoda necessitate ad bonum divinum, & secundariò eadem necessitate ad possibilia.

Ad primam confirmationem respondetur, concessis præmissis, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia possibilia connectuntur necessariò cum omnipotentia, secùs verò existentia: Et hoc sufficit, vt possibilia amentur à Deo necessariò, non verò existentia, etiò plus habeant de perfectione. ¶ Ad secundam respondetur, quòd voluntas nostra potest considerari in duplici statu, vel in statu viæ, vel in statu beatorum. Fatemur equidèm, quòd in primo statu sicut Deum non diligit necessariò, ita nec creaturas possibiles. An in statu patriæ sicut diligit Deum necessariò, ita diligit necessariò creaturas possibiles, eò proportionali modo quo intelligit necessariò illas.

43 Arguitur *secundò*: Nam si Deus diligeret necessariò possibilia, æqualiter diligeret omnia, imò æqualiter diligeret quamlibet creaturam possibilem ac suam bonitatem; hoc videtur falsum: ergo nequit diligere necessariò possibilia. Sequela patet: nam dum voluntas fertur necessariò in aliquod obiectum, fertur in illud secundùm vltimum suæ potentiæ, quia fertur in illud per modum naturæ. Minor verò probatur: Tum, quia bonitas divina est plus diligibilis quàm quælibet creatura possibilis; imò, suppositâ bonitate in possibilibus, vna creatura possibilis est plus diligibilis quàm alia; cùm bonitas divina sit perfectior omnibus possibilibus, & vna creatura possibilis sit perfectior alia ergo nequit Deus æqualiter diligere creaturas possibiles inter se, nec collatas cum bonitate divina.

Et confirmatur: Nam eò amaret Deus necessariò creaturas possibiles, quia omnipotentia connectitur necessariò cum illis; sed hæc ratio est nulla: cùm Deus gaudio efficaci complaceat

in

in bonitate sua, & non in possibilibus: ergo possibilia necessariò non amat.

Ad argumentum respondetur, negando sequelam maioris. Quia, vt rectè probat argumentum, bonitas divina, cùm sit perfectior creaturis possibilibus, & vna etiam sit perfectior alia, nequit non Deus ex parte obiecti plus diligere bonitatem suam quam possibilia, & vnam creaturam possibilem præ alia: Vnde estò hæc omnia amet necessariò, amat tamen illa pro meritis suæ naturæ. ¶ Adde pro bonitate divina, quòd cùm bonitas creaturarum non ametur nisi ratione bonitatis divinæ, quæ est obiectum primarium, plus debet diligere bonitatem divinam quam possibilium: iuxta illud, *Propter quod vnumquodque tale &c.* Verum quidem est, quòd ex parte actus æquè diligeret bonitatem suam & possibilia, quia vno & simplicissimo actu tendit in ea: sicut ex parte actus æque diligit omnes creaturas existentes, vt docet D. Thomas in hac 1. part. quæst. 20. art. 3. sed hoc non tollit, quòd inæqualitèr ex parte boni amati plùs diligatur bonitas divina, quam omnes creaturæ possibiles, & vna creatura possibilis plùs quàm alia.

Per quod constat ad confirmationem. Nam cùm Deus amet obiecta iuxta eorum capacitatem, fiat optimè, quòd complaceat gaudio efficaci de sua bonitate, quia capax est terminandi prædictum amorem; & quod solùm diligat simplici complacentia possibilia, cuius præcisè capacia sunt. Et hoc & non amplius sequitur ex connexione omnipotentiæ cum possibilibus: Sicut ex titulo connexionis Deus cognoscens necessariò suam essentiam, necessariò cognoscit possibilia: non verò ex vi connexionis infertur, quòd si intuitivè cognoscit suam essentiam, intuitivè cognoscat possibilia.

44 Arguitur *vltimò*: Voluntas dicit necessariam habitudinem in obiectum, quod necessariò amat; sed implicat voluntatem divinam dicere habitudinem ad creaturas: ergo non diligit necessariò possibilia. Minor probatur. Si voluntas divina diceret habitudinem ad creaturas, speciem caperet ab eis: Tum, quia omnis habitudo specificatur à termino, quem respicit: Tum etiam, quia prædicta habitudo terminata ad possibilia esset per modum affectionis, & non effectionis, vt ex se liquet; sed habitudo terminata per modum affectionis ad aliquod obiectum specificatur ab eo: ergo specificaretur à creaturis: non ergo ad eas dicit habitudinem.

Respondetur, quòd sicut scientia divina terminatur necessariò ad creaturas possibiles, quin dicat habitudinem realem ad eas, sed tantùm rationis; ita de voluntate dicendum foret, in suppositione quòd illas amaret. Et sicut scientia divina terminatur ad eas tanquam ad obiectum secundarium, & non tanquam ad obiectum specificativum, estò terminetur ad illas necessariò, ita de voluntate discurrendum est in illa hypothesi. Per quod constat ad primam probationem. *Ad secundam*: Potest dici *primò*, quòd amor Dei terminatus ad creaturas possibiles esset affectionis erga bonitatem divinam, & effectionis virtualis erga creaturas; ad hunc sensum, quòd si essent capaces, vt à voluntate divina suam bonitatem participarent, ab illo amore complacentiæ illam participarent. Sed reverà (& dicitur *secundò*) esset formaliter affectionis erga creaturas, ac proinde specificaretur ab eis, vt rectè probat argumentum. Sed quid mirum, cùm ex impossibili sequatur quodlibet. Et hoc inconveniès deglutire debent quotquot admittunt, amorem Dei terminari ad creaturas.

DUBIUM IV.

Vtrùm voluntas divina potuerit ab omni actu manère suspensa circa creaturas?

45 CErtum omninò est, voluntatem divinam esse liberam libertate contradictionis erga productionem creaturarum, vt ostendimus dub. 2. Libertas tamen contradictionis solet dupliciter explicari: vel per indifferentiam ad obiecta contradictoriè opposita, nempè per indifferentiam ad *esse*, & *non esse* Petri: vel per indifferentiam ad actum, & negationem illius. Nulli est dubium, quòd voluntas Dei sit libera libertate contradictionis, si in primo sensu accipiatur, quia liberum fuit velle positivè *esse*, vel *non esse* Petri. Difficultas ergo procedit de libertate contradictionis in secundo sensu explicata quod idem est ac inquirere: An in Deo possit dari exercitium formale libertatis absque omni actu positivo? Et vt magis hæc difficultas vrgeat, debet supponi per modum permissionis, quòd voluntas creata possit se exercere liberè per puram omissionem.

§ I.

Controversiæ resolutio.

46 DIcendum est, voluntatem divinam non posse circa creaturas manere suspensam ab omni exercitio positivo sui ipsius. Hanc conclusionem tenent Ioannes à Sancto Thoma in præs. disp. 4. art. 6. a num. 21. Zamorensis in præs. Ferre quæst. 5. §. 13. Bolivar dub. 4. Carrasco dub. 5. Lardito tract. 2. dub. 5. Palanco quæst. 7. N. Salm. disp. 5. dub. 3. qui pro eadem referunt alios gravissimos Theologos tàm intra, quam extra Scholam D. Thomæ.

Et probatur ratione fundamentali: Nam voluntas divina in ratione *libertatis* nequit erga aliquod obiectum manere imperfecta; sed voluntas, nullum actum positivum exercens erga ob-

obiectum volibile aut nolibile debitè propositũ ab intellectu, maneret imperfecta in ratione *libertatis*: ergo voluntas divina nequit manere suspensa ab omni actu positivo erga creaturas in ordine ad existentiam. Minor probatur: Scientia non posset non manere imperfecta, si non se extenderet actu ad aliquod obiectum scibile: ergo etiam voluntas, nullum actum positivum exercens erga obiectum volibile & nolibile debitè propositum ab intellectu, maneret imperfecta. Consequentia probatur: tum ob maximam sympathiam inter intellectum & voluntatem. Tum etiam: quia non minùs desideratur ad perfectionem voluntatis attingere in actu secundo omne volibile aut nolibile, quàm ad perfectionem intellectus attingere in actu secundo omne scibile: ergo sicut scientia non esset infinitè perfecta, in suppositione quòd non attingeret in actu secundo omne scibile, ita voluntas non esset infinitè perfecta, si non se extenderet positivè ad omne volibile & nolibile.

47 Dices cum Adversarijs, esse notam disparitatem inter intellectum, & voluntatem: nam cùm intellectus feratur necessariò in res scibiles, nequit non ad eas actu terminari, suppositâ earum scibilitate: At creaturę sunt sunt liberè volibiles & nolibiles à voluntate divina: quare potest, salva eius infinita perfectione, terminari actu ad eas, & non terminari.

Sed vt hæc solutio efficaciter refellatur: Supponendum est, quòd libertas Dei, quamvis non addat perfectionem distinctam supra perfectionem entitatis necessariæ, reipsà tamen est perfectio, itaut ex defectu libertatis rectè argueretur defectus alicuius perfectionis propriæ voluntatis divinæ. In qua suppositione, refellitur *primò*: Nam nequit stare perfectissima libertas, qualis est libertas voluntatis divinę, nisi sit libertas per modum actus secundi; sed si voluntas merè negativè aut suspensivè se haberet erga aliquod obiectum volibile aut nolibile, non esset libera in actu secundo; ergo. Minor probatur: Nam voluntas in signo *A* prȩcedente signum *B* volitionis, vel nolitionis, sivè suspensionis liberæ non habet resolutionem vltimatam, seu per modum actus secundi, vt fatentur Adversarij; sed ex suppositione quòd nullus actus positivus exerceatur ab ipsa, remanet pro omni signo sicut est in illo priori, quia quantùm est ex se manet in potentia ad actum volitionis & nolitionis: ergo non esset libera in actu secundo.

Et confirmatur *primò*, præcludendo communem evasionem Adversariorum. Nam exercitium liberum tantùm interpretativum & indirectum est imperfectissimum exercitium in ratione libertatis; sed Deo nequit concedi exercitium libertatis, nisi perfectissimum: ergo vel voluntas divina non est libera in actu secundo, quando merè suspensivè & negativè se habet erga obiecta volibilia, vel est libera libertate imperfecta.

Confirmatur *secundò*, & quidem vrgentiùs, refellendo paritèr exercitium purè interpretativum, ad quod communitèr effugiunt Adversarij: Nam voluntas divina nequit constitui in ratione *liberæ* in actu secundo per omissionem omnis terminationis positivæ; sed huiusmodi est suspensio ab omni actu libero positivo: ergo &c. Maior probatur: Voluntas divina nequit constitui libera in actu secundo per exercitium à se distinctum; sed omissio omnis terminationis liberæ positivę nequit non distingui ab ipsa voluntate divina, cùm sit privatio actus divini: ergo nequit constitui libera in actu secundo per omissionem omnis terminationis positivæ.

Confirmatur *vltimò*: Nam terminatio scientiæ divinæ ad res futuras est omninò libera non addens perfectionem distinctam supra seipsam vt terminatam ad ipsum Deum & creaturas possibiles; & tamen, si merè suspensivè se haberet erga eas, argueretur imperfectio positiva ex parte sui, quia deficeret terminatio positiva & actualis ad omne scibile: ergo etiam voluntas divina maneret imperfecta positivè, si merè suspensive se haberet in ordine ad aliquod obiectum volibile aut nolibile, quamvis liberè terminetur ad illud.

48 Nec proderit recursus ad volitionem reflexam, qua velit suspendere omnem actum positivum directè terminatum ad creaturas. Non (inquam) proderit: Nam quodlibet possibile est per se, & directè volibile in ordine ad existentiam à divina voluntate: ergo divina voluntas neque esset summè actualis, neque infinita, nisi habeat actum positivum, quo directè & per se velit *esse* vel *non esse* illius. Probatur consequentia: Nam voluntas, cui deficit actualitas vltima, seu vltima resolutio circa suum obiectum, non est summè actualis, neque est infinita, si deficit ei extensio possibilis: sicut nec scientia est infinita & summè actualis, si non terminatur per se & directè ad obiectum per se & directè scibile; sed voluntati, quæ nihil determinatè & positivè vellet resolvere erga obiectum directè & per se volibile, sed positivè vellet se non determinare & resolvere, deficit actualitas vltima seu vltimata resolutio erga illud, vt ex ipsis terminis liquet: ergo neque esset summè actualis, neque infinita, si se suspenderet erga creaturas, vtpotè volibiles in ordine ad existentiam.

49 Dices: Actus divinæ voluntatis, qui directè terminatur ad existentiam, est directè & positivè volibilis à Deo; & tamen Deus non habet actum, quo velit aut non velit ipsum directè: ergo idem potest dici de creaturis. ¶ Respondetur, quòd in actibus voluntatis creatæ verum est, quòd actus est ab ipsa directè volibilis propter suam limitationem: & hinc oritur quòd quandoque voluntas creata per alium actum distinctum & per reflexionem formalem

velit

velit hniusmodi actum, & quandoque per seipsum & per reflexionem virtualem. Actus verò voluntatis divinæ ob oppositam rationem non est per se & directè volibilis ab ipsa; & ita actus, quo Deus diligit seipsum, non est volitus per alium actum, sed directè tetminatur ad ipsum Deum, & per reflexionem virtualem aut eminentialem terminatur ad seipsum: Neque in Deo potest habere locum aliud genus reflexionis. Cœterùm creaturæ sunt directe volibiles aut nolibiles à Deo in ordine ad *esse*: & propterea vel voluntas divina non potest manere suspensa erga eas; vel non habet omnem extensionem & actualitatem sibi possibilem.

§. II.

Sententia contraria.

50 VOluntatem divinam potuisse ab omni actu libero manere suspensam, affirmant Godoy disp. 55. & Genet disp. 3. dub. 4. & alij Recentiores Thomistę. Pro qua sententia refertur Scotus in 1. dist. 41. *circa finem*, & Aureol. ibidem art. 3. Et arguitur *primò* ex D. Thoma in hac quæst. 19. art. 3. vbi erga creaturas nullum actum necessarium agnoscit: ergo contra mentem D. Thomæ agit, qui adstruit in Deo necessitatem ad aliquem actum positivum vagè. ¶ Et confirmatur ex his, quæ docet art. 10. ad 2. vbi ait: *Et tamen ad oppositum se habet, inquantùm velle potest hoc esse, vel non esse: sicut & nos non peccando possumus velle sedere, & non velle sedere*; sed nos possumus non velle sedere per omnimodam omissionem actus: ergo etiam Deus potest non velle aliquod obiectum volibile per omnimodam negationem & suspensionem actus.

Ad argumentum respondetur, sensum D. Thomæ esse, nullum actum divinum determinatum esse necessarium, sed perfectissimè liberum. Cuius libertas optimè stare potest cum necessitate voluntatis ad aliquem actum vage: sicut in sententia contraria Deus est necessitatus ad aliquod exercitium liberum vagè, quin ob hoc desinat esse perfectissimè liberum. ¶ Ad confirmationem respondetur, D. Thomam consultò non dixisse, quòd Deus potest hoc velle, & non velle, sed quod potest velle hoc esse, & non esse. Qui vltimus modus loquendi valde diversus est à primo: nam per primum denotari potest, Deum purè omisivè se habere erga *esse*, sed per posteriorem apertè declaratur tendentia positiva ad *non esse* Paritas autem tantum adducitur ad demonstrandum, quòd in Deo datur indifferentia ad vtrumlibet, quorum neutrum est peccatum; sicut in nobis indifferentia ad *sedere*, & *non sedere*, vt legenti textum constabit.

51 Arguitur *secundò*: In signo, quo Deus decrevit salutem prædestinati, merè negativè se habuit circa reprobum in ordine ad æternam salutem nunquam futuram: ergo divina voluntas potest merè negativè se habere erga obiectum non liberum. Antecedens probatur: Deus in eo signo non prævidet demerita reprobi: ergo nihil decernit in eo erga eius salutem. Patet consequentia. Tum, quia hoc derogaret summæ pietati divinę: Tum, quia non congruit cum illa voluntate, qua vult omnes homines salvos fieri.

Respondetur *primò*, quòd in illo signo vel salus reprobi est non futura positivè; vel non est? Si dicatur hoc secundum: fatemur non habere decretum positivum de illius non futuritione; Sed nil mirum, cùm ad illud signum non pertineat habere vllum decretum erga salutem reprobi non futuram. Neque propriè potest dici, voluntatem divinam habere suspensionem liberam erga eam: sicut voluntas considerata quasi in actu primo non dicitur suspensa liberè, estò nullum decretum liberum habeat erga obiectum volibile: quia ad signum, in quo concipitur voluntas quasi in actu primo, non pertinet vllum exercitium libertatis. Si dicatur primum: à fortiori debet habere decretum positivum erga salutem reprobi vt non futuram positivè: quia non futuritio positiva necessariò pendet à decreto positivo. ¶ Respondetur *secundò*, ex hoc argumento sequi, defactò datam fuisse suspensionem negativam in voluntate divina in signo illius libertatis: quod adhuc Adversarij non concedunt. ¶ Respondetur *tertiò*, & melius, quòd erga reprobos Deus habet duplicem voluntatem positivam: aliam, qua vult reprobos excludere á regno, & negare eis hoc beneficium indebitum: alteram, qua vult eis infligere pœnam propter demerita. Inter quas hoc versatur discrimẽ, quòd ad primam non requiritur præcessisse demerita vt *prævisa*, & sic in signo prædestinationis electorum datur hæc positiva voluntas in Deo erga reprobos, & consequenter non se habet merè negativè in eo: Ad secundam verò oportet, quòd prævideantur demerita. Nulla tamen ex his voluntatibus est incompossibilis cum voluntate sincera, qua Deus vult omnes salvos fieri, & cum divina pietate: quia stat cum vtraque voluntate, quòd Deus habeat aliam tertiam, qua conferat omnibus auxilia sufficientia, quæ ad salutem consequendam desiderantur; quibus collatis, per hominem stat, quòd illam non consequatur. Sed de hoc operosiùs infra.

52 Arguitur *tertiò* ex Godoy: Complexum ex futuritione & non futuritione rerum non habet bonitatem necessariam: ergo voluntas Dei non est necessitata ad amandum vagè *fore*, vel *non fore* earum. Consequentia constat: quia voluntas divina solùm necessitatur ad bonum necessarium. Antecedens autem probatur: Negatio

tio futuritionis non est bona, cùm potius sit carentia bonitatis; futuritio autem non est bona bonitate necessaria: ergo complexum illud non habet bonitatem necessariam.

Et confirmatur: Si divina voluntas non posset manere suspensa, sequitur, quòd actus, quo vellet *fore*, vel *non fore* creaturarum, esset necessarius; sed hoc repugnat: ergo. Minor probatur: Repugnat Deum velle priùs *fore*, vel *non fore* creaturarum, quàm terminari ad Spiritum-sanctum; sed si huiusmodi actus est necessarius ad *fore*, vel *non fore* creaturarum, priùs terminaretur ad *fore*, vel *non fore* earum, quàm ad Spiritum-sanctum, quia priora sunt in Deo prædicata essentialia & absoluta, quàm relativa: ergo.

Ad argumentum respondetur *in primis* retorquendo illud in Adversarios: Nam complexum ex futuritione, & non futuritione, & suspensione non est bonitas necessaria, ob eandem rationem, qua complexum ex futuritione, & non futuritione; & tamen voluntas divina in eorum sententia necessitatur ad habendam volitionem, nolitionem, vel suspensionem, itaut quælibet pars, ad quam determinatè applicetur, sit formaliter libera: ergo pariter, estò in cõplexo ex futuritione & non futuritione privativa non sit bonitas necessaria, poterit voluntas divina necessitari ad volitionem aut nolitionem positivam. *Item*: Si quia negatio futuritionis non est bona, & futuritio non est bonitas necessaria, voluntas Dei potest manere suspensa, sequitur, quòd defactò manserit suspensa circa possibilia, quæ defactò futura non sunt absolutè aut conditionatè, quia negatio futuritionis nequit, vt inquit arguens, terminare actum positivum. ¶ Tandem respondetur, quòd necessitas voluntàtis divinæ ad volitionem, aut nolitionem positivam non sequitur ex eo, quòd in illo complexo ex futuritione, & non futuritione reperiatur bonitas necessaria, sed ex eo quòd illud complexum ex futuritione, & non futuritione est volibile à Deo, & voluntas divina debet esse actualissima, & habere debet titulo supremæ suę perfectionis extensionem positivam ad omne volibile, vel per volitionem, vel per nolitionem. *Maximè*: Quia sicut nullum est instans reale, in quo creatura vlla sit, vel non sit positivè; ita nullum debet esse instans reale, in quo voluntas divina velit, vel non velit positivè illam in ordine ad existentiam: quia sivè *esse*, sivè *non esse* illius debet dependere à voluntate Dei.

53 Ad confirmationem respondetur, quòd licèt actus divinæ voluntatis sit necessitatus ad volendum *fore*, vel *non fore* creaturarum vagè sumptum, non tamen determinatè: porrò voluntas divina non terminatur ad creaturam, prout dicit *fore*, vel *non fore* vagè sumptum; & cùm terminatio ad Spiritum-sanctum sit necessaria, necesse est, quòd præcedat omnem terminationem actualem ad creaturam: quia nimirùm terminatio actualis vaga non datur; & terminatio actualis determinata est omninò libera. Et instatur in sententia contraria, statuente necessitatem in voluntate divina ad volitionem, nolitionem, aut suspensionem puram voluntariam; quin ex hoc possit argui, quòd aliquod ex his exercitijs sit priùs in voluntate, quàm processio Spiritus-sancti.

54 Neque ex hoc inferas, Spiritum-sanctum habere à se libertatem in actu secundo, & non per processionem, sicut eam habet Pater. Nam (præterquàm quòd hæc replica pariter vrget in sententia Adversariorum) Pater communicat filio, & Pater & filius Spiritui-sancto prædicata necessaria, & libera, ordine quo habet ipse Pater: vnde cùm in Patre priùs sint prædicata necessaria quàm libera, prius intelligitur Patrem communicare Verbo, & Spiritui-sancto prædicata necessaria, quàm habere in se prædicata libera: quæ semel à se habita in sequenti signo, communicat vtrique personæ ab eo procedenti: Et sic processio vniuscuiusque finitur, quin ibi interveniat reipsà alia prioritas, nisi originis.

55 Arguitur *quartò*: Vt effectus non sit futurus, non requiritur actio ex parte alicuius potentiæ divinæ: ergo divina voluntas potest negativè se habere circa creaturas non futuras. Antecedens probatur: Tum quia *non esse* non petit ab vllo produci, cùm sit nihil. Tum etiam: nam vt res sit, requiritur actus: ergo, eo ipso quòd huiusmodi actus non sit, res non est: ergo non requiritur actus positivus ad *non esse*. Tum denique: Non magis pendet à Deo *non esse* effectus ab ipso producibilis, quàm *non esse* effectus producibilis à creatura; sed vt sit *non esse* effectus producibilis à creatura, non requiritur aliqua illius actio: ergo similiter in Deo.

Et confirmatur: Quia nulla imperfectio est in suspensione ab omni actu: ergo voluntas divina potest manere suspensa ab omni actu. Antecedẽs probatur: Tum, quia misericordia, iustitia, omnipotentia, & subsistentia substantia divina absque vlla imperfectione possunt manere suspensæ ab omni exercitio positivo, quod possunt exercere erga creaturas: ergo nulla imperfectio est in suspensione ab omni actu. Tum etiam: quia ideò absque imperfectione potuit Deus non habere volitionem Petri, quam habet, quia talis volitio non addit perfectionem supra actum necessarium; sed neque nolitio illam addit: ergo sine imperfectione potest manere suspensa voluntas divina.

Ad argumentum respondetur: fatendo, quòd non requiritur aliqua actio ex parte causæ, vt effectus non sit, si attendantur merita ipsius obiecti; requiritur tamen, si attendatur perfectio ipsius causę. Igitur, vt salvetur infinita ex-

extensio & perfectissima libertas in voluntate divina, omninò requiritur in ea actus, quo velit effectum non esse, vt §. præcedenti ostensum est. Et per hoc patet ad omnes probationes. *Maximè*: Quia licèt *non esse* effectus vtcumque non petat actionem ex parte voluntatis; petit tamen eam, si sumatur contrariè, aut per modum obiecti liberi.

56 Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem potest negari suppositum antecedentis: quia suspensio ab omni actu non pertinet ad perfectiones in ea recensitas. Quod vt calleas, & discrimen inter eas perfectiones, & voluntatem percipias: Scito, quòd misericordia (& idem intellige potiori titulo de subsistentia) non est formaliter libera, quia non inclinat ad miserendum & eius oppositum, sed vnicum eius exercitium est *misereri* iuxta præscriptum voluntatis determinantis, providentiæ gubernantis, & sapientiæ dirigentis: vnde adsummùm est libera imperativè, inquantùm subordinatur diuinæ libertati. Cæterùm voluntas cùm sit formaliter libera, itaut in ratione *liberæ* nulli alteri attributo subordinetur, debet esse indifferens ad vtrumlibet, ad *esse* videlicet effectus, & *non esse*: vnde non minùs *non esse* effectus est materia attingibilis à voluntate, quàm *esse* illius: cùm ergo libertas eius sit perfectissima & infinita, petit positive attingere tàm *esse* effectus, quàm *non esse* illius. Et hinc oritur, quòd nulla imperfectio sit in misericordia non habere actualem aliquam terminationem erga suum obiectum materiale; esset tamen imperfectio in voluntate divina, si omni terminatione actuali careret erga suum obiectum materiale, quodcumque illud sit. *Ad secundam probationem*: Respondetur, quòd licèt volitio aut nolitio libera Dei non addat perfectionem supra actum necessarium, est tamen summa perfectio voluntatis diuinę habere terminationem aliquam positivam ad creaturas, sivè per volitionem, aut nolitionem: sicut nulla perfectio superadditur Deo per relationem, neque scientię diuinę per attingentiam futurorum; & tamen summa perfectio Dei est se communicare relationibus, & scientiæ attingere futura, itaut ex defectu prædictæ communicationis & attingentiæ argueretur in Deo positiva imperfectio.

57 Arguitur *vltimò*: Voluntas divina de facto manet suspensa erga infinita futura conditionata contingentia: ergo potuit manere suspensa erga omnia futura absoluta. Consequentia, si ratio nostræ conclusionis est efficax, à paritate constat. Et antecedens probatur: Nam superfluum, imò & ridiculum est ponere in Deo tot decreta conditionata, quot sunt combinationes rerum, quæ nullam prorsùs connexionem habent: vt *si Turca dormit in Asia, Petrus cantabit Salmanticæ*, & alia (vt aiunt) mentis deliria.

Ad hoc respondetur, quòd hoc argumentum vel intendit probare repugnantiam horum decretorum; vel supponit possibilitatem? Si dicatur primum, non oppugnat nostram sententiam, neque firmat oppositam: hæc enim intendit, quòd voluntas divina possit liberè se exercere per omissionem omnis actus: si igitur decretum aliquod est impossibile, omissio illius nequit esse libera, vt ex se liquet. Si dicatur secundum, huiusmodi decreta subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata neque superflua neque otiosa sunt, neque humanæ mentis deliria, sed omninò necessaria: sicut otiosum non est, sed omninò necessarium, quòd intellectus divinus ea cognoscat. *Maximè*: Quia Deus non potest perfectissimè exercere suam libertatem erga ea, nisi habeat decreta positiva ad ea terminata: quia quoad hoc eadem est ratio de futuris absolutis ac de conditionatis adhuc disparatis, si semel possunt terminare actum voluntatis divinæ: neque prædicta futura haberent determinatam veritatem aut falsitatem. Sed de hoc iterum, & ex proposito redibit sermo.

DUBIUM V.

In quo consistat actus liber Dei?

58 INter omnes huius disputationis difficultates præcipua, & in Theologia valde celebris est assignare constitutivum decreti liberi Dei, & meritò vt ab omnibus viatoribus in intelligibilis iuxta gravissimos Doctores censeatur. Cuius difficultas est potissimè in conciliandis duobus principijs fide divina certis, & lumine naturali notis. Primum est, quòd Deus habet liberum arbitrium (quod probatum manet ex dictis dubijs præcedentibus) Secundum, quòd est omninò immutabilis (pro quo videri debent dicta tract. 1. disp. 5. num. 1.) Ex his ergo oritur ratio dubitandi. Nam quodlibet prædicatum intrinsecum Dei, vtpotè omninò identificatum cum ipso, est omninò necessarium & indefectibile, sicut ipse Deus; sed de ratione actus liberi est ita esse, vt possit non esse: ergo vel Deus non est immutabilis; vel non est formaliter liber. Hæc difficultas (inquam) difficillima est, sed non propter eius arduitatem omittenda, sed potius alijs præferenda: ad quam superandam, opem divinam imploramus, præunte simul doctrina Ang. Præcept. Et in primis supponendum est, quod in hac controversia omni difficultate caret: deinde rejiciendæ sunt sententiæ, quæ nodum istum difficillimum non tangunt: & tandem mentem nostram aperiemus.

***

§. I.

Quædam suppositio.

59 SUpponendum est, voluntatem divinam, vt dicit conceptum *libertatis* in actu primo, non distingui virtualiter à seipsa, prout exprimit conceptum *naturæ*, considerata etiam in actu primo. Hæc suppositio (quæ claritatis gratia supponit aliam, etsi falsam, videlicet voluntatem divinam distingui virtualiter à suo actu secundo) est consona principijs D. Thomæ, & communiter recepta ab eius discipulis. Et ratione suadetur: Nam in divinis non datur distinctio virtualis in potentijs, vbi stat idem obiectum formale; sed voluntas divina vt *natura*, & vt *libertas* habet idem obiectum formale: ergo. Minor probatur: Obiectum adæquatum voluntatis diuinę est bonitas diuina: creaturę enim solùm pertinent ad obiectum materiale & secundarium illius: ergo tam vt *natura*, quàm vt *libertas* respicit per se primò & vt obiectum adæquatum formale bonitatem divinam.

60 Neque effugies difficultatem dicendo, quòd estò bonitas diuina sit obiectum adæquatum formale voluntatis diuinæ, ipsa tamen bonitas diuina secundùm se, & vt est ratio diligendi creaturas sunt duo obiecta formaliter diuersa, itaut sub prima consideratione specificet voluntatem, vt natura est, & sub posteriori ipsam voluntatem, vt est libertas. Non (inquam) effugies: Tum, quia voluntas creata non respicit vt obiecta formaliter diuersa duo bona, quorum vnum sit liberè attingibile, & aliud naturaliter, sed tantùm respicit ea vt obiecta inadæquata: neque bonum consideratum secundùm se & attingibile necessariò, & vt est ratio attingendi libere alia, constituit obiecta formaliter diuersa; alias in creaturis daretur duplex voluntas realiter diuersa: ergo neque bonitas diuina secundùm se, & vt est ratio diligendi creaturas, constituit obiecta formaliter diuersa. Tum etiam: nam eadem est charitas, qua diligimus Deum necessariò in patria, & liberè in via, & qua diligimus necessariò in patria Deum secundùm se, & liberè ipsum Deum prout est ratio diligendi creaturas; aliàs in beatis daretur duplex charitas realiter distincta: ergo in Deo bonitas secundùm se, & ipsa bonitas vt est ratio diligendi creaturas, non constituit duo obiecta formaliter diuersa. Tum denique: nam inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis nulla datur distinctio virtualis ex parte rei conceptæ, vt tract. præced. disp. 2. a num. 12. probatum est authoritate D. Thomæ, & ratione; sed per scientiam simplicis intelligentiæ attingitur Deus secundùm se, & per scientiam visionis ipse Deus prout est ratio liberè cognoscendi futura: ergo idem dicendum est de bonitate diuina. Tum denique (per quod radicem huius doctrinę aperimus) quia nulla potentia, nullaque virtus admittunt distinctionem virtualem, prout terminantur ad obiectum primarium secundum se, & prout connotant obiecta secundaria; alias pro obiecto secundario ponenda foret specialis virtus, vel potentia; proindeque alia esset Theologia pro obiecto primario, & alia pro obiecto secundario, seu pro obiecto primario prout est ratio attingendi obiectum secundarium; quod nullus vnquam dixit: ergo bonitas diuina secundùm se, & ipsa bonitas vt est ratio diligendi creaturas, non sunt duo obiecta formaliter diuersa.

61 Sed objicies *primò*: Voluntas diuina vt *natura*, & vt *libertas* habet actus formaliter diuersos, nempè actum liberum, & necessarium: ergo etiam obiecta formaliter diuersa. ¶ Confirmatur *primò*: Bonitas secundùm se petit attingi necessariò, & vt est ratio diligendi creaturas, petit attingi liberè; sed hi modi diuersi attingibilitatis arguunt obiecta formaliter diuersa: ergo sufficiunt ad distinguendam virtualiter voluntatem, vt est natura, & vt est libertas. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam diuina bonitas, vt est finis quasi in actu primo finalizativa, distinguitur virtualiter à seipsa, vt actu finalizat; sed primo modo specificat voluntatem vt est *natura*, & secundo modo voluntatem vt est *libertas*: ergo &c. Maior probatur: Nam ratio actualis finalizationis addit aliquid supra rationem finalizandi in actu primo, sicut actus secundus addit aliquid supra primum, & est separabilis ab ea: ergo &c. ¶ Confirmatur *tertiò*: Nam idem principium, vt inferens conclusionem necessariam, est formaliter diuersum à seipso, vt infert conclusionem contingentem, & sic ad huius attingentiam necessaria est motio voluntatis: ergo etiam bonitas diuina secundùm se distinguitur formaliter à seipsa, vt est ratio diligendi liberè creaturas. ¶ Objicies *secundò*: Voluntas vt *natura*, & vt *libertas* habet diffinitiones oppositas: nam vt *natura* definitur per hoc, quòd non possit à suo actu desistere; & vt *libertas* per hoc, quod possit à suo actu suspendi: ergo &c. ¶ Objicies *tertiò*: Bonitas prout est ratio puniendi peccata, quo pacto connotat obiecta secundaria, est formaliter diuersa ab ipsa bonitate secundùm se, & ab ipsa bonitate prout est ratio miserendi: ergo etiam bonitas diuina secundùm se, & vt est ratio diligendi creaturas, quo pacto respicit illas vt connotatum, dicit duo obiecta formaliter diuersa.

62 Ad primam obiectionem respondetur, gratis permisso, quòd actus necessarius, & liber in Deo distinguantur virtualiter, adhuc non argui distinctionem virtualem inter voluntatem, vt est libertas, & vt est natura. Quia eademmet potentia absque distinctione virtuali potest respi-

picere per se primò plures actus virtualiter aut realiter diversos, itaut ea obiecta, quæ adæquatè inspiciuntur ab actibus, sint inadæquata respectu potentiæ. Qua ratione ducti, Authores concedentes ex vna parte in Deo rationem potentiæ, & ex alia negantes virtutes per modum actus primi, aiunt, voluntatem divinam esse formaliter eminenter voluntatem, misericordiam, & iustitiam, quamvis actus iustitiæ & misericordiæ distinguantur virtualiter. Diximus *gratis permisso*: propter dicenda in resolutione nostra erga præcipuum punctum huius controversiæ, quæ erit vrgentissima confirmatio huius suppositionis.

Ad primam confirmationem respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Quia bonitas divina eminenti modo habet esse diligibilem liberè, & necessariò: necessariò, quatenus concipitur secundùm se: & libere, quatenus connotat creaturas: Nam eadem potentia sufficit ad attingendum finem secundùm se, & vt est ratio attingendi ea, quę sunt ad finem: bonitas autem divina considerata secundùm se, quia est summè bona & infinita, petit attingi necessariò: sed eadem bonitas, cùm non connectatur necessariò cum ijs, quę sunt ad eam ordinata tanquam ad finem, petit attingi liberè, non ex defectu ipsius bonitatis, sed ex defectu connotati. Vnde illi modi attingibilitatis liberę & necessariæ sunt quasi modi inadæquati, & quasi materialiter tantùm diversi per ordinem non solùm ad voluntatem divinam, verùm etiam per ordinem ad voluntatem creatam. ¶ Ad secundam confirmationem respondetur dupliciter: primò distinguendo maiorem: *Vt finalizativa distinguitur virtualiter à seipsa vt finalizante* in *esse* rei, transeat maior; in *esse* obiecti, subdistinguitur, in ordine ad potentiam, negatur maior; in ordine ad actus transeat maior: & concessa minori, negatur consequentia. Dato enim gratis, quòd actualis finalizatio addat aliquid supra bonitatem divinam, vt consideratur quasi in actu primo finalizandi, adhuc hæ rationes sunt inadæquatæ respectu potentiæ; sicut respectu nostræ voluntatis obiectum liberè attingibile, & obiectum necessariò attingibile sunt inadæquata, itaut obiectum specificativum sit bonum sub altiori ratione. Secundò respondetur negando maiorem. Quia reipsa actualis finalizatio eodem modo comparatur ad finalizationem in actu primo, sicut actus liber ad actum necessarium: non enim est minùs infinita bonitas divina in ratione terminationis activæ (vt sic dicamus) ac actus in ratione terminabilis ab ipsa bonitate, de quo infrà. ¶ Ad tertiam respondetur, negando antecedens. Nam per eandem scientiam Deus attingit suam essentiam vt connexam, & inferentem creaturas possibiles, quæ sunt velut conclusio necessaria, & vt inferentem liberè creaturas futuras. Et licet ad inferendam conclusionem contingentem requiratur motio voluntatis, ex hoc minùs aptè arguitur distinctio virtualis in scientia; alias omnipotentia esset attributum diversum, prout dicit habitudinem ad possibilia, à seipsa prout dicit habitudinem ad existentia: vnde ad rationem formalissimam potentiæ solum de materiali & de connotato se habet illa motio voluntatis. Pariter ergo discurrendum est de voluntate divina, prout necessariò attingit bonitatem secundùm se, & prout est ratio diligendi creaturas.

Ad secundam obiectionem brevitèr respondetur, quòd illæ definitiones tantùm sunt inadæquatæ ex imperfecto nostro modo concipiendi, ex quo tantùm similis distinctio arguitur inter conceptum *naturæ*, & *libertatis*. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd bonitas divina prout est ratio puniendi, aut miserendi non constituit diversum obiectum formale à bonitate divina secundùm se, præcisè quia connotat specialia obiecta secundaria; sed quia ex sua ratione formali ea ratio constituit speciale obiectum formale: & propter hanc rationem iustitia, & misericordia in creatis distinguntur inter se, & à voluntate. Voluntas tamen divina vt *libertas* solùm distinguitur à seipsa vt *natura*, quia connotat obiecta secundaria & materialia; & sic in creatis eadem voluntas est natura, & est libertas essentialiter. Et hęc de facultate seu libertate potentiæ, & de primo quod promisimus.

63 Ad secundum deveniendo, vt cum maiori distinctione procedamus, ad tres classes possumus reducere sententias contrarias. *Prima* asserit, actum liberum Dei constitui per entitatem rationis. Pro qua solet referri Capreolus in 1. dist. 45. quæst. 1. ad 1. contra secundam concluſ. Ferrara 1. Contra gent. cap. 82. & ex Recentioribus Vazquez, quem refert, & sequitur Alarcon disp. 82. cap. 2. Mag. Serra in præſ. & alij. *Secunda* defendit, actum Dei liberum constitui adæquatè vel inadæquatè per aliquid extrinsecum. Hanc sententiam tenent Aureolus in 1. dist. 4. art. 1. propos. 1. & 2. alijsque in locis, quem sequuntur Basil. Legionens. 1. part. variarum quæst. 6. scholastica cap. 5. Granados tract. 3. disp. 1. sect. 6. Amicus disp. 14. sect. 3. Torres opusc. 2. disp. 2. dub. 4. Aversa 1. part. quæst. 19. sect. 11. alijque Recentiores. *Tertia* docet, constitutivum actus liberi adæquatum esse quid reale & intrinsecum Deo. A qua velut à fonte plures emanarunt: Nam nonnulli docent, actum liberum addere supra actum necessarium realem aliquam perfectionem liberam etsi diminutam, realiter aut virtualiter distinctam à perfectione necessaria, eamque potuisse deficere. Pro quo modo dicendi communiter refertur Caiet. quem pluribus notis inurunt Recentiores extra Scolam Div. Thomæ; sed illum benignè interpretantur plures & gravissimi Theologi. Eam tamem expressè do-

docent Fonseca tom. 3. Metaph. lib. 7. cap. 8. q. 5. sect. 4. Salas tom. 1. in 1. part. quæst. 6. art. 3. disp. 1. sect. 8. §. 7. conc. 6. & alij Recentiores: quibus aggregari possunt ij, qui aiunt actum liberum addere supra necessarium quandam realitatem aut entitatem non dicentem specialem perfectionem supra actum necessarium, vt de relationibus plures docent Thomistæ: propter quod estò prædicta realitas possit deficere, non verò vlla perfectio. Alij defendunt, actum liberum Dei addere supra actum necessarium quandam terminationem intrinsecam virtualiter distinctam à necessaria, quę estò nequeat deficere quoad entitatem, potest tamen deficere quoad terminationem. In hoc sensu explicat Godoy communem sententiam Thomistarum, & illi suffragantur Gonet & Bolivar in præs. dub. 3. §. 4. Alij denique asserunt, quòd actus liber Dei est ipse actus necessarius absque additione alicuius formalitatis, seu terminationis intrinsecæ realiter, aut virtualiter distinctę, quę possit deficere. Ita N. Salm. disp. 7. dub. 7. Ferre quæst. 5. §. 9. Palanco quæst. 6. à n. 63. Lardito tract. 2. dub. 2. §. 3. Carrasc. dub. 4. resol. 9. & alij.

§. II.

Triplex conclusio.

64 Dicendum est *primò*, actum liberum Dei non constitui per respectum rationis. Probatur hac ratione: Nam dum in Scriptura dicitur Deum diligere creaturas, non intelligitur de dilectione ficta per intellectum, sed de dilectione vera & reali; sed dilectio Dei terminata ad creaturas est formaliter libera: ergo à parte rei datur dilectio libera in Deo terminata ad creaturas: ergo nequit in ratione *liberæ* per respectum rationis constitui.

Et confirmatur *primò*: Nam respectus rationis, per quem constitueretur actus liber Dei, vel est à creatura, vel à Deo; neutrum dici potest: ergo prædictus respectus rationis non conducit ad explicandam libertatem divinam. Minor quoad primam partem probatur: Deus est liberè volens creaturas ab æterno; sed respectus rationis fabricatus à creatura non est ab æterno: ergo non constituitur in ratione *liberi* per respectum rationis fabricatum à creatura. Quoad secundam partem ostenditur: Nam (prætermisso, an ab intellectu divino possit produci respectus rationis) vel producitur liberè; vel necessariò: non secundo modo, aliàs esset necessarius, & consequenter insufficiens ad constituendum actum liberum. Nec primo, quia iam præcederet cognitio libera formaliter præfatum respectum, necnon *velle* liberum Dei: ergo non constituitur per respectum rationis fabricatum à Deo. ¶ Confirmatur *secundò*: Deus nequit efficere ens rationis absque vllo prorsùs fundamento: tum, quia hoc derogat summæ perfectioni intellectus divini. Tum & præcipuè quia iam actus liber Dei constitueretur per respectum rationis chimæricum: ergo producit illud cum fundamento existente in ipso Deo. Iam sic; sed prædictum fundamentum nequit esse necessarium, aliàs ens rationis productum esset necessarium, & consequenter insufficiens ad constituendum actum liberum: ergo est liberum; sed nequit esse aliud præter *velle* divinum liberum formaliter: ergo pro priori ad ens rationis iam actus liber Dei intelligitur constitutus in ratione *liberi*.

65 Dicendum est *secundò*, actum liberum Dei non constitui in ratione *talis* adæquatè vel inadæquatè per actionem formaliter transeuntem, sive per effectum à Deo productum. Et probatur ratione *primò*: Nam volitio libera est actus adæquatè & formaliter immanens: ergo est adæquate quid intrinsecum & identificatum cum Deo; sed hoc nequit verificari de actione formaliter transeunti (dato, & non concesso, quòd Deus operetur per actionem formaliter transeuntem) neque de effectu à Deo producto ad *extrà*: ergo nequit decretum liberum Dei constitui in ratione *talis* per aliquid extrinsecum sivè per modum actionis, sivè per modum effectus. ¶ Confirmatur: Nam volitio non est minùs intrinseca volenti quàm cognitio cognoscenti; sed cognitio est actus vitalis & adæquatè intrinsecus cognoscenti: ergo idem de volitione dicendum est. ¶ Probatur *secundò*: Nam Deus nequit agere per actionem formaliter transeuntem, vt alibi cum D. Thoma infrà quæst. 25. probatum est: item id, quod comparatur per modum effectus, aut obiecti liberè dilecti, nequit pertinere ad constitutionem dilectionis liberæ: quia de ratione effectus est supponere causam actu causantem, & de ratione obiecti est tantùm terminare ipsam dilectionem liberã: ergo neque actio formaliter transiens, neque effectus vllo modo possunt conducere ad constitutionem decreti liberi Dei. ¶ *Tertiò*: Nam actio transiens nequit esse futura, nisi Deo id liberè disponente, aliàs eius futuritio esset necessaria: ergo iam præsupponit decretum liberum Dei; sed effectus præsupponit huiusmodi actionem: ergo neque actio transiens, neque effectus pertinent ad constitutionẽ decreti liberi Dei. *Præsertim*: Quia volitio libera Dei est ab æterno quid positivum reale & existens: ergo debet constitui per formã adæquatè realem & existentem; sed tàm actio transiens, quàm effectus ex ea sequutus ab æterno non sunt quid existens, sed futurum: ergo. ¶ *Quartò*: Nam actio externa & effectus illius procedunt immediatè ab omnipotentia vt applicata liberè à voluntate: nihil enim omnipotentia agit ad *extrà*, nisi imperetur, & moveatur à voluntate; sed omnis

actio

actio imperata ; eiusque effectus supponit actionem imperantem : ergo actio externa & eius effectus supponunt actum liberum voluntatis diuinę. ¶ *Quintò*, & *vltimò* : Nam plura sunt decreta libera Dei, quæ nullum effectum ad *extrà* producunt, vt sunt decreta negativa, & decreta purè conditionata, necnon decreta, quibus dispensat in aliqua lege positiva ab ipso condita, aut voto à nobis edito: ergo &c. Et hæc de forma extrinseca.

66 Dicendum est *tertiò*, actum liberum Dei non constitui formaliter per aliquam perfectionem superadditam realiter actui necessariò fundatam in aliqua entitate, aut modo defectibili. Et suadetur *primò*: Quia nulla est in Deo perfectio admixta imperfectione: sed talis esset perfectio realiter superaddita actui necessariò : ergo. Minor probatur: Tum, quia id, quod realiter potest non esse, nequit non importare maximam imperfectionem, vt ex se liquet; sed iuxta oppositam sententiam perfectio, quam addit actus liber, potest deficere: ergo. Tum etiam: quia iuxta Authores contrarios huiusmodi perfectio est diminuta ; sed perfectio diminuta est admixta imperfectione, cùm non sit perfectio integra & cõpletà: ergo. Tum denique: nam id, quod ita est, vt absolutè possit non esse, estò non possit non esse ex vi alicuius suppositionis liberæ, nequit non esse imperfectum; sed perfectio addita supra actum necessarium per formalitatem liberam est huiusmodi, cùm sòlùm competat ei non posse deficere, ex eo quòd Deus est immutabilis in suis decretis: ergo. ¶ *Secundò*: Nam nihil est in Deo, quod non sit ipsè Deus ; sed omnis perfectio ab ipso realiter distincta non est Deus, sed creatura: ergo actus liber Dei non constituitur per perfectionem realiter superadditam actui necessario. Maior est de fide. Et minor probatur : Tum, quia nihil potest distingui à Deo, nisi creatura. Tum etiam: nam si distingueretur ab ipso Deo, dependeret ab ipso realiter, cùm Deus potuisset ei communicare & non communicare liberè existentiam; sed sola creatura potest à Deo realiter dependere : ergo huiusmodi perfectio non esset Deus, sed creatura. Tum deindè : nam *vnum dependere realiter ab alio* nihil aliud est, quàm habere ab illo per influxum realem suum *esse* realiter distinctum : vnde estò Verbum diuinum realiter habeat suum *esse* à Patre, non tamen intervenit ibi dependentia, quia non distinguitur realiter ab eo in natura aut existentia, sed tantùm in personalitate ; sed supposito quòd actus liber Dei addat perfectionem realiter distinctam fundatam in aliqua entitate aut modo defectibili, haberet totum suum *esse* à voluntate diuina: ergo dependeret realiter ab ea: ergo cùm dependentia sòlùm sit propria creaturæ, sequitur manifestè præfatam perfectionem non esse Deum. Tum denique: nam idem dicendũ est de actibus liberis nunc existentibus ac de actibus liberis ex se possibilibus, v.g. de volitione libera possibili alterius mundi; sed huiusmodi volitio est creatura possibilis : ergo actus liberi existentes etiam sunt creaturæ. Minor liquet: nam perfectionem aliquam esse sub nihilo & habere non repugnantiam ad essendum est imperfectio propria creaturæ.

67 Tertiò & vltimò suadetur: Si actus liber Dei adderet perfectionem realiter distinctam supra actum necessarium, Deus esset potentialis, mutabilis, & compositus. Esset potentialis : quia potentia realiter distincta ab actu, & ab eo separabilis, est in potentia reali passiva in ordine ad eum ; sed iuxta sententiam contrariam voluntas diuina distinguitur realiter ab actu libero, & est separabilis ab eo: ergo Deus esset potentialis. Esset mutabilis : nam *rem esse mutabilem* nihil aliud est, quàm aliter posse se habere nùnc, ac antea ; sed in suppositione distinctionis realis inter perfectiones liberas & necessarias, quamvis Deus ratione suæ constantiæ non possit non perseverare in volitione, quam elegit, potuit tamen absolutè habere volitionem contrariam : ergo potuit se habere realiter diverso modo, ac nunc se habet, & consequenter esset mutabilis. Esset tandem compositus : nam compositio est distinctorum vnio, maximè si vnum se habet per modum potentiæ, & aliud per modum actus; sed hæc omnia verificarentur, supposito quòd actus liber Dei sit perfectio realiter distincta à voluntate : ergo esset compositus.

68 Ex dictis manet impugnatus modus dicendi Fonsecę, & aliorum : qui aiunt, actum liberum consistere in aliqua realitate seu formalitate virtualiter tantùm distincta ab actu necessario & reipsa defectibili. Ex dictis (inquam) hic modus manet conuulsus, sivè dicat essentiam diuinam per transcendentiam, sivè non. Tum, quia ex illo deducitur, actum liberum distingui realiter a necessario, & non distingui realiter. Quoad secundã partem supponitur à prędictis Authoribus. Quoad primam manifestè probatur: Nam realitas seu formalitas, quæ realiter potest separari à Deo, realiter distinguitur ab ipso; sed iuxta præfatum modum ponendi actum liberum formalitas, in qua actus liber consistit, est realiter defectibilis, ac proinde à Deo separabilis. Igitur prædictus modus involvit prædicata contradictoria. *Tum etiam*: Quia ex hoc modo dicendi sequuntur eadem inconvenientia, quę ex præcedenti inferabamus, vt cuilibet illa meditanti constabit. *Tum denique*: Quia ex hac sententia sequitur, quòd detur Deus possibilis, qui defactò Deus non est, & quòd detur Deus existens, qui potuit non esse Deus: quia illa perfectio, in qua actus liber consistit, & defactò existit, Deus est, & potuit non esse : Et perfectio, quæ non existit, Deus non est, & potuit esse Deus.

***

§. III.

Conclusio quarta:

69 DIcendum est *quartò*, actum liberum Dei non superaddere ad perfectiones necessarias terminationem ratione distinctam in ratione *terminationis*, & defectibilem. Hæc conclusio potest suaderi omnibus rationibus & inconvenientibus, quibus probavimus assertionem præcedentem. Nam in primis ex hoc modo dicendi sequitur distinctio realis inter perfectiones necessarias & prætatam terminationem activam; sed hoc non potest dici, alias Deus esset compositus, mutabilis, & potentialis: ergo actus liber Dei nullam terminationem activam distinctam virtualiter superaddit ad perfectiones necessarias. Maior probatur: Nam prædicta terminatio potuit à Deo separari; sed iuxta Authores, quos impugnamus, nullum maius signum distinctionis realis inter duas formalitates est, quàm separabilitas vnius ab alia: & hac ratione ducti arguunt contra nos, speciem distingui realiter adæquatè à potentia cognoscitiva, & partes substantiales inter se: ergo daretur distinctio realis.

Deindè: In Deo nequit dari voluntas per modum potentiæ, vt probavimus contra laudatos Authores; sed, dato quòd actus liber Dei distinguatur virtualiter à perfectionibus necessarijs, voluntas divina haberet rationem potentiæ: quia exercitium liberum distingueretur virtualiter ab ipsa voluntate: ergo actus liber Dei nequit addere supra actum necessarium terminationem liberam virtualiter distinctam ab eo. ¶ *Denique*: Nam illa terminatio nunc existens ita est Deus, quòd potuit non esse Deus; & terminatio, quę potuit esse, & non est, ita non est Deus, quòd potuit esse Deus: ergo quod Deus est, potuit non esse Deus; & quod Deus non est, potuit esse Deus. Quo quid absurdius?

70 Sed alia ratione fundamentali probatur eadem conclusio: Nam si actus liber Dei adderet ad perfectiones necessarias terminationem activam virtualiter distinctam ab eis, & defectibilem, sequitur, quòd etiam adderet entitatem vel per modum rei, aut per modum modi etiam defectibilem; sed hoc nequit stare cum summa actualitate & immutabilitate Dei, vt planè fatentur Authores contrarij: ergo. Sequela probatur: Nam terminatio illa sub conceptu *terminationis* includit entitatem secum omninò identificatam: ergo si addit terminationem activam virtualiter distinctam & defectibilem, etiam addit entitatem defectibilem. Patet consequentia: Nam deficiente realiter ratione inferiori, necesse est, quòd deficiant prædicata superiora.

71 Respondet Godoy loco suprà relato num. 103. quòd entitas divina ita imbibitur in terminatione libera, quòd re, & ratione priùs imbibitur in terminatione necessaria. Item entitas divina ita imbibitur in vtraque terminatione, quòd non multiplicatur in suis quasi inferioribus, eò quòd est infinita; econtrà verò contingit in entitate imbibita in formalitatibus creatis. Quare non est necesse, quòd deficiente terminatione activa libera, deficiat aliqua entitas.

Sed hæc solutio non reliquit inermem suprà dictam rationem: Nam illa terminatio activa est determinatio entis; sed omnis determinatio entis petit includere ens transcendentia rationis: ergo vel prædicta terminatio libera non distinguitur virtualiter à terminatione necessaria, vel superaddit ad istam aliquam entitatem defectibilem. Minor probatur: Nam in hoc distinguitur vniversalissimus conceptus *entis* ab essentia divina, quòd hæc transcendit trascendentia rei per omnes formalitates divinas, sivè absolutas, sivè relativas: econtrà verò vniversalissimus conceptus *entis* transcendit per omnes formalitates sive creatas, sivè divinas transcendentia rationis. Item in hoc distinguitur vna transcendentia ab alia, quòd ens transcendens transcendentia rei non fit eiusdem lineæ cum formalitate, per quam transcendit, & ob hanc rationem manet distinctum virtualiter ab eo: econtra verò quòd transcendit per aliud transcendentia rationis, fit eiusdem lineæ cum illo, & remanet identificatum absque distinctione virtuali: ergo essentia divina seu divinitas ita transcendit transcendentia rei per terminationem activam, quam fingunt prælaudati Authores, quòd vniversalissimus conceptus *entis* transcendat per eam transcendentia rationis, & absque distinctione virtuali: ergo non stat, quòd actus liber Dei addat supra terminationem necessariam aliam virtualiter distinctam & defectibilem, & quòd non addat entitatem virtualiter etiam distinctam, & defectibilem.

Et confirmatur hoc: Nam entitas divina ita transcendit transcendentia rei per misericordiam aut relationem, quòd vniversalissimus conceptus *entis* transcendat per eas transcendentia rationis, vnde si per possibile vel impossibile non deficeret essentia, & deficeret misericordia aut relatio, proculdubiò deficeret in Deo aliqua portio entis: ergo idem dicendum est de terminatione activa libera virtualiter superaddita ad actum necessarium. Patet consequentia: Nam nullus est conceptus positivus & realis, per quem conceptus vniversalissimus entis non transcendat transcendentia rationis, quæ petit, vt multiplicetur prædicatum transcendens, ad multiplicationem formalitatum, per quas transcendit.

72 Dices: Deformitas peccati dicit pro implicito entitatem; & tamen Deus concurrit

ad

ad entitatem sub conceptu *entitatis*,& non sub conceptu *deformitatis*: ergo potiori iure actus liber Dei sub conceptu *terminationis activæ* poterit deficere, & non sub conceptu *entitatis*. Patet consequentia: nam conceptus *malitiæ* non distinguitur in nostris principijs ab entitate adhuc virtualiter; cùm tamen in sententia, quam nunc impugnamus, terminatio libera distinguatur virtualiter ab actu necessario & entitate.

Respondetur, nostram rationem non vim ponere præcipuè in eo, quòd deficiente terminatione activa, deficiat aliquid entitatis, sed in eo quòd si actus liber Dei addit terminationem intrinsecam & liberam supra terminationem necessariam, pariter debet addere aliquam entitatem virtualiter distinctam ab entitate necessaria. Quod suaderi potest ipso exemplo peccati: Quia enim deformitas malitiæ est formalitas realiter, vel virtualiter distincta ab actu peccaminoso sumpto quoad substantiam,& quoad libertatem, nequit non addere aliquam entitatem saltèm per modum modi, eodem modo distinctam ab eodem actu eodem modo sumpto. Semel autem concesso, quòd actus liber Dei addit supra actum necessarium aliquam entitatem, evidenter arguitur esse defectibilem, sicut terminatio iuxta Adversarios superaddita est defectibilis; aliàs ad quid superadditur entitas sivè terminatio, si tàm indefectibiles sunt secundùm intrinsecum sui, ac entitas & formalitas actus necessarij? Ratio cur Deus concurrit ad deformitatem peccati sub conceptu *entitatis*, & non sub conceptu *malitiæ*, non obstanti quòd solùm hi conceptus distinguantur penes implicitum & explicitum, est: quia ex duabus expressionibus adhuc virtualiter indistinctis in *esse rei* vna potest præcontineri in potentia Dei, & non alia; sicut præfata distinctio sufficit ad constituenda obiecta formaliter diversa, & ad communicationem vnius expressionis,& non alterius. Pro quo videri debent N.Salm. tract.13. disp.6.á num.88.

73 Præterquàm quòd, permissa paritate & doctrina in prædicta replica adducta, adhuc innodantur præcipua difficultate propria huius controversiæ. Quia non minùs pugnat defectibilitas intrinseca cum immutabilitate, quam intrinseca indefectibilitas cum libertate; sed in sententia opposita indefectibilitas intrinseca & omnimoda incompatibilis est cum libertate: ergo etiam defectibilitas aliqua intrinseca incompatibilis erit cum omnimoda & intrinseca immutabilitate.

***

*** *** *** ***
*** *** ***

§ IV.

Vltima resolutio dubij.

74 DIcendum est *quintò & vltimò*, actum liberum Dei esse ipsum actum necessarium vt liberè immutantem creaturas ad *fore*, vel *non fore*, qui potuit Deo deficere non quoad aliquid intrinsecum, sed præcisè quoad connotatum. Hęc conclusio est iuxta mentem D. Thomę. Quod suaderi potest hoc ratiocinio: nam Ang. Doctor nunquam admittit in volitione divina potentiam passivam ad aliquam realitatem aut formalitatem sibi intrinsecam & defectibilem, sed semper docet esse entitatem per modum actus purissimi & subiectivè necessariam, totamque defectibilitatem ponit in obiecto volito; sed nihil aliud continetur in nostra assertione: ergo iuxta Div. Thomam actus liber Dei consistit in actu necessario vt liberè mutante creaturas ad *fore*, vel *non fore*, qui potuit Deo deficere non quoad aliquid intrinsecum, sed præcisè quoad connotatum. Maior, in qua est difficultas, suadetur: Tum ex quæst. 23. *de Verit.* art.1. ad 9.vbi sic respondet: *Dicendum, quòd Deo non competit ad opposita se habere, quantum ad ea quæ sunt in essentia eius, sed ad opposita se habet quantùm ad effectus in creaturis, quos potest facere, & non facere.* Tum etiam ex hac 1. part. & quæst. illa 19.art. 3. ad 4. vbi ait: *Quòd Deus non ex necessitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ex defectu voluntatis diuinę, sed ex defectu, qui competit volito secundùm suam rationem, quia scilicet est tale, vt sine eo esse possit perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus consequitur omne bonum creatum*: ergo iuxta D. Thomam nulla defectibilitas est in volitione libera Dei quoad eius prædicata intrinseca, nullavè indifferentia, sed tota defectibilitas & indifferentia est ex parte effectus seu obiecti voliti.

75 Et probatur *primò* ratione, ex insufficientia & efficaci exclusione aliorum modorum dicendi: Nam actus liber Dei nequit consistere in aliquo respectu rationis: neque in aliqua formalitate aut terminatione intrinseca realiter aut virtualiter superaddita actui necessario & intrinsecè defectibili: neque in actu necessario præcisivè sumpto, absque eo quòd aliquid aliud saltèm in obliquo superaddatur: ergo consistit in actu necessariò vt liberè mutante creaturas ad *fore*, vel *non fore*, qui præcisè sit defectibilis quoad connotatum. Consequentia videtur legitima: quia actus liber Dei nequit intelligi absque aliquo defectibili: si ergo nihil intrinsecum est defectibile, planè infertur actum liberum consistere in actu necessario vt connotante creaturas, quæ defectibiles sunt. Antecedens quoad primam,& secundam partem aperte constat

stat ex dictis pro conclusionibus precedentibus: & quoad tertiam etiam liquet ex proximè dictis.

76 Deinde probatur ratione fundamentali: Actus necessarius absque vlla sui mutatione habet ex parte recti quidquid requiritur ad attingendum *fore* vel *non fore* creaturarum: ergo sufficienter intelligitur actus liber Dei, si consideretur actus necessarius vt terminatus liberè ad creaturas absque vlla additione intrinseca. Antecedens, in quo est difficultas, probatur *primò*: Quia *intelligere* essentiale & necessarium Dei est infinitum, absque vlla sui mutatione habet quidquid requiritur ex parte recti ad attingentiam omnis veri; sed *velle* Dei necessarium pari gaudet infinitate: ergo volitio Dei necessaria absque vlla sui mutatione sivè per formalitatem sivè per terminationem activam habet quidquid requiritur ex parte recti ad attingendum *fore*, vel *non fore* creaturarum. ¶ *Secundò*: Nam dato, & non concesso, quòd voluntas Dei distinguatur virtualiter à suo actu necessariò & libero, ipsa voluntas per modum potentiæ absque additione aliqua virtualiter distincta sivè per modum formalitatis, sivè per modum terminationis activæ habet quidquid requiritur ad eliciendum actum necessarium & liberum; aliàs in Deo daretur duplex voluntas virtualiter distincta: ergo etiam *velle* necessarium Dei habet ex parte recti absque additione sivè per modum formalitatis, sivè per modum terminationis activæ viatualiter distinctæ quidquid requiritur ad attingendum omne obiectum volibile. Patet consequentia à paritate; aliàs actus necessarius non esset tàm perfectus, ac potentia. *Augetur*: Nam in Deo non datur voluntas per modum potentiæ virtualis in ordine ad suum actum: ergo vel voluntas quasi in actu primo considerata non habet quidquid requiritur ex parte recti ad attingendum omne volibile, vel *velle* divinum est actualis attingentia omnis volibilis absque additione formalitatis aut terminationis virtualiter distinctæ ab eo. Patet consequentia: nam quidquid addas virtualiter distinctum ad actum necessarium, debet virtualiter distingui à voluntate: vnde vel datur duplex voluntas virtualiter distincta in Deo, alia pro actu necessariò, & alia pro actu libero; vel voluntas habet rationem potentiæ saltèm respectu actus liberi formaliter vt talis; vel tandem non addit actus liber aliquid virtualiter distinctum per modum formalitatis, aut terminationis activæ. *Augetur amplius*: Si voluntas creata esset omninò completa in ratione potentiæ liberæ, itaut non indigeret præmotione Dei ipsam ad operationem applicantis, sed seipsa determinaret ad actus liberos, vt volunt Patres Societatis, nihil adderet intrinsecum sivè entitatem sivè formalitatem, sivè virtualitatem, aut terminationem intrinsecam, dum se determinaret ad volitionem liberam huius obiecti præ alio, aliàs inter voluntatem & volitionem liberam mediaret aliquid formaliter liberum proveniens ab ipsa voluntate; sed non minùs completa & perfecta est in actu secundo volitio necessaria Dei, quàm voluntas creata in actu primo: ergo vt se determinet liberè ad *fore* creaturarum præ *non fore*, non est necesse, quòd addat entitatem, formalitatem, virtualitatem, aut terminationem intrinsecam virtualiter distinctam.

77 Probatur insuper alia ratione: Nam *velle* divinum respicit pro obiecto adæquato & specificativo bonitatem divinam, creaturas verò vt obiectum materiale, & secundarium, vt probatum manet disp. 1.dub.3. ergo in attingentia actuali creaturarum nullam entitatem, formalitatem, aut terminationem activam virtualiter aut realiter distinctam addit supra suam entitatē necessariam. Consequentia probatur: Nam obiectum secundarium alicuius actus sub eadem ratione formali terminat illum ac obiectum primarium: ergo nequit addere in sui attingentia aliquid intrinsecum sivè per modum entitatis, aut per modum formalitatis, aut terminationis activę virtualiter distinctum à sua terminatione primaria. Consequentia probatur: Tum, quia aliàs sub illa formalitate, aut virtualitate, seu terminatione activa intrinsecè superaddita specificaretur à creaturis. Tum etiam: nam quia intellectio divina terminatur sub eadem ratione formali ad Deum, & creaturas sivè possibiles, sivè futuras, eadem formalitate & terminatione indivisibili omninò, & activa, qua terminatur primariò ad ipsum Deum, terminatur secundariò ad ipsas creaturas: & in creatis quia generatio substantialis terminatur primariò ad substantiam & secundariò ad proprietates, sub eadem formalitate, seu terminatione activa, qua terminatur ad substantiam, terminatur secundariò ad proprietates: ergo cum *velle* divinum respiciat Deum vt obiectum primarium, & creaturas vt obiectum materiale & secundarium, petit, quòd eadem terminatione intrinseca & activa, qua terminatur primariò ad Deum, terminetur secundariò ad creaturas.

78 Confirmatur *primò*: Ita se habet potentia seu actus, qui independens est ab aliquo obiecto, in ordine ad illud, sicut obiectum independens à potentia in ordine ad illam; sed obiectum, quod independens est à potentia, ita terminat eam, quòd non addat supra seipsum quasi in actu primo aliquam entitatem, formalitatem, aut terminationem activam virtualiter distinctam: ergo idem dicendum est de potentia seu actu independente ab aliquo obiecto; sed ita se habet voluntas & *velle* divinum in ordine ad creaturas, & generaliter omnis actus in ordine ad obiectum secundarium: ergo *velle* divinum, vt terminetur actu ad creaturas, non debet addere

dere aliquam entitatem, virtualitatem, formalitatem, aut terminationem virtualiter distinctam à terminatione primaria.

Confirmatur *secundò*: Non minùs infinita est voluntas seu *velle* divinum in ratione potentiæ seu actus, quàm bonitas divina in ratione obiecti illius; sed stat optimè, quòd bonitas divina, quæ est obiectum primarium voluntatis & *velle* divini, actu contineat bonitatem creaturarum absque additione intrinsecæ entitatis, formalitatis, aut terminationis virtualiter distinctæ: ergo *velle* divinum etiam terminatur ad eas, & actu continet illas absque additione intrinsecæ entitatis, formalitatis, aut terminationis virtualiter distinctæ.

79 Sed vt assertionem apertè percipias, & solutionem facilem argumentorum pares: Inquires, quomodò stat, quòd actus necessarius Dei actu terminetur ad creaturas, & possit quasi mutari in suis denominationibus, quin subeat aliquam mutationem vel in entitate, aut formalitate, sivè terminatione aliqua intrinseca? ¶ Ad quod explicandum sufficit, quòd *velle* necessarium Dei sit infinitum, quantùm ex se actualissimum & perfectissimum, vt possit actu terminari ad creaturas, vel non terminari absque additione alicuius intrinseci sivè per modum entitatis, sivè per modum formalitatis, aut terminationis defectibilis: & vt subeat denominationem intrinsecam liberè volentis *esse*, vel *non esse* creaturarum, sufficit, quòd connotet vnum vel aliud determinatè. Nam non raró contingit, quòd forma intrinseca ad præstandam aliquam denominationem intrinsecam desideret connotare aliquid extrinsecum, non quia hoc extrinsecum se habeat per modum formæ sivè adæquatę, sivè inadæquatæ tribuentis præfatam denominationem, sed quia desideratur vt connotatum sivè antecedens, sivè consequens, sivè causatum ab ipsa forma.

Ita se habet materia prima, quę per modum entitatis intrinsecæ habet quidquid requiritur ex parte recti, vt tribuat nunc denominationem appetitus *desiderij*, & posteá appetitus *complacentiæ*, sed ad præstandas prædictas denominationes desideratur, quòd connotet absentiam formę, ad quam est sigillata, & præsentiam ipsius formæ. Pariter relatio paternitatis ad secundum filium, quantùm est ex se, habet omne intrinsecum, vt Patrem referat ad illum, non tamen illum refert, vsquedum connotet secundũ filium existentem. Tandem (relictis pluribus alijs exemplis) species angelica non repræsentat actu individua quoad eorum existentiam exercitam, quando non existunt, non ex defectu entitatis, aut formalitatis ipsius speciei, sed ex defectu cõnotati, id est, positionis existentiæ obiecti. Idipsum contingit in *velle* necessario, quod, quantùm est ex se, habet quidquid requiritur ex parte sui ad dandam denominationem *liberi*, non tamen illam tribuit, nisi connotet *fore*, vel *non fore* creaturarum. Est tamen discrimen quoddam inter *velle* necessarium & exempla relata, quòd connotata in illis exemplis præcedunt formas, vt dant in actu secundo suas denominationes, eo quòd respiciunt illa per modum formæ speculativę: At *velle* divinum respicit creaturas per modum formæ practicæ dantis illis *esse*, & hac ratione habet prioritatem *à quo* respectu illarum.

80 Ex his etiam colligitur, vnde desumi debeat diversitas volitionis, & nolitionis divinæ. Pro quo nota, quòd cum nullus actus Dei sub formalitate aliqua possit nisi à Deo specificari, & ipse Deus bonus vndequaque sit, & explicet bonitatem, quæ prosequutivè petit attingi, & nolitio sit fuga, quæ videtur versari circa malum, denominatio *volitionis* & *nolitionis* non desumitur ex vi alicuius diversitatis in actu voluntatis divinæ, sed ipsummet *velle* divinum, prout tendit in bonitatem divinam vt se communicantem creaturis, tribuit denominationem *volitionis*, & prout tendit in eandem bonitatem vt se non communicantem creaturis, tribuit denominationem *nolitionis*: quod est idem ac dicere, quòd *velle* Dei absque vlla variatione intrinseca ex parte sui, vt connotans futuritionem huius mundi, est volitio; & vt connotans non futuritionem alterius mundi, est nolitio: Quia, vt suprà vidimus ex D. Thoma, in Deo non datur vlla indifferentia, quantùm ad ea quæ sunt intrinsecè in ipso, sed tantùm per ordinem ad effectus: vnde in voluntate divina nequit dari oppositio contradictoria, aut contraria ex parte actus, sed solùm ex parte obiecti, inquantùm volitio Dei potest esse volitio de *esse* huius mundi, & de *non esse* illius.

§. V.

Argumentorum enodatio:

81 ARguitur *primò*: Decretum liberum Dei debet constitui per aliquid intrinsecè defectibile; sed hoc nequit stare, quin deficiat aliquid intrinsecum per modum entitatis, formalitatis, aut terminationis virtualiter distinctæ ab actu necessario: ergo actus liber Dei non consistit præcisè in actu necessario immutante creaturas ad *fore*, vel *non fore*. Maior probatur: Nam per id constituitur intrinsecè liberum decretum Dei, per quod ita terminatur ad creaturas, quòd potuit non terminari; sed hoc est aliquid Deo intrinsecum & defectibile: ergo. Probatur minor: Nam *amare Deum creaturas* est id, per quod terminatur liberè & defectibiliter ad eas, aliàs amaret eas necessariò; sed *amare creaturas* est quid intrinsecum Deo: ergo hoc, quod est liberè terminari ad creaturas, est Deo intrinsecum, & defectibile.

Respondetur fatendo, quòd Deus per aliquid sibi intrinsecum terminatur liberè ad creaturas: & quòd amare eas liberè est sibi quid intrinsecum. Sed non ob hoc potest ei deficere aliquid sivè per modum entitatis, sivè per modum terminationis intrinsecæ: quia ad hoc sufficit, quòd ipsamet terminatio, qua *velle* necessarium Dei primario terminatur ad ipsum Deum, sistat in ipso Deo & vltrà non progrediatur ad creaturas: sicut generatio terminata ad substantiam eadem indivisibili terminatione terminatur ad proprietates, itaut nihil entitatis, aut terminationis intrinsecæ deficiat, estò deficeret ei terminari ad proprietates. Hoc potiori titulo relucet in *velle* divino, cuius indifferentia ad creaturas est purè activa, actualissima, & perfectissima absque vmbra alicuius potentialitatis intrinsecæ.

82 Sed dices, ex hac solutione sequi nullum esse inconveniens in eo, quòd voluntas divina possit manere suspensa erga creaturas, contra dicta dub. præced. Sequela probatur: Nam si vera est prædicta solutio, nihil actualitatis deficit voluntati divinę, ex eo quòd maneret suspensa ab omni positiva terminatione per ordinem ad creaturas,

Respondetur, quòd estò non deficeret voluntati divinæ aliquid actualitatis intrinsecæ, adhuc argueretur imperfectio ex parte illius: sicut generatio maneret imperfecta positivè, si actu non terminaretur ad proprietates, quamvis nihil ei intrinsecum deficiat, semel quòd terminetur ad substantiam. Et ratio est: quia actio, quæ non terminatur ad suum terminum adæquatum, manet incompleta; omne autem incompletum inquantùm *tale* est imperfectum, estò nihil entitatis ei deficiat: & sic estò intellectui divino nihil deficeret, si non terminaretur ad futura, quia in intellectione Dei & possibilium est quidquid entitatis, aut terminationis activæ desiderari valet; attamen imperfectio positiva argueretur in illo, si non terminaretur actu ad futura. Pariter discurrendum est de *velle* divino, si nullo modo terminaretur ad creaturas.

83 Arguitur *secundò*: Nam denominatio *Dei volentis existentiam huius mundi* defectibilis est; sed nequit hæc denominatio esse defectibilis, quin aliquid intrinsecum ex parte Dei volentis defectibile sit: ergo. Minor probatur: Tum, quia nequit denominatio præstita ab aliqua forma esse defectibilis, quin ipsa forma defectibilis sit. Tum etiam: quia prædicta denominatio nequit esse defectibilis, nisi aliquid defectibile sit; sed vt præfata denominatio sit defectibilis, non sufficit, quòd connotatum sit defectibile: ergo. Minor probatur: Nam defectus conotati infertur infallibiliter & à priori ex defectu Dei volentis existentiam huius mundi, sicut existentia huius mundi infertur à priori ex positione actus Dei volentis illam: ergo prædicta denominatio non est defectibilis, præcisè quia connotatum est defectibile.

Et confirmatur: Nam ab æterno datur denominatio *Dei liberè volentis existentiam huius mundi*; sed hæc denominatio est contingens: ergo requirit formam vel connotatum contingens. Iam sic; sed ab æterno non datur mundus contingenter: ergo ab æterno datur aliqua defectibilitas ex parte actus Dei volentis.

Ad argumentum respondetur, concedendo maiorem; sed negando minorem. Et ad primam probationem dicendum est, quòd denominatio præstita ab aliqua forma vt sit defectibilis, sufficit, quod ipsa forma sit defectibilis in ratione dantis talem denominationem, non verò quoad aliquid intrinsecum sui, nisi quando denominatio est absoluta, & non connotativa: denominatio autem *liberè volentis* est connotativa, quia connotat obiectum volitum creatum, quod defectibile est tàm in ratione effectus, quàm in ratione obiecti voliti. Unde ex eo quòd denominatio *Dei liberè volentis existentiam huius mundi* sit defectibilis, solùm inferri valet, quòd existentia huius mundi sit defectibilis, & quòd ipsa volitio divina in ratione *connotantis* etiam sit defectibilis. Quæ solutio potest illustrari exemplis relatis num. 79.

Ad secundam probationem respondetur: fatendo, quòd defectus connotati infertur à priori ex defectu Dei liberè volentis (v.g.) existentiam huius mundi: Sed sicut non potest intelligi in aliquo signo *in quo* positio actus Dei liberè volentis, quin intelligatur existentia huius mundi volita, ita nequit in aliquo signo *in quo* intelligi defectus volitionis vt actu terminatæ ad existentiam huius mundi, quin intelligatur defectus existentiæ huius mundi. Hoc in omnium sententia debet subsistere, sicut verum est in omnium sententia, quòd in nullo signo *in quo* potest intelligi causa actu causans, quin intelligatur effectus, estò positio effectus inferatur à priori ex positione causæ actu causantis. Hinc optimè percipi valet, quòd denominatio *liberè volentis* in Deo sit defectibilis, per hoc præcise quòd deficiat connotatum: quia eo ipso quòd ipsa volitio necessaria Dei non terminaretur ad existentiam huius mundi, deficeret existentia huius mundi, & ipsa volitio ad eam terminata immobilis & omninò invariabilis quoad sua intrinseca permaneret.

Ad confirmationem respondetur, quòd existentia huius mundi potest considerari dupliciter per ordinem ad volitionem divinam: vel per modum obiecti voliti, vel per modum effectus. Quamvis existentia huius mundi non sit ab æterno per modum effectus, est tamen ab æterno per modum obiecti liberè voliti: & hoc

suffi-

sufficit, vt denominatio *Dei liberè volentis* sit contingens & defectibilis, non ex defectibilitate alicuius intrinseci ex parte ipsius volitionis, sed ex defectibilitate ipsius existentiæ, seu obiecti voliti, quod eo ipso quòd contingenter connectatur cum bonitate divina, volitio ipsa ad bonitatem divinam terminata contingenter etiam terminatur ad existentiam huius mundi tanquam ad obiectum secundarium.

84 Arguitur *tertiò*: Nam decretum Dei liberum est medium, in quo Deus cognoscit infallibiliter futura; sed hoc nequit stare, nisi in ipso decreto detur aliquid intrinsecum defectibile: ergo. Minor probatur: Decretum liberum Dei nequit esse medium, in quo Deus cognoscat infallibiliter futura, nisi in eo detur aliquid intrinsecum infallibiliter connexum cum futuritione; sed actus necessarius Dei absque additione alicuius intrinseci defectibilis non est infallibiliter connexus cum futuritione, quia indifferens est ad *fore* & *non fore* creaturarum: ergo nequit esse medium, in quo Deus infallibiliter cognoscat futura, nisi addatur ei aliquid intrinsecum defectibile.

Respondetur, quòd actus necessarius vt immutans creaturas, & denominans Deum *liberè volentem* est sufficiens medium, vt in eo cognoscantur futura: quia proutsic connectitur infallibiliter cum illis. Ad quod sciendum animadverte, quòd volitio necessaria Dei est ex se indifferens ad *fore* vel *non fore* creaturarum; sed quód sit volitio existentiæ huius mundi, oritur ex eo, quòd liberè se determinat ad productionem illius: ad quam determinationem non indiget aliquo superaddito; alias ex se non haberet actualitatem summam & infinitam in genere volendi. Supposita igitur hac determinatione omninò à se, volitio divina connectitur infallibiliter cum futuritione huius mundi, estque medium sufficiens, vt Deus cognoscens eandem volitionem vt determinatam ad productionem huius mundi cognoscat hunc mundum vt *futurum*. Hinc provenit, quòd Deus cognoscat liberè, & infallibiliter futura non in seipsis, sed in suo *velle* necessario: liberè, quia ita est determinatio ad *fore* huius mundi, quòd poterat se determinare ad *non fore* illius; & ita sicut est libera determinatio, ita est medium, in quo liberè cognoscatur *fore* prę *non fore*: infallibiliter, quia est volitio efficacissima & infrustrabilis.

Verum quidem est (vt sic præcaveamus tacitam obiectionem) quód connexio libera, quam importat *velle* necessarium Dei cum futuritione, est quid intrinsecum illi, & divinum, & quòd est defectibilis: Sed non ob hoc deficeret ei aliquid intrinsecum: quia dupliciter vna res potest connecti cum alia: vel necessario, eo modo quo omnipotentia connectitur cum possibilibus; & quod ita connectitur, vel connexio est indefectibilis, vel ipsa res, quæ connectitur, deficere posset quoad entitatem: Vel liberè, & hoc adhuc dupliciter: primo enim modo potest vna res liberè connecti cum alia, itaut ab ea dependeat; & quod ita connectitur, petit deficere quoad aliquid intrinsecum: & ob hanc rationem volitio creata connexa liberè cum obiecto aliquid intrinsecum amittit, dum ei deficit connexio libera cum eo. Secundo modo potest vna res liberè connecti cum alia non per dependentiam rei connexę à termino connexionis, sed econversò per dependentiam, quam terminus acquirit ab ipsa re connexa: & quod ita connectitur, non oportet, quòd pereat aliquid intrinsecum, pereunte ipsa connexione, sed sufficit, quòd terminus, cum quo connectitur, sit absolutè defectibilis. Ad hunc modum personalitas Verbi connectitur cum humanitate, per dependentiam videlicet humanitatis cum Verbo, & non econversò; & hac ratione nulla defectibilitas, vel additio fit Verbo divino, per hoc quòd transeat de *non esse connexo* ad *esse connexum*, sed tota mutatio se tenet ex parte humanitatis. Eodem ergo modo *velle* Dei necessarium liberè connectitur cum volito, quæ connexio ex parte divinæ volitionis nihil aliud est, quàm ipsa volitio necessaria vt connotans novam dependentiam creaturæ à seipsa, quæ potuit deficere.

85 Arguitur *vltimò*: Nam in decretis, sivè absolutis sivè conditionatis, nequit assignari sufficiens connotatum, ex cuius defectu possit deficere denominatio *Dei liberè volentis creaturas*: ergo tota defectibilitas denominationis pendet ex defectibilitate alicuius intrinseci ex parte decretorum Dei. Antecedens probatur: Nam decretum, sivè absolutum sivè conditionatum, non connotat aliquod *esse* obiectivum præter *esse* possibile creaturarum; sed *esse* possibile creaturarum non est sufficiens connotatum, ex cuius defectu possit deficere denominatio *Dei libere volentis creaturas*: ergò. Maior probatur: Nam futuritio, vt alibi diximus, non consistit in aliquo *esse* obiectivo distincto à decreto & à creatura possibil, sed in ipso decreto vt realiter & extrinsecè denominante *esse* possibile creaturarum: ergo nequit connotare aliquod *esse* obiectivum pręter *esse* possibile creaturarum.

Respondetur, quòd non potest negari, futura sivè absoluta, sivè conditionata terminare volitionem divinam, sivè decreta libera Dei, in suppositione quòd dentur huiusmodi decreta: vnde eo proportionali modo, quo terminant decreta, sunt connotatum sufficiens, ex cuius defectu deficere potest denominatio *Dei liberè volentis*. Verum tamen est, quòd ex parte creaturarum non datur aliud *esse* obiectivum intrinsecum præter *esse* possibile: sed hoc *esse* possibile vt determinatum extrinsecè per decretum si-

sicut est volitum per decretum; itaut liberè volitum in ordine ad existentiam sivè absolutam, sivè conditionatam est sufficiens connotatum, ex cuius defectibilitate in ratione *voliti* possit deficere determinatio Dei liberè volentis sine defectu alicuius intrinseci ex parte ipsius decreti.

§. VI.

Quidam quæstiuncula fit satis.

86 SEd inquires: An in divina voluntate possit dari novum decretum in tempore? Quod in duplici sensu intelligi potest: vel ita quód in ea detur novum decretum diversum à præcedenti; vel ità vt detur novum decretum in tempore, nullo alio ab æterno præcedente. Et ratio dubitandi est: nam propterea Deus non posset habere novum decretum in tempore, quia mutaretur realiter; sed si libertas actualis Dei consistit in actu necessario, modo hucusque explicato, Deus non mutaretur realiter aut formaliter, estò inciperet velle in tempore: quia tolùm inter veniret nova connotatio alicuius, quòd anteà non connotabantur, ex quo nihil intrinsecum actui Dei adderetur: ergò videtur Deum posse habere novum decretum in tempore.

Propter quod quidam Nominales apud Eminent. Aguirre tom. 2. disp. 38. asserunt Deum defactò incipere aliqua in tempore cognoscere & velle. Pro qua referuntur à quibusdam Recentioribus Delphinus, Gabriel, Maior, & Rubion. Quos sequi videntur plures Patres Societatis, vel quia affirmant denominationes *liberè* & *efficaciter amantis* & *odio habentis* advenire, vel perire adveniente, vel recedente peccato: vel quia constituunt decretum liberum Dei adæquatè, vel inadæquatè per aliquid creatum. His quodammodò aggregari potest Molina, qui quæst. 14. art. 15. ad 2. docet, ex novo decreto Dei in tempore non inferri mutationem physicam in voluntate divina, sed tantùm vicissitudinis obumbrationem: Et Suarez disp. 30. Metaphys. sect. 4. qui ait, tolùm inferri mutationem moralem, non physicam.

87 Sed dicendum est cum communi sententia Thomistarum, neutro modo suprà insinuato posse dari in voluntate divina novum decretum in tempore. Hæc resolutio aperte colligitur ex D. Thoma in præs. art. 7. in corp. & ad 4. Et, præterquàm quòd satis probata maneret ratione D. Thomæ, quam proximè dabimus, suadetur *primò* aliquibus inconvenientibus: Nam ex eo quòd Deus in tempore haberet novum decretum, retractans decretum, quod habuit ab æterno, argueretur esse inconstantem & imprudentem: & ex eo quòd haberet decretum erga aliquam creaturã possibilem non supponens aliud decretum ad eam terminatum, argueretur eius voluntatem non esse summè perfectam. Primam partem probatur: Nam qui cognoscit invariabiliter aliquod obiectum amabile secundùm omnes suas circumstantias, nequit non argui inconstantis & imprudentis, si modò illud vellet, quod anteà noluerat: nam mutare consilium, in rebus agendis, nulla variatione facta vel physica, vel obiectiva ex parte ipsarum rerum, quoddam genus inconstantiæ & imprudentiæ est, quod sæpè in hominibus contingit; sed intellectus divinus nequit manere suspensus circa aliquam creaturam possibilem, aut circa aliquam circumstantiam illius; cùm Deus ab æterno sit omniscius: ergo esset Deus inconstans & imprudens, si in tempore haberet decretum retractans decretum, quod habuit ab æterno. Secundam partem etiam suadetur: Nam voluntas in ea hypothesi maneret suspensa erga aliquod obiectum volibile & nolibile; & idcircò non esset adeò actualis ac intellectus divinus, vt dub. 4. probatum est: ergo non esset summè perfecta. Hanc rationem Recentiores Iesuitæ cum suo eximio Doctore iudicant satis efficacem ad suadendam præfatam resolutionem. Supereſt tamen eam probare ratione D. Thomæ.

88 Secundò probatur: Si in voluntate divina posset dari novum decretum in tempore, daretur mutatio physica ex parte Dei; sed Deus est omninò immutabilis: ergo. Minor est de fide. Et maior, quæ vnicè procedit contra Suarium & eius socios, quibus ratio D. Thomæ non placuit, probatur: Tum, quia voluntatem divinam incipere velle aliquid de novo, quod anteá nolebat, solùm oriri potest ex eo, quòd aliquid inciperet esse sibi bonum, vel ex eo quòd de novo illud vt sibi bonum apprehendat; sed primum arguit mutationem in divina substantia: *Sicut adveniente frigore* (est exemplum D. Thomæ loco suprà relato) *incipit esse bonum sedere ad ignem, quod priùs non erat*, quod arguit & supponit mutationem in nobis, vt ex se liquet: secundum arguit mutationem physicam in cognitione, vt docet Ang. Doctor suprà quæst. 14. art. 15. ad 2. his verbis: *Si tamen aliquid esset quod priùs Deus nesciviſſet, & posteà sciret, esset eius scientia variabilis*: ergo daretur mutatio physica ex parte Dei, in suppositione quòd daretur in eius voluntate novum decretum in tempore. Tum etiam: nam nova denominatio realis nequit resultare in aliquo, quin præsupponatur variatio, vel ex parte eius, cui advenit prædicta denominatio, vel ex parte connotati: & hac ratione denominatio *Domini* & *Creatoris* convenit Deo in tempore, quia datur mutatio ex parte creaturæ; sed si in Deo daretur in tempore denominatio nova *liberè volentis*, non daretur immutatio vlla ex parte obiecti volibilis, cùm volibile, prout præcedit divinam volitionem, sit purè possibile, quod eodem modo se ha-

habet nunc, ac ab æterno: ergo daretur immutatio intrinseca ex parte Dei.

89 Confirmatur hoc, simulque explicatur, & detegitur discrimen repertum inter denominationem *creantis*, & *liberè volentis*: Nam ideò denominatio *creantis* advenit Deo de novo absque mutatione ex parte Dei per solam inceptionem & mutationem connotati, quia denominatio hæc, quoad totum quod ad eam conducit, non petit mensurari æternitate tanquam mensura intrinseca; sed denominatio *liberè volentis* in Deo petit mensurari æternitate tam quoad rectum, quàm quoad connotatum: ergo nequit Deo advenire in tempore denominatio *liberè volentis*, nisi adsit mutatio ex parte Dei. Maior solùm eget explicatione: nam actio creationis significatur à nobis per modum actionis transeuntis ad *extrà*; & ideò ad denominationem *creantis* desideratur aliquid temporale prout est in seipso præsens in propria duratione creata, & ita sic considerata nequit, secundùm totum quod dicit, mensurari æternitate. Ex quo minor probatur: Nam denominatio *liberè volentis* provenit ab actu omninò immanenti, proindeque eius obiectum non est connotatum actionis; prout est in propria mensura, sed prout est in mensura ipsius actionis: *velle* enim & *cognoscere*, cùm sint actiones omninò immanentes, magis habent attrahere obiectum ad *intrà*: ergo obiectum vt terminans prædictas actiones potiùs mensuratur mensura ipsarum actionum, quàm mensura propria. Ex his demòm evidenter probatur consequentia: Nam si Deus inciperet velle in tempore, æternitas, quæ est propria mensura Dei, inciperet mensurare in tempore actionem Dei adæquatè immanentem: ergo ipsa æternitas haberet *prius* & *posterius*: quod vtique arguit mutabilitatem ex parte illius, vt tract. 1. disp. 5. dub. 2. latè probavimus.

Quæ omnia illustrari possunt eleganti testimonio D. Thomæ suprà quæst. 14. art. 15. ad 1. vbi sic ait: *Dicendum, quòd Dominus, & Creator, & huiusmodi important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipsas creaturas, secundùm quòd in seipsis sunt. Et ideò huiusmodi relationes variè de Deo dicuntur secundùm variationem creaturarum. Sed scientia, & amor, & huiusmodi important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur in Deo esse. Et ideò invariabilitèr prædicantur de Deo.*

90 Ex his respondetur ad rationem dubitandi adductam num. 86. quòd optimè stat, actum liberum Dei consistere in actu necessario, & mutari intrinsecè, si novum decretum in tempore daretur in voluntate divina. Nam quamvis accidere possit nova denominatio in tempore per solam mutationem connotati, hoc tantùm potest habere locum, quando denominatio pendet ex aliquo intrinseco & extrinseco, prout ipse ipso est secundùm propriam mensuram, quia tunc omnia requisita ad præfatam denominationem non mensurantur eadem mensura. Cæterùm denominatio *liberè volentis* estò requirat ad sui consistentiam connotare obiectum volitum; adæquatè tamen est intrinseca, quia provenit in recto ab actione adæquatè immanenti, de cuius ratione est, quòd trahat ad se obiectum, & quòd ad illud terminetur, prout est intra amantem. Quocircà cùm denominatio nova nequeat resultare nisi existente intrinseca mutatione vel ex parte formæ intrinsecæ, vel ex parte connotati, & mutatio obiecti in *esse entis* sit omninò de materiali ad denominationem *liberè volentis* formaliter vt talis iuxta superiùs dicta, relinquitur, quòd prædicta denominatio nequeat Deo de novo advenire, nisi detur mutatio intrinseca ex parte Dei.

91 Ex dictis duo colliguntur (vt sic præoccupemus duplicem instantiam) Primò, quòd Deus potuit ab æterno non velle, quòd defactò vult, quin ex eo arguatur vlla immutatio ex parte Dei, secùs verò si inciperet velle aliquod obiectum in tempore. Et ratio discriminis est, quia in hoc, quod est non velle ab æterno, quod defactò vult, semper servatur immutabilitas ex parte æternitatis mensurantis actum divinum adæquatè sumptum sivè sub denominatione *volitionis*, sivè sub denominatione *nolitionis*. At in eo quod est incipere velle in tempore, includitur, quòd æternitas mensuret in tempore, quod ab æterno non mensurabat: & hoc arguit mutationem intrinsecam ex parte ipsius æternitatis, cùm haberet *anteà* & *posteà*; & imperfectionem ex parte ipsius volitionis, cùm non haberet actualitatem summam, & infinitam.

Secundò, quòd Deus modo invariabili & ab æternum D. Patrum odio habet pro illa hora, in qua erat in peccato negationis, & illum ab æterno diligit pro toto tempore, quo est in gratia. Ad quod sufficit, quòd tempus quo erat in peccato, & tempus, quo est in gratia, mensurentur actu & ab æterno etsi extrinsecè ab æternitate, & quòd denominationes odio illum habendi, & amandi, ita sint æternæ, quòd connotent semper tempus, in quo erat in peccato, & tempus, quo est in gratia,

***

DISPUT. III.

De efficacia divinæ voluntatis.

1 HUcusque contemplati sumus voluntatem divinam per ordinem ad creaturas vt *volitas*, restat considerare eam per ordinem ad illas vt *effectus*, quod est idem ac agere de eius efficacia & causalitate. Porrò dubitari nequit voluntatem divinam esse causam creaturarum, dicente Ioann. 4. Apocal. *Propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Quod iterum probat D. Thomas in præs. art. 4. triplici ratione. *Prima est*: Quia omne agens sivè per naturam, sivè per intellectum agit propter finem, vt tradit Philos. 2. Physic. text. 49. ergo agenti per naturam præstituitur finis ab aliquo agente per intellectum: *sicut sagittæ prædeterminatur finis à sagittante*: ergo agens per intellectum est prius agente per naturam; sed Deus in ordine agentium est omninò primus: ergo agit per intellectum: & hac ratione opus naturæ dicitur opus *intelligentiæ*; sed quoad præsens in idem recidit agere per intellectum ac agere per voluntatem, vt latè diximus tract. præced. disp. 2. *per totam*: ergo &c. *Secunda est*: Nam omne agens per naturam sicut habet *esse* determinatum, ita producit effectum determinatum, modus enim operandi sequitur modum essendi, & hac ratione dicitur, quòd natura est determinata ad vnum; sed *esse* divinum non est determinatum in aliquo genere entis, sed continet in se omnem perfectionem essendi: ergo non agit ex necessitate naturæ, sed secundùm determinationem intellectus & voluntatis. Qua ratione ducti diximus disp. præced. Deum liberè tendere ad creaturas. *Tertia est*: Quia effectus præexistunt in causa secundùm modum causæ; sed *esse* divinum est eius *intelligere*: ergo effectus præexistunt in eo modo intelligibili: ergo procedunt a Deo modo intelligibili: ergo etiam per modum voluntatis. Patet hęc vltima consequentia: Tum, quia inclinatio ad agendum, quod intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem. Tùm etiam: quia agens per intellectum non agit ex naturæ impetu, maximè dum operatur liberè (vt sic præoccupemus exemplum processionis ad *intrà*:) sed agens liberum per intellectum agit etiam per voluntatem: ergo &c. Quo ordine gaudeant linea intellectiva & volitiva in ordine ad producendos effectus ad *extrà*, satis explicatum manet tract. præced. loco suprà relato. Quibus suppositis, plura & gravissima dubia circa efficaciam & causalitatem voluntatis divinæ possunt excitari, ex quibus illa tantùm seligemus, quæ ad eam declarandam sufficiant.

DUBIUM I.

Utrùm in Deo detur propriè voluntas antecedens de salute omnium hominum.

HOc dubium sub alijs terminis solet proponi, nimirum *An detur in Deo verè & formaliter, & non tantùm eminenter aliquis actus liber, qui nunquam impleatur.* Sed, re benè perpensa, vnum ex alio infertur: quia satis notum est voluntatem salvandi omnes non impleri quoad ipsam salutem completivè sumptum. Hæc controversia ad duo maximè conducit: tum ad exponendum illud Apost. 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*; tum ad efficaciam divinæ voluntatis intelligendam. Pro cuius maiori luce, aliqua præsupponenda sunt.

§. I.

Suppositiones nonnullæ.

2 SUpponendum est *primò*, voluntatem divinam rectè divini in voluntatem *beneplaciti*, & voluntatem *signi*. Ita D. Thomas cum Mag. Sent. in 1. dist. 45. & in præs. art. 11. & 12. & cum eo omnes Scholastici. Diversitas autem in his duabus voluntatibus consistit in eo, quòd voluntas beneplaciti verè & propriè in Deo est, secus verò voluntas signi nisi tantùm metaphoricè. Quod sic explicat, & probat: Nam voluntas signi non dicit, seu importat voluntatis actum, sed effectum signantem actum ipsum voluntatis; sed effectus voluntatis divinę non reperiuntur in Deo, licèt dentur actus ipsi signati: ergo propriè in Deo non datur voluntas signi.

Signa autem, quibus actus divinæ voluntatis signantur, ad quinque possunt reduci, quæ sunt præceptum, prohibitio, permissio, consilium, & operatio. Nam vt docet D. Thomas vbi suprà art. 12. potest aliquis declarare se velle aliquid vel per seipsum, vel per alium. Si per se, vel inquantùm facit, & sic est operatio; vel inquantùm non impedit operationem, & sic est permissio. Per alium potest quis declarare se operari velle, inquantùm ordinat aliud ad aliquid faciendum, quod fit vel præcipiendo, & sic est præceptum; vel prohibendo, & sic est prohibitio; vel persuasivè inducendo, & sic est consilium: ergo quinque sunt signa voluntatis divinæ, nempè præceptum, prohibitio, permissio, consilium, & operatio. Sed de hoc satis, quia parum habent difficultatis. Videatur tamen D. Thomas, cuius litera hæc dilucidè explanat.

3 Voluntas beneplaciti, quæ propriè & rectè sonat voluntatem, quæ reperitur in Deo, iux-

iuxta illud Apoſt. ad Rom. 12. *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens*, vl. teriùs poteſt dividi in voluntatem antecedentem & conſequentem, (& erit ſecunda ſuppoſitio) Quæ diviſio non aliter meliùs poteſt probari quàm ab authoritate. Illam ergo primus tradidit D. Damaſc. lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 29. quem poſtmodum ſequuti ſunt Mag. Sent. & D. Thomas, & omnes Theologi admittentes præfatam diviſionem. In explicanda tamen indole vtriuſque voluntatis diviſi ſunt Authores: nam plures Patres Societatis cum Molina docent, voluntatem dici *antecedentem*, quia præcedit noſtrum conſenſum; & *conſequentem*, quia illum ſuppo. nit.

4 Sed cum communi ſententia Thomiſtarum tenendum & ſupponendum eſt *tertiò*, voluntatem *antecedentem* non dici talem, quia noſtrum præcedat conſenſum; & conſequentem, quia illum ſupponat; ſed quia voluntas antecedens tendit ad obiectum ſecundùm ſe præciſivè à circumſtantijs, & voluntas conſequens tendit ad obiectum vt hìc & nunc cum omnibus circumſtantijs veſtitum. Ità D. Thom. in præſ. art. 6. ad 1. hoc modo explicans Damaſcenũ. Et quoad primam partẽ ſuadetur: Quia voluntas conſequens noſtrum præcedit conſenſum, cũ illum efficaciter inferat: ergo vel voluntas antecedens non diſtinguitur à conſequente; vel minùs rectè explicatur natura voluntatis antecedentis per hoc, quòd antecedat noſtrum conſenſum; & natura conſequentis per hoc, quòd illum ſupponat. Sed quia hęc ratio Patribus Societatis & principijs ſuæ ſcientiæ mediæ non arridet, ſuadetur: Nam voluntas prędeſtinativa præcedit prævisionem meritorum, & illa infert, vt cum pluribus Patribus Societatis docet vtraque Schola, Thomiſtica videlicet; & Scotica, vt tract. ſequenti videbimus; & tamen voluntas prædeſtinativa eſt voluntas conſequens, vt apertè docet Div. Thomas 1. ad Annib. diſt. 26. quæſt. vnica art. 2. ad 1. his verbis: *Prædeſtinatio includit voluntatem ſalutis non ſolùm antecedentem, ſed etiam conſequentem*: ergo. ¶ Et confirmatur: Nam voluntas, qua Deus vult aliquos perſeverare finaliter, antecedit noſtrum conſenſum, cùm non poſsit cadere ſub merito; & tamen huiuſmodi voluntas eſt conſequens in ſenſu prædictæ diſtinctionis, cùm ſit ſpecialis prædeſtinatis, & voluntas propriè antecedens ſit prædeſtinatis & reprobis communis: ergo voluntas conſequens præcedit noſtrum conſenſum.

5 Vt quoad ſecundam partem ſuadeatur ſuppoſitio: Nota *primò*, bonum poſſe conſiderari dupliciter: primò abſolutè & ſecundùm ſe; ſecundò vt veſtitum circumſtantijs, ita tamen quod bonum abſolutè ſeu ſecundùm ſe acceptum quodammodò antecedit ſe ipſum vt aſſociatum circumſtantijs particularibus: nam circumſtantia eſt velut accidens rei, & de ratione accidentis cuiuſcumque rei eſt ſupponere eſſentiam illius. Igitur voluntas, quæ terminatur ad obiectum ſeu bonum propoſitum ab intellectu ſecundùm ſe, dicitur voluntas *antecedens*, & voluntas tendens ad obiectum ſeu bonum propoſitum ab intellectu vt aſſociatum hìc & nunc omnibus ſuis circumſtantijs dicitur *conſequens*. Ad quod explanandum duplex exemplum ſatis accommodatum nobis offert D. Thomas: primùm eſt Iudicis, qui conſiderat hominem ſecundùm ſe, & ſic bonum eſt hominem vivere, & malum eum occidere; poteſt tamen illũ conſiderare prout eſt homicida, quod eſt idem ac illum conſiderare vt aſſociatum circumſtantijs hìc & nunc occurrentibus, & ſic bonum eſt illum occidere. Igitur Iudex voluntate antecedenti vult eum vivere, & conſequenti vult eum ſuſpendi. Cuius exempli meminit in præſ. Secundùm eſt mercatoris, qui voluntate antecedenti vult omnes ſuas merces ſalvare; ſed ſi conſideret ſalutem mercium per comparationem ad alia, videlicet ad ſubmerſionem navis, tunc voluntate conſequenti vult eas perire. Et huius exempli meminit loco citato ad Timoth. lect. 1. ¶ Nota *ſecundò*, quòd cùm voluntas divina ſit ſubiectivè ſimpliciſsima ex parte obiecti formalis, bonitatis ſcilicèt divinæ, nullam diverſitatem ex parte ſui poteſt habere. Unde diverſitas, qua gaudet in ratione voluntatis antecedentis & conſequentis, ſolùm poteſt deſumi per connotationem diverſi obiecti materialis.

Ex his probatur ſupra dicta ſuppoſitio quoad ſecundam partem. Nam diverſitas voluntatis antecedentis, & conſequentis nequit deſumi ex eo, quòd vna ſupponit noſtrum conſenſum, & alia præcedit; alias modus præſcriptus à D. Thoma eſt ſufficiens ad explicandam diverſitatem inter vtranque repertam: ergo ita tenendum eſt. Minor probatur: Nam talis eſt voluntas, quale eſt obiectum propoſitum ab intellectu; ſed bonum conſideratum ſecundùm ſe ſeu abſolutè eſt ſufficiens ad demonſtrandam voluntatem antecedentem, & ipſum bonum vt circumſtantijs aſſociatum eſt etiam ſufficiens ad declarandam voluntatem conſequentem, vt liquet exemplis ſuprà relatis: ergo &c.

6 Sed objicies cum Vazquio diſp. 86. huius 1. partis: Nam Damaſc. vbi ſuprà, ait: *Antecedens voluntas dicitur ex ipſo manans: voluntas autem conſequens à noſtro vitio ortum ducens*: ergo iuxta Damaſc. voluntas antecedens eſt illa, quæ nullam ex parte noſtra ſupponit cauſam ſeu meritum; & conſequens eſt illa, quę ſupponit merita, vel demerita pręviſa. Et confirmatur ex D. Thoma in 1. diſt. 46. art. 1. vbi ait: *Et hoc dicitur voluntas conſequens, eo quòd præſupponit præſcientiam operum.*

Reſ.

Respondetur, mentem Damasceni, & D. Thomæ esse satis claram, quia verbis nobis obiectis statim addidit: *Non tanquam causam voluntatis* (vt volunt Molina & alij Socij) *sed quasi rationem voliti*: id est, quia non vult aliquem salvare nisi accipiendo salutem illius cum circunstantia bonorum operum per modum obiecti voliti: nam Deus voluntate consequenti non vult salutem prædestinatorum vt præcisam à bonis operibus, sed vt associatam cum his circunstantijs, quod est verisimum: sed hoc non est idem ac merita prævisa esse causam ad hoc, vt voluntas divina velit illorum salutem, sed potius sunt effectus illius voluntatis. Et idem dicendum est de voluntate excludendi reprobos à regno. Vnde nullatenus concedendum est, quòd voluntas consequens titulo voluntatis consequentis debeat præsupponere prævisionem meritorum, aut demeritorum. Licèt non repugnet aliquam voluntatem consequentem præsupponere præscientiam demeritorum, ita vt voluntatem ipsam præcedant vt futura: Et hoc verificatur in voluntate puniendi reprobos, seu in voluntate reprobandi positivè, vt fusiùs dicemus tract. seq.

7 Ex dictis infertur *primò*, præfatam divisionem esse adæquatam, contra Vazquium, qui dicit decretum efficax concurrendi cum voluntate nostra non esse voluntatem antecedentem aut consequentem, sed mediam & concomitantem. Tum, quia non datur medium inter obiectum secundùm se, & vt associatum omnibus suis circunstantijs. Tum etiam: quia nomine voluntatis *antecedentis* iuxta dicta solùm intelligitur ea voluntas, quæ terminatur ad obiectũ secundum se, seu absolutè consideratum: & nomine voluntatis *consequentis* intelligitur ea, quæ terminatur ad obiectum vt cum suis circunstantijs associatum, itaut quodlibet genus antecessionis de materiali se habeat in eis; sed voluntas concomitans, quam adstruit Vazquez, terminatur ad obiectum vt hìc & nunc circunstantiatum: ergo pertinet ad voluntatem consequentem.

8 Infertur *secundò*, voluntatem Dei antecedentem esse secundumquid, & voluntatem consequentem esse voluntatem simpliciter. Ita D. Thomas in præs. art. 6. ad 1. & cum eo omnes eius discipuli. Et probatur: Nam de ratione voluntatis est tendere ad obiectum, prout in seipso est existens: ergo talis est voluntas, quo eius obiectum est existens; sed obiectum voluntatis antecedentis existit tantùm secundumquid, & obiectum voluntatis consequentis existit simpliciter: ergo voluntas antecedens est voluntas secundumquid, & consequens est voluntas simpliciter. Minor subsumpta probatur: Bonum, prout est obiectum voluntatis antecedentis, præscindit à circunstantijs; sed bonum absolutè & simplicitèr existens non præscindit à circunstantijs, vt ex se liquet: ergo obiectum voluntatis antecedentis est existens secundumquid, & obiectum voluntatis consequentis est existens simpliciter. Tum etiam: Nam bonum, quod est obiectum voluntatis antecedentis, tantùm existit in via seu in aliqua causa, & bonum, quod est obiectum voluntatis consequentis, existit in seipso: ergo illud existit secundumquid, & istud simpliciter. Tum denique: nam voluntas simpliciter talis ponit à parte rei saltem in affectu obiectum volitum; quod stare non potest, quin sit vestitum omnibus suis circunstantijs, quod est proprium voluntatis consequentis: econtrà voluntas secundumquid non ponit in re ipsum obiectum volitum adhuc in affectu, eo quòd non respicit illud nisi præcisivè à suis circunstantijs, & propterea dicitur à D. Thoma potiùs *velleitas* quàm volitio, quod est proprium voluntatis antecedentis: ergo idem quod priùs. Et confirmatur, simulque explicatur illo duplici exemplo Iudicis & mercatoris, quæ facilè à quovis possunt expendi.

9 Infertur *tertiò*, voluntatem antecedentem, & consequentem nullam oppositionem formalem inter se habere; imo non est necesse, quòd volitum voluntate antecedenti, sit nolitũ voluntate consequenti; quamvis id sæpè contingat, & oppositum. Quoad primam partem suadetur: Nam ad oppositionem formalem requiritur, quòd sit eiusdem, de eodem, & secundùm idem; sed res in præsenti non ita contingunt, quia voluntas antecedens tendit ad obiectum secundùm se seu in vniversali, & voluntas consequens tendit ad obiectum in particulari & vt circunstantiatum, vbi estò sit volitio, & nolitio eiusdem, non verò secundùm idem: ergo non habent oppositionem formalem inter se. Adde, dari existentiam vtriusque voluntatis respectu eiusdem obiecti vt liquet in exemplis suprà relatis, quod sufficiens signũ est nullius oppositionis. Quoad secundam partem etiã suadetur: Nam id, quod secundùm se & comparativè ad voluntatem habet rationem boni, vt associatum omnibus suis circunstantijs potest & manere sub ratione boni, & addere rationem maioris boni: vt liquet in Incarnatione, quæ secundum se est bona in ordine ad voluntatem divinam, & vestita cum circunstantis hìc & nunc occurrentibus habet rationem maioris boni, & sic terminavit vtranque voluntatem. Idemque contingit in prædestinatione D. Petri. Quod etiam potest haud leviter illustrari illo duplici exemplo Iudicis, & mercatoris, attentis alijs circunstantijs, quæ possunt occurrere: sicut in mercibus, si non adsit circunstantia submersionis navis, sed oppositа: & in homine, si non adsit circunstantia homicidæ, seu latronis. Quoad tertiam item probatur: Nam id quod secun-

ſecundùm ſe eſt bonum, poteſt eſſe malum vt adiunctum circumſtantijs, vt liquet in exemplo Mercatoris, & Iudicis, prout adducuntur à D. Thoma, & in ſalute Iudę: ergo ita eſt volitum voluntate antecedenti, quòd ſit nolitum voluntate conſequenti.

10 Tandem ſupponendum eſt, voluntatem antecedentem, qua Deus vult homines ſalvos fieri, non eſſe adæquate inefficacem. In hoc conveniunt omnes Thomiſtæ. Et ſuadetur breviter: Nam nulla eſt voluntas Dei erga creaturas pure affectiva: ergo ſi Deus ſincere vult ſalutem omnium, voluntas eius nequit eſſe adæquate inefficax, ſed aliquid debet efficere. ¶ Et confirmatur: Nam ex voluntate purè antecedenti deſcendunt media ſufficientia ad ſalutem, vt inquit D. Thomas in 1. diſt. 46 quæſt. 1. art. 1. his verbis: *Et huius voluntatis* (videlicet antecedentis) *effectus eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita tàm naturalia, quàm gratuita*: ergo non eſt adæquate inefficax. Quid verò dicendum ſit de decretis purè conditionatis, infrà videbimus.

His ita ſuppoſitis, circa prędipuum punctum huius controverſiæ duplex, & ſatis probabilis adhuc in via D. Thomę verſatur ſententia. Prima aſſerit, voluntatem antecedentem non eſſe formaliter in Deo, proindeque nullam in Deo dari voluntatem, quæ circa prędipuum volitum nunquam impleatur. Ita tenent D. Bonav. Scotus, Mai. Alexander, quos refert, & ſequitur Baſil. Legion. Variarum diſp. part. 1. quæſt. 6. ſcholaſtica cap. 12. Et ex Thomiſtis Bañez, Zumel, Navarrere, & noviſsimè Illuſt. Palanco & alij. Oppoſitam tenent communiter Recentiores tàm ex Ieſuitis, quàm ex Thomiſtis. Cum quibus ſit.

§. II.

Sententia D. Thomæ.

11 DIcendum eſt, voluntatem antecedentem, qua Deus vult homines ſalvos fieri, eſſe verè & formaliter in Deo, & conſequenter non omnem voluntatem in Deo formaliter exiſtentem impleri. Hæc concluſio ſufficienter deducitur ex illo Apoſt. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*: Nam verba Scripturę ſecundùm communem regulam accipienda ſunt in ſenſu proprio, quando ex eis nullum ſequitur inconveniens; ſed nullum ſequitur abſurdum ex eo, quòd prædictum teſtimonium, & alia huiuſmodi ſumantur in ſenſu proprio, vt ex infrà dicendis, & ex ſolutione argumentorum cõſtabit: ergo voluntas antecedens eſt verè & formaliter in Deo.

Et confirmatur *primò* ex SS. PP. Nam D. Auguſtinus, à quo Adverſarij ſibi præſidium quærunt, id docet in lib. *de Spiritu & lit.* cap. 33. vbi ait: *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri: non ſic quòd vt eis adimat liberum arbitrium, quo benè vel malè vtentes iuſtiſsimè iudicentur: quod cùm fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm eius evangelio non credunt.* Idem docet in lib. ad Artic. ſibi falsò impoſitos his verbis: *Sinceriſsimè credendum eſt, atque profitendum, Deum velle, vt omnes homines ſalvi fiant.* Quocircà D. Proſper. qui doctrinam D. Auguſtini ſemper tenuit, in reſponſ. 8. ad obiectiones Gallorum inquit: *Qui dicit, quòd Deus non omnes velit ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum ſit de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui omnes vult ſalvos fieri.* Scripturæ & Auguſtino adſtipulantur alij PP. vt Gregor. Euchumen. Theophilat. Ambroſ. Hieronym. Athanaſ. & alij.

Confirmatur *ſecundò* ex D. Thoma: Nam voluntas beneplaciti eſt voluntas proprie dicta, vt docet in præſ. art. 11. ſed voluntas antecedens in Deo eſt voluntas beneplaciti: ergo in Deo datur verè & propriè voluntas antecedens. Minor eſt expreſſa Aug. Præcept. quæſt. 23. *de Verit.* art. 3. vbi ait: *Voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur.* Idem docet in 1. diſt. 47. quæſt. 1. art. 2.

12 Huic rationi cum ſuis confirmationibus reſpondent Adverſarij, voluntatem, de qua Apoſt. Patres & D. Thom. ſolùm intelligi de ſalute prout contenta in medijs, ſecùs verò de ſalute in ſeipſa: neque voluntatem prout terminatam ad ſalutem in ſeipſa eſſe voluntatem beneplaciti, ſed tantùm ſigni; quamvis vt terminata ad ſalutem vt contentam in medijs ſit voluntas beneplaciti. Et in hoc ſenſu Palanco in præſ. quæſt. 11. n. 100. interpretatur communem ſententiam Thomiſtarum.

Sed contrà eſt: Tum, quia voluntas antecedens, de qua Apoſt. & Patres, debet intelligi de ſalute, prout eſt acceptum coram ſalvatore noſtro Deo orare; ſed non ſolùm eſt acceptum Deo orare pro ſalute omnium vt contenta in medijs, ſed etiam pro ſalute in ſeipſa: ergo iuxta mentem Apoſt. datur in Deo verè & propriè voluntas de ſalute omnium in ſeipſa. ¶ *Tum etiàm*: Nam Chriſtus non ſolùm mortuus eſt pro ſalute omnium vt contenta in medijs, ſed pro ſalute vt in ſeipſa: ergo Deus vere & propriè non ſolùm vult voluntate antecedenti ſalutem vt contentam in medijs, ſed etiam in ſeipſa. Patet conſequentia: nam voluntas Chriſti conformis erat cum voluntate Dei tàm antecedenti, quàm conſequenti.

13 Deinde probatur ratione: Deus ita naturam rationalem produxit, quòd eam in ſupernaturalem finem ordinavit, & ita vult omnibus hominibus media ſufficientia, quòd ea ordinavit in eundem vltimum finem ſupernaturalem; ſed non ſtat aliquid ordinari in finem aliquem,

quin talis finis verè & propriè ametur in seipso saltem voluntate antecedenti: ergo Deus voluntate antecedenti verè & proprie vult salutem omnium in seipsa. Maior liquet. Et minor probatur: nam electio mediorum necessarió supponit intentionem & amorem finis: ergo.

14 Respondet Palanco vbi supra num. 117. quòd volitio mediorum tunc supponit volitionem finis in seipso, quando ex parte actus vult media propter finem, hoc est, quando propter finem volitum vult media. At *Deus non propter hoc vult hoc*, vt inquit D. Thomas in prę. art. 5. *sed vult hoc esse propter hoc*: ad quod sufficit, quòd immediatè & formaliter velit ea media vt per se ordinata ad salutem.

Contrà est: Tum, quia, non obstanti quòd Deus *non propter hoc vult hoc*, quando vult aliquid efficaciter, non potest dari in eo volitio efficax mediorum, quin prę supponatur volitio efficax & formalis finis in seipso: ergo idem dicendum est de volitione inefficaci mediorum in ordine ad volitionem inefficacem finis. ¶ *Tum etiam*: Nam natura rationalis & media sufficientia ad salutem vel sunt per se ordinata ad illam, vel non? Sed quodcumque dicas, nequeunt ordinari in salutem, quin ipsa salus ametur à Deo formaliter in seipsa: ergo defactò ita amatur à Deo. Minor quoad primam partem suadetur: Nam implicat, aliquod medium esse per se ordinatum ad aliquem finem, & amari vt ordinatum ad huiusmodi finem, quin ametur formaliter ipse finis in seipso, sicut implicat cognosci conclusionem vt connexam cum principio, quin cognoscatur ipsum principium: ergo si natura rationalis & media sufficientia ad salutem sunt per se ordinata ad eam, & vt talia diliguntur à Deo, etiam debet diligi ipsa salus formaliter in seipsa. Quoad secundam partem suadetur eadem minor, & quidem vrgentiùs: Nam implicat, aliquid non esse per se ordinatum ad aliquem finem, & ad illum formaliter ordinari, quin ipsa ordinatio sit volitio formalis ipsius finis, cùm ex amore finis moveatur amans ad ordinanda illa media (per se non ordinata) ad talem finem: ergo cùm Deus produxerit naturam rationalem, & conferat media sufficientia ordinando ea ad salutem, nequit non formaliter amare ipsam salutem in seipsa.

15 Ultimò probatur nostra conclusio: Nam propterea non daretur in Deo formaliter voluntas de salute omnium, quia esset inefficax, & non impleretur; sed hoc non obstat: ergo. Minor probatur: Nam, non obstanti quòd non omnes homines obediant divinis preceptis, Deus habet voluntatem antecedentem, qua vult observari præcepta, quia observatio illorum semper est illi accepta: ergo, non obstanti quòd non omnes homines adipiscantur æternam salutem, Deus voluntate antecedenti vult formaliter salutem omnium in seipsa. Consequentia probatur: Tum quia non minùs accepta est Deo salus omnium in seipsa secundùm se, quàm observatio præceptorum secundùm se. Tum etiam: quia sicut Deus voluntate consequenti vult aliquos non salvari, ita voluntate consequenti permissiva vult aliquos non adimplere præcepta.

§. III.

Argumenta oppositæ sententiæ.

16 ARguitur *primò*: Nam omnis voluntas in Deo formaliter existens debet adimpleri erga obiectum immediatè & in seipso volitum; sed voluntas antecedens, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, non adimpletur erga salutem in seipsa: ergo voluntas antecedens, qua Deus vult salutem omnium, non est in Deo formaliter. Maior probatur: Tum ex illo Isaiæ 46. vbi dicit Deus de seipso: *Omnis voluntas mea fiet*. Tum ex D. Augustino in Enchirid. cap. 103. vbi textum Apost. pro quo adducitur hoc dubium, exponens sic ait: *Dum modò credere non cogamur, aliquid omnipotentem voluisse fieri, factumque non esse*.

Et confirmatur: Nam textum Apost. nunquàm ex posuit D. Augustinus de voluntate antecedenti: ergo signum est, quòd talis voluntas non est formaliter in Deo. Adde id, quod lib. *de Correct. & gratia* cap. 15. inquit, nempè: *Potest etiam sic intelligi, quòd omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle, sicut misit Spiritum filij sui clamantem Abba Pater, id est, nos clamare faciens*: ergo prædicta voluntas immediatè terminata ad salutem omnium hominum secundùm Augustinum non est in Deo formaliter.

Ad argumentum respondetur, negando maiorem. Ad cuius probationes, ex Scriptura & D. Augustino desumptas, dicendum est, ea testimonia intelligenda esse de voluntate consequenti. Ad confirmationem satis constat num. 11. vbi vidimus, D. Augustinum verba Apost. exposuisse etiam de voluntate antecedenti terminata ad salutem omnium hominum in seipsa.

17 Arguitur *secundò*: Nam implicat, volitionem erga media esse magis efficacem quam volitionem erga finem; sed si daretur in Deo verè & proprie voluntas de salute omnium hominum in seipsa, volitio mediorum esset magis efficax, quàm volitio finis: ergo. Minor constat: nam erga salutem in seipsa efficax non est, cùm efficax sit erga auxilia sufficientia, quæ sunt media ad salutem. Maior verò probatur: Nam implicat Deum velle media propter salutem volitam in seipsa, quin velit magis salutem in seipsa, iuxta illud axioma, *Propter quod unumquodque tale & illud magis*.

Et confirmatur: nam volitio purè inefficax

finis

finis adſummùm eſt quædam velleitas, qua quis vellet, ſed abſolutè non vult, ſed ex hac nemo eligit media, quia nemo propter id, quod vellet, ſed abſolutè non vult, abſolutè vult, aut abſolutè facit aliquid, ſed ad ummùm faceret & vellet: ergo volitio inefficax finis non eſt vere volitio illius; ſed talis eſt volitio Dei erga omnium ſalutem in ſeipſa, & propterea D. Thomas art. 6. ſuprà relato ad 1. ait: *Vnde magis poteſt dici velleitas quàm abſoluta voluntas*: ergo.

Ad argumentum reſpondetur, diſtinguendo maiorem: *implicat volitionem erga media eſſe magis efficacem*, quando media ſunt efficacia, concedo maiorem; quando non ſunt efficacia ad finem, nego maiorem. Nam quamvis repugnet, quòd volitio mediorum efficacium ſit magis efficax, quam volitio efficax finis, non tamen repugnat, quòd volitio mediorum inefficacium ſit magis efficax, quàm volitio inefficax finis. Et ratio diſcriminis colligitur ex natura ipſorum mediorum: media enim efficacia, eo ipſo quòd ſint efficacia, nequeunt poni in re, quin finis in ſeipſo ponatur in re, ideóque non eſt minùs efficax volitio finis quàm volitio mediorum efficacium; aliunde media efficacia amantur ratione finis: vnde de primo ad vltimum maior, magiſque efficax eſt volitio finis, quàm volitio mediorum efficacium. Cæterùm media inefficacia, eo ipſo quòd ſint inefficacia, & poſſunt amari gratia finis, aliàs non eſſet poſſibile medium inefficax in ratione medij; & poſſunt poni in re, quin eorum finis ponatur in ſeipſo. Et hoc contingit, quoties Deus voluntate antecedenti vult ſalutem omnium hominum in ſeipſa, quia efficaciter ponit ipſa media; ſed quia ipſa media efficacia non ſunt erga finem, propterea non oportet, quòd finis diligatur efficaciter.

Ad confirmationem reſpondetur, quód voluntas finis, ex cuius amore ponuntur in re ſeu efficaciter aliqua media, non debet dici tantùm *velleitas*, ſed eſt vera volitio finis. Dicitur tamen à D. Thoma *velleitas* potiùs quàm abſoluta voluntas, quia comparativè ad voluntatem efficacem finis eſt voluntas ſecundum quid. Igitur voluntas terminata ad ſalutem omnium hominum & exiſtens in Deo eſt talis conditionis, quòd ex ea moveatur ad ponenda efficaciter aliqua media etſi inefficacia ad ſalutem, propter quod non debet dici *pura velleitas*, ſed *poſitiva voluntas*.

18 Sed contra hanc ſolutionem objicies: Nam dum aliquis poteſt efficaciter ponere finem in ſeipſo, & non ponit illum, ſed tantùm media, plane convincitur non habere poſitivam voluntatem finis; ſed Deus poteſt omnes homines ſalvare, & non ſalvat: ergo voluntas, quam Deus habet de ſalute omnium, non eſt vera & poſitiva voluntas. ¶ Et confirmatur: Voluntas apud nos, quæ abſque incommodo poteſt aliquid vſque ad executionem mandare, & non mandat, non eſt vera & poſitiva voluntas: quod illuſtrari poteſt exemplo mercatoris: ſi enim abſque periculo poſſet ſuas merces conſervare, & non conſervat, ſed illas projicit in mare, planè convinceretur voluntatem illas conſervandi non eſſe veram & poſitivam; ſed Deus abſque vllo incommodo poteſt omnes ſalvare: ergo dum aliquos non ſalvat, planè convincitur non habere poſitivam voluntatem erga ſalutem eorum.

Reſpondetur ad obiectionem, diſtinguendo maiorem: *planè convincitur non habere poſitivam voluntatem* conſequentem, concedo maiorem; antecedentem, nego maiorem. Et ratio huius eſt: quia optimè poteſt quis habere poſitivam voluntatem alicuius finis ſecundùm ſe, itaut poſteà ſuperveniat aliqua circumſtantia ex parte obiecti, quæ per ſe inſpiciatur à voluntate, & ratione illius illa prior voluntas impediatur ab altera voluntate conſequenti terminata ad ipſum finem vt aſſociatum illa circumſtantia: quia ille finis, qui ſecundùm ſe habet ſufficientem bonitatem ad terminandam actu illam priorem voluntatem, quæ eſt antecedens, & de facto terminat, poſteà aſſociatus ſeu conſideratus cum illa circumſtantia poteſt habere rationem mali, ideòque voluntas terminata iam ad illum finem ſecundùm ſe poteſt per voluntatem conſequentem impediri, vt finis executioni mandetur. Ad quod de materiali ſe habet, quòd poſsit talis finis abſque vllo incommodo poni in re: quia ad hoc ſufficit, vt non poſitio finis ex vi illius circumſtantiæ conducat ad alium altiorem finem. Et ita contingit in ſalute omnium hominum, quæ conſiderata ſecundùm ſe poteſt amari à Deo voluntate antecedenti, quamvis quia non poſitio ſalutis in aliquibus conducit ad maiorem manifeſtationem omnium attributorum, poſsit ipſa ſalus impediri per voluntatem conſequentem. Per quod conſtat ad confirmationem.

19 *Inſtabis*: Nam fruſtranea & otioſa eſt voluntas in eo, qui nihil circa obiectum volitum efficit: imo ficta & illuſoria eſt in eo, qui ita vult ponere aliquem finem, quòd voluntate efficaci vult illum non ponere; ſed in Deo non debet concedi huiuſmodi voluntas fruſtranea & otioſa, & potiori titulo ficta & illuſoria: ergo cùm voluntas antecedens terminata ad omnium ſalutem ſit huiuſmodi, planè colligitur non dari in Deo formaliter.

Reſpondetur, negando maiorem, ſi ex vi illius voluntatis verè & ex animo tribuit medium ex ſe ſufficiens ad conſecutionem talis finis: vel ſi ex diverſo motivo vellet, & nollet ponere ipſum finem. Igitur dum Deus vult ſalutem omnium in ſeipſa, ex vno motivo vult omnes ſalvare, nempè quia conſiderat ſalutem omnium

nium ſecundùm ſe; & ex vi huius voluntatis, omnibus confert verè & ex animo auxilia ex ſe ſufficientia: & ex alio vult aliquos non ſalvare, nempè ex motivo oſtendendi defectibilitatem liberi arbitrij, ex cuius defectu, & non ex inſufficientia prædictorum auxiliorum, oritur, quòd non conſequantur ſalutem: & totum hoc vlteriùs conducit ad oſtenſionem attributorum Dei. Et dum res ita contingunt, voluntas ſalvandi neque eſt fruſtranea aut otioſa, neque eſt ficta aut illuſoria circa ſalutem. Sicut medicus propinans infirmo medicamentum ſufficiens ad recuperandam ſalutem, quamvis ſciat non ſortiturum effectum ex defectu infirmi, non illuſoriè, ficte aut otiosè illud propinaret, quia ad hoc vt ex animo & verè ei tribuatur, ſufficit, quòd medicamentum ſit ex ſe ſufficiens ad præſtandam ſalutem.

20 *Inſiſtes*: Nam ſi ſalus ſecundùm ſe ſeu in vniverſali accepta terminaret voluntatem divinam, vel terminaret vt purè poſsibilis, vel vt futura; neutrum dici poteſt: ergo. Minor quoad primam partem liquet ex dictis diſp. præced. dub. 3. Quoad ſecundam probatur: Nam ſalus omnium ſecundùm ſe ſeu in vniverſali nullo modo eſt futura, cùm proutsic non poſsit exiſtere: ergo non terminat in ſeipſa voluntatem divinam vt purè poſsibilis, aut futura. *Adhæc*: Auxilia ſufficientia ſunt indifferentia ad conſecutionem ſalutis: ergo ex vi illorum ſalus omnium non eſt futura, ſed poſsibilis. Patet conſequentia: nam ex cauſa purè indifferenti ad vtrumlibet nequit deduci futuritio vnius potius quàm alterius.

Reſpondetur, quòd ſalus omnium terminat voluntatem antecedentem in Deo exiſtentem vt *futura*, non abſolutè & ſimpliciter, ſed tantùm ſecundumquid & inchoativè. Ad quod ſatis eſt, quòd ex vi prædictæ voluntatis conferat omnibus auxilia ex ſe ſufficientia ad ſalutem: Nam cùm futuritio rerum conſiſtat in præparatione ſuarum cauſarum, vt ex D. Thoma alibi diximus, hinc eſt, quòd res eo modo eſt futura, quo præparantur cauſæ earum: auxilia autem ſufficientia ex ſe inclinant, & promovent homines ad æternam ſalutem, quamvis non ponant totalem determinationem ad eam, & hoc ſufficit, vt ſalus omnium ſit futura ſecundumquid & inchoativè, quę futuritio etiam ſufficiens eſt ad terminandum actum voluntatis divinæ. Dicitur tamen ſalutem ſecundùm ſe ſeu in vniverſali acceptam terminare actum voluntatis divinæ, non quia conſideratur ſalus in vniverſali logicè ſumpto, ſed quia ex vi prædictæ voluntatis ponuntur in re media, quæ dicuntur cauſæ vniverſales ſalutis. Ex his conſtat ad additamentum.

Hic reſtabat inquirere, an voluntas Dei conſequens ſemper impleatur. Sed hoc eſt adeò per ſe notum, vt nulla egeat diſcuſſione.

DUBIUM II.

Utrùm ex voluntate antecedenti non ſolùm offerantur, ſed etiam revera conferantur omnibus, & ſingulis adultis auxilia ſufficientia ad ſalutem?

21 EX dicendis in hoc dubio maiorem lucem accipient, quæ dicta ſunt in præcedenti. In quo vnum, quod pertinet ad Theologiam dogmaticam, ſupponimus; & aliud, quod attinet ad ſcholaſticam, inquirimus. Supponimus enim, Deum ex vi voluntatis antecedentis, qua vult omnes homines ſalvos fieri, offerre omnibus tàm parvulis, quàm adultis remedia generalia ad conſecutionem ſalutis. Pro quo ſciendum eſt, Cornelium Ianſenium lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 21. ſingularem doctrinam evulgaſſe, quæ catholicorum pacem turbavit, & in partibus Flandriæ, & Galliæ in factiones diviſit. In ea enim continentur quinque propoſitiones, ex quibus quinta negabat beneficium paſsionis & mortis Chriſti eſſe omnibus oblatum: & vi conſequentiæ negabat in Deo voluntatem ſalvandi omnes; quam Innocentius X. anno 1653. vt impiam, blaſphemam, contumelioſam divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaravit, & damnavit. Unde apud omnes Theologos certum eſt, Deum præparaſſe pro omnibus tàm parvulis, quàm adultis, tàm pro prædeſtinatis, quàm pro reprobis remedia ſufficientia ad ſalutem. Lis autem inter eos eſt, an ſolùm offerat huiuſmodi media; an reipsà ea conferat. Quod reſtringemus ad ſolos adultos, & ad auxilia non proximè, ſed remotè conducentia ad ſalutem: Tum, quia citra omnem controverſiam certum eſt, in parvulis decedentibus ſine baptiſmo, maximè in vtero materno, nullam realitatem ſupernaturalem recipi. Tum etiam: quia auxilia proximè conducentia ad ſalutem ſunt fides & charitas; & certum omnino eſt non omnes adultos recipere in ſe intrinſecè has virtutes. His breviter præmiſsis.

§. I.

Sententia noſtra.

22 DIcendum eſt, nullum eſſe adultum, in quo aliquod auxilium ſupernaturale intrinſecè non recipiatur, atque adeò Deum ex vi voluntatis antecedentis non ſolùm offerre, ſed etiam conferre omnibus adultis aliqua auxilia ſufficientia ad ſalutem. Ita N. Salm. tom. 5. tract. 14. diſp. 16. dub. 3. referentes pro hac ſententia innumeros Theologos tàm extra, quàm intra ſcholam D. Thomæ.

Et probatur *primò* authoritate D. Auguſtini lib. 83. Quæſtionum quæſt. 62. vbi air:

Hæc

Hæc vocatio, quæ ſivè in ſingulis hominibus, ſivè in populis, ſivè in ipſo genere humano per temporum opportunitates operatur, aliæ & profundę ordinationis eſt. Sed hæc vocatio nequit non eſſe ſupernaturalis, cùm altæ & profundæ ordinationis ſit: ergo ſi de ea docet Auguſtinus operari in ſingulis populis & hominibus, quod eſt idem ac recipi, plane infertur, iuxta mentem Auguſtini nullum eſſe adultum, in quo aliquod auxilium ſupernaturale non recipiatur. Idipſum colligitur ex ijs, quæ docet lib. *de Spiritu & Lit.* cap. 27. loquens de gentibus his verbis: *Sicut ipſa imago Dei renovatur in mente credentium per teſtamentum novum, quam non penitùs impietas aboleverat: ita ibi* (id eſt in mente infidelium) *lex Dei non ex omni parte deleta per iniuſtitiam profectò inſcribitur renovata per gratiam.* Sed hæ authoritates nequeunt intelligi de gratia omnibus & ſingulis oblata, ſiquidem gratia, quę *operatur* & qua lex Dei *inſcribitur*, nequit non eſſe gratia actu recepta: neque de gratia ſpeciali entitativè naturali: nam gratia, quæ eſt altæ & profundæ ordinationis, & quæ tendit perfectè aut imperfectè ad deſtructionem culpæ, nequit eſſe entitativè naturalis: ergo iuxta D. Auguſtinum omnibus & ſingulis adultis confertur aliquod auxilium ſupernaturale.

Et confirmatur ex D. Proſpero D. Auguſtini fidiſſimo diſcipulo, qui lib. 2. *de Vocat. gent.* cap. 29. ſic ait: *In extremis mundi partibus ſunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia ſalvatoris illuxit, quibus tamen illa menſura generalis auxilij, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur.* Quo quid clarius? Videantur inſuper alia teſtimonia ex eodem D. Proſpero, & Paulo Oroſio D. Auguſtini propugnatore ſtrenuo, & ex D. Greg. Nyſſeno apud N. Salm. loco ſupra relato num. 62. & apud Magiſtrum Lardito *de Voluntate Dei* tract. 3. dub 4. num. 12. & 13.

23 Deinde probatur ratione deſumpta ex doctrina D. Thomæ ab omnibus eius diſcipulis recepta, quam tradit 1. 2. quæſt. 89. art. 6. Et poteſt ad hanc formam reduci: Nam omnis homo ad vſum rationis perveniens tenetur ſe convertere ad Deum vltimum finem, ad quam converſionem ſequatur iuſtificatio; ſed ſine gratia intrinſeca ſupernaturali nequit elicere converſionem, ad quam infallibiliter ſequatur iuſtificatio: ergo omni homini ad vſum rationis pervenienti confertur aliquod auxilium ſupernaturale. Maior eſt D. Thomæ loco citato. Et minor probatur: Nam nullus actus ſolis viribus naturę elicitus poteſt eſſe ſufficiens diſpoſitio, ad quam infallibiliter ſequatur gratia ſanctificans, vt docent communiter Theologi in tract. *de Auxilijs*: ergo ſine gratia intrinſeca ſupernaturali nequit homo elicere converſionem, ad quam infallibiliter ſequatur iuſtificatio.

24 Neque effugies pondus huius rationis, ſi dicas ſufficere, quòd auxilia ordinis ſupernaturalis ſint promiſſa & præparata extrinſecè. Non (inquam) effugies: Tum quia vt homo dicatur poſſe per auxilia gratiæ elicere converſionem, ad quam ſequatur iuſtificatio, neceſſe eſt, vt ea oblatio & præparatio ipſi homini innoteſcat; qui enim caret omni notitia prædictorum auxiliorum, non poteſt ea petere, vt ex ſe liquet; ſed per lumen naturale non poteſt cognoſcere eſſe ſibi à Deo oblata: ergo neceſſe eſt, quòd ei conferatur aliquod auxilium ordinis ſupernaturalis. Tum etiam: nam ſi ea oblatio ſeu prępara-tio auxiliorum ſufficeret, vt verificetur poſſe elicere converſionem, ad quam ſequitur iuſtificatio, & ad quam homo perveniens ad vſum rationis tenetur, ſequitur, quòd omnis homo teneretur ad credenda myſteria fidei, proindeque nullus daretur infidelis negativè, ſiquidem omnibus ſunt præparata auxilia proximè ſufficientia ad credendum; hoc eſt contra D. Thomam 2. 2. quæſt. 10. art. 1. vbi docet plures dari infideles negative: ergo vel converſio, ad quam homo tenetur, dum ad vſum rationis primò pervenit, non connectitur nec per ſe, nec per accidens cum iuſtificatione, vel in primo inſtanti rationis confertur omni homini aliquod auxilium ordinis ſupernaturalis.

25 Propter hæc Illuſtriſ. Godoy tract. & diſp. infrà referendis num. 95. ad enervandam præfatam rationem, docet duplicem eſſe converſionem, aliam naturalem, & alteram ſupernaturalem, inter quas hoc eſt diſcrimen, quòd ſupernaturalis connectitur per ſe cum iuſtificatione, ſecùs verò naturalis. Addit, quòd eſtò homo perveniens ad vſum rationis intra ordinẽ gratiæ, qualis eſt ille, qui de myſterijs fidei illuminatur, teneatur ad converſionem ſupernaturalem, & hac ratione conferantur ei auxilia ſupernaturalia; ille verò, qui tantùm pervenit ad vſum rationis intra ordinem naturæ, ſolùm tenetur ad converſionem naturalem, ad quam nullum auxilium ſupernaturale eſt neceſſarium. Concludit tamen, quòd ad hanc converſionem infallibiliter per accidens ſequitur iuſtificatio: quia homo exiſtens in peccato nequit potentia conſequenti ponere huiuſmodi converſionem. Iuxta quæ videtur ſalvare, & quòd non omni homini confertur auxilium intrinſecum ſupernaturale: & quòd omnis, qui adimplet prę-ceptum, infallibiliter iuſtificabitur.

Sed contrà eſt: Nam ad ſummam Dei bonitatem, liberalitatem, atque ſuavitatem divinæ providentię ſpectat, ſuppoſita hominum elevatione ad finem ſupernaturalem, vt omnibus beneficij eius capacibus, antequàm propria voluntate in peccata labantur, conferat eam potentiam, quæ non tantùm ſufficit ad adimplenda præcepta, ſed etiam eam, quæ ſufficiens ſit ad conſequendam ſalutem, ad

quam

quam ſunt elevati ; ſed homo , in quo nullum auxilium ſupernaturale intrinſecè eſt receptum, eſtò habeat potétiam ad adimplendum præceptum converſionis,ad quam tenetur in primo inſtanti vſus rationis, non tamen habet potentiam ſufficientem ad conſequendam ſalutem, vt ſupponit prędicta ſolutio : ergo omni homini pervenienti ad vſum rationis Deus non ſolùm tribuit potentiam ſufficientem ad adimplendum præceptum , ſed etiam conducentem ſaltem remotè ad ſui iuſtificationem.

Et confirmatur : Nam non rectè cohęret cum ſuavi providentia Dei , quòd defactò elevet naturam rationalem ad finem ſupernaturalem , & quòd non provideat pro omnibus ad vſum rationis pervenientibus iuxta capacitatem eorum remedium ſufficiens , vt gratiam iuſtificantem & vitam æternam conſequi valeant ; ſed potentia phyſica ad converſionem naturalem, eſtò ſit ſufficiens ad adimplendum præceptum, ad quod omnes ad vſum rationis pervenientes tenentur , non tamen eſt ſufficiens remedium ad gratiam iuſtificantem & vitam æternam conſequendam : ergo omnibus ad vſum rationis pervenientibus defactò confert aliquod auxilium ſupernaturale. Patet conſequentia : quia nullum donum naturale ſufficiens eſt ad gratiam conſequendam , neque ſtatutum à Deo ſcimus illam conferre operantibus totum , quod poſſunt ſolis viribus naturæ , quia illum axioma , *Facienti quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam*, ſolùm habet locum in facienti viribus gratiæ totum, quod eſt in ſe.

§. II.

Aliæ duæ rationes pro noſtra ſententia.

26 PRobatur inſuper noſtra concluſio alia ratione , deſumpta ex illo Apoſt. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* : Nam hoc teſtimonium potiſsimè locum debet habere reſpectu eorum , qui ad vſum rationis perveniunt , ante quem nullus eſt capax agnoſcendi veritatem: ergo ſi Deus vult omnes iſtos ſalvos fieri , debet huic voluntati correſpondere in omnibus & ſingulis eorum aliquis effectus , in quo ipſa reſplendeat ; ſed auxilia ſupernaturalia proximè vel remotè ad ſalutem ſufficientia & conducentia ſunt effectus prędictæ voluntatis: ergo Deus ex vi huius voluntatis confert omnibus & ſingulis adultis aliqua auxilia ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem. Omnia conſtant præter primam conſequentiam,quæ ſic probatur : Nam non deſideratur ſincerè finis , ſi non apponantur media ad illum aſſequendum ; maximè ſi ſit in manu deſiderantis illa apponere : ergo ſi Deus ſincerè vult omnes & ſingulos adultos ſalvos fieri , debet huic voluntati in ſingulis eorum aliquis effectus correſpondere conducens ad ſalutem.

Et confirmatur ex illo Ioann. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: In quibus verbis ſermo eſt de illuminatione pertinente ad ordinem gratiæ , ob idque ſpecialiter tribuitur adventui & meritis Chriſti , & per eum dicitur illuminari omnem hominem, quando in hunc mundum venit , id eſt (vt exponit N. Cyrillus) quando per vſum rationis incipit vivere vt homo : ergo concedenda eſt pro omnibus prædicta illuminatio. *Roboratur* : Nam illa illuminatio intelligitur , qua omnes homines poſſunt credere & converti,iuxta mentem Auguſtini lib. 1. *de Geneſi* contra Manichæos cap. 3. vbi ait : *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit ,ſed pura corda eorum , qui Deo credunt , & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad eius præcepta ſervanda convertunt. Quod omnes homines poſſunt , ſi velint* (perpende verba) *quia illud lumen omnem illuminat venientem in hunc mundum* ; ſed illuminatio , qua omnes homines poſſunt credere & converti , ſi velint , nequit non eſſe auxilium aliquod ſupernaturale in omni homine ad vſum rationis pervenienti intrinſecè recepto : ergo. Minor probatur : Nam illuminatio naturalis non eſt talis , qua homo poſſit credere & converti,ſi velit ; aliunde ſi nullum auxilium ſupernaturale recipiat intrinſecè , non poteſt velle credere aut ſe convertere , cùm nec poſsit petere auxilium , quo poſsit credere & converti : ergo illuminatio , de qua loquitur Ioannes, & qua omnes homines ad vſum rationis pervenientes illuminantur , debet conſiſtere in aliquo auxilio ſupernaturali intrinſecè in eis recepto.

27 Reſpondet Godoy num. 51. rationi, quòd illa voluntas , qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri , eſt antecedens , ex qua non ſequitur omnibus conferre intrinſecè remedia ſufficientia ad ſalutem , ſed tantùm conferre extrinſecè remedia pro omnibus inſtituta , vt ſunt ſacramenta , & offerre alia media intrinſeca. ¶ Confirmationi reſpondet , quòd illa illuminatio vel intelligitur de vocatione ad legem naturæ; vel ſi intelligatur de vocatione ad legem gratię, ſolùm eſt voluntate antecedenti , qua præparantur media generalia & extrinſeca ad omnium illuminationem.

Sed hæc ſolutio in primis intactam relinquit vim confirmationis tàm quoad legem naturæ , quàm quoad legem gratię : Quia illuminatio quoad legem naturæ non conducit ad fidem & converſionem , de qua Evangelium : & illuminatio in lege gratiæ debet eſſe talis,vt homo perveniens ad vſum rationis poſsit, ſi velit, ſe diſponere ad fidem & converſionem ſupernaturalem;ſed homo non poteſt velle ſe diſponere ad fidem & converſionem , ſi ex vi voluntatis an-

antecedentis Deus solùm præparat auxilia ad salutem conducentia, quia ad hoc requiritur aliqua cognitio supernaturalis, quam nemo habere potest absque auxilio supernaturali intrinsecè inhærenti: ergo.

Deinde refellitur eadem solutio adhibita rationi: Nam frustranea est voluntas, quæ tantum offert auxilium sufficiens ad salutem illi, qui penitùs ignorat id, quod offertur; sed homo ad vsum rationis perveniens, nisi habeat aliquod auxilium supernaturale intrinsecè receptum, non habet potestatem adhuc antecedentem ad cognoscenda media sivè intrinsecè, sivè extrinsecè conducentia ad salutem, cùm sint objectum supernaturale: ergo vel non datur in Deo sincera & positiva voluntas salvandi omnes; vel in singulis recipitur aliquod auxilium supernaturale conducens saltem remotè ad salutem.

Et confirmatur: Nam iuxta Patres Deus ita vult omnes homines salvos fieri, vt stet per ipsos homines ad vsum rationis pervenientes, quòd salutem supernaturalem non consequantur: nam vt inquit Magnus Parens Augustinus lib. 4. Contra Iulianum cap. 8. *Ideò non omnes salvos fieri, quia ipsi nolunt petere, tum Deus velit dare* (quæ verba tantùm habent locum in adultis, vt ex se liquet) sed data hypothesi, quod nullum auxilium in aliquo adulto recipiatur, non stat in voluntate eius, quòd salutem consequatur, sicut non stat in voluntate eius petere id, quod à Deo offertur, vt ex supradictis constat: ergo.

28 Tandem probatur nostra conclusio, destruendo præcipuum fundamentum sententiæ contrariæ: Nam ideò Deus non conferret omnibus adultis aliquod auxilium, quia fides est initiù omnis iustificationis in eis, quam certù est in pluribus barbaris non existere: & quia nullus daretur infidelis negativè; sed primum est falsum, & secundum non sequitur: ergo defactò confert Deus omnibus adultis aliquod auxilium sufficiens ad salutem. Minor quoad primam partem probatur: Nam plures actus supernaturales tàm ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis in conversione infidelium per se loquendo præcedunt actum fidei strictè sumptæ: ergo fides non est initium omnis iustificationis adultorum. Antecedens probatur tum ex Concil. Trident. sess. 6. *de Iustificat.* cap. 6. vbi ait: *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt:* Vbi apertè significat, Deum infundere actum aliquem supernaturalem indeliberatum media aliqua gratia excitante ad liberè credendum, qui ob hoc separabilis est ab ipsa fide. Tum etiam: nam ad actum strictum fidei requiritur, quòd præcedat in voluntate actus pię affectionis, quo homo se moveat ad credendum: ergo cùm actus piæ affectionis sit entitativè supernaturalis, necesse est, quòd iudicium tàm speculativum, quàm practicum regulans voluntatem ad illum sit etiam supernaturale: ergo pro priori ad actum strictum fidei debent dari aliqui actus supernaturales tàm ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, à quibus incipiat initium fidei. Quam probationem desumpsimus ex Magno Parenti Augustino lib. 2. Contra duas epist. Pelagian. cap. 8. vbi relatis illis verbis Apost. 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis*, sic arguit: *Quis non videat prius esse cogitare, quàm credere? Nullus enim credit, nisi priùs cogitet esse credendum. Et hoc vult Apost. non esse ex nobis, sed ex gratia.* Qui pro hac probatione plura voluerit, recolat N. Salm. tract. 14. disp. 3. à num. 80.

Tum præterea: nam Concilia, & Patres communiter admittunt gratiam vocationis & inspirationis ad fidem præviam; sed huiusmodi gratia importat aliquas operationes supernaturales, quibus homo incipit attendere, & affici ad salutem: ergo. Tum denique, & vrgentiùs: nam inquocumque ordine actus deliberatus supponit aliquem actum indeliberatum eiusdem ordinis, qui fit à Deo tanquam à causa speciali, eo modo quo primus motus angelicus procedit à Deo iuxta sententiam communem Thomistarum; sed actus fidei est per se loquendo actus deliberatus, cum procedat ex applicatione liberæ voluntatis, quæ fit per supradictam piam affectionem: ergo actus strictus fidei præsupponit per se loquendo aliquem actum supernaturalem ex parte intellectus, & voluntatis.

29 Quoad secundam partem probatur eadem minor: Nam vt aliquis sit infidelis contrarie, non sufficit quilibet actus supernaturalis, sed requiritur propositio explicita mysteriorum fidei sub motivo divinæ revelationis, iuxta illud Apost. Roman. 10. *Ergo fides ex auditu*; sed stat optimè, quòd aliquis ad vsum rationis perveniens habeat aliquem actum supernaturalem tàm ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, & quòd mysteria fidei ei explicitè non ostendantur: quia non est idem habere aliquos motus, quibus anima quodammodò afficitur ad salutem, ac mysteria fidei ei explicitè proponi, vt ex se liquet: ergo ex eo, quòd omni adulto conferantur aliqua auxilia, non sequitur nullum adultum esse infidelem negativè. *Explicatur*: Nam vt quis excusetur à peccato infidelitatis, sufficit, quòd invincibiliter ignoret divinam revelationem, & obligationem credendi; sed nulla repugnantia datur in eo, quòd quis habeat aliquod auxilium remotè disponens ad fidem, & quòd invincibiliter ignoret divinam revelationem, & obligationem credendi, vt ex se liquet: ergo infidelitas negativa non est in-

com-

compatibilis cum collatione aliquorum auxiliorum ſupernaturalium. *Addè*: Nam in ſententia Adverſariorum, vt quis non excuſetur à peccato infidelitatis, ſufficit, quòd Deus offerat auxilia proximè ſufficientia ad credendum; & nihilominus cum oblatione iſta optimè ſtat ignorantia invincibilis erga myſteria ſupernaturalia, & præcepta, & obligationem eorum: ergo pariter ſtabit ignorantia invincibilis erga præceptum credendi cum collatione alicuius auxilij ſupernaturalis conducentis ad ſalutem.

§. III.

Sententia contraria.

30 ADverſus noſtram aſſertionem ſentiunt Bañez 1. part. quæſt. 23. art. 3. dub. 3. Gonçalez ibidem diſp. 77. ſect. 3. Ledeſma quæſt. vnica *de Auxilijs*, Godoy 1. part. diſp. 73. §. 4. Gonet quæſt. 5. *de Reprob.* art. 5. & alij Iuniores intra Scholam D. Thomæ. Pro quibus arguitur *primò* ab authoritate: Nam Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. ait: *Deus ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi priùs ab eis deſeratur*; ſed hæc deſertio nequit intelligi de ſubtractione gratiæ efficacis, cùm hæc abſque hominis culpa multoties ei denegetur: neque intelligi valet de ſubtractione gratiæ habitualis, vt fautores primæ ſententiæ fatentur, inquit Godoy: ergo Deus non confert omnibus adultis auxilium ſufficiens ad ſalutem.

Et confirmatur *primò* ex D. Auguſtino lib. *de Correct. & gratia* cap. 11. vbi ait: *Si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quàm primùm facti ſunt, defuiſſet, non vtique ſua culpa cecidiſſent: adiutorium quippè defuiſſet, ſine quo manere non poſſunt. Nunc autem quibus tale adiutorium deeſt, iam pœna peccati eſt.* In quibus verbis ſermo eſt de illa gratia, qua deficiente, non imputaretur ad culpam Angelo, vel Adamo defectus operationis; hæc autem nequit eſſe auxilium efficax, cùm omnis qui peccat, careat illo: ergo iuxta Auguſtinum auxilium ſufficiens nunc pluribus denegatur in pœnam præcedentium peccatorum.

Et confirmatur *ſecundò* ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 2. art. 5. vbi ad primum argumentum ſic ait: *Dicendum, quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Quod quidem auxilium quibuſcumque datur, miſericorditèr datur: quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis, vt inquit Auguſtinus.*

Ad argumentum reſpondetur, teſtimonium Concilij intelligi debere de ſubtractione gratiæ habitualis: quia loquitur de hominibus iuſtificatis, à quibus verum eſt Deum non ſubtrahere gratiam, niſi Deus priùs deſeratur ab illis per peccatum. Neque ab interpretatione hac alieni ſunt Authores Thomiſtæ, vt falsò inquit Godoy; quamvis Vazquez illud interpretetur de ſubtractione alterius auxilij. *Maximè*: Quia ſubtractio gratiæ ſufficientis, de qua loquitur Concilium, ſupponit culpam perſonalem, ratione cuius talis gratia denegatur; & ſic habere non poteſt locum in parvulis primò pervenientibus ad vſum rationis.

Ad primam confirmationem ex authoritate Auguſtini deſumptam: Reſpondetur, quòd in eius verbis ſermo fit de gratia proximè ſufficienti ad perſeverandum, & ad adimplenda præcepta ſupernaturalia, qualis collata fuit Angelo & Adamo in primo ſuæ conditionis inſtanti. De iſta gratia inquit Auguſtinus, & meritò, quòd aliquibus nunc non datur in pœnam alicuius peccati ſaltem originalis. Sed cum hoc optimè cohæret, quòd omnibus ad vſum rationis pervenientibus conferat aliud auxilium longè imperfectius remotè conducens ad ſalutem. Per quod ad ſecundam confirmationem conſtat: quia authoritas Div. Thomę nihil aliud eſt quàm confirmatio doctrinæ & ſententiæ Div. Auguſtini.

31 Sed inſtabis cum Gonet; quòd Auguſtinus ſerm. 11. *de Verbis Apoſt.* cap. 4. ait: *Communis eſt omnibus natura, non gratia.* Idem tradit D. Thomas quæſt. 24. *de Verit.* art. 15. his verbis: *In nullo videntur omnes homines convenire, niſi in aliquo naturali*; Sed ſi omnibus adultis Deus conferret auxilium ſufficiens, etiam in eo omnes homines convenirent: ergo. ¶ Reſpondetur, quòd propterea dicitur omnes homines tantùm convenire in natura: quia in omnibus natura eſt eiuſdem rationis, & auxilia non ſunt in omnibus eiuſdem rationis: nam pluribus confertur gratia habitualis, alijs fides & ſpes, & alijs alia auxilia imperfectiora remotè diſponentia ad fidem & iuſtificationem. *Vel dic*: quòd natura dicitur communis, non gratia: quia natura invenitur in omnibus ſivè parvulis ſivè adultis, gratia verò non recipitur in parvulis. *Vel tandem dic*: vtrunque ſanctum Doctorem loqui vel de gratia fidei ſtrictè dictæ, vel de gratia habituali, quarum nulla eſt omnibus communis.

32 Arguitur *ſecundò*: Nam collatio omnis auxilij ſupernaturalis eſt vera gratia; ſed Deus vt ſuam gratiam veram eſſe demonſtret, neceſſe eſt, vt non omnibus & ſingulis adultis illam conferat, aliàs videretur eſſe donum naturaliter debitum: ergo non omnibus confert auxilium ſufficiens ad ſalutem. ¶ Et confirmatur *primò*: Nam vbi non eſt ius ad finem, neque eſt ius ad media; ſed peccatum tàm origi-

originale, quàm perſonale lethale aufert ius ad beatitudinem ſupernaturalem, ad quam homo ratione elevationis ad eam habebat aliquod ius ſaltem radicale: ergo etiam excludit ius ad auxilia ſufficientia, quæ ſunt media ad beatitudinem. ¶ Confirmatur *ſecundò*: Nam peccatum mortale cauſat mortem ſpiritualem; ſed homini mortuo non debetur aliquod principium, ratione cuius recuperare poſsit vitam ſpiritualem: ergo. ¶ Confirmatur *tertiò*: Nam, ſuppoſito peccato originali, potuit Deus ex iuſtitia omnes homines relinquere ſine auxilijs ſufficientibus: ergo quibus dat ea, miſericorditer dat, & ex pura gratia: ergo vt appareat eſſe gratiam, oportet illam aliquibus denegare.

Ad hoc argumentum cum omnibus ſuis confirmationibus vnico verbo reſpondetur, fatendo collationem auxilij ſupernaturalis eſſe meram gratiam, nullumque hominem peccato originali infectum habere ius ad illud. Ex hoc tamen ineptè arguitur Deum aliquibus defactò illud denegare: Sicut ineptè ex hoc argueretur, quòd Deus iuxta ſententiam contrariam non offert omnibus auxilia ſufficientia, neque inſtituit Sacramenta pro omnibus, neque Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, neque Deum velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri: hęc enim omnia gratia ſunt, & homo vel ſecundùm ſe, vel ratione peccati originalis nullum ius ad dicta habet. Unde ſicut Deus ex iuſtitia potuit hæc omnia denegare omnibus & ſingulis hominibus, non tamen alicui denegat, quia non eſt decens ſuæ bonitati & ſuavitati ſuæ providentię omnes homines ad ſupernaturalem finem elevare, & media omnia ad eum conſequendum denegare, aut non offerre, nullo prœeunte peccato perſonali in eis; ita non eſt decens eidem bonitati & providentiæ, nullo exiſtenti peccato perſonali, non conferre reipsà auxilia intrinſeca ſufficientia eis, qui illorum ſunt capaces, vt ſunt adulti. Et ſicut illa omnia ſuprà relata, eò quòd pro omnibus tàm parvulis, quàm adultis offeruntur, & adhibeantur, non deſinunt eſſe gratia, ita de auxilijs omnibus adultis collatis dicendum eſt.

33 Arguitur *tertiò* (& erit replica contra proximè dicta) Nam omnibus parvulis non confert Deus aliquod auxilium intrinſecum ſufficiens ad ſalutem: ergo non omnibus adultis illud confert. Antecedens eſt certum in parvulis, qui decedunt in vtero materno, & alijs ante vſum rationis morientibus inter infideles. Conſequentia probatur tum ex D. Auguſtino lib. 4. Contra Iulianum cap. 8. vbi ait: *Deus non eſt benevolentior ſceleratiſsimis & impijſsimis hominibus propria voluntate repugnantibus, quàm innocentiſsimis parvulis, qui propria voluntate non repugnant ſaluti, & ſola originali culpa ſunt inquinati.* Tum etiam: nam Deus non ſolùm adultos, ſed etiam parvulos vult ſalvos fieri; & tamen ſtat cum hac voluntate, quòd non conferat parvulis auxilium aliquod intrinſecum ſufficiens ad ſalutem: ergo etiam cohæret, quòd illud deneget aliquibus adultis. Tum denique: nam magis demeritorium eſt peccatum perſonale, quàm originale: ergo ſi Deus in pœnam peccati originalis aliquibus parvulis denegat omne auxilium intrinſecum, veroſimilius eſt illud denegare pluribus addultis. *Ad hęc*: Nam non magis meretur peccatum mortale privationem vſus rationis, quàm privationem omnium auxiliorum; ſed multoties Deus privat hominem vſu rationis in pœnam præcedentis peccati ſivè perſonalis, ſivè originalis: ergo idem debet dici de privatione auxiliorum.

Reſpondetur, concedendo antecedens; ſed negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt: quia Deus confert media ſufficientia ad ſalutem ſecundùm capacitatem vniuſcuiuſque & naturalem & communem ordinem providentię, quem Deus vult obſervare. Parvuli autem, antequàm ad vſum rationis perveniant, nequeunt elicere aliquem actum ſupernaturalem, & hac ratione pro illo ſtatu nequeunt recipere auxilia, quæ vnicè ordinantur ad operandum, qualia ſunt ea, de quibus procedit quæſtio; & cum aliunde Deus habeat voluntatem conſequentem plures damnandi antequàm ad vſum rationis perveniant, cum qua voluntate extra miraculum oppoſitionem habet gratia habitualis, vt ex ſe liquet, inde eſt, quòd iuxta connaturalem exigentiam rerum Deus non debet conferre pluribus parvulis aliquod auxilium intrinſecum. Sufficit ergo, quòd conferat pro eis remedium baptiſmi. Sed quia Sacramentum hoc applicandum eſt miniſterio hominum ſub præſcripta verborum forma & cum alijs circumſtantijs, quę omnia nequeunt ſervari attenta communi providentia cauſarum naturalium, propterea aliquibus parvulis Deus reipsà non confert aliquod auxilium intrinſecum. Oppoſitum accidit in adultis, in quibus poſſunt recipi auxilia deſervientia vnicè ad operandum, neque oppoſitionem vllam habent cum voluntate conſequenti illos damnandi.

34 Ad primam probationem deſumptam ex D. Auguſtino reſpondetur, quòd ex illo teſtimonio nullo modo poteſt inferri Deum denegare omnibus adultis omnia auxilia, cùm evidens ſit Deum pluribus ex illis impijſsimis & ſceleratiſsimis conferre non ſolùm auxilia ſufficientia, ſed etiam gratiam ſanctificantem, quamvis nullum auxilium intrinſecum conferat pluribus parvulis, ideóque benevolentior eſſe ſolet erga magnos peccatores tàm voluntate antecedenti quàm conſequenti, quàm erga plures parvulos innocentes. Neque oppoſitum deducendum eſt ex teſtimonio Auguſtini. Solùm enim in eo intendit convincere Iulianum ad hominem, qui

dicebat parvulos damnari propter præviſa peccata, quæ perpetrarent, ſi viverent: & ad hoc refutandum inquit Auguſtinus, quòd Deus nequit eſſe benevolentior erga magnos peccatores, quàm erga parvulos innocentes. Ex quibus facilè conſtat ad ſecundam probationem. *Ad tertiam*: Reſpondetur, ſolùm probare, quòd Deus poſt aliquod peccatum lethale perſonale pluribus non conferat auxilium intrinſecum ſufficiens, hoc autem non pugnat cum noſtra cõcluſione indefinite poſita: nam parvulus primò ad vſum rationis perveniens non ſupponit aliquod peccatum perſonale. *Maximè*: Quia eſtò peccatum perſonale lethale ſit magis demeritorium quàm originale, Deus tamen pro omni tempore non exequitur omne id, quod iuſtiſsimè poteſt intuitu ipſius peccati, aliàs hominem anihilaret, ſed in hac vita ſemper relinquit aliquam ſpem ad ſalutem, vt aliqua differentia detur inter iam damnatum, & hominem peccatorem exiſtentem in hac vita. Per quod conſtat ad additamentum: Nam quamvis peccatum lethale perſonale, ſeu originale non minùs mereatur privationem omnium auxiliorum quàm privationem vſus rationis; nihilominus aliter diſcurrendum eſt de miſericordia Dei in ordine ad homines, dum eos privat vſu rationis, & dum eos non privat: nam dum eos privat vſu rationis ex vi præcedentis peccati, eadem ferè ratio habenda eſt de illis, ac de parvulis qui decedunt ante vſum rationis; & ſicut iſtis, quia non ſunt in ſtatu ſe diſponendi ad ſalutem, denegat omne auxilium ſupernaturale; pariter eis, quos punit amentia continua, denegat omne auxilium conducens ad ſalutem. At ſemel quòd Deus non eos puniat privatione vſus rationis (quamvis eos iuſtiſsimè poſſit punire, imò & anihilare) vult ex miſericordia illos relinquere in ſtatu capaci cõſequendi ſuam ſalutem; & vt illos diſtinguat à damnatis, oportet, vt eis conferat aliqua auxilia ad illam conſequendam.

35 Ultimò arguitur: Nam fides ſupernaturalis myſteriorum fidei neceſſaria eſt ad ſalutem; ſed Deus pluribus denegat auxilium ſufficiens ad credendum: ergo eis denegat auxilia ſufficientia ad ſalutem. Maior eſt de fide. Et minor probatur cum communi Theologorum ſententia ex D. Thoma 2.2. quæſt. 10. art. 1. aſſerente dari in pluribus adultis infidelitatem negativã; ſed hoc ſtare non poſſet, ſi Deus omnibus conferret auxilia ſufficientia ad credendum: ergo. Minor probatur: Nam infidelitas negativa non habet locum in ijs, qui poſſunt credere, & ad id tenentur; ſed illi, quibus Deus confert auxilia ſufficientia ad credendum, poſſunt credere, vt ex ſe liquet, & tenentur credere, iuxta illud Apoſt. ad Hebræos 11. *Oportet credere quòd eſt, & quòd remunerator eſt*: ergo.

Et confirmatur: Nam fides eſt prima diſpoſitio ad iuſtificationem, vt tradit Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. his verbis: *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis*: ergo etiam eſt primum auxilium ſufficiens ad ſalutem; ſed fides pluribus non confertur: ergo Deus non omnibus adultis donat auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Ad hoc argumentum ſunt, qui reſpondeant, quòd in homine, qui primò pervenit ad vſum rationis, non datur infidelitas negativa, quia Deus protunc omnem hominem ſufficienter illuminat circa illa duo ſimpliciter & generaliter omnibus neceſſaria neceſsitate medij ad converſionem, de quibus Apoſt. loquebatur loco proxime relato. Cum quo rectè cohæret, quòd habeat infidelitatem negativam circa aliqua peculiaria myſteria fidei, v. g. circa Euchariſtiam, Incarnationem, & neceſsitatem baptiſmi. Cohæret etiam cum eo, quòd in pluribus detur infidelitas negativa circa omnia myſteria ſupernaturalia in maiore ætate: ad quod ſufficit, vt homo illius illuminationis erga illa duo priora decurſu temporis obliviſcatur: & hoc facilè contingit in illa tenera ætate, in qua facilè à noſtra memoria ſubterfugit id, quod nobis a Deo inſpiratur. Quæ ſolutio eſt ſatis probabilis, quia ſalvat ſufficienter doctrinam D. Thomæ, & omnium Thomiſtarum erga infidelitatem negativam, ad quam D. Thomas nullum determinat tempus. Eamque ſequuntur Illuſtr. Godoy (cuius eſt hoc argumentum, & quod *potiſsimum* appellat pro ſua opinione) 1. 2. diſp. 42. num. 62. Ferre tom. 1. *de Virtut. & vitijs* tract. 2. quæſt. 1. num. 5. §. *Sed ſecundò reſpondetur*, Lardito *de Voluntate Dei* tract. 3. dub. 4. num. 29. & alij plures.

36 Sed hac ſolutione in ſua probabilitate relicta: Reſpondetur, iuxta doctrinam datam num. 29. fatendo quòd in pluribus ad vſum rationis pervenientibus datur infidelitas negativa. Sed ex hoc ineptè colligitur Deum illis denegare auxilia ſufficientia: quia cum collatione aliquorum auxiliorum ſupernaturalium pertinentium tàm ad intellectum, quàm ad voluntatem optimè ſtat ignorantia invincibilis tàm revelationis, quàm obligationis credendi. Quod tunc contingit, quando myſteria fidei non proponuntur explicitè vel per internam revelationem, vel per externam prædicationem; vel etsi proponantur explicitè, non tamen cum ea ſufficientia & manifeſtatione credibilitatis, vt ſtatim homines aſſenſum præbere teneantur: quod locum habere poteſt etiam inter fideles & baptizatos, vt optimè notarunt N. Salm. tract. 13. diſp. 13. num. 13. Verum quidem eſt (præoccupatur tacita obiectio) quòd eo ipſo quòd conferantur eis aliqua auxilia ſupernaturalia, tenentur ad aliquam converſionem ſupernaturalem, quia qualis eſt notitia, talis debet eſſe converſio ad quam tenentur, itaut ſi notitia fuerit explicita, tenebitur ad explicitam & perfectam converſio-

ſionem ſupernaturalem; ſi implicita, ad implicitam. Sed non eſt idem teneri ad quancumque converſionem ſupernaturalem ac teneri ad credendum fide ſtricte dicta alicui myſterio fidei: quia hoc petit proponi explicite, & cum ſufficienti manifeſtatione revelationis, & credibilitatis, quod non fit per quancumque illuminationem internam ſupernaturalem. Auxilium tamen collatum ad præfatam converſionem imperfectam eſt talis conditionis, quòd ſi homo ei cooperetur, Deus conferet auxilium proximè ſufficiens ad credendum & ad perfectam converſionem, iuxta illud axioma, *Facienti quod eſt in ſe* (ſcilicet viribus gratiæ) *Deus non denegat gratiam*, non ex vi alicuius meriti aut connexionis inter cooperationem primi auxilij, & fidem & gratiam habitualem, ſed ex vi promiſſionis divinæ. Ex quo colligitur ſtare optime, quòd homo ad vium rationis perveniens peccet mortaliter in non apponendo converſionem imperfectam, ad quam ex vi illius auxilij imperfecti tenetur; & quòd in eo detur infidelitas negativa: quia aliud eſt præceptum credendi explicitè myſteria fidei, ad quod requiruntur conditiones ſuprà aſſignatæ; & aliud convertendi ſe ad Deum converſione imperfecta, ad quam ſemper præſupponitur præfatum auxilium remotè diſponens ad fidem, in cuius receptione nulla eſt in homine libertas. ¶ Ad confirmationem ſatis conſtat ex dictis num. 28. Teſtimonium autem Concilij poteſt intelligi de fide ſtricte dicta: vel de fide imperfecta, ſed diſponente ad fidem perfectam & ſtrictè dictam.

37 Ex dictis colligitur, in peccatoribus obſtinatis recipi auxilia aliqua ſufficientia ad ſalutem, non ſolùm quia eis conferuntur in primo inſtanti vſus rationis, ſed quia conferuntur etiam in ſenſu compoſito ſuæ obſtinationis. Quia hoc congruit ſummæ bonitati Dei, vt homini, dum eſt in ſtatu pœnitendi, conferat aliqua media ſufficientia ad ſuam converſionem. Neque oppoſitum colligitur ex D. Auguſtino ſerm. *de Verbis Domini* vbi ait: *Cùm vult, non poteſt: quia quando potuit, non voluit: ideò per malum velle perdidit bonum poſſe.* Nam Angelic. Doct. 3. part. quæſt. 86. art. 1. ad 2. in ſimili Auguſtinum ſic exponit: *Dicendum, quòd illud verbum Auguſtini ſic intelligendum eſt: tanta eſt labes illius peccati, vt deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, ſcilicet, de facili: ſecundùm quod dicitur illum non poſſe ſanari, qui non poteſt de facili ſanari.*

Cum quo ſtat, quòd obſtinati non recipiant auxilia intrinſeca in omnibus momentis aut temporibus, ſed rariùs, quàm alij peccatores. Difficultas tamen eſt, quibus occaſionibus Deus conferat ea? Circa quam vnum tenendum eſt, videlicet, illa præſtare in ea occaſione, in qua homo obligatur inexcuſabiliter ad adimpletionem alicuius præcepti ſupernaturalis, & priùs nullum auxilium recepit conferens vires ſivè proximas, ſivè remotas in ordine ad prædictam occaſionem. Ita communiter Theologi. Et apertè ſequitur ex ijs, quæ Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. ait: *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuvat vt poſſis.* Et ex D. Auguſtino ſerm. 191. *de Temp.* vbi ait: *Execramur eorum blaſphemiam, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini eſſe præceptum: & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.* Ex quibus deſumitur ratio: Nam ſi Deus denegaret auxilium ſufficiens, quando obligat præceptum, quod non poteſt adimpleri niſi per vires ſupernaturales, obligaret homines ad aliquid impoſſibile; hoc iuxta præfata teſtimonia eſt falſum: ergo. Diximus *& priùs nullum auxilium recepit*: quia ſi homo recepit antea auxilium remotum, vt ſe diſponeret ad auxilium conducens proximè ad adimpletionem præcepti, & prævidit occaſionem mox futuram, in qua inſtabat obligatio, quamvis in eadem occaſione nullum habuiſſet auxilium, non redderetur inexcuſabilis: quia voluntarie ſe indiſpoſuit ad recipiendum auxilium proximum: ſicut contingeret in eo, qui voluntariè proijceret breviarium in mari cum prævisione obligationis ad recitandum toto tempore navigationis. Et ita contingit in eo, qui obligatur ad eliciendum actum charitatis, cuius principium, iuxta noſtra principia, eſt vnice gratia habitualis, & eſt in ſtatu peccati: non enim ob hoc deobligatur ab adimpletione prædicti præcepti: Tum, quia potuit prævidere occaſionem, in qua inſtaret tale præceptum: Tum, quia medijs alijs auxilijs remotè diſponentibus ad gratiam poteſt ſe diſponere, flagitando & inſtando, quibus ſi benè vſus fuerit, fit capax vlterioris auxilij proximi, & infallibiliter illud Deus conferet.

DUBIUM III.

An in voluntate divina poſſint dari, & de facto dentur decreta conditionata?

38 PRO huius dubij luce: Nota, decretum ſeu propoſitum voluntatis poſſe dici conditionatum vel ex parte actus, vel ex parte obiecti. Primum non eſt efficax voluntas, ſed dumtaxat velleitas qua nihil decernitur, ſed remittitur decernendum in futurum ſub conditione: vt ſi dicam, *Vellem ire Matritum, ſi vocarer à Rege*: & propterea hæc voluntas reverà non datur, neque exiſtit, daretur tamen, & exiſteret, ſi poneretur conditio. Secundum verò eſt actualis voluntas & reſolutio voluntatis defactò preſens: ſuſpenditur tamen executio illius, donec apponatur conditio, qua acce-

accedente reducitur ad actum : vt si dicam,*Volo & voveo ire Romam , si convaluero ab infirmitate.* Tunc enim datur præsens & efficax voluntas talis peregrinationis,sed expectatur conditionis futuritio. Igitur prima voluntas est cõditionata tam ex parte actus , quam ex parte obiecti , quia non solùm expectat conditionem aliquam, vt agat , sed etiam vt velit : Secunda verò dicitur absoluta & efficax ex parte actus: quia non suspendit determinationem voluntatis,sed solam executionem,donec adveniat conditio. Titulus dubij solùm procedit de decreto absoluto & efficaci ex parte actus , & conditionato ex parte obiecti,non verò de decreto conditionato tam ex parte actus , quam ex parte obiecti : quia absque vlla controversia certum est,hoc vltimum non habere locum in Deo,alias posset habere decretum novum in tempore, contra id quod statuimus disp. præced. dub.5. §.6.

Nota *secundò* , decretum hoc subiectivè seu ex parte actus absolutum, & obiectivè conditionatum esse in duplici differentia. Aliud enim est ita conditionatum,vt nihil velit absolutè ex parte obiecti ; & hoc meritò potest dici purè conditionatum ex parte obiecti. Alterum est ita conditionatum , vt aliquid velit absolutè ex parte obiecti : quo existente principale,volitum conditionatè fiat existens conditionatè. Sit exemplum in eo, qui vovet ire Romam,si convaluerit ab infirmitate:certè is absolutè vult salutem perfectam , licèt ob impotentiam purificandi conditionem votum maneat conditionatum.Et in hoc sensu voluntas generalis & antecedens,qua Deus vult omnes salvos fieri,dicitur *absoluta* & *efficax* respectu ordinis generalis creaturę rationalis ad finem salutis : & ob hanc rationem Deus defactò omnibus confert absolutè auxilia sufficientia iuxta capacitatem vniuscuiusque, vt diximus dub. præced. Dicitur tamen *conditionata* in ordine ad ipsam salutem in seipsa,quia non ordinatur homo ad salutem nisi dependenter à conditione , quòd homines eis vti velint, quam conditionem absolutè non decernit in pluribus.Quam doctrinam mirè docuit D.Thomas in 1.Sent. dist.46. quæst. 1.art. 1.ad 2.his verbis:*Dicendum,quòd voluntas antecedens potest dici conditionata : nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis , sed ex parte voliti,quod non accipitur cum omnibus suis circumstantijs, quę exiguntur ad rectum ordinem in salutem.*

39 Titulus dubij intelligendus est non solùm de decreto,quo Deus absolutè velit aliquid ex parte obiecti sed etiam de decreto,quo nihil velit absolutè ex parte obiecti. Circa quod triplex est sententia. *Prima* asserit , in Deo non existere vlla decreta conditionata.Ita Vazquez 1.part. disp.67. cap. 4. num.21. & 22. Herice in tract. *de Scientia Dei* disp. 7. cap. 7. & communiter Patres Societatis.Quibus adhęrent Thomistę illi, qui negant Deo cognitionem infallibilem alicuius futuri conditionati, quos retulimus tract. præced. disp.4. num. 15. In quo Patres Societatis secernuntur:nam non obstanti quòd negent existentiam alicuius decreti conditionati,censent Deum cognoscere certò & infallibiliter futura conditionata. Inter hos Authores annumerari possunt illi,qui tantùm concedunt in Deo cognitionem certam & infallibilem futurorum conditionatorum, quæ revelata sunt in Scriptura sacra, quos recensuimus loco citato.*Secunda* defendit,in Deo tantum existere ea decreta, quibus Deus ex parte voliti aliquid vult absolute.Ita Illust.Palanco *de Volunt. Dei* quæst. 10. referens pro hac sententia Zumelem, Bañez, & Navarrete. *Tertia* & vltima sententia docet,in Deo esse verè & formaliter decreta absoluta ex parte actus , & conditionata ex parte obiecti circa omnes combinationes possibiles conditionatas , proindeque existere in eo plura decreta purè conditionata ex parte obiecti,idest plura decreta,quibus nihil absolutè vult ex parte obiecti Hanc sequuntur communiter Thomistæ,& cum eis N. Salm. tract. *de Scientia Dei* disp. 9. dub. 5. eorumque mentem explicamus sequenti assertione.

§. I.

Nostra sententia.

40 DIcendum est, dari in Deo decreta absoluta ex parte actus,& conditionata ex parte obiecti erga omnes combinationes possibiles conditionatas,& ideò esse in eo plura decreta,quibus nihil ex parte obiecti absolutè decernat. Et probatur *primò* contra Patres Societatis:Nam in communi eorum sententia dantur defacto futura conditionata;sed omnis futuritio vera dependet essentialiter à Dei decreto actu & ab æterno existenti:ergo.Minor probatur: Nam res absolutè, sivè conditionatè futura nequit se sola extrahere à statu possibilitatis ad statum futuritionis : ergo huiusmodi transitus fit mediante decreto Dei actu & ab æterno existenti. Antecedens est certum : nam omnis effectus creatus dependet essentialiter à primo ente & eius causalitate.Consequentia verò probatur: Nam omne decretum Dei mensuratur æternitate : ergo si res se sola non transit de statu possibilitatis ad statum futuritionis sivè absolutæ, sivè conditionatæ, planè infertur, quòd in Deo existunt actu & ab æterno decreta absoluta ex parte actus,& conditionata ex parte obiecti.Recolantur,quæ diximus tract. præced. disp.3.per totam,& disp.4.item per totam,quibus in locis communes evasiones Adversariorum refelluntur.

41 Et confirmatur in principijs scientiæ me-

medię : nam ideò in Deo non darentur decreta absoluta ex parte actus,& purè conditionata ex parte obiecti , quia nullam immutationem important ex parte Dei,aut ex parte creaturarum, & implicat Deum absolute ex parte sui velle aliquid liberè,quin detur aliqua immutatio saltem ex parte creaturæ ; sed hæc ratio est nulla: ergo dantur in Deo huiusmodi decreta. Minor probatur : Non minùs repugnat,in Deo existere cognitionem absolutam contingentem,quin detur aliqua immutatio vel ex parte Dei , vel ex parte creaturarum , quàm existere in Deo decretum absolutum ex parte Dei,quin detur immutatio aliqua vel ex parte Dei , vel ex parte creaturarum ; hoc non obstanti , iuxta sententiam Adversariorum datur in Deo scientia absoluta obiecti purè conditionati absque immutatione sive ex parte Dei, vt supponitur,sive ex parte obiecti , alias non esset pure conditionatum sed partim absolutum & partim conditionatum,vel adæquatè absolutum:ergo idem potest dici de decretis terminatis ad futura purè conditionata.Maior probatur : Nam propterea nequit absolutè existere in Deo decretum, quin detur immutatio aliqua vel ex parte Dei, vel ex parte creaturarum quia nequit intelligi novum prædicatum Dei liberum & contingens , rebus omnibus invariabiliter persistentibus ; sed hæc ratio æquè probat circa cognitionem contingentem scientiæ mediæ : ergo.

42 Probatur *secundò* ratione:Nam possibiles sunt infinitæ combinationes conditionatæ tàm ex rebus pertinentibus ad hoc vniversum, quàm ex rebus possibilibus pertinentibus ad aliud vniversum possibile:ergo Deus omnes eas cognoscit scientia simplicis intelligentię: ergo etiam est possibile, quòd Deus decernat circa *fore*, vel *non fore* vniuscuiusque rei possibilis sub conditione ergo defactò dantur in Deo decreta absoluta ex parte actus,& conditionata ex parte obiecti. Antecedens cum prima,& secunda consequentia liquet. Et vltima,in qua tantùm potest esse difficultas,probatur : Nam voluntas divina nequit ab æterno manere suspensa circa aliquod obiectum quomodocumque volibile,aut nolibile, propter rationem assignatam disp. præced. dub.4.ergo si est possibile quòd Deus decernat circa *fore*,vel *non fore* vniuscuiusque rei possibilis sub conditione , defactò habet decretum circa *fore*,vel *non fore* vniuscuiusque rei dependenter ab aliqua conditione possibili.

Explicatur hoc : Nam obiectum conditionatum sub conditione possibili in alia providentia non minus est volibile,aut nolibile à volũtate divina,quàm scibile a scientia divina; sed voluntas divina non est minus actualis & perfecta quam scientia : ergo sicut scientia Dei ob sui summam & infinitam perfectionem & actualitatem terminatur actu & ab æterno ad illud obiectum,ita voluntas divina: ergo defactò in voluntate divina datur decretum absolutum, quo velit *fore*,vel *non fore* illius obiecti. Iam sic;sed hoc decretum est purè conditionatum , cùm ex vi illius decreti nihil velit , aut nolit absolutè, quamvis per aliud decretum absolutum tàm ex parte actus , quàm ex parte obiecti velit non existentiam illius obiecti , & conditionis, a qua dependet : ergo dantur defactò in Deo decreta absoluta ex parte actus & purè conditionata ex parte obiecti. Hęc ratio cum explicatione proximè data est non parùm efficax, maximè contra eos Thomistas , qui ex vna parte negant in voluntate divina suspensionem negativam erga aliquod obiectum volibile , & ex alia renuunt concedere vllum decretum purè conditionatum ; vel estò concedant erga futura conditionata revelata in sacra Scriptura , negant tamen decreta erga omnes combinationes possibiles conditionatas.

Et confirmatur *primò* : Nam idem iudicium ferendum est de omnibus possibilibus conditionatis,ac de omnibus possibilibus absolutis ; sed quia voluntas divina nequit manere suspensa, nullum est obiectum absolutum,erga quod Deus nihil absolutè positivè decernat: ergo nullum est obiectum possibile conditionatum , erga quod Deus nihil positivè decernat dependenter a conditione.

43 Confirmatur *secundò* , præcludendo communem evasionem recentiorum Thomistarum.Nam ideò in voluntate divina non darentur decreta absoluta purè conditionata ex parte obiecti, quia repugnat in Deo voluntas absoluta,quin aliquid efficiat ; sed hæc ratio est nulla: ergo Probatur minor:Nam stat in voluntate divina decretum,quo positivè velit aliquod obiectum immediate in seipso , quin illud positivè causet: ergo non debent negari in Deo decreta absoluta ex parte actus , & purè conditionata ex parte obiecti, ex eo quòd ex parte obiecti nihil efficiat Consequētia est legitima:nam eadem est ratio de vno obiecto volito, ac de cæteris.Antecedens verò probatur ex dictis dub. 1. huius disp. Nam in Deo datur verè & propriè voluntas antecedens , qua vult positivè & immediatè salutem omnium hominum; & tamen huiusmodi voluntas , quamvis efficiat media generalia conducentia ad salutem , non tamen efficit ipsam salutem in seipsa: ergo.

44 Nec satis erit , si dicas, ad existentiam huiusmodi voluntatis sufficere , quòd causet ea media generaliter conducentia ad salutem.Non (inquam) satis erit : Quia si ad existentiam voluntatis divinæ generaliter requiritur efficientia absoluta alicuius ex parte obiecti,solum inferretur , quòd in Deo datur voluntas quoad illam partem obiecti, quam efficit : ergo vel neganda est in Deo verè & formaliter voluntas terminata ad salutem omnium immediatè in seipsa; vel non repugnat in Deo voluntas, quæ nihil effi-

efficiat. Propter quod magis consequenter procedunt, qui negant in Deo formaliter voluntatem immediatè terminatam ad salutem in seipsa. Sed hi satis impugnati manent loco suprà allegato.

45 Confirmatur *vltimò*, retorquendo ad hominem doctrinam, & principale fundamentum Adversariorum ex vtraque Schola: Nam in Scriptura revelatur futurum disparatum omninò infallibile sub cõditione, vt patet ex illo 4. Reg. 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem*: ergo defactò datur in Deo decretum absolutum ex parte actus, & purè conditionatum ex parte obiecti. Antecedens communiter admittitur ab Adversarijs, paucis exceptis. Et consequentia probatur, tum contra Patres Societatis: Nam omnis futuritio infallibilis sivè absoluta, sivè conditionata dependet essentialiter à decreto in Deo existenti, vt latè probavimus tract. præced. disp. 4. *per totam*: ergo si prædictum futurum conditionatum revelatum in Scriptura est omninò infallibile, debet in Deo dari decretum absolutum ex parte actus, & purè conditionatum ex parte obiecti. Tum etiam cõtra recentiores Thomistas negantes decretum purè conditionatum ex parte obiecti: Nam illud decretum est purè conditionatum ex parte obiecti, quod non respicit aliquid absolutè existens & conducens ad obiectum conditionatum; sed præfatum futurum conditionatum est huiusmodì, siquidem absolutè non respiciebat devastationem Syriæ, vt ex se liquet, neque percussionem septimam, quę erat signum seu conditio huiusmodì devastationis, aliàs ita accidisset: ergo erat purè conditionatum ex parte obiecti. Ex quibus vrgenter probatur erga alia conditionata sivè conducentia, sivè disparata, sivè revelata in Scriptura, sivè non revelata. Nam eo ipso quòd detur in Deo aliquod decretum purè conditionatum ex parte obiecti, nullum sequitur inconveniens ex concessione cuiuscumque decreti purè conditionati ex parte obiecti disparati, & multò minus sub conditionibus conducentibus ad conditionatum, vt per se patet; aliàs ex positione huiusmodì decretorum erga omnes combinationes conditionatas possibiles explicatur æqua perfectio & actualitas in scientia, & voluntate divina: ergo defactò dantur in Deo.

Roboratur hoc: Si non esset possibile in Deo decretum purè conditionatum, neque esset in Deo scientia omninò infallibilis ex parte obiecti de conditionatis sub conditione disparata, vel conducenti; sed hoc non admittunt plures ex Adversarijs, pro quo videri potest Palanco disp. 5. quæst. 6. à num. 271. ergo possibile est in Deo decretum pure conditionatum ex parte obiecti. Sequela probatur: Nam impossibilis est scientia infallibilis in Deo de obiecto, nisi eo modo quo decretum terminatur ad illud; sed nisi sit possibile decretum purè conditionatum, decretum in sententia Adversariorum non terminatur ad obiectum conditionatum immediatè in seipso, sed tantùm ad signum vel causam illius: ergo cùm conditio vel signum non sit infallibilitèr connexum cum obiecto conditionato, nequit in eo infallibiliter cognosci futurum conditionatum: ergo si non est possibile decretum purè conditionatum, nequit Deus certò cognoscere obiectum conditionatum sub conditione disparata, seu conducenti.

§. II.

Argumenta contraria.

46 ARguitur *primò*: Nam implicat in Deo decretum liberum, vi cuius nec Deus nec obiectum aliter se habeant quam pro priori ad tale decretum; sed tale est decretum subiectivè absolutum, & pure conditionatum ex parte obiecti: ergo repugnat in Deo huiusmodì decretum. Maior videtur certa: nam repugnat transitus de vno contradictorio in aliud contradictorium, videlicet de non decernente ad liberè decernentem, Deo & obiecto eodem modo permanentibus. Minor quoad vtranque partem etiam est evidens: nam in primis ex parte Dei nequit esse vlla mutatio, qua ratione docuimus disput. præced. dub. 5. actum liberum Dei non addere aliquam realitatem, formalitatem, aut terminationem ex parte rei conceptæ distinctam supra actum necessarium: deinde neque ex parte obiecti conditionati datur vlla mutatio; alias non esset purè conditionatum, sed obiectivè absolutum per ordinem ad illam mutationem, quam causat in obiecto.

Et confirmatur: Nam implicat voluntatem creatam actu exercere suam libertatem defacto nihil immutando absolute in se, nec in obiecto: ergo idem dicendum est de voluntate divina. Probatur consequentia: Nam quamvis inter voluntatem divinam, & creatam detur hæc diversitas, quòd voluntas creata exercet suam libertatem immutando se, & divina immutando præcisè obiectum, æque tamen requiritur, quòd in exercitio libero voluntatis divinæ detur mutatio aliqua ex parte obiecti, ac in exercitio libero voluntatis creatæ mutatio ex parte sui; sed implicat in terminis exercitium liberum voluntatis creatæ absque mutatione ex parte sui: ergo implicat exercitium vllum liberum voluntatis divinæ, quin interveniat aliqua immutatio ex parte obiecti: cùm ergo decretum pure conditionatum ex parte obiecti sit huiusmodì, repugnavit decretum purè obiectivè conditionatum.

Ad argumentum respondetur, distinguendo ma-

maiorem : *aliter se habeant* absolutè, vel conditionate, concedo maiorem ; absolutè præcisè, nego maiorem. Et, concessa minori, negatur consequentia. Itaque ad existentiam decreti absoluti ex parte actus, & purè conditionati ex parte obiecti in Deo non est necesse, quòd aliquid ex parte obiecti aliter se habeat absolutè, sed sufficit, quòd obiectum conditionatè volitum aliter se habeat conditionatè. Ad quod satis est, quòd ex vi supradicti decreti poneretur obiectum conditionatum, si ponatur conditio : quia per decretum conditionatum ex parte obiecti Deus posuit quandam connexionem infallibilem obiectivam inter conditionem & obiectum conditionatum, quam ex se non habent, & pro priori ad decretum huiusmodi connexio conditionata tantùm est possibilis. Unde huiusmodi connexio obiectiva inter conditionem, & obiectum conditionatum actu exercita est sufficiens immutatio, vt existat in Deo decretum purè conditionatum, quamvis non detur immutatio physica & absoluta ex parte illius.

Ad confirmationem respondetur expendendo disparitatem inter arguendum datam. Nam verum omninò est, quòd in voluntate creata nequit dari vllum exercitium liberum absque immutatione ex parte sui, quia est libera per modum potentiæ realis in ordine ad suum actum ; & quia oppositum contingit in voluntate divina, propterea nequit in seipsa immutari ex vi alicuius exercitij liberi. Verum etiam est, quòd multoties datur exercitium liberum in voluntate creata sivè absolutum, sivè conditionatum, sivè efficax, sivè inefficax, ex vi cuius ob impotentiam ipsius voluntatis nullam mutationem absolutam causat in obiecto. At data hypothesi, quòd voluntas creata esset æque potens & actualis ac voluntas divina, non repugnaret in ea affectus absolutus ex parte sui, & pure conditionatus ex parte obiecti, quamvis nulla daretur immutatio physica sivè ex parte voluntatis, sivè ex parte obiecti, quia ad existentiam huiusmodi affectus satis erat immutatio obiectiva conditionata. Vnde non est cur Deo denegari debeat similis affectus.

47 Arguitur *secundò* : Nam decretum liberum purè obiectivè conditionatum ex se esset prorsùs inutile & frustraneum ; sed implicat in Deo decretum inutile & frustraneum : ergo implicat etiam decretum purè obiectivè conditionatum. Maior probatur : Nam tale decretum ex se nullum effectum inferret ad *extrà* absolutè, quia nec inferret absolute existentiam sui obiecti, nec inferret absolutè aliquid per se conducens ad existentiam sui obiecti, aliàs non esset purè conditionatum : ergo esset prorsùs inutile & frustraneum. ¶ Et confirmatur : Nam repugnat in voluntate divina decretum carens vltima resolutione ; sed decretum pure obiectivè conditionatum caret vltima resolutione : ergo repugnat in Deo decretum purè obiectivè conditionatum. Minor est certa : nam post huiusmodi decretum purè obiectivè condicionatum adhuc restat in voluntate divina aliud decretum vltimò resolvens absolute *fore*, vel *non fore* tàm conditionis, quàm obiecti conditionati. Maior verò probatur : Nam decretum carens vltima resolutione est quasi pendulum & suspensum, atque ideò potentiale, quod solum habet locum in voluntate creata, quæ procedit de imperfecto ad perfectum ; sed ob hanc rationem disp. præced. dub. 4. probavimus voluntatem divinam non posse manere suspensam ab omni actu : ergo repugnat in voluntate divina decretum carens vltima resolutione.

Ad argumentum respondetur, negando maiorem. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, negatur consequentia : Nam non est inutile decretum seu frustraneum, quod terminatur ad obiectum, eo modo quo est volibile. Obiectum tamen purè conditionatum ita est volibile, vt voluntas non petat inferre aliquid ad *extrà* absolutè, aliàs non esset volibile purè conditionatè. Quod autem sit volibile obiectum purè conditionatum, patet ex eo, quòd non est vrgens ratio, cur omne possibile absolutum sit volibile, aut nolibile, & quòd possibile conditionatum non sit volibile, & nolibile : & sicut possibile absolutum est volibile, aut nolibile absolutè, ita possibile conditionatum est volibile, aut nolibile conditionatè. Et cum voluntas divina sit æque actualis, & vniversalis ac intellectus divinus, nequit non exercere suam libertatẽ per volitionem, aut nolitionem conditionatam erga obiectum conditionatum. Non ergo potest dici decretum inutile & frustraneum quod deservit ad manifestandam summam actualitatem voluntatis divinæ.

Ad confirmationem (quę ęquè vrget in voluntate antecedenti, qua vult omnes homines salvos fieri, & in voluntate conditionata, quæ infert aliquid conducens ad obiectum conditionatum, siquidem hæ voluntates carent ex se vltima resolutione, vt ex se liquet) Respondetur, quòd voluntas conditionata obiecti purè conditionati est talis, vt habeat vltimam resolutionem in suo genere : & aliunde est adiuncta cum altera voluntate, qua vltimatè & absolutè resoluit, & decernit *fore*, vel *non fore* obiecti cõditionati & conditionis, à qua dependet, & quę non distinguitur virtualiter à voluntate conditionata præcedenti. Et quando res ita contingunt, nulla est potentialitas, aut suspensio afferens imperfectionem positivam in voluntate sic decernente. Et propterea non est denegandum huiusmodi decretum conditionatum in voluntate divina. Neque vllum inconveniens est, quòd in Deo detur voluntas conditionata, quæ ab executione obiecti conditionati & conditionis impediatur ab alia voluntate consequenti, vt liquet

liquet in voluntate antecedenti: nam ad rectum regimen quandoque conducit, vt aliqua ſuſpendantur ab executione propter aliquem ſpecialem & ſuperiorem finem.

48 Arguitur *tertiò*: Nam nullum eſt decretum in voluntate divina, quod terminetur ad obiectum vt merè poſsibile ex parte obiecti; ſed decretum purè conditionatum relinqueret obiectum purè poſsibile ex parte obiecti: ergo implicat tale decretum. Maior eſt certa in omnium ſententia, afferente voluntatem divinam amore libero & efficaci non terminari ad obiectum merè poſsibile. Minor probatur: Nam decretum non immutans intrinſecè obiectum, relinquit illud purè poſsibile ex parte obiecti; ſed decretum purè obiectivè conditionatum non immutat intrinſecè obiectum: ergo illud relinqueret purè poſsibile. *Augetur difficultas*: Nam obiectum nequit tranſire de ſtatu poſsibilitatis ad ſtatum futuritionis, niſi decretum concurrat in genere cauſæ efficientis; ſed decretum purè conditionatum non exercet munus cauſæ efficientis, cum nihil abſolutè efficiat: ergo relinquit illud merè poſsibile. ¶ Urgetur amplius, & præcluditur recurſus ad futurum abſolutum: nam futurum abſolutum quamvis pro ſtatu futuritionis non habeat intrinſecè aliquid, per quod diſtinguatur à merè poſsibili, eſt tamen exiſtens in æternitate, quæ eſt menſura propria ipſius decreti; ſed obiectum purè conditionatum non eſt exiſtens in menſura æternitatis, cum nunquam exiſtat in propria menſura: ergo non habet aliquid intrinſece, per quod diſtinguatur à merè poſsibili: ergo nequit terminare decretum abſolutum ex parte Dei.

Ad argumentum reſpondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad eius probationem dicendum eſt, quòd decretum purè conditionatum ex parte obiecti immutat intrinſecè obiectum, vel phyſice conditionatè; vel (vt melius loquamur) abſolutè obiectivè, & hoc ſufficit, vt diſtinguatur à merè poſsibili tàm abſoluto, quàm conditionato. ¶ Augmentum difficultatis, ſi habet aliquam vim, æquè vrget in futuro abſoluto, dum futurum eſt, ac in futuro conditionato: quia quælibet futuritio in noſtra & communi ſententia Thomiſtarum conſiſtit in decreto denominante & ordinante extrinſecè rem poſsibilem ad exiſtentiam. Sed vis huius difficultatis quantum ad cauſam efficientem futuritionis enervata manet tract. præced. diſp. 4. num. 55. Inſtarique poteſt in decreto decernente poſitivè & abſolutè *non eſſe* cuiuſcumque futuri. ¶ Ad vrgentiam reſpondetur, fatendo inter futurum abſolutum, & purè conditionatum intervenire diſparitatem ibi inſinuatam. Sed quoad præſens non eſt ad rem, quia voluntas divina non ſolùm terminatur ad futurum abſolutum, prout exiſtit in menſura æternitatis, ſed etiam prout eſt futurum in ordine ad propriam durationem; conſtat autem quòd futurum abſolutum, vt futurum eſt, nihil habet intrinſecè, per quod à poſsibili diſtinguatur, ſed dicit deputationem extrinſecam ad exiſtendum abſolutè, quæ eſt quædam mutatio realis obiectiva, & ſufficiens ad terminandum decretum exiſtens abſolutè in Deo: pariformitèr ergo dicendum eſt de futuro purè conditionato. Vt enim terminet decretum actu exiſtens in Deo, ſufficit, quòd mutetur phyſicè conditionatè: huiuſmodi autem mutatio conſiſtit in eo, quod obiectum conditionatum maneat determinatũ ad exiſtendum, eo ipſo quòd exiſtat conditio; & huiuſmodi determinatio debet provenire à decreto, ex quo ſimul reſultat mutatio realis obiectiva abſoluta, quæ conſiſtit in denominatione reali extrinſeca ab ipſo decreto proveniente.

49 Arguitur *vltimò*: Nam ex noſtra ſententia ſequitur, quòd Deus habeat decreta circa omnes combinationes poſsibiles: non enim eſt maior ratio de vna ac de alia; ſed hoc videtur & inutile, & abſurdum: inutile, quia ad quid vtile eſt hoc decretum: *Si turca dormit Budæ, Papa orabit Romæ: ſi daretur alius orbis, eſſet in eo ſtatus innocentiæ*, & ſic de alijs inutilioribus? abſurdum, quia Deus non poteſt de potentia abſoluta producere infinitum in actu ſecundùm multitudinem, eò quòd omnis multitudo creata debet comprehendi ſub certa intentione creantis, ad quod oportet, vt ſub certo numero claudatur, & de multitudine infinita in actu verificari non valet, vt docet D. Thomas in hac 1. part. q. 7. art. 4. ſed hæc ratio æquè probat multitudinem infinitam conditionatam non cadere ſub certa intentione providentis: ergo non dantur in Deo decreta purè conditionata.

Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo ſequelam maioris; & negando minorem quoad vtranque partem: Nam in primis, eſtò præfatæ combinationes videantur humano aſpectui ridiculę, conducunt tamen ad manifeſtandam vim intellectus, & voluntatis divinæ, quę potentiæ ob ſummam ſui perfectionem & actualitatem petunt terminari ad omne obiectũ ſcibile & volibile: & ſicut inutile non eſt, quòd in Deo detur cognitio abſoluta de his conditionatis vt poſsibilibus, ita inutile non erit, quòd detur in eo decretum, quod decernat *fore*, vel *non fore* illorum. Deinde quamvis abſurdum ſit, quòd infinita multitudo in actu poſsit cadere ſub certa intentione creantis, non tamen eſt abſurdum, quòd multitudo infinita ſyncathegorematicè ſit ſub certa intentione creantis: in cuius ſignum, videmus, quòd in Deo exiſtunt decreta infinita abſoluta tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti de infinitis cognitionibus, quas Angeli & homines habebunt per to-

totam æternitatem. Deus autem ita decernit omnia obiecta poſsibilia conditionata, quòd ſimul & actu executioni mandentur ſub conditione: imò neque de cunctis decernit, quòd habeant exiſtentiam conditionatam, ſed de pluribus vult, quòd non habeant exiſtentiam, ſivè ponatur, ſivè non ponatur conditio: ſicut de infinitis poſsibilibus abſolutis decrevit, quòd non habeant exiſtentiam; & de aliquibus quòd illam haberent. Ex quo colligitur dari in Deo ſimul & actu infinita decreta abſoluta: cur ergo denegari debet ex hoc capite, quòd dentur decreta infinita conditionata?

DUBIUM IV.

Utrùm Deus decreto ex natura ſua efficaci prædiffiniat actus liberos bonos voluntatis creatæ?

50 PRO huius tituli clariori intelligentia obſerva *primo*, particulam *prę* aliquam anteceſsionem importare. Duplex autem eſt anteceſsio, temporis ſcilicet, & cauſalitatis. Dupliciter etiam poſſunt conſiderari actus liberi voluntatis creatæ, vel prout exiſtunt in propria duratione, vel prout ſunt futuri. Si ergo conferantur prædiffinitiones Dei per ordinem ad actus noſtros liberos ſecundùm primam conſiderationem, certum omninò eſt Dei prædiffinitiones tempore præcedere actus liberos noſtros; quia prædiffinitiones Dei exiſtunt ab æterno, ſecus verò actus noſtri liberi: ſicut non minùs certum eſt non præcedere tempore eos vt futuros, quia ab æterno habuerunt futuritionis ſtatum. Vnde tota difficultas intelligenda eſt de præcedentia cauſalitatis, quæ ſic poteſt proponi; vtrum prædictæ prædiffinitiones ita præcedant actus liberos voluntatis creatæ, vt ex ſe inferant illos cum omnibus ſuis circumſtantijs?

Et vt efficacia ex natura ſua & ab intrinſeco in divinis decretis prædiffinitivis adtruatur: Obſerva *ſecundò*, non qualemcumque efficaciam eorum in actus liberos ſufficere, quia Deus ſimul & immediatè cum voluntate creata concurrit ad eos, vt omnes fatentur, Durando excepto. Requiritur ergo, quòd Deus prædeterminet eos pro priori ad omnem præviſionem illorum ex directione & præconcepto fine cum omnibus ſuis circumſtantijs hìc & nunc occurrentibus: aliter enim remanebunt decreta in linea præciſè efficientium. Vnde ſenſus tituli eſt, an Deus ita efficaciter prædiffiniat actus liberos noſtros, vt efficacia ſui decreti ſit omninò independens à præviſione illorum ſub ſtatu futuritionis eorum tam abſolutę, quàm conditionatæ, provenientiſque à determinatione voluntatis creatæ?

Loquimur de actibus liberis noſtrę voluntatis: quia citra omne dubium eſt, effectus creatos, qui à ſolo Deo ſine conſortio alterius cauſæ procedunt, vt ſunt Angeli, & vniverſaliter qui fiunt per creationem, prædiffiniri ab ipſo decretis ab intrinſeco & ex natura ſua efficacibus. Loquimur etiam de actibus liberis non de neceſſarijs: quamvis enim eadem ſit ratio quantùm ad hoc in omnibus, munus tamen Theologi, quo fungimur, præcipuè reſpicit actus liberos creaturæ: aliundè de actibus neceſſarijs ſatis diſſeruerunt N. Complut. abbrev. in lib. Phyſic. diſp. 11. *per totam*. Loquimur tamen de actibus liberis bonis, quia de pravis eſt ſpecialis difficultas, de qua dub. ſequenti inſtituetur ſermo.

§. I.

Sententia Thomiſtica, & probatio eius ex Scriptura.

51 DIcendum eſt *primò*, Deum decreto ex ſe & ab intrinſeco efficaci prædiffiniſſe omnes actus liberos bonos voluntatis creatæ. Hanc ſententiam præter cunctos venerabiles Dominicanos, & Diſcalceatos Carmelitas avidè arripuerunt innumeri ex omni ſtatu & cœtu religioſo, quos nimis prolixum eſſet recenſere. Et probatur *primò* authoritate ſacræ Scripturæ. Primò ex illo Apoſt. ad Epheſ. 2. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, vt in illis ambulemus.* Quæ verba iuxta intelligentiam ſanctorum Patrum adamuſsim noſtrum explicant aſſertum. Dicitur enim, quòd electi ſunt creati in operibus bonis à Deo præparatis, idèſt prædiffinitis: quia ſicut creatio nullum ſupponit ſubiectum, ita pręparatio ſeu prædiffinitio bonorum operum, in quibus electi à Deo creari dicuntur, non illa ſupponit præviſa, vt aliquo modo procedentia à voluntate creata. Inquit etiam Apoſt quòd Deus prępparat, & prædiffinit opera bona, *vt in illis ambulemus*, ad innuendum, quòd ex hac præparatione & prædiffinitione, procedunt omnia opera bona cum omnibus circumſtantijs hìc & nunc occurrentibus. Neque *præparare* hìc eſt idem, ac tantùm diſponere omnia neceſſaria, vt opera bona fiant, ſicut qui præparat fercula ad aliquod convivium. Tum, quia Deus in ordine ad opera noſtra bona non ſolùm ſe habet adinſtar eius, qui præparat neceſſaria ad comeſtionem, ſed etiam adinſtar eius, qui dat comeſtionem ipſam, aliàs Deus ſolum eſſet prima cauſa, inquantùm dat *poſſe* ad bona opera, & non inquantùm dat ipſa bona opera. Tum etiam: nam *præparare* in præſenti interpretatur D. Auguſtinus lib. *de Prędeſt. SS.* cap. 10. de prædiffinitione & prædeſtinatione bonorum operum his verbis: *Fidei & charitatis opera, quæ per Dei gratiam fuerunt prædeſtinata, rectè prædiffinita dicuntur au-*

thoritate Apost. Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus. Augustinum sequuntur D. Prosper. ad cap. *Gallorum* resp. 14. D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 29. necnon D. Thomas ad prædictum locum D. Pauli, vbi ait: *Ideò subdit de prædestinatione dicens, Quæ (scilicet bona opera) præparavit Deus: nihil enim aliud est prædestinatio, quàm præparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur & ipsa opera nostra. Dicitur tamen Deus nobis aliqua præparare, inquantum disponit se nobis daturum.*

52 Neque prodest recursus ad prævisionem per scientiam mediam, hoc est, quòd Deus non prædiffinit opera nostra bona, antequàm Deus prævideat per hanc scientiam, quid voluntas creata faciet, si vocetur in hac vel illa occasione, quamvis ea prædiffiniat, antequàm existant in propria duratione. Non (inquam) prodest: Tum, quia impossibilis est huiusmodi scientia media, vt latè probavimus tract. præced. disp. 5. *Tum etiam*: Nam prædiffinitio Dei, qua decernit opera nostra bona, se habet adinstar creationis, & propterea electi dicuntur creati in operibus bonis; sed creatio non supponit subiectum vt *futurum*: ergo neque prædiffinitio Dei supponit opera bona nostra aliquo modo futura. *Tum deindè*: Quia si prædiffinitio Dei præsupponeret opera nostra bona prævisa vt *futura*, iam essent ratio prædestinationis, & non mera Dei voluntas; sed hoc est contra D. Thomam, qui exponens illa verba Apost. ad Ephes. 1. *In quo etiam nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, sic ait: *Ponit voluntariam Dei prædestinationem, cuius quidem prædestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas*: ergo præparatio seu prædiffinitio Dei, de qua Apost. non præsupponit opera nostra bona prævisa per scientiam mediam. *Tum præterea*: Nam in principijs scientiæ mediæ prædiffinitio Dei determinatur à consensu libero creaturæ vt *futuro*: ergo præsupponit illum vt *futurum*: ergo neque est causa illius, atque ideò neque potest appellari eius prædiffinitio.

53 Secundò ex illo Prov. 21. *Sicut divisiones aquarum ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Vbi denotatur, quòd sicut hortulanus pro suo libito dividit aquas in multos rivulos, ita voluntas Regis est in manu Dei habentis efficaciam ex se ad inclinandam illam, quocumque voluerit: ergo necessariò tenenda est prædiffinitio ab intrinseco efficax, & rejicienda prædiffinitio efficax ab effectu. Probatur consequentia: Nam iuxta præfatum testimonium Deus inclinat cor Regis (quod absolutissimum est) quocumque voluerit: ergo voluntas Dei efficax non præsupponit cor inclinatum, sed illud inclinat; sed prædiffinitio efficax ab effectu præsupponit cor Regis inclinatum, secùs verò prædiffinitio ab intrinseco efficax: ergo ex vi præfati testimonij rectè probatur dari in Deo prædiffinitiones ab intrinseco efficaces.

Et confirmatur alijs authoritatibus præfato testimonio simillimis. Ita se habet illud Esther. 13. *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati, si decreveris salvare Israël.* Illud ad Rom. 9. *Voluntati eius quis resistit?* Super quæ verba Augustinus lib. *de Correct. & gratia* cap. 14. ait: *Deo volenti salvum facere nullum humanum resistit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis est potestate, vt divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et in Enchirid. cap. 95. *Quis tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse convertere?* Sed voluntas, cui humanum arbitrium non potest resistere, nequit non esse ab intrinseco efficax: voluntas enim indifferens, seu determinata per consensum creaturæ non est ea, cui non potest resisti: ergo concedendum est in Deo decretum ab intrinseco efficax. Mitto alia innumera testimonia, quæ passim videri possunt apud Nostrates, tum in hoc tract. tum in tract. *de Scientia Dei*, tum in tract. *de Prædest.* & in tract. *de Auxilijs.*

§. III.

Probatio sententiæ Thomisticæ ex SS. Patribus.

54 SEcundò probatur conclusio ex SS. Patribus. Et primò ex D. Dionys. *de Divinis nomin.* 1. cap. 5. vbi sic ait: *Exemplaria autem dicimus esse in Deo existentium rationes subsistentificas, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædiffinitiones vocat, & divinas & bonas voluntates, existentium prædeterminativas & effectivas, secundùm quas substantialis essentia omnia prædiffinivit, & produxit.* Quæ verba adducit D. Thomas lect. 3. ad prædictum cap. ea serie verborum, quę relata sunt, vt eis maxima fides debeat adhiberi. Ex quibus evidenter colligitur, in Deo existere iuxta Dionysium prædiffinitiones ex se efficaces omnium rerum, inter quas computantur actus liberi boni nostrę voluntatis; & cùm Theologia D. Dionys. non sit alia, quàm Theologia Apostolorum, & præsertim D. Pauli, huiusmodi testimonium cogit ad iudicandum doctrinam Thomistarum circa decreta efficacia esse ipsam Theologiam Apostolorum.

Et confirmatur ex Damasc. Orat. 1. *de Imagin.* D. Dionysium ita interpretante: *Has imagines, & hæc exempla prædiffinitiones appellat Sanctus ille Dei munere in rebus divinis considerandis, & explicandis excellentissimus*

Dio-

Dionyſ. Omnia enim ab illo præfinita & ſine commutatione futura in eius conſilio non aliter erant expreſſa, quàm ſiquis velit dòmum ædificare, priùs imaginem & formam ipſius in animo effingit, cogitationeque amplectitur. Ex quibus verbis conficitur hoc breve argumentum: Artifex non priùs videt artefactum producendum, quàm videat eius exemplar; ſed ex Dioniſ. iuxta explicationem Damaſc. exemplaria omnium rerum producendarum ſunt prædiffinitiones prædeterminativę & effectivæ rerum, vel eas involvunt: ergo Deus non videt res futuras niſi in decreto & prædiffinitione voluntatis: ergo in hoc teſtimonio & ſtabilitur prædiffinitio ab intrinſeco efficax, & præoccupatur omnis recurſus ad ſcientiam mediam.

55 Secundò ex D. Auguſtino lib. 5. *de Civit. Dei.* cap. 1. vbi ait: *Si propterea quiſquam fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem vel poteſtatem* fati *nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat.* Et cap. 9. ait: *Quapropter voluntates noſtræ tantùm valent, quantùm Deus eas valere voluit, atque præſcivit: & ideo quidquid valent, certiſsimè valent; & quod facturę ſunt ipſæ, omnino facturę ſunt:::quapropter ſi mihi* fati *nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in poteſtate.* Ex quibus verbis ſic probatur prædiffinitio Thomiſtica: Nam prædiffinitio Thomiſtica habet talem vim, vt nihil eam poſsit immutare, nihil eius poteſtatem valeat effugere, nihil denique poſsit accidere, niſi quod per eam fuerit prædeſtinatum, adinſtar fati quod Philoſophi Stoici, & Priſcillianiſtæ in ſtellis ponebant; ſed D. Auguſtinus aſſerit, hæc omnia competere voluntati divinæ, & propterea docet, voluntatem divinam poſſe nomine *fati* appellari non ſolùm circa res neceſſarias, ſed etiam circa actus liberos noſtræ voluntatis: ergo iuxta D. Auguſtinum Deus prædiffinit voluntate ab intrinſeco efficaci actus liberos bonos voluntatis creatæ.

Et confirmatur duobus alijs teſtimonijs, mitentes alia innumera. Nam lib. *de Natura, & gratia* cap. 16. ait: *Deus facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſsimas.* Item in lib. *de Correct. & grat.* cap. 14. ait: *Non facit, niſi per ipſorum hominum voluntates, habens ſine dubio humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentiſsimam poteſtatem.* In quibus ponderatione dignum eſt, quod Deus per decretum indifferens neque facit, vt faciamus, neque manifeſtare poteſt omnipotentiſsimam poteſtatem ad corda humana inclinanda: ergo iuxta doctrinam Auguſtini neceſſariò tenenda eſt prædiffinitio ab intrinſeco efficax.

56 Tertiò & vltimò, relictis teſtimonijs D. Proſperi, Fulgentij & aliorum PP. ſuadetur authoritatibus D. Thomæ. Nam quæſt. 3. *de Potent.* art. 7. vbi *per totum* docet, Deum non ſolùm præbere omnibus cauſis ſecundis virtutes, per quas agere poſſunt, ſed etiam eas movere ad operationem. Idem tradit 1. part. quæſt. 105. his verbis: *Tertiò conſiderandum, quòd Deus movet non ſolùm res ad operandum, quaſi applicando virtutes rerum ad operationem, ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum.* Quæ teſtimonia pro prædiffinitione Thomiſtica ſunt adeò clara, vt Molina in Concord. diſp. 26. *in princ.* ingenuè fateatur hanc doctrinam D. Thomæ eſſe ſibi difficilem, & tandem illam rejicit: ſciant ergo omnes, Div. Thomam eſſe pro nobis. Et ad refellendum ſcrupulum, qui ex illa particula diminutiva *quaſi* ſuboriri poterat, audiatur Ang. Doctor 3. Contra gent. cap. 64. num. 4. vbi ait: *Quidquid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur eſſe cauſa illius actionis. Artifex enim applicans virtutem naturalem ad agendum dicitur eſſe cauſa illius actionis. Sed omnis applicatio virtutis ad operationem eſt principaliter & primò à Deo.* Et vt præcludatur recurſus ad cauſas neceſſarias, lege D. Thomam in hac 1. part. quæſt. 19. art. 3. ad 5. vbi ſic ait: *Cauſa, quæ ex ſe eſt contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; ſed voluntas divina, quę ex ſe neceſsitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Idem tradit ibidem quæſt. 83. art. 1. ad 1. vbi inquit: *Dicendum, quòd verbum illud Apoſt. Non eſt volentis velle, neque currentis currere, non ſic intelligendum eſt, quaſi homo non velit, & non currat libero arbitrio, ſed quia liberum arbitrium ad hoc non eſt ſufficiens, niſi moveatur, & iuvetur à Deo.* Sed clarius ad 3. vbi inquit: *Dicendum, quòd liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus, quia homo per liberum arbitrium ſeipſum movet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſsitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id, quod liberum eſt: ſicut neque ad hoc, quòd aliquid ſit cauſa alterius, requiritur, quòd ſit prima cauſa eius. Deus igitur eſt prima cauſa movens & naturales cauſas, & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis, movendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales, ita movendo cauſas voluntarias non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque ſecundùm eius proprietatem.*

57 Et confirmari poteſt *primò*, ex his quæ docet 1. part. quæſt. 176. art. 1. & quodlib. 12. art. 4. quibus in locis ſimul cum Auguſtino tenet, quòd omnia ſubjiciuntur fato: quia ex ordinatione divinæ providentiæ reſultat tanquàm effectus quædam immobilis diſpoſitio rebus mobilibus inhærens. Quæ verba nequeunt ſubſiſtere, niſi prædiffinitio phyſica aſſeratur,

quæ immobiliter omnes causas contingentes moveat.

Confirmatur *secundò*, ex his quæ docet exponens D. Dionys. suprà relatum cap. 5. lect. 3. vbi ait: *Et huiusmodi rationes vocat sacra Scriptura prædiffinitiones seu prædeterminationes* ¶ Confirmatur *tertiò*, ex 3. Contra gent. cap. 56. num. 4. vbi ait: *Quod voluntas velit, non potest cognosci nisi vel per effectus; putà cùm vidimus aliquid operari, cognoscimus quid voluerit: vel per causam; sicut Deus scit omnes nostras voluntates, per hoc quòd sit nobis causa volendi*; sed iuxta Adversarios Deus per concursum simultaneum non est nobis causa volendi, neque prout nobis confert virtutem volendi est sufficiens medium ad cognoscendum quid voluntas operatura est: ergo vt salvetur hæc authoritas D. Thomæ, necessariò concedenda est prædiffinitio ab intrinseco efficax. ¶ Confirmari tandem potest omnibus illis testimonijs, quibus tract. præced, reiecimus scientiam mediam; & ex quibus firmavimus alia principia Thomistica. Recolantur, quæ summatim diximus ibi disp. 5. num. 24. & loca ibi relata.

§. III.

Probatio sententiæ Thomisticæ à ratione.

58 DEinde probatur ratione adducta à N. Complut. abbrev. in lib. Physic. disp. 11. num. 11. quæ vniversalis est omnibus causis secundis tàm necessarijs, quàm liberis: Deus causat actionem liberam creaturæ non solùm secundùm se, sed etiam prout à causa secunda; sed Deus nequit causare actionem liberam creaturæ prout à causa secunda nisi per prædeffinitionem seu decretum ab intrinseco efficax: ergo in voluntate divina dantur decreta ab intrinseco efficacia. Maior videtur innegabilis: nam actio prout à creatura est aliquid creatum, physicum & reale; nulla autem est formalitas realis, physica, & creata, quæ non contineatur sub vniversali dominio Dei. Minor verò probatur: Deus nequit causare actionem liberam creaturæ prout à creatura, nisi efficaciter faciat, vt creatura agat; sed nequit Deus efficaciter facere, quòd creatura agat, nisi per decretum ab intrinseco efficax: ergo nequit Deus causare actionem liberam creaturæ prout à creatura, nisi per decretum ab intrinseco efficax. Minor liquet: Nam idem est *Deum efficaciter facere, quòd creatura agat*, ac Deum efficaciter movere creaturam ad agendum: per concursum enim, quo producit virtutem agendi (maximè liberam) non facit, quòd voluntas (v. g.) agat, vt ex se patet: item per concursum simultaneum non facit, quòd creatura agat, vt liquet in omnibus concausis simultaneè concurrentibus ad eundem effectum. Maior verò probatur: Nam *causare actionem creaturæ prout à creatura* idem est ac influxum Dei habere prioritatem causalitatis respectu creaturæ vt actu causantis: sed hoc est, quod vocamus Thomistæ *efficaciter facere, vt creatura faciat*, & hoc est quod vocamus *decretum efficax ab intrinseco*, & non ab effectu: ergo nequit Deus causare actionem creaturę prout à creatura, nisi efficaciter faciat, vt creatura agat. Pro qua ratione recolantur authoritates Div. Thomæ, & D. Augustini §. præcedenti, quæ sunt haud parva roboratio illius.

59 Huic rationi, ad quam vnicè devolvitur totum pondus huius materię, potest responderi ab Adversarijs, quòd vt actio creaturæ prout à creatura, & consequenter omnis formalitas actionis dependeat à Deo, sufficit, quòd Deus conferat ei principia proximè sufficientia ad operationem, & simul concurrat suo concursu simultaneo ad eam. Nam eo ipso quòd Deus creaturę conferat principia sufficientia, omnis effectus ab ea procedens principaliùs dependet à Deo, quàm à creatura; & eo ipso quòd concurrat cum ea simultanee, immediatè influit in eam, & sic vtroque titulo nulla formalitas actionis subterfugit causalitatem Dei.

Sed hæc communis evasio Recentiorum intactam relinquit vim nostræ rationis, si ea sincerè perpendatur. Nam determinatio causæ secundæ liberæ seu ipsa actio causæ secundę liberæ prout à causa secunda immediatè dependet à Deo; sed nequit immediatè dependere à Deo, nisi detur decretum efficaciter ex se applicans causam liberam secundam ad actionem: ergo necessariò ponendum est in Deo decretum ab intrinseco efficax ad actiones nostras liberas. Maior est certa: Nam determinatio nostrę voluntatis, vel actio prout à voluntate non est ens rationis, aut quid fictum, sed verum ens reale: constat autem omne ens creatum immediatè dependere à Deo, cùm sit eius participatio. qua ratione probant communiter Doctores contra Durandum dari in Deo concursum simultaneum, præter concursum quo producit virtutes proximè operativas. Maneat ergo, quòd actio creaturæ prout à creatura pendet à Deo immediatè. Minor verò probatur: Nam actio creaturæ, prout à creatura, non pendet à Deo immediatè ratione sui concursus producentis virtutes proximè operativas; aliàs nec ratione concursus simultanei: ergo vt actio creaturæ prout à creatura, seu vt determinatio illius pendeat immediatè à Deo, necessariò ponendum est in eo decretum ab intrinseco efficax.

60 Maior probatur, deinde probaturus minorem: Nam nullus effectus productus ab aliqua causa dicitur immediatè dependere ab ea, nisi per influxum præstitum ab ipsa causa & immediatè attingentem ipsum effectum, vt mille exem-

exemplis explicari valet: Ignis *A* producens ignem *B* non producit immediatè calefactionem procedentem ab igne *B*, quamvis ignis *A* det proximè & immediatè igni *B* virtutes proximè operativas ad calefaciendum: ergo actio creaturæ prout à creatura non pendet immediatè à Deo ratione concursus præbentis illi virtutes proximè operativas. *Maximè*: Quia, vt inquit D. Thomas quæst. 3. *de Pot.* art. 7. Deus operatur in natura, & voluntate operantibus multipliciter: *Primò quidem, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt: secundò, inquantùm conservat virtutem naturalem in esse: tertio modo movet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem.* Qui locus pro prædeterminatione physica & probatione illius maioris est adeò clarus, vt nulla egeat expensione.

61 Deinde probatur minor: Tum quia ex duobus portantibus lapidem nullus dicitur causa actionis sivè effectus prout ab altero: ergo actio prout à creatura non dependet à Deo ratione concursus simultanei. Tum etiam: nam si Deus concurrit simultanee cum creatura, etiam creatura concurrit simultanee cum Deo, ita vt sæpè Deus nequeat causare actionem creaturæ sine creatura, vt liquet in actionibus vitalibus & liberis creatis; & tamen non potest dici, quòd actio prout à Deo dependet à creatura: ergo neque actio creaturæ prout à creatura dependet à Deo ratione concursus simultanei. Tum denique: nam vt actio creaturæ prout à creatura penderet à Deo, oportebat, quòd Dei concursus haberet aliquam prioritatem relatè ad concursum creaturæ, quia omnis causa actu causans aliquem effectum habet prioritatem saltem naturæ respectu illius; sed concursus simultaneus Dei non habet prioritatem respectu concursus creaturæ, aliàs concursus Dei non diceretur *simultaneus*, sed *prævius*, neque Deus diceretur *socius actionis*, aut *simultaneus adiutor*, seu *cooperator cum creatura*; sed *dux*, *motor*, & *applicator actionis*: ergo &c. *Eò vel maximè*: Quia in sententia Adversariorum Deus expectat determinationem creaturæ, vt simul cum ea operetur, proindeque determinatio creaturæ determinat concursum Dei: ergo eius concursus simultaneus non dicit prioritatem respectu determinationis creaturæ, sed vice versa concursus creaturæ dicit prioritatem respectu concursus Dei, sicut omne determinativum dicit prioritatem relatè ad suum determinabile.

62 Et confirmatur *primò*: Nam in sententia Societatis concursus simultaneus Dei non distinguitur formalitèr ab actione creaturæ, cùm in eorum sententia Deus non agat ad *extrà* per actionem in se formalitèr manentem, sed per actionem transeuntem seu creatam; sed ex duabus actionibus simul concurrentibus ad eundem effectum nulla dicitur præcedere aliam, aliàs vna esset prævia alterius, atque ideò concursus simultaneus confunderetur cum prævio Thomistico: ergo actio creaturæ prout à creatura non dependet à Deo ratione concursus simultanei. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam quamvis reverà Deus non agat ad *extrà* per actionem formaliter transeuntem seu creatam, sed per actionem immanentem, si non concurrit prævie sed tantùm simultanee ad actionem creaturæ, solùm potest dici, quòd concursus Dei dicit prioritatem respectu actionis creaturæ secundùm se, secus verò respectu actionis creaturæ prout à creatura. Quod sic ostenditur: nam vt Deus sit causa actionis creaturæ prout à creatura, omninò est necesse, quòd Deus faciat, vt creatura agat; aliter enim concursus Dei habebit prioritatem respectu actionis creaturæ absolutè sumptæ, secus verò respectu actionis creaturæ prout à creatura; sed Deus per suum concursum simultaneum adhuc immanentem non facit, quòd creatura agat in sententia Adversariorum, alias confunderent concursum simultaneum cum prævio Thomistico: ergo &c. ¶ Confirmatur *tertiò*: Nam concursus simultaneus Dei est ex se indifferens & determinabilis à concursu seu determinatione creaturæ, vt volunt Recenciores Societatis: ergo priùs intelligitur determinatio & concursus creaturæ, quàm concursus simultaneus Dei, prout illum ponunt Adversarij: ergo totalitèr subterfugit causalitatem concursus simultanei. Probatur consequentia nam prius inquantùm prius nequit causari à posteriori.

63 Huc accedere possunt aliæ rationes Thomisticæ, vt est ea, qua vtuntur N. Complutenses abbrev. loco suprà allegato num. 4. nempe quòd Deus est primus motor movens omnia agentia adinstàr manus moventis baculum. Pro cuius luce sciendum est, D. Thomam in hac 1. part. quæst. 2. art. 3. probare existentiam Dei duplici demonstratione distinctissima & diversis medijs procedenti. *Prima est*: quòd in creatis inveniuntur plures causæ efficientes, & nihil potest causare seipsum, & sic oportet, quòd omnis causa efficiens sit ab alio: & cùm in causis per se ordinatis non sit dabilis processus in infinitum, necesse est pervenire ad aliquam causam efficientem, quæ habeat *esse* à se, & omnes causas efficientes creatas in suo *esse* producat. *Altera est*: quia omne quod movetur, ab alio movetur, quæ est valdè diversa à præcedenti. Igitur vt hæc ratio vltima subsistat distincta à prima, non sufficit, quòd Deus causet omnes causas secundas & virtutes proximè activas earum, sed vlteriùs requiritur, quòd eas moveat ad agendum; sed per concursum simultaneum Deus non movet causas secundas, vt apertè fatentur Adversarij: ergo non sufficit.

64 Non minus spectat ad rationem hucusque

que ponderatam ea, qua vtuntur Noſtri Complut. & alij Thomiſtæ. Et eſt huiuſmodi: nam cum duæ cauſæ ſimul concurrunt, niſi fortuitò & caſu coagant, vel vnam ab alia moveri neceſſe eſt, vel vtranque ab alia tertia; ſed in ſententia Societatis Deus, & creatura concurrunt ſimul ad actionem quamlibet creaturæ: ergo vel Deus & homo ab alia tertia moventur, vel vna ab alia movetur; ſed primum nullus per ſomnium hactenus deliravit: ergo tenendum eſt ſecundum: ergo vel Deus à cauſa ſecunda movetur, atque ideò ordine horrendum in modum præpoſtero evadet cauſa ſecunda primus motor, quod ſacrilegum eſt cogitare; vel cauſa ſecunda movetur à Deo, vt ambo deinde effectum eundem coëfficiant.

Huc etiam ſpectare poſſunt omnia principia, quæ firmata relinquimus tract. *de Scientia Dei* per totum, maxime diſp. 5. vbi refutavimus ſcientiam mediam, quæ vrgentiſsimè ſuadent noſtrum aſſertum. Ab eis referendis ſupersedemus, ne acta iterum agamus. Recolantur tamen dicta à nobis ibi num. 25.

65 Sed ad completam intelligentiam rationis hucuſque ponderatę duo reſtant nobis explicanda. *Primum eſt*: An Deus, iuxta ſententiam Thomiſtarum, per concurſum ſimultaneum producat actionem creaturę prout à creatura? Ratio dubitandi eſt: nam huiuſmodi concurſus, cùm ſit vniverſaliſsimus, debet producere actionem creaturæ ſub vniverſaliſsima ratione *entis*, ſub qua comprehenditur omnis formalitas illius, atque ideo actio creaturæ prout à creatura: aliunde contra rationem concurſus ſimultanei, quacumque ſuppoſitione facta, eſt, quòd producat actionem creaturæ prout à creatura, quia hoc eſt proprium concurſus prævij & applicantis, vt hactenus ponderavimus: ergo vel ad illam formalitatem non eſt neceſſarius concurſus prævius, vel ſuperfluus eſt concurſus ſimultaneus.

Secundum eſt: An hæc formalitas, videlicèt actio creaturæ prout à creatura, dependeat à Deo immediatè? Et ratio dubitandi eſt: nam illa formalitas iuxta dicta non dependet vllo modo à concurſu ſimultaneo Dei; ſed iuxta noſtram ſententiam nec dependet immediatè à concurſu prævio niſi mediante qualitate creata impreſſa in cauſa creata, atque ideò quoad hoc eodem modo ſe habet actio in ordine ad hanc qualitatem, ac in ordine ad virtutem proximè operativam: ergo cùm actio vt procedens à virtute operativa non dicatur immediatè pendere à Deo, idem dicendum eſt de ea vt procedente ab illa qualitate efficaci. Quamvis, iuxta noſtram ſententiam, aliàs detur inter vnam & aliam latiſsimum diſcrimen quoad efficaciam.

66 Ad primum reſpondetur: fatendo, quòd Deus, quacumque ſuppoſitione facta, non influit per ſuum concurſum ſimultaneum in actionem creaturæ prout à creatura, quàmvis concurrat ad actionem ſecundùm ſe: quod iuxta ſuperiùs dicta non caret difficultate in ſententia Societatis. Neque ob hoc aliqua formalitas phyſica reperta in actione creata ſubterfugit cauſalitatem concurſus ſimultanei: quia ad hoc ſufficit, quòd concurſus Dei activè ſumptus ſit formalitèr eminenter abſque diſtinctione virtuali concurſus prævius & ſimultaneus, & ſub ratione & expreſsione *prævij* applicet voluntatem ad agendum, & ſub ratione & expreſsione *ſimultanei* concurrat immediatè ad actionem. Hoc igitur pacto optimè relucet, quòd nulla ſit formalitas, quæ à Deo immediate non dependeat: nam ratione concurſus ſimultanei tota actio ſecundùm ſe pendet immediatè à Deo, & ratione prævij eadem actio prout procedens à creatura ſimilitèr pendet immediatè à Deo.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd illa formalitas actionis creaturæ *prout à creatura* dependet immediatè à Deo. Et ad rationem dubitandi dicendum eſt, quòd in idem recidit, *actionem creaturæ prout à creatura dependere à Deo*, ac eſſe motam ab ipſo ad operandum. Cæterùm, vt ſit mota ad operandum, non requiritur, quòd Deus immediatè influat in actionem, ſed quòd immediatè agat in cauſam, vt liquet in manu movente baculum. Alitèr ſe habet Deus præbens virtutes proximè operativas: nam ibi non agit in cauſas, ſed producit cauſas in ſuo *eſſe*, quòd valde diverſum eſt ab eo, quod eſt illas, poſtquàm ſunt productæ, movere ad agendum: ob hoc nequit dici Deus immediata cauſa actionis creaturæ prout à creatura ratione concurſus producentis virtutes proximè operativas: & econtrà, dum movet cauſam ad agendum, debet dici propriè cauſa proxima & immediata actionis creaturæ prout à creatura,

§. IV.

Concluſio ſecunda, & fœderatio libertatis creatæ cum decreto efficaci.

67 DIcendum eſt *ſecundò*, decreta ab intrinſeco efficacia non lædere libertatem creatam. Hæc concluſio, quæ eſt maxima confirmatio præcedentis, & defenditur ab omnibus diſcipulis D. Thomæ, traditur ab ipſo in hac 1. part. quæſt. 83 art. 1. ad 3. his verbis: *Deus eſt prima cauſa movens & naturales cauſas, & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis, movendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales; ita movendo cauſas voluntarias non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque ſecundùm eius proprietatem.* Non minùs perſpicuè id tradit quæſt. 23. *de Verit.* art. 5. his verbis. *Voluntas autem divina*

eſt

eſt agens fortiſsimum. Vnde oportet eius effectum omnibus modis aſsimilari, vt non ſolùm fiat id, quod Deus vult fieri, quod eſt aſsimilari ſecundùm ſpeciem, ſed vt fiat eo modo, quo Deus vult fieri, vt neceſſariò, vel contingenter, citò, vel tardè. Et in præſ. art. 8. ad 2. vbi ait: *Dicendum, quòd ex hoc ipſo quòd nihil voluntati diuinę reſiſtit, ſequitur, quòd non ſolùm fiant ea, quæ Deus vult fieri; ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò, quæ Deus vult ſic fieri.*

68 Ex quibus authoritatibus formatur prima ratio huius aſſertionis. Nam decretum illud, quo Deus efficaciter movet cauſam liberam ad operandum non ſolùm ſubſtantiam operis liberi, ſed etiam modum libertatis, nequit deſtruere libertatem; ſed prędeterminatio Dei ab intrinſeco efficax, quam ſtatuunt Thomiſtæ, eſt huiuſmodi: ergo prædeterminatio Dei ab intrinſeco efficax non lædit libertatem noſtrę voluntatis. Maior iquet ex terminis. Et minor probatur: Tum ex Div. Thoma ſuprà relato. Tum etiam: nam efficacia diuinæ voluntatis non ſolùm ſe extendit ad hoc, vt voluntas creata eliciat conſenſum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum libertatis: ergo prædeterminatio Dei ab intrinſeco efficax eſt talis quòd Deus ea non ſolùm moveat cauſam liberam ad operandum, ſed etiam ad liberè operandum.

Et confirmatur *primò*: Nam agens liberum creatum ſe determinare ad dandum *eſſe* amori (v.g.) non poteſt auferre eius libertatem: ergo neque Deum ſe determinare ad illum producendum pro priori ad determinationem creaturæ poteſt tollere libertatem ipſius amoris. Probatur conſequentia: Tum, nam ideò antecedens eſt verum, quia amor habet *eſſe* & libertatem ab agente libero creato; ſed nequit habere *eſſe* & libertatem ab agente libero creato, quin potiori titulo vtrunque habeat a Deo, qui eſt agens primum & primum liberum: ergo ſi non poteſt tolli libertas amoris, per hoc quòd creatura ſe determinet ad eum, neque poteſt tolli, per hoc quòd Deus ſe determinet ad cauſandum illum. Tum etiam: Nam *Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum quam ipſi ſuas*, vt loquitur Auguſtinus; ſed quia amor liber eſt ſub dominio creaturæ, non aufertur eius libertas, per hoc quòd voluntas creata ſe determinet ad amorem: ergo neque adimitur illius libertas, per hoc quòd Deus vt primum agens & liberum ſe determinet ad cauſandum illum.

69 Confirmatur *ſecundò*: Nam amorem habere *eſſe* ab agente libero creato tanquàm à ſecundo libero ſubordinato primo non eſt contra eius libertatem, imò eſt iuxta eius exigentiam; ſed amor nequit habere *eſſe* à ſecundo libero vt ſubordinato primo, niſi habeat *eſſe* ex determinatione ſecundi liberi derivata ex determinatione primi liberi: ergo non eſt contra rationem amoris liberi creati, imò eſt iuxta exigentiam illius, quòd procedat à determinatione Dei determinante agens liberum creatum ad illum. Maior videtur certa: nam agens liberum creatum omninò ſubordinatur primo quoad ſubſtantiam & modum operationis, aliàs non eſſet ſecundum, ſed primum liberum. Minor verò probatur: Nam, ablato decreto ab intrinſeco efficaci determinante voluntatem creatam ad amorem, Deus non ſubordinat ſibi creaturam vt liberè operantem, ſed potius creatura ſubordinat ſibi Deum: omne enim determinans ſubordinat ſibi ſuum determinabile: ergo &c.

70 Neque apparet, quid ad hæc reſpondere valeant Adverſarij, niſi quòd iſtæ probationes implicant in terminis, vel important inconueniens egregiæ petitionis principij, dum præſupponunt dari in actibus noſtris modum libertatis, exiſtente in Deo decreto ab intrinſeco efficaci.

Sed contrà eſt: Nam experientia ipſa compertum eſt, dari libertatem exercitam creatam; ſed lumine naturali notum eſt omnem formalitatem *entis* eſſe ſub ſupremo dominio Dei: ergo etiam modus libertatis eſt ſub ſupremo dominio Dei; ſed nullum eſt inconueniens in eo, quòd Deus ex ſe efficaciter determinet id, quod continetur ſub domino ſupremo Dei, imò eſt maximum inconueniens, quòd Deus efficaciter determinet libertatem exercitam creatam ex determinatione creaturæ, alias Deus non eſſet primum determinans, ſed creatura: ergo nulla eſt implicatio in terminis, neque petitur principium, ex eo quòd probemus, præviam determinationem Dei ad conſenſum liberum creatum non perimere noſtram libertatem, quia eam cauſat. *Maximè*: Quia prædeterminatio ad conſenſum, quæ ita efficaciter illum infert, vt non auferat poteſtatem proximam ad diſſenſum, non aufert libertatem; ſed prædeterminatio Dei ab intrinſeco efficax eſt huiuſmodi, quia eius efficacia non ponitur ad dandum *poſſe*, ſed illud præſupponens movet potentiam ad *agere*: ergo non aufert libertatem.

71 Probatur aſſertio alia ratione: Nam prædeterminatio Dei, ſi non tollit à voluntate, quòd ex iudicio indifferēti operetur, neque tollit, quòd liberè operetur; ſed prædeterminatio phyſica ab intrinſeco efficax non tollit à voluntate, quod operetur ex iudicio indifferenti: ergo neque tollit, quòd liberè operetur. Maior traditur a D. Thoma 1. part. quæſt. 83. art. 1. vbi ait: *Quia iudicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad vnum, pro tanto neceſſe eſt, quòd homo ſit liberi arbitrij, ex hoc ipſo quòd rationalis eſt.* Idem tradit 1. 2. quæſt. 17. art. 1. ad 2. Minor verò probatur

tur : tum ex ipso Aug. Doctore 1. 2. quæst. 9. art. 4. vbi asserit, non esse contra rationem agentis liberi seipsum ita liberè determinare per cõsilium, vt determinetur totaliter ab extrinseco. Videatur omninò ibi, vbi rem hanc optime dilucidat. Tum etiam: nam prædeterminatio physica tantùm datur, ad hoc vt voluntas creata eligat, ex his quæ ratio indifferenter proponit: ergo prædeterminatio physica non tollit à voluntate, quòd ex iudicio indifferenti operetur. Tum denique: quia prædeterminatio physica tendens ad applicandam voluntatem, intactum relinquit iudicium rationis; sed ante prædeterminationem iudicium rationis est indifferens: ergo prædeterminatio physica non tollit à voluntate, quòd operetur ex iudicio indifferenti. *Addè*: Nam non stat quòd voluntas creata habeat dominium sui actus, quin operetur libere; sed quamvis voluntas creata à Deo prædeterminetur, dummodo operetur ex iudicio indifferenti, habet dominium sui actus: ergo etiam operatur liberè. Minor probatur: tum ex Div. Thoma 1. 2. quæst. 6. art. 2. ad 2. vbi ait: *Ex hoc contingit, quòd homo est dominus sui actus, quòd habet deliberationem de suis actibus: ex hoc enim quòd ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in vtrunque potest*: Ergo ex hoc quòd ratio est indifferens, voluntas habet dominium sui actus. Tum etiam: nam dominium, quod habet voluntas sui actus, ortumque ducens ex iudicio indifferenti, est dominium secundum, subordinatum primo: ergo ex eo quòd Deus habeat supremum & primum dominium, ratione cuius primò determinat actum voluntatis creatæ, non tollitur, quòd homo (v.g.) habeat dominium secundum, ortum ducens ex iudicio indifferenti.

72 Huic rationi respondebis cum Suario tom. 1. Prologom. 1. *de arbitrij Libertate* cap. 5. num. 21. quòd nulla est repugnantia in eo, quòd voluntas creata, supposito iudicio indifferenti ex parte intellectus, necessitetur ab agente extrinseco: Et hoc necesse est, quòd contingat, dum voluntas creata instructa iudicio indifferenti prædeterminatur à Deo ad vnum prædeterminatione infallibiliter inferente determinationem illius.

Hæc autem evasio impræsentiarùm non habet locum, quia totaliter præscindimus, an ex vi prædeterminationis divinæ descendat aliqua qualitas physica immuttans voluntatem, de qua alibi Deo dante; sed iuxta sententiam Suarij ibidem num. 23. nisi adsit aliqua mutatio physica & intrinseca in voluntate, nequit ipsa voluntas necessitari ad vnum, stante indifferentia iudicij: ergo cùm prædeterminatio extrinseca, de qua nunc loquimur, non auferat indifferentiam iudicij, plane infertur esse compossibilem cum libertate. Adde *primò*: Nam quamvis detur huiusmodi qualitas physicè immutans voluntatem, non dat *posse* ad actum, sed tantùm determinat ad illum; sed id, quod non dat *posse* voluntati, sed tantùm determinat illam instructam iudicio indifferenti, non tollit eius libertatem, quia tollere indifferentiam suspensivam, & relinquere indifferentiam subiectivam, & obiectivam in nulla sententia opponitur libertati: ergo. Adde *secundò*: Quia in multorum sententia, maxime Thomistarum, vt existat actus determinatus voluntatis, vltra iudicium practicum proponens obiectum cum indifferentia, requiritur aliud iudicium determinatum inferens infallibiliter actum; & tamen non ob hoc voluntas operatur necessariò: ergo cùm prædeterminatio physica & qualitas ab ea descendens non conferant *posse*, sed tantùm determinent potentiam expeditam ad vtrumlibet ratione iudicij indifferentis, non est, cur voluntati creatæ adimant libertatem. Hæc summatim diximus, quia latè tractabuntur in suis locis.

§. V.

Tertia conclusio, in qua explicatur sensus compositus, & divisus.

73 Dicendum est *tertiò*, optime cohærere cum libertate voluntatis creatæ, quòd prædeterminata ad consensum non possit in sensu composito dissentire, quia potest in sensu diviso dissentire. Pro cuius intelligentia, & maiori confirmatione præcedentium assertionum: Nota primò, *voluntatem à Deo prædeterminatam non posse in sensu composito dissentire* non esse sensum, quòd voluntas non potest dissentire, dum existit prædeterminatio ad consensum, & potest dissentire, si auferatur prædeterminatio ad consensum, quia iuxta hanc acceptionem prædeterminatio physica auferret potestatem ad dissentiendum, & consequenter libertatem. Sensus ergo illius est, quòd voluntas præmota ad consensum potest non consentire, quamvis non possit coniungere carentiam consensus cum præmotione ad amorem.

74 Ad quod rectè percipiendum: Nota *secundò*, quod licèt liberum arbitrium habeat simul potestatem ad opposita, non tamen habet potestatem ad opposita simul habenda, idest quòd quamvis habeat simultatem potentię ad opposita, non verò habet potentiam simultatis. Hoc á nemine potest negari: nam dum quis consentit, habet potestatem ad non consentiendum (ecce sensus divisus) non tamen habet potestatem ad coniungendam carentiam consensus cum consensu (ecce sensus compositus) Et ratio huius est: quia stat optimè, quòd actus sint inter se oppositi, quin potentię ad illos actus inter se opponantur: Insuper dum voluntas amat, non tollitur potentia ad non amandum, vt ex se liquet. Hinc ergo oritur, quòd voluntas, dum amat,

amat, habeat liberum arbitrium, quia in ſenſu diviſo poteſt ponere carentiam amoris, quamvis non poſsit in ſenſu compoſito, & propterea liberum arbitrium non definitur per hoc, quòd ſit potentia ad *velle*, & *nolle* ſimul habenda, ſed ad *velle*, & *nolle* diviſivè.

75 Nota *tertiò*, quòd idem iudicium ferendum eſt de prædiffinitione efficaci Dei, ac de actu elicito a voluntate creata. Quia hæc prædiffinitio ex vna parte non datur ad *poſſe* voluntatis, ſed potius illud ſupponit, imo repugnat Deum prædiffinire actum voluntatis creatæ quin in ea præſupponatur potentia ad illum actum: ex alia prædiffinitio, vtpote efficax, infallibiliter infert actum. Quocirca ſicut, dum quis conſentit, non habet potentiam ad coniungendam carentiam conſenſus cum ipſo conſenſu, quod propriè loquendo eſt idem, ac non habere potentiam in ſenſu compoſito; ita non habet in eodem ſenſu compoſito poteſtatem ad coniungendam carentiam conſenſus cum prædiffinitione ad conſenſum. Et ſicut, dum quis conſentit, habet potentiam ad ponendam carentiam conſenſus, ſimultate ſe tenente præcisè ex parte potentiæ, ita dum quis eſt præmotus ad conſenſum, conſervat potentiam ad ponendam carentiam conſenſus, ſimultate ſe tenente ex parte potentiæ & præmotione ad conſenſum. Et hoc eſt habere poteſtatem ad oppoſitum in ſenſu diviſo prout ſufficit ad libertatem.

76 Hinc oritur (& obſerva *quartò*) qualiter hanc propoſitionem modalem, *voluntatem efficaciter à Deo præmotam ad conſenſum diſſentire, eſt poſsibile*, concedant Thomiſtæ, & negent. Nam in ea eſt ſenſus compoſitus, ita vt denotet ſimultatem præmotionis cum voluntate. Et tunc concedenda eſt, vt conceditur ab omnibus illis: & meritò, quia voluntas, adhuc data præmotione, habet potentiam ad diſſentiendum. Atqui abſolutè, & in toto rigore loquendo, prædictus ſenſus non eſt compoſitus, ſed ille qui componit diſſenſum cum præmotione, ſicut in hac, *ridentem eſſe flentem eſt poſsibile*. Propterea abſque vlla diſtinctione neganda eſt: quia facit hunc ſenſum: Poſsibile eſt, quòd diſſenſus ſit in voluntate ſimul cum præmotione ad conſenſum: quod eſt falſiſsimum, nulluſque negabit, niſi qui negaverit efficaciam divinæ præmotionis.

77 Et vt hæc diſtinctio ſenſus compoſiti, & diviſi omnino firmata maneat, placet authoritatibus D. Thomæ eam munire. Eam enim docet in hac 1. part. quæſt. 23. art. 6. ad 2. ſub titulo *neceſsitatis ex ſuppoſitione*, & *neceſsitatis abſolutæ*. Et ſub expreſſo termino *ſenſus compoſiti* eam tenet ibidem ad 3. Et ſub voce *modali de re*, & *modali de dicto*, necnon ſub vocibus expreſsis *propoſitionis compoſitæ*, & *diviſæ* eam fatetur 1. part. quæſt. 14. art. 13. ad 3. cuius verba, relictis alijs authoritatibus, referemus. Et ſunt hæc: *Hæc propoſitio, omne ſcitum à Deo neceſſarium eſt eſſe, conſuevit diſtingui, quia poteſt eſſe de re, vel de dicto. Si intelligatur de re, eſt diviſa, & falſa: Et eſt ſenſus, Omnis res, quam Deus ſcit, eſt neceſſaria. Vel poteſt intelligi de dicto; & ſic eſt compoſita, & vera: Et eſt ſenſus, Hoc dictum, ſcitum à Deo eſſe, eſt neceſſarium.* Neque eſt ſolus D. Thomas in hac diſtinctione conſtituenda, quia eam docet D. Auguſt. loquens de ſcientia futurorum, quæ neceſſariò iuxta ipſum ſupponit decretum efficax illorum. Et D. Anſelmus lib. *de Concord. liberi arbitrij, & prædeſt.* cap. 1. vbi ait: *Quoniam quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cùm vult hominis voluntatem cogi, vel prohiberi neceſsitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult.*

78 Ex his efformatur ratio probativa huius concluſionis: Nam ad libertatem voluntatis creatæ ſufficit, quòd in ea, dum actu conſentit, ſit abſolutè poteſtas ad carentiam conſenſus; ſed, eo ipſo quòd voluntas præmota ad conſenſum poſsit non conſentire in ſenſu diviſo, eſt in ea abſolute poteſtas ad carentiam conſenſus: ergo. Minor probatur. Nam iuſtus in ſenſu compoſito non poteſt peccare lethaliter; & tamen, quia poteſt peccare lethaliter in ſenſu diviſo, habet abſolutè poteſtatem ad peccandum lethaliter: ergo pariter, ſi voluntas præmota ad conſenſum poteſt diſſentire in ſenſu diviſo, eſt abſolutè in ea poteſtas ad carentiam conſenſus.

Sed quia Patres Societatis negabunt, voluntatem præmotam ad conſenſum poſſe in ſenſu diviſo, prout à nobis ſuprà explicato, diſſentire, reſtat probare duplici via. Prima à ratione ſuprà n. 75. inſinuata. Nam id, quod præſupponit *poſſe* adæquatum ad actum & eius carentiam, ſemel poſitum & determinans ad vnum, non tollit poteſtatem in ſenſu diviſo ad oppoſitum; ſed præmotio efficax præſuponit *poſſe* adæquatum ad conſenſum, & eius carentiam: ergo voluntas præfinita ad conſenſum habet in ſenſu diviſo poteſtatem ad oppoſitum. Maior vltrò conceditur ab Adverſarijs. Et Minor probatur: Nam id, quod tantùm ſe habet per modum applicationis efficacis ad actum, præſupponere debet poteſtatem adæquatam ad actum, & eius carentiam; ſed præmotio efficax, quam ponunt Thomiſtæ, tantùm datur ad applicandam efficaciter voluntatem ad actum: quia chimæricum eſt cauſam applicari ad actum ab alia cauſa, & non præſupponi in ea poteſtatem adæquatam ad illum: ergo præmotio efficax præſupponit *poſſe* adæquatum ad actum, & eius carentiam. Secunda via deſumitur ex ſolutione argumentorum.

§. VI.

Sententia contraria, & primum argumentum ab authoritate,

79 SEntentiam oppositam decretis ab intrinseco efficacibus tuentur omnes propugnatores scientiæ mediæ. Pro qua arguitur *primò* ex Scriptura: Nam Eccleſiast. 15. dicitur: *Appoſui tibi ignem, & aquam....ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Et Isaiæ 5. dicitur: *Quid eſt quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Sed hæc testimonia non cohærent cum decreto ab intrinseco efficaci: quia hoc voluntatem creatam ligat, ne aliam operationem eliciat, nisi quæ prædicto decreto correspondet: ergo iuxta Scripturam nō dantur in Deo decreta ab intrinseco efficaci.

Et confirmatur ex Chriſost. hom. 12. in epist. ad Hebræos, vbi expresè negat, Deum nostras præcedere voluntates, aliàs nostrum læderet arbitrium; sed decretum ab intrinseco efficax ad hoc ponitur, vt nostras antecedat voluntates: ergo. ¶ Confirmatur *secundò*, ex D. Augustino lib. 3. *de Lib. arbitrio* cap. 18. vbi ait: *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſsimum tene, quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur.* Sed decreto ab intrinseco efficaci non potest resisti: ergo. ¶ Confirmatur *tertiò* ex D. Thoma quæst. 6. *de Verit.* art. 3. vbi hęc ait: *In eo, quem Deus prędeſtinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat; vel ſi cadat, quod reſurgat: ſicut exhortationes, & ſuffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem.* Si autem D. Thomas sentiret, certitudinem prędestinationis desumi ex prædiffinitione Dei ab intrinseco efficaci, superfluè recurreret ad tot adminicula, itaut, si hoc deficiat, aliud loco eius subregetur: sentit ergo non dari in Deo decretum ab intrinseco efficax. Mittimus alia testimonia tám ex Scriptura, quàm ex vtroque Ss. Doctore, quia ad ea satis constabit ex solutione istorum, & quia ad alia iam constat ex dictis in tract. *de Scientia Dei*, & tandem in argumentis à ratione petitis alia fortè immiscebimus.

80 Ad argumentum respondetur, illa testimonia ex Scriptura særa desumpta tantùm ostendere id, quod fide divina sanctum est, videlicet hominem habere liberum arbitrium, quod Luthetus & Calvinus negabant, & omnes Orthodoxi fatentur. Vnde non opus erat ea explicare. Sed clariratis gratia ad primum ex Eccleſiast. respondetur cum D. Thoma 3. Contr. gent. cap. 90. vbi, relato prædicto testimonio, statim adiecit: *Hæc autem verba ad hoc inducuntur, vt homines eſſe liberi arbitrij oſtendantur, non vt eorum electiones à divina providentia ſubtrahantur.* Eodem modo respondet ad aliud testimonium ex eodem libro desumptum, vbi dicitur, Deum ab initio constituisse hominem, & reliquisse in manu consilij sui: quod referens Ang. Doctor 1. part. quæst. 22. art. 2. argum. 4. sic respondet: *Dicendum, quòd in hoc quod dicitur, Deum hominem ſibi reliquiſſe, non excluditur homo à divina providentia. Sed oſtenditur, quòd non præfigitur ei virtus operativa determinata ad vnum::: ſed quia ipſe actus liberi arbitrij reducitur in Deum ſicut in cauſam, neceſſe eſt, vt ea, quæ ex libero arbitrio fiunt, divinæ providentiæ ſubdantur.* Constat autem ex Div. Thoma, providentiam divinam, vtpotè perfectissimam, esse omnino certam certitudine desumpta ex sua efficaci causalitate, & non ex eventu futuro, vt vidimus tract. præced. disp. 5. num. 22. Maneat ergo prædictum textum, iuxta expositionem D. Thomæ, non officere decreto Dei ab intrinseco efficaci. Ad aliud ex Isaia depromptum respondetur, quòd consultò Spiritus-sanctus in eo dixit, *Quid vltra debui facere, & non feci?* vt innueret, quòd licet Deus posit absolutè omnes salvare, & eorum actus perducentes ad vitam æternam infallibiliter & efficaciter prędiffinire, non tamen debuit facere, sed satisfecit suo muneri generalis Provisoris communicando dèfactò sufficientiam ad illius consecutionem. Et dum ait *expectavi, vt faceret vuas* (conversionis) intelligendum est de conversione vt futura ex sola inclinatione auxiliorum sufficientium; non de conversione absolutè futura, cuius futuritio nequit non dependere à decreto Dei efficaci.

81 Ad primam confirmationem respondetur, quòd dum Chriſost. & alij Patres, maximè Gręci, asserunt Deum non prædiffinire, aut prævenire nostras voluntates, solùm excludunt prædiffinitionem seu motionem divinam ab hęreticis assertam, videlicet necessitatem inferentem, & auferentem libertatem: vt apertè D. Thomas 3. Contra gent. cap. 90. & in hac 1. part. quæst. 23. art. 1. ad 1. exponit Nisenum, & Damascenum habentes eundem modum loquendi Chriſostomi, vbi ait: *Dicendum, quòd Damaſcenus nominat prędeterminationem impoſitionem neceſſitatis.* Sentit ergo Ang. Doctor dari prædeterminationem fœderabilem cum libertate, aliàs omnem prædeterminationem negaret, & hoc modo exponeret Patres. Adde *primò*, illa verba Chriſostomi in originalibus Græcis nō inveniri, & hac ratione posse suspicari esse introducta à Pelagianis. Adde *secundò*: Nam Vazquez 1. p. disp. 91. c. 8. asserit, Chryſostomū & alios Patres Græcos tenuisse Semipelagianorum errorem: quod si verum est, eorū authoritas parùm proficit Iesuitis: vel dicendum foret opi-

nio-

dionem eorum non differre à ſemipelagianorum errore. Diximus *ſi verum eſt*: quia Doctores communiter vindicant ab hoc errore Chriſoſtomum & alios Patres; quamvis Suarius aſſerat, exceſsiſſe in modo loquendi zelo impugnandi hæreticos, qui liberum arbitrium negabant. Pro quo videantur N. Salm. tract. 14. diſp. 7. num. 237.

82 Ad ſecundam reſpondetur, D. Auguſtinum apertè docere hominem decreto Dei ab intrinſeco efficaci non poſſe reſiſtere reſiſtentia propriè dicta, vt vidimus num. 53. & poteſt videri in alijs innumeris locis. Authoritas autem, quæ nobis objicitur, procedit de cauſis & objectis creatis graviter allicientibus ad peccatum, vt legenti totum textum conſtabit. Et de his veriſsimum eſt, quòd ſi non poteſt eis reſiſti, ſine peccato illis ceditur. Sed non eſt eadem ratio de prædiffinitione Dei efficaci. Quia nulla cauſa creata poteſt ſuperare reſiſtentiam voluntatis noſtræ niſi auferendo ab ea indifferentiam iudicij, ac proinde libertatem: At Deus ſuppoſita indifferentia iudicij oportet, quòd determinet voluntatem id vnum, ne determinatio illius ſubterfugiat cauſalitatem & providentiam Dei.

Ad tertiam ex D. Thoma depromptam reſpondetur, Angelicum Præcept. in prædicta authoritate nullatenus negare prædeſtinationem ab intrinſeco & abſolutè efficacem in ordine ad actus noſtros liberos bonos, cùm expreſsè dicat, Deum adiuvare hominem tot adminiculis, quibus infallibiliter perducitur in vitam æternam, ex ſuppoſitione quòd eum prædeſtinet, quaſi tot illa adminicula ortum ducant ex voluntate efficaci illum ſalvandi. Rursùs D. Thomas non loquitur ibi de adminiculis, quæ Deus præparat ad hunc vel illum actum in particulari, ſed de illis, quæ præparat homini in toto diſcurſu vitæ ſuæ, in quo diſcurſu contingit, quod prædeſtinatus aliquando cadat in peccatum, & aliquando reſurgat ab eo: & ſic conſtat, quòd aliquando præparat ei adminicula tantùm ſufficientia, quibus datis homo non operatur benè, ſed poſtmodùm tribuit ei efficacia, quibus reſurgit, & tandem perſeverantiam finalem, quæ in auxilio efficaci conſiſtit. Unde prædictum teſtimonium potiùs eſt confirmatio noſtræ aſſertionis.

§. VII.

Duo argumenta à ratione.

83 ARguitur *ſecundò*: Nam ſi in Deo darentur decreta ab intrinſeco efficacia, concurſus Dei determinaret actionem creaturæ non ſolùm quoad rationes communes, ſed etiam quoad rationes particulares; ſed hoc eſt falſum: ergo. Minor probatur: Concurſus creaturæ determinat concurſum Dei: ergo concurſus Dei non determinat actionem creaturæ. Conſequentia videtur bona: nam idem reſpectu eiuſdem nequit eſſe determinativum, & ab eodem determinatum. Antecedens verò probatur tum ex D. Thoma quæſt. 1. *de Pot.* art. 4. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd licèt cauſa prima maximè influat in effectum, tamen eius influentia per cauſam proximam determinatur, & ſpecificatur.* Idem tradit 3. Contra gent. cap. 66. ſub rat. 5. quæſt. 5. *de Verit.* art. 9. ad 10. & opuſc. 2. cap. 69. Tum etiam: nam concurſus Dei eſt generalis, & concurſus creaturæ particularis; ſed concurſus generalis determinatur per particularem: ergo concurſus creaturæ determinat concurſum Dei.

Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo maiorem; ſed negando minorem. Et ad eius probationem negatur antecedens. Cuius nulla probatio vrget. Non prima ex D. Thoma deſumpta: nam 1. part. quæſt. 105. art. 1. ad 3. coincidens cum prefato argumento ſic reſpondet: *Dicendum, hoc ipſum, quòd cauſæ ſecundæ ordinantur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo. Vnde Deus, quia alias cauſas ordinat ad determinatos effectus, poteſt etiam determinatos effectus producere per ſeipſum ſine quocumque alio.* Ex quibus verbis ſatis cõſtat, quòd hoc ipſum, quod eſt cauſam ſecundam ſe determinare ad determinatum effectum, & determinare influentiam cauſæ primæ, habet à Deo primò cauſante in ea talem determinationem. Pro quo notandum eſt diſcrimen repertum inter modum cauſandi cauſæ primæ, & ſecundæ, per quod doctrina D. Thomæ inter arguendum tradita elucidabitur: nam cauſa prima producit omnes effectus, omneſque eorum rationes tam communes, quàm particulares ſub vniverſaliſsima ratione *entis*: cauſa verò ſecunda producit eoſdem effectus ſub ratione particulari. Hinc provenit, quòd influxus cauſæ ſecundæ ſit magis determinatus ex parte rationis *ſubqua* cauſandi, quàm influxus cauſæ primæ; & quia influxus eius eſt magis determinatus; & effectus conſtituitur in ſua ſpecie per rationem determinatam & non per rationem generalem *entis*, ideò dicitur influxum cauſæ ſecundæ determinare & ſpecificare influxum primæ terminativè ſumptum. Cum quo rectè cohæret, quòd cauſa ſecunda activè determinetur à concurſu activo primæ in ordine ad effectus ſecundùm omnes eorum rationes particulares. Unde primò Deus determinat, quòd cauſa ſecunda hoc vel illud cauſet ſub ratione particulari, & ad hoc prædeterminat eam: deinde hoc ipſum, quod cauſa ſecunda vt determinata & mota à prima cauſat, Deus efficit ſub vniverſaliſsima ratione entis. Et hac ratione tantùm influxus cauſæ ſecundæ prædeterminatus à prima dicitur determinare & ſpecificare influxum primæ, quaſi idem effectus vt cauſa-

tus à causa prima specificetur, determinetur, & limitetur vt productus à causa secunda, vt non obscurè docet D. Thomas in 3. dist. 23. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 2. in corpore his verbis: *Actiones secundorum agentium fundantur super actionem primi agentis, quæ cùm sit vna communitèr omnes firmans, specificatur eius effectus in hoc & illo secundum exigentiam illius.* Inde colligitur, quàm longè absit D. Thomas à mente Adversariorum. Ex quibus constat ad secundam probationem.

84 Arguitur *tertiò*: Nam si voluntas nostra prædeterminaretur à Deo ad actus liberos bonos, non maneret libera in eorum elicientia; hoc nequit admitti: ergo voluntas nostra non prædeterminatur á Deo ad actus liberos bonos. Maior probatur: Tum, quia voluntas non manet libera, quando pro priori ad determinationem sui ipsius non manet indifferens ad vtrumlibet; sed hoc ipso quòd decretum Dei sit ab intrinseco efficax & prædeterminativum voluntatis creatæ ad consensum (v.g.) voluntas creata pro priori ad determinationē sui ipsius non maneret indifferens ad oppositum: ergo neque maneret libera. Tum etiam: nam id, quo posito nequit non sequi actus voluntatis, & non est in eius potestate illud auferre seu impedire, nequit non tollere eius libertatem; sed decretum Dei ab intrinseco efficax est huiusmodi, vt supponimus: ergo. Tum denique: nam ideò Angeli in primo instanti non fuerunt liberi ad peccandum, quia specialitèr movebantur à Deo pro priori ad sui determinationem: ergo si voluntas nostra prædeterminatur à Deo, non manet libera.

Et confirmatur *primò*: Deus potest necessitare voluntatem creatam per aliquam prædiffinitionem independentem ab illius consensu; sed prædiffinitio, quam ponunt Thomistæ, est huiusmodi: ergo tollit eius libertatem. Minor cum consequentia constat. Et maior admittitur communiter à Theologis fatentibus, quòd estò Deus non possit violentare voluntatem creatā, potest tamen illam necessitare. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam propterea ignis (v.g.) necessariò agit quia suppositis omnibus requisitis non potest non agere in sensu composito, quamvis si desit aliquod requisitum, v. g. approximatio, non agat; sed decretum Thomisticum est vnum ex requisitis, vt voluntas agat, quo posito non potest non agere in sensu composito: ergo necessariò operatur, sicut ignis.

85 Ad hoc argumentum respondetur, negando maiorem. Et ad eius primam probationem dicendum est, quòd duplex est indifferentia in voluntate, alia suspensionis, alia potestatis ad vtrumlibet, inter quas hoc est discrimen, quòd determinatio voluntatis tollens indifferentiam suspensionis non tollit eius libertatem, sed potius est exercitium illius, vel conducit ad illud, dummodò id, quod determinat, absolutè non auferat ab ea indifferentiam potestatis ad vtrumlibet. Tunc autem cognoscitur, quòd determinatio voluntatis ad vnum tollit præcisè indifferentiam suspensionis, secus verò potestatem ad oppositum, quando non determinat voluntatem ad vnum per modum virtutis, sed tantùm per modum applicationis. Igitur prædeterminatio Dei nequit determinare voluntatem creatam per modum virtutis, sed tantùm per modum applicationis, eò quòd voluntas ex se, iudicio indifferenti instructa, est virtus sufficiens ad vtrumlibet; at quia non est agens & determinativum primum, sed secundum omninò subordinatum primo, oportet, vt priusquàm à seipsa determinetur, determinetur, & applicetur à Deo ad vnum, per talem applicationem quòd relinquat potestatem ad oppositum, & simul auferat indifferentiam suspensionis. Et hoc genus determinationis ad vnum non est contra conceptum libertatis, sed potius est determinare exercitium illius.

86 Ad secundam probationem respondetur, quòd vt auferatur libertas voluntatis creatæ, non sufficit, quòd decretum Dei prædiffinitivum sit infallibiliter connexum cum actu, & quòd huiusmodi decretum non sit in potestate voluntatis creatæ quoad positionem, & ablationem; sed vlterius requirebatur, quòd decretum tribueret voluntati virtutem ad id, quod prædeterminat. At decretum Dei, vt proximè diximus, tantùm se habet per modum applicationis determinantis virtutem voluntatis ad vnum, quæ ex se erat potestas sufficiens ad vtrumlibet. Unde quamvis decretum Dei ad amorem sit tale, quòd eo posito non potest non in sensu composito sequi amor, & quamvis non sit in potestate voluntatis positio seu ablatio ipsius decreti, non propterea adimitur libertas voluntaris creatæ, quia cùm tantùm sit applicatio illius ad amorem, semper relinquit potestatem ad oppositum in sensu diviso. Quæ omnia necessariò tenenda sunt, ne dicatur, quòd Deus subordinatur voluntati creatæ in determinatione illius ad vnam partem contradictionis.

87 Ad tertiam respondetur, esse latum discrimen inter Angelum vt motum à Deo in primo instanti, & voluntatem creatam vt præmotam à Deo ad quemlibet actum bonum. Nam Angelus in primo instanti petit moveri à Deo vt authore speciali, eò quòd prima operatio incipiens cum *esse* rei tribuitur vt agenti particulari causæ producenti ipsam rem, vt tradit D. Thomas in hac 1. part. quæst. 63. art. 5. Hinc provenit, quòd Deus specialiter moveat intellectum Angeli ad primum dictamen movens eius voluntatem ad primam sui operationem: hoc autem dictamen, vtpote proveniens à Deo vt à causa speciali, nequit esse indifferens ad bonum, & malum: aliàs, cùm hoc dictamen conducat ad potestatem voluntatis, iam potentia

pro-

peccandi cauſaretur à Deo, ac proinde ipſa actio peccaminoſa. Quod amplius explicabimus in tract. *de Angelis*. Cæterum ſuo decreto efficaci non concurrit vt cauſa ſpecialis ad actum voluntatis, neque conducit ad conſtituendum *poſſe* ipſius, ſed potius adæquatè illud ſupponit. Et ob hoc diſcrimen voluntas creata vt præmota ad amorem manet libera in eius eliciētia, & Angelus in primo inſtanti non habet libertatem ad peccandum.

88 Ad primam confirmationem reſpondetur cum N. Salm. tract. 10. diſp. 5. num. 43. fatendo, quòd Deus poteſt abſolutè neceſsitare voluntatem creatam ad aliquem actum, ſed hoc non proveniret ex capite prædiffinitionis, ſed ex eo quòd poteſt immittere iudicium omnino determinatum ad vnum. Prędiffinitio enim ſequitur conditionem & proprietatem agentis, vt ſi agens pro priori ad illam ex ſe eſt determinatum ad vnum per modum naturæ, prædiffinitio etiam hoc modo determinat agens: ſi verò pro priori ad illam eſt indifferens, etiam determinat agens iuxta proprietatem illius, hoc eſt, relinquendo indifferentiam activam ſeu poteſtativam ad oppoſitum. Impoſsibile tamen eſt, quòd voluntas, iudicio indifferenti inſtructa, neceſsitetur a Deo media aliqua eius prędiffinitione. Per quod conſtat diſparitas inter voluntatem creatam hoc iudicio indifferenti inſtructam, & ignem, ſive quancumque aliam cauſam neceſſariam: hęc enim ſecundum conditionem ſuæ naturæ, & pro priori ad præmotionem Dei, & quamlibet aliam conditionem extrinſecam eſt omnino determinata ad vnum; & quamvis deficiente aliqua conditione non operetur, hoc non oritur ex aliqua indifferentia activa reperta in ea: At voluntas creata, ſi eſt inſtructa iudicio indifferenti, eſt indifferens ad vtrumlibet ſecundùm conditionem ſuæ naturæ, & aliunde prædiffinitio Dei tantùm datur ad *agere*. Per quod conſtat ad ſecundam,

§. VIII.

Aliud argumentum.

89 ARguitur *quartò*: Qui ex ſe non habet *poſſe* ad actum, non eſt liber in elicientia illius; ſed ſine prædiffinitione efficaci homo non habet *poſſe* ad actum: ergo. Minor probatur: Nam ille, qui nec habet, nec eſt in ſua poteſtate habere eſſentiale requiſitum ad actum, non habet ſimplicitèr *poſſe* ad illum; ſed prędiffinitio efficax eſt eſſentiale requiſitum ad amorem (v.g.) & non eſt in noſtra poteſtate illam acquirere: ergo ſine prædiffinitione efficaci homo non habet *poſſe* ad actum. Maior, quæ ſola in dubium vocari poteſt, videtur ipſo lumine naturali nota: nam qui nec habet, nec in ſua poteſtate eſt habere lumen requiſitum ad videndum, calamum ad ſcribendum, breviarium ad recitandum, non eſt potens ſimplicitèr videre, ſcribere, aut recitare.

Et confirmatur *primò*, præcludendo communem evaſionem Thomiſtarum. Nam id, quod pertinet ad ordinem operativum, & non tanquàm actio, nec tanquam pura conditio ad agendum, eſt requiſitum ad illud tanquam virtus agendi, ac proinde tanquam quid dans *poſſe* ad actionem; ſed prędeterminatio phyſica Dei pertinet ad ordinem operativum, & non tanquàm pura conditio, neque eſt ipſa actio, ſed aliquid prævium ad actionem: ergo eſt requiſitum per modum virtutis dantis *poſſe* ad actionem: ergo ſi prædiffinitio efficax eſt infallibiliter connexa cum actione, & non eſt in noſtra poteſtate illam comparare, manifeſtè ſequitur, quòd auferat noſtram libertatem. *Augetur*: Nam licèt actio productiva termini non ad conſtitutionem potentię pertineat, ſed ad actum ſecundum; repugnat tamen apud omnes eum, qui non eſt potens ad actionem, eſſe potentem ad terminum: ergo pariter implicat in terminis, quòd ex vna parte prędiffinitio efficax ſit requiſitum ad actionem, & quòd non ſit in poteſtate noſtrę voluntatis eam comparare, & quòd ex alia voluntas ſit potens ad actionem.

Et confirmatur *ſecundò* duplici teſtimonio D. Auguſtini. primum habetur in lib. *de Correct. & grat.* cap. 11. vbi loquens de auxilio *quo* (ſeu de efficaci, vt omnes interpretantur) ait eſſe eiuſmodi, vt non ſolùm det nobis *poſſe agere*, ſed etiam ipſum agere *Eſt quippè* (inquit) *in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo non ſolùm poſſe quod volumus, ſed etiam velle quod poſſumus*: ergo iuxta Auguſtinum prædiffinitio efficax Dei non ſolùm pertinet ad *agere*, ſed etiam ad *poſſe*. Secundum habetur *de Gratia, & libero arbitrio* cap. 16. vbi ait: *Ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſsimas*: vbi per *vires efficaciſsimas* prædeterminationem Thomiſtæ intelligunt. Ad quod accedit illud Div. Thomæ: *Cauſam ſecundam per prius recipere influentiam cauſæ primæ, eſſe inſtrumentum Dei, recipereque impulſum & motionem eius*, priuſquam operetur, non ſecus ac ſerra recipit impulſum vel motionem artificis; ſed vires, virtus, & continentia idem omnino ſunt, & ad actum primum pertinent, ſicut impulſus ſerræ impreſſus ab artifice: ergo etiam Thomiſtica præmotio.

90 Ad argumentum reſpondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem diſting. mai. *qui non habet in ſua poteſtate eſſentiale requiſitum ad actum* ſe tenens ex parte alterius cauſæ ſuperioris, neg. mai. ſe tenens ex parte ſui ipſius conc. mai. Vel aliter: *qui non habet in ſua poteſtate eſſen-*

tiale

tiale requisitum ad actum, quod se habet præcisè per modum applicationis, neg. mai. quod se habet per modum virtutis dantis *posse* potentiæ, conc. mai. Et distinguitur minor: *Sed prædifinitio efficax est requisitum essentiale* per modum applicationis se tenens ex parte Dei, conc. min. se tenens ex parte voluntatis & per modum virtutis dantis illi *posse*, nego min. & negatur consequentia. Nam non omne prærequisitum essentiale ad actum dat *posse* ad ipsum actum, quod de prædifinitione efficaci necessariò fatendum est duplici ex capite. Primo, quia prædifinitio tantùm datur ad hoc, vt voluntas infallibiliter agat, & hac ratione potentiam ex parte sui expeditam applicat efficacitèr ad agendum, & trahit secum infallibilitèr ipsum *agere*. Id autem quod tantùm deservit ad applicandam potentiam ad agendum, necessariò debet præsupponere *posse* adæquatum ex parte ipsius potentiæ ad agendum, aliàs impossibile foret illam applicare. Secundo: nam prædiffinitio efficax Dei tantùm est necessaria ad agendum, inquantùm voluntas creata est agens secundum subordinatum primo: vt autem agens secundum operetur cum subordinatione ad primum, non sufficit quòd ex parte sui habeat virtutē & omnia requisita essentialia se tenentia ex parte ipsius agentis secundi, sed insuper desideratur, vt eius virtus, sufficiens aliàs ex parte sui, præmoveatur ab agente primo: & hoc fit media prædiffinitione Dei ab intrinseco efficaci. Unde verum est, quòd hæc est prærequisitum essentiale ad operationē, sed quia se tenet præcisè ex parte Dei necessariò præsupponens sufficientem potentiam ex parte creaturæ, hinc oritur, quòd hoc prærequisitum non det *posse* potentiæ creatę, & quòd non deficiat eius *posse* adæquatum, quamvis non sit in eius potestate illud sibi comparare. Lumen verò (& idem dic de alijs sexcentis exemplis, quæ nobis objiciunt Adversarij) non datur per modum applicationis potentiæ visivæ, vt ex se constat, sed est prærequisitum essentiale se tenens ex parte potentiæ, vel obiecti, & ideo se tenet ex parte actus primi. Unde non est mirum, quòd visus absolutè & simplicitèr sine lumine non possit videre. ¶ Per quod constat ad primam confirmationem: Nam stat optimè, quòd prædiffinitio efficax ex vna parte non se habeat per modum actionis creatæ, neque vt pura conditio, & quòd sit prærequisitum essentiale ad actionem, & quòd ex alia non det *posse* ad illam: quia vltra hæc datur aliquid, quod tantùm habeat rationem applicationis. Et quia prædiffinitio efficax Dei se habet hoc modo, propterea non dat virtutem potentiæ, neque se tenet ex parte illius, sed potius ex parte ipsius actionis. ¶ Ad augmentum difficultatis respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est per se nota: Nam actio est exercitium potentiæ, per quod ipsa potentia in actu secundo producit ipsum terminum: & hinc oritur, quòd ille, qui non est simpliciter potens ad actionem, non sit etiam potens ad terminum: At prędiffinitio efficax Dei, quamvis sit prærequisitum essentiale ad actionem creatam, non se tenet ex parte causæ creatæ, sed ex parte ipsius Dei subordinans sibi ipsam causam creatam ad actuale sui exercitiū. Unde non petitur, quòd ipsa prædiffinitio sit in potestate ipsius causæ creatæ, ideoque stat optime, quòd non habeat potestatē ad eam, & quòd illam habeat ad actionē prout à causa secunda.

91 Ad secundam confirmationem, & ad primum testimonium Magn. Parentis August. Respondetur, quòd in eo apertè distinguit Doctorum Aquila duplex adiutorium ad perseverandum in bono: aliud, sine quo Adamus perseverare non poterat, & vocatur ab omnibus *sufficiens*: de quo ait, quòd si Angelo vel homini, quamprimùm facti sunt, defuisset, non sua culpa cecidissent. Alterum est, quo perseveratur in bono, quod si Adamo datum fuisset, in eo perseveraret, & nominatur ab omnibus *efficax*: sed quia datum ei non fuit, in bono non perseveravit; & quia datum fuit primum, sua culpa cecidit: ergo sine hoc vltimo auxilio habebat Adamus *posse* ad perseverandum in bono. Omninò ergo alienum est à doctrina D. Augustini, quòd adiutorium Dei efficax det *posse* ad actum. An verò idemmet auxilium seu adiutorium absque distinctione reali possit exercere formaliter eminenter & munus adiutorij sufficientis, & munus adiutorij efficacis, alia quæstio est, quę non est huius loci: quia impræsentiarùm non agimus nisi de prędiffinitione seu adiutorio, quod consistit in actione divina, & certum omnino est apud Nostrates, quòd actio Dei, prout præbet *posse* ad actionem, & prout prædeterminat *posse* creatum ad agendum, est eadem formalissimè.

Secundum testimonium non magis vrget: Nam eò Augustinus docet, quòd prædiffinitio efficax tribuit vires efficacissimas, non quia ad hanc pertineat dare *posse* voluntati creatæ ad agendum, sad quia Deus conferens primò auxilium sufficiens, tribuit virtutem sufficientem ad agendum, & posteà per prędiffinitionem efficacem reddit hanc virtutem seu auxilium sufficiens efficacissimum. Unde nullatenus est proprium huius prædiffinitionis tribuere *posse*, sed potius est proprium illius *posse* pręsupponere. Ex quo colligitur, vtrumque testimonium esse pro nobis.

92 Authoritas D. Thomæ adeò apertè suadet nostram assertionem, vt non, nisi siniſtrè intellecta, possit ad oppositum afferri. Pro cuius intelligentia duo sunt notanda: *Primum est*: quòd voluntas creata non dicitur proprie instrumentum Dei in ordine ad actus liberos, sed tantùm similitudinariè, vt expresse tradit Div. Tho.

Thomas pluribus in locis, quę poſſunt videri tract. 2. diſp. 3. num. 52. *Secundum eſt*: quòd duplex virtus deſideratur in inſtrumento rigoroſo, v. g. in ſerra, prima ad ſcindendum vtcumque, ſecunda ad ſcindendum artificioſè: inter quas hæc eſt differentia, quòd ſerra ex ſe independenter à qualibet impreſsione proveniẽte à cauſa principali habet primam virtutem, ſecundam autem participat à cauſa principali: ſed prętęr vtranque virtutem dantem *poſſe* ad ſcindendum vtcumque, & ad ſcindendum artificioſè, vlterius deſideratur, quòd inſtrumentum ſecundùm vtranque virtutem applicetur ad operandum; quæ quidem applicatio, vt ex ſe conſtat, iam præſupponit *poſſe* adęquatum ad operationem artificioſam adæquatè ſumptam. Igitur voluntas creata ſolùm dicitur *inſtrumentum Dei*, inquantùm indiget applicatione ipſius, ſicut ſerra ad ſcindendum vtcumque. Unde ſicut motio, qua cauſa principalis applicat ſerram ad ſciſsionem ſecundùm ſe, non dat ei *poſſe*, ſed illud ſupponit, ita motio, qua Deus applicat cauſam liberam creatam non dat *poſſe* ad eius operationem, ſed illud ſupponit: ratione autem huius applicationis verificatur de qualibet cauſa creata, quòd recipit influentiam cauſæ primæ, impulſum, & motionem eius, priuſquàm operetur, & quòd quod mmodò eſt inſtrumentum ipſius. Hæc, ſi recte calleantur, roborant noſtram aſſertionem.

§. IX.

Ultimum argumentum.

93 ARguitur vltimò: Nam data prędiffinitione Dei ab intrinſeco efficaci ad amorem, voluntas creata nullo modo poteſt diſſentire: ergo vel talis prædiffinitio non eſt poſsibilis, vel aufert libertatem. Antecedens probatur: Nam illud, ex cuius poſitione ſequitur neceſſariò aliquod impoſsibile, nequit eſſe vllo modo poſsibile; ſed, facta ſuppoſitione quòd voluntas prędiffinita ad amorem diſſentiret, ſequeretur aliquod impoſsibile, ſiquidem redderet inefficacem præfatam prædiffinitionem: ergo, data prædiffinitione Dei ab intrinſeco efficaci ad amorem, voluntas creata nullo modo poteſt diſſentire.

Et confirmatur *primò*: Si voluntas creata prædiffinita ad amorem poſſet in ſenſu diviſo ponere carentiam amoris, poſſet fruſtrare prædiffinitionem Dei ad amorem; ſed hoc eſt ei impoſsibile: ergo nullo modo poteſt ponere carentiam amoris. Maior probatur: Nam ſi poneret carentiam amoris, fruſtraret prædiffinitionem Dei ad amorem: ergo ſi poteſt ponere carentiã amoris, poteſt fruſtrare prædiffinitionem Dei ad amorem. Patet conſequentia: quia *quod facit actus actu, facit potentia poſsibiliter.*

Confirmatur *ſecundò*: Nam in inſtanti *A*, in quo voluntas creata eſt prędiffinitita ad amorem, ſi poſſet ponere carentiam amoris, poſſet componere carentiam amoris cum prædiffinitione ad amorem: ergo vel voluntas creata poteſt in ſenſu compoſito prædiffinitionis ponere carentiam amoris, vel non poteſt in ſenſu diviſo, prout à nobis explicato, ponere carentiam amoris. Antecedens probatur: Si voluntas creata in inſtanti *A*, in quo eſt prædiffinita ad amorem, poneret carentiam amoris, componeret carentiam amoris cum prædiffinitione ad amorẽ: ergo ſi in eodem inſtanti, in quo eſt prædiffinita ad amorem, poteſt ponere carentiam amoris, poteſt componere carentiam amoris cum prædiffinitione ad amorem. Antecedens eſt certum: nam in eodem inſtanti nihil poteſt eſſe, & non eſſe: maximè quia prædiffinitio Dei eſt inauferibilis à voluntate creata. Conſequentia verò probatur: Quia potentia correſpondet ſuo actui, & econverſo: ergo ſi poſita carentia amoris, in inſtanti quo voluntas eſt prædiffinita ad amorem, fieret compoſitio non amoris cum prædiffinitione ad amorem, etiam potentia ad carentiam amoris, in inſtanti prædiffinitionis ad amorem poſſet componere carentiam amoris cum præfata prædiffinitione.

Confirmatur *tertiò*: Nam qui, poſito vno extremo inauferibili relationis, poteſt ponere in eodem inſtanti aliud extremum, quod ſit fundamentum correlationis, poteſt ponere correlationem ad ipſum neceſſariò ſubſecutam: vt liquet in eo, qui, poſito in inſtanti *A* vno albo, poteſt ponere in eodem inſtanti aliud album, quod eſt fundamentum correlationis, ſimilitudinis: ergo poſita prędiffinitione efficaci ad amorem, quę eſt vnum extremum ſimultatis, qui poteſt ponere carentiam amoris, quę eſt aliud extremum correlationis ſimultatis, etiam poteſt ponere relationem ſimultatis: ergo vel voluntas prædiffinita ad amorem poteſt in ſenſu compoſito ponere carentiam amoris, vel nullo modo poteſt illam ponere. Hoc argumentum deſervit ad magis explicandam illam diviſionem ſenſus compoſiti, & diviſi.

94 Pro cuius ſolutione nota *primò*, hoc argumentum habere eandem vim in omnium ſententia. Tum, quia facta ſuppoſitione, quòd homo ſit in gratia, & poneret peccatum lethale, ſequeretur aliquod impoſsibile, videlicet coniunctio peccati lethalis cum gratia; & tamen nõ ob hoc caret abſolutè & ſimpliciter potentia ad peccandum lethaliter, in inſtanti quo eſt in gratia. *Tum etiam*: Nam facta ſuppoſitione quòd in inſtanti *A* amet, ſi non amaret, ſequeretur maximum abſurdum, ſcilicet coniunctio non amoris cum amore; & tamen ex hoc ineptè inferretur, quòd voluntas, dum amat, caret potentia ad non amandum. *Tum denique*: Nam ſuppoſito, quòd voluntas vt inſtructa auxilio efficaci dependenti ex prævisione ſcientiæ mediæ

ad

ad consensum, si poneret dissensum, sequeretur aliquod impossibile, nempe frustratio auxilij efficacis; & nihilominus voluntas liberè consentit: ergo.

Nota *secùndò*, voluntatem creatam relatè ad suam operationem posse comparari vel per modum principij habitualis, vel per modum principij actualis. Intereſt tamen duplex discrimen inter vtramque rationem principij. *Primum est*: quòd voluntas, vt est principium habituale, ita potest elicere operationem, quod potest separari ab operatione, vti se habet volũtas potens amare, & non amans: At ipsa voluntas, vt est principium actuale, inquantùm tale, nequit in sensu composito separari ab operatione, quia constituitur in ratione talis, per hoc quòd actu influat, & implicat in terminis causam actu causantem non agere. *Secundum est*: quòd voluntas, vt est principium habituale, respicit operationem secundùm se, & vt præcisam ab omnibus circumstantijs accidentalibus: quia tantùm respicit eam, prout est terminus suę specificationis, quo pactò includit tantùm prædicata intrinseca tàm speciei, quàm individuationis: Cæterùm eadem voluntas, vt est principium actuale, respicit operationem, prout concernit omnes circumstantias hìc & nunc ocurrentes: eò quòd respicit eam, prout actu occurrit, & semper occurrit vt associata aliquibus circumstantijs accidentalibus.

Nota *tertiò*, quòd, vt voluntas dicatur posse simpliciter elicere dissensum (v. g.) in instanti quo elicit consensum, sufficit, quód per modum principij habitualis possit elicere consensum, id est, quòd possit elicere consensum secundùm se & præcisivè à circumstantijs, quæ dissensum circumstant; non verò requiritur, quòd possit coniungere consensum cum eis circumstantijs: sicut non requiritur, quòd valeat coniungere consensum cum dissensu. Porrò prędiffinitio Dei ad dissensum est applicatio voluntatis, prout est principium habituale, & constituit eam in ratione principij actualis ad dissensum: ideòque optimè cohæret, quòd voluntas sit prædiffinita ad dissensum, & quod possit simpliciter elicere consensum, quamvis non possit coniungere consensum cum prædiffinitione ad dissensum. Et hoc est propriè habere potentiam ad consensum in sensu diviso, & eam non habere in sensu composito.

95 Ex his respondetur ad argumentum, negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum est, quòd licèt ex positione rei possibilis absolutè & simpliciter relatè ad principium habituale nullum per se sequatur impossibile; facta tamen aliqua suppositione, plerumque sequeretur aliquod impossibile: & ob hanc rationem quamvis voluntas prędmota ad amorẽ possit absolute, & in sensu diviso ponere carentiam amoris, secus verò in sensu composito. Pro quo recolenda sunt exempla adducta proximè in primo notabili.

Ad primam confirmationem respondetur, negando maiorem. Et ad eius probationem, concesso antecedenti; neganda est consequentia: quia arguitur à sensu composito ad sensum diviſum, qui modus arguendi frequenter occurrit in hac & alijs materijs, & vitiosus est. Illud autem axioma tunc verum est, quando procedit de actu & potentia ei correspondente. Voluntas autem præmota ad amorem non habet potentiam ad ponendam carentiam amoris vt coniunctam cum præmotione ad amorem, hæc enim potentia est omnino chimęrica, sed tantùm habet potentiam ad ponendam carentiam amoris secundùm se: quæ si poneretur, non destrueret, seu irritam redderet præmotionem ad amorem, sed supponeret aliam præmotionem ad ipsam carentiam amoris, quæ immediatè opponitur præmotioni ad amorem, & pro priori ad amorem, & carentiam amoris. Quocircà sicut voluntas divina, quando præmovet ad amorem, potest absolutè & simpliciter præmovere ad carentiam amoris, non ita quòd possit coniungere carentiam amoris cum amore, neque prędmotionem ad carentiam amoris cum præmotione ad amorem, neque tandem irritam reddere prędmotionem ad amorem; hoc potiori titulo de voluntate creata dicendum est, quia est agens secundum omninò subordinatum primo, neque in eius potestate est influxus Dei. Per quod constat ad secundam confirmationem.

Ad tertiam respondetur distinguendo antecedens: *qui potest ponere in eodem instanti aliud extremum, quod est fundamentum correlationis*, prout fundamentum est, concedo antecedens; materialitèr sumptum, nego antecedens. Voluntas enim prædiffinita ad amorem, quamvis possit ponere carentiam amoris secundùm se, nequit tamen ponere carentiam amoris, prout formaliter est fundamentum relationis simultatis cum prædiffinitione ad amorem, quia est incompossibilis cum ipsa. Oppositum evenit in exemplo vnius albi respectu alterius: nam vnum album non dicit oppositionem cum altero albo, & ob hanc rationem habet ex se & ab intrinseco fundare relationem similitudinis cum alio albo: At carentia amoris non minus opponitur præmotioni ad amorem, quàm ipsi amori. Vnde sicut, posito amore, voluntas non potest ponere carentiam amoris prout est fundamentum relationis simultatis cum amore, quamvis possit ponere absolutè carentiam amoris secundùm se, pariformiter, dum est præmota ad amorem non potest ponere carentiam amoris, prout est fundamentum relationis simultatis cum prędmotione ad amorem, quamvis absolutè possit illam ponere secundùm se. Quæ vlterius possunt explicari alijs exemplis num. præced. adductis.

Ex

96 Ex dictis in toto hoc dubio satis prolixo colligitur, decreta Dei conditionata, à quibus dependent effectus nobis liberi conditionati, esse ex natura sua & ab intrinseco efficacia. Et ratio est: nam ab eisdem causis, à quibus dependent effectus in statu absoluto, dependent in statu conditionato; sed, vt consensus liber Petri (v. g.) existat liberè & absolutè, omninò requiritur decretum absolutum Dei ex natura sua & ab intrinseco efficax: ergo, vt existat infallibiliter conditionatè, debet dari decretum conditionatum ab intrinseco efficax. Et huiusmodi sunt decreta stabilita dub. præcedenti.

DUBIUM V.

An in Deo detur decretum ab intrinseco efficax, quo prædiffiniat materiale peccati?

VIdimus dubio præcedenti, voluntatem divinam prædiffinire actus liberos bonos nostræ voluntatis decreto ab intrinseco efficaci: superest inquirere, qualiter se habeat circa actus peccaminosos, in quibus est maior difficultas, propter quam præsens dubium excitamus. Ante cuius resolutionem aliqua pro recta tituli intelligentia oportet enucleare.

§. I.

Sensus quæstionis, & discretio Scholæ Thomisticæ, & Iesuiticæ.

97 NOta *primò*, inter peccata quædam esse mala, solùm quia prohibita, v. g. comestio temperata carnis in die veneris; quædam verò prohibentur, quia sunt secundùm se mala, vt odium Dei: inter quæ hæc est differentia, quòd odium Dei pro priori ad omnem legem prohibentem habet aliquam malitiam initiativam & fundamentalem, ratione cuius petit ex natura sua prohiberi, secus verò id quod est malum, solum quia prohibitum. Dubium ergo potissimè procedit de actibus secundi generis: & specialiùs de odio Dei, quia in eo relucet maior repugnantia, ad hoc vt Deus illud prædiffiniat efficaciter quoad eius materiale. Quamvis, re benè perspecta, non minùs vrgeat difficultas in actibus malis solùm quia prohibitis, propter proximè dicenda.

98 Nota *secundò*, in quolibet peccato plura prædicata inveniri, de quibus meritò potest dubitari, an decreto ab intrinseco efficaci prædiffiniantur à Deo. Primò enim habet peccatum suam entitatem physicam, quæ constituit actum in sua specie physica, à qua nunquam est denudabilis actus, quamvis fiat indeliberatè, vel absque lege positiva prohibente: & iuxta hanc entitatem physicam est differentia proximè assignata inter illa duo peccatorum genera. Secundò habet quendam modum physicum libertatis, actui quoad substantiam superadditum: de quo impræsentiarùm eodem modo discurrendum est, ac de ipsa entitate constituente actum in sua specie physica. Tertiò habet in probabiliori sententia vel in se, si est peccatum commissionis, vel in sua causa, si est peccatum ommissionis, alium modum physicum & positivum, qui constituit formaliter actum in linea morali. Et de hoc modo eadem difficultas est ac de odio Dei: quia ex vna parte est quædam entitas physica, etsi modalis, distincta à substantia actus, & modo libertatis; & ex alia est non minùs affinis & connexa malitiæ quàm odium Dei: quinimò odium Dei potest esse absque morali malitia, quia potest procedere indeliberatè; secus verò actus cuiuslibet peccati quoad hunc modum physicum & positivum pertinentem ad lineam moralem. Sed quia in hoc modo morali rursùs considerari potest ex vna parte expressio *entitatis*, *actualitatis*, *bonitatis*, & *perfectionis physicæ*, eò quòd habet suam existentiam modalem; & ex alia expressio *deformitatis*, & *malitiæ*: meritò & vrgentissimè dubitatur an Deus prædiffiniat efficaciter entitatem peccati, & modum physicum moralitatis quoad priores expressiones, quamvis non prædiffiniat quoad posteriores.

99 Nota *tertiò*, actum peccati vt iam constitutum in linea morali per modum proximè explicatum posse considerari dupliciter adhuc in ipsa linea morali, hoc est, quatenus respicit regulas morum: vel genericè, abstrahendo ab hoc quòd ille ordo sit conformitatis, aut deformitatis ad illas, ad modum quo animal (v. g.) abstrahit ab eo quòd sit rationale, vel irrationale: ad quod accedere potest ipse actus, secundùm quòd est individuum genericum, immediatè contentus sub ipso vt *generico*, quia prout sic non exprimit deformitatem ad regulas morum. Vel potest considerari specificè, quo pacto iam exprimit deformitatem ad regulas morum. Igitur nomine *materialis peccati* non solùm intelligimus entitatem physicam actus, modumque libertatis; sed etiam modum physicum moralem, prout exprimit conceptus *entitatis*, *actualitatis*, *bonitatis*, & *perfectionis physicæ*, necnon conceptum *moralitatis* tam genericè, quàm individualiter (prout continetur immediatè sub genere) sumptæ. Et inquirimus: An Deus suo decreto ab intrinseco efficaci prædiffiniat materiale peccati quoad omnes has expressiones? Neque effugiunt difficultatem, qui negant in peccato commissionis modum prefatum positivum: quia peccatum commissionis, quamvis consisteret in privativo, non potest tamen negari, quòd odium Dei secundùm suam essentiam importat aliquam malitiam positivà fun-

damentalem & initiativam, siquidem est secundùm suam differentiam vltimam aversio positiva a Deo, quam sub hac expressione Deus nequit causare.

100 Igitur circa hanc gravissimam controversiam omnes Thomistæ duo supponunt. *Primum est*: quòd Deus non prædiffinit decreto suo ab intrinseco efficaci formale peccati. Quod adeò certum est, quòd oppositus dicendi modus sit error in fide, vt satis colligitur ex illo Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*: Et definitur à Concilio Trident. sess. 6. can. 6. contra Lutherum, Calvinum, & alios hæreticos his verbis: *Si quis dixerit, mala opera itaut bona Deum operari, non permittendo solum, sed etiã propriè & per se, adeò vt sit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Secundum est: quòd Deus non prædiffinit materiale, prout est fundamentum malitię. Pro quo materiale peccati considerant dupliciter, videlicet materiale materialiter sumptum, quod aliàs est fundamentum malitiæ, & prout reduplicativè seu formaliter est fundamentum illius: aiuntque Deum non concurrere ad materiale posteriori modo. Et hoc evidenti ratione suadetur: quia materiale peccati hoc modo acceptum, est fundamentaliter & initiativè peccatum, infertque formaliter sub hac expressione formale malitiæ; sed Deus nequit producere malitiam fundamentalem quatenus *talem*, seu fundamentum malitiæ prout fundamentum est, quin producat formale malitiæ: ergo si nequit producere formale malitiæ, neque potest producere seu prædiffinire materiale illius, prout fundamentum est.

Qua de causa prę scindunt Thomistæ tàm in peccato, quàm in fundamento expressionem *entitatis*, *actualitatis*, & *perfectionis* ab expressione *malitiæ* tàm formalis, quàm fundamentalis, seu initiativæ: & dicunt, Deum sua prædiffinitione præscindere in his expressionibus, itaut Deus decreto suo ab intrinseco efficaci prędiffinit peccatum sub illis expressionibus prioribus, secus verò sub posterioribus. Adduntque, in Deo existere decretum permissivum (aliàs positivum) pro formali peccati. In qua parte aperte pugnat pro Thomistis Suarius opus. relect. de Libro voluntatis divinę disp. 1. sect. 2. num. 14. vbi ait: *Oportet tamen in peccato distinguere aliquid, quod à Deo fit, & aliquid quod ab ipso non fit: operatur enim Deus actum peccati, non malitiam eius. Et hoc est, quod docuit Hieronym.* Idque fusiùs docet num. 22. Discriminatur tamen à Thomistis in eo, quòd Thomistæ non solùm concedunt concursum simultaneum ad materiale peccati, sed etiam concursum prævium independentem à prævisione scientiæ mediæ. Sed Suarius negat concursum prævium, & solùm concedit in Deo concursum simultaneum directum per scientiam mediam.

101 Sed plures Recentiores Societatis ęgrè ferentes huiusmodi præcisionem, aiunt Deum ad vtrunque concurrere, ad materiale peccati videlicet, & ad malitiam; licèt ex determinatione creaturæ, & contra propriam inclinationem, & vt coactum & invitum: & propterea addunt, Deum non esse per se causam & authorem entitatis peccati sicut nec malitiæ, sed tantundem per accidens & permissivam. Ita Herrera *de Prædestin.* quæst. 8. referens pro eodem modo dicendi Puente, Hurtado, Arriagam, Amicum, Quiros, Oviedo, & alios, & huiusmodi doctrinæ frequenter auditores fuimus, & semper cum horrore. Unde duplici conclusione fiet satis huic satis implexæ controversię.

§. II.

Reiectio modi dicendi Recentiorum Iusuitarum.

102 DIcendum est *primò*, Deum nullo modo concurrere ad formale peccati. Et probatur *primò* ex D. Thoma quæst. 3. *de Malo* art. 2. in corp. vbi ait: *Et sic, quod est ibi de actione, reducitur in Deum sicut in causam: quod autem est ibi de inordinatione seu deformitate, non habet Deum causam, sed solum liberum arbitrium: & propter hoc dicitur, quòd actio peccati est à Deo, sed peccatum non est à Deo.* In quo testimonio apertè rejicit modum dicendi Recentiorum: nam iuxta istos Deus eodem prorsus modo concurrit ad materiale peccati ac ad formale, non distinguentes inter vnum & aliud; sed D. Thomas apertè distinguit inter formale, & materiale, docens Deum concurrere ad materiale, secus verò ad formale: ergo modus dicendi Recentiorum Iesuitarum est expressè contra D. Thomam.

103 Deinde probatur ratione: Deus nequit concurrere per se ad formale peccati; sed ex modo dicendi Recentiorum Iesuitarum sequitur, Deum concurrere per se ad formale peccati: ergo Deus nullo modo concurrit ad formale peccati. Maior admittitur ab Adversarijs: & meritò, aliàs Deus propriè diceretur causa & author peccati, & non tantùm permissor. Minor verò probatur: Implicat in terminis, Deum actione positiva concurrere ad formale peccati, & quòd non concurrat per se ad illud; sed iuxta ipsos Deus concurrit actione positiva ad formale peccati, imò ipsa actio peccaminosa, iuxta illos, est ipsa actio Dei, cùm in eorum sententia Deus ad *extra* non concurrat actione immanenti, sed formaliter transeunti: ergo ex modo dicendi recentiorum Iesuitarum sequitur, Deum cõcurrere per se ad formale peccati. Maior probatur: Tum, quia implicat in terminis, quòd actio positiva Dei, vel alterius causæ non tendat

per

per se ad aliquem terminum: ergo actio, qua Deus concurrit ad formale, vel concurrit per se ad formale peccati, & sic habemus intentum; vel ad materiale; sed iuxta ipsos eodem modo concurrit ad formale ac ad materiale: ergo implicat in terminis, Deum actione positiva concurrere ad formale peccati, & quòd non concurrat per se. Tum etiam: quia de ratione actionis alicuius causæ est egressio intrinseca prout ab illa; sed implicat in terminis, actionem peccaminosam egredi intrinsece à Deo; & convenire illi per accidens: ergo idem quod priùs.

104 Respondebunt Adversarij, quòd Deus non concurrit ad actionem peccaminosam ex propria determinatione & inclinatione, sed vt determinatus à nostra voluntate, & coactus & invitus, quia, quantùm est ex proprio affectu, non vult ad eam concurrere. Et quando res ita accidunt, causa hoc modo concurrens ad actionem peccaminosam non concurrit per se ad eam; sed tantùm per accidens & permissivè.

Sed contrà est *primò*: Nam si Princeps bonus & liberalis servis promitteret ob ingenitam bonitatem ipsis in omnibus cooperaturum, & sciat certò auxilium eis præstandum detorquendum esse in malum, reverà lubens & consentiens cooperaretur per se servorum malitiæ, & esset propriè author & causa illius, quamvis prius concurrat suadendo, vt bona præcisè exequatur: imò fortissimè allicitur ab obiecto peccaminoso, quia vincit inclinationem, quam habet in bonum: ergo semel quòd Deus offerat suum concursum ad vtrumlibet, sciendo quòd voluntas creata determinanda est in malum, quamvis ex propria inclinatione & ob suam ingenitam bonitatem velit voluntate antecedenti, quòd voluntas creata determinetur in bonum, deberet dici propriè & per se causa & author malitiæ. ¶ *Secundò*: Nam implicat in terminis, actionem peccaminosam esse actionem ipsissimam Dei, per quam Deus agit, & quòd non sit ei naturalis: ergo falsum est, quòd Deus agit coactus à creatura, atque ideò falsum etiam est, quòd non concurreret per se ad eam. Antecedens probatur: Nam omnis actio provenit à suo principio, natura concurrente per modum naturæ: natura enim definitur per hoc, quòd sit principium radicale motus; sed implicat in terminis, quòd actio peccaminosa procedat à Deo, natura eius concurrente per modum naturæ, & quòd non sit ei naturalis, vt ex ipsis terminis liquet: ergo nequit esse violenta & contra propriam inclinationem. ¶ *Tertiò*: Nam non potest negari, quòd actio peccaminosa est Deo libera, vel in se formaliter, vel in causa, alias scientia media destrueret libertatem Dei in ordine ad actus tàm bonos, quàm malos nostros, quod Adversarij non admittent; contra rationem actus liberi est, quòd procedat coactè à suo principio: ergo non concurrit Deus ad eam vt coactus & invitus: ergo neque esset causa eius tantùm permissiva & per accidens, sed valde per se.

105 Secundò probatur conclusio ratione. Nam implicat in terminis, omnipotentiam divinam agere per actionem turpem & inhonestam; sed eo ipso quòd Deus concurreret ad formale peccati concursu positivo, eius omnipotentia ageret per actionem turpem & inhonestam: ergo implicat in terminis, quòd Deus aliquo modo concurrat ad formale peccati. Minor in sententia Adversariorum est innegabilis, quia in eorum sententia Deus non agit actionem creatam sive bonam, sivè malam per actionem ab hac distinctam. Maior verò probatur: Deus ex natura sua tenetur gubernare suam omnipotentiam ad operandum, non minùs propriè ac Verbum divinum humanitatem Christi; sed quia Verbum divinum tenetur gubernare humanitatem Christi, non potest ei permittere, quòd agat per actionem pravam, neque cum ea potest concurrere per actionem pravam: ergo idem dicendum est de omnipotentia.

106 Respondebis cum Adversarijs, esse notam disparitatem inter Verbum divinum vt coperans cum humanitate, & Deum vt cooperantem cum voluntate creata, quòd Verbum divinum cooperans cum humanitate operatur ex propria determinatione: determinatio enim humanitatis est determinatio ipsissima suppositi, cùm actiones sint suppositorum. Econtrà verò Deus, dum cooperatur creaturæ ad actionem peccaminosam, operatur ex determinatione ipsius creaturæ, & non ex propria determinatione & inclinatione; & propterea potest permittere, quòd eius omnipotentia concurrat cum creatura ad actionem pravam & inhonestam.

Contrà est *primò*: Nam ex hac solutione infertur, quòd Deus quantùm ad influxum executivum eodem modo concurrat ad actionem pravam ac ad actionem honestam; sed hoc est expressè contra Concilium Trident. num. 100. relatum: ergo Deus vel est causa tantùm permissiva actus boni, quod nullus dicet, alias creatura esset vnica causa se discernens per se; vel non concurrit permissivè tantum ad operationem pravam. Maior probatur: Deus iuxta Adversarios indifferenter offert suum concursum simultaneum sivè ad bonum, sivè ad malum, sinendo & permittendo seipsum determinari à creaturis ad quodcumque voluerint: ergo, quantùm ad influxum omnipotentiæ, eodem modo concurrit ad actionem malam, ac ad actionem bonam. ¶ Neque proderit recursus ad collationem auxilij. Tum, quia intra ordinem naturalem non eget voluntas aliquo auxilio præter ipsam voluntatem à Deo productam; & sic intra ordinem naturalem, suppositâ productione potentiæ, eo-

dem modo Deus concurret ad operationes tàm bonas, quàm malas. *Tum etiam*: Quia auxilium solùm pertinet ad potentiam: ergo quamvis Deus non sit causa tantùm permissiva respectu illius, eo tamen supposito æquè immediatè dicitur causa permissiva, vel causa per se actus boni, & mali.

107 *Secundò & vrgentiùs*: Nam ex hoc modo dicendi infertur, quòd Deus agat propter finem, vt directus & determinatus à voluntate & intellectu creato; sed hoc est indecens & repugnans summæ perfectioni ipsius, & horribile auditu: ergo. Maior est certa: nam quicumque agit vt determinatus ab alio, agit propter finem ab illo præstitutum: insuper voluntas creata non præstituit sibi finem nisi vt directa à suo intellectu: si ergo Deus agit propter finem vt determinatus à voluntate creata, profectò agit in illum vt directus & determinatus à voluntate & intellectu creato. Minor verò probatur tum ex ratione communi: Nam horribile auditu videtur & contra supremam perfectionẽ primi liberi, quòd non ex propria libertate actum velit, sed ex sola libertate liberi secundi. Tum etiam: Nam si omnipotentia concurrit vt determinata à voluntate creata vt præstituente sibi finem, sequitur, quòd omnipotentia positivè agat propter bonum commutabile: hic enim est finis, propter quem voluntas creata agit per actionem peccaminosam. Sed quis hoc tolerare possit? cum apertè refragetur sanctę Scripturę aienti: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*: & D. Thomæ perpetuò asserenti, quòd Deus omnia operatur propter semetipsum tanquam propter vltimum finem. Pro quo recolantur dicta disp. 1. num. 33.

108 Opponunt nobis Adversarij plura testimonia sacræ Scripturæ. Sed inter cętera præeminet illud Isaiæ 43. *Servire me fecisti in peccatis tuis*; sed hoc dictum nequit habere locum, nisi dicendo quòd Deus præbet suum concursum indifferentem ad vtrumlibet ex affectu ad bonum, quamvis voluntas creata deflectat illum ad malum, & hac ratione faciat Deum ei servire in peccatis: ergo. ¶ Confirmatur ex D. Thoma 1. dist. 47. quæst. 1. art. 2. *in fine corp.* vbi ait: *Permissio respicit potentiam causæ ad vtrunque oppositorum se habentem. Vnde neutrum oppositorum contra permissionem est, sed vtrunque est secundùm eam.* Quæ verba verificari non valent, nisi asserendo quòd concursus Dei est indifferens ad bonum & malum, & permittit, vt determinetur à creatura.

Ad obiectionem respondetur, omnia testimonia, quæ nobis Adversarij possunt opponere ex sacra Scriptura, maiorem influxum insinuant quàm permissivum & indifferentem in peccatum à Recentioribus intentum: & propterea eis abutitur Calvinus ad suadendum Deum propriè esse Authorem peccati, quod longe abest à mente omnium catholicorum. Illud ergo, quod adducitur ex Isaia, communiter exponũt SS. PP. de homine Christo, qui laboravit pro peccatis nostris expiandis. Sic D. Hieronym. qui prædictum locum ita exponit: *Tu me laborare fecisti in peccatis tuis, & onera iniquitatum tuarum portare vix potui.* Eodem modo exponunt D. Greg. lib. 16. Moral. cap. 23. Lact. Firmianus, Sanc. Pagnin. Cornel. à Lapide, & Lyra, qui ait: *Servire me fecisti in peccatis tuis, id est pro peccatis tuis expiandis. Hoc perfectissime impletum est in Deo & homine Christo, qui formam servi accepit, vt pro peccatis nostris satisfaceret.* Quę interpretatio valde aliena est à sensu Recentiorum Iesuitarum. ¶ Ad confirmationem respondetur, D. Thomã loqui ibi de permissione ex parte actus primi: in quo sensu verum est, quòd respicit potentiam causæ ad vtrunque oppositorum se habentem, quia ex parte actus primi voluntas creata habet indifferentiam, & libertatem ad vtrumlibet. Quæ expositio patet ex eo, quòd D. Thomas loquitur de permissione, prout est voluntas signi; & voluntas signi, quæ est permissio, valdè diversa est a permissione, quæ pertinet ad voluntatem consequentem, seu ad actum secundum. Videatur omninò litera Div. Thomæ.

§. III.

Secunda conclusio, & stabilitio sententiæ Thomisticę.

109 DIcendum est *secundò*, Deum decreto ab intrinseco efficaci prędiffinire odium Dei quoad omnes rationes, quę non exprimunt deformitatem moralem. Hæc conclusio est communis Thomistarum. Et probatur *primò* ab authoritate sacræ Scripturæ: Nam Act. 4. dicitur: *Convenerunt..... Herodes, & Pilatus cum gentibus, & populis Israel facere, quę manus tua & consilium tuum decreverunt fieri*: ergo Deus æterno suo decreto & consilio decrevit actionem sacrilegam Iudæorum crucifigentium Christum; sed Deus nequit prædiffinire decreto ab intrinseco efficaci peccatum quoad rationem deformitatis: neque decreto indifferenti quoad materiale & formale, vt ex dictis tàm §. præcedenti, quàm dub. anteriori constat: neque prędicta verba intelligi valent de crucifixione Christi præcisè, vt se tenet ex parte ipsius Christi (vt exponit Suarius) tum quia expresse ait facer textus, quòd Deus decrevit, quod Iudæi fecerunt: tum etiam, quia implicat Deum decernere effectum alicuius actionis, quin decernat ipsam actionem: tum denique, quia sicut in ipsa actione erat ratio mali moralis per ordinem ad voluntatem Iudæorum, & ratio boni physici, ita in ipsa pas-

sio-

sione : ergo Deus prædiffinit peccatum quoad omnes illas rationes, quæ non exprimunt deformitatem.

Et confirmatur *primò* eleganti testimonio D. Augustin. (missis alijs) lib. *de Grat: & lib. arbit.* cap. 21. vbi ait: *His & talibus testimonijs satis, quantùm existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sivè ad mala pro meritis eorum; iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto*: sed hæc verba non possunt intelligi de prædiffinitione ad actiones malas sub ratione *minoris mali*, qua ratione habent rationem boni (vt vult Suarez) Tum quia Augustinus ponit exemplum in actionibus pessimis Iudæ, Iudæorum, & diaboli pessimi crucifigentium Christum: Tum quia Augustinus loquitur cum omni ampliatione: ergo iuxta mentem Augustini Deus prædiffinit efficaciter peccatum quoad eius materiale.

110 Confirmatur *secundò* expressa doctrina D. Thomæ 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. ad 3. vbi ait: *Deus dicitur causa bonarum operationum non solum quantùm ad essentiam actus, sed etiam quantùm ad perfectionem, secundùm quam bonæ dicuntur. Vtrumque enim agenti influit, vt agat, & benè agat* (per concursum prævium: influere enim agenti, vt agat, est proprium concursus prævij & contra naturam concursus præcisè simultanei.) *Sed in malis actionibus, quamvis sit causa earum quantùm ad essentiam, non tamen est causa quantùm ad effectum.* Sed quia in his verbis potest aliquis scrupulus suscitari, ex eo quòd dum loquitur de actionibus malis nihil dicit conducens ad concursum prævium, audiamus eum sic respondentem ad secundum: *Non oportet, vt ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius causa sit, in qua malum consistit, secundùm quòd influit agenti esse, posse, & agere*; sed influere agenti *posse*, & *agere* donorat concursum prævium: ergo iuxta D. Thomam prædeterminat peccatum quoad eius materiale. ¶ Adde id quod dicit ibidem in corp. art. vbi magis declarat expressiones, ad quas Deus concurrit his verbis: *Quidquid est in actu deficiente, scilicèt peccato, de ratione actus, & entis, & boni totum hoc à primo agente, scilicet Deo, procedit mediante voluntate.* Præsertim quia D. Thomas persæpè hanc suam doctrinam roborat exemplo tibiæ curbæ claudicantis: & ait: quòd sicut quidquid est de motu in claudicatione est ex virtute motiva animalis, sed quod est ibi de defectu non est a virtute motiva, sed à tibia, secundùm quòd deficit ab opportunitate mobilitatis à virtute motiva; ita quidquid est in peccato de ratione actus, entis, & boni, est à Deo; sed quidquid est deformitatis non procedit à Deo, sed præcisè à libero arbitrio. Videatur 1. part. quæst. 49 art. 2. ad 2. quæst. 3. *de Malo* art. 1. ad 4. alijsque in locis.

§. IV.

Ratio fundamentalis Thomistica.

111 Deinde probatur ratione fundamentali desumpta ex D. Thoma ex loco citato Sent. Deus decreto suo ab intrinseco efficaci prædiffinit omnes actus bonos bonitate præcisè de linea physica, sed odiū Dei (v.g.) est actus bonus bonitate physica: ergo hoc odium prædiffinitur à Deo secundùm bonitatem physicam. Qui syllogismus est adeò clarus, vt comprehendat actum odij Dei, sivè sit indeliberatus, sivè deliberatus, vt ex se liquet. Consequentia est legitima, sed præmissæ restant probandæ. Et in primis probatur maior: Deus decreto suo ab intrinseco efficaci prædiffinit actus bonos bonitate tam de linea physica, quam de linea morali: ergo etiam prædiffinit decreto ab intrinseco efficaci actus bonos bonitate præcisè de linea physica. Antecedens satis constat ex dictis dub. præced. Et consequentia probatur: Ideo antecedens est verum, quia actus bonus vtraque bonitate participat à Deo tanquam á prima causa omnem suam bonitatem; sed Deus etiam est prima causa omnis bonitatis præcisè physicę: quocirca D. Thomas ibi ait: *Secundò, quia cum actio etiam peccati sit ens quoddam, secundùm quòd res existentes entia sunt, sequeretur, si actiones peccati à Deo non sunt, quòd aliquod ens essentiam habens à Deo non esset: & ita Deus non esset vniversalis causa omnium entium: quod est contra perfectionem primi entis*: ergo sicut Deus prædiffinit decreto suo ex se efficaci actus bonos tàm de linea physica, quàm de linea morali, ita prædiffinit actus bonos bonitate præcisè de linea physica. Minor deinde probatur: Nam odium Dei habet suam existentiam: ergo est actus bonus bonitate de linea physica. Consequentia probatur: Nam omnis perfectio, omnisque bonitas desumitur per ordinem ad existentiam physicam, vt sæpissimè docet Div. Thomas. Videatur omnino disp. 2. num. 25. ergo cum odium Dei habeat suam existentiam physicam, non est cur non habeat bonitatem physicam.

112 Respondent Adversarij, negando mai. quando actus bonitate præcisè physica bonus indispensabilitèr affert malitiam moralem. Et hoc pacto se habet odium Dei sivè deliberate, sivè indeliberate exercitum: cum hoc discrimine, quòd si fiat indeliberatè, affert secum malitiam fundamentalem & initiativam; si deliberatè, vltra hanc, malitiam moralem & completam.

tam. Hæc solutio fundatur in eo, quòd Recentiores Societatis ægrè ferant præcisionem inter expressiones perfectionis, vt est expressio *entis*, *actus*, *&c.* & expressionem *deformitatis*, seu *malitiæ*.

Hæc igitur evasio funditùs evertitur, si radicaliter statuatur possibilitas huius præcisionis: Quæ sic ostenditur *primò* ab authoritate tum ex D. Augustino in lib. Quæst. 21. vbi ait: *Deus tantummodò boni causa est, quocirca mali author non est; quia omnium, quæ sunt, author est, quæ inquantùm sunt, intantùm bona sunt*: ergo, cùm actus peccati sit, manifestè sequitur, quòd Deus sit author illius, inquantùm est ens, & inquantùm existit. En ergo præcisionem inter peccatum vt malum est, & vt ens est in ordine ad causalitatem divinam. Tum ex D. Anselmo hanc præcisionem expressiùs docente lib. de Concordia præscientiæ & prædest. vbi sic ait: *Facit Deus omnia, quæ iusta, vel iniusta voluntate fiunt, ideſt bona opera, & mala: in bonis quidem facit, quod sunt, & quòd bona sunt; in malis verò facit quod sunt, sed non quòd mala sunt.* Vides præcisionem Thomistarum cum omni proprietate ab eis intentam explicatam? Tum denique ex D. Thom. loco suprà relato ex 2. Sent. ad 5. vbi hæc habet verba: *Dicendum, quòd sicut actio, quæ peccati deformitatem habet dicitur, bona, inquantùm est actio, bonitate naturæ, non propterea quòd aliquando inveniatur separata à deformitate, sed quia bonitas illa naturæ deformitati subsit; ita etiam Deus dicitur causa illius, inquantùm est actio, & non inquantùm est deformis, hoc modo quòd actionem non faciat à deformitate separatam, sed quia in actione deformitati coniuncta, hoc quod est actionis facit, & quod deformitatis non facit. Etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter coniuncta sint, non oportet, vt quidquid est causa eius quantum ad vnum, sit etiam causa eius quantùm ad alterum.* Quo quid clarius pro præcisione intenta à Thomistis?

113 Secundò ostenditur ratione. Nam optimè stat, quòd materiale peccati secundùm expressionem *entis*, *actus*, & *perfectionis* constituatur intra obiectum adæquatum & extensivum omnipotentiæ, quin secundùm expressionem *deformitatis*, & *malitiæ* præcontineatur: ergo omnipotentia ita præscindere potest in peccato, quòd illud causet positive, secundùm expressiones *entis*, *actus*, & *perfectionis*, & non secundùm expressionem *deformitatis*, seu *malitiæ moralis*: ergo voluntas divina decreto suo ab intrinseco efficaci ita potest prædiffinire actum peccati, quòd efficaciter prædiffiniat id, quod in eo est de ratione *actus*, *entis*, & *perfectionis*, & non prædiffiniat id, quod est de ratione *deformitatis moralis*. Secunda consequentia legitimè deducit; nam Deus nihil ad *extrà* potest operari nisi applicando suam omnipotentiam decreto ab intrinseco efficaci, vt sic salvetur in eo ratio primi efficientis. Prima liquet. Et antecedens probatur: Nam obiectum extensivum omnipotentiæ est ens sub vniversalissima ratione *entis*, vt expressè docet D. Th. 1. 2. q. 79. art. 2. loquens de peccato, his verbis: *Omne ens, quocumque modo fiat, oportet, quòd derivetur à primo ente*; sed peccatum secundùm expressionem *malitiæ moralis* apud omnes non continetur intra obiectum extensivum omnipotentiæ, aliàs esset author illius non minùs proprie, ac actus boni: ergo optimè stat, quòd peccatum secundùm expressiones *entis*, *actus*, & *perfectionis* contineatur intra obiectum adæquatum omnipotentiæ, & non secundùm expressionem *deformitatis*.

114 Tertiò ostenditur exemplis tàm communibus in omni sententia; quàm familiaribus Scholæ Societatis. Nam in primis bonum, & verum ita inter se connectuntur & identificantur, vt omne bonum sit verum, quamvis non omne verum sit bonum; & tamen intellectus nequit attingere bonum, quamvis attingat verum, & voluntas nequit attingere verum, quamvis attingat bonum: ergo pariter omnipotentia potest attingere expressiones *entis*, *actus*, & *perfectionis*, & non attingere expressionem *malitiæ*. Et ratio est eadem vtrobique: quia sicut verum est obiectum intellectus, & non bonum; & bonum est obiectum voluntatis, & non verum: ita peccatum secundùm expressionem *entis* continetur intra obiectum extensivum omnipotentiæ, & non secundùm expressionem *malitiæ*, quin huic præcisioni officiat identificatio & connexio inter has omnes expressiones, sicut nec officit in exemplo adducto.

Deinde: essentia divina per modum *speciei* non distinguitur realiter ab intellectione, & nec virtualiter iuxta plures Patres Societatis: item natura divina identificatur realiter cum Paternitate; & tamen essentia divina communicatur intellectui creato sub munere *speciei*, quin possit communicari sub munere *intellectionis*: & natura divina ex vi processionis communicatur filio, quin paternitas possit communicari: ergo connexio & identificatio inter materiale & formale peccati non obstat, vt materiale possit causari ab omnipotentia, & non formale. Et ratio est eadem vtrobique, scilicet proximè assignata.

115 Accedamus ad exempla Patribus Societatis familiaria. Nam Deus concursu simultaneo causat materiale peccati, quin eodem concursu causet formale illius: ergo identificatio & connexio materialis peccati cum formali non tollit, quòd in concursu simultaneo Dei detur huiusmodi præcisio activa: ergo multò minùs tollit hanc præcisionem à concursu prævio. Pro quo videatur Suarius relatus num. 100.

Item,

Item, iuxta communem eorum sententiam, intellectus creatus habet virtutem proximam ad visionem beatam secundùm expressionem *vitalis*, & non secundùm expressionem supernaturalis; & lumen gloriæ est causa proxima ipsius visionis secundùm expressionem *supernaturalis*, & non secundùm expressionem *vitalis*; & tamen vtraque expressio realitèr identificatur, & connectitur: ergo connexio & identificatio duarum formalitatum non obstat, vt aliqua causa attingat vnam, & non possit attingere aliam: ergo neque connexio & identificatio inter expressiones *entis* & *actus* in peccato, & expressionem *malitiæ* non obstat, vt Deus possit priores producere, & prædiffinire efficaciter, secus verò posteriores.

116 Adde: quia, suppositâ possibilitate huius præcisionis inter materiale, & formale peccati, facilè percipitur, quòd Deus decreto ab intrinseco efficaci prædiffiniat materiale peccati, quin prædiffiniat formale; cùm hoc ægrè percipiatur in concursu simultaneo, prout à Patribus Societatis communiter stabilitur. Ratio primi est: Quia Deus prædiffinitione sua efficaci applicans suam omnipotentiam movetur ex propria determinatione: quocircà, suppositâ possibilitate præcisionis inter materiale, & formale peccati, potest se movere ad prædiffiniendum peccatum secundùm eius materiale, quin illud prædiffiniat secundùm formale. Cæterùm, iuxta concursum simultaneum à Patribus Societatis stabilitum, Deus determinatur à creatura ad operandum, se habetque quasi merus spectator & pedissequus voluntatis creatæ: ergo determinatio Dei ad peccatum supponit determinationem adæquatam creaturæ, hoc est tàm quoad materiale, quàm quoad formale illius: ægrè ergo percipitur, quòd Deus concurrens præcisè hoc concursu simultaneo indifferenti determinet materiale, quin determinet formale. Quæ ratio movit Recentiores Societatis ad negandam huiusmodi præcisionem, & ad asserendum quòd eodem modo concurrit ad formale, & ad materiale peccati. Qui ex istis modis magis cohereat cum summa sanctitate Dei, promptè quisque potest videre.

§. V.

Sententia opposita: & primum argumentum.

117 ARgumentum ab authoritate omittimus: quia omnia testimonia tàm ex Scriptura, quàm ex Concilijs, & SS. PP. quæ nobis opponi solent, potius procedunt contra Calvinum, & Lutherum, qui asserebant Deum eodem modo concurrere ad opera bona, & mala adæquatè sumpta, nullam præcisionem permittentes inter materiale, & formale peccati, quàm contra nos, qui absolutè & simpliciter negamus Deum esse authorem peccati. Pro quo notanda est quædam doctrina D. Thomæ in 2. dist. 37. quæst. 2. in corp. vbi sic concludit: *Et ideò quodcumque nomen deformitatem simul cum actu significat sive in generali sivè in speciali, non potest dici, quòd hoc à Deo sit simpliciter: vnde non potest dici absolutè, quòd peccatum sit à Deo, vt homicidium, aut aliquid huiusmodi, nisi cum hac additione, in quantùm est actus, & in quantùm est ens.* His tantùm verbis enervatum manet argumentum ab authoritate desumptum.

118 Unde arguitur *primò* à ratione: Nam si Deus prædiffiniret efficacitèr odium Dei quoad materiale, etiam prædiffiniret quoad formale; consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequela maioris probatur: Nam si Deus prædiffiniret efficacitèr odium Dei quoad materiale prout fundat malitiam, etiam prædiffiniret quoad formale malitiæ; sed si Deus prædiffiniret odium Dei quoad materiale, prædiffiniret etiam illud quoad materiale, prout fundat malitiam: ergo si prædiffiniret illud quoad materiale, etiam quoad formale. Maior admittitur à nobis. Et minor probatur: Nam odium Dei materialiter sumptum dicit aversionem physicam à Deo tanquam ab obiecto, quia secundùm hanc rationem dicit suam entitatem physicam; sed idem est Deum prædiffinire odium Dei prout est aversio physica à Deo tanquam ab obiecto, ac prædiffinire illud prout est fundamentum malitiæ, cùm non aliter sit fundamentum malitiæ, nisi prout aversio physica à Deo, quo pacto est initiativè & fundamentaliter malum, vt notavimus num. 99. & optimè docent N. Salm. tract. 13. *de Peccatis* disp. 7. num. 13. ergo si Deus prædiffiniret odium Dei materialiter sumptum, etiam prædiffiniret illud, prout est fundamentum malitiæ.

Et confirmatur: Nam id, quod nullo modo est conversio in Deum vltimum finem sive physicum sivè moralem, nequit à Deo efficaciter prædiffiniri; sed odium Dei, prout est aversio physica ab ipso Deo, nullo modo est conversio in Deum vltimum finem sivè physicum, sivè moralem: ergo odium Dei, prout est aversio physica ab ipso Deo, nequit efficaciter à Deo prædiffiniri. Maior est certa: nam quidquid Deus efficaciter prædiffinit, propter seipsum tanquam propter vltimum finem prædiffinit: nam causa efficiens, & finis mutuò sibi correspondent. Minor verò probatur: Nam aversio physica à Deo, & conversio physica ad Deum opponuntur contrariè, non minùs propriè ac aversio moralis à Deo, & conversio moralis in Deum: ergo odium Dei, prout est aversio physica ab ipso Deo, nullo modo est conversio physica in Deum vltimum finem sivè physicum, sivè moralem.

119 Ad argumentum respondetur, quòd in odio Dei, prout est aversio physica ab ipso

Deo

Deo & est considerare expressiones *actualitatis, entis*, & *perfectionis*; & est considerare ipsam expressionem *aversionis physicæ*, prout pertinet præcisè ad lineam physicam; & est considerare expressionem *fundandi aversionem moralem*, quo pacto iam exprimit aliquam malitiam moralem etsi fundamentalem & initiativam; & tandem est considerare ipsam deformitatem moralem, ideſt aversionem formalem in linea completa morali. Dicimus ergo, quòd Deus prædiffinit in odio Dei ipsam aversionem physicam ab ipso Deo secundùm expressiones *entis, actualitatis, & perfectionis*: quia secundùm has expressiones reducitur in Deum tanquam in vltimum finem, qui est prima & summa bonitas, à qua omnis alia perfectio & bonitas participatur, & ad quam ordinatur; quamvis non prædiffiniat ipsam aversionem physicam, prout fundat ipsam aversionem moralem in linea completa morali, & consequenter nec ipsam aversionem moralem. Et hoc sufficit ad salvandam nostram assertionem, sicut de concursu simultaneo idipsum docet Suarez, & quotquot in hac parte eum sequuntur.

120 Addimus tamen, Deum prædiffinire ipsam aversionem physicam Dei, prout pertinet præcisè ad lineam physicam, in qua odium Dei secundùm suam speciem physicam consistit, quin ex hoc rectè arguatur, Deum prædiffinire ipsam aversionem, prout est fundamentum aversionis moralis. Nam eadem aversio physica à Deo, prout pertinet præcisè ad lineam physicam, in aliquo convenit cum seipsa, prout pertinet ad lineam moralem fundamentaliter & initiative, quo pacto iam exprimitur conceptus *fundamenti* vt fundamentum est malitiæ moralis, & in aliquo differt: convenit enim in eo, quòd secundùm vtranque expressionem est aversio à Deo tanquam ab obiecto; sed differt in eo, quòd prout est aversio physica præcisè intra lineam physicam, ordinatur ad ipsum Deum tanquam ad vltimum finem physicum; secùs verò prout fundat malitiam formalem. Rationem huius secundi (quia facilior est) damus ex eo, quòd, prout fundat malitiam, est aversio à Deo vltimo fine morali initiativè; & quod recedit à Deo vltimo fine morali adhuc initiativè, nequit ordinari ad ipsum Deum tanquam ad vltimum finem physicum: & hac de causa, prout est aversio moralis à Deo, nullo modo potest ordinari ad Deum vltimum finem. Ratio primi est: nam ipsa aversio, prout est aversio à Deo tanquam ab obiecto intra lineam præcisè physicam, non exprimit recessum à Deo tanquam ab vltimo fine morali, cùm ex vi huius lineæ non dicat ordinem ad regulas morum, vt ex se liquet: aliunde, prout aversio à Deo tanquam ab obiecto intra lineam præcisè physicam, nequit denudari à bonitate aliqua physica, quia dicit ordinem ad existentiam; & cùm omnis bonitas creata sit participatio bonitatis per essentiam, in eamque ordinabilis tanquam in vltimum finem physicum, si est physica; moralem si est moralis, hinc oritur rectè cohærere, quòd odium Dei sit aversio physica à Deo vt obiecto, & quòd simul sit conversio in Deum vltimum finem physicum.

121 Quod vt manifestius fiat: Notandum est, quòd voluntas creata in ordine ad odium Dei, vt aversio physica est ab ipso, & habet munus causæ efficientis, & munus causæ deficientis: habet enim munus causæ deficientis, quia procedit ab ipsa vt est contra regulas morum tàm formaliter, quàm fundamentaliter: Habet etiam munus causæ efficientis: quia ipsa aversio est verus motus & effectus illius. Deus autem, quamvis nequeat movere voluntatem creatam, quatenus deficiens est, non potest non illam movere, quatenus efficiens est, alias voluntas creata esset primum efficiens; quod propinquissimum est errori, vt docet D. Thomas loco sæpè citato Sent. Omnia autem, quæ Deus operatur, agit propter seipsum tanquam propter vltimum finem. Et hac ratione stat optime, quòd odium Dei in *esse* physico sit aversio ab ipso Deo tanquam ab obiecto, & quòd sit conversio in ipsum tanquam in vltimum finem. Totam hanc doctrinam desumpsimus ex D. Thoma 1. part. quæst. 49. art. 2. alijsque in locis.

122 Solùm restat declarare, an sit idem in odio Dei esse fundamentaliter & initiativè peccatum, ac esse fundamentum, vt fundamentum est, malitiæ. Ratio dubitandi est: quia odium Dei, prout est fundamentù malitiæ, ita est connexum cum malitia morali, vt nulla potentia possit ab ea separari: siquidem in ratione fundamenti, vt fundamentum malitiæ est, constituitur per id, quod infert ipsam malitiam; & vt sic eam inferat, necessariò debet præsupponere legem illud prohibentem, & intimationem illius, necnon advertentiam & libertatem voluntatis creatæ. Cæterum odium Dei pro priori ad omnem legem, sivè deliberatè, sivè indeliberatè procedat, semper est initiativè & fundamentaliter malum: quia secundùm suam speciem physicam opponitur summæ bonitati Dei, non minùs propriè ac error seu mendacium invincibile opponitur divinæ veracitati. Ob quam rationem Deus nequit vnquam illud præcipere, sicut nec potest amorem Dei prohibere, vt optimè docent N. Salm. loco in argumento citato num. 11. Et ob eandem rationem aiunt ijdem Patres *ibi*, quòd Deus nequit producere odium Dei quantùm ad suam differentiam, secundùm id quod exprimit, videlicet secundùm quod exprimit aversionem à seipso, sicut nec potest producere errorem seu mendacium adhuc invincibile secundùm suam vltimam differentiam physicam: quod videtur opponi solutioni proximè datæ, eiusque explicationi.

Sed

123 Sed ad rem hanc explanandam: Animadverte, non esse idem, Deum concurrere ad odium Dei secundùm suam differentiam physicam, ac illud producere secundùm omnes expressiones quæ intra ordinem physicum inveniuntur: quia, vt proximè vidimus, in ipso odio Dei secundùm suam differentiam physicam datur id, quod exprimit de aversione à Deo, & datur id, quod exprimit de actualitate & perfectione. Hę autem expressiones, quamvis reipsà sint identificarę tàm realitèr, quàm virtualitèr, vt infrà magis explicabimus, distinguuntur tamen vt expressio, & expressio eiusdem simplicis differentię. Igitur dum diximus, Deum concurrere ad odium Dei secundùm suam vltimam differentiam physicam, intelligi debet de vltima differentia quoad expressiones non repugnantes alicui prædicato divino, vt sunt expressio *entis*, & *actualitatis*, secus verò secundùm illam expressionem, quæ opponitur alicui prędicato divino, vti se habet expressio *aversionis* etiam intra ordinem physicum: quia secundùm hanc expressionem non est minùs malum fundamentaliter, ac error seu mendacium. Et in hoc sensu procedunt N. Salm. tàm in præf. num. 185. quàm in tract. *de Peccatis* loco suprà allegato. Ex quo colligitur, quòd dupliciter potest aliquis actus secundùm suam differentiam physicam dici fundamentalitèr peccatum: primò, quia quamvis actus sit physicè, & secundùm suam vltimam differentiam physicam bonus, vt vestitus tamen aliqua circunstantia prava infert malitiam moralem, & prout illam infert, reipsà est fundamentaliter pravus, & non alio modo: & ita se habet actus fidei infusæ fortè elicitus propter inanem gloriam, & comestio moderata tempore prohibito. Secundò potest dici fundamentalitèr malus: quia secundum suam essentiam physicam repugnat cum aliquo attributo divino, vt mendacium, & odium Dei; & huiusmodi actus, si fiat cùm plena advertentia, duplici titulo est fundamentalitèr malus, quia infert malitiam moralem, & quia secundùm suam essentiam opponitur prædicato divino. Si verò fiat indeliberatè, hoc tantùm secundo modo est fundamentalitèr malus. Et sic explanata solutio diruit vires argumenti: & satis constat ad confirmationem.

§. VI.

Alia tria argumenta.

124 ARguitur *secundò*: Deus nequit præmovere hominem ad actum odij Dei motione morali, quia præmoveret ad formale malitiæ, & hac ratione nequit absolutè præmovere moraliter ad actum odij Dei secundùm entitatem physicam: ergo neque potest præmovere hominem motione prædeterminationis physicæ ad materiale odij Dei. Patet consequentia: quia hæc longe efficacius infert liberam actus odij Dei productionem, quàm illa.

Et confirmatur: Nam si Deus prædiffinit odium Dei liberè elicitum à voluntate creata, etiam prędiffinit efficaciter suasiones dæmonis, quibus movet nos moraliter ad peccandum, & cogitationem nostram suadentem tale odium; sed hoc est movere moraliter: ergo vel Deus non prædiffinit physice ad odium Dei, vel præmovet etiam moraliter, ac proinde erit causa peccati.

Ad argumentum respondetur, concesso antecedenti; negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia agens morale, iuxta communem Theologorum sententiam, debet attendere ad omnia, quę ex positione alicuius actionis sequuntur, quod est idem ac dicere, quòd motio moralis regulatur in bonitate, & malitia per causam exequentem opus: vnde si in ipsa causa exequente non potest dari executio operis sine malitia, motio moralis consistens in consilio & præcepto indispensabiliter affert malitiam moralem: Cùm ergo creatura rationalis nequeat elicere actionem peccaminosam absque malitia morali, hinc est, quòd Deus nequit eam movere motione morali ad huiusmodi actionem peccaminosam. *Adde*: quòd in hac motione morali, qua Deus moveret hominem ad actionem malam, datur implicatio in terminis: quia esset mala, vt supponitur; non esset mala, quia pręciperetur à Deo, cùm tamen nulla actio queat esse mala, nisi prout opponitur legi divinæ eam prohibenti. Cæterùm Deus vt præmotor physicus tantùm attendit ad lineam physicam ex munere causæ vniversalissimæ totius entis, & non regulatur ab ipsa actione, prout egreditur à creatura; sed potius creaturam sibi subordinat tribuendo ei virtutem, vt efficiat, & non vt deficiat: & hac ratione potest illam præmovere, ad hoc vt efficiat, sine eo quòd eam moveat, vt deficiat. Et instatur hoc in concursu simultaneo ad materiale peccati concesso à Suarez, & pluribus alijs socijs.

Ad confirmationem facilè respondetur, quòd Deus quamvis prædiffiniat suasiones diaboli, & cogitationes ipsius peccantis quoad materiale materialiter sumptum, hoc est, quoad id quod perfectionis est in eis, secus verò consulendo, seu præcipiendo eas: quod erat necesse, vt Deus diceretur causa moralis illius cogitationis, & actus peccati inde secuti. Unde in hac parte eodem modo se habet *Deus* in ordine ad suasiones dæmonis & cogitationem peccatoris, ac in ordine ad odium Dei.

125 Arguitur *tertiò*: Nam qui efficaciter facit alium facere opus, quod sine peccato facere non potest, facit illum peccare; sed dum Deus prædiffinit actum peccati quoad materiale, facit efficaciter hominem facere actum, quem ipse homo sine peccato facere non potest: ergo facit hominem peccare: ergo si prædiffinit actum

quoad materiale, etiam prædiffinit illum quoad formale malitiæ.

Et confirmatur: Nam si Deus prædiffiniret efficaciter odium ipsius Dei, ipse esset principalis discernens odientem illum à non odiente; sed hoc videtur absurdum, & contra D. Paulum, qui tribuit divinæ gratiæ, quòd discernat consentientem à non consentiente, secus verò dissentientem à consentiente: ergo Deus non prædiffinit actum odij Dei. Sequela maioris probatur: Nam prædiffinitio efficax Dei ad amorem discernit consentientem a non consentiente, quia antecedit causalitate ipsum amorem; sed eadem ratio militat in prædiffinitione ad actum odij Dei: ergo.

Ad argumentum respondetur, maiorem esse veram, si ille qui efficaciter movet alium ad opus, quod sine peccato facere non potest, tenetur vitare peccatum, vel inducit in eo aliquam dispositionem pravam, secus verò quando non tenetur vitare peccatum alterius, neque in eo inducit aliquam dispositionem defectuosam. Et hoc explicari valet tibia claudicante: nam qui frangeret tibiam alterius, & illum moveret efficaciter ad deambulandum, profectò esset causa illum faciens claudicare: sed econversò quia voluntas nec inducit in tibia clauda illam malam dispositionem, nec tenetur vitare eius motum, non censetur causa claudicationis, quamvis efficaciter moveat tibiam claudam ad ambulandum. Sic ergo contingit in Deo prædiffiniente hominem ad actum peccati: nam ex vna parte nullam dispositionem defectuosam inducit in voluntate illius; ex alia non tenetur vitare eius peccatum seu defectum moralem. Vnde quamvis titulo supremi dominij & causæ vniversalis moveat efficaciter voluntatem creatam ad actum odij ipsius Dei, non propterea censendus est facere illum peccare.

Ad confirmationem facilè respondetur, concedendo maiorem, si intelligatur præcisè, quòd Deus est principalis discernens odientem quoad materiale odij suipsius materialiter sumptum. Neque hoc est contra Apostolum: quia propterea Deus ratione gratiæ discernit consentientem à non consentiente, quia antecedit causalitate voluntatem creatam in ordine ad consensum adæquate sumptum: si ergo hanc præcedentiam habet in ordine ad materiale odij Dei, non est cur non dicatur principalis discernens actum odij Dei ab amore.

126 Arguitur *quartò*: Nam si Deus prædiffiniret actum odij Dei, quin prædiffiniat formale malitiæ, posset voluntas creata illum facere absque peccato. Sequela probatur: Nam voluntas creata sequens ductum prædiffinitionis efficacis Dei non peccat; sed voluntas creata potest sequi ductum prædiffinitionis Dei: ergo si Deus prædiffiniret actum odij Dei, quin prædiffiniret formale malitiæ, posset voluntas creata illum facere absque peccato.

Et confirmatur: Nam sequitur ex nostra sententia, quòd voluntas creata posset licitè optare, vt prædeterminetur à Deo ad actum odij ipsius Dei quoad materiale, proindeque licita & honesta erit hæc precatio: *Domine prædetermina me ad actum materialem odij Dei*: siquidem laudabile & licitum est nos velle, optare, & petere à Deo id, quod Deus vult, & vult efficaciter nos velle; sed hoc est falsum, cùm sit prohibitus à Deo huiusmodi actus: ergo signum est, quòd Deus non prædeterminat actum odij ipsius Dei quoad materiale illius.

Ad argumentum respondetur, negando maiorem. Et ad eius probationem dicendum est, quòd voluntas, in eo quòd sequitur ductum prædiffinitionis efficacis Dei, non peccat, sed in eo quòd vltrà se extendit, videlicet quia elicit illum actum non solùm prout pertinet ad lineam physicam, quo pacto prædiffinitur à Deo, sed etiam prout est dissonus legi, & vt est aversio à Deo vltimo fine morali. ¶ Si verò quæras rationem, cur Deus prædiffinitione efficaci prædeterminat solùm ad materiale odij Dei, & voluntas creata sic prædeterminata vltrà se extendit? Dicimus, quòd eò voluntas divina non prædeterminat ad formale, sed tantùm ad materiale, quia est primum efficiens, & nullo modo deficiens; & propterea omne id, quod perfectionis est, continetur intra obiectum eius adæquatum, secus verò id, quod deformitatis est. Cæterùm voluntas creata non tantùm est efficiens, sed etiam deficiens: & hac ratione continetur intrà obiectum eius specificativum non solum id, quod perfectionis est in actu odij Dei, sed etiam id, quod defectus & deformitatis est. Et licèt materiale odij Dei nequeat poni in rerum natura sine defectu, voluntas creata amplectens in actu id, quod perfectionis est, necessariò attingit, quod in eo defectus est. Deus autem titulo supremi dominij & vniversalissimæ causæ totius entis creati potest vti iure suo ad prædeterminandum omne id, quod continetur intra eius sphæram: neque hoc iure debet privari, ex eo quòd voluntas creata in sensu composito nequeat elicere materiale, quin simul eliciat formale. Hoc explicari potest exemplo tibiæ claudæ: nam quamvis eius motus nequeat exerceri sine claudicatione, non ob id voluntas debet privari iure, quo gaudet ad movendas omnes potentias hominis, & ita dum movet tibiam claudam, claudicatio reducitur ad voluntatem, secundùm id quod in ea est de motu, secus verò secundùm id quod est de imperfectione, cùm vtrunque tribuendum sit tibiæ claudæ. Non minus explicari potest in concursu simultaneo Dei stabilito à Suario & alijs socijs, cuius ductum non sequitur voluntas, quin simul peccet ponendo formale malitiæ.

127 Ad confirmationem respondetur, negan-

gando sequelam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd id tantùm est licitum nobis optare & peterè, quod Deus vult nos velle voluntate signi, secus verò quod Deus vult nos velle voluntate tantùm beneplaciti. Pro cuius luce notandum est *primò*, quòd duplex datur in Deo voluntas, alia est voluntas signi, quæ consistit in præcepto seu consilio: altera est voluntas beneplaciti, quæ consistit in eo, quòd Deus titulo supremi dominij & causæ vniversalissimæ totius entis creati concurrat ad omnes actus creatos, quoad id quod dicunt entitatis & perfectionis physicæ. ¶ Notandum est *secundò*, quòd laudibilitas, vel vituperabilitas actionis creatæ non desumitur per conformitatem aut deformitatem ad voluntatem beneplaciti, sed per conformitatem aut deformitatem ad voluntatem signi, hoc est, ad voluntatem qua Deus positivè præcipit, vel consulit aliquam actionem. Igitur quando Deus nos prędeterminat ad materiale odij ipsius Dei, ita vult illud, & ita vult efficaciter nos velle, quòd tantùm vult illud voluntate beneplaciti, sed voluntate signi prohibet illud, eò quòd inseparabilitèr est ei adiuncta malitia moralis. Ob quam rationem quamvis voluntas nostra, vt efficiens est, conformetur cum voluntate divina vt prædeterminante, & non peccet per hoc, quod eliciat materiale quoad entitatem physicam; cæterum quia non potest concurrere, vt efficiens est, nisi simul concurrat vt deficiens & contra legem præcipientem, consiliantem, seu prohibentem, inde est, quòd non est licitum petere à Deo, quòd prædeterminetur ad materiale peccati. Restabat hic explicare quomodo cohæreat in eadem voluntate divina voluntas beneplaciti, qua Deus vult efficacitèr materiale odij ipsius Dei, cum voluntate ei adversa illud prohibente. Ad quod explicandum recolenda sunt superiùs dicta, quòd Deus titulo supremi dominij & vniversalissimæ causæ totius entis creati habet ius, vt possit concurrere & producere omnem bonitatem physicam possibilem, cum quo iure non pugnat ius, quod aliàs habet ad prohibendum actum odij Dei. Primum ius pertinet ad voluntatem beneplaciti, secundum verò ad voluntatem signi. Ex quo apparet, nullam repugnantiam habere inter se voluntatem, qua Deus sua lege prohibet actum odij Dei, & voluntatem qua efficaciter vult ipsum actum quoad eius materiale: & quòd voluntas creata nequeat optare prędeterminationem ad materiale odij Dei, quia opponitur voluntati signi seu legi Dei prohibenti, quamvis ex parte voliti conformetur cum voluntate beneplaciti quoad idem materiale. Hoc instari valet in doctrina Suarij statuentis Deum concurrere concursu simultaneo ad materiale odij Dei, quin possit concurrere ad formale malitiæ.

§. VII.

Aliud argumentum.

128 ARguitur *quintò*: Deus nequit prædiffinire illam numero portionem modalem odij Dei, per quam constituitur in *esse* morali; sed eo ipso quòd Deus prædiffiniat odium Dei, prout dicit entitatem physicam essentialem, etiam prędiffiniret illam numero portionem modalem odij Dei, per quam constituitur in *esse* morali: ergo non potest prędiffinire odium Dei quoad materiale materialiter sumptum. Minor est certa: quia in illa portione modali, quę constituit odium Dei in *esse* morali, etiam est vera ratio *entis*, & *effectus*, ob quam rationem Deus prædiffinit odium Dei quoad materiale materialitèr sumptum. Maior verò probatur: Nam si Deus prædiffiniret illam numero portionem modalem, per quam odium Dei constituitur in *esse* morali, etiam prædiffiniret odium Dei quoad formale malitiæ; sed hoc est hæreticum: ergo nequit prædiffinire illam portionem modalem, per quam odium Dei in *esse* morali constituitur. Maior probatur *primò*: Nam in illa portione modali nullatenus differunt adhuc virtualitèr ex parte rei conceptæ ratio *entis*, & ratio *malitiæ moralis*: ergo non stat, Deum suo decreto efficaci prædiffinire illam portionem quoad expressionem *entis*, & non prædiffinire quoad malitiam.

Secundò: Nam formalitas illa malitiæ, si semel est positiva (vt nunc supponimus) sub quacumque expressione sumatur, formalissimè est ens, & exprimit ens, aliàs quoad illam expressionem esset nihil: ergo si Deus prædiffiniret illam portionem modalem quoad expressionem *entis*, etiam prædiffiniret quoad expressionem *malitiæ*. Tertiò: Nam agens perfectissimum & vniversalissimum ita sua causalitate debet pertingere vsque ad vltimas differentias entis, vt eas attingat vt *quod*, licèt sub vniversalissima ratione *entis*: ergo cùm Deus sit agens perfectissimum & vniversalissimum, debet producere, etsi sub vniversalissima ratione *entis*, illam portionem modalem quoad suam vltimam differentiam; sed expressio *malitiæ* est differentia entis, si aliàs est positiva: ergo non stat, quòd Deus prædiffiniat odium Dei quoad materiale eius materialitèr sumptum, quin prædiffiniat illud quoad formale malitiæ.

129 Et confirmatur: Nam nequit Deus prędiffinire odium ipsius Dei quoad eius materiale, quin prædiffiniat illam portionem modalem, prout est *hæc* numero tàm in linea physica, quàm in linea morali; sed Deus nequit prædiffinire illam portionem modalem, prout est *hæc* numero tàm in linea physica, quàm in

linea morali, quin prædiffiniat ipsam, prout est fundamentum formale malitiæ & ipsam malitiam formalem : ergo, cum fundamentum malitiæ, prout fundamentum est, nequeat Deus prædiffinire, quin prædiffiniat ipsam formalem malitiam, planè infertur, quòd Deus prædiffiniret illam portionem modalem quoad formale malitiæ. Maior est certa : quia illa portio modalis, prout est hæc numero portio, in vtraque linea pertinet ad materiale ipsius malitiæ, vt explicavimus §. 1. Minor quoad primam partem probatur : Quia illa portio modalis non aliter exprimit fundamentum malitiæ, prout fundamentum est, nisi prout exigit ipsam differentiam specificam, in qua malitia moralis consistit. Quoad secundam partem etiam probatur: Tum, quia quicumque producit fundamentum malitiæ, prout fundamentum est, etiam producit ipsam malitiam. Tum & præcipuè : quia repugnat, quòd aliquis producat entitatem aliquam, vt *hanc* numero & prout contentam sub genere, quin illam producat tàm secundùm suam differentiam specificam, quàm secundùm suam individuationem vt contentam sub specie: sicut nullus potest producere hoc numero individuum contentum sub specie hominis, quin producat ipsum hominem : neque gradus genericus potest intelligi, qui contrahatur per gradum individualem, quin prius intelligatur contrahi per gradum specificum.

130 Hoc argumentum aliquibus Thomistis videtur adeo difficile, vt propter illud vnicè defendant, in peccato commissionis nullam reperiri malitiam positivam. Sed non ob hoc effugiunt difficultatem, vt adnotavimus num. 99. Nam in odio Dei indeliberatè elicito, & in mendacio invincibili, in quibus nulla malitia moralis reperitur, nequit negari dari aliquam expressionem positivam, quæ non prædiffiniatur à Deo, siquidem in sua vltima differentia physica datur aliqua expressio positiva, quæ repugnat bonitati, & veracitati divinæ, ob quam rationem repugnat à Deo causari : in qua expressione æque vrget argumentum, ac in portione positiva modali, per quam iuxta nostram sententiam constituitur peccatum commissionis. Item habitus vitiosus in ratione *talis* consistit in aliquo positivo, adhuc in sententia multorum qui negant in peccato commissionis malitiam positivam. Rursùs potentia peccandi formaliter vt *talis* aliquid positivum est independenter ab eo, quòd peccatum commissionis consistat in positivo, vt rectè probant N. Salm. tract. *de Peccatis* disp. 12. a num. 10. & in ea apparet eadem difficultas ac in ipsa portione modali positiva, per quam constituitur peccatum commissionis. Tandem fundamentum malitiæ, vt fundamentum est, non consistit in privativo, sed in positivo : illud enim est fundamentum formaliter vt *tale*, ex cuius positione per verum influxum ponitur ex vi eiusdem influxus, etsi secundariò, privatio ipsa, in qua iuxta hos Thomistas consistit peccatum commissionis; sed privatio, in qua consistit peccatum commissionis, fit à nostra voluntate per verum influxum, & non potest egredi directè, neque ex vi alterius privationis causatæ per se, sed ex vi alicuius positivi, vt rectè probant suprà dicti PP. *ibidem* : ergo fundamentum, vt fundamentum est, consistit in aliquo positivo.

Multò minùs evadit difficultatem Suarius cum alijs socijs : qui docet, Deum suo concursu simultaneo efficere omnem entitatem repertâ in actione peccaminosa, quin possit causare ipsam malitiam, sivè determinetur à voluntate creata, sivè non determinetur : hęc enim propositio in omnium sententia est hæretica, *Deus est causa effectiva malitiæ* : & econversò hæc, *Deus non est causa effectiva omnis entitatis & bonitatis repertæ in peccato*, iuxta D. Thomam loco sæpè allegato Sent. est hæretica, seu proxima errori. Quocircà vel non est concedenda in peccato commissionis malitia positiva : vel hæc difficultas non est specialis contra prædeterminationem physicam ad materiale peccati.

131 Respondetur ergo ad argumentum iuxta dicta §. 5. quòd in illa numero portione modali, in qua peccatum commissionis consistit, & datur expressio conformis bonitati divinæ, & datur expressio bonitati divinæ repugnans: nam prędicta entitas modalis & habet pertinere ad lineam physicam cum pręcisione sumptam, & habet pertinere ad lineam moralem vel initiativè, vel complectivè : cum hac tamen differentia, quòd vt pertinet ad lineam physicam, tantùm exprimit id, quod est *entitatis, actualitatis, & perfectionis*; & secundùm has expressiones est conformis bonitati divinæ, & hac ratione est causabilis per se à Deo : Cæterum, vt pertinet ad lineam moralem, importat aliquid, quòd non solùm est dissonum legi divinæ, sed etiam repugnans bonitati divinæ, non minus propriè ac mendacium invincibile: & secundum has expressiones illa portio modalis non est causabilis à Deo.

Nec contra hoc obest prima probatio: Nam quamvis in illa portione entis modalis reperiantur absque distinctione virtuali ex parte rei conceptæ expressio *entis*, & expressio *malitiæ*, non propterea causa, quæ vnam expressionem producit, debet producere alteram, nisi vtraque præcontineatur intra sphęram obiecti, aut termini sui adæquati; & stat optimè, quòd idem effectus secundùm vnam expressionem pręcontineatur, & non secundùm alteram : & hac ratione vna expressio eiusdem numero effectus potest tàm vt *quo*, quàm vt *quod* ab vna causa produci, & non altera. Pro cuius confirmatione aliqua exempla adduximus à num. 113. Hoc etiam necessariò teneri debet in expressione

ne *entis*, & expressione *malitiæ* repertis in illa portione modali constitutiva peccati commissionis in ordine ad causalitatem divinam, vt ibidem ostendimus.

132 Ad secundam probationem respondetur, quòd licèt expressio *malitiæ* sit formaliter ens, formalissimè non exprimit ens: aliud enim est formalitatem aliquam esse formaliter ens, ad quod sufficit, & requiritur, quòd sit talis conditionis, vt per eam ens transcendat transcendentia rationis, & ita se habet expressio positiva *malitiæ* reperta in peccato commissionis: & aliud est secundùm suum conceptum explicitum exprimere ens, & hoc tantùm exprimit ea formalitas, quæ ratione sui explicat ordinem ad existentiam. Expressio autem *malitiæ* ratione sui tantùm exprimit ordinem ad obiectum dissonum, quamvis ratione impliciti etiam dicat ordinem ad existentiam: ad modum quo verum, quod est quædam proprietas & modus entis, ratione sui non dicit ordinem ad existentiam, sed tantum ratione impliciti. Et cùm expressio hæc non possit reduci in Deum tanquam in vltimum finem tàm physicum, quàm moralem, propterea nequit à Deo produci, quamvis expressio *entis* à Deo producatur ob oppositam rationem. Neque ex eo quòd formalitas *malitiæ* non exprimit ens, est, aut exprimit esse nihil. Tum quia ad hoc secundum requirebatur, quòd positivè, id est quoad implicitum, non esset ens. Tum etiam quia id, quod est, aut exprimit esse nihil, neque est, neque exprimere potest esse positivum: si ergo conceptus *malitiæ* exprimit esse positivum, quamvis non exprimat ens, neque debet esse nihil, neque ratione sui debet exprimere nihil. Ex quibus constat, quòd licèt ens, & positivum quoad rem ipsam convertantur, secus verò quoad expressiones: latiùs enim patet nomen *positivum* quàm *ens*: quia *ens* tantùm exprimit munus habendi *esse*, sed *positivum* exprimit quidquid opponitur privationi, & hoc non tantùm convenit enti, sed etiam cuicumque muneri seu formalitati modificanti ipsum ens: & ita inter eus, & nihil quoad explicitum potest cadere medium, videlicet aliqua formalitas seu expressio positiva. Totam hanc doctrinam desumpsimus ex N. Salmant. tract. *de Peccatis* disp. 6. num. 89.

Ad tertiam probationem respondetur, quòd ad agens perfectissimum & vniversalissimum, qualis est Deus, tantùm spectat producere vt *quod* omnes eas rationes, quæ non exprimunt deformitatem, vt est expressio *entis*, & aliæ huiusmodi, & has debet producere sub vniversalissima ratione *entis*; sed ea ratione, qua est perfectissimum, non debet producere differentiam vltimam peccati quoad expressionem *deformitatis*, quamvis debeat eam producere quoad expressionem *entis*: quia quoad expressionem *malitiæ* non est ordinabilis in ipsum Deum tanquam in vltimum finem.

133 Ad confirmationem respondetur, quòd illa portio modalis, prout est *hæc* numero in linea morali, habet duplicem respectum inadæquatum: alium per ordinem ad genus morale, & alterum per ordinem ad differentiam specificam in eodem ordine morali etiam consideratam: inter quos respectus hoc est discrimen, quòd prout dicit ordinem subjicibilitatis ad genus, neque exprimit deformitatem, neque secundùm suum conceptum explicitum exigit eam, sed totaliter præscindit. Et ratio est: quia de hac numero portione morali, prout immediate continetur sub genere, eodem modo discurrendum est ac de ipso genere: quocirca sicut ipsum genus præscindit totaliter à deformitate, ita hæc numero portio, prout est *hæc* adhuc in linea morali, debet præscindere à deformitate. Et sicut quia illa portio modalis, prout est genus morale, præscindit à deformitate, est causabilis à Deo; ità de illa portione, prout est *hæc* numero immediatè contenta sub genere, seu prout dicit respectum inadæquatum ad genus, dicendum est. Et quamvis hæc numero portio moralis, prout dicit respectum præfatum inadæquatum ad genus morale, reipsà exigat ipsam malitiam moralem, adhuc ille respectus inadæquatus potest considerari dupliciter: vel materialiter, quo pacto non exprimit hanc exigentiam; vel formaliter, & hoc modo exprimit esse fundamentum malitiæ: sicut de entitate modali secundùm suam differentiam specificam suprà dictum est. Et hac ratione quamvis Deus nequeat causare hanc numero portionem secundùm respectum inadæquatum, prout est fundamentum malitiæ, potest illam causare secundùm eundem respectum inadæquatum materialiter sumptum. Per quod constat ad primam probationem.

Ad secundam respondetur, quòd propterea nullus potest producere hoc numero individuum contentum sub homine, quin possit producere ipsum hominem: quia ratione suæ differentiæ specificæ nihil addit, per quod sit extra limites suæ potentię: & quia causa creata, vtpote finita & limitata, non est præcisiva in ratione producendi. Cæterùm ratio specifica reperta in illa portione morali addit supra individuationem, secundùm respectum inadæquatum ad genus, aliquid, ratione cuius est extra terminum adæquatum omnipotentiæ; aliunde omnipotentia est valdè præcisiva propter rationem dictam: ideoque potest Deus producere illam portionem numericam inadæquatè sumptam, quin possit producere ipsam differentiam specificam, nec ipsam individuationem secundùm alium respectum inadæquatum ad eandem differentiam specificam. Neque est omnino verum, quòd gradus generieus prius intelligitur con-

tra-

trahi per differentiam specificam, quam per differentiam numericam: nam estò hoc sit verum iuxta considerationem logicam, secus verò iuxta considerationem metaphysicam. Et ratio differentiæ est: quia in consideratione logica animal (v.g.) accipitur vt totum potentiale, ideoque immediatè petit contrahi per differentiam specificam: at in consideratione metaphysica non accipitur vt totum potentiale, sed vt pars actualis actu existens, quæ simul cum differentia specifica componit totum: quidquid autem intelligitur actu existere, intelligitur iam singulare: nam existentia est propria singularium: Et ob hanc rationem priùs intelligitur individuum genericum, quàm genus contrahi per differentiam specificam.

§. VIII.

Ultimum argumentum ab inconvenientibus.

134 ULtimò arguitur: Nam prædiffinitio efficax Dei est contra eius summam bonitatem: cùm inclinet efficaciter ad id, ex quo infallibiliter sequitur peccatum: Est contra eius misericordiam, qua vult omnes homines salvos fieri: siquidem apponit aliquid, ex quo infallibiliter sequitur peccatum, & ex eius meritis nostra damnatio: Est denique contra iustitiam: quia iniustum videtur damnare aliquem propter peccatum, ad quod ita efficaciter inclinat secundùm materiale, vt infallibiliter sequatur peccatum quoad formale; hæc sunt absurda: ergo non datur huiusmodi prædiffinitio ad materiale peccati.

Et confirmatur: Nam ex nostra sententia sequitur, in voluntate divina non dari decretum permissivum circa peccatum; hoc est absurdum & hæreticum: ergo. Maior probatur *primò*: Nam id solùm Deus potest permittere, quod potest impedire; sed, posito decreto prædiffinitivo ad materiale peccati, non potest impedire formale illius: ergo non daretur decretum permissivum. *Secundò*: Frustrà fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora; sed, posito decreto prædiffinitivo efficaci circa materiale, infallibiliter ponitur formale: ergo. *Tertiò*: Nam qui applicat aquam ad ignem, vt ab eo calefiat, non potest dici, quòd permittit expulsionem frigiditatis, non alia ratione, nisi quia expulsio frigiditatis sequitur necessariò ex applicatione ignis ad aquam; sed ex applicatione ad materiale peccati magis infallibiliter sequitur formale: ergo.

Ad argumentum respondetur, prædiffinitionem Dei efficacem non esse contra rationem alicuius ex his attributis, dummodò solùm prædiffiniat materiale peccati materialiter sumptum. Nam imprimis non est contra eius summam bonitatem: quia ad hoc oportebat, quòd prædiffiniret formale illius, vel materiale prout est fundamentum malitiæ; sed prædiffinire materiale eius materialiter sumptum potiùs conducit ad eius summam bonitatem, ad quam spectat, quòd sit finis vltimus physicus omnis bonitatis creatæ. Neque est contra eius misericordiam, qua vult omnes homines salvos fieri: quia ad hanc voluntatem, vtpote antecedentem, solùm pertinet tribuere omnibus auxilia sufficientia, cum qua voluntate non pugnat voluntas consequens denegandi auxilia efficacia, quæ sunt indebita. Nec denique contra iustitiam: quia non inclinat ad formale malitiæ, quamvis aliunde (nempe ex defectibilitate arbitrij creati) sequatur. Et sicut Deus, licèt prædiffiniat voluntatem nostram ad opera nostra bona, præmiat ea, quin opponatur suæ iustitiæ, ita posita prædiffinitione efficaci ad materiale peccati dicendum est: & ratio est eadem vtrobique, nempè quia in voluntate sivè prædeterminata ad bonum, sive ad malum manet absolutè *posse* ad vtrumlibet.

135 Ad confirmationem respondetur, negando sequelam maioris. Et ad eius primam probationem dicendum est, quòd decretum permissivum habet locum in voluntate divina, quando in sensu diviso Deus potest impedire peccatum, quamvis in sensu composito non possit illud impedire: posita autem prædiffinitione efficaci ad materiale peccati, quamvis Deus nequeat in sensu composito impedire positionem illius, tàm quoad eius materiale, quàm quoad eius formale, potest tamen illud impedire quoad vtrunque munus in sensu diviso & absolutè. Quod vt rectè intelligas, observa ordinem, qui reperitur inter decretum permissivum, & prædiffinitivum ad materiale peccati: nam primò Deus intendit permissionem peccati ob fines suos altissimos: deinde permittit hominem tentari à carne, mundo, vel diabolo: & quia Deus est plene Dominus suæ gratiæ, & potest illam elargiri, vel negare cui placet, denegat ei auxilium efficax, in cuius denegatione completur decretum permissivum: qua permissione suppositâ, necesse est ei entitatem physicam, quæ in actu peccati reperitur, efficere per prædeterminationem physicam, vt in eo salvetur ratio primi efficientis.

Ad secundam respondetur (per quod proximè dicta magis declarantur) quòd posito decreto prædiffinitivo ad materiale peccati, infallibiliter ponitur formale illius, non ex vi decreti prædiffinitivi, sed ex vi decreti permissivi, quod inseparabile est ab altero. Et ratio huius est: quia omnia, quæ pertinent tàm ad ordinem physicum, quàm ad ordinem moralem, debent cadere modo sibi debito sub divina providentia nihilque potest cadere sub divina providentia, nisi simul cadat sub divina voluntate; sub decreto autem Dei efficaciter prædiffinitivo peccati

quoad

quoad materiale nullo modo potest cadere formale malitię : non immediatè , quia ab eo nequit immediatè causari , vt fides docet : neque mediatè, siquidem formale peccati non sequitur ex materiali peccati vt prędiffinito à Deo efficaciter, aliàs Deus esset author peccati : Necesse est ergo concedere aliud decretum , quod *permisivum* vocamus, vt peccatum quoad formale cadat immediatè sub divina providentia.

Ad tertiam probationem respondetur,esse notam disparitatem inter applicantem aquã ad ignem , & Deum applicantem voluntatem creatam ad materiale peccati : nam qui applicat aquam ad ignem,ex vi eiusdem concursus physici est vera causa expulsionis frigiditatis , non præcisè quia expulso frigiditatis sequitur vtcumque ex applicatione ignis ad aquam , sed quia sequitur sequela physica. Econtrà verò ex applicatione voluntatis creatę ad materiale peccati per prædiffinitionem efficacem non sequitur sequela physica formale peccati,sed tantùm sequela logica , ne dicatur , quòd Deus est author peccati. Et propterea quamvis applicans aquam ad ignem non dicatur tantùm permisor expulsionis frigiditatis, Deus verò necessariò debet dici permisor formalis peccati : quod verificari non valeret , nisi in voluntate divina daretur præter decretum physicum prædiffiniti-vum ad materiale peccati, aliud decretum permisivum ad formale illius.

136 Sed dices : Decretum permisivum vel est connexum cum entitate peccati, vel non est connexum ? Si dicatur secundum : ergo poterit Deus in sensu composito illius nolle prædeterminare ad entiatem actus. Si est connexum : ergo est prædeterminativum ad entitatem actus : ergo frustrà confingimus eam decretorum distinctionem.¶ Respondetur eligendo primam partem dilemmatis. Sed negamus eius primam consequentiam , ex qua dependet secunda. Nam dupliciter potest aliquid esse cõnexum cum aliquo termino, vel logicè, vel physicè : id quod est connexum cum termino præcisè logicè , non est causa illius per se ; econtrà verò quod est connexum physicè cum illo , est causa per se illius. Igitur decretum permisivum tantùm logicè est cõnexum cum entitate actus, sicut decretum prædeterminativum tantùm logicè est connexum cum malitia : Deus autem respectu entitatis actus non solùm debet esse connexus logicè, sed etiam physicè. Et hac ratione , quamvis decretum permisivum sit connexum cum entitate peccati non potest esse decretum prædeterminativum.

***

TRA-

TRACTATUS V.
DE PRÆDESTINATIONE.

POSTQUAM D. Thomas in hac 1. part. quæst. 19. 20. & 21. egit de voluntate Dei, eiusque affectionibus & proprietatibus, immediatè in quæst. 22. differit de eius providentia. Sed nos hunc tractatum omittimus, quia nulla specialis difficultas occurrit, præter eas quæ in duobus tractatibus præcedentibus attinguntur, necnon in hoc tract. *de Prædestinatione*, quæ est actus providentiæ specialis, vt infrà dicemus. In his autem, quæ ad abditum prædestinationis arcanum spectant, non tàm attendenda est humanarum imbecillitas rationum, quàm obtemperanter humiliterque audienda, quę per Scripturas sacras, adhibitis SS. PP. interpretationibus, maxime D. August. & D. Thomæ, nos Deus scire voluit. Et vt cum methodo nobis consueta procedamus, hunc tractatum ad tria capita reducemus, videlicet ad essentiam eius explanandam, motivum, & effectus, quibus tres disputationes dicamus. His adjiciemus dubium quoddam appendix, vt divinam reprobationem explicemus.

DISPUT. I.

De Essentia Prædestinationis.

1 NOtandum est *primò*, quòd hoc nomen *prędestinatio* componitur ex præpositione *præ*, & verbo *destino*, atque ideò nihil aliud significat *prędestinare*, quàm aliquem priùs destinare. Sed dubium est, quam prioritatem significet. Quia tria potest denotare, nempè prioritatem durationis, dignitatis, aut causalitatis. Respondendum est, quòd prædestinatio ratione præfatę præpositionis triplicem illam prioritatem denotat. Nam quoad prioritatem dignitatis satis constat, ex eo quòd prædestinati destinantur ad finem excellentissimum, qui est vita æterna, & clara visio Dei, media eius naturæ excellentissima participatione per gratiam, qua ratione prędestinati pluribus & honorificentissimis titulis à SS. PP. insigniuntur. Deinde quoad prioritatem temporis facilè ostenditur: nam prædestinatio præcedit duratione rem, quæ prædestinatur: siquidem res, quæ prædestinatur, ponitur in tempore, & prædestinatio existit ab æterno, vt fides docet, ob quam rationem D. Thomas in 1. dist. 40. q. 2. art. 1. ait: *Sed hęc prępositio præ importat antecessionem, quæ diversimodè diversis convenit. Invenitur enim in prædestinatione hominis antecessio æternitatis.* Et D. August. in lib. *de Prædest. Sanct. & dono pers.* docet, prædestinationem esse prępparationem æternam eius, quod in tempore faciendum est. Denique quoad prioritatem causalitatis id docet Div. Thomas quæst. 6. *de Verit.* art. 1. his verbis: *In qualibet ordinatione ad finem duo est considerare, scilicet ipsum ordinem, & exitum, vel eventum ordinis: non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Vnde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur; sed prędestinatio respicit etiam exitum vel eventum ordinis. Vnde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur.*

2 Notandum est *secundò*, prædestinationem posse sumi vel generaliter, vel specialiter. Primo modo sumpta extenditur ad omnia, quæ Deus prædiffinit, in quo sensu loquebatur Augustinus: *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et de prædestinatione hoc modo accepta nihil agimus modò, quia satis actum est de ea in tract. præced. disp. 3. Secundo modo accipitur pro deputatione ad finẽ vltimum, videlicet sivè ad vltimum præmium, sive ad vltimum supplicium. In quo sensu Concil. Valent. cap. 3. ait: *Fideliter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Sed hæc vsurpatio adhuc est impropria. Proprie igitur & strictissimè accipitur pro transmissione creaturæ intellectualis ad finem vitę æternæ, vt in-

quit

quit Mag. Parens August. his verbis: *Prædestinatio Dei semper in bono est. Non enim prædestinavit, quę nec ipse fecit, nec vt faceremus, exigit; in malis operibus nostris sola præscientia Dei intelligenda est*: & sæpe docet D. Thomas in hac quæst. Et de prædestinatione iuxta hanc acceptionem erit nobis sermo in hoc tract. Et inquirimus *primò*:

DUBIUM I.

Utrùm Prædestinatio consistat in actu intellectus; vel voluntatis?

QUamvis circa quæstionem *an est* nullam disputationem, nullumve dubium instituamus, oportet tamen erga eam nonnihil per modum suppositionis præmittere.

§. I.

Nonnullæ suppositiones.

3 SUpponendum est *primò*, possibilem esse prædestinationem. Hæc suppositio, præterquam quòd est de fide, supposita possibilitate visionis beatæ facilè constat: nam si possibilis est visio beatifica, quæ est finis vltimus creaturę rationalis, etiam est possibilis ex parte Dei ordinatio seu transmissio efficax ad talem finem, in qua, vt infrà dicemus, consistit essentia prædestinationis; sed visio Dei est possibilis: ergo etiam prædestinatio. Consequentia constat: minor est de fide, vt vidimus tract. 2. disp. 1. dub. 1. Maior verò probatur: Nam ad providentiam divinam spectat res in proprios fines ordinare: ergo si possibilis est visio Dei, quæ sit finis creaturæ rationalis, etiam est possibilis ordinatio seu ratio transmissionis ad gloriam.

4 Supponendum est *secundò*, conveniētissimum esse tàm Deo, quàm creaturæ rationali, istam prædestinare. Probatur: Convenientius est tàm Deo, quàm creaturis, Deum summo modo se creaturis communicare in ordine naturæ, gratiæ, & hypostatico, & in ordine physico & intellectuali, quàm oppositum: ergo convenientius est Deo, & creaturæ, creaturam prædestinare. Antecedens est certum: Tum, quia natura Dei est ipsa essentia bonitatis, de cuius ratione est, quod sit diffusiva sui: vnde patet, quód naturę Dei valdè congruit se summè creaturæ communicare. Tum etiam: quia si creatura est capax alicuius perfectionis, non est ratio, cur hæc non sit perfectiva, ac per consequens consona illi & valde conveniens. Consequentia verò probatur: quia Deus summo modo secundùm speciem se communicat in linea intellectuali per gratiam, & gloriam; aliunde homo est capax huius communicationis: ergo.

5 Supponendum est *tertiò*, tanquam de fide, dari defactò prædestinationem. Et constat ex illo ad Rom. 8. *Quos prędestinavit, hos & vocavit.* Et ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* Vt tradamus rationem D. Thomæ, quam proponit in præsenti art. 1. operæ-pretium duximus diffinitiones prædestinationis (quas communiter admittunt Theologi, & meritò, quia sunt D. August. & D. Thom.) in medium adducere. Tres communiter annumerantur: prima est D. August. cap. 4. *de Bono perseverantiæ*, vbi illam sic describit: *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Dicitur *præscientia, & præparatio*: quia est scientia libera præsuppositive vel largè sumpta, ordinativa efficaciter prædestinatorum ad gloriam per media efficacia: vnde ly *certissimè* non solùm dicit certitudinem spectantem ad intellectum speculativum, sed etiam certitudinem causalitatis, per quod explicatur efficacia prædestinationis. Dicitur tandem, *liberantur, quicumque liberantur*: quia electi per prædestinationem liberantur à morte æterna. Secunda sumitur ex D. Thoma art. 1. vbi sic ait: *Est ordinatio mediorum, quibus creatura rationalis transmittitur à Deo in finem vitæ æternæ.* Tertia, quæ est magis concisa, & etiam D. Thomæ, est huiusmodi: *Ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam ęternam.*

Ex his formatur ratio tertiæ suppositionis: Nam in Deo dantur actus, in quibus consistere prædestinationem indicant præfatæ diffinitiones: ergo datur prædestinatio. Antecedens probatur: Imprimis datur prędscientia salvandorum, ne dicatur, quòd scientia divina non est infinita: datur etiam præparatio beneficiorum seu mediorum efficacium ad gloriam, ne dicatur, quòd Deus non habeē decreta efficacia sivè ab intrinseco, sivè ab extrinseco prędictorum mediorum: deinde existit in eo actus, quo ordinat media, quibus creatura rationalis transmittitur à Deo in vitam æternam: nam res fienda debet esse in mente actoris per intellectum tàm speculativè per ideam, speciem, & verbum, quàm practicè per imperium, quo actu efficaciter dirigitur in suum finem: tandem ob eandem rationē datur ratio practica transmissionis in gloriam: Tunc sic; sed isti sunt actus, quibus explicantur prædictæ diffinitiones; & aliunde Deus est agens immutabile, & actus purus: ergo ob vtranque rationem debet dari non solùm vtcumque, sed ab æterno prædestinatio in Deo.

6 Supponendum est *quartò*, prędestinationem requirere indispensabiliter tum aliquos actus voluntatis, tùm etiam aliquos intellectus. Secunda pars constat ex prima, eò quòd *nihil volitum, quin præcognitum*: imò ad multiplicationem actuum voluntatis necessariò multi-

plicari debent actus ex parte intellectus, cum ad diversitatem actuum voluntatis necessariò proponi debeant ab intellectu diversa obiecta. Prima ergo pars probatur: Nam prædestinatio est pars obiectiva, vel subiectiva providentię, vt tenent cum Div. Thoma in hac quæst. omnes Theologi; sed providentia supponit, vel dicit indispensabiliter, saltem de connotato, actum voluntatis: ergo etiam prædestinatio. Minor probatur: Tum, quia, vt inquit D. Thomas suprà quæst. 22. providentia est ordinatio ad finem; sed ordinatio efficax ad finem nequit non supponere voluntatem efficacem ad finem, & electionem efficacem mediorum ad ipsum finem: ergo providentia supponit actum voluntatis. Tum deinde: nam providentia est pars obiectiva, vel subiectiva prudentiæ; sed prudentia supponit actum voluntatis: ergo etiam providentia, cuius pars est prædestinatio. Maior est expressa in D. Thoma 2. 2. quæst. 49. art. 1. ad 1. vbi ait: *Nomen* prudentiæ *sumitur à providentia, sicut à principaliori eius parte.* Minor verò probatur: Nam prudentia prærequirit rectam intentionem in voluntate circa materias omnium virtutum: ergo supponit actum voluntatis.

Confirmatur: Fides actualis petit ad sui constistentiam affectum credulitatis in voluntate, qui dicitur *pia affectio*: quia, vt tenet D. Ambros. *Aut credere, aut non credere voluntatis est.* Et D. Augustde Bono persever. *Fides sine voluntate esse non potest.* Et tractat. 16. in Ioan. *Credere non potest nisi volens*: ergo etiam prædestinatio prærequirit actum voluntatis. Consequentia patet: nam ideò fides supponit actum voluntatis, quia nemo potest credere nisi volens; sed nec Deus potest prædestinare nisi volens: ergo.

7 His ita suppositis, circa hanc quęstionem triplex versatur sententia. *Prima* defendit, ad constitutionem essentialem prædestinationis ęquè in recto ingredi actum intellectus, & voluntatis. Pro hac sententia referuntur Marsil. 1. dist. 41. art. 1. *notabili* 2. Tarantas 1. dist. 40. q. 2. Molin. in præs. disp. 2. & alij socij. *Secunda* asserit, consistere vnicè in actu voluntatis. Ita D. Bonav. in 1. dist. 40. art. 1. q. 2. Scot. ibidem q. 2. Aureol. quæst. 4. & alij Nominales. Hos sequuntur Suarez lib. 1. *de Essentia prędestin.* cap. 17. num 15. Vazquez disp. 87. cap. 3. Lessius disp. *de Prędestin.* sect. 1. & alij. *Tertia* docet, consistere in recto vnicè in actu intellectus, quamvis indispensabiliter debeat connotare actum voluntatis. Sic omnes Thomistæ cum suo Ang. Magistro, cum quibus conveniunt N. Salm. in præs. disp. 2. dub. 1. Pro quibus sit.

* * * * * * * * * * * *

§. II.

Sententia D. Thomæ.

8 Dicendum est, prædestinationem non importare in recto ad sui constitutionem actus voluntatis, & intellectus simul; sed vnice constitui in recto per actum intellectus. Hæc conclusio quoad vtranque partem traditur expressè à D. Thoma art. 4. huius quæst. vbi ait: *Dicendum, quod prædestinatio secundùm rationem præsupponit electionem, & electio dilectionem. Cuius ratio est: quia prędestinatio est pars providentiæ: providentia autem, sicut & prudentia est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem, vt suprà dictum est: non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Vnde prędestinatio aliquorum ad salutem æternam præsupponit secundùm rationem, quòd Deus illorum velit salutem, ad quod pertinet electio, & dilectio.* Ex quibus verbis duo habes, & quòd actus voluntatis tantùm præsuppositivè prærequiritur ad prædestinationem, & quòd consistit in recto in ratione existente in intellectu.

9 Et quoad primam probatur conclusio ratione: Nam repugnat, actus duarum potentiarum pertinere ad vnam & eandem formalissimam rationem ęquè primò & in recto; sed prædestinatio est vna & indivisibilis ratio: ergo nequit eius essentia integrari in recto ex actu intellectus, & voluntatis. Maior patet: nam vnica formalissima & indivisibilis ratio nequit in recto & formaliter pertinere ad duplicem lineam adæquatam: & ideò Div. Thomas 1. 2. quæst. 13. art. 1. ait, quòd ęstò electio prærequirat ad sui existentiam actum intellectus & voluntatis, eò quòd est appetitus præconsiliati, formaliter tamen & in recto solùm consistit in actu voluntatis, licèt de connotato & præsuppositivè requirat consilium, quod est actus intellectus. Minor verò probatur: Prædestinatio est specialis providentia & prudentia, vt suprà vidimus ex D. Thoma; sed providentia & prudentia est in divinis vna & indivisibilis ratio: ergo etiam prædestinatio. Minor probatur: Nullum est in Deo attributum, quod in recto non sit vna & indivisibilis ratio; sed providentia, & prudentia est in Deo attributum distinctum ab alijs tàm intellectualibus, quàm affectivis: ergo. Minor est certa. Et maior probatur: tum inductivè: tum specialiter exemplo omnipotentię, de qua D. Thomas infrà quæst. 25. art. 1. ad 4. hæc ait: *Potentia non ponitur in Deo vt aliquid distinctum à scientia, & voluntate secundùm rem, sed secundùm rationem: inquantùm scilicet potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit.*

Ad

Ad quam constituendam, vt vides,concurrunt tria,scilicet scientia,voluntas,& potentia;& tamen in recto est vna & indivisibilis ratio pertinens ad vnam & indivisibilem lineam:ergo.Tú denique : nam quodlibet attributum habet determinatam speciem,sicut in creatis de prædicamentis,potentijs,& habitibus solet dici: ergo etiam habet vnam & indivisibilem rationem. Recolantur quæ diximus tract.3.disp.2.dub.5. §.3.circa constitutionem omnipotentiæ,in qua militat eadem ratio.

10 Deinde eadem conclusio quoad secundam,& præcipuam eius partem probatur ratione simul,& authoritate.Nam prædestinatio formaliter & in recto est quædam perfectissima & peculiarissima providentia, qua Deus de prædestinatis providet ; sed hæc in recto consistit in actu intellectus:ergo prædestinatio consistit in recto in actu intellectus tantùm.Consequentia evidenter infert , supposita veritate primę partis conclusionis. Maior costat , tum ex authoritate D.Thomæ in tota hac quæst.vbi millies repetit prędestinationem esse partem providentiæ,& specialiter art.4. tum ex communi consensu Theologorum. Tum ex ratione: nam prædestinatio in recto est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur , quicumque liberantur , vt ex D. Augustino vidimus;sed peculiarissima providentia erga electos consistit in hac præparatione: ergo prædestinatio in recto consistit in hac peculiari providentia.Minor,in qua est tota difficultas, probatur *primò* authoritate Boëtij, & D. Thomæ: Nam Boëtius lib.4. *de Prædestin.* prosa 4. ait:*Providentia est ipsa divina ratio in summo omniũ Principe constituta , quæ cuncta disponit* ; sed ratio ad intellectum in recto pertinet, vt ex se constat:& ideo ex verbis Boëtij intulit D.Thomas quæst.5.*de Verit.*art. 1. ad 8. *Vnde licèt essentialiter ad cognitionem pertineat , tamen voluntatem aliquomodò includit.*Secundò:Providentia est pars specialis prudentiæ ; sed prudentia residet directè in intellectu : ergo etiam providentia directe pertinet ad intellectum. Maior est certa: nam prudentia est memoria præteritorum,scientia præsentium,& providentia futurorum.Minor verò probatur:Tum,quia prudentia diffinitur ab Arist. *Recta ratio agibilium*;sed ratio residet in recto in intellectu: ergo prudentia consistit in recto in intellectu. Tum etiam:quia,vt aitD.Augustinus citatus a D. Thoma 2.2. quæst. 47. art.1. *Prudentia est cognitio rerum appettendarum , & fugiendarum*: ergo pertinet ad intellectum. Tandem: quia D. Thomas loco proximè citato probat, prudentiam esse virtutem intellectualem,ex eo quòd,vt inquit Isidor. *Prudens dicitur , quasi porrò vel procul videns*; sed visio est actus virtutis cognoscitivæ:ergo prudentia est in intellectu.¶ *Adde*:Quia apud nos *prudentes* dicuntur, non qui sunt magis appetitivi,sed qui sunt benè consiliativi , hoc est, qui magis pondere rationum ducuntur,& magis ordinant de agendis,sivè quantùm ad consilium,sive quantùm ad iudicium,sivè quantùm ad imperium , quod fit per intimationem & ordinationem de aliquo faciendo,quę omnia in recto sunt actus cognitionis.

11 Respondebis, omnia hæc tantùm probare , quòd providentia & prudentia , sicut & prædestinatio pertinent ad intellectum directivè & regulativè. Formaliter tamen pertinent ad voluntatem : quia vbi consummatur vis providentiæ , ibi etiam essentialiter debet consistere. ¶ Sed contrà est *primò* : Nam hæc solutio opponitur directè D. Thom.qui in hac 1.part.quæst.22.cit.art.1.ad 3.sic ait : *Providentia non ex æquo respicit intellectum, sed est in intellectu præsupponendo voluntatem* : ergo providentia,cuius pars est prudentià , in sententia D.Thom.non respicit intellectum tantùm præsuppositivè & directivè , & formaliter voluntatem,sed econtrà. Clariùs impugnatur ex D.Thoma q. 5. *de Verit.* art.1. vbi concludit:*Providentia includit & scientiam , & voluntatem,sed tamen essentialiter in cognitione manet , non speculativa , sed practica.*Certè si providentia consisteret in actu intellectus tantùm directivè,& in actu voluntatis formaliter, essentialiter non consisteret in cognitione:quia directio non est de essentia rei directæ:vt constat in quocumque actu voluntatis directo per actum intellectus , nullus quippe dicet , actum voluntatis essentialitèr consistere in cognitione, eò quòd illum dirigit.

12 Sed pro maiori impugnatione huius responsionis: Nota,quòd habitus, seu actus illius in ea potentia debet recipi , ad quam pertinet obiectum actus tanquam obiectum saltem inadæquatum , non verò vbi consummatur quantùm ad aliquem effectum:qua ratione estò actiones externæ compleantur per membra corporis,non ponimus in eis virtutes,vel vitia, sed tantùm in potentijs internis , in quarum actibus complentur & consumantur , indeque ad actus exteriores tanquam ad effectus omnino extrinsecos derivantur. Restat ergo videre, ad quam potentiam pertineat obiectum prudentiæ seu providentiæ.Pro quo supponendum est,quòd bonum sub ratione *boni* est obiectum voluntatis,& ens sub ratione *veri* est obiectum intellectus: vnde si obiectum providentiæ est ens sub ratione *veri*,evidenter infertur actum eius esse intellectus,& intra illum compleri essentialiter,licèt imperativè & quantùm ad aliquem effectum extrinsecum consumetur in alia potentia.

Ex his iam impugnatur efficaciter prædicta evasio : Nam actus providentiæ seu prudentiæ consumatur essentialiter in intellectu: ergo

ergo non tantùm directivè, sed etiam essentialiter in illo debet consistere. Antecedens probatur: Obiectum providentiæ pertinet directè & essentialiter ad obiectum intellectus tanquam pars illius subiectiva: ergo completur intra intellectum essentialiter. Antecedens probatur: Obiectum intellectus est verum sub ratione *veri*, sed obiectum providentiæ est verum sub ratione *veri*: ergo. Minor probatur: Obiectū providentię est aliquid vt cognoscibile & ordinabile, vt agendum & ordinatè disponendum; sed totum hoc sistit in ratione *veri*: ergo obiectum providentiæ est verum sub ratione *veri*. Maior est certa: nam ad providentiam spectat videre veritatem, & conuenientiam, quę est inter media, & finem, de illa iudicare, consiliari, & denuntiare, quæ omnia ad rationem cognitionis, & ordinis pertinent, vt ex se patet. Minor verò probatur: Nam quantumcumque voluntas sit affecta alicui rei tanquam bonę & conuenienti, non potest rectè providere & prudentialiter procedere in eius assecutione; sicut non potest aliquid habere pro lege & regula, ex eo præcisè quòd sit efficaciter volitum, sed ex eo quòd sit ordinatū per rationem: quia non est prudentia, sed iniquitas, quando *velle* habetur pro lege, & non ratio, nisi quando ipsum *velle* est ipsa ratio, vt in Deo.

13 Sed huic impugnationi respondebis, hanc doctrinam non esse vniuersaliter veram: nam religio subiectatur in voluntate, & plures actus primarij illius subiectantur in intellectu, nempe oratio, votum, & iuramentum. ¶ Sed contrà est: Ideò oratio recipitur in intellectu, in actuque eius consistit essentialiter, licèt ipsa virtus pertineat ad voluntatem, quia obiectum orationis pertinet quantùm ad substantiā actus tanquam pars subiectiva ad obiectum primarium intellectus: ergo si conceditur, quod obiectum primarium providentiæ, seu prudentiæ est pars subiectiva intellectus, in actu illius debet essentialiter consistere.

Sed pro clariori impugnatione huius responsionis: Nota *primò*, quòd estò virtus creata possit subiectari in vna potentia, & aliquis actus primarius in alia, hoc est, quia dicunt distinctionem realem inter se; quæ (imò nec virtualis) non habet locum in providentia divina, sicut nec in alio quocumque attributo. ¶ Nota *secundò*, inter actus primarios virtutis creatæ hanc esse differentiam, quòd licèt plures dicantur absolutè primarij respectu virtutis; non tamen æquè primò attinguntur omnes ab illa: nam quidam solent esse omninò primarij, inspectis omnibus alijs: sicut respectu religionis se habet deuotio, à qua omnes alij accipiunt suam rectitudinem. ¶ Nota *tertiò*, quòd illi actus, qui non sunt æquè primarij, si ob rationem specialem suę entitatis pertinent ad aliam potentiam, diuersam ab ea ad quam pertinet rectitudo virtutis, debent quodammodò dici *imperati*: ob quam rationem non inconuenit, quòd actus subiectetur in vna potentia, & virtus in alia, dummodò actus omninò primarius subiectetur simul cum virtute in eadem potentia. Quod euidenter patet in actu orationis, quæ quantùm ad substantiam pertinet ad intellectum, eò quòd orare nihil aliud est, quàm interiorem nostrum conceptum exprimere, illum ad Deum ordinare, dirigere, & intimare, quod totum pertinet ad intellectum; quod non habet locum in attributo diuino, quia non permittit duplicitatem adhuc virtualem actuum. Ex his patet impugnatio euasionis, quin sit necessum aliquid addere.

Confirmatur: Nam sicut ars est recta ratio factibilium, ita prudentia est recta ratio agibilium; & sicut ars non completur quoad effectus externos nisi in membris externis, ita prudentia non consummatur quoad effectus imperatos nisi in alijs potentijs ab intellectu, & voluntate: & tamen in omnium sententia ars completur essentialiter in intellectu, eiusque actus in recto in actu intellectus consistit: ergo idem de prudentia seu providentia dicendum est. Unde sicut obiectum artis est factibile vt ordinatè faciendum, ob quam rationem pertinet in recto ad intellectum; ita res vt ordinabilis & manifestabilis est obiectum providentię seu prudentiæ, & ob eandem rationem debet in recto ad intellectum pertinere.

14 Secundò ratione probatur vltima, & præcipua pars conclusionis. Nam in illo actu consistit prædestinatio, qui in recto ingreditur diffinitionem prædestinationis; sed solus actus intellectus ingreditur in recto diffinitionem prædestinationis: ergo in illo debet consistere. Minor probatur: discurrendo sigillatim per illas tres diffinitiones, quas ex D. Augustin. & D. Thoma suprà annumeravimus, quæ communiter admittuntur à Theologis: Nam in primis dicitur in diffinitione tradita ab Augustino, quòd est *præscientia*, & *præparatio*; sed vterque actus pertinet in recto ad intellectum: de præscientia nullus dubitat: de præparatione asseritur à Div. Thoma art. 2. huius quæst. ad 3. vbi ait: *Et talis præparatio prædestinatio est, prout agens per intellectum dicitur se præparare ad agendum, inquantùm præconcipit rationem operis fiendi.* Ideòque quæst. 6. *de Verit.* art. 1. ad 12. docet, quòd præparatio ad intellectum spectat: ergo.

Deinde dicitur in diffinitione secunda, quòd est *ratio transmissionis in vitam æternam*; sed ista importat in recto actum intellectus: ergo. Minor probatur: Tum, quia *ratio* generali quadam ratione in recto pertinet ad intellectum. Tū & præcipuè: quia prædestinatio, cùm sit ratio transmissionis, nihil aliud est, nisi quædam præexistentia prędestinati in mente diuina, vel speculativa per ideam, speciem, & verbum; vel practica

ctica per imperium intellectus ; ſed omnia hæc ſignificant in recto actum intellectus , eò quòd ad ſolum intellectum attinet trahere ad ſe res, & quia omnia illa ſunt affectiones intellectus: ergo ratio tranſmiſsionis &c. importat in recto actum intellectus.

Denique efficaciùs probatur ex diffinitione tertia : dicitur in illa , quòd prædeſtinatio eſt: *Ordinatio creaturæ rationalis ad gloriam per certa & determinata media* ; ſed ordinare eſſentialiter & in recto pertinet ad intellectum: ergo. Minor probatur : Tum ex Philoſ. 2. Metaphyſ. cap. 2. vbi ait : *Sapientis eſt ordinare.* Tum ex D. Thoma quæſt. *6. de Verit.* art. 1. vbi ait : *Solius rationis eſt dirigere & ordinare.* Tũ etiam : nam *ordinare* nihil aliud eſt , quàm dirigere ; ſed directio pertinet ad intellectum, & non ad voluntatem , eò quòd iſta eſt potentia cœca, quę ob hanc rationem ab alia petit dirigi: ergo. Tum denique: nam *ordinare vnum ad aliud* nihil aliud eſt in recto , niſi vnum cum alio conferre ; ergo petit ordo fieri à potentia collativa & comparativa; ſed hæc ſolùm eſt intellectus : ergo &c. Adde *primò*: Nam opus naturæ dicitur opus *ordinatiſsimum*; ſed ob hanc rationem dicitur opus *intelligentiæ*: ergo. Adde *ſecundò* : Nam eſtò voluntas velit media propter finem , volitio tamen mediorum non eſt ordinatio eorum ad finem , ſed ſolum eſt volitio ordinationis factæ antecedenter ab intellectu.

§. III.

Argumentorum ſolutio.

15 ARguitur *primò* ex ſacra pag. vbi prædeſtinatio vocatur *dilectio*, vt ad Rom. cap. *9. Iacob dilexi* : dicitur etiam *propoſitum*, iuxta illud Pauli ad Epheſ. 1. *Prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius* : denique dicitur *electio*, iuxta illud Math. 20. *Multi ſunt vocati , pauci verò electi* : Sed omnes iſti actus eſſentialiter & in recto ſunt actus voluntatis: ergo prędeſtinatio conſiſtit in recto in actu voluntatis. Minor probatur: Nam *dilectio*, & *electio* apud omnes ſunt actus voluntatis : *propoſitum* etiam pertinet in recto ad voluntatem: ideòque Ariſt. 6. Ethicor. cap. 12. intentionem, & electionem vocat *propoſitum*. Et Apoſt. expreſsè ait : *Propoſitum voluntatis ſuæ.*

Confirmatur *primò* ex SS. PP. nam Damaſc. lib. 2. *de Fide* cap. 29. ait : *Providentia eſt voluntas Dei , per quam omnia, quæ ſunt , conuenientem deductionem habent.* Idem tradit Niſſen. apud D. Thomam 3. Contra gent. cap. 73. Boëtius 4. *de Conſolat.* proſſa 7. ait : *Deus ſua bonitate gubernat mundum* ; ſed prædeſtinatio eſt pars providentiæ ; & bonitas ad voluntatem pertinet: ergo prædeſtinatio eſt actus voluntatis.

Confirmatur *ſecundò* ex D. Thoma opuſc. *de Prædeſtin.* cap. 1. vbi ait : *Quamvis prædeſtinatio ſupponat actum cognitionis , nominat tamen actum voluntatis eligentis ad ea, quæ ſola gratuita voluntate conferuntnr.* Et cap. 2. ait : *Cauſalitas gratiæ, & glorię attribuitur propriè voluntati vt efficienti , ſcientię autem vt dirigenti , potentiæ verò vt exequenti ; ideò etsi prædeſtinatio importet illa tria, tamen principaliùs eſt in genere voluntatis.* Quapropter concludit cum D. Auguſtino, quòd prædeſtinatio eſt *propoſitum miſerendi.*

16 Ad argumentum conflatum ex teſtimonijs ſacræ paginę reſpondetur , ad prædeſtinationem requiri tam actum voluntatis, quàm intellectus ; ideòque prædeſtinatio quandoque explicatur nominibus proprijs voluntatis , vt ſunt *dilectio* , *electio*, & *propoſitum* : aliquando verò nominibus proprijs intellectus. Cœterùm quòd debeat conſiſtere in recto in actu intellectus , vel voluntatis , potiùs ex ratione theologica , quàm ex ſacra pagina venandum eſt. Quapropter reſpondet D. Thomas quæſt. *6. de Verit.* art. 1. ad 2. explicans prædicta loca, quòd *prædeſtinatio* non eſt idem quòd *electio* , ſed pręſupponit eam , *vt dictum eſt.* Dixerat enim in corp. artic. quòd *prædeſtinatio præſupponit electionem, electio verò dilectionem* : actus ergo voluntatis licet eſſentialiter requiratur ad prædeſtinationem, tamen ſolùm ad illam concurrit vel cauſaliter, pręſuppoſitivè & radicaliter, vel completivè & conſequenter.

Eodem modo reſpondetur , & reſpondet ad dictum Damaſceni D. Thomas quæſt. 5. *de Verit.* art. 1. ad 1. vbi ait : *Ad primum verò dicendum , quòd pro tanto Damaſcenus dicit, providentiam eſſe voluntatem , quia voluntatem includit, & præſupponit* : nempè per modum connotati , ex eo quòd pręſupponit electionem , & dilectionem. Ad illud Boëtij reſpondet ibidem : *Dicendum, quòd Deus dicitur gubernare per bonitatem, non quaſi bonitas ſit ipſa prouidentia , ſed quia eſt providentiæ principium, cùm habeat rationem finis.*

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur *primò*, dicendo D. Thomam retractaſſe ſententiam (ſi verba illa ſunt verè ipſius D. Thomę) eò quòd ferè ſemper ait, prędeſtinationem conſiſtere formaliter in actu intellectus , pręſupponendo actum voluntatis. Diximus, *ſi verba illa ſunt verè D. Thomę* : Nam non eſt adeò certùm illud opuſculum eſſe illius, cum plures negent : moti ex eo quòd non invenitur inter eius Opuſcula iuſſu Pij V. in Romana editione excuſſa adhuc diminuto caractere , in ſignum quod eſt incertum, ant ſit D. Thomæ. ¶ Reſpondetur *ſecundò*, D. Thomam intelligendum eſſe de nominatione præſuppoſitiva & de connotato, ſi appellet ſupra ipſum actum formalem voluntatis, non verò de nominatione formali

mali & in recto ; niſi appellet ſupra actum virtualem voluntatis,qui eſt imperium intellectus, quatenus hoc accipit ſuam efficaciam à voluntate,& hac ratione actus voluntatis virtualiter continetur in illo. Et hæc vltima reſponſio deſumitur ex D.Thoma quæſt. cit. *de Verit.* art. 1.ad 1.vbi ſic interpretatur dictum Auguſt.

17 Arguitur *ſecundò* : Ideò prædeſtinatio non conſiſteret in recto in actu voluntatis,quia nullus actus voluntatis eſt ordinativus ; hoc eſt falſum: ergo.Minor probatur *primò* ex D.Thoma 1. Sent. diſt. 41. quæſt. 1. art. 2. ad 1. vbi ait : *Prædeſtinatio dicit actum voluntatis abſolutè , qui conſequitur ordinem iſtum , ſcilicet quem dicit electio : electio enim divina eſt, qua aliqui ex ordine ſuæ ſapientiæ ordinantur ad finem beatitudinis.* Ubi duo ait , & quòd prædeſtinatio dicit abſolutè (quod eſt idem ac dicere eſſentialiter & in recto) actum voluntatis, & quòd divina electio eſt ordinativa. Idem tradit in 1. ad Annibald. diſt. 1. quæſt. vnica art.2.vbi loquens de vſu ait: *Vti ordinationem quandam importat* ; ſed hic actus in recto eſt actus voluntatis,vt docet D.Thomas 1.2.quæſt. 16. art. 1. ergo. *Secundò* : Nam habitus charitatis eſt habitus voluntatis; & tamen eſt ordinativus, cùm ex imperio,& ordinatione, quam introducit in actibus aliarum virtutum, ſint meritorij : ergo. *Tertiò* & *vltimò* : Nam non minùs proprium eſt voluntatis movere quoad exercitium , quàm intellectus ordinare ; ſed intellectus ex participatione voluntatis movet quoad exercitium voluntatem, & alias potentias , vt tenent omnes Thomiſtæ : ergo etiam voluntas ex participatione intellectus poterit ordinare.

Ad argumentum reſpondetur , negando minorem. Ad primam probationem deſumptam ex teſtimonio D.Thomæ : Reſpondetur , quòd electio licèt dicat ordinem paſsivum,quem ratio vel intellectus facit,non verò dicit ordinem activum : prædeſtinatio autem eſt ordinativa activè mediorum ad gloriam;ideòque non debet conſiſtere in actu voluntatis. Quæ ſolutio deſumitur ex D.Thoma 1.2. quæſt. 13. art. 1. ad 1. vbi docet , electionem *collativam* appellari,non quia eſſentialiter collativa ſit,ſed quia collationem factam per intellectum præſupponit. Vel alijs terminis : actus voluntatis dicitur habere ordinem , non quia voluntas activè ordinet obiecta, ſed quia illa , eo ordine quo ab intellectu ſunt ordinata, amat. Ad id quod de vſu additur,eodem modo reſpondetur cum D. Thoma loco cit. in argum. ad Annibald. reſpondendo ad 1. & in loco allegato ex 1. 2. quæſt.16.art.1. ad 1.

Ad ſecundam probationem reſpondetur; charitatem (& idem intellige,quando aliæ virtutes imperant ad proprios fines)imperare vel ordinare alias virtutes, & potentias , etiam ipſum intellectum , non formaliter & elicitivè, ſed tantùm motivè & applicativè : itaque ordo ille , quo actus aliarum virtutum diriguntur in finem charitatis,non fit elicitivè ab ipſa charitate , quaſi ipſa activè ordinet ſeu dirigat, ſed tantùm applicat intellectum , & virtutes in eo reſidentes , nempè fidem , vel prudentiam, vt eliciant ordinem,qui in alijs actibus in ordine ad Deum vltimum finem , qui eſt proprium obiectum charitatis,ſolet inveniri,

18 Sed pro huius luce : Objicies *primò*: Nam charitas imperat intellectui, fidei, & alijs virtutibus intellectualibus : ergo intellectus eſt imperatus : ergo per ſe ordinat eum ad proprium finem : & conſequenter falſum eſt omnem ordinationem & imperium eſſe vnicè ab intellectu,& non à voluntate. ¶ *Secundò*: Nam ſi fides,vel prudentia, vel alia quæcumque virtus intellectualis elicit proximè ordinem , qui eſt in alijs virtutibus, & charitas ſolùm motivè & impulſivè , ſequitur virtutem intellectualem potius eſſe formam virtutum , quàm charitatem, & conſequenter meritum principaliùs dependere à fide quàm à charitate. Probatur ſequela : Nam informatio,& meritum dependet eſſentialiter ex hac ordinatione ; ſed ordinatio principaliùs dependet à cauſa elicitiva,quàm à motiva: ergo &c.

Reſpondetur ad primam obiectionem, quòd quando dicitur, charitatem imperare ſeu ordinare intellectum , & eius virtutes , non ſic intelligendum eſt , quòd formaliter & elicitive ipſa imperet ; ſed quòd ſolùm movet & impellit intellectum , vt ipſe ſibi imperet , dirigat , & ordinet. Et ſic D. Thomas 1. 2. quæſt. 17. art. 6. proponens hoc argumentum : Quomodò actus rationis imperetur, cùm ipſa ratio ſit imperans? Reſpondet: *Ad primum dicendum , quòd hoc modo ratio imperat ſibi-ipſi, ſicut voluntas movet ſeipſam , inquantùm ſcilicet vtraque potentia reflectitur ſuper ſuum actuum,& ex vno ad alium tendit.* Unde charitas ſolùm movet & impellit intellectum & eius virtutes,vt forment dictamen vel imperium , quo ipſi actus intellectus ſint formaliter ordinati.

Ad ſecundam reſpondetur , quòd licèt formatio virtutum, & ratio meriti earum formaliter ſit ab ordinatione in vltimum finem ſupernaturalem , & hæc ordinatio ſit elicitivè à virtute intellectuali;non tamen niſi prout charitas virtualiter continetur in ea. Et, vniverſaliter loquendo,cauſa movens principaliùs concurrit, quàm cauſa mota ; & ideò libertas formalis principaliùs tribuitur voluntati , quàm intellectui,licet in actibus iſtius aliquando formaliter reperiatur , quia voluntas concurrit motivè & intellectus non niſi vt motus à voluntate.Vel poteſt dici,quòd charitas habet duplicem impulſum : primum , quo movet fidem,

vt

vt faciat talem ordinem, quem introducit in charitate: ſecundum, quo poſteà, media hac virtualitate recepta a fide, movet efficaciter alias virtutes in ordine ad ſuum obiectũ, quod eſt vltimus finis ſupernaturalis, & ratione huius vltimę motionis charitas dicitur forma virtutum, & actus iſtarum ſunt meritorij.

19 Ad vltimam probationem principalis argum. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: *Non minùs proprium eſt voluntatis movere quoad exercitium, quàm intellectus ordinare* per ſe primò, concedo maiorem: participativè, ſubſtiſting. formaliter, vel virtualiter, concedo mai. formalitèr præcisè, nego maiorem. Solutio conſtabit explicatione diſtinctionis: Etenim movere quoad exercitium ita eſt proprium voluntatis, quòd per ſe primò ſolùm competit illi; at ex participatione voluntatis poteſt convenire intellectui non ſolùm virtualiter, ſed & formalitèr, licèt non appetitivè, ſed directive, imperativè, & denuntiative: ordinare verò ità convenit ſoli intellectui, quòd eſtò ex participatione illius voluntas virtualiter poſsit ordinare, non verò formaliter: Prædeſtinatio autem non debet conſiſtere in ordinatione vtcumque, ſeu virtuali, vel paſsiva, ſed in ordinatione formali & activa.

Ratio huius differentiæ eſt: quia illæ formalitates, quę ſunt de ſubſtantia alicuius potentiæ, ſeu habitus, eſtò poſsint participari virtualitèr, non formaliter (ita ſe habet *intelligere* reſpectu intellectus, & *amare* reſpectu voluntatis) quæ verò non ſunt de ſubſtantia potentiæ poſſunt formalitèr participari: *ordinare* autem ita eſt proprium intellectus, quòd pertineat ad ſubſtantiam actus illius: *ordinare* enim eſt vnum cum alio conferre, & *conferre* eſt vnũ in ordinem ad aliud intelligere, ſeu repræſentare. Vnde ſicut *intelligere* nequit formaliter participari à voluntate, ſic nec *ordinare*: movere autem quoad exercitium non eſt de ſubſtantia voluntatis, ſed modus illius, eò quòd ſit applicare alias potentias ad opus, quod vtique eſt extra ſubſtantiam actus voluntatis.

20 Arguitur *tertiò*: In illo actu conſiſtit prædeſtinatio, qui vt *cauſa* infert infallibiliter principalem effectum prædeſtinationis; ſed hoc ipſo quòd Deus efficaciter velit Petro tribuere gloriam, eo ipſo Petrus illam tempore ſtabilito conſequetur: ergo in hac volitione efficaci conſiſtit prædeſtinatio. Minor probatur: quia non ſtat, Deum velle efficaciter tribuere Petro gloriam, quin eo ipſo tempore determinato illam non conſequatur; aliàs vel decretum non eſſet efficax, vel ſi eſſet efficax, maneret fruſtratum, quod eſt chimæricum.

Confirmatur *primò*: Nam prædeſtinatio, vt ſuprà diximus, conſiſtit in recto in actu providentiæ, quia eſt pars illius; ſed providentia conſiſtit in actu voluntatis: ergo etiam prædeſtinatio. Minor probatur: Providentia conſiſtit in quadam ſolicitudine ſeu ſtudio futurorum, ſecundùm rectam diſpoſitionem; ſed hęc ſolicitudo & ſtudium conſiſtit in actu voluntatis: ergo etiam providentia. Minor probatur: Hęc ſolicitudo & ſtudium eſt actus proprius virtutis ſtudioſitatis; ſed hæc virtus reſidet in voluntate, vt tenet D. Thomas 2. 2. quæſt. 166. ergo ſolicitudo eſt actus voluntatis.

Confirmatur *ſecundò*: In illo actu conſiſtit prędeſtinatio, per quem diſtinguuntur providentia generalis, quæ non eſt prædeſtinatio, & providentia ſpecialis & ſupernaturalis, quæ eſt prædeſtinatio; ſed iſtæ providentiæ ſolùm diſtinguuntur per actum voluntatis: ergo in hoc conſiſtit prædeſtinatio. Maior eſt certa, iuxta commune axioma, *Idem eſt conſtitutivum & diſtinctivum*. Minor verò probatur: Nam auxilia ſufficientia collata prædeſtinato, & non prædeſtinato ſunt effectus providentiæ: ita vt auxilia collata reprobo ſolùm ſint effectus providentiæ generalis, ſeu non prędeſtinativæ, in prædeſtinato verò ſint effectus providentiæ prædeſtinativę, eſtó per illa tam prædeſtinati, quàm reprobi ordinentur in vitam æternam; ſed huius differentię ratio ſolùm ſtat in eo, quòd in prædeſtinato habet adiunctam voluntatem efficacem ſalvandi electos, non verò in reprobo: ergo per hunc actum efficacem diſtinguitur providentia prædeſtinativa, à non prædeſtinativa.

21 Reſpondetur ad argumentum diſtinguendo mai. *vt cauſa* radicalis & remota, neg. mai. *vt cauſa* proxima, conc. mai. Et diſting. min. *eo ipſo illam conſequetur* ex vi illius volitionis tanquam ex cauſa adæquata & proxima, neg. min. tanquam ex cauſa radicali, conc. min. & nego conſequentiam. Igitur efficacia actus volitionis & intentionis divinæ, licèt à voluntate totaliter oriatur, non tamen vnicè explicatur per ſolam voluntatem, ſed etiam per alias potentias, nempè per ordinativam, quæ eſt intellectus, & per executivam, quæ eſt omnipotentia; & quouſque efficacia voluntatis applicetur, non intelligitur effectus adæquatè futurus, ſed tantùm prędſuppoſitivè, originativè, & initiativè. Applicatur autem hęc efficacia ad faciendum & exequendum ordinato modo, & diſponendo, & regulando media per imperium efficax intellectus, vt infrà dicemus. Unde ad ſummum ſequitur, prędeſtinationem neceſſariò ſupponere actum efficacem voluntatis, quod concedimus; non verò in illo formaliter conſiſtere, ſeu in actu intellectus qui ſit ordinatio efficax mediorum.

Ad primam confirmationem reſpondetur cum D. Thoma in hac 1. part quæſt. 22. art. 1. ad 2. vbi ait: *Ad curam duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis, quæ dicitur providentia; & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio.* Pro cuius intel-

intelligentia: Nota cum N.Salm. in Arb. virtut. num. 142. rationem ordinis esse obiectum studiositatis, applicationem, seu amorem eius esse proprium eius actum. Cæterum providentia solùm dicit de connotato hunc amorem, seu applicationem: nam in recto dicit tantùm ordinem provenientem à providentia.

Ad secundam respondetur, distinguendo maiorem: *per quem distinguuntur* tanquam per modum recti, conc. mai. tanquam per modum connotati, neg. mai. & min. Nam estò providentia specialis & prædestinativa importet intentionem efficacem salvandi electos, quam non importat providentia generalis, ex hoc tàntùm infertur, prædestinationem distingui essentialitèr à providentia non prædestinativa per voluntatem efficacem, tanquam per aliquid essentialitèr requisitum ex parte obliqui: nam per modum recti solùm distinguitur ab illa per ordinationem efficacem, quæ est imperium intellectus.

DUBIUM II.

In quo actu intellectus consistat prædestinatio?

MInùs rectè explicaremus essentiam prædestinationis, nisi determinatus maneret actus specificus intellectus, in quo vltimatè consistit prædestinatio. Et ad hunc declarandum deservit hoc secundum dubium. Sed pro explicatione tituli operæ pretium duximus, actus, qui in negotio præstinationis intervenium̃t, explanare.

§. I.

Explicatio tituli.

22 NOta *primò*, ad sciendum; qui actus in Deo tàm ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, vel antecedenter, vel formaliter, vel consequenter intercedant pro negotio nostræ prædestinationis, haud melius posse explicari, quam ex ijs, qui in nobis concurrunt ad quodlibet negotium, seu in ordine ad quemlibet finem consequendum. Igitur in nobis, antequàm intendamus aliquem finem, præcedit ex parte intellectus simplex apprehensio seu propositio bonitatis finis cum cognitione multarum aliarum rerum. Deinde (in opinione aliquorum) subsequitur simplex volitio finis, & intentio illius, quæ vt collata cum illo fine secundùm se sumpto appellatur *amor* stricte dictus, seu *intentio*, sed si conferatur cum eodem vt prę alijs volito, vocatur in sensu improprio *electio*. Sed in communiori sententia Thomistarum vltra positionem illam indifferentem finis debet præcedere iudicium aliquod determinatum, quo in eo aliquam convenientiam & rationem excogitet, ob quam alteri præferat; & moveat voluntatem. Pro quo videndi sunt N.Salm. tr. 7. disp. 10. §. 7. & disp. 11. num. 21. & tract. 10. disp. 2. à n. 18. Sapientis. Bolivar. in tract. *de Prædestin.* dub. 1. num. 44. Carrasco ibidem num. 5. & alij. Et isti tres, aut quatuor actus versantur immediatè circa finem.

Circa media, semel dilecto & intento fine, datur immediatè ex parte intellectus actus cõsilij de medijs eligendis conducentibus ad talem finem: quem actum immediatè ex parte voluntatis sequitur consensus, quo placent omnia media per ipsum consilium adinventa, & per aliud iudicium subsequens approbata absque vlla distinctione inter illa, quia discretio vnius medij præ alio reservatur iudicio, & electioni. Ideoque post hos actus immediatè succedit ex parte intellectus iudicium determinatum, quo iudicat, & proponit, quodnam ex illis medijs sit hìc & nunc opportunius ad consequendum finem: quo posito, sequitur immediatè electio èx parte voluntatis.

23 Sed quia hæc dicit ad volitum duplicem habitudinem, aliam affectivam, secundùm quam voluntas vnitur cum volito præcisè per affectum, & alteram executivam, quæ in eo tendit, vt voluntas vniatur cùm eo in re, & omnes supradicti actus pertinent ad ordinem præcisè affectivum, qui incipit à voluntate seu intentione finis, & completur in electione mediorum, oportet recensere omnes illos, qui ad ordinem executivum spectant. Igitur post prædictos actus datur iuxta D. Thomam, & Philosophum quoddam imperium, ratione cuius intellectus efficaciter imperat voluntati executionem mediorum, quod imperium à multis vocatur *monasticum*. Horum actum meminit D. Thom. q. 15. *de Malo* art. 4. his verbis: *Sunt autem quatuor actus rationis, secundùm quòd dirigit actus humanos. Quorum primus est intellectus quidam, quo aliquis rectè existimat de fine, qui est sicut principium in operativis, vt Philosophus dicit 2. Physic. Secundus actus est consilium de agendis. Tertius est iudicium de illis. Quartus actus est præceptum de agendo.* Vbi tantùm commemorat præcipuos actus, relictis alijs minùs principalibus suprà enumeratis; in quo eum imitantur N. Salm. in præs. disp. 2. num. 34.

24 Nota *secundò*, quòd licèt in Deo nõ dentur actus realitèr distincti; attamen quia actus intellectus, & voluntatis divinę concipimus adinstàr actuũ nostri intellectus, & voluntatis, propterea cõcipimus eos actus existere formaliter, qui ex suo conceptu formali nullã afferũt imperfectionẽ, & iuxta eam distinctionem quę absque imperfectione aliqua positiva potest inter eos intercedere. Hinc ergo oritur, quòd quidã actus distin-

distinguũtur secundùm nostrum modum concipiendi, fundatum tamen ex genere in diversitate obiectorum: quo pacto omnes actus intellectus distinguuntur ab omnibus actibus volũtatis. Alij sunt, qui quamvis distinguantur secundùm modum concipiendi, eorum tamen distinctio nullum aliud fundamentum habet prẽter imperfectum nostrum modum concipiendi: & hoc modo sæpè distinguimus vnam volitionem ab alia, & vnam cognitionem ab altera. Ad cognoscendum verò quando actus divini gaudeant priori, aut posteriori distinctione rationis, iam tradita est multoties regula generalis in toto hoc opere.

25 Igitur actus divinos in negotio nostrę prædestinationis possumus ita ordinare. Primò enim Deus scientia simplicis intelligentiæ & necessarię cognovit, possibile esse dari gloriam Petro, & Iudæ: post quem actum cognitionis, iuxta priorem modum dicendi insinuatum numer. 22. sequitur immediatè actus voluntatis, quo vult & intendit gloriam D. Petro præ Iuda: & iuxta posteriorem modum dicendi ibidem insinuatum, post præfatam cognitionem indifferentem, & necessariam sequitur immediatè iudicium determinatum, quo Deus iudicat convenientius esse hic & nunc dare gloriam Petro, quàm Iudæ: & hoc iudicio voluntas divina determinata vult & intendit dare gloriam Petro præ Iuda. Secundò sequitur consilium, non per modum inquisitionis de medijs conducentibus, quia hoc imperfectionem importat, sed quantùm ad certitudinem eorum: & ad hoc sequitur consensus & approbatio voluntatis. Tertiò datur in intellectu divino iudicium determinatum quo iudicat hæc media præ alijs esse vtiliora hìc & nunc ad consequendam gloriam: & voluntas immediatè eligit illa. Quartò sequitur imperium, quo intellectus imperat voluntati divinæ, vt media electa executioni mandentur: & huic actui correspondet immediatè ex parte ipsius voluntatis alius actus, qui in nobis vocatur *vsus*, quo ipsa voluntas applicat omnipotentiam ad eorum executionem ponendam in tempore. Quibus prælibatis:

26 Supponitur *primò*, prædestinationem non consistere in cognitione, qua per scientiam simplicis intelligentiæ cognovit Deus possibilem esse dari gloriam Petro, & Iudæ. Tum quia huiusmodi cognitio est indifferens ad prædestinationem, & omissionem, vt ex se liquet. Tum etiam: quia huiusmodi cognitio est necessaria, prædestinatio verò omninò libera & gratiosa. ¶ Supponimus *secundò*, prędestinationem non consistere essentialiter & in recto in iudicio determinato suprà descripto, & iuxta multorum opinionem admisso, prȩcedenteque electionem D. Petri ad gloriam: Tum quia hoc iudicium secundùm se non dicit infallibilem connexionem cum electione mediorum. Tum etiam: quia concipitur cum aliqua potentialitate, vt ex se constat. Tum denique: quia prædestinatio debet consistere in eo actu intellectus, qui immediate applicat voluntatem & omnipotentiam ad executionem mediorum; quod omni iudicio prȩcedenti electionem ad gloriam non convenit, quia post hanc electionem, quæ in rigoroso sensu dicitur *intentio*, datur aliud iudicium immediatum circa media. ¶ Tertiò supponimus non consistere in iudicio illo, quod vocatur *consilium*: quia hoc iudicium est inefficax & indifferens ad hęc, vel illa media; & prædestinatio est ordinatio efficax determinatorum mediorum ad gloriam. Unde tantùm remanet difficultas, & disidium inter Authores tàm proprios, quàm extraneos circa iudicium determinatum præcedens electionem mediorum, & circa imperium monasticum supponens electionem mediorum, & antevertens vsum activum voluntatis.

27 Itaque prima sententia docet, prædestinationem non consistere in imperio subsecuto ad electionem, & regulativo vsus voluntatis, sed in iudicio determinato præcedente electionem. Ita ex Societate Molina in præs. disp. 2. Suarez lib. 1. *de Prædestin.* cap. 16. & Vazquez. Qui 1. 2. disp. 49. cap. 4. asserit, huiusmodi imperium non esse in nostro intellectu, & in hac 1. part. disp. 87. cap. 3. docet, quòd licèt huiusmodi imperium esset in nostro intellectu, nullatenus tamen in Deo concedi debet. Et ex Thomistis Carrasco in præs. dub. 1. resolut. 1. qui pro eadem sententia refert Caietanum, Zumelem, Alvarez, Nazarium, & Ioannem à Sancto Thoma. Sed quoad hunc vltimum Authorem apertè fallitur, vt videri potest in præs. disp. 7. art. 3. num. 8. & fortè quoad alios, vt notant N. Salm. in præs. num. 50. Partim tamen differt Carrasco à Vazquio, & partim cum eo convenit: differt enim ab eo, quia concedit huiusmodi imperium in intellectu creato; & convenit cum eo, quia illud negat in Deo. || Secunda sententia defendit, in Deo dari imperium monasticum, in eoque consistere essentialiter & in recto prædestinationem, proindeque non consistere in iudicio præcedente, & regulante electionem, sed in iudicio illam præsupponente & regulante immediatè vsum activum voluntatis. Ita communiter Thomistæ, vt refert Mag. Bolivar. & hanc sequuntur N. Salm. loco suprà allegato.

§. II.

Vera sententia D. Thomæ.

28 Dicendum est, prædestinationem consistere formaliter & in recto in actu intellectus, qui dicitur *imperium*, præsupponente electionem mediorum, non verò in

actu iudicij præcedentis electionem. Pro cuius actus intelligentia notandum est,duplex esse imperium in Deo, aliud directivum afferens secum ordinationem, intimationem, & motionem, ratione quarum & dirigit voluntatem ad vltimum eius actum, qui est vsus, & movet illam efficaciter, & infallibiliter. In cuius virtute hoc faciat? Communiter dicitur, esse in virtute alicuius actus voluntatis, licèt non idem assignetur ab omnibus: communiter tamen eius efficacia, & intimatio exponitur per verbum imperativi modi dicendo *fac hoc*; cuius vis non solùm relùcet in ordine ad effectus ad *extrà*, sed etiam in ordine ad prędictum actum voluntatis: & ob hanc rationem dicitur imperium *monasticum*, seu *ad intrà*. Aliud est executivum, eò quòd est actus immediatus potentiæ executivę, quo potentiam & effectum mandat executioni: & ob hanc rationem dicunt aliqui, supponere prædestinationem adæquatè constitutam, dicique propriè *gubernationem*. Igitur plures ex Adversarijs affirmant, nullum imperium dari in Deo, imò nec in hominibus: quia existimant exigere distinctionem suppositorum, & non sufficere distinctionem potentiarum. Alij estò negent illud primum, concedunt tamen in Deo secundum,vt est Cerrasco,& alij: conveninnt tamen cum primis in eo,quòd in tali actu non consistit prædestinatio. Unde claritatis gratia probatur nostra conclusio,destruendo has sententias per sequens enthymema.

29 In nobis datur imperium monasticum: ergo etiam in Deo: ergo in hoc debet prædestinatio essentialiter consistere. Hæc vltima consequentia legitimè infertur. Tum, quia evertitur fundamentum non minùs pręcipuum Adversariorum. Tum, & præcipuè: nam hoc ipso,quòd iste actus concedatur Deo, est omnium efficacissimus, proximiorque executioni omnium effectuum prędestinationis, eò quòd efficaciter ordinat, & imperat, vt suo tempore executioni mandentur omnia media, per quę prędestinatus transmittitur in salutem æternam;sed in omnium sententia prędestinatio, cùm efficacissima sit, debet consistere in actu efficacissimo, & proximiori externæ gubernationi prędestinatorum: ergo si semel datur in Deo hoc imperium monasticum, debet in eo consistere prædestinatio.

30 Prima consequentia probatur, contra Carrasco: Ideò in nobis datur imperium monasticum in sententia huius Authoris, quia requiritur specialis actus intellectus dirigens & movens voluntatem ad vsum activum ipsius, supponens electionem mediorum, & actum intellectus illam regulantem; sed etiam in Deo datur actus intellectus supponens electionem, & regulans vsum activum voluntatis: ergo.Probatur minor quoad primam partem, quia quoad secundam non est disidium cum hoc Authore; vsus activus volutatis divinę supponit prædestinationem in huius Authoris sententia; sed prædestinatio supponit electionem: ergo actus intellectus, qui regulat vsum activum voluntatis, & in quo consistit prędestinatio, debet supponere electionem. Minor probatur ex D.Thoma art.4. huius quęst. vbi ait: *Respondeo, dicendum, quòd prædestinatio secundùm rationem præsupponit electionem. Huius ratio est: quia prædestinatio, vt dictum est, est pars providentiæ; providentia autem, sicut & prudentia est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem.*Et tandem concludit: *Et sic patet, quòd dilectio præsupponitur electioni, & electio prędestinationi.* Deinde probatur eadem minor: In Deo datur,in sententia huius Authoris, vsus activus voluntatis distinctus adæquatè, vel inadæquatè ab electione: ergo etiam debet dari in Deo iudicium imperans & intimans, dirigens & movens voluntatem ad hunc actum. Probatur cõsequentia.Tum,quia iuxta multiplicationem actuum voluntatis debent multiplicari actus intellectus regulativi, & motivi illorum. Tum etiam: nam ideò actus intellectus regulativi intentionis, & electionis distinguuntur in Deo,iuxta hunc Authorem, quia intentio, & electio etiam in Deo dantur, & aliquomodò distinguuntur: ergo idem dicendum est de iudicio regulante vsum activum voluntatis. Tum denique: nam omnes illos actus debet hic Author concedere in Deo formaliter, quos homini concedit, si nullam dicant imperfectionem; sed si semel permittitur vsus activus voluntatis in Deo formaliter, imperium regulans talem vsum nullam in Deo dicit imperfectionem: ergo si in Deo datur vsus activus, dari etiam potest, & debet imperium regulans talem vsum. Qua de causa D. Thomas quæst. 5. *de Verit.* art. 1. in corp. ait: *Ea,quæ de Deo intelliguntur, propter nostri intellectus imbecillitatem vel infirmitatem cognoscere non possumus, nisi ex his quæ apud nos sunt. Et ideò vt videamus, quomodò providentia dicatur in Deo, videndum est quomodò providentia sit in nobis.*

31 Antecedens verò illius primi enthymematis,quod directè militat contra PP.Societatis suprà relatos, probatur: Nam in nobis datur in voluntate vsus, qui est actus elicitus à voluntate, applicans efficaciter potentias alias ad operandum: ergo etiam debet dari iudicium regulans & movens voluntatem ad hunc actum, qui dicitur *imperium*. Prob. antecedens: In executione ad opus maior & nova difficultas in nobis se offert, quàm in sola electione interiori: ergo est actus voluntatis distinctus ab electione, applicans alias potentias ad executionem. Consequentia patet: nam actus multiplicantur iuxta novas & diversas difficultates. Antecedens probatur: Tum, quia ipsa experientia constat, quòd multi facile iudicant, consiliant, eligunt; & se de-

determinant interiùs, qui posteà in executione deficiunt: sicut Div. Petrus eligebat mori pro Christo, & iudicabat; se posse facere id, quòd proponebat; & tamen in executione defecit. Tum etiam: nam *eligere* est actus merè internus, in quo voluntas solùm certat secum, nec habet aliud impedimentum, quàm velle obiectum vt cognitum; sed in exequendo non solum certat secum, sed etiam cum a ijs; tum potentijs, tum subiectis, in quo mille difficultates se offerunt tam in labore potentiarum, & resistentia appetitus, quàm in impedimentis externis: ergo præter electionem indiget voluntas nova efficacia, & conatu pro executione, novaque applicatione activa, quæ dicitur *vsus*.

32 Ex quo facilè probatur consequentia: Nam si nova inconvenientia & difficultates se offerunt pro executione, quàm pro electione, oportet non solùm maiori efficacia & conatu movere, quod voluntatis est, sed etiam novo modo iudicare & ordinare de faciendis, quod est intellectus; sed hoc iudicium regulans & ordinans voluntatem ad vsum, dicitur *imperium*: ergo in nobis datur imperium, quòd sit actus distinctus à iudicio proponente, & movente ad electionem mediorum: Probatur antecedens: Tum, quia, vt suprà diximus, diversus actus voluntatis diversum iudicium determinatum exigit ex parte intellectus. Tum & præcipue: nam licèt ea, quæ exequenda fuit, possint provideri ante electionem, non tamen sub eisdem circunstantijs, quibus occurrunt, quando hìc & nunc sunt exequenda: ergo oportet dari locum alteri iudicio, per quod vltimate ordinentur, & iudicentur executiones ipsæ secundum vltimam individuationem, & occurrentiam circunstantiarum.

33 Diversimodè occurrunt Adversarij huic rationi: nam Vazquez cum alijs respondet, negando antecedens. Ad cuius probationem dicit, quòd vsus non est actus elicitus à voluntate, sed ad summum imperatus: elicitur namque, inquit, à facultate, qua voluntas vtitur, à potentia scilicet externa mota ab ipsa voluntate

Sed contrà: Nam falsum est in sententia D. Thomæ, quòd vsus non sit actus ellicitus à voluntate: Nam 1. 2. in titulo quæst. 13. inquit: *Considerandum est de actibus voluntatis in comparatione ad ea, quæ sunt ad finem, & sunt tres, scilicet eligere, consentire, & vti*: vbi manifestè distinguit actum vtendi ab electione, & consensu. Deinde: nam in eadem 1. 2. quæst. 16. art. 1. inquit: *Quòd vti proprie est actus voluntatis.*

34 Sed dices, D. Thomam loqui de actu imperato, & in hoc sensu appellare vsum *actum voluntatis*. ¶ Sed contrà: Vsus est actus formaliter liber; sed facultas externa, adhuc vt mota à voluntate, non est capax libertatis formalis, vt videre est apud N. Salm. tract. 13. dis. 10. à num. 12. ergo. Tum etiam: quia ipse Ang. Doctor in quæst. cit. 16. ait: *Vsum esse actum voluntatis, vt primò moventis, & aliarum potentiarum, vt exequentium, quæ comparantur ad voluntatem, sicut instrumentum*: Sed actio instrumentaria est electivè à causa principali, non ab instrumento, vt ibidem ait D. Thomas: ergo. Tum denique: nam actus vtendi comparatur à D. Thoma in eodem loco cum *equitare*; sed equitare non est propriè actus elicitus ab equo, qui est applicatus & motus, sed ab equite, qui est applicans & movens: ergo pariformiter vsus activus est actus elicitus à voluntate, licèt passivus sit à potentia exequente.

35 Non minoris falsitatis est, quòd addit Vazquez circa electionem. Nam si electio moveret quoad exercitium potentias executivas, posita electione poneretur vsus activus, seu passivus aliarum potentiarum: sed electio in nobis non connectitur infallibiliter cum executione & vsu aliarum potentiarum dependenti ad sui executionem non solùm ab alijs hominibus, seu impedimentis extrinsecis, sed etiam ab actibus aliarum potentiarum: ergo electio non est, quæ proximè movet ad vsum aliàs potentias executivas. Minor probatur: Nam non solùm invenimus difficultates in his, quæ per alios exequenda sunt, sed etiam in his, quę per nos sunt facienda, quæ aliter ponderantur & mensurantur, quando hìc & nunc instar executio, quàm ante electionem: ergo oportet dare locum alteri actui voluntatis distincto ab electione, qui dicitur *vsus activus*, vt efficaciter moveat potentias executivas.

36 Sed respondebis cum Vazquez, omnia hæc posse prævideri per iudicium regulans & antecedens electionem, & sic electionem posse in nobis movere potentiam executivam. ¶ Sed contrà est: Tum, quia aliter res proponitur & prævidetur vt futura, seu possibilis, & quando est proxima & quasi præsens; sed per iudicium antecedens electionem res solùm prędvidetur vt futura, & quasi distans, & post electionem iam est quasi præsens: ergo illa prędvisio non tollit, quod post electionem detur aliud iudicium regulans & movens ad executionem: & consequenter non erit electio, qua voluntas moveat. Tum etiam: nam in nobis ponitur pro iudicio regulante electionem distincta virtus à virtute, quæ requiritur ad iudicium seu imperium movens ad vsum, synesis scilicet, & prudentia, vt tradit D. Thomas 6. Ethic. cap. 8. lect. 9. cum Arist. ibidem.

37 Ob hæc, & alia alij cum Carrasco concedunt antecedens; sed neg. consequentiam. Et ratio disparitatis est, quòd vsus activus distinctus ab electione dicit imperfectionem, & ideo debet ab eo relegari: præcipuè, quia in homine datur maior, & nova difficultas post electionem, quæ petit novum & diversum actum, & novam di-

diversamque virtutem;at in Deo non sic contingit, vt ex se constat. *Maximè* : Quia in nobis electio non est efficacissima ad executionem; electio verò divina est efficacissima, & ideò in nobis electio distinguitur ab vsu activo voluntatis,non verò in Deo.

Sed omnes hæ evasiones non infringunt rationem nostram, & D. Thomæ, & ideò sigillatim refelluntur. Prima: quia non ocurrit primæ nostræ probationi desumptæ ex D. Thoma, qui asserit, prædestinationem supponere electionem; sed in sententia huius Authoris electio supponit essentialiter prædestinationem: ergo vel opinio D. Thomæ est falsa; vel opinio huius Authoris, cùm dicant propositiones contradictorias.Tum etiam: licèt permittamus cum hoc Authore (quod non faciunt Godoy, & Gonet nobiscum in sententia convenientes)vsum activum voluntatis virtualiter adæquatè distinctum ab electione dicere imperfectionem, nullus tamen debet sentire, hunc actum virtualiter inadæquatè distinctum ab electione imperfectionem importare; sed cum hac distinctione inadæquata optimè componitur, quod iudicium regulans electionem non sit prædestinatio, benè verò iudicium regulans vsum activum: ergo in hoc debet consistere prædestinatio.Maior est certa, & potest pluribus exemplis ostendi, quæ nequeunt Adversarij non admittere: nam scientia simplicis intelligentiæ, & visionis concipiuntur à nobis cum distinctione inadæquata, & simili prioritate, & posterioritate: voluntas, & eius volitiones, seu actus gaudent simili distinctione; & tandem intentio, & electio concipiuntur, vt quid prius, & posterius inadæquatè. Minor verò probatur: Stante hac distinctione inadæquata, priùs intelliguntur media vt electa, quàm media vt executioni mandata: ergo etiam iudicium regulans electionem erit nostro modo intelligendi prius, quam iudicium regulans vsum activum, & executionem: ergo non in illo, sed in hoc debet consistere prædestinatio. Antecedens cum prima consequentia constat, ex eo quòd actus divinus concipimus adinstar actuum humanorum. Secunda verò consequentia probatur: In illo actu debet consistere prædestinatio, qui regulat immediatè & movet voluntatem ad vsum; sed attenta diversitate hac inadæquata ex parte electionis, & vsus activi, diversum iudicium, saltem inadæquate, est, quod immediate regulat vsum, ac electionem: ergo non in iudicio regulante electionem, sed in iudicio regulante vsum debet consistere prædestinatio. Sed hoc est imperium monasticum: ergo in imperio monastico consistit prædestinatio.

38 Sed dices: Vel vsus activus voluntatis distinguitur virtualiter adæquate ab electione, vel nullo modo distinguitur? Si dicitur primum, electio divina dicit imperfectionem; Si secundum, erit falsa nostra conclusio: ergò ruit impugnatio facta. Probatur maior: Nam iudicium regulans electionem vel nullo modo distinguitur à iudicio regulante vsum activum voluntatis, vel distinguitur virtualiter adæquatè; si primum dicatur: ergo idem dicendum erit de electione & vsu: nam tunc iudicium regulans præcederet electionem, quod est intentum Adversariorum. Si dicatur secundum: ergo etiam vsus, & electio. Patet consequentia nam inter actus voluntatis virtualitèr inadæquatè distinctos nequeunt mediare iudicia intellectus virtualiter adæquatè distincta: Et sic in Deo, vel dicendum est, quod synesis, & prudentia non distinguntur virtualiter, quod nos ægrè ferimus: vel dicendum est, vsum, & electionem, ad quas dantur illæ virtutes, distingui virtualiter adæquatè, quod dicit imperfectionem.

Ad hanc obiectionem respondetur *primò*, permittendo iudicia huiusmodi non distingui virtualiter adæquatè. Sed quid inde, vt non distinguantur virtualiter inadęquatè? Sicut electio, & vsus activus, & alij actus voluntatis divinæ cum prioritate & posterioritate assignata. In qua suppositione, dicendum erit, quòd estò huiusmodi iudicia non distinguantur virtualiter adæquatè, sed tantùm inadæquatè; prædestinatio nostro modo intelligendi supponit inadæquatè iudicium regulans electionem, vt vult D. Thomas.

39 Respondetur *secundò*, quòd estò electio, & vsus non distinguantur virtualiter adæquatè; iudicia tamen possunt distingui virtualiter adæquatè, & pertinere ad diversas lineas adæquatè distinctas: Nam non inconvenit, quòd inter actus voluntatis virtualiter inadæquatè distinctos dentur actus intellectus, qui distinguantur virtualiter adæquatè. Quod confirmari potest exemplis plurimis tàm in creatis, quam in divinis. Gratia enim vt *auxilians*, & vt *iustificans* solùm est distincta inadæquate; & tamen mediant vltimę dispositiones. Similiter intellectio vt *dictio*, & vt *contemplatio* solùm inadæquatè distinguntur; & tamen mediat verbum realiter distinctum.In divinis etiam paternitas vt *forma hypostatica*, & vt *relatio* solùm inadęquatè distinguntur; & tamen mediat processio virtualiter adæquatè distincta. Et vt ad rem magis accedamus: intentio & electio solùm inadęquatè distinguntur; & tamen in sententia huius Authoris intentio regulatur per iudicium scientię, & electio per iudicium synesis, quæ in eius sententia est formaliter eminenter prudentia.

40 Nec valet dicere, quòd intentio, & electio distinguantur virtualiter adæquatè, eo quòd habent obiecta formaliter diversa: intentio enim respicit finem, electio verò media. ¶ Contra *primò*: Nam nequit dari potentia virtua-

tualiter adequatè à suo actu distincta, vt excludat nobiscum à Deo omnem potentialitatem. Unde vel dicendum est, intentionem, & electionem non distingui virtualiter adæquatè; vel fatendum est, voluntatem divinam habere rationem potentiæ respectu electionis. ¶ *Secundò*: Nam intentio, & fruitio finis attingunt idem obiectum, nempè finem; & tamen mediant vsque ad fruitionem iudicia virtualiter adæquatè distincta: ergo. Si dicit, quòd etiam fruitio, & intentio respiciunt finem diverso modo; & hoc sufficit, vt petant diversa iudicia; quod non valet dici de electione, & vsu activo voluntatis. Nullam certò invenio disparitatem, adhuc in singulari modo huius Authoris. Unde firmissimè tenendum est, electionem, & vsum activum voluntatis divinæ solùm virtualiter inadæquatè distingui, estò iudicia præcedentia, vtpotè pertinentia ad virtutes diversas, nempè ad synesim, & prudentiam, distinguantur virtualiter adæquatè.

41 Ratio verò huius differentiæ optimè traditur à N. Salm. 1. 2. quæst. 57. art. 6. num. 5. Nam hoc est discrimen inter actus intellectus, & voluntatis, quòd perfectio intellectus attenditur in ipso intellectu, trahit namque ad se res, indeque se extendit ad ea, quæ sunt extrà. Unde quicumque actus intellectus est capax rectitudinis illius, habet eam absolutè & completè in seipso, hoc est non per modum inchoationis & tendentiæ in alterum, licèt aliàs & materialiter ad alterum ordinetur; & hac ratione intellectus æquè primò specificatur à principijs, & conclusionibus. Perfectio verò voluntatis attenditur secundùm processum ad res, prout sunt ad *extrà*, scilicèt ad finem: nam bonitas primò est in rebus, indeque per approximationem ad finem participatur à voluntate, & eius actibus: Vnde quotquot actus voluntatis præcedant, non est in eis consummata bonitas vsque ad finis consecutionem, sed tantùm inchoata: ideoque non ponitur diversa virtus pro eis, & nisi detur limitatio, non debet permitti distinctio virtualis adæquata. Ob hanc ergo rationem intentio, consensus, electio, & vsus, nec petunt in nobis, & in Deo diversam virtutem, nec distinguuntur virtualiter adæquatè. Actus verò intellectus, vt sunt cognitio principiorum, & conclusionum, qui pertinent ad lineam speculativam; & consilium, iudicium, & imperium pertinentia ad lineam practicam, petunt diversas virtutes tàm in nobis, quam in Deo; & ob hoc distinguuntur virtualiter adæquatè. Quam rationem differentiæ mirè tradidit D. Thomas 2. 2. quæst. 51. art. 2.

42 Secunda evasio, quam adducit P. Carrasco, non minùs efficaciter refellitur: Nam ad multiplicandos actus virtualiter adæquatè in Deo, non requiritur, quòd ex parte sui detur nova difficultas, sed sufficit, quòd detur ex parte obiecti; sed executio mediorum secundùm se & ex parte obiecti addit novam, & maiorem difficultatem supra electionem illorum, vt patet in homine: ergo ex parte intellectus requirunt iudicia virtualiter adæquatè distincta, quæ vincant huiusmodi difficultatem. Maior, in qua est difficultas, probatur pluribus exemplis: In Christo non est specialis difficultas ex parte sui ad attingentiam obiectorum virtutis; & tamen quia ex parte obiecti datur hæc difficultas, ponimus in Christo virtutes morales naturales. In Deo etiam non datur aliqua difficultas nec ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis; & tamen ponimus in eo ex parte intellectus scientiam, artem, prudentiam &c. Et in voluntate misericordiam, & iustitiam. Et vt magis ad rem accedamus, electio mediorum non addit ex parte Dei novam difficultatem supra intentionem finis; & tamen in intellectu ad earum regulationem ponit iste Author diversas virtutes, imò concedit, intentionem, & electionem distingui virtualiter adæquatè: ergo idem dicendum est de electione, & vsu.

43 Tertia evasio, in qua magis confidit hic Author, etiam refellitur. Nam estò electio sit efficacissima, non tollit, quòd detur vsus virtualiter distinctus adæquatè, vel inadæquatè ab electione: ergo debet concedi. Antecedens probatur: Tum, quia in tantùm salvatur hæc efficacia in electione, in quantum non distinguitur ab vsu realiter; sed hoc non tollit, quòd detur post electionem vsus aliquo modò posterior ipsa electione: ergo. Tum etiam: quia intentio præcedens electionem non minùs efficax est, quàm electio; & tamen concedit posteà electionem virtualiter distinctam: ergo idem dicendum est de vsu comparativè ad electionem. Tum denique, & efficacius: nam prædestinatio debet esse ab intrinseco efficax: ergo iudicium, in quo consistit, debet non solùm ab extrinseco, sed etiam ab intrinseco esse efficax; sed iudicium præcedens electionem non est, in sententia huius Authoris, ab intrinseco efficax, eo quòd dependet ab acceptatione voluntatis posteà sequuta: ergo in hoc nequit consistere prædestinatio.

§ III.

Alijs rationibus probatur conclusio.

44 SEcundò probatur nostra conclusio: Prædestinatio consistit formaliter in actu prudentiæ, seu providentiæ; sed actus præcipuus prudentiæ est imperium seu præceptum: ergo prædestinatio consistit essentialiter in actu imperij. Maior est expressa D. Thomæ plurib. in locis. Et minor probatur tum ex Div. Thoma, qui, vt suprà vidimus ex 6. Ethic. assignat prudentiæ, vt actum præcipuum *imperare* seu

ſeu *præcipere*. Tum etiam: nam ſemel quòd prædeſtinatio conſiſtat in actu intellectus, debet conſiſtere eſſentialiter in actu principaliori & perfectiſsimo rationis practicę; ſed huiuſmodi eſt imperium: ergo in imperio debet conſiſtere prædeſtinatio. Maior admittitur ab Adverſarijs: & meritò, nam, vt ſuprà vidimus, prædeſtinatio eſt efficax ordinatio mediorum ad conſecutionem finis. Minor verò probatur ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 57. art. 6. vbi ait: *In omnibus potentijs illa eſt principalior, quæ ad principaliorem actum ordinatur: circa agibilia humana tres actus rationis inveniuntur, quorum primus eſt conſiliari, ſecundus iudicare, tertius præcipere. Manifeſtum eſt autem, quòd in his, quæ per hominem fiunt, principalis actus eſt præcipere, ad quem alij ordinantur: quia primi duo actus reſpondent actibus intellectus ſpeculativi, ſed tertius eſt propriè intellectus practici.*

45 Huic rationi reſpondent *primò* Adverſarij concedendo mai. & neg. min. ſi intelligatur de providentia ſeu prudentia divina, licèt illam concedant de prudentia humana. Dicunt enim, quòd eſtò prudentia tàm divina, quàm humana dicant vt actum proprium *præcipere*; aliter tamen & alitèr: nam prudentia humana reſpicit præceptum ſeu imperium, vt actum primarium; prudentia verò divina vt actum conſequentem ſeu ſecundarium. Prudentia humana habet vt proprium actum non ſolùm imperium executivum, quod eſt in ordine ad ſubiecta externa ſeu potentias exteriores, ſed etiam imperium monaſticum in ordine ad voluntatis actus: inter quæ hæc eſt differentia, quòd illud primum eſt actus ſecundarius, ſecundum verò eſt actus primarius. Prudentia autem divina ſolum habet imperium executivum, quod coincidit cum externa gubernatione; non verò monaſticum, hoc eſt reſpectu actus voluntatis propriæ, quia hoc ſupponit inferioritatem, ſubordinationem, & imperfectionem. Sed adhuc in illo imperio executivo non conſiſtit prędeſtinatio: quia eſt actus proprius potentiæ executivę, ſupponens vſum activum voluntatis divinæ. Sic dicti Authores: & hoc pacto conciliant omnia teſtimonia D. Thomæ cum ſua ſententia: quia ex vna parte aiunt, iudicium præcedens actum electionis eſſe præcipuum & primarium actum divinæ providentię, ideòque prædeſtinationem eſſe actum prudentię divinæ, & non imperium monaſticum; & ex alia, quòd prudentia divina importat aliquod imperium reſpectu creaturarum.

Sed contrà: quia hæc ſolutio opponitur clarè D. Thomæ, qui loco à nobis citato ait, prædeſtinationem ſupponere electionem; ſed electio ſupponit iudicium illam regulans: ergo prædeſtinatio nequit in hoc iudicio conſiſtere: ergo cum prædeſtinatio ſit actus principalis & primarius prudentię divinæ, manifeſtè infertur, illud iudicium non eſſe actum prudentiæ, ſed alterius anterioris virtutis. Idem tradit quæſt. 6. *de Verit.* art. 1. vbi ait: *Prædeſtinatio præſupponit electionem, electio verò dilectionem.* Tum etiam: quia prudentia humana reſpicit vt actum primarium *præcipere*: ergo etiam prudentia diviua. Prob. conſeq. Ideò prudentia humana reſpicit *præcipere* vt actum primarium, quia eſt actus præcipuus lineæ practicæ; ſed hæc ratio militat etiam in prudentia divina: ergo. Prob: min. Nam hoc ipſo, quòd *præcipere* ſit actus præcipuus lineæ practicæ, ſivè ſit imperium monaſticum, ſivè purè executivum, de quo infrà, petit, quod ſit actus primarius virtutis: nam actus primarius eſt nobilior omnibus alijs.

46 Dices: hoc verum eſſe, ſi ſit actus elicitus, non verò ſi eſt actus imperatus: imperium autem, quod concedunt Deo Adverſarij, ſolùm eſt actus elicitus potentię executivæ, imperatus tamen tàm ab electione, quàm à iudicio illam præcedente & regulante. ¶ Sed contrà: In alijs virtutibus, & potentijs, quæ reperiuntur in Deo formaliter, idemmet actus, qui eſt primarius, & elicitus in creatis, eſt etiam in divinis, vt inductivè poteſt oſtendi: idemmet actus primarius correſpondens charitati creatæ, eſt actus primarius charitatis divinæ, nempè, amor amicitiæ: idem etiam actus, qui correſpondet lumini glorię, correſpondet etiam intellectui divino: ergo idem dicendum eſt de prudentia divina.

Deinde impugnatur ſecunda ratio differentiæ. Nam in Deo non ſolum datur imperium executivum reſpectu actuum exteriorum; ſed etiam imperium reſpectu actus voluntatis divinę; ſed ob denegationem huius imperij non conſtituunt in illo prædeſtinationem: ergo in illo debet conſiſtere. Prob. mai. Ideó in creatis datur hoc imperium monaſticum, quia non requirit ſubordinationem & inferioritatem ſuppoſitorum, ſed tantùm potentiarum; ſed hęc ratio probat monaſticum imperium in Deo: ergo. Prob. min. Tum, quia cum diſtinctione virtuali adęquata inter intellectum, & voluntatem divinam optimè componitur ſimilis ſubordinatio, ſuperioritas, & inferioritas inter illas; ſed hæc ſubordinatio ſufficit ad imperium monaſticum: ergo. Maior eſt certa: nam iſtæ potentiæ ſunt inter ſe connexę adhuc in divinis, cum nec Deus poſsit amare ſine propoſitione ſui intellectus: ergo ſunt inter ſe ſubordinatę, ſicut ſunt connexæ, & diſtinctæ. Min. prob. Cum hac diſtinctione, & ſubordinatione ſtat in ſententia huius Authoris motio efficax intellectus divini reſpectu electionis divinæ: quare ergo non poterit ſtare cum hac diſtinctione & ſubordinatione virtuali imperium monaſticum imperans & movens voluntatem ad vſum activum. Tum

deni-

denique: nam in sententia huius Authoris hoc iudicium præcedens electionem movet ad vsum: ergo iste manebit virtualiter subordinatus huic iudicio: quare ergo non poterit idem dici de imperio, quod ille vocat *monasticum.*

47 Secundò respondent, Deo repugnare imperium monasticum seu prudentiam monasticam, non solùm ex capite subordinationis, sed etiam ex capite ordinationis in finem. Sentiunt namque esse proprium imperij monastici dirigere agens intellectuale, vt ordinet suas operationes ad aliquem finem: in Deo verò hoc nequit verificari, cùm omnes suæ operationes sint vltimus finis.

Sed contrà: Nam estò repugnet Deo ordinare suas operationes in aliquem finem, tanquam in veram causam finalem, non tamen repugnat illi agere propter finem, qui sit ratio finalis suarum operationum: ergo ex hac parte non repugnat prudentia monastica. Probatur tum ex D. Thoma 1. Contra gent. cap. 86. vbi ait: *Finis est ratio volendi ea, quę sunt ad finem: Deus autem vult bonitatem suam tanquam finem: sua ergo bonitas est ratio, quare vult illa, quæ sunt diversa ab ipsa.* Et quia hæc verba possent interpretari, quòd hæc ratio finalis potiùs exercetur circa obiecta externa, quàm circa proprias operationes, præoccupatur hęc evasio cum his, quæ addit, nempè *quamvis autem aliqua ratio divinæ voluntatis assignari possit, non requiritur, quòd voluntatis eius sit aliqua causa.* Tum etiam: quia divina bonitas allicit & movet, seclusis imperfectionibus, voluntatem Dei, vt creaturas diligat, & producat: ergo exercet rationem finis, qui est vera ratio vt *talis* respectu suorum actuum. Antecedens probatur: quia Deus ex præcognitione, & amore propriæ bonitatis movetur ad diligendum, eligendum, & producendum creaturas: ergo. Tum denique: quia voluntas divina debet habere aliquod obiectum, quod sit vera causa, vel vera ratio à priori; sed obiectum proprium voluntatis est finis: ergo. Sed pro hoc videantur omnino N. Salm. tract. 8. disp. 2. dub. 4. *per totum.*

48 Tertiò respondent, præcipuam & principalem rationem, quare Deo denegatur prudentia monastica, & conceditur imperium executivum, esse, quia pro priori ad illud intelligitur in Deo iudicium dirigens electionem, quod est ab intrinseco efficax, non solùm ad electionem, sed etiam ad executionem mediorum, pro quo munere ponitur à nobis hoc imperium monasticum. Sed pro impugnatione huius evasionis, quæ est præcipuum asylum Adversariorum, proponitur tertia ratio nostrę conclusionis.

49 Probatur *tertiò* nostra conclusio. Ad providentiam perfectam pertinet non solùm disponere & ordinare de medijs, vt à voluntate sint volita & amata, quod fit per electionem; sed vt defactò, & secundùm vsum eorum ad *extrà* finem assequantur: ergo vltra ordinationem, quæ ponitur à iudicio practico antevertente electionem, debet dari aliud iudicium seu imperium practicum, quo ordinet media, & in re ponantur. Antecedens admitticur ab omnibus: & meritò, quia est expressa doctrina D. Thomæ 1. 2. quæst. 16. art. 4. vbi hæc habet: *Dicendum, quòd voluntas duplicem habet habitudinem ad volitum: vnam quidem secundùm quòd est quodammodò in volente per quandam proportionem, vel ordinem ad volitum, sed sic habere volitum est imperfectè habere illud. Omne autem imperfectum tendit ad perfectionem, & ideo tàm appetitus naturalis, quàm voluntarius tendit, vt habeant ipsum finem realiter, quod est perfectè habere ipsum. Et hæc est secunda habitudo voluntatis ad volitum. Vltimum autem, quod pertinet ad primam habitudinem voluntatis respectu eorum, quæ sunt ad finem, est electio: ibi enim completur proportio voluntatis, vt complete velit id, quòd est ad finem: sed vsus iam pertinet ad secundam habitudinem voluntatis, qua tendit ad consequendum finem. Vnde manifestum est, quòd vsus sequitur electionem.* Ex quibus verbis manet probata consequentia; nam per electionem solùm habentur imperfectè ea quæ sunt ad finem, nempè vt *dilecta*: ergo iudicium antevertens electionem solùm disponit & ordinat media, vt hoc modo imperfecto habeantur: ergo requiritur aliud iudicium, quo intellectus ordinet media, vt tàm ipsa, quàm finis in re & perfectè habeantur; sed hoc est imperium: ergo in hoc debet prudentia divina consistere, & consequenter prædestinatio.

50 Dices, hanc doctrinam D. Thomæ veritatem habere in creatis, vbi tàm intellectus, quàm voluntas imperfectè procedunt; Deus verò elevatiori modo procedit: & propterea per electionem divinam habentur media, non solùm affectivè, sed etiam in re. Vnde electio est formaliter eminenter vsus: quapropter iudicium antevertens electionem divinam non solùm ordinat media, vt habeantur per affectum, sed etiam in re: & ideo non requiritur aliud iudicium subsequens gaudens maiori efficacia.

Hanc solutionem tradit Carrasco, quam prius tradiderat P. Vazq. Sed contra illam sic insurgo: In Deo, seclusis imperfectionibus, finis terminat duplicem actum distinctum virtualiter adæquatè, vel virtualiter inadæquate inter quos datur aliqua successio, itaut vnum terminet præcisè in affectu, alium verò vt habitus in re: ergo etiã media possunt terminare duplicem actum eodem modo distinctum, itaut vnum terminent in affectu, & alium vt habita in re. Consequentia est legitima. Antecedens verò probatur: Nam volũtas divina per intẽtionem solùm habet finem in affectu;

ctu; sed vltra hunc actum finis terminat fruitionem, vt habitus in re: ergo.

Vrgetur hæc ratio: Ideò intentio, nostro modo intelligendi, solùm habet in Deo finem affectivè, quin dicat imperfectionem, quia post intentionem non movetur ab aliquo extrinseco, & aliunde sua intentio est realiter, & fortè formaliter adæquatè electio, & vsus, quibus habetur finis in re; sed hęc ratio probat, quòd electio ex meritis ipsius electionis solùm habeat media purè affectivè, relinquendo locum alteri actui, medio quo habeat illa in re: ergo idem dicendum est de electione divina comparativè ad media, ac de intentione comparativè ad finem. Probatur minor: Quia etiam voluntas divina ad vsum, seu executionem non movetur ab aliquo extrinseco; & aliunde ipsa electio est realiter, & fortè formaliter adæquatè vsus activus voluntatis: ergo absque vmbra imperfectionis electio divina ita potest respicere media purè affectivè, vt vsus subsequutus assequatur illa in re.

§. IV.

Solvuntur argumenta sententiæ contrariæ.

51 COntra nostram conclusionem arguitur *primò*: In nobis non datur imperium monasticum, quo intellectus dirigat, & moveat efficaciter voluntatem proprij suppositi: ergo nec in Deo: ergo in illo non consistit prædestinatio divina. Vtraque consequentia videtur legitima. Et antecedens probatur *primò*: Imperium monasticum ad nullam ex operationibus intellectus pertinet, cùm nec sit simplex apprehensio, nec iudicium componens, aut dividens, nec discursus ab vno in aliud: ergo ad nullam operationem intellectus pertinet. *Secundò*: Non datur oratio eiasdem ad seipsum: ergo neque imperium. Patet consequentia: quia sicut orare est actus inferioris ad superiorem, ita imperare est actus superioris ad inferiorem. *Tertiò*: Quia nullus potest sibi imponere legem: ergo nec potest sibi imperare, quia lex in imperio consistit. *Quartò*: Si daretur in nobis hoc imperium, esset. quia in nobis est prudentia; sed actus prudentię non est imperium monasticum, sed tantùm iudicium: solùm enim tradit regulam & modum faciendi, non verò facit: ergo. *Quintò*: Quia in nobis non datur donum Spiritus sancti, quod sit donum imperij ad operandum ea, quæ fides dictat: ergo. Antecedens est certum: quia non annumeratur inter septem dona, quæ referuntur 11. Isai. Et consequentia probatur: Nam pro cæteris actibus conducentibus ad perfectionem speculativam, & practicam fidei dantur specialia dona, vt D. Thomas docet 2. 2. quæst. 8. art. 2. *Sextò*: Quia in brutis, supposito iudicio sensus, & actu appetitus sensitivi, non est necessarius alius actus ad executionem operis, qui dicatur *imperium*: ergo neque in homine, supposito iudicio practico proponente & dirigente ad electionem, & ipsa electione, erit necessarium imperium. Patet consequentia: quia agentia, quantò sunt superiora, indigent paucioribus actibus ad executionem operis. *Septimò*: Quia ad electionem mediorum, & intentionem & volitionem finis non requiritur imperium, estò sint liberæ: ergo neque ad vsum. Antecedens est certum: quia in nostra sententia hoc imperium est post prædictam volitionem finis, & electionem mediorum. Consequentia verò probatur: quia eadem est ratio de vno ac de alijs actibus. *Octavò*: Vt detur hoc imperium, requiritur, quòd potentia executiva percipiat illud; sed nulla potentia executiva percipit hoc imperium; non voluntas, cum non sit cognoscitiva; nec aliæ potentiæ executivæ, cum dependeant ab vsu activo voluntatis: ergo.

52 Confirmatur *primò*: Si daretur tale imperium in nobis, tolleretur nostra libertas. Probatur sequela: Nam posito hoc imperio non potest non poni actus imperatus, cùm in nostra sententia sit infallibiliter efficax: ergo tolleretur ex vi illius libertas.

Confirmatur *secundò*: Quia imperium non movet voluntatem, vel cæteras potentias quoad exercitium; sed neque quoad specificationem: ergo non est necessarium. Patet consequentia: quia si datur, non potest ad aliud deservire. Maior etiam est certa: nam principium huius motionis quoad exercitium est voluntas, vt tradit D. Thomas 1. 2. quæst. 9. artic. 1. Minor probatur: quia ad hoc sufficit iudicium, quod dirigit, & movet ad electionem.

53 Confirmatur *tertiò*: Nam imperium hoc, si daretur, reciperet à voluntate efficaciam; sed illam non recipit à voluntate: ergo non datur. Probatur minor: Si acciperet efficaciam à voluntate, vel esset ab actu antecedenti, vel à consequenti; neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem: quia nullus actus voluntatis antecedens est ab intrinseco efficax in ordine ad executionem, alias superflueret vsus activus voluntatis, & consequenter imperium ad illum requisitum. Quoad secundam partem etiam probatur: quia implicat, idem esse causam, & effectum in eodem genere causæ; sed si actus consequens esset efficax, movensque voluntatem ad vsum, esset causa efficiens illius; alias etiam esset effectus in eodem genere causæ, cum per illum communicaret voluntas suam efficaciam imperio: ergo per nullum actum voluntatis potest participare imperium hanc efficaciam.

54 Ad hoc argumentum respondetur negando antecedens. Et ad eius primam probationem respondetur cum D. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 1. *Quòd illi tres actus pertinent ad rationem speculativam, sed vlterius ad rationem*

pra-

practicam pertinet causare aliquid per modum imperij, vel per modum petitionis, vt dictum est. Quod imperium explicatur per enuntiationem imperativi modi, dicendo *fac hoc.*

Ad secundam probationem respondetur, esse disparem rationem inter orationem, & imperium: Nam oratio non solùm est inferioris ad superiorem, sed etiam indigentis ea re, quæ petitur: quia non est in manu sua illam habere, & sic petit ab eo, qui illam dare potest: Potentiæ autem inferiores, hoc ipso quòd sint in eodem supposito, non sunt capaces indigentię respectu eorum, quæ in voluntate propria sunt: quia voluntas, cum sit totius suppositi, est voluntas omnium potentiarum eius, & omnibus ministrat: quare frustrà quis oraret pro potentia inferiori, vt acciperet id, quod in manu suæ voluntatis est, vt accipiat; ideoque potentiæ inferiori non convenit orare, sed subjici & obedire. Præterquàm quòd oratio est actus proprius intellectus, qui cùm sit nobilissima potentia, non potest orare ad aliam potentiam eiusdem suppositi.

Ad tertiam respondetur concedendo antecedens; & neg. conseq. Cuius discriminis ratio est: quia lex est regula ordinans de bono communi, non de privato: ideoque potest quis sibi imponere obligationem de bono privato, vt patet in voto; non tamen legem, nisi indirectè: lex siquidem respicit directè multitudinem.

Ad quartam respondetur, imperium, seu actum prudentiæ politicæ, seu regnativæ, esse solùm directivum in nobis: quia datur in ordine ad alia supposita distincta, in ordine ad quæ nullam efficaciam habet nostrum imperium: hoc tamen imperium in Deo non solùm est directivum, sed etiam eliciti vum, saltem imperativè. Cæterùm actus imperij monastici tàm in Deo, quàm in nobis est non solùm directivus, sed etiam impulsivus: quia efficaciter movet ad vsum, quo mediante voluntas movet potentias executivas ad elicientiam suarum operationum.

55 Ad quintam respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicimus, quòd licèt donum præcepti, quod correspondet prudentiæ, non annumeretur pro expresso inter septem dona Spiritus sancti, reverà datur, & significatur nomine doni *consilij*. Ratio verò, quare insignitur hoc nomine, traditur à D. Thoma 2.2. quæst. 52. art. 2. ad 3. per hæc verba: *Dicendum, quòd iudicare, & præcipere non est moti, sed moventis; & quia in donis Spiritus-sancti mens humana non se habet vt movens, inde est, quòd non fuit conveniens, vt donum Spiritus-sancti correspondens prudentiæ præceptum diceretur, vel iudicium, sed consilium, per quod potest significari motio mentis consiliatæ ab alio consiliante.* Et certè si hæc ratio vrgeret, vrgeret pariter contra iudicium supponens consilium, præcedens, & regulans electionem.

Ad sextum respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam ob notam disparitatem inter bruta, & homines, quam tradit D. Thomas 1. 2. quæst. 174. art. 2. ad 3. vbi inquit: *Aliter invenitur impetus ad opus in brutis animalibus, & aliter in hominibus. Homines enim faciunt impetum ad opus per ordinationem rationis. Vnde habet in eis impetus rationem imperij: in brutis autem fit impetus ad opus per instinctum naturę. Vnde ordinantur ab alio ad agendum, non autem seipsa ordinant ad actionem: & ideo in eis est impetus, & non imperium.* Ad id quod additur pro eius probatione: Respondetur, quòd non ob hoc in brutis ad motus eorum reperiuntur paciores actus: nam loco imperij nostri succedit in brutis imperium divinum, ratione cuius ordinantur ad prædictum opus.

56 Ad septimam respondetur, duplicem esse ordinem actus intellectus, & voluntatis: alterum directum, & alterum reflexum. Inter quos hæc est differentia, quòd in ordine directo actus feruntur directe in obiecta, vt si volumus sanitatem, eligimus medium ad illam proportionatum; deinde imperamus membro externo, vt illud mandet executioni, & tandem vtimur illo. In quo ordine, qui præcipuus est, electio præcedit imperium, & hoc præcedit vsum, & applicationem tàm voluntatis, quàm membri externi ad executionem medij, & obtentionem finis. In ordine verò reflexo actus reflectuntur supra seipsos: & in hoc ordine imperium præcedit quemlibet actum voluntatis, quia cum amamus aliquod obiectum, tunc ille amor per quandam reflexionem & est consensus in ipsum amorem, & electio eiusdem amoris, & vsus voluntatis, quoad eliciendum prædictum amorem applicatur; & ideo iudicium illum præcedens etiam potest dici quodammodò imperium, & præcedere electionem. Hæc solutio continet genuinam doctrinam D. Thomę: nam eam quoad primam partem docet 1. 2. quæst. 17. art. 3. ad 1. Et quoad secundam tradit in eadem 1. 2. quæst. 16. art. 4. ad 3.

Ad vltimam respondetur; quòd vt voluntas sequatur ductum intellectus & ab eo dirigatur, non requiritur, quòd ipsa voluntas percipiat id, quod intellectus proponit, sed quod appetat; non enim appetitus operatur percipiendo per seipsum, sed id, quod percipit homo per intellectum, sequitur appetitus per seipsum.

57 Ad primam confirmationem respondetur, quòd etsi actus voluntatis sequatur infallibiliter actum imperij perfecti, non ob hoc tollitur absolute libertas: quia solùm est necessitas ex suppositione dependens ex libera motione voluntatis. Diximus *imperij perfecti*: quia po-

test dari aliquod imperium inefficax & imperfectum, ad quod non sequatur infallibiliter actus imperatus: ex eo quòd multoties ex diversis capitibus inducitur ad imperandum, & non imperandum; & ideo fluctuat, nec perfectè imperat: vnde aiebat Magnus Parens August. lib. 8. Confess. cap. 9. *Imperat animus, vt velit animus, nec tamen facit.* Quæ verba sic exponit D. Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 5. ad 1. *Dicendum, quod sicut Augustinus ibidem dicit, animus quando perfectè imperat sibi, vt velit, tunc iam vult; sed quòd aliquando imperet, & non velit, hoc contingit ex hoc, quòd non perfectè imperat. Imperfectum autem imperium contingit ex hoc, quòd ratio ex diversis capitibus movetur ad imperandum, vel ad non imperandum; vnde fluctuat inter duo, & non perfectè imperat.*

Ad secundam respondetur, quòd imperium movet voluntatem tàm quoad specificationem, quam quoad exercitium: nam estò iudicia præcedentia ad electionem moveant vtroque modo, hoc est in ordine intentivo & affectivo, restat hæc motio vtroque modo in ordine executivo, quod præstat imperium efficax. Nec obstat probatio ibi data: nam licèt voluntas sit primum movens quoad exercitium, intellectus tamen ex participatione voluntatis potest hoc modo movere. Etenim efficacia imperij ad movendum potest considerari & quoad substantiam, & quoad modum, nempè, cum quadam intimatione & ordinatione ad alterum. Ex quibus efficaciam absolute participat à voluntate, & in hoc sensu dicitur, quòd voluntas est primum movens quoad exercicium. Secundum verò competit imperio intellectus secundùm se. Sed vrget difficultas, medio quo actu voluntatis imperium participet efficaciam quoad substantiam? Pro quo sit:

§. V.

Solutio tertiæ Confirmationis.

58 AD tertiam confirmationem, quæ æquè vrget pro iudicio practico & efficaci præcedente electionem concesso ab Adversarijs, potest responderi duplici solutione fundata in doctrina N. Salmanticensium locis infrà referendis. Primò enim respondetur permittendo, quòd imperium accipit efficaciam ab actu voluntatis, quem dirigit, id est ab vsu activo immediate sequuto ad ipsum imperium, sicut iudicium determinatum præcedens electionẽ participat suam efficaciam ab ipsa electione, quam regulat: ita vt inter vtrunque actum detur mutua causalitas in diverso genere causæ: nam iudicium seu imperium, modo infrà referendo, est prius actu voluntatis in genere causæ formalis extrinsecæ; & actus voluntatis inde sequutus est prior iudicio regulante in genere causæ efficientis. Et quamvis hæc solutio aliquibus viris doctis videatur difficilis; sufficit tamen ad magnam ei probabilitatem conciliandam authoritas N. Salm. qui eam tradunt tract. 7. disp. 10. à num. 270, eamque docent Mag. Bañez 1. part. quæst. 63. art. 3. concluf. 3 Zumel ibidem, Gonet disp. 13. *de Angel.* à num. 148. Bolivar in præf. dub. 1. num. 44. & alij. Neque desunt exempla pro maiori munimine huius solutionis: primum est actus fidei, qui in probabili sententia ita est prior pia affectione voluntatis in genere causæ formalis, vt sit ea posterior in genere causæ efficientis. Secundum est iudicium practicum regulans primum peccatum Angeli: neque enim aliter potest explicari, quomodò præcedat aliquis defectus moralis in eius intellectu, nisi detur mutua prædicta causalitas inter actum intellectus, & voluntatis.

59 Sed contra eam plura nobis objicit Ferre 1. 2. tàm num. 654. quàm num. 720. *Primò*: Nam ideò in via D. Thomæ imperium est efficax ad movendam voluntatem quoad exercitium, quia supponit electionem efficacem huius medij præ alio: ergo nequit habere efficaciam ab actu, quem dirigit. ¶ *Secundò*: Nam saltem iudicium determinatum præcedens & dirigens primum actum voluntatis in se est omnino necessarium: ergo si infallibiliter infert prædictum actum, erit etiam omnino necessarius. ¶ Confirmatur hoc *primò*: Nam huiusmodi actus voluntatis proximè sequitur ductum præfati iudicij determinati, quamvis remotè sequatur ductum iudicij indifferentis: ergo si iudicium determinatum in se est necessarium etiam actus voluntatis inde sequutus. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam propterea defendunt Thomistæ, auxilium efficax non auferre libertatem, quia voluntas operatur instructa iudicio indifferenti; sed, posito hoc iudicio determinato voluntas non operaretur vt instructa iudicio indifferenti, cum repugnet operari ex iudicio indifferenti, & determinato; ergo.

Tertiò: Nam aliàs superflua esset prædeterminatio physica Dei ad actum voluntatis, cum sufficienter determinetur voluntas ad exercitium sui actus à iudicio hoc determinato. ¶ *Quartò*: Nam ex nostra sententia sequitur, quòd intellectus sit primum movens quoad exercitium: siquidem in ordine ad primum iudicium non movetur à se, sed à Deo: sed hoc est contra D. Thomam 1. 2. quæst. 9. art. 1. & quæst. 17. art. 1. ergo. ¶ *Quintò*: Nam in sententia D. Thomę & Thomistarum intellectus tantùm movet voluntatem quoad specificationem, sed, posito hoc iudicio determinato, etiam movet quoad exercitium: ergo. ¶ *Sextò*: Nam solum imperium, in via Div. Thomæ, movet quoad exercitium: ergo vel non datur iudicium determinatum movens voluntatem infalli-

bi-

biliter ad quemlibet sui actum ; vel non distinguitur ab imperio.

60 *Tandem* : Nam ægrè percipitur á pluribus, de quorum numero est Mag. Serna in tract. *de Angelis* quæst. 63. art. 1. dub. 1. qualiter intercedere possit dicta mutua causalitas inter causas exigentes formaliter existentiam pro eo signo, quo intelliguntur causare, vt in præsenti contingit. Nam in primis iudicium determinatum dirigens quemlibet actum voluntatis est prius, vt dirigit, & non dirigit nisi vt *existens*: deinde actus voluntatis ex eo sequutus concurrit efficienter ; & causa efficiens non concurrit nisi vt *existens*. Adde *primò* : Nam quamvis iudicium præcedens alium actum voluntatis non concurreret in genere causę efficientis, hoc de imperio movente videtur denegari non posse: ergo essent causa, & effectus in eodem genere causę. Adde *secundò* : Nam hæc solutio videtur opponi D. Thomæ, qui 1.2. quæst. 17. art. 1. expresse tradit, intellectum movere voluntatem ad posteriorem eius actum in virtute alterius actus illius præcedentis.

61 Hęc ad speciem difficilia sunt. Sed æque vrgent in iudicio determinato stabilito ab Adversarijs, nisi velint dicere cum pluribus Authoribus, quòd huiusmodi iudicium determinatum præcedens electionem quoad sui efficaciam dependet ab approbatione voluntatis posteà sequuta. Quod tamen netas est dicere: Tum quia prædestinatio in sententia Thomistarum est ab intrinseco efficax : ergo iudicium determinatum præcedens electionem, in quo consistere prædestinationem aiunt, non dependet quoad sui efficaciam ab approbatione extrinseca voluntatis. Tum etiam : nam posito imperio, aut iudicio determinato, vel infallibiliter sequitur approbatio voluntatis; vel non? Si dicatur primum : ergo pro priori ad approbationem est ab intrinseco efficax. Si dicatur secundum : ergo est ab extrinseco efficax, sicut de auxilijs indifferentibus solent dicere sectatores scientiæ mediæ.

62 Ad primum ergo respondetur : fatendo quòd imperium directum est efficax, quia supponit electionem. Hęc tamen ratio non est adæquata : nam iuxta hanc solutionem, quę magnam probabilitatem habet in via Div. Thom. hoc imperium, quamvis ad sui efficaciam debeat præsupponere electionem mediorum, ab ea verò non accipit totam illam efficaciam prærequisitam in eo ad movendam voluntatem in ordine practico, qui ex se præsefert novam difficultatem supra ordinem intentivum & speculativum consummatum in electione ; & hanc efficaciam à nullo alio potest participare, nisi ab actu quem dirigit cum mutua prioritate suprà descripta.

63 Ad secundum respondetur, quòd diversimode loqui debemus de iudicio determinato regulante primum actum voluntatis, ac de iudicio dirigente alium posteriorem actum. Nam iudicium determinatum dirigens actum (v.g.) electionis, cùm præsupponat intentionem finis, potest optime formari dependenter à nostra voluntate, quia ex huiusmodi intentione potest voluntas moveri ad formationem prædicti iudicij. In iudicio verò determinato dirigente primum actum voluntatis res aliter contingit, vt ex se liquet ; & propterea oportet, quòd moveatur à Deo tanquam à causa particulari, & ob hanc rationem debet esse necessarium in *essendo*. Sed quia aliunde non est indifferens in proponendo, requiritur, & sufficit, vt voluntas liberè operetur, quòd præsupponat aliud iudicium indifferens in proponendo ab ipso realiter, sivè virtualiter distinctum. Pro quo notandum est, quòd sicut voluntas, quando liberè operatur, aliter se habet vt considerata ex parte actus primi, & aliter vt considerata ex parte actus secundi : nam ex parte actus primi solùm consideratur cum *posse* ad vtrumlibet extremum contradictionis, & ex parte actus secundi est iam cum actuali applicatione ad vnú extremum præ alio : ita ad hoc vt liberè operetur, duplex iudicium ex parte intellectus necessarium est, alterum proponens cùm indifferentia duo extrema contradictionis, & alterum determinans efficaciter quòd extremum eligendum sit. A quo tàm longè abest, quòd adimat libertatem & sit incomponibile cum iudicio indifferenti, quòd voluntas non operaretur liberè, quin vtrunque iudicium intercedat. Exemplum auxilij efficacis potius est pro nobis, quam contra nos, siquidem confirmat totam hanc doctrinam, vt perspicienti constabit. Per quod patet ad vtranque confirmationem.

64 Ad secundum dicendum est, quòd quamvis voluntas efficaciter determinetur ab intellectu, non propterea relegatur necessitas prædeterminationis physicæ divinę : quia agens liberum creatum & eget determinari a Deo per physicam prædeterminationem tanquam à primo determinante ad sui electionem liberam, & à seipso tanquam à secundo determinante, & hoc fieri non valeret, nisi adesset iudicium dictans hìc & nunc hoc extremum præ alio. Et instatur Ferre, concedens cum communi sententia Thomistarum imperium efficax infallibiliter inferens vsum activum voluntatis, quin ob hoc excludatur necessitas præmotionis physicæ ad vsum.

65 Ad quartum respondetur, quòd ad movens quoad exercitium absolutè primum, facta collatione inter intellectum & voluntatem, duo necessariò requiruntur, videlicet & quòd hæc motio quoad exercitium non versetur erga primum actum, voluntatis, quia in ordine ad hunc actum Author naturæ est præcipuum &

primum movens quoad exercitium, vt docet D. Thomas 1.p 82.art.4.ad 3.& quòd moveat ad exercitium actus in genere causæ efficientis: nam exercitium actus potiùs denotat causalitem causæ efficientis, quàm aliarum causarum, & in hoc sensu causa efficiens definitur, *A quo primò incipit motus*. Igitur in his potentijs illa dicenda est primum movens quoad exercitium, quæ movet aliam in genere causę efficientis, secus verò ea quæ movet quoad exercitium in genere causę formalis, aut finalis: Intellectus autem movet quoad exercitium posteriori modo, & voluntas priori; ideoque voluntas, & non intellectus, dicenda est absolute primum movens quoad exercitium. Per quod constat ad quintum. Nam in idem recidit intellectum movere voluntatem ad sui exercitium in genere causæ formalis, ac movere quoad specificationem: nam motio quoad exercitium sine vllo addito prolata stat pro motione in genere causæ efficientis.

66 Ad sextum respondetur, antecedens posse sustineri in aliquo vero sensu, si imperium movet ad vsum voluntatis non solùm in genere causæ formalis sed etiam in genere causæ efficientis & iudicium dirigens electionem tantùm in genere causę formalis, vt volunt plures Thomistæ. At si vtrunque iudicium movet vel solùm in genere causę formalis, vt communiter docent Thomistæ; vel simul in genere causæ efficientis, vt vult Caietanus, antecedens negandum est. Vel dici potest, quòd imperium speciali aliquo titulo nominatur movens quoad exercitium; quia ex se connectitur infallibiliter cum executione mediorum; quod non competit iudicijs præcedentibus alios actus voluntatis, quamvis infallibiliter inferant actus, quos dirigunt.

67 Ad vltimum respondetur, quòd mutua causalitas intercedens inter iudicium determinatum; & actum voluntatis est talis, quòd petat existentiam in actu voluntatis, pro signo quo intelligitur causare, secùs verò in iudicio dirigẽte. Et ratio disparitatis est: quia actus voluntatis concurrit in genere causæ efficientis ad formationem iudicij determinati, & est peculiare in causa efficienti, vt causet prout est in actu existentiæ. Cæterum iudicium determinatum, cùm solùm concurrat in genere causę formalis, non petit existentiam pro signo suæ causalitatis, imo potiùs applicatur à causa efficienti, vt suam causalitatem exerceat. Vnde solùm illud iudicium petit præexistere pro priori ad actum voluntatis, quod nullo modo dependet à voluntate, vt contingit in iudicio sivè indifferenti, sivè determinato dirigente primum actum voluntatis: & de his verum est, quòd sicut intellectus est prior in existendo, quàm voluntas, ita actus intellectus est prior in existendo, quàm actus voluntatis. Sed de iudicio quod sit dependenter ab actu voluntatis, quem dirigit, aliter discurrẽndum est ob oppositam rationem; ideoque ex merito dirigentis non debet prẽintelligi existens in signo suæ causalitatis.

68 Ad primum additamentum respondetur, in probabiliori sententia Thomistarum neque iudicium practicum dirigens electionem, neque imperium monasticum dirigens vsum activum voluntatis concurrere in genere causæ efficientis ad actus, quos dirigunt. Sed dato, & non concesso, sivè vnum, sivè aliud, sivè vtrunque concurrere efficienter, adhuc non est inconveniens, quòd sit causa & effectus in eodem genere causę efficientis, dummodò non sit in eadem specie infima (sicut in eodem genere causæ formalis specificativæ mutuam prioritatem inter potentiam, & operationem concessimus tract. 2. disp. 2. n. 52 idemque contingit in eo, quòd ita est finis *cui*, quòd simul sit effectus finis *cuius gratia*) vel secundum eandem considerationem. Igitur iudicium practicum est causa efficiens actus voluntatis, quem dirigit, prout simul est causa specificativa, & in *esse* intelligibili: & actus voluntatis est præcise causa efficiens & in *esse rei*. Rursùs iudicium vnà cum obiecto est causa volitionis; & volitio est causa iudicij secundùm se, & prout est voluntarium. ¶ Sed inquires, facta collatione inter hos actus, quis absolutè & simpliciter sit prior in causando adhuc in genere causæ efficientis? Ad quod respondendum est; quòd actus voluntatis est prior: Tum, quia concurrit in *esse rei*; & iudicium in *esse* intelligibili. *Tum etiam*: Quia applicatio voluntatis est simpliciter talis, & propterea voluntas dicitur, primum movens quoad exercitium, & applicatio intellectus, quamvis in genere causæ efficientis, est talis secundùmquid. Videantur Salm. loco citato num. 274.

Ad secundum respondetur, quòd D. Thomas ibi tantùm loquitur de actu voluntatis, in cuius vi intellectus movetur tantùm imperfecte ad imperandum, & de hoc verum est, quod omnimode præcedit imperium: aliter temen dicendum est de actu voluntatis, quo perfecte movetur ad imperandum. Vel potest interpretari de actu regulato per imperium, quia iste habet suam prioritatem non *in quo* adhuc rationis, sed *à quo* seu naturæ.

69 Secundò & faciliùs respondetur tertiæ confirmationi adductæ num. 53. quòd imperium participat suam intrinsecam efficaciam proximè & elicitivè ab intellectu in vi electionis efficacis præcedentis: nam quamvis electio pertineat formaliter & vltimate ad ordinem intentivum, virtualiter tamen potest pertinere ad ordinem executivum, inquantùm relinquit suam virtutem in intellectu; & ratione illius potest intellectus se movere ad imperandum & ordinandum modo imperativo voluntati; vt eliciat vsum activum mediorum. Quæ solutio

eò

eò est verior, quò est proximior doctrinæ Div. Thomæ, qui 1. 2. quæst. 17. art. 1. in corp. sic concludit: *Cum ergo secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis, sequitur, quòd hoc ipsum, quod ratio movet imperando, fit ei ex virtute voluntatis. Vnde relinquitur, quòd imperare fit actus rationis præsuppositò actu voluntatis, in cuius virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.* Hæc solutio traditur à N. Salm. in præs. num. 73. estque communior inter Thomistas, eamque amplectuntur Adversarij pro iudicio practico & efficaci præcedenti electionem. Et quamvis contra eam possint adduci nonnullæ obiectiones, eas tamen omittimus, quia eqnè vrgent in iudicio practico, in quo Adversarij existimant consistere prædestinationem.

§ VI.

Solutio argumentorum, quæ vnicè militant contra imperium divinum.

70 ARguitur *secundò*: Nam licèt detur in nobis imperium monasticum; non tamen in Deo: ergo prædestinatio nequit in eo consistere, sed in iudicio practico precedente electionem. Antecedens probatur *primò*: Nam imperium monasticum requirit superioritatem, & inferioritatem saltem potentiarum, ac proinde distinctionem realem; sed hæc in Deo non habent locum, vt potè afferentia plurimas imperfectiones alienas à quolibet prædicato divino: ergo non datur in Deo imperium monasticum. *Secundò*: Nam in Deo executio non addit novam & specialem difficultatem formalem. *Tertiò*: Nam eo ipso quòd Deus eligat media, non potest ab illa electione desistere, eo quòd immutabilis est, & infinitè efficax: ergo superfluum est imperium monasticum ad vsum activum. *Quartò*, & *vltimò*: Si daretur in Deo huiusmodi imperium monasticum, maximè vt regularet vsum activum suæ voluntatis; sed ad hoc sufficit iudicium regulans electionem: ergo. Minor probatur: Nam imperium divinum supponit vsum activum voluntatis, cũ sit ipsa executio potentiæ executivæ, & executio ipsa supponat vsum activum, eo quòd iste movet efficaciter potentiam executivam: ergo iudicium efficax præcedens imperium divinum dirigit vsum activum voluntatis divinæ.

71 Respondetur neg. antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, ad imperium monasticum sufficere, quòd inter intellectum, & voluntatem interveniat superioritas, & inferioritas virtualis: nam cum prædictum imperium nihil aliud sit, quàm quædam locutio, denuntiatio, & ordinatio efficax in ordine ad voluntatem, vt hæc applicet potentiam executivam, non est, cur ad hæc munera præstanda non sufficiat distinctio virtualis, & non possit dirigi ad ipsum Deum. Sicut in opposita sententia eadem distinctio est sufficiens tum vt intellectus ratione iudicij efficacis præcedentis electionem moveat efficaciter voluntatem divinam ad ipsam electionem, & vsum: tum vt voluntas per electionem, & vsum moveat omnipotentiam. Ad secundam satis constat ex dictis num. 40.

Ad tertiam respondetur, quod Deus aliter est immutabilis, & efficax ratione electionis, & iudicij illam præcedentis, & aliter ratione imperij monastici: nam ratione electionis, & iudicij illam dirigentis tantùm est efficax in linea affectiva seu intentiva, quia secundùm se solum pertinent ad hanc lineam. Sed cum Deus sit etiam efficax in linea executiva, oportet ponere in eo imperium, à quo primò sumitur efficacia executionis. Et si hæc probatio haberet aliquam vim, probaret etiam contra electionem, & iudicium dirigens eam, eo quòd supponit intentionem, quæ est immutabilis & summè efficax.

71 Ad quartam respondetur, iuxta dicta tract. 3. disp. 2. num. 91. & num. 99. quòd in imperio prudentiæ divinæ duplex expressio ex nostro modo imperfecto concipiendi potest distingui, alia dirigens, ordinans, & intimans productionem rei modo imperativo, quæ potest explicari per hanc formulam loquendi *fac hoc*: & altera immediatè exequens productionem effectus. Quamvis ergo imperium sub posteriori expressione præsupponat vsum activum voluntatis, secus verò sub priori. Prædestinatio tamen debet consistere in imperio prudentiæ secundùm primam considerationem: quia consistere debet in ordinatione efficaci mediorum ad vitam æternam; secus verò in imperio prudentiæ secundum posteriorem considerationem: quia executio prout executio est, non est ordinativa mediorum, sed omnem ordinationem eorum tàm speculativam, quàm practicam præsupponit, & coincidit cum externa gubernatione effectuum. Recolantur omnia, quæ diximus locis citatis, quia ex ijs præoccupatæ manent quædam obiectiones.

73 Arguitur *tertiò* (& vt aiunt Adversarij argumento à priori) Nam iudicio præcedenti electionem competit definitio prædestinationis: ergo in illo debet consistere; & consequenter superfluit aliud imperium subsequutum. Antecedens probatur: Prædestinatio est ordinatio libera, & efficax creaturæ rationalis in salutem æternam; sed omnia hæc competunt iudicio præcedenti electionem: ergo. Probatur minor: In primis est ordinatio: nam vt inquit D. Thomas in Psalm. 32. *Consilium, dum est in nobis, dicit inquisitionem; cum autem dicitur de Deo, importat ordinationem omnium ad debitum finem.* Et consonat illud Paul. *Qui operatur secundum*

con-

consilium voluntatis suæ. Deinde est libera, cùm formetur ex determinatione libera voluntatis. Tandem est efficax, cùm non possit frustrari.

Huic argumento facilè respondetur ex dictis, negando antecedens. Et ad eius probationem dicendum est, quòd non in quacumque ordinatione efficaci, & libera debet consistere prædestinatio, sed in ordinatione proxima mediorum ad vitam æternam, & pertinente ad ordinem executivum: quia sola hæc est ex meritis proprijs efficacissima, excedensque in efficacia omnes alios actus præcedentes, secundùm id quod vnusquisque habet in sua linea. Hæc ergo est differentia inter ordinationem, quam ponit iudicium regulans electionem, & quam ponit imperium subsequutum ad illam, quòd illa solum est ordinatio ex meritis proprijs in ordine intentivo, licet quia divina, & immutabilis, sit radicaliter in ordine executivo; ordinatio verò, quam ponit imperium subsequutum, est ordinatio ex meritis proprijs pertinens ad ordinem executivum. Hoc ergo excedit in efficacia actus omnes antecedentes; ac perconsequens in hoc debet consistere prædestinatio. Et in hoc sensu debent intelligi Apost. & D. Thomas.

74 Sed dices contra hanc solutionem: Nam in Deo electio non solùm est in linea executiva radicaliter, sed etiam formaliter: ergo iudicium illam antecedens est ordinatio efficax in vtroque ordine. Probatur antecedens: Nam hæc est differentia inter intentionem, & electionem creaturę, & inter intentionem, & electionem divinam, quòd intentio, & electio creaturæ sunt purè affectivæ, non effectivæ; intentio verò divina, & eius electio sunt non solùm affectivæ, sed etiam effectivæ: ergo electio pertinet ad vtrunque ordinem.

Hæc obiectio potest retorqueri contra arguentem. Nam intentio, prout distincta ab electione, vel est in Deo præcisè affectiva, vel est affectiva simul & effectiva? Si dicatur primum: non ergo omnis amor Dei est effectivus. Si dicatur secundum: ergo superfluit electio, cùm nequeat intentio esse effectiva finis, quin priùs sit effectiva mediorum. Quidquid ergo dixerit arguens circa intentionem, applicabimus nos ad intentionem, & electionem pro priori ad vsum activum voluntatis. Dicimus ergo, quòd intentio, & electio sunt simul affectivæ, & effectivæ, aliter tamen ac vsus activus voluntatis: nam intentio, & electio faciunt futura finem, & media tantùm initiative; vsus verò activus movet ad futuritionem perfectam & completam. Sicut de intentione solitarie accepta debent fateri Adversarij. Et in hoc sensu dicitur, quòd omnis actus voluntatis divinæ est simul affectivus, & effectivus.

75 Arguitur *quartò*: Sicut in nobis prudentia distinguitur realiter à synesi seu sagacitate, ita synesis distinguitur ab eubulia: & tamen synesis non distinguitur in Deo ab eubulia: ergo nec in Deo debent distingui synesis, & prudentia. Consequentia constat a paritate. Minor verò probatur: Tum, quia eubulia solum datur in nobis propter inquisitionem, in Deo verò solùm propter certitudinem; sed opus proprium synesis est de consiliatis iudicare: ergo eadem virtus est in Deo eubulia, & synesis. Tum etiam: quia ad eandem virtutem, nempè prudentiam, reducit D. Thomas 1. Contra gent. cap. 93. num. 7. consilium, & iudicium per hæc verba: *Secundùm autem actum illum, qui est de consiliatis iudicare, & iudicata eligere, nihil prohibet prudentiam in Deo dici.* Tunc sic: prædestinatio consistit in actu prudentiæ; sed iudicium præcedens electionem est actus proprius prudentiæ ob immediatè dicta: ergo prædestinatio consistit in huiusmodi iudicio.

Et confirmatur: Nam ita comparantur inter se iustitia distributiva, commutativa, & legalis, sicut eubulia, synesis, & prudentia: nam sicut in creatis istę distinguuntur, etiam illæ; sed estò iustitia distributiva, commutativa, & legalis distinguantur realiter in creatis, in divinis non distinguuntur adhuc virtualiter, cum constituant vnum & idem attributum indivisum, vt tradunt N. Salm. tract. *de Incarnat.* disp. 1 num. 279. ergo similiter, estò in creatis eubulia, synesis, & prudentia distinguantur realiter, non sequitur, quòd in divinis distinguantur virtualiter: & consequenter actus, qui est primarius respectu synesis, nempe iudicium, in divinis etiam erit primarius respectu prudentiæ.

76 Respondetur *primò*, hoc argumentum cum sua confirmatione tantùm probare, iudicium, & imperium in divinis non distingui virtualiter; an verò actus proprius prudentię, qui est *præcipere*, detur in Deo taliter, quòd sit formaliter eminenter iudicium & imperium, vel non detur, non probatur. Semel autem quòd detur formaliter, dicimus, quòd in illo, prout explicat præceptum, consistit prædestinatio, non verò prout explicat iudicium synesis. *Vel clariùs*: quòd in illo, prout movet ad vsum activum voluntatis, in quo consistit pro expresso actus prudentiæ, vt prudentia est, consistit prędestinatio, non verò prout dirigit ad electionem, qua parte pertinet pro explicito ad synesim. Et potest illustrari cum ipso exemplo confirmationis.

77 Secundò respondetur, & meliùs, negando min. Nam in Deo hę tres virtutes eubulia, synesis, & prudentia distinguuntur virtualiter adæquate, & constituũt diversa attributa; vnde actus proprius eubulię formalissimè non est actus synesis, nec actus synesis est actus prudentiæ. Nam estò consiliũ, quod est actus proprius eubuliæ, in divinis non dicat inquisitionem, quia hæc dicit imperfectionem; dicit tamen certitudinẽ de me-

diis

dijs conducentibus ad finem; at quia inter media conducentia ad finem non omnia eliguntur, succedit actus synesis, quo ordinat intellectus hæc media & non illa, & tandem sequitur actus prudentiæ, quo præcipit, vt executioni mandentur. Vnde ad consilium sequitur consensus, ad iudicium determinatum electio, & ad præceptum vsus activus voluntatis.

78 Ad confirmationem respondetur, negando maiorem. Et ratio disparitatis est: quia iustitia distributiva, commutativa, & legalis sunt partes subiectivæ iustitiæ vtsic: eubulia verò, synesis, & prudentia sunt partes potentiales prudentiæ vtsic. Inter quos hæc est differentia, quòd virtutes, quæ sunt partes subiectivæ eiusdem virtutis, in divinis non multiplicantur: & hac ratione licèt scientia in creatis dividatur tanquam in partes subiectivas, & realiter distinctas, in Logicam, Philosophiam, Metaphysicam &c. in Deo tamen non datur nisi vnica scientia, quæ formaliter eminenter est Logica, Philosophia &c. Similiter providentia seu prudentia strictè dicta estò in creatis dividatur à D. Thoma tanquam in partes subiectivas, seu species realiter distinctas in monasticam, politicam, regnativam &c. in Deo tamen non est nisi vnica prudentia, seu providentia: & ideò asserunt Thomistæ, quòd prædestinatio non est providentia subiectiva, sed tantùm obiectiva; sicut omnipotentia vna est circa naturalia, & supernaturalia: Et ratio huius est: quia cùm iustitia (v. g.) divina sit infinita, non dat locum ad multiplicitatem iustitiæ rigorosæ. Partes verò, quæ sunt potentiales eiusdem virtutis, taliter multiplicantur in creatis, quòd etiam possunt multiplicari in divinis, si semel ob sui imperfectionem Deo non repugnant. Partes *potentiales* vocantur quædam virtutes minùs principales, quæ alteri principaliori adiunguntur, cuius rationem perfectè non attingunt, & ideò talis virtus de eis quidditativè non prædicatur: Et hoc modo comparantur ad prudentiam eubulia, synesis, & gnome. Unde sicut in divinis multiplicantur virtualiter iustitia strictè dicta, & partes eius potentiales, vt sunt amicitia, fidelitas, liberalitas, & aliæ: sic pariformiter de virtutibus supradictis deservientibus prudentiæ discurrendum est. Pro quo videndi sunt N. Salm. in tract. 12. in Arb. virt. num. 39.

79 Ultimò arguitur: Nam si daretur imperium monasticum in Deo, dirigeretur immediatè vel ad prædestinatos, vel ad seipsum; neutrum dici potest: ergo non datur. Minor quoad primam partem probatur: Tum, quia prædestinati non sunt capaces imperij, antequam fiant; & tamen ordinantur à Deo ab æterno in vitam æternam, cùm aliàs actualis productio non sit ab æterno: ergo. Tum etiam: quia providentia pariter extenditur ad rationales, & irrationales, iuxta illud Psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt*; & tamen irrationales non sunt capaces imperij, sicut nec cognitionis: ergo. Tum denique: quia hoc imperium non est præceptum obligans magis prædestinatos, quàm reprobos. Quoad secundam partem etiam probatur: Tum, quia imperium est respectu illius, qui ordinatur ad aliquem finem; sed nullus actus Dei ordinatur ad finem, quapropter dixit D. Thomas 1. part. quæst. 22. art. 1. *Prudentiæ proprium est secundùm Philosoph. in 6. Ethic. ordinare alia in finem, sivè respectu sui ipsius, sivè respectu aliorum subiectorum in familia, civitate, vel regno; secundùm quem modum prudentia vel providentia Deo convenire non potest: nam in ipso nihil est in finem ordinabile, cùm ipse sit vltimus finis.* Idem tradit quæst. 5. *de Verit.* art. 2. vbi ait: *Assimilatur providentia ista, qua Deus mundum gubernat, providentiæ œconomicæ, qua quis gubernat familiam, vel politicæ, qua quis gubernat civitatem, vel regnum, per quam aliquis actus aliorum ordinat in finem: non enim potest esse in Deo providentia respectu sui ipsius, cum quidquid est in eo, sit finis, non ad finem.* Tum denique: quia D. Thomas 1. 2. quæst. 93. art. 4. ad 1. ait, voluntatem divinam, vt se tenet ex parte Dei, non subdi legi æternę: ergo actus divinæ voluntatis non cadit sub imperio.

80 Ad hoc argumentum respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem quoad vtranque partem. Et ad primam probationem, quatenus attinet ad primam partem respondetur, creaturas non esse capaces imperij, antequam fiant, prout imperium est locutio, & intimatio; esse tamen capaces illius, quatenus dicit efficacitatem, & superioritatem respectu illarum: nam tale imperium, quasi loquendo & intimando aliquid Deo, habet, & explicat superioritatem, & efficaciam in creaturis: quia talis locutio & intimatione, qua Deus sibi intimat ordinem à se excogitatum respectu prædestinatorum, & mediorum, est efficacissima. Ad secundam constat ex dictis num. 53. ad 6. *Ad tertiam*: Respondetur, hoc præceptum non esse de linea præcepti obligantis, in qua suppositione non magis obligat prædestinatos, quàm reprobos; sed tantùm esse de linea præcepti dirigentis, ordinantis, & causantis aliqua principia conducentia in vitam æternam: & in hac suppositione magis obligat prædestinatos, quàm reprobos, vt ex se constat.

Ad primam probationem quoad secundam partem: Respondetur, quòd estò actus divinæ voluntatis non ordinentur ad aliquem finem, qui sit vera causa illius, potest tamen ordinari in finem, qui sit vera ratio finalis illius. Et in hoc sensu exponendus est D. Thomas locis in argumento cit. Nam providentia, seu prudentia Dei potest ordinare actum suæ voluntatis in finem tanquam in veram rationem finalem;

sed

sed quia hæc prudentia magis explicatur respectu creaturarum sibi subiectarum, quæ verè ordinantur in finem tanquam in veram causam, ideò illam comparat prudentiæ œconomicæ, seu politicę: non quia tantùm sit œconomica, seu politica (hoc reputamus impossibile, iuxta illud Apost. 1. ad Timoth. 3. *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.* Et ideò prudentia politica supponit necessariò œconomicam, & œconomica monasticam) sed quia per prudentiam ordinat suos actus ad finem tanquam in veram rationem finalem, quin possint præscindere à respectu, quem dicunt ad creaturas. *Ad secundam*: Respondetur, quòd estò actus Dei non subjiciatur legi Dei coactivè, bene tamen directivè.

§. VII.

Corollaria precedentis doctrinæ.

81 INfertur *primò*, prædestinationem esse distinctam ab arte. Nam, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 42. art. 8. perfectio artis consistit in iudicando, non in præcipiendo; econtrà perfectio prudentiæ consistit in præcipiendo. Et ita videmus, quòd melior artifex reputatur, qui volens peccat in arte, voluntariè devians à recto iudicio, quod habet de artefacto faciendo, quàm qui nolens peccat in arte ex defectu iudicij: In prudentia tamen econversò contingit: nam imprudentior est, qui peccat in arte, cum aliàs posset rectum artificiatum facere ratione perfecti iudicij, quàm qui nolens peccat ob imperitiam artis, eò quòd iste deficit in iudicio, & ille in imperio.

82 Infertur *secundò*, imperium, seu prudentiam esse distinctam à lege æterna. Et ratio desumitur ex D. Thoma quæst. 5. *de Verit.* art. 1. ad 3. vbi ait, quòd providentia in Deo propriè non nominat legem æternam, sed aliquid consequens ad legem æternam. Et probat ex eo, quòd lex æterna consideratur in Deo, sicut in nobis accipiuntur prima principia operabilia, ex quibus procedimus ad consiliandum, iudicandum, & imperandum, & ideò propriè pertinet ad intelligentiam, quæ est habitus principiorum; sed tàm in nobis, quàm in Deo prudentia distinguitur ab habitu principiorum: ergo etiam à lege æterna. *Adde*: Nam lex comparatur ad prudentiam, sicut idea ad artem: quia sicut ars contemplando ideam perficit artefactum, sic prudentia attendendo ad legem dirigit actus humanos, qui sunt ipsa agibilia: ergo sicut idea distinguitur ab arte, sic lex à prudentia.

83 Infertur *tertiò*, providentiam distingui ab ideis divinis. Tum, quia, vt ait Div. Thomas quæst. cit. *de Verit.* art. 1. ad 8. ad ideam non requiritur indispensabiliter adiunctus actus voluntatis, quia etiam est respectu possibilium; sed providentia supponit necessariò actum voluntatis: ergo distinguuntur. Tum etiam: quia vt ait D. Thomas loco cit. ad primum: *Forma exemplaris rei secundùm suam speciem absolutè est idea, sed forma rei, secundùm quòd est ordinata in finem, est providentia.* Tum denique: quia idea est ipsa essentia divina; sed providentia est attributum: ergo distinguuntur.

84 Infertur *quartò*, prædestinationem non esse partem subiectivam, sed tantùm obiectivam providentiæ. Ita D. Thomas in præs. vbi ait: *Et sic patet, quòd prædestinatio quantùm ad obiecta est quædam pars providentiæ.* Et probatur ratione: nam providentia divina vtsic non prædicatur de providentia prædestinativa, & non prædestinativa, sicut genus de speciebus, & sicut analogum de analogatis: ergo prædestinatio non est pars subiectiva illius. Antecedens quoad primam partem constat: quia Deo repugnat compositio ex genere & differentia. Quoad secundam partem probatur: Nam providentia divina est infinita in linea providentiæ, sicut omnipotentia in linea omnipotentiæ; sed quia omnipotentia in sua linea est infinita, non dantur plures omnipotentię virtualiter distinctæ, de quibus prædicetur vt analogum de suis analogatis, sicut nec scientia, & ars: ergo idem de providentia tenendum est.

85 Sed objicies: Quælibet relatio divina, v. g. paternitas, est infinita; & tamen dantur quatuor relationes in Deo: ergo idem de providentia potest dici, proportione servata. ¶ Respondetur, quòd si paritas teneret, etiam probaret, providentias divinas distingui realiter. Nihilominus respondetur, quòd relationes multiplicantur in divinis, eò quòd personæ opponuntur relativè, & huiusmodi oppositio est necessaria ad processiones. Quod in providentia non habet locum, vt patet.

86 Infertur *quintò*, quòd hæ quatuor, nimirum scientia, prescientia, providentia, & prædestinatio, licèt re idem sint, aliquomodò distinguuntur, vt ait D. Thomas quæst. vnic. *de Prædest.* quæ est in fine 1. part. Nam scientia, sivè sapientia est de omnibus sivè bonis, sivè malis, tàm preteritis, quàm præsentibus, futuris, & possibilibus. Præscientia verò est de futuris tantùm sivè bonis, sivè malis. Providentia addit supra præscientiam quandam præparationem, sivè promotionem in finem vltimum. Prædestinatio autem non solùm includit præscientiam, & providentiam, sed addit aliquid, ratione cuius est tantùm de naturis intellectualibus vt salvandis: vel vt ait Damasc. est de his, quæ non sunt in nobis, sed sunt elevata supra facultatem humanæ naturæ.

87 Difficultas est: an prædestinatio distinguatur à providentia generali, per hoc, quòd

quòd hæc tolùm petit infallibilitatem mediorum, non verò assecutionem actualem finis; prædestinatio verò non tolùm infallibilem assecutionem mediorum, sed etiam assecutionem finis? Respondetur affirmativè cum D. Thoma q. 6. *de Verit.* art. 1. vbi sic ait: *Differt tamen alio modo: in qualibet enim ordinatione ad finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem, & exitum vel eventum ordinis. Non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Providentia ergo ordinem in finem respicit tantùm: vnde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur. Sed prædestinatio respicit etiam exitum vel eventum ordinis: vnde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur.* D. Thomam sequuntur Ferrara, Zumel, Nazar. Albelda, Egid. Suarez, Vazquez; contra Caiet. Bañez, & Alvarez.

Probatur ratione *primò*: Nam reprobi per supernaturalem providentiam ordinantur ad gloriam, iuxta illud Pauli, *Vult omnes homines salvos fieri*; & tamen illam non consequuntur: ergo. ¶ *Secundò*: Reprobis dantur auxilia sufficientia, quibus gloriam consequi possint; sed hæc collatio non est à casu, sed ex intentione divina: ergo est effectus alicuius providentiæ: ergo de conceptu divinæ providentiæ non est assecutio omnis finis intenti, ad quem ordinat media. *Tertiò*: Nam providentia accipit efficaciam ex intentione finis; sed in Deo datur duplex voluntas altera antecedens & inefficax, altera consequens & efficax: ergo & duplex providentia, altera efficax, & altera inefficax. Diximus *omnis finis intenti*: Nam res, quę sunt effectus divinę providentiæ, vel possunt considerari in ordine ad finem vniversalissimum Provisoris, nempè ad ostensionem suæ bonitatis, & iustitiæ; & sic omnes res assequuntur suum finem. Vel in ordine ad aliquem finem particularem; & sic aliqua deficiunt à fine particulari, vt ex se constat.

88 Objicies: Providentia divina est in summo gradu perfectionis; sed ad perfectissimam providentiam non tolùm spectat ordinatio mediorum in finem, sed etiam assecutio illius: ergo. ¶ Respondetur distinguendo min. si supponit voluntatem efficacem finis, concedo; si non supponit, nego. ¶ Sed contrà: Nam voluntas consequens mediorum est consequens & efficax finis; sed providentia semper supponit voluntatem efficacem mediorum: ergo &c. *Adde*: Quia si supponit voluntatem efficacem respectu finis vniversalissimi, etiam respectu finis particularis: nam media non ordinantur ad finem remotum & vniversalem, nisi medio fine proximo particulari. ¶ Respondetur, negando maiorem, quia bene potest esse voluntas efficax mediorum, & inefficax respectu alicuius finis particularis. *Ad additamentum*: Dicimus, quod voluntas efficax mediorum, quando hæc non assequuntur finem particularem intentum, respicit efficaciter, vt finem particularem, ostensionem attributorum Dei, vt relucent in ipsis auxilijs collatis; licèt inefficaciter respiciat etiam, vt finem particularem, consecutionem gloriæ.

89 Infertur *vltimò*, prædestinationem secundùm sua essentialia præcisè consideratam nihil ponere in prædestinatis. Nam prædestinatio essentialiter considerata non dicit executionem mediorum, sed supponitur ad illam, & tantùm dicit quandam cognitionem, qua creaturæ rationales ordinantur in vitam æternam. Et ideò ex vi illius effectus prędestinationis tantùm sunt futuri, non existentes: quia per executionem, quæ coincidit cum gubernatione, & supponit essentialiter prædestinationem, pronuntur ad *extrà* in tempore. Qua ratione ductus D. Thomas art. 2. præsentis quæst. ait: *Sed contrà est, quod Augustinus dicit, quòd prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei; sed præscientia non est in præscitis, sed in præsciente: ergo prædestinatio non est in prædestinatis, sed in prædestinante.*

Confirmatur: Prædestinatio essentialiter considerata non est efficax in probabiliori sententia, per modum causæ physicę, sicut est potentia executiva, sed per modum causæ moralis, seu directivæ & ordinativæ: ergo essentialiter considerata nec activè, nec passivè est in prædestinatis. Antecedens est certum in via D. Thomæ: nam quæst. 5. *de Verit.* art. 1. ad 9. ait, potentiam executivam esse effectivam effectuum prædestinationis, seu providentię. Et quæst. 6. *de Verit.* art. 1. ad 15. ait, quòd respectus, quem importat providentia ad suos effectus, magis congruit cum respectu, quem dicit scientia vt dirigens, quàm cum respectu, quem dicit potentia executiva: ergo prædestinatio non est causa effectiva, sed moralis & directiva.

DISPUT. II.

De Motivo Prædestinationis.

SEcundum caput, in quod hic tractatus divisus est, est motivum prædestinationis. Et pro hoc instituimus vnum tantùm dubium, quod valet pro mille.

DUBIUM UNICUM.

An electio efficax prædestinatorum ad gloriam fiat ex prævisione meritorum, & ex iustitia?

VT in hac perdifficili controversia cum omni claritate possibili procedamus; opus est aliqua pro maiori eius luce, & pro intelligentia tituli præsupponere.

§. I.

Suppositiones nonnullæ.

1 NOtandum & supponendum est *primò*, quòd nomine *electionis* non intelligimus electionem rigorosam, quæ immediatè terminatur ad media vt *quod*, sed intentionem & voluntatem efficacem, qua Deus efficaciter vult his præ alijs donare gloriam: nam vt ait D. Thomas art. 4. huius quæst. inquantùm Deus vult salutem aliquorum, dicitur *dilectio*; inquantùm verò hoc bonum vult his præ alijs, dicitur *electio*: & de hac electione, quæ coincidit cum intentione, & impropriè dicitur *electio*, vt disp. præced. diximus, procedit quæstio.

2 Supponendum est *secundò*, in Deo dari voluntatem efficacem, seu intentionem absolutam eligendi prædestinatos ad gloriam. Tum, quia constat ex Scriptura, in qua sæpissimè fit mentio de speciali voluntate, qua Deus ad gloriam elegit prædestinatos prout distinctos à reprobis; quæ debet esse absoluta & efficax, & non solùm conditionata, vt constat ex illo Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Quæ verba N. Cyril. Beda, & alij intelligunt de prædestinatis prout distinctis à reprobis, in quorum comparatione prædestinati inter homines sunt pusillus grex; sed de ijs ait, non esse illis timendum, quia complacuit Patri eorum dare eis regnum: ergo in Deo datur hæc voluntas efficax, & absoluta. Patet consequentia: quia cum voluntate præcisè conditionali non haberet magis, vnde excuterent timorem electi, quàm reprobi, quia etiam circa hos Deus habet voluntatem inefficacem, & conditionatam dandi illis regnum; iuxta illud Apost. *Vult omnes salvos fieri.* ¶ Constat etiam ratione: Nam prædestinati consequuntur gloriam efficaciter & absolutè: ergo in Deo debet dari voluntas efficax & absoluta eligendi, & dandi illis gloriam. Patet consequentia: quia nequit dari aliquis effectus absolutus & efficax, quin absolutè & efficaciter fit à Deo volitus, cùm nihil absolutè & efficaciter fiat, nisi Deo id eodem modo volente, vt in bonis contingit; vel permittente efficaciter & absolutè, vt in malis.

3 Supponendum est *tertiò*, quæstionem hanc non procedere de prædestinatione formaliter sumpta, prout dicit imperium divini intellectus, sed de intentione illud præcedenti: quia de prædestinatione formaliter sumpta, & in imperio consistente, absque controversia certum est, supponere quodammodò prævisionem meritorum. Et ratio est: quia imperium hoc supponit electionem non solùm prædestinatorum ad gloriam, sed etiam mediorum, quibus gloria comparanda est, vt diximus disput. præced. ergo supponit etiam prævisionem meritorum, quę sunt media, quibus gloria comparanda est. Diximus *quodammodò*: quia prædestinatio, prout consistit in imperio, duplicem respectum dicit ad merita, vel prout sunt in ordine intentivo, quo pacto sunt futura tantùm initiativè; vel prout sunt in ordine executivo; & hoc pacto sunt futura completivè. Diximus ergo *quodammodò*: ad inuendum, quòd estò prædestinatio formaliter sumpta præsupponat electionem meritorum, & hac ratione non sit omninò gratuita, cum præsupponat prædestinatum electum ad merita; tamen non præsupponit ea completè futura, id est, in ordine executionis: & sic absolutè est gratuita.

4 Supponendum est *quartò*, in præsenti non fieri mentionem de electione ad gratiam primam sivè habitualem, sivè actualem: quia cum gratia habitualis sit primum principium meriti, & hæc præsupponat primam gratiam actualem, manifestum est non posse cadere sub merito, sivè de congruo sivè de condigno, respectu alicuius actus sivè naturalis, sivè supernaturalis: idcòque difficultas solum procedit de electione ad gloriam.

5 Supponendum est *quintò*, quòd estò titulus quæstionis, prout iacet, tantùm intelligatur de electione ad gloriam eorum, qui cum adulta ætate moriuntur, quia hi solùm habent propria merita, etiam extenditur ad electionem parvulorum: nam licèt electio parvulorum fiat sine meritis à se elicitis, non tamen sine gratia. Unde quæstio extenditur ad parvulos in hoc sensu: An videlicet sicut Deus elegit adultos ad gloriam vel ex prævisione meritorum, vel ante prævisionem eorum, ita eligat parvulos ad gloriam ante prævisionem gratiæ, vel post prævisionem illius, eò quòd gratia in illis est vnicum medium ad consequendam gloriam?

6 Supponendum est *sextò*, consultò in titulo quæstionis coniungi *post prævisa merita & ex iustitia.* Nam per potentiam Dei absolutam, & iuxta aliam providentiam non repugnat, Deum prævidere opera nostra moralia bona, & non intuitu eorum dare nobis gloriam: vel quia non supponerent pactum, quod nunc datur, ratione cuius, & suppositâ condignitate ex parte merentis, obligant defactò ex iustitia: vel quia talia merita in ordine ad hunc finem omninò concomitanter seu per accidens ibi præessent: vt si Rex videns merita militis in bello nolet vllo modo propter illa, & in remunerationem eorum, sed merè gratis & non attendendo ad merita dare illi aliquod officium, pro quo obtinendo miles strenuè certavit. Hoc non habet locum in præsenti providentia: quia iuxta hanc nulla merita manent irremunerata; & cùm aliàs supponantur prævisa talia merita, vel dicendum est, Deum illa nunquam remunerari; vel fatendum est, Deum dare illis gloriam propter merita, hoc est ex iusti-

stitia. Vnde in præsenti providentia idem est *post prævisa merita*, & *ex iustitia*, licèt claritatis gratia addantur hi duo termini.

7 Supponendum est *septimò*, pariformiter potuisse Deum eligere homines ad gloriam propter merita prævisa. Nam Deus potuit ex intentione alterius finis moveri ad tribuendum hominibus merita, & perseverantiam finalem, quibus prævisis posset eis in præmium gloriam conferre; ad eum modum, quo Rex humanus ex intentione victoriæ vult, quòd sui milites viriliter pugnent, & posteà, prævisis meritis, ea remunerentur. An hoc habeat locum iuxta præsentem providentiam, est præcipuum punctum huius difficultatis.

8 Supponendum est *octavò*, quòd gloria potest sumi dupliciter, vel secundum se, vel vt *corona*. Difficultas non solùm intelligitur de gloria secundùm se, sed etiam de ipsa vt corona: ideoque inquirit, an electio prædestinatorum ad gloriam etiam vt *coronam* sit ante prævisa merita, vel potius post prævisionem meritorum?

9 Supponendum est *vltimò*, potissimum dissidium circa hanc controversiam inter nos, & Adversarios in hoc præcipuè stare, quòd Adversarij existimant Deum priùs eligere prædestinatos ad gratiam & merita, & posteà ex prævisione illorum moveri ad eligendos illos ad gloriam. Vnde prima radix discernens prædestinatos á reprobis iuxta eorum sententiam non est electio ad gloriam, sed electio ad merita. Et hinc aiunt, electionem prædestinatorum ad gloriam esse ex motivo iustitiæ. Nos verò, Deum inverso ordine in negotio prædestinationis procedere, vt certum dogma Theologicum tenemus, ita vt Deus primò eligat prædestinatos ad gloriam, & hinc moveatur ad conferenda merita, & propter ipsa merita gloriam.

Primum modum dicendi (præter plures Authores antiquos, quos referunt N. Salm. in præf. disp. 9. num. 70.) tenent Molina 1. part. quæst. 23. art. 3. & 5. disp. 1. memb. 6. & 11. Vazquez 1. part. disp. 89. cap. 2. & disp. 90. cap. 2. Lessius in disput. *de Prædestin.* sect. 2. vsque ad 6. & lib: 14. *de Perfectionibus diuinis* cap. 2. Becanus tom. 1. Summæ Theologiæ cap. 14. quæst. 4. Herice 1. part. tract. 3. disp. 24. cap. 3. & disp. 25. cap. 10. & 11. quos iam in hac tempestate sequuntur communiter Patres Societatis. At secundum modum discurrendi tuentur vniversa Schola Thomistica, & Scotica: quibus adhærent ex Societate Suarez lib. 1. *de Prædestin.* cap. 8. Toletus uper epistolam ad Rom. cap. 9. Bellarminus lib. *de Gratia & lib. arbitrio* cap. 10. & 15. Henriquez *de Vltimo fine hominis* cap. 11. Granados tract. 7. disp. 4. sect. 2. Ruizius disp. 10. laudius Typhanius in lib. *de Ordin.* cap. 37 & sequent. & ex Nominalibus plures, quos referunt N. Salm. in præf. n. 78.

§. II.

Vera sententia: Et prima eius probatio ex Scriptura, & SS. PP.

10 Dicendum est, electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam esse ante prævisa eorum merita, ac proinde omnino gratuitam. Et probatur *primò* ex Scriptura: Nam sacer textus pluribus in locis loquitur de electione prædestinatorum ad gloriam, vt prædestinati sint; sed in eisdem locis significatur esse gratuitam, quæ nequeunt intelligi de ipsa gloria vt danda in executione: ergo secundùm Scripturam electio ad gloriam est omnino gratis, & ante prævisa merita. Minor quoad secundam partem supponitur: & constat ex illo Apost. 2. ad Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Maior, & minor simul probantur *primò* ex Ioann. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus; & gratiam pro gratia;* sed hic locus agit de gloria prædestinatorum, & aliunde asserit esse gratiam, hoc est omnino gratiosam, & non ex meritis: ergo &c. Maior, & minor probatur ex D. August. qui lib. *de Gratia & lib. arbitrio* cap. 9. ait: *Accipimus gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna redditur, de qua dixit Apost. Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro, cùm priùs dixisset, Stipendium peccati mors. Vnde cum posset dicere, Stipendium iustitiæ vita æterna, maluit dicere, Gratia Dei vita æterna, vt hinc intelligeremus, non pro nostris meritis Deum nos ad vitam æternam, sed pro sua misericordia perducere.*

11 Dices, sensum Augustini solùm esse, Deum nos perducere ad vitam æternam gratis, quia ipsa opera bona, quibus tanquam meritis ad vitam æternam perducit, sunt ex Dei misericordia, quatenus sua miseratione largitur nobis auxilia, & gratiam ad merendum, vnde reddat nobis ex iustitia vitam æternam. Sic etiam interpretatur illud Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Super quæ verba ait: *Ideo dixisse hoc Psalmistam, quia eius miseratione bona operamur, quibus corona redditur.* Non ergo est sensus Augustini, Deum nos perducere sua miseratione ad vitam æternam, quasi titulo merè gratuito intendat efficaciter dare nobis gloriam.

Sed contrà est: Nam iuxta hanc solutionem stat optimè ipsam gloriam, vt est in se formaliter reddi vt mercedem & coronam, & simul dici gratuitam & non ex meritis: quia in ordine ad illam dat Deus gratis auxilia & gratiam: ergo optime componitur motivum ex misericordia in ipsamet intentione efficaci dandi gloriam in seipsa ex parte Dei intendentis, &

quod in executione illa gloria detur secundùm merita, ita quòd Deus sine meritis moventibus velit dare nobis merentibus gloriam. Consequentia probatur: Illa elargitio gratuita auxiliorum,& gratiæ collatæ prædestinatis ad consequendam gloriam, est sufficiens ad verificandum, illam gloriam in seipsa dari, & non ex meritis, vt constat ex verbis Augustini;sed hoc nequit verificari de gloria in executione datâ, cùm executione detur tanquam corona iustitiæ: ergo intelligi debet de gloria in intentione.

12 Secundò probatur eadem maior, & minor ex Apost. ad Ephes. 1. vbi ait: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius.* Sed in his verbis loquitur Apost.de speciali electione prædestinatorum ad gloriam, & de electione omninò gratuita,& ante prævisa merita:ergo. Minor quoad primam partem probatur: nam Apost.loquitur de illis, quos benedixit Deus omni benedictione spirituali in cœlestibus; sed gratia reproborum neque est omnis benedictio spiritualis,cum deficiat illis perseverantia finalis, & glorificatio;neque est benedictio spiritualis in cœlestibus, vt ex se constat: ergo loquitur de electione sola & efficaci prædestinatorum ad gloriam. Quoad secundam partem probatur: Nam si electio ad benedictionem cœlestem esset post prævisa merita,dixisset Apost. Elegit nos, quia eramus sancti, sic enim verificabatur,fuisse electos post prævisa merita; sed dixit, *Vt essemus sancti*, vt denotaret, quòd ex ista electione gratuita ad gloriam ortum ducit, vt *essemus sancti*, & habeamus merita.ergo.

13 Nec refert solutio Vazquez, qui ait, D. Paulum non loqui de electione ad gloriam, sed ad gratiam. Non (inquam) refert:Nam August. *de Correct. & gratia* cap.7. expressè intelligit hoc testimonium de prædestinatione ad gloriam: *Electi autem sunt* (inquit) *ad regnandum cum Christo.* Et infrà:*Illos elegit ad obtinendum regnum suum.*Placuit etiam pro huius confirmatione adducere aurea verba SS.eius filij S.Thomæ à Villanova, qui serm. *de Nativit. Virg.* loquens de libro vitæ,qui secundùm Augustinum est prædestinatio electorum, sic ait: *Felices illi, qui in hoc libro scribi, non dico meruerunt, sed acceperunt; non ex meritis est illa prædestinationis conscriptio, sed ex pura gratia & dono Dei, quæ prima & maxima est omnium gratiarum. Non enim quia Deus prævidit sanctitatem & meritum, ideo elegit vt ipsa prævisio meritorum ratio sit prædestinationis, & electionis, sed econtrariò quia Deus prædestinavit, & elegit, ideo sancti erunt & boni,teste Apost.Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti &c. August. non quia futuri eramus sancti, ideo elegit, sed quia elegit, vt essemus sancti, electio est causa sanctitatis, non sanctitas electionis.* Vbi adducit prædicta verba Apost. ad probandam electionem omnino gratuitam ad gloriam.

14 Sed clariùs idipsum probatur ex Apost. ad Rom. 8.vbi ait: *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & iustificavit, quos autem iustificavit, illos & glorificavit.* Ubi loquitur solùm de electione efficaci ad gloriam. Et constat ex illis verbis *prædestinavit, glorificavit.* Et ex his, quæ posteà addit: *Ex his nemo perijt, quacumque ætate moriatur;* sed ex prædictis verbis deducitur, electionem esse ante prævisa merita.ergo. Probatur minor: Nam si fuisset post prævisa merita, vocatio & iustificatio non essent effectus prædestinationis,sed causa; at iuxta Apost.ex prædestinatione tanquam ex causa sequitur vocatio, iustificatio, & actualis glorificatio: ergo hæc electio est ante prævisa merita. Minor probatur ex S. Thoma à Villanova serm. *de S.Ioann. Baptista* post initium, vbi ex D. Bern. ait: *Catena hæc indissolubilis est, & quam totus infernus non possit infringere: ex electione vocatio, iustificatio, glorificatio, & quidquid bonum sive in præsenti, sive in futura vita electis confertur, ex prima illa origine gratuita emanavit.*

15 Urgentius est testimonium D. Paul. ad Rom. 9. vbi ait: *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vbi nomine *dilectionis*, qua dilectus est Iacob præ Esau,significatur ab Apost. voluntas illa, qua voluit prædestinatis dare vitam æternam, eligendo eos ad illam, & voluntas qua voluit excludere reprobos à regno cœlesti tanquam à beneficio indebito; sed hæc dilectio dicitur facta fuisse ante prævisionem boni, & mali, & ex mera voluntate eligentis: ergo.

16 Respondebis *primò*, in hoc testimonio locutionem non esse de electione ad gloriam, sed de electione ad gratiam. Sed contrà est: Nam Apost. expressè loquitur de electione Iacob prædestinati, & de eius discretione ab Esau vt reprobo; sed hæc nequit esse præcisè de electione ad gratiam non supponentem voluntatem efficacem ad gloriam, cùm in electione ad gratiam conveniant Iacob, & Esau:ergo loquitur Apost. de electione ad gloriam.

17 Respondebis *secundò*, D. Paulum loqui de electione ad regnum temporale, non ad cœleste. Sed contra est: Nam hæc discretio inter Iacob, & Esau inducitur ab Apost.in exemplum prædestinatorum, media qua ostendit Deus divitias abundantes misericordiæ in electos, quos præparavit ad gloriam, & sic addit: *Quod si*

Deus

Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Et tandem adducit exemplum figuli, qui ex eadam massa facit quoddam vas in honorem, & quoddam in contumeliam. Quapropter Augustinus dixit: *Rem ita stupendam non proposuisset Apost. si solùm de dignitate temporali, & non æterna tractavit*: ergo non tantùm de electione ad regnum temporale, sed etiam de electione ad gloriam intelligenda sunt verba Apost.

18 Respondebis *tertiò*, D. Paulum solùm excludere opera facta, non verò futura, & prævisa: nam licet Iacob non fuisset electus ex operibus factis in tempore, priusquàm nascerentur; fuit tamen electus ex operibus, quæ facturus erat, prævisis in æternitate. ¶ Hęc solutio irridetur ab Augustino lib. 1. Contra duas epist. Pelagianorum cap. 7. his verbis: *Propter quod profectò desipitis, qui dicente Veritate, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est; vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Iacob fuisse dilectum: atque ita contradicitis Apostolo dicenti, Non ex operibus, quasi non posset dicere, Non ex præsentibus, sed ex futuris operibus.* Et in Enchirid. cap. 98. ait: *Qua in re si futura opera vel bona huius, vel mala illius, quæ vtique Deus præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, Non ex operibus; sed diceret, Ex operibus futuris, eoque modo solveret istam quæstionem*: Ergo hæc solutio iuxta Augustinum contradicit Apostolo, & etiam ipsi Augustino.

19 Per hæc verba refellitur alia solutio Adversariorum, dicentium, verba illa intelligi de electione ad gloriam ante prævisionem operum præcisè naturalium. ¶ Per verba (inquam) proximè relata D. Augustinus refellitur hæc solutio: Nam illa particula *non ex operibus* negat non solùm opera existentia, sed etiam futura iuxta Augustinum. ergo etiam debet negare opera non solùm naturalia, sed etiam supernaturalia. Patet consequentia: Tum, quia ideò negat opera futura, quia teste Augustino ponitur illa particula absque vlla restrictione; sed hæc ratio etiam debet probare de operibus supernaturalibus: ergo. Tum etiam: quia Apost. maximè commendat liberalitatem & gratiam electionis ad gloriam; sed huic electioni liberali & gratiosę opponitur prævisio quoruncumque operum sivè naturalium, sivè supernaturalium, vt fatentur Adversarij: ergo &c.

20 Ex SS. PP. confirmatur nostra ratio. Et 1. ex D. Augustino. Tum lib. 6. Hypognost. vbi ait: *Taceat ergo omnis lingua, & prorsus in prædestinatione de meritis non extollatur: divinæ voluntatis est hoc donum, non humanæ fragilitatis meritum.* Tum lib. *de Prædestin. SS.* cap. 15. vbi inquit, quòd Christus est clarissimum exemplar prædestinationis aliorum, iuxta illud Pauli: *Prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui*; sed Christus prædestinatus est filius naturalis Dei independenter à meritis prævisis: ergo etiam prędestinatio hominum, & Angelorum facta est ante prævisa merita. Verba illius sunt: *Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei, & hominum Christus Iesus: quia hoc vt esset, quibus suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? Illum ergo, & nos prædestinavit* (Addit *de Bono perseverantiæ* cap. vltim.) *Vt esset caput nostrum, & in nobis, vt eius corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscivit.*

21 Nec refert, si dicas, adhuc stando in littera Augustini hanc consequentiam non valere: *Prędestinatio, nullis præcedentibus meritis, est facta in Christo: ergo & nostra nullis præcedentibus meritis facta est.* Sicut neque hæc: *Prædestinatio nostra debuit fieri in similitudinem prędestinationis Christi; sed hæc nullis præcedentibus meritis vel ipsius, vel alterius est facta: ergo & prædestinatio nostra debuit fieri nullis præcedentibus meritis, vel prædestinati, vel alterius.* Hæc consequentia est mala, & præmissæ verę, eó quòd prędestinatio nostra facta est ex meritis Christi. ¶ Non (inquam) refert: Nam Augustinus, præveniens hanc obiectionem, consultò dixit *nullis operibus Christi*: ergo solùm debet inferre, sicut defactò intulit, prædestinationem nostram factam fuisse nullis præcedentibus meritis nostris, quidquid sit de meritis Christi respectu nostrę prædestinationis, de quibus est alia ratio, quia Christus est finis noster.

22 Post testimonia D. Augustini sequuntur immediatè testimonia D. Thomæ, de cuius mente nullus potest dubitare, eò quòd sunt sole clariora: Nam exponens verba Apost. *Prædestinatio secundùm propositum eius*, lect. 4. ait: *Ponit voluntariam Dei prædestinationem: cuius quidem ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas, propter quod subdit: Secundùm propositum eius.* Non minùs clara sunt, quę ait super text. Apost. *Qui prædestinavit nos... secundùm propositum voluntatis suę in laudem gloriæ gratiæ suę*, vbi lect. 1. ait: *Non dixit in laudem iustitiæ: Nam iustitia ibi locum habet, vbi invenitur debitum. Quod autem prędestinatur id vitam æternam, non est debitum, sed gratia purè gratis data. Non solùm dicit* gloriæ, *sed addit* gratię *quasi gloriosæ gratię, quę est gratia, in qua ostenditur magnitudo gratiæ, quæ consistit in magnitudine gloriæ, & modo dandi.* Et concludit: *Patet ergo, quòd prædestinationis divinæ nulla alia causa est, nec esse potest, quàm simplex Dei voluntas.*

Idem

Idem tradit D. Fulgentius lib. 1. *de Fide ad Petrum* cap. 3. vbi sic ait: *Illi autem cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate prædestinavit ad regnum.* Consonat etiam id, quod dicit D.Bern. serm. ad illud sapientiæ, *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*, vbi ait: *In prædestinatione est gratia, in vocatione potentia, in iustificatione lætitia, in magnificatione gloria: quia quos prædestinavit, hos & vocavit* &c. Idem etiam docent alia Ecclesiæ lumina.

§. III.

Ratio fundamentalis D.Thomæ.

23 PRobatur conclusio ratione D.Thomæ, quæ sic formatur: Nam voluntas efficax & absoluta mediorum efficacium in ordine ad executionem alicuius finis supponit etiam voluntatem efficacem & absolutam ipsius finis; sed iuxta præsentem providentiam voluntas efficax dandi gratiam, merita, auxilia, & perseverantiam finalem est voluntas efficax mediorum efficacium in ordine ad consequendam æternam salutem, & gloriam: ergo voluntas efficax horum mediorum præsupponit voluntatem efficacem dandi salutem, & gloriam æternam: ergo hæc voluntas non dependet ex illa. Maior probatur: Nam voluntas ex intentione finis movetur ad electionem mediorum, non minùs ac intellectus ex assensu præmissarum movetur ad assensum conclusionis: nam vt est commune proloquium: *Ita se habet finis in practicis, sicut principia in speculabilibus*: ergo sicut assensus conclusionis supponit vt causam assensum præmissarum, ita voluntas efficax mediorum debet supponere voluntatem efficacem finis.

24 Respondent *primò* Adversarij, quòd licèt voluntas mediorum supponat voluntatem finis; non tamen oportet, quòd supponat voluntatem efficacem finis, sed sufficit, quòd finis inefficaciter diligatur. Unde ex hac ratione solùm concluditur, quòd voluntas inefficax dandi gloriam non fiat ex præviſione meritorum: cum quo rectè cohæret, quòd præter illam detur alia voluntas efficax dependens à medijs prævisis.

Sed contrà est: Nam electio mediorum debet procedere tanquam à causa ab intentione finis: ergo electio efficax mediorum debet procedere ab intentione efficaci finis. Antecedens est certum iuxta hanc responsionem. Et consequentia probatur: Tum, quia electio inefficax petit procedere ab intentione inefficaci: ergo efficax electio ab intentione efficaci. Patet consequentia: quia hoc modo effectus proportionantur cum suis causis, & econtrà. Tum etiam: quia si electio efficax procederet ab intentione inefficaci, iam effectus excederet virtutem cause, cum effectus efficax sit supra virtutem inefficacem.

25 Confirmatur *primò*: Quia, vt diximus suprà, & docet Arist. 6. Ethicor. cap. 2. sicut se habent principia in speculabilibus respectu conclusionum, ita finis in operabilibus respectu electionis mediorum; sed quia assensus præmissarum est causa assensus conclusionis, nequit conclusio habere maiorem certitudinem, quàm assensus præmissarum, iuxta illud, *Propter quod vnumquodque tale &c.* ergo ob eandem rationem electio efficax mediorum nequit supponere intentionem, quæ simul non sit efficax respectu finis. Consequentia est legitima: Tum à paritate: Tum, quia sicut certitudo pertinet ad intellectum, sic efficacia ad voluntatem: ergo sicut nequit maior certitudo esse in conclusione, quàm sit in principijs; ita nequit esse maior efficacia in electione, quàm in intentione.

Confirmatur *secundò*: Nam licèt ad electionem mediorum concurrat non solùm intentio finis, sed etiam potentia volitiva & libera, à qua sumitur efficacia tanquam à prima radice; intentio tamen finis est voluntati ratio ad hoc, vt eligat media, itaut, nisi ea mediante, nequeat progredi ad electionem illorum: ergo electio efficax debet supponere intentionem efficacem finis. Probatur consequentia: Tum, quia sicut se habet simpliciter ad *simpliciter*, sic magis ad *magis*: v. g. si ad calefaciendum requiritur calor, ad magis calefaciendum requiritur maior calor: ergo si iuxta solutionem prælatam ad electionem requiritur intentio, ad electionem efficacem requiritur intentio efficax. Tum etiam: nam si intentio est inefficax, nequit electio efficax provenire nisi vel à casu, vel ex ignorantia mediorum; sed neutrum habet locum in Deo: ergo. Probatur maior: Nam quando electio est efficax, & intentio inefficax, vel electio est præter intentionem, vel est quia ante intentionem non cognoscuntur media; sed si dicatur primum, electio erit à casu; si secundum, supponit ignorantiam: ergo &c.

26 Respondent *secundò* Adversarij, rationem nostram & D. Thom. habere vim, quando quis sibi intendit finem, & per se illum assequitur, non verò quando intendit finem alteri, & per illum assequitur: nam tunc electio potest esse efficax, & intentio inefficax, eò quòd finis non est in sua potestate: sicut si pater (v. g.) intenderet filio scientiam, vel dignitatem, & ad hoc tribueret efficaciter media ad illum finem conducentia, tunc enim electio esset efficax, licèt intentio esset inefficax, quia talis finis non est in potestate patris.

Retorquetur solutio contra respondentes: Nam estò ille, qui non habet in sua potestate finem, posset ex intentione inefficaci procedere ad electionem efficacem: attamen iam supponit hæc solutio, quod ille, qui habet in sua potesta-

testate tàm finem, quàm media, non potest moveri ad electionem efficacem mediorum nisi ex intentione efficaci finis; sed finis cuiuscumque creaturæ, & omnia media ad illum efficaciter conducentia sunt in potestate Dei: ergo nequit procedere ad electionem efficacem mediorum, nisi præsuppositâ intentione efficaci finis. Minor probatur: Deus efficaciter concurrit ad finem, & ad media: ergo nequeunt non tàm finis, quàm media præcontineri in sua potestate.

27 Sed dices, quòd præcontinet finem, & media, itaut finis in sui assecutione dependeat à voluntate creata, non verò media. Sed contrà est: Tum, quia D. August. *de Correct. & grat.* cap. 14. ait, quòd Deus magis habet in potestate sua voluntates nostras, quàm nos in nostra potestate. Et lib. 1. Contra duas epist. Pelag. ait: *Facit ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes.* Et de Correct cap. 16. *Facit, vt velimus, præbendo vires efficacissimas*: ergo estò assecutio finis dependeat à nostra voluntate, non tollit, quòd possit intendere independenter & pro priori à nostro consensu efficaciter finem. *Tum etiam*: Nam non potest quis efficaciter tribuere media infallibiliter conducentia ad aliquem finem, quin efficaciter velit ipsum finem, si aliàs est in sua potestate; sed hæc solutio supponit, quòd Deus vult efficaciter media efficaciter & infallibiliter conducentia ad æternam salutem, nempè gratiam sanctificantem, auxilia efficacia, & perseverantiam finalem: ergo efficaciter vult etiam finem. *Tum denique*: Nam sicut Deus non dat vitam æternam nisi dependenter à nostra voluntate, sic nec gratiam dat, & perseverantiam finalem, quæ sunt media, nisi dependenter à nostra voluntate se disponente; & nihilominus dicitur, quòd voluntas, quam Deus habet tribuendi hæc media, est efficax: ergo similiter de intentione dicendum est.

Neque exemplum adductum in solutione favet ei: Nam cùm finis non est in potestate alicuius, nec media efficia; siquidem media efficacia infallibiliter inferunt finem. Unde negamus, quòd pater in prædicto casu habeat voluntatem efficacem omnium mediorum effectivè loquendo: nam estò efficaciter ponat aliqua media in re, non tamen omnia, quæ desiderantur ad finis assecutionem, à quibus dependet voluntas efficax effectiva. Potest tamen dici voluntas efficax mediorum in affectu, quatenus pater tribuit ei omnia & aptiora media, quæ potest. At in hoc sensu etiam intentio potest dici efficax: qui toto conatu & affectu possibili intendit filium suum evadere doctum, vel quòd consequatur dignitatem, aliàs non tribueret ei omnia illa & aptiora media, quæ potest.

28 Dices adhuc, si finis sit in potestate intendentis, posse ex intentione inefficaci finis moveri ad electionem efficacem mediorum, quando intendens alteri finem determinat illum labori, & industriæ illius relinquere, quia non alio titulo præfinit dare finem nisi in præmium meritorum: & sic contingit in Deo. ¶ Sed contrà est: Nam quando determinat finem labori & industriæ alterius relinquere, vel præstat illi laborem & industriam; vel non? Si primum: ergo movetur ex intentione efficaci finis. Patet consequentia: nam vt supra diximus, qui vult media efficaciter conducentia ad aliquem finem, etiam vult efficaciter finem; hoc modo contingit in Deo, qui taliter determinat conferre gloriam vt coronam meritorum, quòd etiam ex hac intentione moveatur ad conferenda merita; aliàs non essent dona Dei. Si dicatur secundum, vt multoties contingit in hominibus: ergo non movetur ad electionem efficacem mediorum, cum labor, & industria sint media efficacia ad consequendum finem prout *intentum*.

29 Respondetur *tertiò*, rationem nostram habere vim in ordine ad media physica, & realiter causantia finem, non verò in ordine ad media præcisè moralia, & moraliter influentia in finem: cùm ergo hoc modo influant merita nostra in gloriam, non requiritur, quòd supponant voluntatem efficacem dandi gloriam.

Sed contrà est: Nam licèt merita secundùm se non habeant infallibilem connexionem cum gloria, vt dantur tamen prædestinato præ reprobo, dantur vt coniungenda infallibiliter cum gloria: ergo nequeunt amari efficaciter, nisi ex voluntate efficaci dandi gloriam. Consequentia est legitima: Tum ob paritatem inter media physica, & moralia: nam quia illa inferunt infallibiliter physicè finem, nequeunt non supponere intentionem efficacem finis: ergo si media moralia moraliter infallibiliter inferunt finem, etiam debent procedere ex efficaci intentione finis. Tum & præcipuè: quia hæc ratio magis vrget in medijs moralibus, quàm in physicis, quia si media physica inferunt physicè infallibiliter finem independenter ab intentione præcedenti, habent ex natura sua hanc connexionem cum fine: ergo econversò, si mèdia moralia non habent ex se hanc connexionem, debent illam participare ex aliqua anteriori intentione. Antecedens verò probatur: Tum ex diffinitione prædestinationis traditæ ab August. *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Tum etiam: quia secundùm Vazquez prima discretio prædestinati à reprobo fit per voluntatem dandi merita supponentia auxilia efficacia, sed quod primò discernit prædestinatum à reprobo, infallibiliter coniungitur cum gloria: ergo merita vt danda prædestinato infallibiliter inferunt gloriam.

Confirmatur: Nam merita vel sunt volita

ex

ex intentione præmij vt finis ; vel ex alterius finis intentione? Si dicatur primum : ergo ex intentione conferendi prę̃mium movetur voluntas præmiantis ad volendum, seu eligendum meritum : nam finis semper est ratio & causa diligendi media; sed hoc modo merita prædestinati diliguntur à Deo: ergo ex intentione prę̃suppositа conferendi gloriam. Si dicatur secundum, vt contingit in Rege humano, qui ex intentione victoriæ promittit præmium strenuè pugnantibus; tunc verum est, quòd movetur à meritis ad præmiandum, adhuc in ordine intentivo : hoc autem ideo est, quia præmium non intenditur vt finis meritorum, sed victoria ; & merita intenduntur vt finis intermedius respectu prę̃mij, cùm promittat præmium, vt excitet ad meritum.

§ IV.

Aliarum evasionum impugnatio.

30 REspondent Adversarij *quartò*, electionem mediorum oriri ab intentione efficaci, quando sunt efficacia media ; at ex intentione gloriæ Deus non dat media efficacia vt talia, sed tantùm materialiter. ¶ Sed contrà est : Nam vel merita sunt efficacia ; vel non ? Si dicatur primum : ergo proveniunt ex intentione efficaci. Patet consequentia: Tum, quia illam quasi supponit hæc evasio. Tum & præcipuè : quia media inefficacia secundùm hanc solutionem supponunt intentionem inefficacem finis : ergo media efficacia etiam debent supponere intentionem efficacem finis. Si dicatur secundum : ergo & destruit totaliter decretum prædestinationis, & incidit in sententiam Semipelagianorum, & Deum facit imprudentem, seu ignorantem. Hæc consequentia quoad primam partem probatur : Quia de ratione prædestinationis, vt tenet August. est, quòd sit præparatio mediorum efficacium, & beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur ; constat autem verba in diffinitione non sumenda esse materialiter, sed formaliter: ergo. Quoad secundam partem probatur: Nam ex hac solutione sequitur, quòd media ad assecutionem gloriæ, vt sunt formaliter efficacia, non sint dona Dei, cùm hoc modo non sint volita à Deo ; sed hoc est incidere in sententiam Semipelagianorum : ergo. Quoad tertiam partem etiam probatur: nam Deus, dum elegit media formaliter efficacia ad gloriam, vel cognoscit eorum efficaciam ; vel non? Si non: ergo est ignorans. Si cognoscit, & non intendit eorum efficaciam : ergo à casu & præter intentionem, & consequenter imprudenter illa vt efficacia produceret.

31 Respondent *quintò*, permittendo electionem meritorum ad gloriam supponere intentionem efficacem dandi gloriam ; sed non istis prę̃ istis determinatè, sed vagè, in communi & in confuso. ¶ Sed contrà est *primò*: Implicat intentionem esse efficacem, si est in ordine ad gloriam vagè sumptam. Probatur : Illa intentio non est efficax, quæ est de fine non ponendo in re; sed gloria vagè sumpta non ponitur in re: ergo non est efficax.

Secundò : Illa intentio, si est vaga, debet regulari à cognitione confusa & vaga, sed hoc genus cognitionis Deo repugnat, cùm procedat de potentia ad actum : ergo etiam repugnat intentio illa confusa & vaga. ¶ *Tertiò* : Nam prædicta intentio movet voluntatem divinam ad donanda merita, non vagè, neque aliquibus vagè, sed istis præ alijs : ergo etiam debet esse de gloria determinata, & proportionata his meritis præ alijs, & appropriata his personis prę̃ alijs. Antecedens est certum in sententia Adversariorum. Et consequentia probatur: Nam sicut gloria in communi est causa finalis meritorum in communi ; ita gloria in particulari est causa finalis meritorum in particulari: & sicut gloria in particulari est finis *cuius gratia* respectu meritorum ; ita persona particularis est finis *cui* respectu gloriæ in particulari, itaut gloria determinata non possit respicere diversa subiecta vagè sumpta, sicut nec duplex accidens numero diversum vagè sumptum potest respicere simul vnum subiectum determinatum; alias esset duplex, & non esset duplex: ergo si prædicta intentio est efficax, debet esse de gloria determinata, & individuata per ordinem ad determinatam personam. ¶ *Quartò*, & *vltimò* : Nam electio efficax mediorum est præter intentionem, si hæc est inefficax : ergo electio meritorum, si sunt determinata, est præter intentionem, si hæc non est determinata. Consequentia est legitima à paritate.

32 Sed objicies : Bonitas divina est priùs volita quàm prædestinati in particulari ; & tamen prædicta bonitas sic volita non est ratio, quare hi præ alijs eligantur ad æternam beatitudinem : ergo licèt electio illa efficax & vaga non sit ratio, quare hi præ alijs eligantur, nihilominus erit prior, quàm electio hominum in particulari. Minor probatur : Nam divina bonitas, quantùm est ex se, indifferenter inclinat ad electionem cuiuslibet hominis in beatitudinem.

Respondetur ; quòd esto bonitas divina sit priùs volita, quàm prædestinati in particulari, & in se in actu primo contineat omnem excogitabilem perfectionem in ratione bonitatis, seu virtutis finalizandi ; at in actu secundo non terminat, vel non movet in genere causæ finalis suam divinam voluntatem, nisi connotando decretum liberum illius, quod in genere causæ efficientis discernit has creaturas ab illis : nam sicut pro priori ad hoc decretum determinatum vo-

Voluntas divina non est summè perfecta, nec continet perfectionem intentionis determinatæ ad hos potiùs, quàm ad illos; ita de bonitate divina, vt terminat in genere causę finalis, discurrendum est.

33 Respondent *sextò*, rationem nostram esse veram, quando media amantur præcisè propter finem, non verò quando amantur propter se: Deus autem vult dare merita non solùm propter gloriam, sed etiam propter illorum bonitatem. ¶ Contrà est: Nam licet media sint ex se & propter se amabilia, si tamen habent rationem puri medij, & vt tale amantur, nequeunt amari, nisi propter finem, vt ait D. Thomas pluribus in locis; sed merita iuxta præsentem providentiam non sunt à Deo volita nisi propter gloriam, vt constat ex pluribus locis sacræ pag. vt ex illo Matth. 10. *Qui perseveraverit vsque in finem, hic salvus erit*: vbi gloria promittitur vt finis perseverantiæ finalis. Et ex illo Paul. 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit... quæ præparavit Deus diligentibus se*: ergo non amantur propter se.

34 Respondent *septimò*, Deum non eligere merita propter gloriam dandam prædestinatis, sed propter ostentationem suorum attributorũ, licèt, meritis posteà prævisis, ipsa ordinaverit ad gloriam: Et sic non requiritur electionem prędestinatorum ad gloriam præcedere intentionem meritorum, licèt præcedat intentio efficax communicandi suam bonitatem.

Ex immediatè dictis manet convulsa hæc evasio, si aliquid addatur: Nam quòd bonitas divina & ostensio attributorum sit finis operum Dei, non tollit, quòd vnum opus sit etiam finis alterius, & consequenter quòd gloria sit finis meritorum: nam vt ait D. Thomas, licèt Deus omnia velit propter suam bonitatem tanquam propter rationem & causam finalem: *Nihilominus vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem: vult ergo hoc esse propter hoc*, itaut bonitas divina & ostensio attributorum sit finis communis & vniversalissimus, & vna res creata sit finis particularis alterius rei creatæ, v. g gloria sit finis particularis meritorum: ergo sicut intentio efficax communicandi suam bonitatem, & ostentandi sua attributa debet præcedere electionem meritorum, ob eandem etiam rationem debet illam præcedere electio efficax dandi gloriam.

Explicatur hoc: Estò Deus possit per suam potentiam absolutam dare gratiam, merita, & perseverantiam finalem, absque eo quòd velit dare gloriam; at hoc ipso quòd velit dare illa, & gloriam propter illa, suavis modus providentiæ exigit, vt ex amore gloriæ, quę in hac serie est finis vltimus inter creatos, procedat ad electionem mediorum, itaut ex intentione illius finis communis procedat ad voluntatem dandi gloriam, quæ voluntas habebit rationem electionis respectu illius primę intentionis communis; sed ex hac intentione gloriæ moveatur ad eligenda media conducentia ad gloriam: cùm suavis modus providentiæ petat, vt ex amore finis, qui consequendus est per media, procedat ad electionem talium mediorum.

35 Respondent *octavò*, nostram rationem convincere, quando finis nullo modo dependet à meritis, seu medijs, secus verò quando dependet ab illis: gloria autem estò sit causa finalis meritorum, merita tamen sunt causa dispositiva & moralis efficiens gloriæ, vt ait D. Thomas in præsenti art. 5. in corp. his verbis: *Nihil prohibere, quòd aliquis effectus sit ratio & causa alterius: posterior quidem prioris secundùm rationem causæ finalis, prior verò posterioris secundùm rationem causæ meritoriæ, quę reducitur ad dispositionem materiæ: sicut si dicamus, quòd Deus præordinavit se dare alicui gloriam ex meritis.* Explicatur hoc exemplo reprobationis, quatenus punitio est, quæ ita respicit pœnam, vt hæc sit prior in genere causæ finalis, quàm peccata; licèt peccata sint priorę pœna in genere causæ materialis dispositivæ & demoritoriæ: & ob hanc rationem voluntas infligendi pœnam est post prævisionem demeritorum.

Sed contrà est: Nam proprium est finis movere in ordine intentionis; sed merita non præcedunt in genere causæ finalis: ergo nec movent in ordine intentionis ad conferendam gloriam. *Explicatur*: Nam licet in ordine executionis merita præcedant gloriam in genere causę dispositiuę, quatenus reddunt subiectum dignum, vt illi detur gloria ratione meritorum, vt qualificantium personam, ipsa tamen gloria omninò præcedit merita in ordine intentionis, hoc est, in genere causæ finalis: ergo merita non possunt precedere vt motivum eligendi Petrum (v.g.) ad gloriam. Probatur consequentia: quia si sic præcederent, iam præcederent vt motivum amandi finem: ergo essent id, cuius gratia finis amaretur; sed hoc repugnat; alias in ordine intentivo merita essent causa, & effectus finis in eodem genere causæ finalis: ergo iuxta hanc solutionem merita non movent divinam voluntatem, vt efficaciter eligat prædestinatos ad gloriam, sed potius ex intentione gloriæ vt finis movetur ad electionem meritorum. Et in hoc sensu loquitur D. Thomas locis cit. nempè quòd merita non se habent vt motivum, propter quod Deus eligit ad gloriam, nec ad id inclinant divinam voluntatem, sed quatenus reddunt hominem idoneum ad hoc, vt illi in executione detur gloria ex meritis: quia sic Deus præordinavit, vt ex meritis detur gloria; non tamen ex meritis motus fuit ad sic præordinandum.

36 Neque id, quod pro se adducit solutio de reprobatione, illi favet, propter disparitatem inter voluntatem puniendi, & voluntatem Dei

per modum intentionis dandi efficaciter gloriam. Etenim voluntas puniendi est de secundaria intentione Dei, seu est voluntas quodam modo occasionata, quatenus Deus iuxta præsentem & suavem suam providentiam non aliter, quàm ex occasione peccati movetur ad puniendum, Cæterum voluntas per modum intentionis dandi gloriam est de primaria intentione Dei, quia est voluntas dandi summum illud bonum beatitudinis: quod Deum maximè decet, vt gratuitò & liberaliter communicet illud, quo ostendat divitias gratiæ & misericordiæ eius, vt ait Apostolus.

37 Tandem respondent, intentionem finis non esse priorem electione mediorum, quando finis intenditur vt *præmium* & *corona* illorum, sicut in præsenti contingit. ¶ Sed contra est: Quia estò finis intendatur vt *præmium* & *corona*, debet esse ratio volendi media: ergo amor illius est prior amore istorum. Consequentia patet. Et antecedens probatur exemplis: nam Iacob dum servivit, vt daretur sibi Rachel in vxorem, & David pugnavit cum Goliath, vt sibi daretur Michol, hæc vt præmia suorum laborum intendebant, & tamen priùs accensi sunt amore illorum præmiorum, priùsque voluerunt illa, quàm merita: siquidem velle prædicta præmia fuit causa apprehendendi prædictos labores. Item quotidie experimur, homines carentes meritis in ordine ad consequendam aliquam dignitatem concupiscere illam, & ex amore & intentione illius procurare merita: ergo intentio finis, etiamsi tribuatur vt *præmium*, erit causa volitionis mediorum, & non econtrà. Probatur idem antecedens ratione: Nam electi in executione consequuntur gloriam vt *coronam*: ergo totum hoc debet procedere ex intentione dandi eandem gloriam vt *coronam*: ergo hæc intentio est ratio volendi media seu merita. Hæc vltima consequentia patet ex prima. Et prima probatur: Nam si non procederet ex intentione dandi gloriam vt *coronam*, sequitur, & quòd illa intentio præcedens, & non intendens gloriam vt *coronam* non esset efficax; & quòd ipsa gloria vt *corona* poneretur in re à casu & præter intentionem; vtrunque derogat perfectioni divinæ: ergo. Sequela quoad primam partem probatur: Quia illa gloria non ponitur eo modo, quo in illo signo antevertente merita, secundùm Adversarios, intenditur: ergo non est efficax. Quoad secundam partem probatur: Quia non est intentum de gloria vt *corona*: ergo esset á casu & præter intentionem.

§. V.

Opinio contraria enervatur.

38 ARguitur *primò* ex sacra Scriptura: nam Math. 25. dicitur: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* In quibus vltimis verbis redditur ratio, non solùm ob quam accepturi sunt regnum, sed etiam ob quam accepturi, sunt paratum regnum; ac proinde redditur ratio non solùm possessionis, sed etiam præparationis regni. Et in 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, quæ Deus præparavit diligentibus illum.* Vbi dilectio prædestinati ponitur vt ratio præparandi prædestinatis gloriam. Iacob 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Vbi habetur, Deum elegisse Apostolos ad gloriam, quia ipsos prævidit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni per dilectionem & gratiam. Tandem Petri 2. 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Ex quibus infertur, certitudinem vocationis, & electionis ex bonis operibus pendere.

39 Confirmatur *primò* ex D. August. qui lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. exponens verba Apost. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est &c.* sic ait: *Non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quę eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius; sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo invenit opera, quæ iam eligat ad regnum Cœlorum:* Et concludit: *Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio.* Vbi videtur contradicere nostræ sententiæ, cùm ex vna parte asserat, ex proposito iustificationis oriri electionem ad gloriam: & ex alia electionem ad gloriam non præcedere iustificationem per gratiam, sed econtrà. Alter locus est serm. 7. *de Verbis Domini*, vbi ait: *Quoniam, quos voluit Dominus, hos elegit: elegit autem, sicut dicit Apostolus, & secundùm gratiam, & secundùm illorum iustitiam*; sed ad gratiam non elegit nos secundùm iustitiam, cùm nulla merita illam præcedant: ergo illa electio ex iustitia, & consequenter ex prævisione meritorum debet intelligi de electione ad gloriam.

Confirmatur *secundò* ex alijs PP. nam D. Ambr. epist. ad Rom. cap. 8. ait: *Eos, quos præscivit devotos, elegit ad promissa præmia capienda.* Et lib. 5. *de Fide* cap. 3. ait *Quorum merita præscivit, horum merita prædestinavit*: ergo ante prævisionem meritorum nec elegit, nec prædestinavit. Similia habet D. Hieronym. epist. 150. vbi ait: *Non salvat irrationabiliter Deus;*

&

& absque iudicij veritate, sed præcedentibus causis. Sed electio ad gloriam est electio salvans: ergo &c. Alia plura testimonia omittimus; vel quia sunt minoris momenti; vel quia ex enodatione istorum patet sufficiens solutio illorum.

40 Sed ante solutionem huius argumenti, & aliorum subsequentium: Nota *primò*, omnia procedere in æquivocatione, dum ex eo quòd Deus intendat dare gloriam ex meritis, inferunt Adversarij, merita intrare vt motivum intendendi & volendi gloriam, in quo certè paralogizant. Pro quo sciendum est, quód eo modo quo confert gloriam in tempore, voluit eam ab æterno conferre; aliàs voluntas Dei efficax non impleretur: vnde sicut Deus in tempore & in executione confert gloriam per modum coronæ & ex iustitia, proindeque post prævisa merita in particulari, iuxta illud Pauli: *Reposita est mihi corona iustitiæ*, sic eam voluit ab æterno conferre; non ita quòd ly *post prævisa merita* appellet supra illam divinam voluntatem, volitionem seu primam intentionem, taliter quód hæc subiectivè, in se, & formaliter sit post prævisa merita, ac si Deus ex meritis prævisis moveatur ad intendendum his præ alijs gloriam; sed ita vt ly *post prævisa merita* appellet supra verbum *conferre* in tempore, quod significat actum potentiæ executivæ.

41 Pro quo nota *secundò*, duplex in Deo esse decretum, aliud intentivum, aliud executivum: inter quæ hęc est differentia, quòd licèt vtrunque importet merita; aliter, & aliter: nam decretum intentivum solùm respicit merita vt *effectum*, quia ex intentione dandi gloriam oritur voluntas dandi merita: qua ratione non vtitur meritis vt motivo intendendi gloriam. In decreto verò executivo merita sunt causa finis: ideoque debent prævideri in ordine executivo ad collationem gloriæ. Hæc Theologi, & præcipuè Scotus in Reportatis dist. 41. quæst. vnic. explicant illam propositionem: *Deus vult præmiare Petrum propter merita*, ita quòd si ly *propter merita* construatur immediatè cum ly *vult*, & appellet supra volitionem, sit falsa, quia tunc moveretur Deus ex meritis ad volendam gloriam Petro; sed si ly *propter merita* construatur cum ly *præmiare*, & appellet immediate supra actualem collationem gloriæ, tunc sit vera. In summa, Deus motus vnice ex misericordia vult ab æterno conferre gloriam in tempore, tanquam iustus Iudex, ac proinde per modum coronę, & post merita prævisa: quia ex intentione gratuita & liberali, quam habuit ab æterno dandi gloriam, orta fuit ab æterno alia voluntas conferendi merita; propter quæ suo tempore dabit gloriam.

42 Vt hoc magis patefiat, placuit adducere aliqua exempla. Quis præpotens habet intentionem efficacem dandi totam suam hæreditatem alicui, & ex hac intentione movetur ad adoptandum illum in filium: nonne illa prima voluntas intentiva non est omnino gratuita? Vtique: illa tamen suppositа, sequitur in adoptato ius ad hæreditatem, & in adoptante debitum & obligatio, ratione cuius in executione hæreditatem confert ex iustitia, itaut illa prima intentio respiciat hæreditatem vt *finem*, & adoptionem vt *effectum*; & posteà in collatione hæreditatis respiciat adoptionem vt causam motivam. Similiter si Rex haberet in sua potestate dare media conducentia ad consequendam victoriam, & ipsam victoriam, posset ex amore & benevolentia erga aliquem moveri ad habendum actum intentionis, quo vellet dare illi præmium propter merita, estò merita non essent prævisa ante prædictam intentionem. Et vt ad decreta Dei magis accedamus: Deus ordine intentivo decrevit, Christum venisse in remedium hominis à peccato; non tamen supponitur prævisa ad hanc intentionem permissio peccati, cùm Christus, vtpote finis omnium, sit primum volitum, & permissio peccati effectus prædestinationis Christi: cum quo optime stat, quòd in ordine executivo Christus dependeret ab ipsa permissione peccati in genere causę dispositivæ. Idem dicendum est de gloria comparativè ad merita. Vide N. Salmant. tract. 21. disp. 2. num. 30.

43 His prælibatis: Respondetur ad argumentum desumptum ex testimonijs sacræ paginæ dicendo, ea omnia procedere de voluntate efficaci pertinente ad ordinem executivum, quæ supponit merita prævisa; non verò de voluntate efficaci pertinente ad ordinem intentionis. Et sic ad primum dicendum est, ibi non reddi causam prępparationis intentivæ regni cœlorum, sed solùm consecutionis & possessionis eius, quasi Dominus invitet ad illud possidendum (quod pertinet ad ordinem executionis) ob operas misericordiæ ibi enumeratas. ¶ Ad secundum eodem modo respondetur: Animadvertendo, quòd dupliciter potest regnum præparari à Deo ab æterno electis: vel ita quòd Deus motus ex meritis prævisis præparet illud vt dandum in executione ex meritis; vel ita, vt motus ex sua misericordia & bonitate præparet illud ab æterno vt dandum in executione ex meritis: verba Apost. intelligenda sunt in hoc secundo sensu, in quo nihil contra nos. ¶ Ad tertium testimonium respondetur, longè distare, *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni*, quæ sunt verba Iacobi, ac *Deus elegit ipsos ad gloriam, quia ipsos prævidit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni per gratiam*: ibi enim solùm habetur, Deum elegisse Apostolos & ad merita, & ad gloriam; non verò innuitur, electionem ad illa esse rationem electionis ad istam. Vnde August. *de Prædest. SS.* cap. 12. ait: *Deum non elegisse Apo-*

Apostolos, quia erant divites in fide, sed vt essent: quia eligendo ipsos ad gloriam fecit divites in fide. ¶ Ad quartum respondetur, quòd ex illo testimonio non aliud colligitur, quàm quòd Deus vocaverit, & elegerit ad gloriam vt dandam in executione per merita: & ideo Apost. exhortatur ad bona opera. Vnde solùm sequitur, quòd certitudo vocationis & electionis ex parte obiecti dependeat ex bonis operibus, & hoc non in intentione, sed in executione: non verò quòd ipsa electio, & vocatio subiectivè dependeat.

44 Ad primum testimonium D. Augustini (cui maxime fidit Vazquez, & torquet certè fautores nostræ sententiæ) aliqui cum Bellarm. respondent, retractasse in alijs libris ea, quæ scripserat ad Simplicianum, quem librum scripsit adhuc iuvenis, & Augustinum iuvenem, inquit, secutus est Vazquez, non senem. Alij respondent, verba illa non ex certa & diffinitiva sententia, sed disputando, inquirendo, & dubitando, ab eo dicta fuisse: vt colligitur ex alijs verbis, quæ præmiserat: *Nisi forte sic est distinguenda sententia.*

45 Sed melius alij cum N. Salmant. Ioan. à Sancto Thoma, Godoy, & Ferre, respondent dicendo, sensum Augustini non esse de electione in ordine intentivo, sed de electione exequente & eligente in re ad consecutionem finis, qua opera ipsa eliguntur ad regnum cœlorum, quando autem opera eliguntur ad hunc finem, iam proceditur via executionis, & tunc iam præcedit iustificatio. Movemur ad hanc interpretationem, tum ex verbis D. Thomę, qui quæst. 6. *de Verit.* art. 1. sic explicat suum Magistrum: *Vel si debeat sustineri prædicta authoritas Augustini, referendum est ad effectum prædestinationis, qui habet aliquam causam meritoriam, aut dispositivam.* Tum ex ipso D. August. qui loco nobis obiecto hęc addit: *Non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis; sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideò invenit bona opera, quæ eligat ad regnum cœlorum.* Loquitur ergo de electione operum, quæ sunt merita, quæ necessariò debent supponere gratiam. ¶ Eodem modo interpretatur secundum testimonium D. August. quatenus electionem *secundùm iustitiam* vocat in ordine executionis: Vel quia non eligit homines ad gloriam, nisi vt conferendam præmisso examine meritorum, & secundùm iustitiam. Aliam interpretationem propriam meditatus sum: ibi loquitur Augustinus de duplici electione ad gloriam, alia titulo hæreditatis secundùm gratiam, & ideò dixit *secundùm gratiam*, quæ competit parvulis baptizatis; altera titulo meritorum, & ideò dixit *secundùm iustitiam*, quæ competit adultis. An verò vtraque sit & post præviſam gratiam, & post præviſa merita, nihil ait Augustinus in illo loco. Eodem modo interpretantur Authores relati alia testimonia Ambrosij, Hieronymi, & aliorum PP. quatenus aiunt, loqui in ordine executivo, non verò in intentivo. Per quod constat ad secundam confirmationem.

§. VI.

Secundum Argumentum.

46 ARguitur *secundò*: Collatio gloriæ in tempore est actus externus iustitiæ, iuxta Apost. *Reposita est mihi corona iustitiæ*: ergo & voluntas efficax dandi gloriam est actus iustitiæ, & consequenter post præviſa merita. Probatur consequentia: Tum, nam quia collatio primæ gratiæ est actus liberalitatis & ex voluntate gratuita, etiam intentio debet esse gratuita: ergo econtrà si collatio gloriæ est ex iustitia, etiam intentio debet esse ex iustitia. Tum & præcipuè: nam actus externus participat moralitatem ab interno: ergo debent pertinere ad eandem virtutem vel iustitiæ, vel misericordię.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem respondetur dando disparitatem inter actum intentivum, & executivum gratiæ ex vna parte; & inter actum intentivum, & executivum gloriæ ex altera: gratia enim nec in intentione, nec in executione supponit merita, qua ratione tam intentio, quam executio illius pertinent ad eandem virtutem misericordiæ & liberalitatis. Respectu verò gloriæ econtrà res se habent: Nam intentio non supponit merita præviſa, ex quibus voluntas divina moveatur ad intendendam gloriam, sed executio ea præsupponit: ideoque intentio pertinet ad virtutem liberalitatis & misericordię; actualis verò collatio ad attributum iustitiæ.

47 Ad secundam respondetur, quòd si habet aliquam vim, non minùs vrget Aduersarios: Nam ipsi admittunt in Deo voluntatem antecedentem per modum intentionis, qua vult omnes homines salvos fieri iuxta dictum Apost. quam dicunt esse purè gratuitam; & deinde ex hac oriri voluntatem efficacem dandi merita, necnon gloriam in executione. Ecce quomodò collatio gloriæ ortum habet ex misericordia, & formaliter pertinet ad iustitiam. Respondetur ergo, quòd collatio exterior gloriæ supponit duplex decretum, aliud pertinens ad ordinem executivum, aliud verò ad ordinem intentivum; cum hac tamen differentia, quòd collatio gloriæ imperatur immediatè ab actu interiori pertinenti ad ordinem executivum, remotè verò ab actu interiori pertinenti ad ordinem intentivum. Quod probat argumentum est, exte-

rio-

riorem collationem glorię ſupponere aliquem actum interiorem provenientem elicitivè à iuſtitia, quod libenter concedimus: iſte tamen actus non eſt illa intentio prima, ſed vſus activus voluntatis movens potentiam executivam ad ipſam collationem gloriæ.

Explicatur hoc exemplo: Pater motus ex miſericordia deſiderat filio Epiſcopatum; & ex hac miſericordia motus & non ex meritis prævisis intendit, vt poſteà acquirat ex meritis illam dignitatem, & ex hac intentione movetur ad faciendos ſumptus, & adhibenda alia media quibus filius fiat dignus tali dignitate: tunc ſi talis pater fungeretur titulo Iudicis, & Patroni, deberet ex iuſtitia tribuere dignitatem. Ecce quomodò collatio illius eſt actus iuſtitiæ, licet imperativè radicaliter procedat ex intentione & motivò miſericordiæ.

48 Sed objicies *primò*: Nam ſuppoſito quòd prima & fontalis electio prædeſtinatorum ad gloriam ſit elicitivè à miſericordia, nullus actus poteſt aſsignari, qui ſit elicitivè a iuſtitia, & imperet omnipotentiam ad collationem gloriæ: ergo vel illa intentio eſt ex iuſtitia, vel collatio gloriæ non eſt imperativè à iuſtitia. Antecedens probatur: Nam ſi aliquis actus eſſet aſsignabilis, maximè vſus activus voluntatis præſupponens intentionem glorię, & electionem meritorum, ſed hic actus non eſt elicitivè à iuſtitia, ſed à miſericordia: ergo ſuppoſito quòd prima illa intentio ſit elicitivè à miſericordia, nullus actus poteſt aſsignari, qui ſit elicitivè à iuſtitia. Maior videtur certa: quia poſt intentionem efficacem finis, & electionem efficacem mediorum nullus alius actus eſt neceſſarius præter vſum activum voluntatis moventem efficaciter potentiam executivam ad executionem mediorum & finis. Minor verò probatur: Nam per huiuſmodi actum voluntas movet omnipotentiam ad executionem meritorum; ſed executio meritorum eſt actus miſericordiæ, & non iuſtitiæ, vt ex ſe liquet: ergo &c.

49 Nec refert, ſi dicas *primò*, huiuſmodi actum eſſe elicitivè à miſericordia, quatenus movet ad executionem meritorum; & eſſe actum iuſtitiæ, quatenus movet ad executionem gloriæ. Non (inquam) refert: Nam actus eliciti diverſarum virtutum nequeunt non virtualiter diſtinguì. ¶ Nec refert, ſi dicas *ſecundò*, quòd ibi intercedit duplex vſus activus voluntatis, alius ad movendam omnipotentiam ad executionem meritorum, & poſt hunc alius movens eandem omnipotentiam ad executionem glorię ex prævisione meritorum, itaut primus ſit actus miſericordię, & ſecundus iuſtitiæ. ¶ Non (inquam) refert: Tum, quia vſus activus voluntatis primariò terminatur ad media, licèt ſecundariò terminetur ad finem. Tum etiam: nam non opus eſt novo actu voluntatis, niſi dum adeſt nova difficultas formalis; ſed poſt vſum terminatum ad merita nulla adeſt difficultas formalis, alias ex parte intellectus daretur ſpecialis virtus diſtincta à virtute dirigente ad vſum mediorum ad vincendam prædictam difficultatem formalem: ergo falſum eſt, quòd detur duplex vſus virtualiter diſtinctus.

50 Reſpondetur, ſuſtinendo ſecundam ſolutionem inter arguendum datam. Ad quam amplectendam nos inducit tum ratio allata in obiectione, tum replica contra primam ſolutionem, quæ efficaciſsimę ſunt. Et propter eas hoc modo interpretandi ſunt N. Salm. quoties aſſerunt, vſum activum voluntatis eſſe actum elicitum iuſtitiæ. Videantur in hoc tract. diſp. 9. num. 2. num. 63. num. 110. aliiſque in locis, in quibus quamvis doceant, vſum activum eſſe actum iuſtitiæ, hoc tantùm poteſt habere locum in vſu terminato ad gloriam ſicut in executione illius. Licèt in ſenſu præcipuè intento in hac controverſia poſsit admitti de vſu terminato ad media, eorumque executionem: quia quodammodò præſupponit prævisionem meritorum in vi electionis præcedentis.

Contra quam ſolutionem nulla ex duabus illis probationibus vrget. *Non prima*: nam tunc vſus voluntatis terminatur cum ordine in ea præſcripto ad media & ad finem, quando media ſunt phyſicè connexa cum fine, quia in eo eventu non opus eſt alio actu executivo immediatè terminato ad finem. Sed quando media tantùm connectuntur moraliter cum fine, & aliàs movent ex titulo iuſtitiæ ad conferendum finem, oportet, quòd detur alius vſus voluntatis movens potentiam executivam ad collationem finis. Huiuſmodi autem vſus impropriè & ſecundumquid dicendus eſt *vſus*: quia hic actus in ſtricta acceptione tantùm intelligitur de vſu terminato ad media.

51 *Neque ſecunda*: nam ibi intervenit nova difficultas formalis ex parte voluntatis, cùm interponatur obiectum proprium iuſtitiæ, quod eſt gloria danda intuitu meritorum iam adæquatè futurorum in ſigno antecedenti. Et poteſt hoc explicari exemplo ſuprà adducto patris deſiderantis ex miſericordia filio Epiſcopatum, & adhibentis media, vt illa dignitate reddatur dignus: nam prima intentio, electio illorum mediorum, & vſus eorum, ſunt actus eliciti à miſericordia; ſed poſtea opus eſt alio actu voluntatis elicito à iuſtitia, moventeque patrem ad actualem collationem cathedræ, eò quòd ipſa collatio eſt actus iuſtitiæ. Neque ob hoc ponenda eſt ſpecialis virtus ex parte intellectus: quia tunc requiritur nova virtus ex parte intellectus, quando datur nova difficultas formalis quoad executionem tàm mediorum, quàm finis: poſito autem imperio ad media, non eſt nova difficultas quoad executionem finis, quamvis ſit nova materia attingenda à voluntate, videlicet materia iuſtitiæ. Solùm reſtat hic notare, quòd Illuſtr.

lustr. Godoy in præs. disp. 65. num. 85. & Palanco quæst. 5. num. 77. aiunt, in sententia Salmant. nullum dari in Deo decretum executivum supponens previsionem meritorum. In quo apertè falluntur: nam perpetuò tradunt huiusmodi decretum executivum, quod sit ex meritis: vt videri possunt per totam disputationem 9. à principio vsque in finem.

§. VII.

Reliqua argumenta.

52 ARguitur *tertiò*: Deus intendit dare D. Petro gloriam vt *coronam*: ergo non vult illam dare gratuitò, sed intuitu meritorum. Antecedens est certum: Tum, quia continet nostram conclusionem. Tum, quia Deus intendit efficaciter dare gloriam, eo modo quo ponenda est in re; alias intentio illa non esset efficax: cùm ergo conferat gloriam vt *coronam*, planè infertur intendere illam etiam vt *coronam*. Consequentia verò probatur: Nam quod intenditur per modum *coronæ*, intenditur dari propter merita: ergo si Deus intendit dare D. Petro gloriam vt *coronam*, non illam intendit dare gratuitò, sed intuitu meritorum.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo antecedens; & distinguendo consequens: *ergo non vult illam dare gratuitò*, si ly *gratuitò* cadat supra verbum *vult*, nego consequentiam; si cadat supra verbum *dare*, concedo consequentiam. Aliud enim est, Deum intendere dare D. Petro gloriam vt *coronam* & intuitu meritorum, itaut collatio gloriæ præsupponat prævisionem meritorum; & aliud intendere dare illi gloriam vt *coronam*, itaut ex meritis moveatur ad intendendam gloriam vt *coronam*. Deus autem, dum intendit dare gloriam vt *coronam*, non est necesse, quòd prima illa intentio præsupponat merita futura, sed sufficit, quod sciat certò, esse in sua potestate donare merita iuxta quantitatem gloriæ intentæ, & quòd actualis collatio gloriæ per modum *coronæ* præsupponat existentiam meritorum per modum causæ moralis, & dispositivæ.

53 Sed contra hanc solutionem objicies *primò*: Nam istę duæ voluntates in Deo, *Volo dare gloriam liberaliter*: & *Volo dare gloriam propter merita* opponuntur; sed Deus ab æterno voluit dare gloriam propter merita: ergo non voluit dare illam liberaliter. Minor est certa: nam ab æterno eodem modo vult, quo illam in tempore dat; sed in tempore dat propter merita iuxta traditam solutionem: ergo etiam ab æterno voluit illam dare propter merita.

Respondetur distinguendo mai. si sint sub eadem consideratione, conced. maiorem; si sub diversa, nego mai. Etenim si ly *liberaliter* in vtraque propositione cadat immediatè supra ipsum *dare*, aut supra ipsum *velle*, habent inter se oppositionem: At si in vna cadit immediatè supra ipsum *dare*; & in alia supra ipsum *velle* intentivum, tunc non opponuntur, quia variatur appellatio.

54 Objicies *secundò*: Nam quoties aliquid est medium & causa moralis ad aliquem finem, tunc is, qui alteri promittit ipsum finem, nunquàm intendit illum dare, nisi prævideat medium; sed merita sunt media moralia, per quę Deus intendit prædestinatis dare gloriam: ergo non intendit dare gloriam, nisi priùs videat merita. Maior probatur: Nam quod se habet per modum medij & causæ moralis, solùm movet per modum impetrationis; sed quod movet per modum impetrationis, debet præsupponi prævisum, vt moveat voluntatem conferentis ipsum finem: ergo &c.

Respondetur negando mai. si medium morale est in potestate illius, qui promittit finem: quia quoad hoc idem dicendum est de medio morali, ac de medio physico, si cætera sunt paria. Nam sicut medium physicum non exercet suam causalitatem erga finem in ordine intentionis, sed tantùm in ordine executionis; ita medium morale (maxime si est in potestate illius, qui intendit finem illius) non exercet suam causalitatem nisi in ordine executivo.

55 Ultimò arguitur (relictis aliis argumentis, quia eorum solutio satis constat ex dictis) ab inconvenientibus: Nam ex nostra sententia sequitur *primò*, quòd hæc electio omninò efficax, & gratuita non cohæreat cum illa sincera voluntate, qua ex intimo cordis affectu vult ante prævisionem meritorum omnes homines salvos fieri: cùm ante visa eorum opera tam paucos eligat efficaciter ad gloriam, & reliquos efficaciter excludat. ¶ *Secundò*, hanc electionem omninò destruere divinas promissiones, quibus ante prævisa merita promittit omnibus vitam æternam, si divina mandata perseveranter custodierint: ex eo quòd voluntas efficax & absoluta ante prævisa merita neget voluntatem conditionatam post prævisa merita conditionatè futura. ¶ *Tertiò*, quòd non coincidat cum efficacia, quam habent bona opera perseveranter patrata in ordine ad vitam æternam: cùm ex vi huius electionis gratuitæ & efficacis electi defactò consequentur gloriam, esto bona opera non haberent; & reprobi non consequentur, esto illa haberent. ¶ *Quartò*, ex illa homines ad pigritiam & desperationem invitari: quia quilibet potest theologizare: Vel sum efficaciter electus, vel non? Si primum: ergo infallibiliter consequar salutem: dormiamus ergo. Si secundum: ergo infallibiliter illam non consequar. Ut quid ergo bene operabor? Comedamus ergo & bibamus, & potiamur voluptatibus huius mundi, si-

qui-

quidem à delicijs alterius mundi iam efficaciter excluſi ſumus. ¶ *Quintò*, quòd non compatitur cum noſtra libertate: nam hoc decretum efficax antecedit noſtram liberam voluntatem, ita vt ſit omninò independens ab illa, nec in manu noſtra ſit illud dari, vel non dari, nec poſſe illi reſiſtere.

56 Reſpondetur ad primum æquè vrgere in ſententia contraria: Nam iuxta illam eſtò primò Deus non eligat ad gloriam, ſed ad gratiam & merita, non poteſt tamen negari, quòd omninò gratuitò eligit ad illa independenter à noſtris meritis illos tàm paucos ſalvandos, & quòd hæc media vt efficacia ad gloriam confert gratuitò eo tempore, & occaſionibus, in quibus Deus per ſcientiam mediam prævidit, quòd voluntas creata ipſis cooperabitur, & conſentiet. In qua ſuppoſitione inquiro: hæc voluntas Dei conſequens deſtruit illam communem antecedentem; vel non? Si primum: ergo opponitur Scripturæ. Si non: ergo voluntas Dei abſoluta & efficax ſalvandi paucos omninò gratuita, & antevertens prævisionem meritorum etiam non deſtruit antecedentem ſalvandi omnes. Deinde reſpondetur, quòd illa voluntas efficax, & gratuita ſalvandi paucos optimè componi poteſt cum voluntate communi, & ſincera ſalvandi omnes: eò quòd illa eſt conſequens, hæc antecedens; illa reſpicit ſalutem hominum vt veſtitam pluribus circumſtantijs, nempè quatenus conducit ad manifeſtationem divinæ miſericordiæ, & iuſtitiæ, & præcipuè liberalitatis, & ad alios fines divinę ſapientiæ; hæc reſpicit ſalutem ſecundùm ſe, & prę ſcindentem ab his circumſtantijs.

57 Per quod patet ad ſecundum: Nam benè poteſt quis decernere abſolutè & efficaciter dare aliquid alicui, & promittere illud conditionate tàm huic, quàm omnibus, ſi ſimul cum voluntate abſoluta & efficaci circa illum habeat ſimul voluntatem antecedentem & conditionatam circa omnes, vt in prę ſenti accidit. Nam promiſsiones à Deo generaliter factę omnibus, quibus promittit vitam æternam, correſpondent præcisè voluntati antecedenti inefficaci & conditionatę, quæ ex parte etiam eſt abſoluta, eò quòd dat omnibus auxilia ſufficientia. Vltra quæ vult efficaciter voluntate abſoluta & conſequenti dare aliquibus gloriam, qua dat illis omnia media efficacia ad illam conſequendam. Ratio verò, quare illam non promittit omnibus hoc ſecundo modo, eſt, vt cum timore, & tremore, maiorique humilitate ſalutem operemur.

Ad tertium reſpondetur, negando aſſumptum: Nam efficacia, quam habent opera noſtra perſeveranter patrata, deſcendit ab illa intentione abſoluta efficaci, & omninò gratuita: quia eſtò Deus per illam gratis eligat prædeſtinatos ad gloriam, ly *gratis* cadence immediate ſupra electionem; non tamen vult dare illis gloriam ſine meritis, & *gratis* cadente immediatè ſuprà ipſum *dare*: quia licèt Deus liberaliter moveatur ad intendendum totum hoc complexum *gloria danda ex meritis in executione*, & totum ſit intentum ſub motivo formali miſericordiæ; non tamen excludit, ſed potiùs infert in executione merita, per quę gloria in re conſequenda eſt. Unde ab illa prima intentione deſcendit collatio meritorum, & eorum perſeverantia: & qui illam non habent, eſt, quia deficit illa cauſa abſque iniuria alicuius, quia poteſtatem habet figulus faciendi ex eadem maſſa quoddam vas in honorem, & aliud in contumeliam.

58 Ad quartum (quod æquè evertit decretum gratuitum, & efficax dandi merita, aliaque decreta efficacia ab æterno, & præſcientiam Dei) reſpondetur, quòd nullus rationabiliter poteſt facere illos diſcurſus: nam electio ad gloriam non excludit merita, ſed potius illa infert & cauſat. Unde vt aliquis gloriam, ad quam electus eſt, conſequatur, neceſſarium eſt, quòd benè operetur: quia non eſt electus ad gloriam niſi medijs operibus bonis conſequendam. Unde ſicut agricola nequit rationabiliter argumentari: *Vel fructus futuri ſunt determinati à Deo; vel non? Si primum: ergo non ſeminemus*: quia Deus non aliter decernit fructus niſi medio labore ipſius agricolæ; ſic in noſtro caſu.

59 Ad vltimum reſpondetur diſting. antecedens: *hoc decretum antecedit noſtram libertatem*, antecedentia cauſativa actus, & modi libertatis illius, conc. antecedens; aliter nego. Talis autem ſuppoſitio antecedens non tollit libertatem: quia non quælibet ſuppoſitio antecedens illam tollit, ſed ſolùm illa, quę ita conſtringit ad actum, quæ etiam impedit facultatem ad actum oppoſitum, & tollit indifferentiam iudicij & dictaminis. Unde eſtò ſit infallibile, & efficax in ordine ad actum, eſt etiam efficax ad faciendum illum libero modo. Ad probationem ibi incluſam diſting. *Non poſſe reſiſtere*, quoad hoc quòd fiat libero modo, conc. quia totum hoc vult Deus, & hoc potentia conſequenti & in ſenſu compoſito; quoad hoc quòd fiat abſolutè & potentia antecedenti, neg. quia etiam hoc vult Deus, quòd poſſim diſſentire, & facere oppoſitum actum, & quòd defactò illum non faciam, ſed actum (v.g.) amoris: Et ſic non poſſum ei reſiſtere, quia in hoc ſemper involvitur potentia conſequens, quę ſcilicet poſsit coniungere actum meum odij contra actum Dei conantem ad actum meum amoris, & contra actum meum odij. In ſumma in poteſtate mea non eſt ponere decretum Dei quaſi aliquid mihi ſubiectum; relinquit tamen in me poteſtatem ad oppoſitum, & hoc ſufficit ad libertatem.

*** ***
***

DIS-

DISPUT. III.

De Effectibus Prædestinationis.

1 TErtium; quod promisimus in limine huius tractatus, est agere de effectibus prædestinationis, de quibus erit sermo in hac tertia disputatione. Inter effectus autem prædestinationis alij sunt eliciti, alij verò imperati: primi generis sunt visio beatifica, & perseverantia finalis, de quibus nullum est dubium esse effectus prædestinationis, eò quòd prædestinatio est causa mediorum efficaciter conducentium ad vitam æternam, & media sunt causa ipsius vitæ æternæ. Alij verò, qui inter effectus prædestinationis annumerantur, sunt imperati, quia secundùm se sunt communes reprobis, & prædestinatis: & huiusmodi sunt iustificatio secundùm se, vocationes plurimæ efficaces, & omnes inefficaces. Et de his quidem potest esse aliqualis difficultas. Sed longè maior est in permissione peccati, & substantia ipsius prædestinati, propter quas potissimè instituimus præsentem disputationem, quamvis non nihil dicemus per modum corollarij de alijs effectibus proximè relatis.

DUBIUM I.

Utrùm permissio peccati sit effectus Prædestinationis?

ÆGrè possumus ad scopum huius dubij, & omnium, quę in hac disputatione dicenda sunt, pervenire, nisi explicemus conditiones, quæ ad effectum prædestinationis requiruntur. Pro quo aliqua supponuntur.

§. I.

Suppositiones nonnullæ:

2 SUpponendum est *primò*, quòd ad effectum prędestinationis tres conditiones necessariò requiruntur. *Prima est*, quòd possit esse absolutè effectus Dei. Et ratio est aperta: Nam quomodò aliquid potest esse effectus prædestinationis, si nequit esse effectus voluntatis divinæ? *Secunda est*, quòd aliquo modo conducat defactò & cum effectu ad vitam æternam: nam prædestinatio est ordinatio efficax mediorum, quæ defactò & cum effectu conducunt ad vitam æternam, vt sæpè diximus ergo ad effectum prædestinationis omninò prærequiritur, quòd defactò & cum effectu conducat ad vitam æternam. *Tertia est*, quòd procedat ex intentione Dei efficaci tribuendi beatitudinem: quia non temerè, à casu, & præter intentionem ordinat prędictos effectus ad eam. Ob cuius defectum incarnatio Christi, & illius opera non sunt effectus nostræ prædestinationis: quia licèt sint à Deo, & defactò conducant cum effectu ad nostram beatitudinem, non tamen fuerunt ex intentione efficaci nostræ beatitudinis: quin potius intentio ista procedebat ex intentione incarnativa: & hac ratione omnes effectus prædestinationis nostræ sunt effectus prædestinationis Christi, iuxta illud Trident. sess. 6. cap. 7. *Finalis causa nostræ iustificationis est gloria Dei, & Christi, & vita æterna.*

3 Difficultas tamen est, an requiratur vt quarta conditio, quòd sit effectus prædestinationis Christi, vt sit effectus prædestinationis nostræ? Ad quod respondendum est sub distinctione: nam si loquamur secundùm præsentem providentiam, reipsà requiritur, quòd sit effectus prędestinationis Christi, quia Christus intentus est à Deo finis omnium rerum, maximè illarum pertinentium ad providentiam sanativam, vt infrà dicemus. Si verò loquamur de ipsa prædestinatione secundùm se, non requiritur, quòd sit effectus meritorum Christi: quia optimè posset Deus, iuxta aliam providentiam prædestinare aliquem independenter à meritis Christi. Et propterea hęc conditio non annumeratur inter conditiones requisitas ad effectum prædestinationis, quia Theologi solùm attendunt ad eas, quæ ex natura sua requiruntur.

4 Supponendum est *secundò*, peccatum sub expresione *malitię* non esse effectum prædestinationis. Et ratio ex dictis satis liquet: nam peccato sub expresione *malitię* deficit prima conditio, quæ est radix cæterarum, videlicet quòd sit effectus Dei: ergo sub expresione *malitię* non est effectus prædestinationis. Diximus *sub expresione malitię*: quia cùm peccatum præter formale malitiæ importet materiale illius materialiter sumptum, de hoc materiali peccati poterat esse maior difficultas; sed reipsà dubium hoc æquè potest procedere de materiali peccati, ac de permissione illius: Tum, quia quidquid de permissione peccati resolvendum est, potest applicari materiali illius, vt ex dicendis in tota hac controversia constabit. Tum etiam: quia materiale peccati est effectus Dei causatus per verum influxum; permissio autem peccati dicit carentiam influxus, vt proximè explicabimus: quocirca si, hoc non obstanti, permissio peccati potest esse, & defactò est effectus prædestinationis, non est cur materiali peccati prędicta ratio denegetur. Sed claritatis gratia solùm procedet quæstio de permissione peccati. Prius tamen oportet declarare quid est, in quo formaliter consistit permissio peccati?

5 Pro quo supponendum est *tertiò*, permissionę peccati consistere in negatione auxilij effi-

efficacis, quando instat tentatio gravis ad peccandum: talis enim est conditio naturæ humanæ post peccatum Adami, quòd graviter tentata, & sibi soli relicta infallibiliter illi succumbat. Quæ potest considerari dupliciter: vel activè ex parte Dei, & est ipsemet actus voluntatis divinæ, quo vult subtrahere gratiam efficacem; vel passivè ex parte creaturæ, prout actus divinæ voluntatis infert in ea carentiam prædictæ gratiæ requisitæ indispensabiliter ad vitandum peccatum. Titulus quæstionis potest procedere de permissione in vtroque sensu accepta. Aliter tamen & aliter: nam de permissione active sumpta solùm habet locum, quatenus vnus actus voluntatis oritur tanquam à ratione à priori ex alio, quia nullus actus divinus potest esse propriè effectus: & in hac acceptione idem est ac inquirere, vtrum actus divinus, quo subtrahitur gratia efficax, quoddammodò oriatur ex intentione efficaci dandi gloriam prædestinato? Sed, re benè perpensa, resolutio quoad hoc sufficienter constabit ex resolutione permissionis peccati passivè sumptæ, cui propriè potest competere ratio effectus Dei, eo modo quo privationes sunt effectus illius: ideoque de hac intelligenda est controversia.

6 Supponendum est *quartò*, permissionem peccati non esse effectum elicitum prædestinationis. Tum, quia non est supernaturalis entitativè. Tum, quia ex se magis conducit ad damnationem, quàm ad beatitudinem. Tum denique: quia collatio auxilij efficacis, excepto auxilio efficaci ad perseverantiam finalem, non est effectus elicitus, sed imperatus: ergo multò minùs carentia auxilii efficacis potest esse effectus elicitus. Solùm ergo restat difficultas, an sit effectus imperatus?

7 Sed pro huius maiori luce: Nota, quòd inter media imperata alia sunt purè quoad ordinationem, supponentem eorum existentiam; alia verò possunt esse imperata etiam quoad eorum existentiam & productionem. Quod in arte domificatoria potest liquidò explicari: nam præter eius effectum elicitum, qui est domus, aliqui sunt effectus illius quoad ordinationem supponentem eorum existentiam, vt sunt lapides, & ligna: alij sunt ab ipsa imperati quoad eorum existentiam & productionem, vt sunt clavi, & regulæ. Hinc supponimus cum Adversarijs (& erit suppositio *quinta*) permissionem peccati esse effectum imperatum prædestinationis saltem in priori sensu. Sed difficultas non levis est, an sit effectus imperatus illius, itaut primæva eius permissio tàm activa, quàm passiva imperetur, proportione servata, à providentia prædestinativa?

8 Pro quo adhuc nota, quòd aliqui sunt effectus, qui immediatè possunt imperari à prædestinatione, quia immediatè possunt conducere ad vitam æternam, vt omnes actus immediatè imperati à charitate. Alij verò sunt, qui immediatè non possunt ordinari ad vltimum finem supernaturalem: & ita se habet permissio peccati, quę ex se nequit immediatè ad illum ordinari, nisi priùs & immediatius ordinetur ad bonum alicuius virtutis, puta humilitatis, & pœnitentiæ. Inter quas virtutes hoc est discrimen, quòd humilitas non supponit essentialiter peccatum, econtrà verò pœnitentia illud essentialiter supponit.

Hinc ergo oritur dissidium inter Authores. Nam aliqui docent, permissionem peccati nullo modo esse effectum prædestinationis. Ita Vazquez disp. 93. cap. 2. Arrubal disp. 92. cap. 2. quos sequuntur plures Recentiores Societatis. Alij distinguunt, & aiunt, permissionem peccati esse effectum prędestinationis ex præintenta virtute, non supponente peccatum, v. g. humilitate; secùs verò ex præintenta virtute supponente peccatum, videlicet pœnitentia. Ita Suarez lib. 3. *de Prædest.* cap. 8. cui alij moderni suffragantur. Sed vniversa Schola Div. Thomę absque vlla distinctione docet, esse effectum prædestinationis. Et hunc modum dicendi defendunt N. Salm. in præs. disp. 6. *per totam.* Pro quo sit:

§ II.

Sententia nostra, & D. Thomæ.

9 Dicendum est, permissionem peccatorum in electis esse effectum suæ prædestinationis tàm ex præintenta humilitate, quàm ex præintenta pœnitentia. Et probatur hac ratione fundamentali: Nam de ijs, quæ pendent à decretis liberis Dei, non aliud tentiendum est, præter id quod ex Scriptura, & SS. PP. habemus; sed ex Scriptura & SS. PP. habemus, permissiones peccatorum in electis esse effectus prædestinationis ex præintenta humilitate, & pœnitentia: ergo permissiones peccatorum in electis sunt effectus suæ prędestinationis ex præintentis prędictis virtutibus. Maior est certa: nam non aliunde Thomistæ cum suo Angelico Præceptore probant, Incarnationem esse à Deo vlitam propter remedium peccati, nisi quia Scriptura, & Patres hunc finem assignant. Minor verò quoad primam partem probatur: tum ex illo Psalm. 29. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Quæ verba exponens D. August. lib. *de Natura, & grat.* cap. 14. sic ait: *Dixerat enim in abundantia sua, Non movebor in æternum, & sibi tribuebat, quod à Domino habebat. Quare ostendendum ei fuerat, vnde haberet, vt reciperet humilis, quod superbus amiserat.* Tum ex illo ad Rom. 9. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quod D. August. lib. *de Correct. & grat.* cap. 9. sic exponit: *Talibus Deum diligentibus omnia*

cooperantur in bonum, vsque adeo prorsùs omnia, vt etiam siqui eorum deviant, & exorbitant, hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.

10 Quoad secundam partem etiam probatur ex illo ad Rom. 11. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Quæ verba explicans idem D. August. lib. 21. *de Civit. Dei* cap. 24. inquit: *Deus permisit prædestinatos ex Iudæis, & Gentibus incidere in peccatum infidelitatis, vt de amaritudine illius pœnitendo confasi, & de dulcedine divinæ misericordiæ credendo conversi, dicant illud Psal. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Idem tradunt Leo Magn. Serm. 9. *de Passione*; Damasc. lib. 2. *de Fide* cap. 29. & alij plures Patres, qui apud Nostrates possunt videri.

Et confirmatur quoad vltanque partem eleganti testimonio D. Thomæ 1. 2. quæst. 79. art. 4. vbi loquens de excœcatione, sic ait: *Excœcatio est quoddam præambulum ad peccatum: peccatum autem ad duo ordinatur, ad vnum quidem per se: ad aliud autem ex divina misericordia vel providentia, scilicet ad sanationem, inquantùm Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum suum agnoscentes, humilientur, & convertantur*: Sed conversio ista est pœnitentia: ergo iuxta D. Thomam permissio peccati est à Deo ex intentione humilitatis, & pœnitentiæ.

11 Respondet Vazquez, Deum intendere permissionem peccati propter alium finem, ad quem per se & immediatè conducit: viso tamen peccato, & sumpta ex eo occasione, ordinare eius permissionem ad bonum electorum. Unde intentum PP. solùm esse explicare fructus pœnitentiæ, & humilitatis, quos Deus ex peccato commisso, & præviso deducit. Ratio verò cur Deus nequit intendere permissionem peccati ex præintenta humilitate, & maximè ex præintenta pœnitentia, est: quia non conducit ad prædicta bona per se & immediatè, sed ratione peccati; atque ideo, si Deus intenderet per se primò prędicta bona, cogeretur velle peccatum ipsum, sine quo pœnitentia haberi non potest.

Sed contrà est *primò*: Nam, iuxta hanc solutionem, permissio peccati in electis est volita à Deo ex aliquo fine; sed Scriptura, & Patres assignant pro fine bonum humilitatis, & pœnitentiæ: ergo Deus ex primaria intentione ordinat permissionem peccati ad finem humilitatis, & pœnitentiæ. ¶ *Secundò*: Nam non repugnat iuxta plures Adversarios, & constabit ex solutione argumentorum, quòd permissio peccati procedat ex voluntate primaria conferendi prædicta bona: ergo cum Patres dicant, Deum illud permittere propter prædicta bona, non debent intelligi, quòd ea bona sint occasionata ex prævisione peccati, sed quòd permissio peccati sit effectus voluntatis intendentis prædicta bona.

12 Neque ratio, quam pro se adducit Vazquez, ei favet. Tum ad hominem: nam ipse loco suprà citato num. 15. asserit, Deum velle permissionem peccati ex primaria intentione ostendendi divitias gratiæ suæ erga electos, iuxta illud Apost. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*; et tamen ad istum finem non conducit nisi medio peccato, neque ob hoc vult Deus ipsum peccatum: ergo etiam potest ex primaria intentione velle permissionem peccati in electis, vt cautiores resurgant, & pœniteant, quin ex hoc sequatur velle ipsum peccatum. Tum etiam ad hominem: nam permissio peccati in reprobis est effectus prædestinationis electorum: ergo est volita à Deo ex primaria intentione salutis illorum; & tamen non ob id vult ipsum peccatum: ergo. Tum denique: nam iuxta sententiam D. Thomæ Christus, vt Redemptor à peccato, præsupponit tanquam terminum *à quo* destruendum ipsum peccatum: & tamen Christus vt *Redemptor* ita est à Deo per se primò intentus, vt non propter id teneatur velle ipsum peccatum, sed tantùm permissionem peccati: ergo idem potest dici de pœnitentia. Patet consequentia: nam Christus vt *Redemptor* non minùs præsupponit peccatum, quàm pœnitentia: quia sicut pœnitentia est medicina peccati, ita Christus vt *Redemptor*.

§. III.

Argumentorum enodatio.

13 ARguitur *primò*: Nam omnis effectus prædestinationis debet esse gratia & beneficium Dei, vt constat ex definitione illius, quam tradit D. Augustinus; sed permissio peccati non est gratia & beneficium Dei, sed potius subtractio & carentia beneficij: ergo non est effectus prædestinationis. ¶ Et confirmatur *primò*: Nam omnis effectus prædestinationis est per Christum; sed permissio peccati non est per Christum, quia Christus non est mortuus, vt Deus permitteret peccatum: ergo. ¶ Confirmatur *secundò*: Illicitum est nobis petere à Deo, vt permittat nos cadere in peccata, adhuc sub spe alicuius boni, quia sicut non sunt facienda mala, vt veniant bona; ita non possumus petere mala, vt eveniant bona, ideoque in oratione Dominica potius rogamus: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*; at licitum est nobis petere omnes effectus prædestinationis: ergo.

Ad argumentum respondetur, quòd verum est, permissionem peccati consideratam se-

secundùm se non esse gratiam & beneficium Dei. Cum hoc tamen rectè coharet, quòd sit gratia & beneficium Dei, quatenus ex Dei misericordia ordinatur extrinsecè ad bonum humilitatis, & pœnitentiæ, ratione cuius etiam ordinatur ad gloriam. ¶ Ad primam confirmationem eodem modo respondetur, quòd Christus mortuus est pro permissione peccati, prout ex ordinatione & misericordia divina conducit ad vitam æternam remotè, & ad bonum humilitatis, & pœnitentiæ proximè; quamvis non mortuus fuerit pro permissione peccati secundùm se.

14 Ad secundam confirmationem respondetur, concedendo mai. & negando min. Quia licitum non est nobis petere pro his prædestinationis effectibus, ex quorum positione sequitur peccatum ex parte nostra: quia qui vult causam, ex cuius positione sequitur effectus patrandus à seipso; virtualiter complacet in ipso effectu: vnde cùm peccatum sequatur infallibiliter ex permissione peccati, & se teneat ex parte nostra, inde est, quòd non possumus petere, aut desiderare permissionem peccati. Neque vniversaliter est verum, quòd licitè possumus petere omnes effectus prædestinationis: nam quis accedens ad non suam putans invincibiliter esse suam, elicit actum meritorium vitæ æternæ, qui ob hanc causam est effectus prædestinationis; et tamen non est ei licitum petere; aut desiderare talem actum. ¶ Dubium tamen est, an Christus possit licitè postulare permissiones peccatorum in electis, & vnus homo permissiones peccatorum alterius? Ad quod Carrasco in præsenti num. 21. respondet affirmativè de Christo; & negativè de puro homine. Sed meliùs respondetur de vtroque negativè; sicut nullus ex illis potest licitè petere accessum involuntarium ad non suam, & prædeterminationem ad materiale peccati patrandum ab alio. Ex quo non infertur, quòd non possit vterque petere martyrium passivè sumptum, quamvis supponat tortoris peccatum, quia est obiectum virtutis: Et per hoc patet disparitas inter martyrium passivum, & permissionem peccati: nam permissio peccati non est obiectum virtutis, sed tantùm ex ordinatione divina conducit ad actum virtutis.

15 Arguitur *secundò*: Permissio peccati non potest esse immediatè volita ex fine prædestinationis: alias nequit esse volita mediate, idest ex præintenta pœnitentia: ergo non est effectus prædestinationis. Maior est certa: quia non conducit, immediatè ad vitam æternam. Minor verò probatur: Nam si Deus vellet permissionem peccati ex præintenta pœnitentia, etiam vellet peccatum; sed hoc est falsum: ergo permissio peccati nequit esse volita à Deo ex præintenta pœnitentia. Maior probatur: Qui vult efficaciter aliquid in ordine ad aliquem finem, etiam vult illud, ratione cuius conducit ad talem finem, sicut Deus volens efficaciter conversionem panis in corpus Christi, etiam vult productionem panis, si non est productus; sed permissio peccati non conducit ad pœnitentiam nisi ratione peccati: ergo si Deus vellet permissionem peccati ex præintenta pœnitentia, etiam vellet ipsum peccatum.

Et Confirmatur *primò*; Nam intentio pœnitentiæ necessariò supponit prævisionem peccati: ergo permissio peccati non est volita à Deo ex præintenta pœnitentia. Antecedens probatur: Nam pœnitentia non est de primaria intentione Dei: quia est bonum occasionatum ex peccato, vt docent Patres cum Damasceno lib. 2. *de Fide* cap. 29. ergo sicut punitio supponit prævisionem peccati, ita pœnitentia. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam si Deus permitteret peccatum, vt per pœnitentiam illud sanaret, esset crudelis; sicut Medicus qui permitteret infirmitatem, vt eam sanaret.

16 Ad argumentum respondetur, concedendo mai. & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, verum esse, quòd permissio peccati non conducit ad pœnitentiam nisi medio ipso peccato; sed peccatum ipsum est talis conditionis, quod solùm sequatur sequela logica ex permissione illius: & propterea Deus, ex eo quòd permittat peccatum, non tenetur velle ipsum peccatum. Hinc ergo oritur, & quòd permissio peccati non possit conducere ad bonum pœnitentiæ nisi ratione peccati, & quòd permissio peccati possit esse volita à Deo propter bonum pœnitentiæ, quin ipsum peccatum sit à Deo volitum propter idem bonum. Instarique valet in sententia Adversariorum, asserentium permissionem peccati esse volitam à Deo propter aliòs fines divinæ providentiæ, ad quos non conducit nisi ratione peccati; et non propterea peccatum ipsum amatur à Deo. Exemplum panis convertendi in corpus Christi non est ad rem: quia ex nullo capite repugnat, quòd panis producatur à Deo.

17 Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem iterum negatur antecedens. Cuius probatio ibi inclusa non vrget: nam dupliciter potest dici, quòd pœnitentia est bonum occasionatum: vel occasione desumpta ex fragilitate nostræ naturæ; vel occasione desumpta ex nostris determinatis peccatis. Quando igitur Damascenus, & Patres dicunt, pœnitentiam esse bonum occasionatum, solùm loquuntur in priori sensu. Et ratio huius expositionis est: quia eo ipso quòd Deus per scientiam necessariam, & ante omne decretum permittendi peccata, viderit, quòd voluntas libera ad bonum, & malum peccabit, nisi ipse suo auxilio impediat peccatum, potuit velle pro priori ad omnia peccata prævisa pœnitentiam, ex qua voluntate ortum habet voluntas permittendi peccata. Neque est simile de punitione:

quia pœna sub præcisa ratione *pœnæ* non est amabilis, seu bona ratione sui, econtrà verò pœnitentia, cùm sit virtus, est ratione sui amabilis: & propter hanc rationem pœna est vtroque modo bonum occasionatum, secus verò pœnitentia.

18 Ad secundam respondetur, quòd quamvis permittere malum ex sola intentione illud sanandi importet quandam speciem crudelitatis, secùs verò quando conducit ad maius bonũ, vel ad vitandum maius malum, vel quando conducit ad bonum vniversi. Sicut medicus multoties aliquem morbum minoris periculi permittit ex fine sanandi alium morbum maioris periculi, & vt salus infirmi magis roboretur. Deus autem, dum permittit peccatum in prædestinato, intendit, vt pœnitentia resurgat cautior, & humilior, & vt maiorem & permanentiorem gratiam recipiat: Intendit etiam, vt ostendantur divitiæ misericordiæ erga illum: & tandem, dum permittit peccatum propter pœnitentiam, permissionem ipsam peccati ordinat ad bonum vniversi, quod est bonum divinum. Et his de causis Deus prudentissimè & absque vllo nævo crudelitatis permittit peccatum propter pœnitentiam.

19 Arguitur *tertiò* (& erit vrgens replica contra solutionem proximè datam) Nam peccatum est maius malum, quàm pœnitentia sit bonum: ergo permissio peccati nequit esse volita à Deo propter pœnitentiam. Consequentia constat: nam non est prudentis Provisoris permittere maius malum ex affectu minoris boni. Antecedens probatur: Nam peccatum lethale saltem in ratione *offensæ* est simpliciter infinitum; sed pœnitentia, imo & beatitudo est bonum simpliciter finitum: ergo.

Ad hoc argumentum respondetur consequenter ad doctrinam proximè traditam, quòd pœnitentia potest considerari secundùm se, & prout est pars vniversi. Peccatum autem in ratione *malitiæ* non est maius malum, quàm sit bonum pœnitentia considerata secundùm se. Et licèt in ratione *offensæ* sit maius malum, quàm sit bonum pœnitentia sumpta secundùm se; secus verò quàm sit bonum pœnitentia, prout est pars vniversi: quia proutsic ordinantur ad bonum vniversi, quod est bonum divinum & superexcedens gravitatem offensæ. Hac eadem ratione sæpè in mutationibus naturalibus intenditur destructio nobilioris formæ ob aliam imperfectiorem. Videantur N.Salm. in præs. à num. 34. vbi afferunt alias duas solutiones.

20 Arguitur *quartò*: Innocentia est maius bonum, quàm pœnitentia: ergo Deus non potuit permittere peccatum ob pœnitentiam, si ob illam permissionem deperditur maius bonum. Consequentia patet: nam finis, propter quem permittitur peccatũ, debet esse maius bonum, quàm peccatum est malum, vt iam diximus; sed peccatum destruit innocentiam: ergo si hæc est maius bonum quàm pœnitentia, nequit Deus permittere peccatum propter pœnitentiam. Antecedens autem probatur *primò*, authoritate D. Thomæ 3. part, quæst. 88. art. 2. ad 3. vbi ait: *Quòd beneficium aliquod habet pensari dupliciter: vno modo ex quantitate ipsius beneficij; & secundùm hoc innocentia est maius Dei beneficium, quàm pœnitentia, quæ dicitur secunda tabula post naufragium. Alio modo potest pensari beneficium ex parte recipientis, qui minùs est dignus: & sic magis fit sibi gratia: vnde & ipse est magis ingratus, si contemnat, cui maior fit gratia. Et hoc modo beneficium remissionis culpæ est maius, inquantùm præstatur totaliter indigno.* Secundò ratione: Vtilius foret conservare gratiam, & toto illo tempore, quo alias est in peccato, præbere auxilia efficacia, medijs quibus prædestinatus & ad impleret omnia præcepta, & augeret meritum ad beatitudinem: ergo innocentia absolutè & simpliciter est maius bonum, quàm pœnitentia.

Respondetur disting. antecedens: *est maius bonum*, si cætera sunt paria, concedo antecedens; si cætera non sunt paria, nego antecedens. Ita Div. Thomas 1. part. quæst. 20. art. 4. ad 4. vbi ait: *Dicendum, quòd pœnitentes, & innocentes se habent sicut excedentia, & excessa; nam sivè sint innocentes, sivè pœnitentes, illi sunt meliores & magis dilecti, qui plus habent de gratia. Cæteris tamen paribus, innocentia est dignior, & magis dilecta. Dicitur tamen Deus plus gaudere de pœnitente, quam de innocente, quia plerumque pœnitentes cautiores, humiliores, & ferventiores resurgunt. Vnde Greg. hom. 34. in Evang. dixit, quòd Dux in prælio eum militem plus diligit, qui post fugam conversus fortiter hostem premit, quàm qui nunquam fugit, nec vnquam fortiter fecit.* In quo sensu locutus fuit D. Ambros. dum in Psalm. 39. agens de peccato Adæ, dixit: *Felix ruina, quę reparatur in melius.* Ideoque communiter Theologi aiunt, quòd status naturæ reparatæ per Christum est perfectior statu iustitiæ originalis: quia in illo homines reliergunt ferventiores, & sanctiores per gratiam, quàm in statu iustitiæ originalis: quidquid sit, an in illo statu plures salvarentur. Per quod constat ad primam probationem desumptam ex D. Thoma. *Ad secundam*: Respondetur ex dictis, concedendo, quòd esset vtilius concedere auxilia efficacia, quàm ex intentione pœnitentiæ permittere peccata, quando vel cætera sunt paria; vel post peccatum tribuit minorem gratiam; vel si non attenderetur ad regulas naturæ defectibilis: sed non est vtilius, quando intendit dare maiorem & stabiliorem gratiam post permissionem peccati: quod communiter accidit in prædestinatis: nam hæc permissio conducit per se ad maiorem fervorem, humiliationem, & contritionem, attenta fragilitate nostrę natu-

ra,

ræ, quæ ex se disponunt ad maiorem & permanentiorem gratiam. Et licèt quandoque prædestinati post peccatum cum minori gratia resurgant, & reprobi cum maiori; in prædestinatis tamen conducit ad permanentiorem, & finalem perseverantiam, & in omnibus sivè reprobis, sivè electis ex se conducit ad stabiliorem gratiam. Et licèt sine permissione peccati per auxilia efficacia hoc Deus posset intendere, & assequi, sicut defactò factum fuit in Beatissima Virgine; ad manifestandam tamen divinam potentiam, misericordiam, & bonitatem, vult eligere permissionem peccati vt medium, quia in parcendo & miserando maximè manifestantur, vt canit Ecclesia. Et non fuit conveniens, quòd Deus vteretur in omnibus prædestinatis speciali hac providentia; aliàs non manifestaretur vertibilitas nostri liberi arbitrij.

§ IV.

Corollaria ex dictis.

21 EX dictis infertur *primò*, permissiones omnium peccatorum in electis esse effectus suæ prædestinationis. Tum quia omnes illæ in particulari movent prædestinatum ad maiorem humilitatem, & permanentiorem gratiam. Tum etiam: quia licèt omnes illæ in particulari in præsenti vita non occurrant memoriæ, in patria tamen eas cognoscent in Verbo, & hac ratione excitabunt ad gratiarum actionem; sed hoc sufficit, vt permissiones omnium peccatorum in particulari in electis sint effectus prædestinationis: ergo. Minor probatur: Nam gratiarum actio est effectus prædestinationis, sicut beatitudo ipsa, omnesque eius proprietates: ergo si permissiones omnium peccatorum in particulari in electis excitant in patria ad gratiarum actionem, omnes debent esse effectus suę prædestinationis. Qua ratione movetur Vazquez ad asserendum, quòd permissiones peccatorum in reprobis sunt effectus prædestinationis electorum.

22 Infertur *secundò*, permissiones peccatorum in reprobis esse effectus prædestinationis electorum. Hoc corollarium expresse traditur à D. Thoma super epist. ad Rom. cap. 8. lect. 6. vbi ait: *Sicut malum, quod in vniverso accidit, non semper ordinatur in bonum illius, cui accidit, sed ad bonum vniversi; ita malum culpæ, seu illius permissio non semper in bonum illius, cui permittitur, ordinatur; benè tamen in bonum nobilissimarum partium, scilicet electorum. Vnde permissio peccati reproborum non cedit in illorum vtilitatem, sed in vtilitatem Sanctorum: iuxta illud Proverb. 11. Qui stultus est, serviet sapienti.*

23 Difficultas tamen est, an omnes & singulæ permissiones peccatorum in reprobis sint effectus prędestinationis singulorum prædestinatorum? Sed respondetur satis esse, loquendo de prædestinatione totius corporis mystici electorum, quòd omnes & singulę permissiones peccatorum in reprobis sint effectus prædestinationis prædicti corporis, quamvis non sint cuiusvis membri ex illis. Et ratio est: quia non omnes offeruntur memorię cuiuslibet prædestinati in hac, vel alia vita, quare in omnibus prædestinatis non conducunt ad aliquem actum bonum sivè in hac vita, sivè in alia.

24 Infertur *tertiò*, vocationes inefficaces tàm in electis, quàm in reprobis esse effectus prędestinationis electorum, iuxta distinctionem datam in duobus corollarijs proximè præcedentibus. Et probatur *primò*: Nam huiusmodi vocationes sunt causa motiva, & occasio efficaciter & cum effectu excitandi ad maiorem pœnitentiam, vel gratiarum actionem, non minùs quàm permissiones peccatorum: ergo si illę sunt effectus prædestinationis, etiam illæ. ¶ *Secundò*: Nam licèt vocationes inefficaces ex se non inferant efficaciter bonam operationem, paulatim tamen emolliunt cor prædestinati, vt faciliùs cum auxilio efficaci convertatur: vt liquet in D. August. lib. 5. Confess. cap. 14. & lib. 6. cap. 11. vbi recolens vocationes, quibus restiterat, excitatus est ad pœnitentiam, humilitatem, & gratiarum actionem. ¶ Et confirmatur ex D. Thoma loco relato ad Rom. vbi ait: *Sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitùs præparatum*: sed vocatio inefficax in electis est beneficium salutare Dei: ergo.

25 Sed objicies *primò* ex August. lib. *de Prædestin. SS.* cap. 16. & lib. 10. *ad Simplician.* quæst. 2. vbi ait, solam illam vocationem esse effectum prædestinationis, quæ est secundùm propositum; sed vocatio inefficax non est huiusmodi: tum, quia illi resistimus: tum, quia vocatio secundùm propositum est illa secundùm Augustinum, quæ opponitur illi, qua aliqui vocati non veniunt ad nuptias, quæ est inefficax: ergo. ¶ *Secundò*: Nam hæc dona sunt effectus voluntatis antecedentis: ergo non sunt effectus voluntatis consequentis, qualis est prædestinativa. Omittimus alias obiectiones, quia communes sunt permissioni peccati, & ex dictis satis liquet earum enodatio.

Ad primam obiectionem desumptam ex Augustino: Respondetur, quòd vocatio secundùm propositum iuxta phrasim Augustini non solùm est illa, quæ proximè efficaciter conducit ad bonam operationem, & vitam æternam; sed etiam ea quæ remotè efficaciter ad eam conducit: quia eo ipso quòd efficaciter (etiò remotè) conducat ad vitam æternam, salvatur duplex intentum S. Doctoris, videlicet quòd vocati per eam veniant ad nuptias; & quòd huiusmodi vocatio distinguatur à quavis vocatione re-

reproborum. Igitur vocatio inefficax in electis quamvis proximè non conducat ad bonam operationem, & vitam æternam; remote tamen efficaciter ad eam conducit, quatenus obiectivè, & ex intentione efficaci Dei conducit ad maiorem humilitatem, pœnitentiam, & ad maiorem gratitudinem erga ipsum Deum, non minùs propriè quàm permissio peccati. Et propterea debet dici vocatio *secundùm propositum Dei*, seu prædestinationem. *Ad secundam*: Respondetur, quòd vocationes inefficaces ita sunt effectus eliciti providentiæ communis & voluntatis antecedentis, quòd simul sint effectus imperati providentiæ peculiaris & prædestinativæ. Quod vlteriùs explicandum est dubio sequenti.

26 Ex dictis potiori titulo potest inferri *quartò*, vocationem efficacem in electis esse effectum prædestinationis. Tum, quia non est ratio, cur vocatio inefficax conducat cum effectu ad vitam æternam & non vocatio efficax. *Tum etiam*: Quia prædicta vocatio efficax, præsertim ad perseverantiam finalem, non est communis tàm electis, quàm reprobis. *Tum deniquè*: Quia aliqua vocatio (iuxta illud Apost. ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit*) est effectus prædestinationis; sed nulla est aptior quàm vocatio efficax: ergo hæc est effectus prædestinationis. Unde D. Thomas lect. 6. exponens præfata verba Apost. sic ait: *Primum autem, in quo incipit prædestinatio impleri, est vocatio hominis. Quæ quidem est duplex: Vna exterior, quæ fit ore Prædicatoris: Alia verò interior:: & hæc vocatio in prædestinatis est efficax.*

27 Infertur tandem, gratiam tam non interruptam, quæ coincidit cum perseverantia finali, quàm interruptam per peccatum esse effectum prædestinationis. Prima pars (præterquam quòd evidenter colligitur ex secunda) satis constat tum ex illo Apost. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & iustificavit.* Ubi iustificationem ponit effectum prædestinationis; sed hæc adminùs debet esse iustificatio non interrupta: ergo gratia non interrupta est effectus prædestinationis. Tum etiam: quia hæc iustificatio est propria prædestinati: ergo procedit à providentia prædestinativa. Tum deindè: quia hæc iustificatio conducit cum effectu ad consecutionem vitæ æternæ. Tum denique: quia magis conducit ad vitam æternam iustificatio non interrupta quàm permissio peccati, & vocatio inefficax: si ergo istæ sunt effectus prædestinationis, non est cur hoc gratiæ non interruptæ denegari debeat.

Quoad secundam partem probatur: tum ratione proximè insinuata. Tum etiam ex D. Thoma loco cit. ad Rom. vbi ait: *Vnde secundò ponit iustificationem, cum dicit, Quos vocavit, hos & iustificavit, scilicet gratiam infundendo; hæc autem iustificatio etsi in aliquibus frustretur, quia non perseverant vsque in finem, in prædestinatis tamen nunquam frustratur*; sed si gratia interrupta vt primò collata non esset effectus prædestinationis, iam secundùm istam rationem frustraretur: ergo sentit D. Thomas, quòd gratia interrupta, vt primò collata, est effectus prædestinationis. *Tum etiam*: Quia gratia interrupta vt primò collata conducit in effectu ad vitam æternam, cum quantitas gloriæ non solùm detur, iuxta quantitatem reparationis, sed etiam iuxta quantitatem gratiæ interruptæ vt primò concessæ, quia hæc reviviscit per pœnitentiam, ad quod sufficit, vt maneat in acceptatione divina, vt docet Vazquez in hoc nobis adversarius, & nos dicemus in tract. *de Merito*: ergo gratia interrupta, vt primò concessa, est effectus prædestinationis. Idemque dicendum est de vocatione efficaci interrupta. Neque contra hoc est obiectio alicuius momenti.

Hìc solet inquiri: An actus supernaturales, vt procedunt à libero arbitrio, sint effectus prædestinationis? Hæc quæstio quamvis sit magni momenti, quia ex ea pendet perfecta intelligentia gratuitæ prædestinationis; nihilominus ab ea nos supersedemus, quia eius resolutio, & quidquid in ea dicendum foret, satis constant ex dictis tract. 2. disp. 3. dub. 4.

DUBIUM II.

Vtrùm substantia Prædestinati sit effectus prædestinationis?

VIdimus dub. præcedenti, permissionem peccatorum sivè in reprobis, sivè in electis, necnon omnia dona supernaturalia electi, collata, esse effectus suæ prædestinationis. Superest, vt de substantia ipsius prædestinati, de alijsque rebus naturalibus disseramus. Sed quia circa substantiam ipsius prædestinati est longa maior difficultas, propterea titulus dubij vnicè procedit de ea, quamvis de alijs rebus naturalibus nonnihil dicemus per modum suppositionis & corollarij.

§. I.

Suppositiones nonnullæ.

28 NOtandum est, ea, quæ ad ordinem naturalem spectant, in tria capita dividi posse. Ad primum enim pertinet substantia ipsius prædestinati, quę se habet vt subiectum receptivum eorum, quæ per prædestinationem à Deo prædestinato conferuntur: Ad quam reducuntur omnia ea, quæ quovis modo illam afficiunt, vt sunt temperamentum, ingenium, vires, reliquæque proprietates, imò ipsa nativitas, educatio, mors sic vel sic contingen-

gens &c. Ad ſecundum ſpectant opera ordinis naturalis moraliter bona procedentia ab ipſo prædeſtinato. Ad tertium pertinent res externæ naturales ipſis prædeſtinatis deſervientes, & quibus tanquam inſtrumentis, vel adiumentis vtuntur ab virtutem. Non de his omnibus eſt par difficultas, adhuc inter eos quos adverſarios infrà computabimus. Et ideò:

29 Supponendum eſt *primò*, opera bona moraliter elicita à prædeſtinato, etiamsi ſint ordinis naturalis, eſſe effectus prædeſtinationis. Sic cum omnibus Thomiſtis tenent Suarez, Vazquez, Molina, Valentia, Belarminus, quos citat, & ſequitur Ruiz diſp. 24. ſect. 1. Et probatur breviter: Nam quidquid quomodocumque iuvat, vt prædeſtinati conſequantur vitam æternam, eſt effectus ſuæ prædeſtinationis; ſed quælibet actio naturalis moraliter honeſta iuvat aliquomodò, vt prædeſtinati vitam æternam conſequantur: ergo. Probatur minor: Tum, nam eſtò non ſint cauſa perſè, per accidens tamen iuvant removendo impedimenta gratiæ, videlicet peccata, non quidem commiſſa, ſed quæ committerentur, ſi huiuſmodi opera deficerent, deſtruendo, vel minuendo habitus vitioſos, mitigando paſsiones, removendoque difficultates, vnde faciliùs & ferventiùs Deo vocanti & adiuvanti cooperemur. Tum etiam: quia de illis operibus bonis habebit prædeſtinatus in cœlo gaudium adminùs accidentale: ergo iuvant hęc opera, vt prędeſtinatus conſequatur vitam æternam.

30 Ex quo infertur, hæc opera etiam facta extra gratiam, quamvis ſint mortua, eſſe effectus prædeſtinationis. Tum, quia de illis dabitur accidentale gaudium in æterna vita, & ſic pertinent ad gloriam. Tum etiam: quia poſſunt conducere ad finem ſupernaturalem miniſterialiter, aut occaſionaliter, quatenus quis exiſtens in peccato dat eleemoſynam intuitu Chriſti, vel Virginis, & inde movetur ad dolendum de ſua miſeria, & ad quærendum eleemoſynam ſpiritualem; aut poſtea cogitando de tali opere in ſtatu peccati facto accipit ab eo exemplum, vt faciat aliud ſimile, quando eſt in gratia. Tum denique: quia huiuſmodi opera in reprobis plerumque ad bonum exemplum excitant prędeſtinatos, & iuſtos ad facienda ſimilia opera: ergo etiam ſeipſum iuvabit ad illa facienda.

31 Supponendum eſt *ſecundò* cum eiſdem Authoribus citatis à Ruizio vbi ſuprà ſect. 2. numer. 3. ſubſtantiam prædeſtinati quoad circumſtantias, nempe ingenium, artem, indolem, complexionem, valetudinem bonam, vel malam, patriam, parentes, paupertates, & divitias, honorem, & ignominiam, concordiam, & lites, potiſsimùm vitæ periodum longiorem, aut breviorem, eſſe effectus prędeſtinationis. Et quia eſſet nimis prolixum prò omnibus his ſpecialiter rationem præbere, trademus illam, quę generaliter omnia illa complectitur (Interim poteſt videri Ruizius, qui ſect. 2. 3. 4. 5. & 6. ſpecialiter de omnibus inſtituit rationem) Nam omnes illæ circumſtantiæ miniſterialiter deſerviunt fini prædeſtinationis: ergo cauſantur imperativè à providentia prædeſtinativa, & conſequenter ſunt effectus prædeſtinationis. Conſequentia eſt legitima: & conſtat ex dictis in prima ſuppoſitione. Antecedens probatur: Tum, quia ſaltèm de illis aliquod gaudium accidentale erit in Cœlo. Tum: quia, vt inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. 17. art. 2. bona temporalia cadunt ſub obiecto ſpei, quia iuvant ad bona ſpiritualia conſequenda. Et eadem ratione ſunt obiectum orationis, cùm dicimus, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, de quo D. Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 6. & 9. Et ideò Eccleſia in ſuis orationibus canit, & petit, *vt præſentibus ſubſidijs ſufficienter adiuti, ſempiternâ fiduciàliùs appetamus.* Tum denique: quia defactò gratia vtitur bona indole, ingenio, temperamento, & omnibus illis ſuprà recenſitis ad ſuas operationes, & ſuo fini ſubordinat: ergo deſerviunt miniſterialiter fini prædeſtinationis. Unde difficultas ſolùm manet circa ſubſtantiam ipſius prædeſtinati.

32 Circa quam vt indubitatum ſupponimus (& erit ſuppoſitio tertia) ſubſtantiam prædeſtinati, quomodocumque ſumatur, non eſſe effectum proximum & elicitum prædeſtinationis. Tum, quia effectus prædeſtinationis elicitus debet eſſe adminùs ſupernaturalis ſecundùm ſe; ſicut actus elicitus à virtute infuſa ſupernaturali non poteſt non eſſe ſupernaturalis ratione ſui, eò quòd ipſa eſt ſupernaturalis; ſed providentia prædeſtinativa eſt intrinſecè ſupernaturalis, & ſubſtantia prædeſtinati ratione ſui non eſt ſupernaturalis: ergo. *Tum etiàm*: Quia effectus elicitus prędeſtinationis debet ratione ſui cum fine ſupernaturali connecti; ſed ſubſtantia prædeſtinati ratione ſui non connectitur cum fine ſupernaturali: ergo. *Tum deniquè*: Quia eſt effectus elicitus à providentia naturali: ergo à ſupernaturali, qualis eſt prędeſtinativa, proximè & elicitivè procedere non poteſt. Unde ſolùm eſt dubium, an ſit effectus imperatus. Sed nota, quòd effectum eſſe imperatum à prędeſtinatione contingit dupliciter, vt dub. anteced. notavimus: primò quoad ordinem præcisè ſupponentem ſubſtantiæ exiſtentiam prævisam: ſecundò quoad ipſam exiſtentiam, ita vt prima eius exiſtentia & productio imperetur ex intentione dandi gloriam prædeſtinatis.

33 Pro quo ſupponendum eſt *quartò*, ſaltèm primo modo eſſe effectum prædeſtinationis, nec ab aliquo poſſe in dubium vocari: ſubſtantia enim prædeſtinati ordinatur per prædeſtinationem ad gloriam, & ad illam tranſmittitur: ergo ſaltèm quoad ordinem ſupponentem exiſtentiam ex vi alteriùs providentiæ prævisam, eſt effectus prędeſtinationis. Imò & omnia

nia entia naturalia ; quæ sunt in hoc vniverso ad finem prædestinationis saltèm hoc modo ordinati, vt indubitatum debet heberi, cum dicat Apost. 1.ad Corinth.3.23. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Unde sicut nos, & omnia sunt propter prædestinationem Christi, sic omnia debent esse propter nostram prædestinationem. Difficultas ergo procedit in secundo sensu : An scilicet substantia prædestinati ita elicitivè procedat à providentia naturali, vt tamen imperetur à providentia prædestinativa quoad primam eius productionem & existentiam: & per consequens ratione huius imperij subordinetur ipsi prædestinationi & fini illius, eo modo quo actus cæterarum virtutum, etiam naturalium, ab illis eliciti à charitate procedunt, vt illorum elicientiam imperante?

34 In qua difficultate triplex versatur sententia. Prima asserit, substantiam prædestinati non esse effectum prædestinationis. Ita Nominales 1.dist. 40. quæst. 1. & ex Patribus Societatis Vazquez in præs. disp. 93. cap. 4. Meratius disp. 39. assert. 7. Alarcon disp. 4. & alij. Secunda distinguit inter substantiam secundùm cursum ordinarium productam, & miraculoso modo factam, vt in Beata Virgine, Ioanne Baptista, Samuele, & alijs huiusmodi: & docet, quòd quâvis substantia modo miraculoso producta sit effectus prædestinationis, secùs verò ea, quę producitur secundùm providentiam ordinariam. Pro qua referuntur Caiet.3.part.quæst.1.art.3. Alvarez ibidem, Albelda in præs. disp.72. sect.1. N. Cornejo disp. vnic.dub.5. & alij Thomistæ. Quibus aggregari potest Ioann.à Sancto Thoma disp. 9. art. 5. qui ait, substantiam Adæ, & Evæ non esse effectum suæ prædestinationis, quamvis substantiæ omnium aliorum sint effectus suæ prædestinationis. Tertia & vltima defendit, omnem substantiam prædestinati absque vlla restrictione esse effectum proprię prædestinationis. Hæc est communis inter Theologos tàm extraneos, quàm domesticos, quos referunt, & sequuntur N. Salm. in præs. disp. 5. dub. vnico. Pro quibus sit:

§. II.

Conclusio affirmativa.

35 Dicendum est, substantiam cuiusvis prædestinati esse effectum propriæ prædestinationis. Pro quo nota, non posse facile ostendi repugnantiam, vt substantia ipsius prędestinati sit effectus suæ prædestinationis ; nec implicare, quòd sit effectus alterius providentiæ, itaut nullo modo dependeat à prędestinativa. Ex quo infertur, quòd Deus non debuit necessariò providere de substantia prædestinati per providentiam prædestinativam, nec debuit per aliam distinctam à prędestinativa & nullo modo illi subordinata, nec certò & planè constat ex aliquo loco Scripturę vnum, vel aliud. Quare assertio nostra solum congruentijs & indicijs, sicut & opposita, suadenda est, itaut illa pars eligi debeat, quę potiores congruentias & coniecturas habuerit. Quo supposito:

36 Probatur conclusio ratione : Nam in his, quorum neutra pars evidenter & certò potest decidi, id absolutè tenendum est, quod non repugnat, & est valde congruum, vt ita sit, & consonat magis cum sacra Scriptura, creditque in maximam gloriam Christi & prædestinati; sed in eo quòd substantia prędestinati sit effectus prędestinationis, verificantur hæc omnia : ergo substantia prædestinati est effectus prædestinationis. Maior videtur certa : Nam ob hanc rationem Theologi communiter dicunt, quòd est effectus prædestinationis Christi quidquid conducit ad eius excellentiam : ergo similiter si cedit in magnam electorũ excellentiam, qui post Christum sunt Deo charissimi, & alias habet cæteras conditiones suprà assignatas, ita tenendum est. Minor quoad primam partem ex præiacto notabili, & ex dictis numero antecedenti constat.

37 Quoad secundam, nempè quòd sit valde congruum, probatur : Tum, quia prædictum *esse* substantiale prædestinati est indispensabiliter requisitum in ordine ad prædestinationem, estque instrumentum cum toto vniverso ad cognoscendum & laudandum Deum : ergo est valdè congruum, quòd sit effectus prędestinationis. Tum, quia in nostra beatitudine supernaturali vnitur intimè Deus cum nostra substantia & intellectu : ergo congruum est, quòd in prima sui productione ordinaretur ad eandem beatitudinem tanquam ad finem. Consequentia patet : quia congruum est, quòd vbicumque Deus specialiter secundùm suam substantiam fuerit vnitus, habeat rationem vltimi finis omnium illarum rerum, adhuc secundùm primum suum *esse*, quæ ad illum ordinem spectant. Et ideò, quia Deus substantialiter vnitur cum humanitate Christi, fuit valde congruum, quòd Christus esset finis suæ humanitatis secundùm suam substantiam in prima sui productione, imò totius vniversi eodem modo considerati. Similiter, quia vnitur media humanitate per præsentiam sacramentalem & substantialem in Eucharistia, fuit congruum, vt Eucharistia esset finis aliorum sacramentorum, imò aliarum rerum ordinis naturalis. Et tandem, quia Deus secundùm suam substantiam est speciali modo in hominibus iustis, vt cum D. Thoma docuimus tract.1. disp. 4. dub. 4. congruum fuit, & sic evenit, vt iusti essent finis omnium creaturarum, vt tradit D. Thomas ad Rom. exponens illa verba Apost. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* : ergo cùm in beatitudine Deus vniatur substantialiter cum creatura, & aliàs beatitudo hæc sit speciali modo finis hominis, congruum est,

eſt, vt etiam ſit finis ſuæ ſubſtantiæ ſecundùm primum ſui *eſſe*, ſeu ſecundùm primam ſui productionem.

38 Quoad tertiam partem, nempè quòd conſonet cum ſacra Scriptura, probatur: Tum ex illo ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*: quod teſtimonium adeò vniverſaliter intelligit D. Thomas cum aliis PP. vt ex illo colligant, adhuc permiſsionem peccati, & ipſum peccatum materialiter ſumptum ſecundùm primum ſui *eſſe* eſſe effectus prædeſtinationis: ergo potiori iure ſubſtantia prædeſtinati ſecundum primam ſui productionem debet eſſe effectus prędeſtinationis. Patet conſequentia: nam ſubſtantia prædeſtinati ex ſe magis conducit ad finem prędeſtinationis, quàm permiſsio peccati, & ipſum peccatum. Tum ex illo ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti*: vbi vt ſpeciale beneficium refert Apoſtolus, quod electi fuerint prædeſtinati ante mundi conſtitutionem: ergo prædeſtinatio ſeu electio ad vitam æternam dicit cauſalitatem reſpectu productionis mundi, alias ly *ante* non deſignaret aliquid ſingulare in electione, ſi ſolùm denotaret prioritatem durationis inter volitionem electivam prędeſtinatorum, & productionem exercitam vniverſi, quia omnia habuerunt hanc prioritatem durationis. Tum denique ex illo ad Corinth. 1. 3. *Omnia enim veſtra ſunt*: id eſt (vt exponit Div. Thomas) *veſtræ vtilitati deſervientia*, quaſi diceret, quòd omnia producta ſunt, vt deſervirent ad finem noſtræ prædeſtinationis: *Vos autem Chriſti*, proſequitur Apoſt. ſed ſubſtantia noſtra eſt effectus prędeſtinationis Chriſti: ergo cum Apoſtolus eodem tenore dicat, ſubſtantiam noſtram ordinari ad gloriam Chriſti, & ad gloriam & vtilitatem electorum, legitimè infertur etiam eſſe effectus noſtræ prædeſtinationis.

39 Quoad quartam partem, nempè quòd cedat in gloriam Chriſti, & electorum, probatur. Nam quod ſubſtantia electorum, & hoc vniverſum ſint producta propter illos, nullum eſt dubium, ſicut nullum eſt dubium, quòd valde exaltat eorum dignitatem; ſed hoc ipſo etiam conducit ad maiorem dignitatem Chriſti. ergo. Minor probatur ex illo ad Hebræos 2. vbi Apoſt. loquens de Chriſto, ait: *In eo quòd omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei*: ergo omnia ordinantur ad gloriam Chriſti. Tum etiam: nam Chriſtus eſt primogenitus & primus prædeſtinatus, propter quem omnes alij facti & prædeſtinati ſunt: ergo quod ſubſtantia prædeſtinati ſit facta propter Chriſtum, & propter gloriam prædeſtinati, cedit in maiorem gloriam vtriuſque.

40 Confirmatur *primò* ex Magn. Parente Auguſt. lib. 5. contra Iulianum, vbi loquens de prædeſtinatis ait: *Propter vos Dominus ait, Hęc eſt voluntas eius, qui miſit me, Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo. Non enim temerè aut fortuitò quęque eorum Deus creat.* ergo ſi hæc verba aliquam illationem habent, debet deduci ex illis, quòd creatio electorum eſt propter eorum glorificationem: ergo creatio ſecundùm primum ſui *eſſe* eſt effectus prædeſtinationis.

Confirmatur *ſecundò* ex D. Thoma art. 8. præſentis quæſt. vbi probat, prædeſtinationem iuvari precibus Sanctorum in arg. *Sed contrà* per hęc verba: *Quod Iſaac rogavit Dominum pro Rebecca vxore ſua, & dedit conceptum Rebeccæ: ex illo autem natus eſt Iacob, qui prędeſtinatus fuit; non autem impleta eſſet prædeſtinatio, ſi natus non fuiſſet: ergo prædeſtinatio iuvatur precibus Sanctorum.* Ex quibus verbis ſic argumentor: Preces ſanctorum intantùm iuvant prædeſtinationem, inquantùm cooperantur ad aliquem effectum ſive proximũ, ſive remotum illius; ſed iuxta præfata verba D. Thomæ preces Iſaac iuvaverunt prædeſtinationem Iacob, inquantùm obtinuerunt conceptum ſeu productionem illius: ergo conceptio illius ſeu productio ſuæ ſubſtantiæ ſunt verè effectus ſuæ prædeſtinationis. Maior eſt certa: nam vt ait D. Thomas in corp. eiuſdem art. *In prædeſtinatione duo ſunt conſideranda, ſcilicèt ipſa præordinatio, & effectus illius: quantùm igitur ad primum nullo modo iuvatur precibus Sanctorum: quantùm ad ſecundum iuvatur.* Minor eſt expreſſa in D. Thoma: quę vt magis appareat, recole ea, quæ ſequuntur in corp. dicti artic. *Ita prædeſtinatur a Deo ſalus alicuius, vt etiam ſub ordine prædeſtinationis cadat, quidquid hominem promovet ad ſalutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quid huiuſmodi, ſine quibus aliquis ſalutem non conſequitur.* Sed ſecundùm eundem S. Doctorem non fuiſſet impleta prædeſtinatio ſine conceptu Iacob, & aliàs nullus poteſt conſequi ſalutem ſine ſua ſubſtantia: ergo ſubſtantia prædeſtinati ſecundùm primam ſui conceptionem ſeu productionem eſt effectus prædeſtinationis.

Expreſsiùs id docet D. Thomas in 1. diſt. 41. quæſt. 1. art. 4. vbi ait: *Omnis cauſa, cuius operatione interveniente completur effectus prædeſtinationis, dicitur prædeſtinationem iuvare, vel per modum cauſæ meritoriæ, vel perſuadendo ad bonum, vel per modum diſpoſitionis, vel etiam naturali operatione: ſicut motus cœli, & omnes cauſæ naturales iuvant prædeſtinationem, inquantùm earum officio perficitur generatio & ſuſtentatio electorum.* Ergo omnis cauſa vel mora lis, vel phyſica concurrens ad generationem ſubſtantiæ electorum præparatur a prædeſtinatione: ergo tàm ipſa generatio, quàm ipſa ſubſtantia in primo ſui *eſſe* & defacto eſt effectus illius. Vltima conſequen-

tia benè infert, cùm quidquid præparatur ab aliqua causa, sit effectus illius. Prima etiam legitime deducit ex verbis D. Thomæ: cum prædestinatio, vtpotè providentia perfectissima, debeat præparare vel proximè, vel remotè omne id, quod ad sui effectum iuvat.

§. III.

Argumentorum solutio.

41 ARguitur *primò* ex D. Thoma tum 3. part. art. 3. ad 4. vbi ait: *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum*; sed futura, quorum præscientia præsupponitur ad prædestinationem, non sunt effectus ipsius prædestinationis, sed illam simpliciter præcedunt: ergo nullo modo sunt effectus ipsius; sed de nulla re potest hoc aptiùs verificari quam de substantia, & creatione huius mundi, quæ producuntur ex vi alterius providentiæ: ergo substantia, & creatio huius mundi non sunt effectus prædestinationis. *Tum etiàm*: Nam lect. 6. super verba Apost. *Quos prædestinavit, hos & vocavit*, ait: *Primum autem, in quo incipit prædestinatio impleri, est vocatio*: Sed si substantia prædestinati esset effectus prædestinationis; priùs hæc inciperet impleri in productione substantiæ, quàm in vocatione: ergo. *Tum deniquè*: Nam super cap. 1. ad Rom. lect. 3. ait: *Prædestinare nihil aliud est, quàm ante in corde disponere, quid sit de re aliqua faciendum. Potest tamen aliquis de futura re, vel operatione disponere, vno modo quantùm ad ipsam rei constitutionem, sicut artifex disponit qualiter debeat facere domum: Secundo modo quantùm ad vsum, sicut aliquis disponit, quomodò debeat vti suo æquo. Et ad hanc secundam dispositionem pertinet prædestinatio, non ad primam: id enim, quo aliquis vtitur, refert in finem; sed cum res in seipsa constituitur, ex hoc non dirigitur in finem*: ergo substantia in prima sui productione non ordinatur ad finem prædestinationis, & consequenter hoc modo accepta non est effectus illius. Et ne relinqueret in hac consequentia aliquem ambigendi locum, concludit sic: *Sed quia omnia naturalia pertinent ad constitutionem rei ipsius, quia vel sunt principia, ex quibus res constituuntur, vel ex huiusmodi principijs consequuntur, relinquitur, quòd prædestinatio dicatur propriè eorum solùm, quæ sunt supra naturam, & naturalia propriè sub prædestinatione non cadant.* Quid clarius?

42 Ad primum testimonium D. Thomæ (in quo loquitur de Incarnatione ob remedium peccati) Dicimus, quòd prædestinatio supponit præscientiam futurorum, quæ pertinent ad ordinem naturalem, in genere causæ materialis; non verò finalis. *Vel dic*: quòd prædestinatio, secundùm id quo formaliter constituitur, præsupponit præscientiam futurorum initiativè, non completivè. Et hoc pacto omnes effectus prædestinationis sivè ordinis naturalis, sivè supernaturalis sunt initiativè futuri pro priori ad prædestinationem. *Vel dic*: quòd prædestinatio quoad potissimum eius effectum, qui est glorificatio, & vt futura, perfectè præsupponit alios effectus futuros: quia media in executione priora sunt quàm hnis. Sed nec in hoc sensu loquitur specialiter de substantia prædestinati, vel alijs effectibus naturalibus, cum etiam supernaturales comprehendat.

Ad secundum testimonium (quod æquè vrget Adversarios, qui asserunt, circunstantias conceptionis, & nativitatis, quales sunt, prædestinatum concipi, & nasci tali tempore, & loco, ex talibus parentibus, prædestinationi subjici: quia hæ circunstantiæ primam vocationem præcedunt) Respondetur, quòd ibi loquitur Div. Thomas de effectibus proportionatis & eiusdem ordinis cum prædestinatione, & eius fine; non verò de effectibus improportionatis, qui tantùm occasionaliter aut ministerialiter conducunt ad vitam æternam, quales sunt substantia prædestinati, resque omnes naturales, & permissio peccati. Nec ob hoc excluduntur à ratione veri effectus prædestinationis: quia ad hoc sufficit, quòd moveatur auxilio supernaturali ad aliquem effectum supernaturalem, & cum hac intentione à Deo producatur: nam hoc modo deservit ad finem prædestinationis.

43 Ad tertium testimonium (quod etiam militat contra Adversarios) Respondetur, naturalia non spectare propriè ad prædestinationem, non quia non fiant ex imperio illius, sed quia naturalia non sunt id, ad quod per prædestinationem transmittitur homo, nec ratione sui (hoc est intrinsecè) dirigitur ad finem prædestinationis ex vi providentiæ, per quam elicitivè ponitur in rerum natura. Cum quo optimè componitur, quòd ex vi alterius providentiæ superioris, per quam ipsa productio imperatur, dirigatur & ordinetur ad finem illius: sicut actus naturalis ratione virtutis, à qua elicitivè procedit, non dirigitur ad finem charitatis; & nihilominus vt imperatus à charitate in prima sui productione ordinatur ad finem illius, itaut non solùm ordo sit effectus illius, & ordinetur ad finem charitatis, sed etiam entitas actus secundùm suum *esse* dirigatur.

44 Arguitur *secundò* ex Div. August. tum epist. 105. vbi ait: *Christus non pro vllis, vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur.* Ex quibus verbis arguitur sic: Effectus prædestinationis debet esse ex meritis & passione Christi; sed substantia prædestinati secundum D. August. non est effectus meritorum & passionis Christi: ergo. *Tum etiàm*: Nam epist. 90. & 91. ait, quòd alia est gratia crea-

creationis à gratia sanctificationis, in quo increpabat Pelagianos nomine *gratiæ* dolosè intelligentes donum creationis: si autem gratia creationis pertinet ad gratiam prædestinationis, tunc convenirent cum August. primò in eo, quòd nulla daretur ex parte nostra causa prædestinationis, cùm Pelagiani non possint dubitare, quòd ex parte nostra non detur causa creationis nostræ, & totius vniversi: Secundò in eo, quòd estò concederent cum August. non dari ex parte nostra causam prædestinationis, ex hoc non tenerentur sentire cum illo nullam dari ex parte nostra causam primæ vocationis, cùm non esset hæc primus effectus prædestinationis, in suppositione quòd substantia, & ordo naturalis sit effectus illius. *Tum deindè*: Nam ipse ait, quòd prædestinatio est præpartio gratiæ; sed substantia non est gratia: ergo. *Tum denique*: Nam in pluribus locis docet, quòd prædestinatio nostra supponit peccatum originale, pro quo videantur N. Salm. in præf. num. 4. sed peccatum originale supponit productum hoc vniversum, & substantiam prædestinati: ergo nequeunt esse effectus prædestinationis.

45 Ad hoc argumentum respondetur, nullum ex his testimonijs convincere sententiam hanc, quam impugnamus. Non primum: nam plures sunt effectus prædestinationis in sententia contraria, pro quibus Christus mortuus non est. Christus enim mortuus non est pro gaudio accidentali Angelorum, & tamen in illa sententia est effectus meritorum & passionis Christi. Conceptio etiam, nativitas, & mors quoad aliquas circunstantias naturales, nempè quòd concipiatur ex parentibus Christianis, quòd nascatur propè fontem, vbi potest ministrari baptismus, quòd rapiatur è vita, antequàm malitia mutaret intellectum eius, & tandem bona indolis, & ingenium, omnia hæc sunt effectus prædestinationis; & tamen pro his circunstantijs propriè non est mortuus Christus: ergo ex eo quòd D. Augustinus asserat, Christum non esse mortuum pro hominibus, vt nascerentur, non sequitur, eorum nativitatem non esse effectum prædestinationis. Ratio est: quia propriè loquendo solùm dicitur, Christum mortuum esse pro effectibus principalibus & proportionatis prædestinationis, non verò pro remotis & improportionatis illius, quales sunt proximè relati. De quibus etiam potest dici, quòd pro illis Christus mortuus est, non sistendo in illis secundùm proprium ordinem, sed vt subordinatis ordini supernaturali, ac proinde indirectè etiam mortuus est pro hominum creatione. Quis vnquam dubitavit, quòd Christus, moriendo pro salvatione Petri, saltem indirectè mortuus est pro ipso Petro, ac per consequens pro productione illius? Verba ergo Div. August. interpretanda sunt de influxu rigoroso & directo; non verò de indirecto.

46 Nec secundum: Nam estò Pelagiani convenirent cum August. in eo, quòd ex parte nostra non potest dari causa primi effectus improportionati prædestinationis, nempè creationis mundi, aut productionis substantiæ; adhuc tamen restaret inter illos præcipuum dissidium circa primum effectum proportionatum: creatio enim estò sit primus effectus prædestinationis, erat tamen ex improportionatis. In hoc ergo præcipuè contendebat Augustinus cum Pelagio, quòd Pelagius volebat, liberum arbitrium creatum ex suis præcisè naturalibus viribus independenter ab omni gratia supernaturali esse causam suæ fidei, & primæ vocationis supernaturalis: contra quod delirium acerrimè decertavit Magn. Parens August. sed ad hoc quid conducit, quòd gratia creationis sit effectus prædestinationis? Quia cum hoc simul stat, quòd gratia creationis sit in se diversa gratia à gratia sanctificationis, vel prædestinationis; quia gratia sanctificationis, & prædestinationis est effectus proportionatus providentiæ prædestinativæ, cùm gratia creationis sit effectus proportionatus alterius inferioris providentiæ, & improportionatus respectu prædestinativæ.

47 Nec tandem tertium: Nam verum est, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio: quia sivè creatio substantiæ sit effectus prædestinationis, sivè non, semper prædestinatio præparat gratiam. An verò præstinatio sit tantùm præparatio gratiæ, de hoc nihil dixit D. August. & sic nihil contra nos. ¶ Sed si dubitatur, quare cùm definitur prædestinatio per effectus, solùm facit S. Doctor mentionem de effectibus gratiæ, innuens per hoc, quòd effectus naturæ non sunt effectus illius? Respondetur, quia solùm debuit definiri per illos effectus, qui secundùm se sunt proportionati, & ratione sui conducunt ad vitam æternam, quales sunt effectus gratiæ. Cum quo optimè componitur, quòd dentur alij effectus improportionati, quales sunt effectus naturæ, qui ratione gratiæ, & vt subordinati illi, conducunt ad gloriam: de quibus non erat necesse, quòd S. Doctor faceret mentionem: sicut in definitione charitatis solùm debet fieri mentio de actibus à se elicitis, quin hoc obstet, vt actus naturales secundùm primum sui *esse*, seu secundùm primam sui productionem sint effectus imperati illius, & illi subordinati. Ad vltimum ex infrà dicendis constabit.

48 Arguitur *tertiò*: Substantia prædestinati, vtpotè ordinis naturalis, desumit suam perfectionem intrinsecam & essentialem in ordine ad finem naturalem: ergo priùs ordinatur ad finem naturalem, quàm ad supernaturalem; & consequenter priùs debet attingi à Deo Authore naturali, quàm supernaturali: ergo in prima sui productione non est effectus prædestinationis. Hæc vltima consequentia legitimè deducit ex prima: Et prima ex antecedenti: nam

vnumquodque per prius ordinatur ad id id ordine ad quod suam essentialem perfectionem desumit, quam ad id in ordine ad quod suam accidentalem accipit. Antecedens verò debet esse indubitatum apud omnes: quia res naturalis inquantùm *talis* nequit dicere vllum ordinem ad finem supernaturalem, maxime intrinsecum & essentialem.

Confirmatur: Nam si substantia prædestinati esset secundùm primam sui productionem effectus prædestinationis, iam in prima sui productione respiceret aliquid extrinsecum; sed nepugnat, substantiam in prima sui productione respicere aliquid extrinsecum: ergo nequit esse effectus prædestinationis. Maior est certa: nam in hac hypotesi respiceret finem prædestinationis qui, vt ex se patet, est omnino extrinsecus respectu substantiæ. Minor constat ex his, quæ dicunt Philosophi in lib. Physic. ob quam rationem, & quia est omnino absoluta, hoc est intra proprium genus, asserunt omnes Thomistæ, non esse immediatè operativam.

49 Ad argumentum respondetur, conced. anteced. & distinguendo consequens: *per prius ordinatur ad finem naturalem, quàm ad finem supernaturalem* tanquam ad finem intrinsecum & ex intentione operis, concedo consequentiam; tanquam ad finem extrinsecum & ex intentione operantis, nego consequentiam. Verum est, quòd ipsa substantia & eius productio, quantùm sunt ex se, ordinantur tanquam ad finem intrinsecum & ex intentione operis ad finem naturalem, & hoc tantum probat argumentum; sed hoc non obstat, vt ordinentur ex intentione operantis priùs ad alium finem extrinsecum, quàm ad intrinsecum. *Vel aliter*: quòd in ordine executivo per prius ordinentur ad finem intrinsecum, sed in intentione per prius ordinentur ad finem extrinsecum. Sicut de actu naturali alicuius virtutis necessariò fateri debent Adversarij: siquidem iste respicit obiectum & finem naturalem tanquam finem intrinsecum, & consequenter ex intentione operis, seu in executione per prius respicit obiectum & finem naturalem, quàm supernaturalem: Cum quo optimè stat, quòd adhuc in prima sui productione, ordinetur ex intentione operantis per prius ad aliquem finem extrinsecum & supernaturalem, nempe ad finem charitatis: quia per prius in intentione operantis inspicitur finis vltimatus, quàm finis intermedius, vti se habet obiectum, & finis naturalis in quolibet actu virtuoso naturali comparatiue ad finem charitatis. Sic de substantia prædestinati dicendum est; licèt inter exemplum propositum, & rem de qua agimus, detur magnum discrimen, de quo in argumento sequenti.

50 Confirmatio retorquetur contra Adversarios. *Primò*: quia ex illa sequitur, si habet aliquam vim, quòd nec postquam est producta possit ordinari ad finem supernaturalem. *Secundò*: quòd in nullo eventu, adhuc miraculoso, possit ad talem finem ordinari: cùm in nullo eventu queat esse immediatè operativa. *Tertiò*: quia ex illa sequitur, quòd substantia nequeat respicere adhuc finem naturalem: cùm talis finis etiam sit extrinsecus absolutè respectu substantiæ, vt ex se constat: vnde omnes tenentur illam solvere. Nos verò dicimus, quòd esto repugnet ex intentione operis, quòd substantia respiciat immediatè aliquid extrinsecum tanquam specificativum sui; non tamen repugnat, quòd sivè ex intentione operantis, sivè ex intentione operis ordinetur ad aliquid extrinsecum tanquam ad finem: quia finis sivè naturalis, sivè supernaturalis non est specificativum substantiæ, eò quòd est ratio generalis communis, & transcendens. Et hoc maximè vrget in ordine ad finem supernaturalem, ad quem ex intentione operantis nequit substantia in nullo eventu ordinari proximè, sed remotè, inquantùm priùs debet recipere gratiam: Et hoc modo omnis substantia in prima sui productione ordinatur defactò secundùm potentiam obedientialem ad finem supernaturalem.

51 Arguitur *quartò*: Si substantia prædestinati esset effectus prædestinationis, vel esset elicitus, vel imperatus; neutrum dici potest: ergo non est effectus prædestinationis. Minor quoad primam partem iam manet suppositа. Quoad secundam verò probatur: Nam omnis effectus imperatus debet participare aliquam realitatem, saltem modalem, intrinsecam à causa imperante; sed substantia in prima sui productione nullam realitatem intrinsecam, adhuc modalem, participat à prædestinatione ergo non est effectus imperatus illius. Consequentia est legitima. Et maior probatur tum exemplo actus naturalis, qui, vt sit imperatus à charitate, participat ab ea aliquam modificationem intrinsecam supernaturalem. Tum etiam: quia effectus vt *talis* debet correspondere suæ causæ; sed prædestinatio est supernaturalis: ergo etiam effectus debet esse supernaturalis saltem secundùm aliquam participationem modalem intrinsecam, licèt non secundùm entitatem. Tum denique: quia si causa prædestinativa non communicat aliquam realitatem ex vi propriæ actionis, sequitur, quòd illa actio non sit virtualiter transiens in ordine ad hunc effectum, & sic esset, & non esset effectus illius. Minor tandem probatur: Tum, quia si aliquam realitatem acciperet, esset supernaturalis, sicut causa imperans supernaturalis est; sed nullam realitatem supernaturalem in prima sui productione recipit (vel assignemus illam) ergo. Tum etiam: quia substantia prædestinati eodem modo & cum peccato originali infecta producitur, ac substantia reprobi; sed de huius substantia nullus dixit, quòd in prima sui productione recipit aliquam realitatem supernaturalem intrinsecam: ergo nec substantia prædestinati

ſtinati in prima ſui productione illam recipit. Tum denique: nam hæc realitas vel pertineret ad ordinem eſſendi, vel ad ordinem operandi; ſed ſubſtantia prædeſtinati in prima ſui productione incapax eſt vtriuſque realitatis ſupernaturalis: ergo. Minor quoad vtranque partem probatur: In primis nequit recipere realitatem pertinentem ad ordinem eſſendi, quia hæc vnicè eſt gratia ſanctificans, quę nequit compati cum peccato originali: deinde nec realitatem pertinentem ad ordinem operandi, quia ante vſum rationis nequit elicere aliquam operationem ſupernaturalem.

52 Confirmatur: Vt aliquid ſit effectus prædeſtinationis, debet eſſe propriè medium ad gloriam; ſed ſubſtantia prædeſtinati non eſt medium ad gloriam: ergo. Minor eſt certa: Tum, quia debet efficaciter conducere ad gloriam; quod non poteſt eſſe, niſi propriè ſit medium ad illam. Tum etiam: quia omnis effectus prædeſtinationis ordinatur ad gloriam tanquam ad finem, itaut medio illo prędeſtinatus finem hunc aſſequatur: ergo debet eſſe propriè medium ad gloriam. Minor verò probatur: Tum, quia eſt ſubiectum prædeſtinationis paſsivè ſumptę: ergo non eſt medium ad gloriam. Tum etiam: quia res purè naturalis nequit conducere efficaciter ad finem ſupernaturalem, ſicut nec res improportionata in ordine ad aliquem finem poteſt conducere efficaciter ad illud: ergo idem quod priùs.

53 Ad hoc argumentum reſpondetur, eligendo ſecundam partem dilemmatis. Sed nota, quòd ęquè vrget argumentum Adverſarios: ipſi enim tenent, quòd conceptio miraculoſa in prima ſui productione eſt effectus prædeſtinationis, inſuper dona indolis, bonum temperamentum, & circumſtantia nativitatis infantis moribundi iuxta fontem aquæ, vbi commodè poſsit baptizari, ſunt effectus prædeſtinationis. Quo ſuppoſito: Inquiro, quomodò hæc omnia ordinentur ad finem prædeſtinationis? Quidquid dixerint, dicemus & nos de ſubſtantia ſecundùm ſe. Interim ſupponimus ex dubio antecęd. permiſsionem peccati ſecundùm primum ſui *eſſe* effectum eſſe prędeſtinationis: quomodò ergo ordinatur ad finem illius? Quidquid dicatur de permiſsione peccati, dicemus & nos de ſubſtantia prædeſtinati. Imò, vt fateamur verius, magis diſtat permiſsio peccati à fine prædeſtinationis, quàm ſubſtantia prædeſtinati.

54 Nihilominus reſpondetur, quòd eſtò ſit effectus imperatus, non debet accipere à cauſa imperante aliquam realitatem intrinſecam ſupernaturalem: quia hoc ſolùm debet verificari de illis effectibus, qui ſunt, vel redduntur proximi & proportionati; non verò de illis, qui ſunt improportionati, remoti & deficientes. *Ad primam probationem*: Reſpondetur, quòd eſt magna diſparitas inter actus imperatos à charitate, & ſubſtantiam prædeſtinati vt imperatam à providentia prædeſtinativa: Nam charitas ordinat actus naturales in proprium ſuum obiectũ & finem, conſtituendo illos intrinſecè media, & effectus proportionatos ſui ipſius, vt tradit D. Thomas 2.2.quæſt.2.art.9. & quæſt.23. art.8.ad 1. & *de Verit.* quæſt.26.art.6. quia ex vi illius ordinationis facit, vt in actu exercito ſint merita intrinſecè condigna vitę ęternæ. Cœterùm Deus ex vi prędeſtinationis, cùm movetur ad producendam ſubſtantiam prædeſtinati, non producit illam, vt ſit medium proportionatum ad gloriã: ideoque non debet in prima ſui productione accipere aliquam realitatem intrinſecam ſupernaturalem. Quod patet in auxilijs ſufficientibus: licèt enim ſint intrinſecè ſupernaturalia, non tamen ſupernaturalitate, quæ ſit de linea providentiæ ſpecialiſsimæ & prædeſtinativę, ſed de linea alterius providentiæ (eſtò ſupernaturalis) communis reprobis & prædeſtinatis; & nihilominùs in ſententia contraria ſunt effectus prædeſtinationis. *Ad ſecundam*: Reſpondetur, quòd vt actio prædeſtinativa imperans providentiam naturalem ſit tranſiens, non requiritur, quòd in prima ſui productione imprimat aliquid intrinſecum de ſua linea, ſed ſufficit, quòd extrinſecè imperet ipſam providentiam naturalem, vt ponat in re ipſam ſubſtantiam, quæ eſt effectus illius improportionatus, remotus & deficiens: quia illius imperium extrinſecum ſufficit, vt dependeat realiter phyſicè in ſui executione ipſa providentia naturalis, quæ immediatè producit ſubſtantiam.

55 Ad confirmationem reſpondetur, quòd eſtò ſubſtantia prædeſtinati non ſit ex ſe medium ad gloriam; benè tamen ex ordinatione divina, quatenus ex ea connectitur extrinſecè cum alijs effectibus, qui ſecundùm ſe conducunt cum effectu ad gloriam, vt ſunt auxilium ſupernaturale, & perſeverantia finalis. *Ad primam probationem*: Reſpondetur, quòd eſtò ſubſtantia prædeſtinati ſit ſubiectum prædeſtinationis paſsivè acceptę, etiam poteſt eſſe ſimul effectus: quia poteſt produci ex imperio prędeſtinationis; vt tenent Adverſarij de potentia Dei abſoluta. *Ad ſecundam*: Reſpondetur, quòd licèt res naturalis nequeat ex ſe proximè & efficaciter conducere ad finem ſupernaturalem; benè tamen remotè & ex ordinatione divina.

56 Arguitur *quintò*: Decretum prædeſtinationis ſupponit voluntatem antecedentem, qua Deus vult omnes homines ſalvos fieri; ſed hęc ſupponit decretum de productione ſubſtantiæ: ergo hæc non eſt effectus prædeſtinationis. Minor eſt certa: nam voluntas ſalvandi omnes homines vel ſupponit decretum de productione hominum, vel ſaltèm eſt in eodem ſigno cum illa. Maior verò probatur: Tum, quia illa voluntas eſt generalis, voluntas prædeſtinandi ſpe-

cialis ; sed providentia generalis est prior providentia speciali , & ideò est prior subsistendi consequentia , quàm prædestinatio : ergo. Tum etiam: quia decretum prædestinationis est decretum voluntatis consequentis, cùm sit efficax , de consecutione finis; sed voluntas consequens supponit voluntatem antecedentem , qualis est illa salvandi omnes,vt ex terminis patet : ergo.

Confirmatur : Per electionem efficacem Petri ad gloriam vult Deus dare illi donum quoddam accidentale superadditum naturæ: ergo ad talem volitionem debet præsupponi ipse Petrus vt subiectum capax talis accidentis: ergo ipse Petrus nequit esse effectus talis voluntatis. Hęc vltima consequentia legitimè infert ex prima. Et prima ex antecedenti : Nam sicut accidens supponit subiectum,cui inhæret, etiam volitio accidentis debet supponere volitionem subiecti.

57 Ad argumentum respondetur, negando maiorem : Nam decretum prædestinationis est priùs ordine intentivo , quàm illa voluntas salvandi omnes , licèt hæc sit prior ordine executivo. *Ad primam probationem* : Dicimus, quòd estò voluntas salvandi omnes sit generalis, & prædestinatio sit specialis ; tamen ex providentia speciali , qua vult salvare electos , oritur voluntas generalis salvandi omnes: quia in voluntate efficaci salvandi electos, in qua tanquam in virtute continentur omnia media , & quidquid cum effectu conducit ad illorum gloriam, continetur , & oritur voluntas salvandi omnes, media qua producuntur omnia auxilia sufficientia , quæ sivè in reprobis , sivè in electis sunt effectus prędestinationis , vt diximus dubio præced. *Ad secundam* : Respondetur , voluntatem efficacem non dici *consequentem* , quia supponat antecedentem ; sed quia hæc attingit obiectum secundùm se , & illa vt vestitum omnibus suis circumstantijs. Cum quo optimè componitur , quòd obiectum circumstantijs vestitum attingatur priusquam obiectum secundùm se: quia cùm Deus sit liberè volens , potest incipere ab obiecto cum circumstantijs ; & inde moveri ad volendum idem obiectum secundùm se , & omnibus hominibus commune. Et si hæc probatio concluderet , auxilia sufficientia sivè frustranda, sivè non frustranda non essent effectus prędestinationis , cùm sint terminus immediatus voluntatis antecedentis.

58 Objicies : Si in Deo est prior voluntas efficax salvandi electos : ergo superflua est voluntas , quæ est posterior. ¶ Respondetur negando consequentiam : Nam estò prima facie videatur superflua,re tamen vera non est : Tum, quia ex illa voluntate antecedenti procedunt elicitivè omnia auxilia sufficientia, licèt vt conducentia cum effectu ad vitam æternam proveniant à voluntate consequenti. Tum etiam:quia suppositа voluntate efficaci prædestinandi electos,non potest divina voluntas manere suspensa circa salutem omnium consideratam secundùm se. Unde cùm , stante illa voluntate efficaci salvandi electos , nequeat habere voluntatem antecedentem non salvandi illos,nec voluntatem antecedentem , qua velit non salvare reprobos, aliàs deficerent peccata,eò quòd deficerent auxilia sufficientia ; inde est,quòd Deus debet habere illam duplicem voluntatem,efficacem,& inefficacem ; licèt prior sit efficax , à qua imperatur inefficax.

59 Ad confirmationem respondetur conced. antecedens , & disting. consequens : *debet præsupponi subiectum talis accidentis* in executione , concedo consequentiam ; in intentione, nego consequentiam. Vel aliter : *debet præsupponi* in genere causæ materialis , concedo ; in genere causæ finalis , nego. Nam estò substantia debeat præcedere in genere causæ materialis ; potest tamen dependere à gloria in genere causæ finalis. Quod valet explicari duplici exemplo. Primum est theologicum : Nam genus humanum redimendum est causa materialis respectu Incarnationis , & finis *cui* ; & tamen Incarnatio est finis *cuius gratia* respectu generis humani. Secundum est philosophicum : Inhabitatio domus se habet vt accidens respectu domus; & tamen voluntas construendi domum ita respicit domum , & habitationem, quòd domus sit prior in executione , & in genere causæ materialis , & habitatio in genere causæ finalis , & in intentione.

60 Arguitur *vltimò* : Substantia Adæ non fuit effectus suę prædestinationis : ergo nec substantia cuiusvis alterius prædestinati est effectus suæ prædestinationis. Consequentia videtur legitima : nam substantia omnium nostrum continetur virtualiter in substantia Adæ tanquam in causa , & tanquam in Capite morali : ergo pro illo signo , quo prævisa est substantia Adæ , prævisi sunt futuri omnes , qui peccavère in Adam, cùm Deus non posuerit voluntatem hominum possibilium in Adæ voluntate , sed hominum futurorum : ergo si substantia Adæ prævisa fuit pro priori ad eius prędestinationem , & propterea subterfugit causalitatem illius , idem dicendum est de substantia cuiusvis prædestinati. Antecedens verò probatur *primò* : Quia gratia originalis non fuit effectus prædestinationis Adę: ergo nec eius substantia.Patet consequentia : quia substantia Adæ producta est in ordine ad iustitiam originalem : ergo si gratia originalis non fuit effectus prædestinationis Adæ , nec debuit esse eius substantia.Antecedens verò probatur:Nam omnis effectus prædestinationis Adæ est effectus prædestinationis Christi ; sed gratia originalis non fuit effectus prædestinationis Christi , aliàs Christus esset Caput Adæ in statu innocentiæ , & veniret , estò Adamus non peccaret : ergo neque fuit effectus prędestinatio-

nis

nis Adæ. *Secundò*: Nam ſubſtantia Adę non fuit effectus prædeſtinationis Chriſti propter rationem inſinuatam; ergo nec fuit effectus ſuæ prædeſtinationis.

61 Ad hoc argumentum reſpondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem (miſsis alijs ſolutionibus eſtò probabilibus, quas referunt N. Salm. in hoc tract. diſp. 4. à num. 25. alijſque in tractatibus) conceſſo antecedenti; negari debet conſequentia. Nec probatio ibi adducta aliquid convincit: quia ſtat optime, quòd ſubſtantia Adæ quoad primum ſui *eſſe* ordinetur à Deo ad iuſtitiam originalem, & quòd ſit effectus ſuæ prædeſtinationis, quin ipſa iuſtitia originalis ſit effectus illius. Pro quo ſciendum eſt, nullam repugnantiam eſſe in eo, quòd res aliqua producatur ex intentione duplicis finis inadæquati, & inter ſe non ſubordinati, vt ſi quis vellet deambulationem ob ſanitatem, & ob videndas facultates. Igitur Deus produxit ſubſtantiam Adæ ex intentione conferendi ei iuſtitiam originalem, & gratiam ſanativam, quæ quidem gratię erant fines inadæquati, & inter ſe diſparati illius intentionis. Et ſubſtantia Adæ, prout ordinabatur ad gratiam originalem, non erat effectus prædeſtinationis Adæ, ſicut nec ipſa gratia originalis: ſed prout ordinabatur ad gratiam ſanativam eſt effectus prædeſtinationis Adæ, ſicut & ipſa gratia ſanativa: quia vna cum illa conducebat in effectu ad vitam æternam.

62 Ad ſecundam probationem reſpondetur, negando antecedens: quia reverà ſubſtantia Adæ eſt effectus prædeſtinationis Chriſti: quia Chriſtus vt *Redemptor* fuit volitus finis omnium rerum ſpectantium ad hoc vniverſum, cùm hoc conducat ad maiorem eius excellentiam. Ex quo infertur, gratiam ipſam originalem etiam ordinari ad Chriſtum vt *Redemptorem* tanquam ad finem *cuius gratia*. Nam duplici via inter ſe non ſubordinata poteſt iri ad eundem finem, vt cum quis ad ſanitatem tenderet per deambulationem, & ſanguinis effuſionem: Et ita ad Chriſtum vt *Redemptorem* itur *primò* non ex meritis Chriſti, ſed merè ſpeculative; & hoc modo gratia originalis, & ſubſtantia Adæ, necnon totum hoc vniverſum, prout ad illam ordinabatur, tendebat ad Chriſtum adhuc vt *Redemptorem* tanquam ad finem *cuius gratia*. Secundò itur ad ipſum Chriſtum ex meritis ipſius; & hoc pacto gratia ſanativa, & ſubſtantia Adæ, necnon totum hoc vniverſum, prout ad ipſam ſubordinatum, tendebat etiam ad Chriſtum vt ad finem *cuius gratia*. Neque ex hoc ſequitur, quòd Chriſtus ſit Caput Adami pro ſtatu innocentiæ: Nam quamvis ſit finis ſubſtantiæ Adæ ſecundùm primum ſui *eſſe*, non tamen reſpicit eam vt effectum principalem & proportionatum; & Chriſtus in ratione *Capitis* ſolùm conſtituitur reſpectu effectuum principalium, & immediatè pertinentium ad providentiam redemptivam formaliter vt talem. Et hac eadem ratione, quamvis ſit finis gratię originalis, non debet dici Caput morale illius ſtatus: quia nimirùm non quilibet iufluxus finalis ſufficit in Chriſto ad rationem Capitis, ſed requiritur, quòd ſit influxus per modum meriti, & pretij; quem influxum ſolùm præſtat in ordine ad gratiam ſanativam. Neque ex hoc ſequitur, quòd Chriſtus veniret ex vi præſentis decreti, Adamo non peccante? Quia cum hoc, quod eſt gratiam originalem ordinari ad Chriſtum vt *Redemptorem* tanquam ad finem, eſſe effectum prædeſtinationis illius, conducereque ad maiorem eius excellentiam, optime ſtabat, quòd præcipuè intentus fuerit ob remedium peccati. Ratio autem iſtorum eſt, quam tradit Div. Thomas 3. part. quæſt. 1. art. 3. nempè quia ſic conſtat ex Scriptura, & SS. PP.

§. IV.

Còrollaria præcedentis doctrinæ.

63 EX dictis infertur *primò*, omnes res naturales, quibus prædeſtinatus vel per modum obiecti, vel per modum occaſionis quoquomodo iuvatur, vt habeat vitam æternam, vel aliquod gaudium accidentale, eſſe effectus ſuæ prædeſtinationis. Et ſic iuxta dicta in hoc dub. pro certo habendum eſt, quòd partes principales huius vniverſi ſunt effectus prędeſtinationis cuiuſcumque prædeſtinati: quia cùm effectu conducunt ad vitam æternam, vel ad gaudium aliquod accidentale in omnibus & ſingulis prædeſtinatis. Aliæ res minùs principales non æquè conducunt cum effectu ad vitam æternam, vel ad gaudium accidentale, ſed quędam in aliquibus, quædam in alijs. Unde illæ res, quæ per modum obiecti, vel occaſionis conduxerunt, vt S. Mater N. Thereſia (v. g.) cor ad cœlum elevaret, & Deo gratias ageret, vt legitur in ſua vita de pluribus rebus, vt de architectura cœli &c. ſunt effectus prædeſtinationis illius. Aliæ ob eandem rationem erant effectus prædeſtinationis S. Antonij, & ſic de reliquis prædeſtinatis, iraut de prędeſtinatione totius corporis myſtici electorum omnium ſatis probabiliter poſsit dici, quòd omnes & ſingulæ res ſint effectus prædeſtinationis prædicti corporis myſtici, licèt non cuiuslibet ex membris eius.

64 Et licèt de omnibus rebus verificetur illud dictum Pſalm. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*, id eſt hominis: ex quo infertur, quòd omnia creata fuerunt propter hominem tanquam propter finem, & ſic videtur eſſe effectum illius in genere cauſæ finalis, & conſequenter ſuæ prædeſtinationis; non tamen omnia cum effectu conduxerunt ad gloriam cuiuslibet

præ-

prædestinati, sicut nec cum effectu omnia conduxerunt ad eius profectum: non ergo debent dici effectus prædestinationis cuiuslibet electi in illo rigore, de quo in hoc, & præcedenti dubio. Poterunt tamen dici effectus illius largè, inquantùm omnia in particulari conducebant ad eius profectum quoad sufficientiam, & speculativè ad hominem ordinabantur tanquam ad finem: sicut de iustitia originali suprà diximus in ordine ad Christum.

65 Infertur *secundò*, omnes substantias reproborum in particulari esse effectus prædestinationis cuiuslibet prædestinati in particulari. Tum, quia hoc ostendit magis illam misericordiam, quam erga omnes prædestinatos in particulari Deus habet. Tum, quia saltem post diem iudicij habebit quilibet electus quoddam gaudium accidentale ex ostensione huius misericordiæ, dum in tribunali iudicij videbit numerum infinitum multorum in particulari, & ex tot millibus se electum fuisse; quod non potest non eum movere ad laudandum Deum, & ad illi gratias agendum, & inde resultare aliquod gaudium accidentale.

66 Quinimò opera moraliter bona ordinis naturalis reproborum sunt effectus prædestinationis electorum, modo num. præced. & num. 29. insinuato. Quod, præter rationem proximè tactam; ostenditur eleganti quadam ratione D. Thomæ 1.2. quæst. 21. art. 4. vbi ait, quòd Deus pro omni actu bono conferret præmium, iuxta illud Ecclesiast. vltim. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium.... sivè malum, sivè bonum* (Id est, ad remunerationem bonorum, & ad supplicium malorum. Hoc enim exigit ratio vniversalis Iudicis, qui sicut infligit pœnam pro quocunque opere malo etiam minimo, paritèr debet conferre præmium pro quocumque opere bono à quovis & in quocumque statu facta) sed opera bona moraliter ordinis naturalis à reprobo facta non semper remunerantur in hac vita, nec in alia, vbi damnatus est incapax præmij: ergo debent in alijs, nempè in prædestinatis, præmiari. In quo sensu debet intelligi, quod ipse Ang. Doctor in hac quæst. art. 8. ait: quòd scilicèt quilibet Beatus in gloria gaudebit de bonis, quæ alius fecit: ac proinde habebit gaudium accidétale de bonis operibus perpetratis à reprobis.

67 Infertur *tertiò*, substantias omnium electorum in particulari esse effectum prædestinationis cuiuslibet prædestinati in particulari. Tum, quia media visione beatifica quilibet prædestinatus videbit in Verbo substantias omnium electorum in particulari. Tum, quia oculis corporeis videbit corpora omnium electorum; & dū hæc omnia videt, considerat que se inter tot millia electorum, nequit non magnificare, laudare, & Deo gratias agere propter tam ingens beneficium sibi concessum, & nequit non ex contubernio tam sanctæ societatis aliquod gaudium accidentale ex vnione vniuscuiusque ibi accrescere, vt dicit devotè venerabilis Ludovicus Granatensis in meditatione vespertina Sabbati.

DUBIUM VLTIMUM, ET APPENDIX.

Quid dicendum sit de divina Reprobatione quoad existentiam, essentiam, motivum, & eius effectus?

OMnia, quæ de reprobatione dicenda sunt, sub vno eodemque dubio comprehendimus: quia sunt veluti corollarium totius tractatus. Sed claritatis gratia illud in diversas conclusiones secabimus.

§. I.

Assertio prima existentiam Reprobationis stabiliens.

68 DIcendum est *primò*, dari verè in Deo reprobationem. Hæc conclusio est de fide. Et colligitur expressè ex pluribus testimonijs sacræ paginæ: præcipuè verò ex illo Malach. 1. *Esau odio habui*: quod testimonium Apost. ad Rom. 9. interpretatur de reprobatione à vita æterna per hęc verba: *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit.... vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet divitias gloriæ suę in vasa misericordiæ, qua præparavit in gloriam.* Et eodem modo illud exponunt communiter PP. vt videri possunt apud Nostros Salm. in præf. disp. 9. num. 25.

Et probatur *primò* ratione fundamentali: Nam plures dantur reprobi inter homines: ergo in Deo existit reprobatio. Consequentia est bona: nam nullus potest esse reprobus, nisi dependenter ab actu voluntatis divinæ, qui dicitur *reprobatio*: sicut nullus potest esse prędestinatus, nisi mediante actu voluntatis divinæ, qui dicitur *prædestinatio*. Antecedens verò probatur: nam reprobus est ille, qui habet omnia necessaria ad consecutionem sui finis, ab illoque deficit; sed omnes homines habent media necessaria ad consecutionem vitę æternæ, vt diximus tract. præced. disp. 3. dub. 2. & plures inter eos sunt, qui illam non consequuntur: ergo plures dantur reprobi inter homines. Maior, in qua tantùm potest esse difficultas, per se patet: Nam quia terra producta est, vt germinet herbam virentem & facientem fructum suum, si aquis irrigetur, dicitur ad Hebræos 6. *reproba*, si spinas & tribulos proferat. Similiter quia finis intellectus est verum, si deficiat à veritate, dicitur *reprobus*, iuxta illud Apost. ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Maximè: quia *reprobus* dicitur, quod separatur ab alijs, vt sæpè tradidit Scriptura; sed plures sunt mali, qui sepa-

ſeparabuntur ab electis, iuxta illud Matth. 13. *Separabunt malos de medio iuſtorum*: ergo plures ſunt reprobi.

69 Secundò ſuadetur eadem concluſio alia ratione deſumpta ex D. Thom. in præſ. art. 5. ad 3. & ad Rom. 9. lect. 4. vbi ait: *Conſiderandum eſt, quod finis omnium divinorum operum eſt manifeſtatio divinæ bonitatis; ſed tanta eſt divinæ bonitatis excellentia, quòd non poteſt vno modò, nec in vna creatura ſufficienter manifeſtari: & ideo diverſas creaturas condidit, in quibus diverſimodè manifeſtatur, præcipuè in creaturis rationalibus, in quibus eius iuſtitia manifeſtatur quantùm ad illos, quos pro eorum meritis punit; miſericordia verò in illis, quos ex ſua gratia liberat: Ergo, vt vtrunque in hominibus manifeſtaretur, quoſdam miſericordia liberavit, ſed non omnes.* Sicut igitur ad manifeſtandam Dei miſericordiam datur in Deo circa aliquos prædeſtinatio, ita ad manifeſtandam eius iuſtitiam punitivam oportet, quòd in ipſo exiſtat circa alios reprobatio. Et ſi inquiras cur hos in individuo prædeſtinavit, & illos reprobavit? ſtatim reſpondet loco citato 1. part. per hæc verba: *Sed quare hos elegit ad gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem niſi divinam voluntatem. Vnde Auguſtinus dicit ſuper Ioan.* (nempè tract. 16.) *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, ſi non vis errare. Sicut ex ſimplici voluntate artificis dependet, quòd illa lapis eſt in iſta parte parietis, & ille in alia.*

70 Vltimò ſuadetur concluſio alia ratione D. Thomę 1. ad Annib. diſt. 40 quæſt. vnica art. 3. vbi inquit: *Ordinavit ergo divina providentia ab æterno humanam naturam ad beatitudinis conſecutionem per liberum arbitrium. Quod quia deficere poteſt per ſeipſum, à ſolo autem Deo indeficientiam habet, ideo ab æterno propoſuit, quòd quoſdam permitteret deficere, quibuſdam verò auxilia apponeret, ne deficerent, vt in vtriſque manifeſtaretur virtus gratiæ, & defectus naturæ.* Ex quibus infert: *Sic ergo ab æterno fuit propoſitum Dei & reſpectu culpę permittendæ, & reſpectu pœnæ infligendæ; & hæc dicitur reprobatio.* Ergo ſicut ad manifeſtandas vires gratiæ oportebat, quòd in Deo daretur aliquorum prędeſtinatio, ita ad oſtendendam libertatem & defectibilitatem liberi arbitrij creati conveniens fuit, vt in eo exiſteret reprobatio. Mittimus aliam rationem, quam adducit D. Thomas in prę. art. 3. deſumptam ex providentia vniverſaliſsima Dei, ad quam ſpectat permittere aliquem defectum in rebus illi ſubiectis. Videatur ibi, ſi placet.

71 Sed objicies *primò*, contra ſecundam rationem: Deus poteſt manifeſtare in vna perſona attributum ſuæ iuſtitiæ, & attributum ſuæ miſericordiæ, vel quia in prędeſtinato oſtendit ſuam miſericordiam, illum prædeſtinando, & iuſtitiam, cum puniendo pro ſuis culpis in hac vita: vel quia oſtendit in prædeſtinato ſuam miſericordiam, illum prædeſtinando, & ſuam iuſtitiam illum præmiando; ſicut in reprobo oſtendit ſuam iuſtitiam illum puniendo, & ſuam miſericordiam puniendo citra condignum.

Reſpondetur, quòd iuſtitia divina tantum oſtenditur imperfectè & ſecundùm quid per punitionem huius vitæ, ſicut per collationem gratiæ in hac vita ſolùm ſecundumquid & imperfectè manifeſtatur eius miſericordia. Unde ſicut oportet, quòd eius miſericordia vltimatè & perfectè reſplendeat in collatione gloriæ eternę, ita oportet, quòd eius iuſtitia manifeſtetur in excluſione ab hac æterna gloria, & in punitione per ſupplicium æternum. Et quamvis in prędeſtinato oſtendatur Dei iuſtitia diſtributiva in conferendo præmium, vlteriùs oportet, quòd manifeſtetur iuſtitia eius vindicativa per punitionem æternam. Et licèt in reprobo etiam eluceſcat Dei miſericordia, non tamen ita reſplendet ſicut per prædeſtinationem ad gloriam, vt ex ſe liquet.

72 Objicies *ſecundò*, contra tertiam rationem: Nam defectibilitas & libertas arbitrij creati ex vna parte, & ex alia virtus gratiæ ſufficienter oſtenduntur in permiſsione peccati, eſtò non ſequeretur punitio æterna: nam eo ipſo quod Deus non conferat ſuum auxilium efficax, in cuius denegatione conſiſtit permiſsio peccati, & oſtenditur libertas & defectibilitas arbitrij creati, cùm ſtatim ſuccumbat; & virtus gratiæ, cùm ea collata non peccaret.

Reſpondetur, quòd vt liberum arbitrium, eiuſque defectibilitas perfectè oſtendantur, requiritur, quòd deficiat voluntariè à pœnitentia finali, & à conſecutione vitæ æternæ: quia defectibilitas arbitrij liberi creati pręcipuè elucet in deficientia ab vltimo fine, & à medio vltimatè & perfectè connexo cum eo: ſicut miſericordia & liberalitas Dei præcipue reſplendet in conferendo aliquibus donum perſeverantiæ & vitam æternam, & alijs hæc dona denegando.

73 Objicies *tertiò*, contra concluſionem: Nam Concilium Arauſic. can. 25. & Trident. ſeſſ. 6. can. 17. damnant eos, qui aſſerebant, in Deo dari prædeſtinationem ad malum. ¶ *Quartò*: Si in Deo daretur erga aliquos reprobatio, exiſteret in ipſo liber mortis, ſicut quia datur prædeſtinatio, exiſtit in eo liber vitæ: nam propterea datur liber vitæ, quia per ſuum intellectum deſignat aliquos ad vitam æternam; ergo ſi etiam deſignat aliquos in mortem æternam, etiam erit in eo liber mortis: quòd tamen eſt contra D. Thomam infrà quæſt. 24. art. 1. ad 3. ¶ *Quintò*: Nullus prudens excludit à conſecutione finis, quod producit ad conſecutionem prædicti finis; ſed Deus produxit omnes homines propter vitam æternam conſequendam;

dam: ergo: ¶ *Sextò*: Deo non eſt tribuendum, quod ſapit crudelitatem; ſed huiuſmodi eſt reprobatio: quandoquidem hęc importat actum efficacem, quo vult excludere perpetuò aliquem à gloria, & permittere peccatum vt per eius ſupplicium oſtendatur divina iuſtitia, in quibus nonnihil crudelitatis adumbratur: ergo: *Ad hæc*: Deus vult omnes homines ſalvos fieri; ſed cum hac voluntate eſt incompoſsibilis voluntas efficax excludendi aliquos à vita æterna ergo. *Adde*: Nam alias voluntas, qua vult omnes homines ſalvos fieri, eſſet ficta & illuſoria: ſiquidem quos vult voluntate antecedenti conſequi vitam ęternam, voluntate efficaci & abſoluta excludit ab ea.

74 Ad tertiam reſpondetur, Concilia loqui de prædeſtinatione ad malum culpæ, non tamen ad malum pœnæ, vt in præſenti loquimur. ¶ Ad quartam reſpondetur cum D. Thoma loco in ea relato: *Quòd non eſt conſuetum conſcribi eos, qui repudiantur. Vnde reprobationi non reſpondet liber mortis, ſicut prædeſtinationi liber vitæ.* Videatur inſuper quæſt. 7. *de Verit.* art. 8. ¶ Ad quintum reſpondetur quòd non eſt contra munus ſapientis & prudentis Proviſoris, qui ſpeciem aliquam producit propter aliquem finem, quòd aliquos à conſecutione finis excludat, quando natura tendit defectibiliter ad illum. ¶ Ad ſextam reſpondetur, quòd eſſet crudelitas velle aliquem punire ex ſola intentione puniendi, non verò ex intentione complendi vniverſum, & oſtendendi iuſtitiam Dei vindicativam, & declarandi miſericordiam Dei erga prædeſtinatos, necnon defectibilitatem & libertatem arbitrij creati, vt in reprobatione contingit. Ad primum additamentum ſatis conſtat ex dictis tract. præced. diſp. 3. num. 9. alijſque in locis. Ad ſecundum etiam liquet ex dictis ibidem num. 19.

§. II.

Aſſertio ſecunda eſſentiam reprobationis declarans.

75 DIcendum eſt *ſecundò*, reprobationem, quamvis prærequirat actum voluntatis; non tamen in eo conſiſtere, ſed in actu intellectus, qui eſt imperium, quo Deus imperat permiſsionem peccati, maximè finalis impœnitentię, vt reprobo ſua culpa peccanti & in peccato vſque in finem perſeveranti puniat eum pœna ęterna, & ita oſtendatur iuſtitia eius vindicativa, & alij fines à Deo intenti ſubſequantur. Hæc concluſio quoad omnes eius partes eſt expreſſa D. Thomæ in præſ. art. 3. Cuius ratione probatur: Nam reprobatio eſt pars divinæ providentiæ; ſed providentia divina conſiſtit in actu imperij, connotante intentionem efficacem finis, & electionem mediorum, & ordinante media efficacia ad prædictum finem: ergo reprobatio conſiſtit in imperio ordinante media efficacia conducentia ad finem intentum ab ea: Iam ſic; ſed finis intentus à divina reprobatione eſt denegatio vitæ æternę, oſtenſio iuſtitiæ punitivę, & manifeſtatio miſericordiæ erga electos, ad quos fines efficaciter conducunt permiſsio peccati lethalis, & perſeverantia finalis in illo: ergo reprobatio conſiſtit in imperio, quo Deus imperat permiſſionem peccati, & perſeverantiæ finalis in eo. Pro qua ratione recolantur, quę diximus diſp. 2. dub. 1. & 2.

76 Sed contra hanc rationem objicies *primò*: Ad providentiam perfectiſsimam ſpectat ita ea, quæ ſibi ſubiecta ſunt, ad certum finem ordinare, vt ab eo fine non deficiant; ſed Deus ex perfectiſsima providentia ordinavit omnes homines ad æternam beatitudinem: ergo ad eam potiùs ſpectat ita de eis providere, vt prędictum finem conſequantur, quàm providere de medijs, ratione quorum infalliibiliter excludantur ab eius conſecutione.

Hanc obiectionem ſibi obiecit D. Thomas quæſt. præced. art. 2. his verbis: *Omnis ſapiens proviſor excludit defectum & malum, quantùm poteſt, ab his, quorum curam gerit: videmus autem mala in rebus eſſe. Aut igitur Deus non poteſt ea impedire (& ſic non eſt Omnipotens) aut non de omnibus curam gerit.* Ad quam ſic reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quòd aliter de eo eſt, qui habet curam alicuius particularis, ac de Proviſore vniverſali: quia Proviſor particularis excludit defectum ab eo, quod eius curæ ſubditur, quantùm poteſt: ſed Proviſor vniverſalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius.* Igitur non eſt contra providentiam perfectiſsimi Proviſoris, qualis eſt Deus, ſed valde ad eam pertinet, vt de vnoquoque prouideat iuxta ſuam naturam, & quòd de creaturis defectibilibus defectibiliter prouideat, curando, vt aliquę ex illis à ſuo vltimo fine conſequendo deficiant; & aliæ illum conſequantur, *ne impediatur bonum vniverſi perfectum*, vt ibi docet D. Thomas. Et ſic contingit in præſenti: nam permittendo aliquos homines deficere, ne æternam beatitudinem conſequantur, oſtenditur defectibilitas & libertas arbitrij creati, manifeſtatur iuſtitia Dei punitiva, & alij fines nobis occulti; & prædeſtinando alios reſplendet virtus gratiæ, & miſericordia Dei erga eos. Et nota, quòd hæc obiectio potius militat contra primam concluſionem, quàm contra hanc ſecundam, in qua, ſuppoſita convenientia & exiſtentia reprobationis, declaratur actus, in quo conſiſtit; & nullus aptior eſt quàm imperium, quo Deus ordinat media ſuprà deſcripta.

77 Objicies *ſecundò* (& erit replica contra ſo-

solutionem datam.) Nam eatenus ad providentiam divinam spectat permittere aliquos defectus in naturalibus, v. g. corruptionem aquæ, quatenus corruptio aquę concurrit saltem dispositivè ad generationem ignis; sed reprobatio vnius non concurrit ad prædestinationem alterius: quia hoc quod est vnum hominem non consequi Vitam æternam, non est ratio, vt alius illam consequatur, cum optimè possent omnes illam consequi: ergo ad providentiam Dei non spectat permittere, vt aliqui à consecutione sui vltimi finis deficiant.

Ad hanc obiectionem satis constat ex dictis: Nam in ea maiori redditur ratio sufficiens, cur Deus permittat aliquos defectus naturales; sed non redditur causa adæquata ad omnes defectus, quos potest permittere, maximè in linea supernaturali, in qua ob alios fines, præcipuè recensitos, potest permittere, vt aliquę creaturæ intellectuales deficiant à consecutione sui vltimi finis, qualis est vita æterna. *Maximè*: Quia nisi Deus permitteret aliquos à vita æterna deficere, non ita resplenderet misericordia eius erga electos, quia hæc crescit ex eo, quòd hos elegit, relictis alijs; & conveniens fuit, vt misericordia Dei non solùm absolutè, sed etiam quoad hanc intensionem manifestaretur. Et hac ratione reprobatio quodammodò se habet ad prædestinationem, sicut corruptio aquæ ad generationem ignis.

78 Objicies *tertiò*: Imperium divini intellectus est actus positivus; sed reprobatio non est actus positivus: ergo quamvis reprobatio sit pars divinæ providentiæ, non sequitur consistere in imperio. Minor probatur: Tum, quia in Scriptura reprobatio explicatur terminis negativis, vt cùm de virginibus fatuis dicitur, *Nescio vos*, Eodem modo explicat eam D. Thom. in art. 3. suprà relato ad 1. his verbis: *In quantum Deus non vult homini hoc bonum, quòd est vita æterna, dicitur reprobare.* Tum etiam: nam ad hoc, vt aliquis non consequatur vitam æternam; sufficit, quòd Deus non habeat imperium erga media conducentia efficaciter ad illam consequendam: ergo superfluum est imperium, seu actus positivus ad illam non consequendam. Tum denique: quia media; quibus ex parte Dei deficit reprobus à consecutione vitæ æternæ, sunt negativa aut privativa, vt permissio peccati, & privatio perseverantiæ finalis in eo; sed ad media negativa aut privativa non requiritur actus positivus, sed sufficit, quòd Deus non habeat voluntatē aut imperium conferendi prædictam gretiam: ergo.

Respondetur, concedendo mai. & negando min. ad cuius primam probationem dicendum est, quòd etiam in Scriptura sacra explicatur reprobatio nominibus positivis, vt constat ex illo Matth. 13. *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foràs miserunt.* Et ex illo Malach. 1. *Esau odio habui.* Id, quod adducitur ex D. Thoma, parùm refert: quia in toto articulo apertè explicat reprobationem per actum positivum, & sic ait, præsupponere actum voluntatis. Ad secundam & tertiam probationem satis constat ex dictis tract. 4. disp. 2. dub. 4. & disp. 3. dub. 3. *Adde*: Quia certum debet esse apud omnes, quod reprobatio sumpta pro deputatione ad pœnam saltem positivam importat actum positivum intellectus, & voluntatis, cùm per solam permissionem non possit Deus infligere pœnam positivam.

§. III.

Tertia assertio motivum reprobationis manifestans.

79 Dicendum est *tertiò*, reprobationem, prout dicit voluntatem & intentionem efficacem Dei, quibus vult excludere reprobos à regno, esse ante prævisa omnia demerita. Ita Caiet. in præs. art. 5. Capreolus dist. 41. quæst. vnica art. 2. Ferrara 3. Contra gent. cap. 161. Bañez in præs. art. 5. N. Salm. hìc disp. 8. §. 4. Ioann. à Sancto Thoma disp. 10. art. 4. quos sequuntur communiter Recentiores Thomistæ contra Authores relatos disp. 2. num. 9. & Bellarminum lib. 2. *de Amissione gratiæ* cap. 12. Suarium lib. 5. *de Reprob.* cap. 9. Nostrum Cornejo disp. 2. *de Reprob.* dub. 1. & plures alios. Pro cuius intelligentia: Nota, quòd Theologi duplicem distinguunt reprobationem, aliam positivam, & alteram negativam & dicunt, quòd positiva consistit in deputatione hominum, seu Angelorum ad pœnam æternam sub ratione *pœnæ*; & negativa in exclusione illorum à gloria in ratione *doni indebiti*, sub qua ratione exclusio à gloria non habet rationem pœnæ damni. Et de hac vltima intelligitur conclusio. Quę apertè colligitur ex illis verbis Apost. ad Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex voluntate dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: vbi Iacob inducitur nomine electorum, & Esau nomine reproborum, vt sæpè diximus, sed hæc verba adminùs debent intelligi de reprobatione negativa proximè explicata: ergo reprobatio negativa fit ante prævisa mala opera reprobi, seu eius demerita.

Non minùs apertè colligitur ex D. Thoma in 1. ad Annibald. dist. 41. quæst. vnica art. 3. vbi hęc habet: *Respondeo dicendum, quòd voluntati divinæ de salute hominis duplex voluntas opponi videtur, scilicet voluntas de contradictorio, secundùm quòd vult aliquem non salvare: & voluntas de contrario, secundùm quòd vult damnari aliquem. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum salus gloriæ non sit debitum humanæ naturæ. Non enim requiritur ratio, quare non demalicui, cui dare non debeo.*

80 Ex quibus desumitur ratio nostræ conclusionis: Nam ad negandum alicui, quod ei non debetur, & sub ratione *indebiti beneficij* non requiritur aliqua causa, seu culpa ex parte eius, cui negatur; sed gloria nulli est debita: ergo voluntas, qua Deus vult denegare, seu excludere reprobos à regno per modum indebiti beneficij, seu reprobatio negativa est ante prævisa eorum demerita. Minor est certa: Nam prima gratia, & perseverantia finalis in ea nulli creaturæ intellectuali est debita: ergo nec gloria. Maior verò probatur: Tum, quia ad denegandum alicui, quod non est ei debitum, sufficit voluntas Domini nolentis ei prædictam gratiam seu beneficium conferre. Tum etiam: nam hac ratione Deus sine iniuria alicuius quibusdam confert gratiam & donum perseverantiæ, & quibusdam denegat, quin ex parte vllius præsupponatur prævisa aliqua causa: ergo idem dicendum est de negatione gloriæ per modum beneficij indebiti. Tum denique: nam alioquin denegatio gloriæ non solùm haberet rationem purę denegationis beneficij indebiti, sed etiam rationem pœnæ.

81 Respondebis, quòd, supposita elevatione hominum ad gloriam, quodammodò est eis debita: & hac ratione non potest eis sine iniuria denegari, nisi præsupponatur culpa ex parte ipsorum.

Contrà est: Tum quia, adhuc suppositа hominum elevatione ad gloriam, gratia efficax ad illam infallibiliter consequendam non est eis debita: ergo neque gloria est eis debita adhuc suppositа hominum elevatione ad gloriam. *Tum etiam*: Nam ex vi illius elevationis ad gloriam tantùm sunt debita auxilia sufficientia ad eam consequendam, cùm Deus tantùm habeat voluntatem antecedentem omnes homines salvandi: ergo non est eis debita gloria. *Tum denique*: Nam quamvis Deus titulo decentiæ teneatur ex vi illius ordinationis perducere aliquos ad gloriam, non verò tenetur aliquem in individuo salvare, sed tantùm hunc, vel illum: ergo respectu cuiuslibet reprobi in individuo gloria est indebita. ¶ Et confirmatur: Nam quamvis ex vi illius suppositionis Deus constitueretur debitor ad conferendam gloriam consideratam secundùm se, & præcisis circumstantijs; illis verò attentis, potius redditur debitor ad oppositum, siquidem Deus quodammodò tenetur habere voluntatem consequentem excludendi aliquos á gloria propter fines suprà assignatos: ergo hìc & nunc gloria non est debita reprobis.

82 Sed objicies: Hę duæ voluntates, *Volo denegare alicui gloriam per modum beneficij indebiti & ante prævisa demerita*: *Et*, *volo illam denegare per modum pœnę & post prævisa demerita*, sunt incompossibiles inter se, sicut denegatio non ex meritis, & denegatio ex meritis; sed Deus habet voluntatem denegandi reprobis gloriam per modum pœnæ & post prævisa demerita: ergo nequit habere voluntatem, qua illis deneget eam per modum beneficij indebiti & ante prævisa demerita.

Respondetur, negando antecedens: Nam nulla repugnantia datur in eo, quòd aliquid sit indebitum alicui, & hac ratione mera voluntate Domini denegetur; & quòd postea ille demereatur illud, & intuitu demeritorum habeat Dominus aliam voluntatem non conferendi illud per modum pœnæ. Et ita contingit in præsenti.

§. IV.

Argumenta contra præcedentem assertionem.

83 OBjiciunt *primò* Adversarij plura testimonia sacræ Scripturæ, in quibus denotatur, Deum non velle mortem peccatoris, nisi per ipsum steterit, eò quòd contra Deum graviter delinquat. ¶ Sed ad hoc communiter respondetur, quòd in illis testimonijs solùm loquitur Scriptura de voluntate Dei termitata ad negationem gloriæ per modum *pœnæ*, secus verò de voluntate Dei terminata ad negationem gloriæ per modum *indebiti beneficij*; aliàs ex parte Dei non daretur voluntas, qua velit independenter à nostris demeritis negare auxilium efficax ad vitandum primum peccatum. Eodem modo respondetur ad authoritates PP. maximè D. Augustini, Prosperi, Fulgentij, & D. Thomæ, vt non obscurè ex ipsis colligi, potest. Pro quibus videantur N. Salm. in præs. disp. 8. dub. 1. §. 6. Quare, argumento ab authoritate omisso:

Arguitur *primò* à ratione: Nam odium Dei erga aliquem supponit in eo prævisionem culpæ; sed reprobatio supponit voluntatem, qua Deus odio habet reprobum: ergo reprobatio Dei quoad voluntatem, qua vult aliquos excludere à gloria, præsupponit præscientiam culpæ. Minor constat ex illis verbis, *Esau odio habui*. Maior verò probatur: *Deum odio aliquem habere* est illi velle maximum malum, videlicet privationem summi boni; sed Deus nequit velle alicui aliquod malum, nisi propter eius culpam; alias esset crudelis: ergo odium Dei erga aliquem supponit in eo prævisionem culpæ.

Et confirmatur: Nam carentia visionis beatę, maximè iuxta præsentem providentiam, per quam omnes homines sunt elevati ad gloriam, non potest non habere rationem pœnæ; sed Deus nequit velle reprobo pœnam sub ratione *pœnæ*, nisi suppositа prævisione demeritorum eius: ergo nequit velle reprobo carentiam visionis beatificæ, nisi suppositа prævisione demeritorum eius. Maior probatur: Tum, quia

in

in illa carentia viſionis beatificæ conſiſtit pœna damni, & eſt præcipua mors damnatorum, ſicut præcipua vita prædeſtinatorum eſt ipſa viſio beatifica. Tum etiam: nam ſuppoſita ordinatione hominis ad gloriam, carentia illius non eſt pura negatio, ſed privatio: ergo habet rationem *pœnæ*.

84 Ad argumentum reſpondetur, quòd *odium* dupliciter ſumi poteſt, vel in ordine ad negandum aliquod beneficium indebitum; vel in ordine ad conferendam pœnam pro aliquo peccato debitam. Iterum *malum* ſumi poteſt dupliciter, vel quatenus præcisè dicit carentiam beneficij indebiti; vel quatenus eſt malum poſitivum, aut eſtò ſit privativum, poteſt tamen habere rationem *pœnæ*. Dicimus ergo, quòd odium, prout terminatur ad malum poſitivum, vel ad malum privativum ſub ratione *pœnæ*, debet præſupponere prævisionem culpæ. Sed odium prout dicit voluntatem denegandi præcisè beneficium vt *tale*, citra omnem ſpeciem crudelitatis poteſt terminari ad negationem illius, eſtò non præſupponat prævisionem culpæ. Et hoc vltimo modo ſe gerit Deus in reprobatione, prout hæc importat voluntatem negandi reprobo gloriam per modum beneficij indebiti.

Ad confirmationem reſpondetur, negando maiorem. Et ad primam probationem dicendum eſt, carentiam viſionis vtranque formalitatem habere, & rationem *pœnæ damni*, & rationem *puræ carentiæ beneficij*, & ſecundùm vtranque rationem intenditur à Deo, dum aliquem reprobat: aliter tamen, & aliter: nam ſecundùm primam conſiderationem non niſi intuitu demeritorum eius, vt infrà dicemus; ſed iuxta ſecundam acceptionem ante prævisionem cuiuslibet demeriti. *Ad ſecundam*: Reſpondetur, quòd, ſuppoſita hominum ordinatione ad gloriam, ſicut carentia auxilij efficacis ad primum peccatum vitandum eſt negatio beneficij indebiti, quamvis aliquo titulo largè ſumpto poſſit dici *privatio*, ita de carentia viſionis beatæ diſcurrendum eſt.

85 Arguitur *ſecundò*: Deus poſt prævisa peccata non habet voluntatem antecedentem excludendi aliquem à gloria: ergo neque ante prævisa peccata habet voluntatem efficacem & conſequentem illum excludendi. Antecedens eſt certum: nam Deus adhuc poſt prævisa peccata habet voluntatem antecedentem ſalvandi omnes, cum qua impoſsibilis eſt voluntas antecedens excludendi aliquem à gloria. Et conſequentia probatur: Nam magis opponitur voluntas efficax & conſequens alicuius finis cum voluntate antecedenti boni contrarij, quàm voluntas antecedens eiuſdem finis: ergo ſi Deus nequit habere voluntatem antecedentem reprobandi aliquem poſt prævisa peccata, neque poteſt ante prævisa peccata habere voluntatem conſequentem illum reprobandi.

Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo antecedens; & negando conſequentiam. Cuius diſparitas deſumitur ex natura vtriuſque voluntatis: nam voluntas antecedens ſalvandi omnes, & voluntas conſequens reprobandi aliquem non ſunt eiuſdem obiecti, & ſecundùm idem, vt diximus tract. præced. diſp. 3. n. 9. Cæterùm voluntas antecedens ſalvandi omnes, & voluntas antecedens denegandi alicui ſalutem æternam ſunt circa idem obiectum ſecundùm idem, vnde opponuntur contradictoriè: & ſic non eſt mirum, quòd ſivè ante prævisa merita, vel demerita, ſivè poſt illa prævisa, non poſsint in Deo inveniri.

86 Arguitur *tertiò*: Deus in prima voluntate, quam habet, excludendi reprobum à gloria, intendit vt finem oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ, non vtcumque, ſed vindicativæ & punitivæ; ſed voluntas efficax oſtendendi iuſtitiam vindicativam punitivam ſupponit prævisionem demeritorum ex parte reprobi: ergo reprobatio negativa præſupponit prævisionem demeritorum ex parte reprobi. Maior conſtat ex ſuprà dictis. Minor verò probatur: Nam actus iuſtitiæ vindicativæ eſt ipſa punitio & indiſtincta virtualiter ab ea; ſed punitio præſupponit prævisionem culpæ: ergo voluntas intendens oſtenſionem iuſtitiæ vindicativæ ſupponit prævisionem culpæ.

Ad hoc argumentum reſpondetur, quòd aliud eſt in Deo voluntas actualis puniendi; aliud verò voluntas oſtendendi voluntatem actualem puniendi, quæ coincidit cum iuſtitia vindicativa. Quamvis ergo voluntas actualis puniendi debeat præſupponere culpam prævisam, non verò voluntas oſtendendi iuſtitiam punitivam. Et ratio huius differentiæ eſt: quia prima voluntas eſt actus rigoroſæ iuſtitiæ; & propterea debet præſupponere merita, vel demerita prævisa: At voluntas poſterior non eſt actus rigoroſæ iuſtitiæ, ſed actus charitatis, quo Deus ſe, & ſua bona vult, licèt reſpiciat vt *finem* priorem voluntatem, illamque inferat. Unde ad ſummum ſequitur, quod voluntas, qua Deus vult oſtendere iuſtitiam ſuam vindicativam, connoret peccata & permiſsionem illorum in confuſo, quæ ortum ducunt proximè à voluntate Dei permiſsiva illorum, & radicaliter ab eadem voluntate oſtendendi iuſtitiam. Suppoſita, tamen voluntate permittendi peccata, & his exiſtentibus, Deus ſtatim habet aliam voluntatem, qua vult punire peccata: & hæc eſt actus iuſtitiæ vindicativæ. Sed de hoc infrà redibit ſermo. Tandem poſſet argui ab inconvenientibus. Sed ad hæc ſatis conſtat ex dictis tract. præced. diſp. 3. num. 34. & in hoc tract. diſp. 2. num. 55.

*** ***
***

§. V.

§. V.

Assertio quarta præcedentis assertionis quoad peccatum originale extensiva.

87 Dicendum est *quartò*, reprobationem negativam non supponere prævisionem peccati originalis, neque hoc sivè remitendum, sivè non remittendum esse causam, aut rationem à priori præfatæ reprobationis. Hæc assertio asseritur communiter à Theologis, contra Illustriss. Godoy disp. *69. §. 6.*& alios: eamque expressè docent N. Salm. in præs. disp. 8. dub.2.à num.53.

Quoad primam partem suadetur: Nam peccatum originale in eis, quibus remittitur plenè, manet remissum quoad culpam, & reatum pœnæ: ergo nequit esse causa reprobationis. Antecedens est de fide, iuxta illud Apost.ad Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est in ijs, qui sunt* (renati) *in Christo Iesu.* Definitumque manet in Trid. sess. 5. cap. 5. his verbis: *Siquis per Iesu-Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema sit.* Et consequentia probatur: Nam *peccatum originale esse causam reprobationis* est Deum velle efficaciter excludere à gloria propter illud eum, qui reprobus est; sed remisso peccato originali quoad culpam, & pœnam, repugnat in Deo voluntas excludendi cum efficaciter à gloria: ergo peccatum originale in eis, quibus plenè remittitur, nequit esse causa reprobationis. Minor probatur: Nam erga eos, quibus plenè remittitur peccatum originale, Deus habet voluntatem efficacem non excludendi eos à regno propter illud; sed cum hac voluntate repugnat in Deo voluntas efficax excludendi eos à regno, quia importat cum ea manifestam contradictionem: ergo, remisso plenè peccato originali, repugnat in Deo voluntas excludendi aliquem à regno.

Explicatur hoc: *Velle remittere peccatum*, & *Non velle remittere peccatum* sunt duæ voluntates contradictoriè oppositæ, sed si peccatum originale esset causa reprobationis, in eis quibus plenè remittitur peccatum originale, Deus vellet efficaciter, & non vellet efficaciter illud remittere: ergo peccatum originale, in eis quibus plenè remittitur, nequit esse causa suæ reprobationis. Maior, & minor quoad primam partem constant. Quoad secundam autem suadetur: Nam repugnat peccatum esse omninò remissum ab eo Iudice, qui propter illud vult punire: ergo vellet efficaciter illud, remittere, & non vellet illud remittere.

88 Huic rationi respondet Illustriss. Godoy num. 105. quòd voluntas excludendi reprobum à regno propter peccatum originale remissum, si ly *propter* sumatur ex parte voliti, hoc est, *Volo excludere hunc hominem à regno exclusione exequenda propter peccatum originale*, non compatitur cum voluntate remittendi peccatum originale. At si ly *propter* sumatur ex parte actus tantùm, itaut sensus sit, *Propter peccatum originale volo hunc hominem excludere à gloria exclusione mandanda executioni propter peccata personalia*, voluntas hæc rectè compatitur cum voluntate remittendi peccatum originale.

Sed contrà: Nam in primis hæc solutio est apertè contra D.Thom.in hac 1.p.q.19.art.5.& in prçs. art.5. vbi ait: *Non est assignare causam divinæ voluntatis ex parte actus volendi, sed ex parte volitorum.* Et ita concludit: *Nullus fuit ita insanæ mentis, qui diceret, merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis. Sed hoc in quæstione vertitur, vtrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam.* Quæ doctrina eandem vim habet in reprobatione. Sed Illustriss. Godoy tum in solutione proxime data, tum in conclusione docet, peccatum originale esse motivum divinę reprobationis ex parte actus reprobantis: ergo apertè opponitur D. Thomæ. *Augetur*: Nam prælaudatus Magister in solutione argumentorum docet: actum voluntatis divinæ reprobantis esse pœnam peccati originalis remissi, quamvis exclusio à regno non sit pœna illius: ergo peccatum originale est causa divinæ reprobationis ex parte actus: ficut si exclusio à gloria esset pœna peccati originalis, peccatum originale esset causa exclusionis á gloria: & ficut si voluntas Dei ex parte actus esset præmium meritorum, merita essent causa prædestinationis ex parte actus; sed hoc est contra D.Thomam: ergo.

Deindè: Nam per te peccatum originale remissum est causa demeritoria divinę reprobationis ex parte actus seu intentionis excludendi à gloria: ergo etiam est causa ipsius exclusionis passivę à gloria: ergo corruit totaliter præfata solutio. Antecedens continet expressam doctrinam Illustriss. Godoy. Et prima consequentia (ex qua evidenter colligitur secunda) suadetur ex illo axiomate, *Quod est causa causæ, est etiam causa causati in eodem genere causæ*; sed actus reprobativus est causa excludendi reprobum à regno: ergo si peccatum originale est causa demeritoria divinæ reprobationis ex parte actus, etiam est causa demeritoria exclusionis passivæ à gloria.

89 Propter quæ alij respondent, quòd peccatum originale estò remissum sit quoad reatum pœnæ æternæ, secus verò quoad reatum pœnæ temporalis, & ita manet quoad plures pœnalitates & vulnera naturæ. Ideòque potest manere quoad debitum carendi auxilio efficaci ad vitandum peccatum, quia denegatio prędicti auxilij est pœna temporalis.

Sed

Sed contrà eſt *primò*: Nam ſi poſt remiſſum peccatum originale maneret debitum carendi auxilio ad peccatum vitandum, iam debitum carendi auxilio efficaci eſſet vulnus naturę, non minùs propriè quam illa quatuor, quę enumerat D. Thomas 1. 2. quęſt. 85. art. 3. ergo per peccatum originale iam remiſſum homo contraheret aliud quintum vulnus; ſed hoc eſt contra Div. Thomam loco citato: ergo. ¶ *Secundò*: Nam poſt remiſſam culpam quamvis poſsit manere reatus pœnæ temporalis, vt contingit in eo, qui decedit in gratia, & manet obnoxius pœnę purgatorij; repugnat tamen, quòd in eo maneat reatus pœnæ æternæ; ſed nequit intelligi, quòd homo maneat cum debito carendi auxilio efficaci ad vitandum peccatum (v. g.) finale, & quòd non maneat in eo reatus pœnæ ęternæ, cum ad illud infallibiliter ſequatur: ergo maneret, & non maneret remiſſum quoad reatum pœnæ ęternę. *Adde*: Quia, vt inquit Trident. loco ſuprà relato, concupiſcentia & fomes peccati manent, remiſſo peccato originali, pręcisè ad agonem, vt ſint materia certaminis & maioris meriti, quin non conſentientibus noceat; conſtat autem, quòd denegatio auxilij efficacis ad vitandum peccatum homini eſt nociva: ergo poſt remiſſum peccatum originale non remanet debitū carendi auxilio efficaci ad vitandum peccatum.

90 Contra hoc ſolùm obſtat authoritas D. Auguſt. (in cuius venerationem Adverſarij defendunt oppoſitam ſententiam) epiſt. 105. vbi expreſſe docet, Deum odiſſe Eſau propter originale peccatum (idem docet pluribus alijs in locis) conſtat autem Deum reprobantem Eſau pręvidiſſe in ſua æternitate peccatum originale remiſſum: ergo peccatum originale remiſſum fuit motivum excludendi à regno.

Sed ad hoc teſtimonium reſpondetur cum N. Salm. loco ſuprà relato num. 59. quòd odium Eſau refertur ad eius perſonam non ſolùm quantùm ad dignitatem ſpiritualem, quatenus eſt reprobatus & excluſus à gloria, ſed etiam quantùm ad dignitatem temporalem. Senſus ergo D. Auguſtini eſt, quòd peccatum originale fuit cauſa, vt Eſau reprobaretur quoad dignitatem temporalem, non per modum pœnæ, ſed per modum pœnalitatis temporalis, ad modum quo mors, & concupiſcentia ſunt effectus peccati originalis adhuc remiſsi. *Vel dic*, quòd Div. Thomas quęſt. 6. *de Verit.* art. 2. ad 9. poſtquàm refert prædictam doctrinam D. Auguſt. his verbis, *Ratio autem reprobationis eſt in hominibus peccatum originale, vt dicit Auguſtin.* hanc ſolutionem quaſi deſerens, addidit aliam propriam dicens: *Vel in futuro per hoc ipſum, quod eſt non habere debitum, ad hoc quod eis gratia conferantur, rationabiliter poſſum velle denegare aliquid alicui, quod ſibi non debetur.* Vnde in via D. Thomæ ſtandum eſt ſuprà dictę doctrinę.

91 Deinde concluſio quoad ſecundam partem probatur: Nam permiſsio peccati originalis, in ijs quibus remittendum non eſt, eſt effectus reprobationis: ergo reprobatio negativa, reſpectu eorum quibus peccatum originale remiſſum non eſt, non præſupponit pręviſionem illius. Antecedens probatur *primò* ex Div. Thoma in præſ. art. 3. vbi ait: *Sicut prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa*; ſed gratia, & gloria ſunt effectus prædeſtinationis: ergo pœna æterna, & peccatum originale, in ijs quibus remiſſum non eſt, & propter quod damnantur, ſunt effectus reprobationis. *Secundò*, ex eodem Div. Thoma ibidem, vbi ait, quòd permittere aliquem defectum eſt effectus providentiæ: ergo ad providentiam reprobativam ſpectat permittere illud peccatū, propter quod reprobus damnatur; ſed peccatum originale non remiſſum eſt huiuſmodi: ergo permiſsio illius eſt effectus reprobationis. *Tertiò*: Nam reprobatio negativa incipit à voluntate non conferendi gloriam; ſed peccatum originale non remiſſum permittitur ex voluntate non conferendi gloriam: ergo permiſsio illius eſt effectus reprobationis negativæ. *Quartò*: Permiſsio peccati in Adamo eſt effectus ſuæ prædeſtinationis: ergo permiſsio peccati originalis, in ijs quibus non remittitur, eſt effectus reprobationis. Patet conſequentia: quia ex vna parte permiſsio peccati originalis non remiſsi eſt effectus permiſsionis peccati in Adamo; & ex alia primò poſtquàm Adamus, & cæteri electi prædeſtinantur, reprobi rejiciuntur à gloria: ergo ſi permiſsio peccati in Adamo deſcendit à voluntate prędeſtinativa illius, etiam permiſsio peccati originalis non remmiſsi deſcendit à voluntate rejiciendi à gloria eos, quibus non remittitur.

§ VI.

Argumenta contra ſecundam partem præcedentis concluſionis.

92 CONtra ſecundam partem concluſionis ſentiunt Authores relati num. 79. pro oppoſita ſententia. Et arguitur *primò* ex diſcrimine invento inter prædeſtinationem, & reprobationem, inſinuato à SS. PP. quòd prędeſtinatio non eſt propter merita, & reprobatio eſt propter peccata, maximè originale: ergo peccatum originale eſt motivum reprobationis negativæ, hęcque ſupponit prævisionem illius. ¶ Confirmatur *primò* ex Trident. ſeſſ. 6. can. 11. vbi dicitur: *Deus ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur*: ergo primus effectus reprobationis eſt effectus peccati

ſal-

saltem originalis non remissi ; atque ideò hoc non est effectus reprobationis. ¶ Confirmatur *secundò* : D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. ait, quòd auxilium gratiæ, quibus non datur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, non datur : ergo hoc non est effectus reprobationis. *Maximè* : Quia, vt inquit Doctor Angel. 1. part. quæst. 94. art. 4. ad 5. Adamo non est subventum divino auxilio in tentatione ad primum peccatum, quia iam præcesserat peccatum in animo ; sed in peccato Adami fuit prævisum peccatum originale aliorum: ergo peccatum originale non remissum est motivum excludendi reprobos à regno.

Ad argumentum respondetur, discrimen intentum à SS. PP. inter prædestinationem, & reprobationem solùm esse inter voluntatem conferendi gloriam per modum *coronæ*, & voluntatem ejiciendi à gloria per modum *pœnæ*: inter quas verum est versari suprà dictum discrimen, nempè quòd prædestinatio non est propter merita ; & reprobatio inflictiva pœnæ est propter peccata, vt §. sequenti dicemus. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, quòd sensus Concilij tantùm est, quòd Deus semel iustificatos non privat gratia habituali, nisi Deus priùs deseratur ab illis per peccatum, quatenus peccatum ipsum priùs natura in aliquo genere causæ præcedit privationem gratiæ habitualis, & demeretur eam per modum *pœnæ*, vt solet dici in tract. *de Iustificatione*. ¶ Ad secundam respondetur, quòd D. Thomas ibi loquitur de peccato originali non remisso, quod potest esse causa negandi auxilium ad vitandum aliud peccatum. Sed tunc ipsum peccatum non est motivum reprobationis quoad primum eius effectum, cùm ipsum peccatum originale sit effectus reprobationis, sed quoad alios subsecutos. *Ad additamentum*: Respondetur, ex eo testimonio solùm inferri, peccatum Adæ præcessisse negationem auxilij dispositivè tantùm, vt alibi dicemus ; secus verò demeritorie, quod est præcipuum intentum nostræ assertionis.

93 Arguitur *secundò* (& erit replica contra solutionem proximè datam) Nam peccatum primum cum effectu conducens ad damnationem est causa permissionis illius ; sed primus effectus reprobationis est permissio primi peccati cum effectu conducentis ad damnationem : ergo primum peccatum est causa & motivum reprobationis, & non effectus. Maior probatur : Peccatum primum præcedit permissionem illius in genere causæ materialis : ergo est causa illius. Patet consequentia : Ideò enim peccatum est causa reprobationis ex parte pœnæ, quia præcedit eam in genere causę materialis : ergo si præcedit permissionem sui in eodem genere causæ, erit causa illius.

Et confirmatur *primò*: Ideò peccatum primum non esset causa meritoria sue permissionis, quia sunt simul in eodem instanti ; sed hæc ratio non obstat : siquidem in eodem instanti & signo, in quo Deus decernit punire reprobos propter sua peccata, habet decretum permittendi ipsa peccata, quin ob hoc obstet, vt ipsa peccata sint causa demeritoria reprobationis ex parte pœnæ: ergo idem dicendum est de primò peccato in ordine ad suam permissionem.

Confirmatur *secundò* : Nam permissio primi peccati habet rationem *pœnę*: ergo peccatum ipsum est causa demeritoria illius. Consequentia est legitima, propter infrà dicenda. Et antecedens probatur : Nam illa permissio est malum hominis ; sed non malum culpæ : ergo est malum pœnæ.

Ad argumentum respondetur ; distinguendo maiorem : *peccatum primum est causa suæ permissionis* in genere causæ dispositivæ præcisè conc. in genere causę efficientis moralis, seu demeritoriæ, neg. mai. Et concessa minori ; negatur consequentia. Ad cuius probationem dicendum est, esse latum discrimen inter peccatum respectivè ad sui permissionem, & ipsum peccatum comparativè ad pœnam ; nam ad permissionem sui solùm concurrit in genere causæ dispositivæ, non efficientis moralis, eo quòd permissio peccati in executione præcedit ipsum peccatum : ob quam rationem quamvis actus contritionis concurrat dispositivè ad introductionem gratiæ ; at quia ipsa gratia est principium efficiens illius, præceditque illum in executione, nequit iste esse causa meritoria gratiæ. Ipsum verò peccatum respectu pœnę non solùm concurrit in genere causæ dispositivæ, sed etiam moralis efficientis, ad quod conducit, quód præcedat in executione ipsam pœnam ; & ob hanc rationem est motivum ipsius pœnæ. Per quod constat ad primam confirmationem. ¶ Ad secundam respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem dicèdum est, non quodlibet malum hominis esse malum culpę, aut pœnæ, sed posse esse ad modum qualitatis illi disconvenientis. Potest tamen rèductive dici malum *culpæ* : quia ex permissione peccati sequitur infallibiliter infallibilitate consequentiæ ipsum peccatum.

94 Arguitur *tertiò*, & *vltimò* : Nam permissio peccati originalis non remissi non est effectus reprobationis negativæ : ergo peccatum originale non remissum est causa & motivum reprobationis negativę. Consequentia est bona. Nam non ob aliam rationem peccatum cum effectu conducens ad damnationem nequit esse causa & motivum reprobationis, nisi quia est effectus illius : sicut non ob aliam rationem merita nō sunt motivum prædestinationis, nisi quia sunt effectus illius : maxime quia non datur medium in eo, quod efficaciter conducit ad finem prædestinationis, aut reprobationis, quia vel est effectus, vel est causa seu motivum illius ; &

prop-

propterea quia merita Christi non sunt effectus nostræ prædestinationis, sunt causa & motivum illius. Antecedens verò probatur: Nam permissio peccati originalis præcedit reprobationem; ergo non est effectus illius. Antecedens probatur: Permissio peccati originalis præcedit prædestinationem nostram: ergo præcedit reprobationem. Consequentia est legitima, quia reprobatio supponit prædestinationèm nostram; sicut omnis negatio supponit affirmationem. Antecedens verò probatur: Permissio peccati originalis præcedit prædestinationem Christi: ergo & nostram prædestinationem. Patet consequentia: quia nostra prædestinatio supponit prædestinationem Christi. Antecedens verò probatur: Christus Dominus est prædestinatus in remedium peccati originalis: ergo prædestinatio Christi præsupponit prævisum peccatum originale.

Et confirmatur: Nam potuit Deus reprobare hominem propter peccatum originale non remissum, cum ex se sit sufficiens causa reprobationis: ergo ita facta fuit reprobatio. Consequentia probatur: Nam ita decebat bonitati divinæ, vt homines nullo adhuc apparenti colore de Deo conquererentur.

95 Ad hoc argumentum (missis solutionibus, & doctrina aliorum circa peccatum originale) Respondetur, negando antecedens. Et ad eius probationem disting. antecedens, *præcedit reprobationem* in genere causæ materialis remotè, concedo antecedens; in genere causæ meritoriæ, seu efficientis moralis, nego antecedens: eodemque modo, proportione servata, distinguendæ sunt probationes subsecutæ. Ratio huius distinctionis est: quia Christus ex vna parte prædestinatus est in remedium peccati originalis, & hac ratione oportebat, quòd peccatum hoc supponeretur per modum materiæ, circa quam Christus vt *Redemptor* vim suam exerceret, hoc est in genere causæ materialis: si ergo peccatum originale præcedit in genere causæ materialis prædestinationem Christi, vtique debet etiam præcedere prædestinationem nostram, & reprobationem; cùm hęc supponant prædestinationem Christi; vt rectè probat argumentum. Sed ex alia parte Christus Dominus prædestinatus est tanquam finis *cuius gratia* omnium rerum spectantium ad hoc vniversum, proindeque decretatus est finis permissionis peccati originalis. Igitur vt peccatum originale esset motivum reprobationis, & non effectus, opus erat, quòd prædestinatio Christi, & nostra, necnon reprobatio passivè sumptæ non essent causa finalis *cuius gratia* permissionis illius. Sed contrarium accidit: nam quamvis peccatum originale concurrat in genere causæ dispositivę, & purè materialis modo explicato respectu earum; at prædestinatio Christi activè sumpta directivè præcedit prædestinationem nostram; & nostra prædestinatio reprobationem; & reprobatio permissionem peccati originalis; & eodem ordine vna ratio est prior subsistendi consequentia quàm alia, eo modo quo vnus actus divinus præcedit alium, v.g. actus intentionis actũ electionis: & passivè accepta prædestinatio Christi est finis *cuius gratia* nostrę prædestinationis; & prædestinatio nostra est finis *cuius gratia* reprobationis; & reprobatio, ex parte exclusionis à gloria vt ab indebito beneficio, est finis *cuius gratia* permissionis peccati originalis non remissi. Unde tam longe abest, vt peccatum originale sit motivum & causa meritoria reprobationis, vt propriè sit effectus illius, sicut & prædestinationis nostræ, & Christi.

Ad confirmetionem respondetur, quòd permisso quòd Deus potuerit aliquem reprobare propter peccatum originale, decensque hoc fuisset divinæ bonitati; oppositum tamen nullam indecentiã divinæ bonitati importat: imò magis superexaltat excellentiam Christi, & servat ordinem proportionatum huius vniversi, ad quem spectat, vt pars nobilissima sit decretata finis vniversalissimus *cuius gratia* omnium aliarum, & nobilior aliarum ignobiliorum. Neque ob hoc possunt homines iustè conqueri de Deo: quia non fit iniuria ei, cui denegatur beneficium indebitum, estò nullum præcedat demeritum; vt in negatione auxilij efficacis ad vitandum primum peccatum Angeli, & Adæ liquet: necnon in negatione auxilij efficacis ad expellendum peccatum originale. Et hìc habet locum illud Apost. ad Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam.* Et illud August. tract. 20. in Ioan. *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare.*

§. VII.

Quinta assertio reprobationis positivæ explicativa.

96 DIcendum est *quintò*, reprobationem positivam suponere prævisionem peccatorum, propter quę reprobatus damnatur. Hanc conclusionem tenent cum communi sensu Patrum, & Theologorum N. Salm. in præs. disp. 8. num. 18. contra Ildephonsum Michaël, Illustris. Godoy, Palanco, & alios paucos. Et non obscurè colligitur ex illo Apocal. 11. *Iratæ sunt gentes, & advenit ira* (Dei) Quę verba Rupertus sic exponit: *Hic est ordo iustitiæ divinæ, vt nulli irascatur, & velit punire, nisi prius fuerit iratus contra Deum, peccando contra illum.* Et ex illo Oseæ 13. *Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum*: sed vrsa non appetit vindictam, nisi priùs fuerit provocata: ergo Deus non vult punire nisi prævisis peccatis.

Non minùs clarè colligitur ex Concil.Valent. cap. 13. vbi dicitur : *Fidenter fatemur, prædestinationem electorem ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem. In electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione verò perituroruṁ meritum malum præcedere iustum iudicium Dei.* Et ex D.Augustl. lib. 3. Adversus Iulianum cap.18.vbi ait:*Potest Deus aliquos sine meritis bonis liberare,quia bonus est. Non potest quemquam sine meritis damnare,quia iustus est.* Idem docet D.Prosperus ad capita Gallor.in sententia super caput 8. his verbis:*Qui salvantur, ideo salvi sunt, quia Deus voluit illos salvos fieri: & qui pereunt, ideo pereunt, quia perire meruerunt.* Et D. Fulgent. lib. 1. ad Monimum cap. 23. vbi inquit: *Iniquos, quos præscivit Deus, hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinavit supplicio interminabili puniendos.* Quæ testimonia vel intelliguntur de reprobatione tàm negativa, quàm positiva; vel de positiva præcisè, & sic habemus intentum: si de reprobatione negativa:ergo etiam de positiva, quia hæc illam supponit: ergo iuxta Scripturam,& SS. PP. reprobatio positiva supponit prævisionem peccatorum.

His accedit authoritas D. Thom. Thomæ relata num.79.vbi hæc adiecit:*Sed voluntas damnationis respicit rationem voliti in damnato, cum damnatio ex debito fiat.* Non minùs expresse docet nostram assertionem ad Rom. 9. lect. 2. vbi ait : *Præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobis, inquantùm scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata quæ à seipsis habent*: Ergo iuxta D.Thomam reprobatio positiva, seu ex parte pœnæ supponit prævisionem peccatorum,propter quæ reprobus damnatur.

97 Et probatur ratione : Nam volitio puniendi necessariò præsupponit culpam, eiusque prævisionem : ergo reprobatio positiva quoad voluntatem infligendi pœnam præsupponit prævisionem peccatorum, propter quæ reprobus damnatur. Antecedens probatur: Tum,quia secundùm Damascenum voluntas puniendi est de secundaria intentione Dei: ergo necessario præsupponit culpam. Tum etiam, per quod præcedens probatio roboratur : Nam pœna ratione sui non est amabilis : ergo idem quòd priùs.Antecedens probatur : Nam pœna ratione sui & ex se non est bona, sed potiùs est malum hominis, aut Angeli ; est tamen bona,inquantùm est debita culpæ , & habet rationem iusti vindicativi: ergo ratione sui non est amabilis.Tum denique: quia pœna est bonum occasionatum occasione sumpta ex peccatis ; constat autem , quòd bonum occasionatum non intenditur , nisi præsupposita prævisione illius, quod est occasio:ergo.

98 Nec refert,si dicas *primò*, quòd estò pœna sit bonum occasionatum , potest amari ratione sui : sicut pœnitentia est amabilis ratione sui , quamvis sit bonum occasionatum.Non (inquam) refert : Nam pœnitentia est bona secundùm se : ergo non est bonum occasionatum sicut est pœna. Antecedens probatur: Pœnitentia secundùm se est virtus : ergo secundùm se est bona. Patet consequentia : non ob aliam rationem patientia Martyrum est bona secundùm se,quamvis desumat occasionem ex peccato tyrani , nisi quia secundùm se est virtus.

99 Nec refert , si dicas *secundò*, quòd pœna non est bonum occasionatum , sed est amabilis secundùm se , quia secundum se conducit ad ostensionem iustitiæ vindicativæ Dei. Non(inquam) refert : Tum,quia licèt iustitia Dei sit de primaria intentione Dei , iustitia verò vindicativa est de secundaria intentione illius , vt vidimus ex Damasceno ; sed obiectum iustitiæ vindicativæ est pœna : ergo pœna non est amabilis secundùm se. *Tum etiam* : Nam aliud est in Deo voluntas , qua diligit ostensionem suæ iustitiæ vindicativæ; & aliud voluntas,qua diligit ipsam pœnam ; sed stat optimè , quòd voluntas ostendendi iustitiam vindicativam Dei sit de primaria intentione divina,& quòd voluntas puniendi sit de secundaria intentione illius:ergo quamvis pœna condacat ad ostensionem iustitiæ vindicativæ , non sequitur , quòd sit amabilis secundùm se. Maior est certa: quia prima voluntas est actus charitatis , & secunda est actus ipsius iustitiæ , vt diximus num. 86. Minor verò probatur , præcludendo præcipuum motivum Adversariorum : Nam stat optimè , quòd finis ametur à Deo in intentione à voluntate pertinente ad vnam virtutem , & medium ad illum conducens ametur à voluntate pertinente ad aliam virtutem , maximè quando medium est occasionatum ; sed ita accidit in præsenti : ergo.

100 Sed objicies : Pœna ordine intentionis est prior, quàm peccatum & eius permissio: ergo non supponit prævisionem illorum. Antecedens probatur: Nam pœna est volita à Deo per modum finis ; sed quòd est volitum per modum finis est prius ordine intentionis : ergo pœna est prior ordine intentionis quàm peccatum & eius permissio. Maior videtur certa: nam permissio peccati intenditur per se in ordine ad punitionem & ad pœnam. Minor etiam liquet in gloria per se primò intenta adhuc per modum *coronæ*.

Ad hanc obiectionem respondetur *primò* concedendo , quòd pœna est finis permissionis peccati non remissi. Ex quo tantùm potest colligi , quòd in genere causæ finalis sit prior permissione peccati , & ipso peccato non remisso. Sed cum hoc rectè cohæret , quòd in eodem signo *in quo* adhuc rationis peccatum sit prius pœna in genere causæ materialis dispositivæ & me-

meritoriæ, atque ideò quòd pœna non poſsit intendi à Deo, niſi propter ipſum peccatum tanquàm propter cauſam meritoriam. Neque contra hoc obſtat inſtantia gloriæ adhuc per modũ *coronæ*: Quia gloria danda adhuc per modum *coronæ* comparatur ad electos per modum cuiuſdã maximi & gratuiti beneficij, ob quam rationem non fit eis iniuria in hoc, quod præparetur ipſis vt ex non prævisis meritis. At pœna comparatur ad reprobos per modum cuiuſdam maximi mali, quod abſque iniuria nequit præparari niſi propter demerita. Iuxta quam ſolutionem dicendum eſt, quòd permiſsio peccati poteſt conſiderari dupliciter: vel prout eſt medium ad negationem glorię, vt hæc eſt indebitum beneficium; & hoc pacto nulla repugnantia datur in eo, quòd negatio gloriæ ſit finis per ſe primò intentus permiſsionis peccati non ſupponens prævisionem illius per modum meriti, aut cauſæ moralis efficientis: vel prout eſt medium ad privationem glorię per modum *pœnæ*; & hoc modo nectitur cum peccato, vt eſt cauſa meritoria prædictę pœnæ, & ob hanc cauſam nequit ipſa pœna prævidi ante permiſsionem peccati, & ipſum peccatum, ſed in eodem ſigno *in quo* adhuc rationis ſimul videntur, & intenduntur cum dependentia in diverſo genere cauſę ſupra deſcripto.

Secundò poteſt reſponderi, negando abſolutè antecedens. Et ad eius probationem negandum eſt etiam antecedens. Quia tàm permiſsio peccati, quàm ipſum peccatum pertinent ad ordinem intentionis; & in hoc ordine ſunt priora pœna, vt primò intenta, in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ & meritoriæ. Eſt autem contra rationem cauſæ finalis, quòd in ordine intentivo dependeat ab alia cauſa, maximè efficienti adhuc morali: quia quod eſt prius in genere cauſæ finalis eſt abſolutè & ſimpliciter prius in ordine intentionis, quamvis ſit poſterius in alijs generibus cauſarum, & in ordine executionis, vt liquet in gloria reſpectu meritorum. Ratio verò, cur peccatum, & conſequenter eius permiſsio ſit prius pœna in ordine intentionis, eſt, quia pœna eſt bonum occaſionatum, vt ſuprà dictum eſt, occaſione ſumpta ex peccatis per modum meriti; & hac ratione non poteſt intendi, niſi prę-ſupponat prævisum peccatum vt cauſam meritoriam illius.

§. VIII.

Vltima aſſertio effectus reprobationis exponens.

101 PRiuſquàm effectus reprobationis declaremus, notandum eſt, alios eſſe effectus reprobationis negativę, & alios reprobationis poſitivę. Pro quo ſupponendum eſt *primò*, peccatum ipſum non eſſe effectum reprobationis ſivè poſitivę, ſivè negativę: quia non eſt à Deo. ¶ Supponendum eſt *ſecundò*, permiſsiones omnium eorum peccatorum, quæ ſunt pœna alterius peccati præcedentis eſſe effectum reprobationis poſitivæ, ſicut & pœnam damni, & ſenſus: quia omnia hęc ſunt effectus voluntatis inflictivæ pœnæ. *Maximè*: Quia permiſsio primi peccati eſt cauſa reliquarum permiſsionum; ſed permiſsio primi peccati non remiſsi eſt effectus reprobationis negativæ, vt ſuprà probatum eſt: ergo cœteræ permiſsiones ſunt effectus reprobationis poſitivæ. Patet conſequentia: quia adduut rationem pœnæ. ¶ Supponendum eſt *tertiò*, pœnam æternam alterius vitæ tàm damni, quàm ſenſus eſſe effectus reprobationis poſitivæ. Quia reprobatio poſitiva includit voluntatem puniendi pro culpa; ſed pœna damni, & ſenſus alterius vitæ procedunt ab hac voluntate: ergo ſunt effectus reprobationis poſitivę. ¶ Supponimus *quartò*, & *vltimò*, quòd carentia viſionis beatæ vt *indebiti beneficij* eſt effectus reprobationis negativæ: quia eſt effectus, quem præcipuè intendit; ſicut prædeſtinatio præcipuè intendit viſionem beatam, & ob hanc rationem eſt effectus prædeſtinationis.

102 Sed contra permiſsionem primi peccati præter obiectiones enodatas §. 4. ſunt aliæ replicæ, quibus oportet occurſum iri. Objicies ergo *primò*: Nam ſola permiſsio illius peccati eſt effectus reprobationis adhuc negativæ, quæ pertinet ad manifeſtationem iuſtitiæ vindicativę, hęc enim eſt finis reprobationis; ſed permiſsio primi peccati non conducit ad manifeſtationem iuſtitię vindicativæ: ergo. Minor probatur: nam ſolùm id, quod habet rationem pœnæ, poteſt conducere ad manifeſtationem iuſtitiæ vindicativæ; ſed permiſsio primi peccati non eſt huiuſmodi, cùm non ſupponat culpam: ergo.

Secundò: Nam nimia crudelitas videtur in Deo permittere primum peccatum ex intentione damnandi reprobum, quin in eo præcedat aliquod demeritum; ſed in reprobo nullum præcedit demeritum reſpectu permiſsionis primi peccati, vt ex ſe liquet: ergo permiſsio primi peccati non dimanat à voluntate reprobativa Dei. Maior probatur: Nam medicus, qui permitteret infirmitatem gravem in aliquo, vt eam ſanaret, eſſet crudelis: ergo multò magis in noſtro caſu.

Et confirmatur *primò*: Nam ſolus ille eſt effectus reprobationis, qui eſt à Deo ex intentione damnandi hominem propter peccata; ſed permiſsio primi peccati, necnon permiſsiones aliorum peccatorum, excepta permiſsione finalis impœnitentię, non procedunt à Deo ex intentione damnandi reprobum propter illa, cùm hæc intentio fundetur vnicè in impœnitentia finali: ergo.

Confirmatur *ſecundò*: Nam ſolùm illa

pœna est effectus reprobationis, quæ est purè vindicativa, quia manifestatio iustitiæ vindicativæ est præcipuus finis reprobationis; sed pœna alterius vitæ tantùm est vindicativa, cæteræ enim pœnæ huius vitæ sunt medicinales: ergo sola pœna alterius vitæ est effectus reprobationis.

Confirmatur *vltimò* contra vltimam suppositionem: Nam omnis effectus reprobationis tàm negativæ, quàm positivæ est ponibilis in re; sed carentia visionis beatæ per modum *beneficij indebiti* non est ponibilis in re, quia dum ponitur in re, iam supponit culpam, ideòque in executione ponitur per modum *pœnæ*: ergo carentia visionis beatæ per modum *beneficij indebiti* non est effectus reprobationis negativæ.

103 Ad primam obiectionem respondetur, quòd effectus reprobationis negativæ non petit procedere à iustitia vindicativa, sed sufficit, quòd ordinetur ad manifestationem illius; permissio autem primi peccati ordinatur adhunc finem, inquantùm disponit negativè ad culpam, in cuius punitione exercet suum munus iustitia vindicativa. Ad secundam satis constat ex dictis num.74.in responsione ad sextum.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd sicut reprobatio fundatur in impœnitentia finali, ita prædestinatio fundatur in perseverantia finali; & tamen non solum perseverantia finalis in gratia est effectus prædestinationis, sed etiam gratia sanctificans secundùm primum sui *esse* est effectus prædestinationis: idem ergo possumus dicere de permissione omnium peccatorum, dum plene non remittuntur in hac vita. Et ratio est eadem vtrobique: quia sicut gratia sanctificans conducit cum effectu ad vitam æternam, quamvis non, nisi posito dono perseverantiæ; ita peccata omnia non remissa conducunt cum effectu ad æternam damnationem, licet non nisi posita conditione finalis impœnitentiæ. ¶ Ad secundam confirmationem respondetur, quòd pœnæ huius vitæ possunt considerari, vel quatenus sunt effectus voluntatis antecedentis; & hoc pacto permitti potest, quòd sunt medicinales: vel quatenus sunt effectus voluntatis consequentis; & in hac acceptione conducunt efficaciter ad pœnam æternam, & ad ostensionem iustitię vindicativę. Vnde non est, cur non sint effectus reprobationis. ¶ Ad vltimam confirmationem respondetur, aliud esse, quòd carentia gloriæ non detur secundùm providentiam ordinariam pręcisè vt est carentia *indebiti beneficij*, sed simul ponatur in rerum natura per modum *pœnæ*, & supponat culpam; aliud verò, quod reipsà non ponatur, vt est carentia *beneficij indebiti*: Primum quippe est verum; sed secundum falsum. Et quamvis carentia glorię per modum *pœnæ*, seu prout respicit culpam sit effectus reprobationis positivæ; at prout est carentia *indebiti beneficij* præscindit à respectu ad culpam, & hac ratione est effectus reprobationis negativæ. His ita suppositis:

104 Dicendum est *vltimò*, substantiam reprobi esse effectum reprobationis. Hanc conclusionem statuimus cum N. Salm. in præf.disp. 8. num.91. cum Ferre quæst. 11. contra Illustr. Godoy disp. 69.num.133. quia est consentanea ijs, quæ dicta sunt suprà à num. 35. circa substantiam prædestinati. Et ratio deducitur ex ibi dictis: Nam ideò substantia prædestinati est effectus suæ prædestinationis, quia conducit ad finem illius, & coniungitur cum illo: est enim subiectum gloriæ, quæ est finis prædestinationis; sed substantia reprobi etiam conducit ad finem reprobationis, & coniungitur cum illo, cum sit subiectum finis reprobationis, qui est carentia gloriæ, prout est beneficium indebitum: ergo est effectus reprobationis. *Roboratur*: Nam quia substantia prædestinati conducit ad finem prędestinationis, fit à voluntate prædestinante; sed etiam substantia reprobi conducit eodem modo ad finem reprobationis: ergo fit à voluntate reprobante.

Et confirmatur *primò*: Ideò substantia prędestinati est effectus prædestinationis, quia illam Deus produxit ad ostensionem suę misericordię; sed non est, cur non producat etiam substantiam reprobi ad manifestationem suæ iustitiæ: ergo etiam est effectus reprobationis. ¶ Confirmatur *secundò*: Substantia reprobi est effectus prædestinationis electorum: ergo etiam est effectus reprobationis. Consequentia probatur: Ideò antecedens est verum, quia quòd substantia reprobi à consecutione vitæ æternæ deficiat, & æternis cruciatibus deputetur, conducit ad ostensionem maioris misericordiæ erga electos; sed proximiùs conducit ad finem reprobationis: ergo.

105 Sed objicies *primò*: Prædestinatio est prior reprobatione, cum obiectum prædestinationis sit finis obiecti reprobationis: ergo effectus prædestinationis est futurus pro priori ad reprobationem, atque ideò nequit esse effectus illius; sed substantia reprobi est effectus prædestinationis: ergo non est effectus reprobationis. ¶ Et confirmatur: Nam exclusio a gloria non est finis substantiæ reprobi: ergo non est effectus reprobationis. Antecedens probatur: Nam exclusio à gloria est maximum malum: ergo nequit esse finis substantiæ reprobi. Ab alijs obiectionibus supersedemus, quia communes sunt prædestinationi, & ex dictis in toto hoc tract. manent enodatæ.

Ad obiectionem respondetur, ex ea sequi nullum effectum prædestinationis esse effectum reprobationi; quòd tamen est clarè falsum. Dicimus ergo, quòd sicut substantia prædestinati est elicitivè à providentia naturali, & imperativè à prædestinante, & sicut actus humilitatis est elicitivè ab humilitate, & imperativè potest esse à cha-

charitate ; pariformiter substantia reprobi ita est elicitive a providentia naturali, quòd imperativè proximè sit a providentia reprobante & imperativè remotè à providentia prædestinante. ¶ Ad confirmationem respondetur, quòd sicut, non obstanti quòd carentia gloriæ sit maximum malum, est simul finis reprobationis ; ita potest esse finis substantiæ reprobi ex intentione reprobantis.

106 Ex dictis infertur *primò*, omnia dona tàm naturalia, quàm supernaturalia reprobis collata esse effectus suæ reprobationis. Et ratio desumitur ex ijs, quæ diximus de effectibus prædestinationi : Namque similia dona prædestinatis concessa sunt effectus suæ prædestinationis: ergo omnia dona tàm naturalia, quam supernaturalia reproborum sunt effectus suæ reprobationis. Qua ratione vsus est D. Chrysost. hom. 15. ad Rom. ad illa verba: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, vbi ait: *Quemadmodum his* (id est electis) *auxilio sunt, ea etiam quæ nocumentum afferre videntur ; sic ijs, qui illum non amant* (hoc est reprobi) *vel ea nocent, quæ auxilium afferunt.* ¶ Et confirmatur : Nam omnia prædicta dona conducunt cum effectu ad damnationem: Tum, quia reprobi ex eis maiorem pœnam accidentalem habebunt tum etiam, quia his donis abusi sunt: ideoque inde magis in inferno frement contra Deum: sed hoc sufficit, vt sint effectus reprobationis, sicut a simili sufficit, vt sint effectus prædestinationis ergo. ¶ Nec contra hoc obest, quòd dona supernaturalia eis concessa proveniant ex voluntate salutis eorum. Nam non est inconveniens, quòd idem effectus consideratus secundùm se procedat à voluntate antecedenti cum ordine ad consecutionem finis; & vt vestitus circunstantijs procedat a voluntate consequenti de non consecutione talis finis.

107 Sed inquires, quid dicendum sit de donis naturalibus, & supernaturalibus electorum ? Respondendum est sub distinctione: Nam illa dona, quę sunt effectus immediatè eliciti prædestinationis, vti sunt vita æterna, & perseverantia finalis, non sunt effectus reprobationis : non quia non conducunt cum effectu ad damnationem, sed quia prædestinatio est prior reprobatione, & hac ratione effectus eliciti illius sunt præviſi pro priori ad reprobationem. Ob quam rationem merita Christi, quamvis conducant cum effectu ad finem nostrę prædestinationis, non sunt effectus illius, sed potiùs causa meritoria. Cæterum eorum dona naturalia, cùm procedant elicitivè à providentia naturali, optimè stat, quòd imperativè proximè oriantur à providentia reprobante, & vtraque à providentia prędestinante. Idemque potest dici de donis eorum supernaturalibus, quæ non sunt effectus eliciti prędestinationis.

108 Ex quibus deducendum est *secundò*, totum hoc vniversum esse effectum reprobationis. Quia ex his rebus naturalibus desumpserunt occasionem reprobi ad suam damnationem, & hac ratione conducunt cum effectu ad illam. In quo servanda est proportio assignata num. 63. pro effectibus prædestinationis. Tandem ex omnibus dictis in tota hac disput. potest inferri, quòd peccata, adhuc remissa, sunt quodammodò effectus reprobationis : quia sunt multoties occasio aliorum peccatorum : quod maximè patet in peccato originali remisso, ex quo oritur concupiscentia & fomes peccati, ob quam rationem permissiones peccatorum sunt effectus prædestinationis. Neque hoc est contra superiùs dicta : quia ibi loquebamur de effectibus elicitis reprobationis.

Pro complemento huius tract. solent Authores hic attexere aliam disputationem *de Causa meritoria prædestinationis*. Sed hæc disputatio propriam sedem habet in tract. *de Merito*.

Et hæc sint satis pro huius Operis volumine primo. Vtinam prosit ad nostrorum Studentium instructionem, pro quorum profectu elaboratum est, necnon pro enucleanda præclara doctrina N. Cursus Salmant. Cedant præcipuè cuncta, quæ diximus, in laudem SS. Triados, Beatissimæ Virg. de Monte Carmelo, Parentum Eliæ, & Theresiæ à Iesu, necnon Angel. Doct. & Præcept. nostri D. Thom. Aquinatis. Sed & siquid doctrinæ S. R. E. aliquomodò dissonum, vel Thomisticæ, maxime N. Salmant. adversum dixerimus iterum atque iterum retractamus.

IN-

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

QUÆ IN HOC PRIMO TOMO EXPLICANTUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

CAP. 1. In principio creavit Deus cœlum, & terram. tract. 4. diſp. 2. num. 13. pap. 451.

1. Dixi Deus: fiat lux, & facta eſt lux. tract. 3. diſp. 2. num. 5. pag. 315. & pag. 343. numer. 86.

Ex Exodo.

Cap. 3. Ego ſum qui ſum, & qui eſt, miſit me ad vos. tract. 1. diſp. 2. num. 2. pag. 40.

4. Si non crediderint tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. tract. 3. diſp. 4. num. 15. pag. 381.

23. Non videbit me homo, & vivet. tract. 2. diſp. 1. num. 5. pag. 118.

Ex lib. 1. Reg.

Cap. 23. Si tradent me viri Ceilę, vt viros qui ſunt mecum, in manu Saul? &c. tract. 3. diſp. 4. num. 21. pag. 384.

Ex lib. 3. Reg.

8. Cœlum, & Cœli Cœlorum te non capiunt. tract. 1. diſp. 4. num. 26. pag. 94.

11. Non ingrediemini ad eas: neque de illis ingredientur ad veſtras &c. tract. 3. diſp. 4. num. 7. pag. 378.

Ex lib. 4. Reg.

13. Si percuſsiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſsiſſes Syriam vſque ad conſumptionem. tract. 3. diſp. 4. num. 12. pag. 378. & tract. 4. diſp. 3. num. 45. pag. 494.

Ex Iudith.

Cap. 9. Illud factum eſt, quod ipſe voluit. tract. 3. diſp. 2. num. 85. pag. 342.

Ex Eſther.

Cap. 13. Omnia in ditione voluntatis tuæ ſunt poſita. tract. 1. diſp. 4. num. 34. pag. 97.

13. Non eſt, qui poſsit tuæ reſiſtere voluntati &c. tract. 4. diſp. 3. num. 53. pag. 498.

Ex Job.

Cap. 11. Excelſior Cœlo eſt. tract. 1. diſp. 4. num. 26. pag. 94.

22. Circa cardines Cœli perambulat, nec noſtra conſiderat. ibi num. 33. pag. 97.

31. Nonne ipſe conſiderat vias meas? tract. 3. diſp. 1. num. 1. pag. 274.

Ex Pſalmis.

1. Novit Dominus viam iuſtorum. tract. 3. diſp. 2. num. 11. pag. 317.

5. Non Deus volens iniquitatem tu es. tract. 4. diſp. 3. num. 100. pag. 514.

8. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus eius. tract. 5. diſp. 3. numer. 65. pag. 583.

29. Avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus. tr. 3. diſp. 3. num. 52. pag. 369. & tract. 5. diſp. 3. n. 9. pag. 569.

30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine &c. tract. 5. diſp. 3. num. 10. pag. 570.

32. Verbo Domini Cœli firmati ſunt &c. tract. 2. diſp. 3. num. 65. pag. 222. & pag. 342.

47. Sicut audivimus, ſic vidimus... in civitate Dei noſtri. tract. 2. diſp. 4. num. 17. pap. 250. & numer. 45.

80. Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus ſuis. tract. 3. diſp. 3. num. 52. pag. 369.

102. Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus. tract. 5. diſp. 2. num. 11. pag. 555.

103. Omnia in ſapientia feciſti. tract. 3. diſp. 2. num. 1. pag. 313.

113. Omnia quæcumque voluit, fecit. tract. 3. diſp. 3. num. 38. pag. & num. 85. pag. & tract. 4. diſp. 2. num. 12. pag. 342.

117. Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. tract. 3. diſp. 1. num. 1. pag. 274.

135. Qui fecit Cœlos in intellectu. ibi. diſp. 2. num. 1. pag. 313.

138. Si aſcendero in Cœlum, tu illic es... Etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. tract. 1. diſp. 4. num. 1. pag. 85.

148. Ipſe dixit, & facta ſunt. tract. 3. diſp. 2. num. 5. pag. 315. & tract. 5. diſp. 1. num. 77. pag. 315. & tract. 5. diſp. 1. n. 79. pag. 551.

Ex Proverbijs.

Cap. 3. Dominus ſapientia fundavit terram. tract. 3. diſp. 2. num. 1. pag. 314.

8. Cum eo eram cuncta componens. ibi num. 13. pag. 314.

16. Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. tract. 4. diſp. 1. num. 32. pag. 431.

21. Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini &c. tract. 4. diſp. 3. num. 53. pag. 498.

Ex Eccleſiaſte.

Cap. 12. Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium, ſive bonum, ſive malum. tract. 5. diſp. 3. num. 66. pag. 584.

Ex Lib. Sapient.

Cap. 1. Spiritus enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum. tract. 1. diſp. 4. numer. 48. pagin. 103.

4. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectus eius. tract.3. diſp.4. num.16. pag.381.
9. Mitte illam de ſede magnitudinis tuę, vt mecum ſit &c. tract. 2. diſp. 3. num.6. pag. 221.
11. Diligis enim omnia, quæ ſunt. tract.4. diſp. 1. num.32. pag.431. & pag. 446. n.72.

Ex Eccleſiaſtico.

Cap.3. Altiora te ne quæſieris. tract. 1. diſp. 1. num.15. pag. 5.
15. Appoſui tibi aquam,& ignem.... ante hominem vita,& mors,bonum,& malum,quod placuerit ei,dabitur illi. tract.4.diſp.3.num.79. pag.506.
23. Domino enim Deo antequam creantur,omnia ſunt agnita. tract.3. diſp.3. num.2. pag. 347.

Ex Iſaìa.

Cap.5. Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meę,& non feci? An, quod expectavi, vt faceret vuas,& fecit labruſcas? tract. 4.diſp.3. num.79. pag. 506.
26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. tract.1.diſp.4.num.1.pag.85.
41. Annuntiate quæ ventura ſunt, & ſciemus, quod dij eſtis. tract. 5. diſp. 3. num. 2. pag. 347.
43. Servire me feciſti in peccatis tuis. tract. 4. diſp.3.num.108.pag.516.
46. Omnis voluntas mea fiet. tract. 4. diſp. 3. num.16. pag.482.

Ex Ieremia.

Cap.23. Cœlum,& terram ego impleo. tract. 1. diſp.4. num.9. pag.87.
Cap.31. In charitate perpetua dilexi te. tract.4. diſp.2.num.12.pag.451.
32. Nomen tibi. Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. tract. 2. diſp. 4. num. 5. pag.244.

Ex Baruch.

Cap.3. O Iſraël, quam magna eſt domus Domini,& ingens locus poſſeſsionis eius! tract. 1. diſp.4.num.26.pag.94.

Ex Daniele.

Cap.13. Domine,qui noſti omnia antequam fierent. tract.3.diſp.3.num.2.pag.347.

Ex Oſſea.

Cap.13.Perditio tua ex te Iſraël &c. tract. 3. diſp.5.num.9.pag.414.
13. Ocurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum. tract. 5. diſp.3.num.98. pag. 503.

Ex Malachia.

Cap.2. Eſau autem odio habui. tract.5. diſp. 3. num.68.& 78.pag.584.
3. Ego Dominus,& non mutor. tract.1. diſp. 5. num.1. pag.105.

*** *** ***

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap.5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. tract.2.diſp.1.num.1.pag.117.
6. Fiat voluntas tua. tract. 4. diſp. 1. num. 1. pag.419.
6. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. tract.5.diſp.3.num. 13. pag.570.
10. Qui autem perſeveraverit vſque in finem, hic ſalvus erit. tract. 5. diſp. 2. num.33.pag. 561.
11. Væ tibi Corozaìn, væ tibi Beth-ſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt vobis &c. tract.3. diſp.4.num. 7. pag.378. & diſp.5. num.50.pag.413.
12. Multi ſunt vocati, pauci vero electi.tract.3. diſp.5.num.65. pag. 418. & tract.5. diſp. 1. num.15.pag.533.
13. Elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt.tract.5. diſp.3.num.78.pag.587.
13. Separabunt malos de medio juſtorum.tract. 5.diſp.3.num.68.pag.585.
18. Angeli eorum ſemper videns faciem Patris mei &c. tract.2. diſp.1. num.1.pag.117.
25. Neſcio vos. tract. 3. diſp. 2. num. 11. pag. 317.
25. Venite benedicti Patris mei,poſsidete vobis paratum regnum. tract. 5. diſp. 2. num. 38. pag.562.
26. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.tract.3.diſp.5.num.13.pag.401.

Ex Marco.

Cap. 13. De die autem illo, vel hora nemo ſcit &c.tract.2.diſp.4.num.47.pag.262.

Ex Luca.

Cap.1.Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te.tract.1. diſp.4.num.54.pag.104.
12. Nolite timere puſillus grex,quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. tract. diſp.2. num.2.pag.554.
22. Non mea voluntas,ſed tua fiat,tract.1.diſp. 1.num.29. pag. 12.

Ex Ioanne.

Cap. 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. tract. 4. diſp. 3.num. 26. pag.486.
1. De plenitudine eius omnes accepimus,& gratiam pro gratia. tract.5.diſp.2. num.10.pag. 555.
4. Spiritus eſt Deus.tract.1.diſp.3.num.1. pag. 67.
6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater.... traxerit eum.tract.3.diſp.5.num.61. pag.416.
13. Vos mundi eſtis &c. tract.1.diſp.4.num.54. pag.104.
14. Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.tract.1.diſp.4.n.40.pag.99.
14. Qui videt me, videt & Patrem meum.tract.

2. disp. 4. num. 17. pag. 250.
15. Sine me nihil potestis facere. ibi disp. 3. num. 65. pag. 222.
17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te &c. ibi disp. 1. num. 55. pag. 141.

Ex Actib. Apostolorum.

Cap. 4. Convenerunt.... Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israël facere quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri. tract. 4. disp. 3. n. 109. pag. 516.
5. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum &c. tract. 3. disp. 4. n. 8. pag. 378.
17. Non longe est ab vnoquoque nostrum: in ipso enim movemus, & sumus. tract. 1. disp. 4. num. 1. pag. 85.

Ex Epist. ad Roman.

Cap. 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum. tract. 5. disp. 3. num. 68. pag. 584.
1. Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. tract. 1. disp. 1. num. 4. & disp. 2. num. 16. pag. 46.
5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum &c. tract. 1. disput. 4. num. 40. pag. 99.
6. Gratia Dei vita æterna. tract. 2. disp. 1. num. 73. pag. 224.
8. Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu. tract. 5. disp. 3. n. 87. pag. 590.
8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. ibi n. 9. pag. 569. & num. 37. pag. 576.
8. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit &c. tract. 5. disp. 1. num. 5. pag. 529. & disp. 2. num. 14. pag. 556. & disp. 3. num. 26. & num. 27. pag. 574.
9. Voluntati enim eius quis resistit? tract. 4. disp. 3. num. 53. pag. 498.
9. O homo tu quis es, vt respondeas Deo? tract. 3. disp. 5. num. 55. pag. 414.
9. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa &c. tract. 5, disp. 3. num. 95. pag. 593.
9. Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.... Iacob dilexi, Esau autem odio habui. tract. 4. disp. 2. num. 12. pag. 451. & tract. 5. disp. 1. num. 15. pag. 533. & disp. 2. num. 15. & 39. pag. 556.
9. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei... Iacob dilexi &c. tract. 5. disp. 3. num. 79. pag. 587.
9. Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa apta in interitum, vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. tract. 5. disp. 2. num. 17. pag. 556. & disp. 3. num. 12. pag. 570.
10. Ergo fides ex auditu. tract. 4. disp. 3. num. 29. pag. 487.
11. Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius &c. tract. 2. disp 4. num. 5. pag. 244.
11. O altitudo divitiarum! tract. 3. disp. 5. num. 55. pag. 414.
11. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate. tract. 5. disp. 3. num. 10. pag. 570.
12. Vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens. tract. 4. disp. 3. num. 3. pag. 479. & disp. 1. num. 1. pag. 419.
18. Ergo Deus, cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. tract. 3. disp. 5. n. 56. pag. 414.

Ex Epist. 1. ad Corinthios.

Cap. 2. Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis &c. tract. 1. disp. 1. n. 15. pag. 5.
2. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. tract. 3. disp. 1. num. 44. pag. 292.
2. Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. ibi num. 43. pag. 292.
2. Oculus non vidit... quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum. tract. 5. disp. 2. n. 33. pag. 561. & num. 38. pag. 562.
3. Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. tract. 1. disp. 4. num. 40. pag. 99. & num. 48. pag. 103.
3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. tract. 5. disp. 3. num. 33. pag. 576. & num. 58. pag. 577.
4. Ne supra quam scriptum est, vnus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? tract. 3. disp. 5. num. 9. pag. 400.
12. Et quosdam posuit Deus in Ecclesia: primùm Apostolos &c. tract. 1. disp. 1. n. 55. pag. 26.
13. Scientia destruetur. ibi num. 36. pag. 16.
13. Videmus nunc per speculum &c. tract. 2. disp. 1. num. 1. pag. 117.
13. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. ibi disp. 4. num. 17. pag. 250.
15. Plus omnibus laboravi; non ego, sed gratia Dei mecum. ibi disp. 3. num. 6. pag. 221.

Ex Epist. 2. ad Corinth.

Cap. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis &c. tract. 2. disp. 3. num. 65. pag. 222. & tract. 4. disp. 3. num. 28. pag. 487.
3. Omnis sufficientia nostra ex Deo est. tract. 3. disp. 5. num. 11. pag. 400.
3. Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis. tract. 4. disp. 3. num. 28. pag. 487.
10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. tract. 3. disp. 5. num. 11. pag. 400.

Ex Epist. ad Ephes.

Cap. 1. Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. tract. 3. disp. 2. num. 1. pag. 313. & num. 77. pag. 341. & num. 85. pag. 342. & tract. 4. disp. 2. num. 13. pag. 451. & pag. 549.
1. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitu-

tionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius. tract. 5. diſp. 2. num. 12. pag. 556. & diſp. 3. num. 38. pag. 557.

א. Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum. tract. 5. diſp. 1. num. 5. pag. 529.

ז. Qui prædeſtinavit nos...ſecundùm propoſitum voluntatis ſuę. tract. 5. diſp. 2. num. 22. pag. 557.

ח. Prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius. tract. 5. diſp. 1. num. 15. pag. 533. & diſp. 2. num. 22. pag. 557.

ט. Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. tract. 4. diſp. 1. num. 10. pag. 422. & diſp. 2. num. 13. pag. 451. & tract. 5. diſp. 1. num. 73. pag. 549.

ב. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis &c. tract. 4. diſp. 3. n. 51. pag. 497.

Ex Epiſt. ad Coloſſenſ.

Cap. 2. Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam. tract. 1. diſp. 1. num. 15. pag. 5.

Ex Epiſt. 1. ad Thimoth.

Cap. 2. Qui omnes homines vult ſalvos fieri. tract. 4. diſp. 3. n. 1. pag. 478. & 11. & 26. pag. 486. & tract. 5. diſp. 2. num. 2. pag. 554. & tract. 5. diſp. 1. num. 87. pag. 553.

ג. Si quis autem domui ſuę præeſſe neſcit, quomodò Eccleſiæ Dei &c. tract. 5. diſp. 1. num. 80. pag. 552.

Ex Epiſt. 2. ad Thimoth.

Cap. 3. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum &c. tract. 1. diſp. 1. num. 10. pag. 4.

ד. Repoſita eſt mihi corona iuſtitię, quam reddet mihi Dominus &c. tract. 5. diſp. 2. num. 10. pag. 555. & num. 46. pag. 564.

Ex Epiſt. ad Titum.

Cap. 1. Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem &c. tract. 1. diſp. 1. num. 7. pag. 3.

3. Stultas quæſtiones, & gĕnealogias, & contentiones, & pugnas legis devita. ibi num. 16. pag. 6.

Ex Epiſt. ad Hebræos.

Cap. 2. In eo, quod ei omnia ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei. tract. 5. diſp. 3. num. 39. pag. 577.

4. Et non eſt vlla creatura inviſibilis in conſpectu eius. tract. 1. diſp. 4. num. 32. pag. 97. & tract. 3. diſp. 1. num. 45. pag. 293.

11. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit, tract. 4. diſp. 3. n. 35. pag. 490.

Ex Epiſt. B. Iacobi Apoſt.

Cap. 1. Apud quem non eſt tranſmutatio. tract. 1. diſp. 5. num. 1. pag. 105.

4. Scienti igitur bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi. tract. 3. diſp. 5. n. 54. pag. 414.

2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo &c. tract. 5. diſp. 2. n. 38. pag. 562.

Ex Epiſt. 1. B. Petri Apoſt.

Cap. 3. Parati reddere rationem de ea, quæ in vobis eſt, fide, & ſpe. tract. 1. diſp. 1. num. 8. pag. 3.

Ex Epiſt. 2. B. Petri Apoſt.

Cap. 1. Magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. tract. 3. diſp. 3. num. 5. pag. 348. & tract. 5. diſp. 2. num. 38. pag. 562.

Ex Epiſt. 1. B. Ioann. Apoſt.

Cap. 3. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt. tract. 2. diſp. 1. num. 1. pag. 117. & tract. 2. diſp. 1. num. 53. pag. 140. & diſp. 4. num. 17. pag. 250.

Ex Apocalipſi.

Cap. 4. Propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt tr. 4. diſp. 3. n. 1. pag. 478.

11. Iratæ ſunt gentes, & advenit ira tua. tract. 5. diſp. 3. num. 96. pag. 593.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
QUÆ IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTUR.

A

Accidens.

ACCIDENS ſupernaturale commune non petit dimanare ab aliqua ſubſtantia creata, cui ſit connaturale. tract. 2. diſp. 1. num. 91. pag. 156.

Actio.

Actio debet ſupponere obiectum per diſtributionem accomodam. tract. 1. diſp. 2. num. 50. pag. 64.

Actio divina primordialis ſolùm ſupponit obiectum ex modo concipiendi, & ſignificandi. ibid.

Actio, quæ eſt connaturalis naturæ ſuperiori, nequit eſſe connaturalis naturæ inferiori. tract. 2. diſp. 1. n. 60. pag. 143.

Actio non vitalis (v. g. calefactio) à Deo immediatè producta miraculosè, non ſpecificatur à Deo, ſed à ſuo principio connaturali videlic igne. ibid. n. 72. pag. 148.

Actio qualiter ſpecificetur à ſuo principio, & principium activum ab actione? tract. 2. diſp. 2. num. 52. pag. 177.

Actio immanens eſt adæquatum ſpecificativum ſui principij. ibid. num. 53.

Actio ſpecificatur à principio & ab obiecto, quæ duo in idem reddunt, & qualiter? ibid. num. 54.

Actio tranſiens ſolitariè accepta non ſpecificat ſuum principium, ſed ſimùl ſumpta cum termino. ibid. num. 53.

Actio naturalis, & ſupernaturalis differunt genere ſupremo. tract. 2. diſp. 3. num. 90. pag. 232.

Omnis actio divina debet eſſe immanens. tract. 3. diſp. 2. num. 76. pag. 340.

Actio formaliter tranſiens repugnat Deo, vt agenti per illam: & quare? ibid.

Actio formaliter tranſiens non recipitur in agente. ibid. n. 71. pag. 338.

Actio eſt propter operatum, tanquam propter finem. ibid. pag. 339.

Conceptus actionis non dicit formaliſsimè egreſsionem, ſed rationem vltimæ actualitatis de linea operativa. tract. 4. diſp. 1. num. 24. pag. 427.

De ratione actionis vitalis non eſt ex genere, vt vivens moveatur per eam. ibid. num. 26. pag. 428.

Ut actio creata ſecundùm omnem ſuam formalitatem realem dependeat à Deo, opus eſt, quòd in ipſo exiſtat decretum ex ſe, & ab intrinſeco efficax. tract. 4. diſp. 3. num. 58. pag. 500.

Actio prout à cauſa ſecunda debet eſſe prout à cauſa prima. ibid.

Explicatur, quo pacto concurſus ſimultaneus Dei ſit vniverſaliſsimus, etsi non concurrat ad actionem creaturæ, prout à creatura. ibid. num. 66. pag. 502.

Quomodò verificetur, quòd Deus eſt cauſa immediata actionis creaturæ, prout à creatura medio concurſu prævio, non obſtante, quòd concurrit media qualitate creata, & non concurrit ad hanc formalitatem per concurſum ſimultaneum. ibid.

Actus.

Idemmet actus poteſt tranſire de libero in neceſſarium, & de obſcuro in clarum abſque variatione eſſentiali, immò entitativa. tract. 1. diſp. 1. num. 46. pag. 20.

De ratione actus puri in aliqua linea eſt identificare abſque diſtinctione reali, & virtuali omnia vſque ad vltimam actualitatem eiuſdem lineæ. tract. 1. diſp. 2. num. 46. pag. 61.

Melius explicatur ratio actus puri per præfatam vltimam actualitatem, quàm per alium conceptum. ibid. n. 47. pag. 62.

Nullus actus connaturalis potentiæ procedit ab ea inſtrumentaliter. tract. 2. diſp. 3. num. 50. pag. 217.

Actus producit principaliter habitum ſecundùm ſe, & inſtrumentaliter prout explicat permanentiam. ibi. num. 54. pag. 218.

Actui, qui eſt cauſa omittendi actum charitatis præceptum, non debetur moraliter directè rectitudo charitatis, ſed tantùm indirectè, ratione omiſsionis illius. tract. 2. diſp. 3. num. 92. pag. 233.

Probabile eſt, quod prædicta rectitudo charitatis, licèt non debeatur phyſicè actui, qui eſt cauſa omittendi illam ſecundùm gradum generícum, debetur ei moraliter. ibid.

Actus liber voluntatis creatæ, ſicut & cæteri effectus creati, dependent eſſentialiter à decreto efficaci divinæ voluntatis. tract. 3. diſp. 3. num. 43. pag. 365.

Actus vitalis nequit esse futurus absolutè, vel conditionatè respectu causæ secundę, quin existat causa secunda determinata, nempè potentia vitalis. tract. 3. disp. 4. dub. 2. num. 33. pag. 390.

Distinctio inter actum essentialem, & notionalem consistit in eo, quòd primus dicit tantùm ordinem ad obiectum, & posterior ad terminum realiter productum. tract. 4. disp. 1. num. 11. pag. 422.

Non est contra rationem actus purissimi, quòd in Deo dentur virtutes. ibid. num. 27. pag. 429.

Actus liber Dei non constituitur per respectum rationis. ibid. disp. 2. n. 64. pag. 468.

Nec per actionem formaliter transeuntem, aut per effectum à Deo productum. ibid. n. 65.

Neque per aliquam entitatem, vel modum realiter superadditum actui necessario. ibid. num. 66. pag. 469.

Neque per aliquam realitatem, aut formalitatem virtualiter distinctam ab illo. ibid. num. 68.

Nec per aliquam terminationem activam defectibilem virtualiter distinctam ab eo. num. 69. pag. 470.

Sed constituitur per actum necessarium, & liberè terminatum ad creaturas, qui præcisè potuit deficere quoad connotatum. ibid. 74. pag 471.

Quomodó distinguantur in Deo actus volitionis, & nolitionis? ibid. n. 80. pag. 473.

Aliquis actus voluntatis, & intellectus concurrunt in prædestinatione. tract. 5. disp. 1. num. 6. pag. 529.

Quinam sint actus intellectus, qui intercedunt in negotio nostræ prædestinationis? ibid. n. 22. & seq. pag. 536.

Cur actus intellectus regulantes electionem, & vsum distinguantur adæquatè tàm in Deo, quam in nobis, proportione servata, secus verò electio, & vsus in Deo? ibid. num. 36. & seq. pag. 539. & 540.

In actibus intellectus, & voluntatis datur duplex ordo: alius directus, & alius reflexus: & differentia vtriusque. ibid. numer. 54. pag. 545.

Adamus:

Substantia Adami est effectus suæ prædestinationis, ordinaturque tanquam ad finem ad iustitiam originalem. tract. 5. disp. 3. num. 61. pag. 583.

Etiam ad effectus prædestinationis Christi: nec ob hoc Christus est caput Adami pro statu innocentiæ. ibid. num. 62. Vide *Charitas.*

Ægidius Romanus.

Asserens, quòd Deus cognoscit futura contingentia in suis ideis pro priori ad decretum, impugnatur. tract. 3. disp. 3. num. 7. pag. 349.

Æternitas:

Æternitas participata nequit reddere præsens tempus præteritum, & futurum. tract. 1. disp. 1. num. 75. pag. 37.

Rectè diffinitur à Boëtio per hoc, quòd sit: *Interminabilis vitæ tota simùl, & perfecta possessio.* tract. 1. disp. 5. num. 3. & num. 4. pag. 106.

Melius explicatur per hoc, quòd sit *possessio vitæ*, quàm possessio existentiæ. ibi. n. 5.

Differentia æternitatis ab ævo. ibid. num. 6. & 7. & dub. 2. num. 31. pag. 116.

Æternitas per essentiam est vnicè mensura Dei. tract. 1. disp. 5. n. 8 pag. 107.

Non est mensura realis Dei, sed virtualis. ibid. num. 10.

Æternitas est mensura heterogenea omnium durationum creaturarum. ibid. num. 12. pag. 108.

Continet eminenter omnes durationes creatas: immò formaliter eminenter secundùm conceptum durationis præcisum ab imperfectionibus. ibid. n. 13. & 14.

Æternitas tota simùl, & nunc ab æterno vsque in æternum durat: ac proinde coëxistit omni durationi contentæ ab æterno vsque in æternum. tract. 1. disp. 5. num. 19. pag. 110.

Qualiter in æternitate existant omnia temporalia, cum tamen in seipsis, & in propria duratione non existant? ibid. num. 22. pag. 112.

Licèt æternitas sit in se formaliter indivisibilis, est tamen divisibilis virtualiter per æquivalentiam ad diversa tempora. ibid. numer. 29. pag. 115.

Æternitas participata non habet vim faciendi sibi coëxistentia ea, quæ sunt futura. tract. 2. disp 4. n. 43. pag. 260.

Habet vim ad faciendum, vt beatus videat simùl omnia, quæ videt. ibid. In Deo non dantur æternitates virtualiter distinctę. tract. 3. disp. 2. num. 23. pag. 321.

Et si in æternitate permittantur sinus virtualiter distincti cum fundamento in re, sivè ex nostro modo concipiendi, adhuc non sequitur, quòd ex vi huius possit Deus cognoscere futurum, vt futurum, & quare? ibid.

Ævum.

Ævum ab æternitate distinguitur. tract. 1. disp. 5. numer. 6. 7. & 31. pag. 107. & 116.

Non est necessarium, quòd semper careat principio, & fine. tract. 3. disp. 3. num. 56. pag. 370.

Si per impossibile esset mensura *esse* diuini, & eius operationum non posset Deus infallibiliter cognoscere futura contingentia. ibid.

Aër.

Aër recipit ſpecies intentionales entitativè, ſed non intentionali modo. tract.3. diſp. 1. num. 5. pag. 277.

Agens.

Omne agens debet eſſe conjunctum ei, in quo immediatè agit. tract. 1. diſp. 4. num. 1. pag. 85.

Agens creatum non agit per creationem, ſed per eductionem. ibid. n. 3. pag.86.

Unde fit, quòd non poſsit coniungi cum paſſo media actione, tanquam cum effectu proprio. ibid.

Debet ſupponere ſubjectum; nec poteſt producere aliquid extra illud. ibid.

Agens divinum, maximè per actionem creativam, non ſupponit paſſum, ſed producit. ibid.

Ut agens corporeum agat, requiritur approximatio eius ad paſſum pro priori ad actionem. Quę tamen approximatio non prærequiritur ad agentis ſpiritualis actionem. tract. 1. diſp. 4. num.27. pag.95.

Agens inferius non poteſt producere effectum ſuperioris per ſolam extrinſecam ſubordinationem ad illud, quin aliquid intrinſecum ab eo recipiat. tract. 2. diſp. 1. num. 65. pag. 145.

Primum, & ſupremum agens debet eſſe ſummè perfectum, ac proinde intellectivum. tract. 3. diſp. 1. num. 1. pag. 275.

Omne agens habet aliquam intentionem, & deſiderium finis. ibid.

Idem agens *quod* poteſt influere in eundem numero effectum per diverſa principia *quo* diverſimodè influentia in talem effectum. tract. 3. diſp. 2. num. 6. pag. 315.

Amor.

Diſcrimen inter amorem purè affectivum, & amorem effectivum. tract. 4. diſp. 1. num. 36. pag. 432.

Diſcrimen inter amicitiam excellentiæ, & amicitiam æqualitatis. ibid. num. 42. pag. 435.

Amor beatificus.

Amorem beatificum non producere impulſum eſt probabile. tract. 2. diſp. 2. num. 105. & 106. pag. 196.

Probabilius eſt, quòd producit, & quare? ibid.

Amor Dei.

Amor Dei perfectus affert ſecum conjunctionem ſubſtantialem, & phyſicam Dei amati cum amante. tract. 1. diſp. 4. num. 41. pag. 100.

Explicatur hoc amplius. ibid. num. 42.

Amor eſſet eſſentia metaphyſica verbi divini, ſi eſſet de conſtitutione metaphyſica naturæ divinæ. tract. 4. diſp. 1. num. 31. pag. 431.

Eſſentia divina non eſt forma adæquate conſtituens obiectum congruum amoris divini. ibid. num. 50. pag. 439.

Amor, quo Deus diligit ſeipſum, eſt proprie amor, & ſtrictè ſum ptus. tract. 4. diſp. 1. num. 52. pag. 439.

Amor ſpecialis, & gaudium in Deo non diſtinguuntur virtualiter ex parte rei conceptæ. ibid. num. 56. pag. 440.

Deus amat ſe neceſſariò quoad ſpecificationem, & quoad exercitium. ibid. diſp. 2. num. 2. pag. 448.

Deus amat creaturas exiſtentes, & futuras. ibid. num. 12. pag. 450.

Eius amor eſt liber erga illas libertate quoad ſpecificationem, & quoad exercitium. ibid. num. 13. pag. 451.

Amor Dei circa aliquas creaturas debet verſari neceſſari òneceſsitate quoad ſpecificationem. ibid. n. 15. pag. 451.

Deus non amat creaturas poſsibiles ex defectu bonitatis. ibid. n. 24. & 25. pag. 454.

Si illas amaret, amaret neceſſariò. ibid. num. 29. pag. 456.

Amor creaturarum communicatur Spiritui-ſancto per proceſsionem, & quo pacto? ibid. n. 54. pag. 464. Vide *Creaturæ*, *Voluntas*, & *Volitio divina.*

Angelus.

Cur eſſentia Angeli ſit ſua ſpecies intelligibilis, & non ſit ſuus intellectus? tract. 1. diſp. 2. num. 41, pag. 58.

Angelus eſt in loco per operationem, & non aliter. tract. 1. diſp. 4. n. 21. pag. 91.

Non poteſt eſſe in ſpatijs imaginarijs, aut in vacuo, neque moveri per illud. ibid. num. 29. pag. 96.

Licèt Angelus ſuperior, & inferior diſtinguantur eſſentialiter in perfectione ſpecifica: nihilominùs conveniunt formaliter in gradu immaterialitatis. tract. 2. diſp. 1. num. 61. pag. 143.

Natura Angelica, vt habet rationem ſpeciei reſpectu cognitionis ſui ipſius, concurrit activè ad illam. ibid. diſp. 2. numer. 62. pag. 180.

Intellectus Angeli oritur à ſua eſſentia tàm vt intellectiva, quàm vt intelligibi i. ibid. n. 63.

Probabile eſt, quod præfata natura angelica non concurrit activè immediatè ad ſui intellectionem per modum ſpeciei, ſed mediante intellectu. ibid.

Angeli, & eorum ſpecies conveniunt ſpecificè in gradu immaterialitatis, licèt differant ſpecie in immaterialitate entitativa de materiali ſe habente ad gradum. ibid. numer. 86. pag. 188.

Ex eo, quòd Angelus inferior conveniat cum ſuperiori in gradu immaterialitatis, ſequitur, quòd illud comprehendat. tract. 2. diſp. 4. num. 7. pag. 245.

Unus Angelus poteſt cognoſcere actus liberos alterius, dummo dò Angelus cognitus ſuos actus li-

liberos ad Angelum cognoſcentem dirigat. ibi.n.34.& 38. pag.256.& 257.
Angelus virtute ſua naturali poteſt cognoſcere omnia ſingularia ſpecierum huius vniverſi, non tamen eſt neceſſe, quòd actu, & ſemper omnia ſingularia videat.ibid.n.46.pag. 261.
Per vnicam ſpeciem finitam, v. g. repreſentativam generis animalis, poteſt cognoſcere infinitas ſpecies contentas ſub hoc genere, & infinita individua contenta ſub ſpeciebus.tr. 2.diſp. 4.n.67. pag.270.
Intellectus Angeli eſt potentia immediatè executiva ad extrà. tract. 3.diſp.. 2. num. 68. pag. 338.
Unde non infertur, quòd intellectus divinus ſit potentia proximè executiva, & quare?ibid.
Diverſo modo Angelus movebatur à Deo in primo inſtanti, ac voluntas creata generaliter ad quemlibet actum bonum. tract. 4. diſp. 3.n.87. pag. 508.

Anima.

Anima rationalis eſt formaliter eminenter vegetativa, & ſenſitiva.tract. 1. diſp. 1. num. 75.pag.38.
Anima ſeparata habet appetitum naturalem ad corpus ſecundùm ſe, non verò ad reunionem cum corpore. tract.2.diſp. 1. num. 48. pag.137.
Animam rationalem ſeparatam cognoſcere Angelos quidditativè, eſt probabile in via D. Thomæ: ſed probabilius oppoſitum.ibid. n. 61.pag. 143.
Licèt anima rationalis non dependeat à materia, tanquam à ſubiecto *quod* eductionis, dependet tamen ab illa tanquam à ſubiecto *quod* ſuſtentationis,& receptionis. ibid.diſp. 3.num.30. pag. 210.
Anima eſt quodammodò omnia. tract.3. diſp.1. num. 2. pag. 275.
Anima plantæ habet aliquam elevationem ſupra materiam; non tamen ſufficientem, vt ſit cognoſcitiva:& quare?ibid.n.8.pag.278.
Anima bruti qualiter ſit materialis, & qualiter elevatam ſupra materiam.ibid.n.9.
Anima rationalis eſt æquè intelligibilis, ac intellectiva.ibid. n.12.pag. 279.

Appetitus.

Appetitus alias innatus, & alius elicitus.tract.2. diſp. 1. num.38. pag. 132.
Ratio vtriuſque explicatur.ibid.
Diviſiones appetitus eliciti.ibid.
Creatura intellectualis ſecundùm ſe non habet appetitum innatum ad viſionem claram Dei, vt vnius, vel vt trini, vel vt Authoris naturalis, aut ſupernaturalis. ibid. num.39.pagin.133.
In natura intellectuali ſecundùm ſe non poteſt dari appetitus elicitus efficax ad viſionem claram Dei, vel vt eſt trinus, vel vt eſt vnus. ibid.num.41.& 50. pag.138.
Suppoſita divina revelatione circa poſsibilitatem viſionis Dei, natura ſecundùm ſe poteſt habere appetitum inefficacem abſolutum, vel conditionatum erga eam.ibid.n. 42.
Hic autem appetitus non eſt neceſſarius quoad ſpecificationem.ibid.n.43.44.& 52.pag.138.
Appetitus naturalis intellectus, & voluntatis creatæ ſecundùm ſe non ſatiatur in via, ſed ſemper eſt in *ſatiari*: & quare?ibid. n.46.pagin 235.
Neque hinc ſequitur, hominem eſſe poſitivè miſerum,ſed tantùm negativè.ibid.
In nulla potentia datur appetitus innatus ad obiectum ſuperexcedens, & improportionatum, licet hoc pertineat ad ſuum ſpecificativum. ibid. num. 47.& 51.pag. 135. & 138.
Neque in nulla potentia naturali activa datur appetitus innatus ad terminum abſque vi ad eius conſecutionem. ibid. num. 48. pagin.137.
Ad quamlibet formam, ſive naturalem, ſive aprehenſam ſequitur appetitus. tract.4.diſp. 1. num.2. pag.419.
Appetitus ad aprehenſionem formæ eſt innatus, ſed ad bonum aprehenſum eſt elicitus.ibi. n. 7.pag. 421.
De ratione appetitus maximè eliciti eſt ſupponere naturam appetentis adæquatè conſtitutam. ibi.num. 30.pag. 430.

Aqua.

Aqua non eſt inſtrumentum ignis ad calefactionem, & quare?tract.2. diſp. 3. num. 56. pagin. 219.

Ars.

Ars radicatur in ſyndereſi.tract.1.diſp. 1.n.76. pag.39.
Influit effectivè in artificiatum. tract. 3. diſp.2. n.4. pag. 314.
Ars, & ſcientia diſtinguntur, tàm in creatis, quam in divinis, proportione ſervata.ibid.n. 93.pag. 345.
Quę diſtinctio non obſtat ad hoc, quód omnipotentia conſiſtat in ſcientia divina, & non in arte.ibi.n.94.
Prędeſtinatio non conſiſtit in arte.tract. 5. diſp. n.79.pag.551.

Aſſenſus.

Aſſenſus præmiſſarum poteſt eſſe eſſentialitèr obſcurus, & aſſenſus concluſionis evadere exactivè clarus. tract. 1. diſp. 1. num. 47. pag.21.
Aſſenſus concluſionis theologicę eſt exactivè clarus.ibid.48.
Aſſenſus præmiſſarum, qui eſt cauſa effectiva aſſenſus concluſionis, non elicitur ab habitu principiorum, ſed ab habitu ſcientiæ. ibid. n.59.pag.28.

Attributum.

Unum attributum divinum non poteſt videri ſine

ſine alio. tract.2. diſp. 4. n. 25. pag. 252.
Attributum divinum quid? tract. 3. diſp.1. n. 28. pag. 286.
Quot attributa virtualiter inter ſe diſtincta debeant poni in intellectu divino? ibid. n. 42. pag.292.
Attributa, & relationes non ſunt obiectum primarium alicuius intellectionis divinæ. tract. 3. diſp. 1. num.51.pag.295.
Nec vniuntur ſecundùm ſuam ſubſtantiam intellectui divino per modum ſpeciei impreſſæ, vel expreſſæ. ibid. num. 53. & 59. & pagin. 298.
Repræſentantur ſecundariò ab eſſentia divina; quæ vnicè gerit in Deo munus ſpeciei. ibid. n. 56. pag. 296.
Licèt attributa,& relationes ſint obiectum materiale intellectionis divinæ, pertinent quodammodò ad obiectum formale, tanquam modi, & affectiones illius. tract. 3. diſp. 1. num. 61.pag. 298.
Vnicum attributum Dei non poteſt integrari ex formalitatibus pertinentibus ad diverſas lineas in recto ſumptis: & quare? ibid.diſp. 2. à n.78. vſque ad 81. pag. 341.
Attributum Dei quaſi in actu primo non poteſt pertinere ad vnam lineam, & ſumptum in actu ſecundo ad aliam divetſam. ibid. n. 81. & 87. pag. 343.
Cur ex diſtinctione virtuali inter eſſentiam, & attributa non inferatur diſtinctio realis,benè verò inter attributa, & actum ſecundum per ſe primò illi correſpondentem.tract. 4.diſp. 1.n.16.pag.424.
Verè, & propriè attributa non dimanant à natura. ibid. n.24.pag.427.
Attributa per modum virtutis in linea tam intellectuali, quàm affectiva quo pacto dentur in Deo? ibid.27.pag.429.

Divus Auguſtinus.

In controverſijs divinæ præſcientiæ, voluntatis, & prædeſtinationis inter alios SS. Patres D. Auguſtinus eſt princeps: ad cuius mentem Antiquiores explicari debent, & quare?tract. 3. diſp.2.num. 56.pag. 334.
Non poteſt colligi ex D. Auguſtino,Deum non habere certam præſcientiam futurorum conditionatorum,ſed potius colligitur oppoſitũ. ibid. diſp.4.n.16.pag. 381.

Auxilium.

Auxilium Dei præcisè indifferens non ſufficit, vt voluntas creata liberè ſe determinet ad conſenſum, potiùs quam ad diſſenſum: & quare? tract. 3. diſp. 3. num. 30. pagin. 359.
Auxilium ſufficiens, quòd Ieſuitæ vocant *congruum*, collatum v. g. Petro in ea ocaſione, in qua Deus eum prævidit conſenſurum,non ſufficit, vt ſalvetur, quòd Deus diſcernit illum à non conſentiente,& quòd non potius ipſe ſe diſcernit. ibid.diſp. 3. num. 16. pagin.402.
Auxilium ſufficiens Dei pro aliquo actu dat poteſtatem,& virtutem ſufficientem ad poſitionem ipſius actus.ibid. num. 54. pag. 414.
Nullus eſt adultus, cui Deus non ſolùm offerat, ſed etiam conferat aliqua auxilia intrinſeca ſufficientia ad ſalutem. tract.4. diſp.3.num. 22.pag. 484.
Oblatio auxiliorum ſufficientium ad ſalutem, non eſt ſufficiens abſolutè, vt homo teneatur ſe convertere ad Deum finem ſupernaturalem.ibid. num.24.pag. 485.
Ante infuſionem habitus fidei, dum quis convertitur ad illam, conferuntur plura auxilia iuxta providentiam ordinariam ibid. n. 29. pag. 487.
Omnibus parvulis ſufficit, quòd Deus præparet aliqua remedia generalia extrinſeca,quin opus ſit, quòd eis conferat aliquod auxilium intrinſecum. ibid.num.33.pag.489.
Aliqua auxilia intrinſeca ſufficientia ad ſalutem etiam conferuntur obſtinatis, & quo pacto? ibid.num.37.pag. 491.
Permiſsio peccati conſiſtit in negatione auxilij efficacis.tract.5.diſp.3.n.5. pag.568.
Auxilia inefficacia tam in electis, quàm in reprobis ſunt effectus prædeſtinationis electorum. ibid.n 24.pag. 573.
Auxilium efficax electorum eſt effectus ſuę prædeſtinationis.ibid.n.26.

Axioma.

Illud axioma, *Quæ ſunt eadem vni tertio &c.* explicatur.tract.2.diſp.2.n.44.pag.173.
Quomodò intelligendum illud axioma D. Thomæ: *Deus vult, hoc eſſe propter hoc, ſed non &c.* tract. 4.diſp.1.n.46.pag.436.
Quomodò intelligatur illud: *Facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam?* ibid. diſp. 3.n.36.pag. 491.
Explicatur illud axioma:*Quod facit actus actu, facit potentia &c.*ib.num.95.pag.512.

B

Mag. Bañez.

MAgr Bañez aſſerens, ſpeciem ſubſtantialem non concurrere activè ad cognitionem, impugnatur. tract. 2. diſp. 2. num.50. pag.176.

Beati.

Quare beatus non poſsit producere verbum per viſionem beatam: cum tamen Pater æternus illud producat? tract. 2. diſp. 2. num. 108. pag. 198.
Omnes beati vident omnia prædicata formalia omnipotentię, & terminationem quaſi primariam illius ad factibile, vt ſic: ſecus autem omnes terminationes illius ſecundarias

ad

ad omnia factibilia in particulari. tract. 2. disp. 4. n. 12. 13. & 14. pag. 247. & 248.
De fide est, quemlibet beatum de facto videre in Deo omnia prædicata, quæ sunt formaliter in ipso. ibid. n. 17. pag. 250.
Visio, quam habet beatus, vel habere potest de Deo, debet esse intuitiva, quidditativa, & beatifica. ibid.
Beati possunt videre immediatè in Deo eius actus liberos. ibid. n. 34. pag. 256.
Nullus beatus potest videre omnia decreta libera Dei in particulari. ibid. n. 35.
Si beati viderent in Deo omnia decreta libera in particulari, possent etiam cognoscere omnia possibilia, tàm quoad *an est*, quàm quidditativè. tract. 2. disp. 4. num. 35. & 36. pagin. 256.
Quilibet beatus solùm cognoscit ea decreta libera divina, quæ versantur circa effectus pertinentes ad suum statum. ibid. n. 37. 257.
Vt beatus cognoscat in Deo eius decreta libera, requiritur, quòd Deus illa liberè beato manifestet. ibi. num. 38.
Ratio quare vnus beatus videt plura decreta libera Dei, quàm alius, non est maior intensio luminis gloriæ. ibid. num. 39. pag. 258.
Quilibet beatus videt plura decreta libera Dei sumpta quoad entitatem, non verò quoad terminationem ad creaturas in particulari. ibid.
Beatus potest videre in Deo, priùs vt *quod* cognito, effectus existentes in aliqua differentia temporis. ibid. n. 40.
Quilibet beatus videt per visionem beatam aliqua mysteria gratię, necnon omnia genera, & species pertinentia ad hoc vniversum, insuper omnia, quæ attinent ad proprium statum. ibid. n. 42. pag. 259.
Quilibet beatus naturaliter appetit scire, quæ spectant ad perfectionem sui intellectus, & ad suum statum. ibid.
Omnia, quæ aliquando videt beatus in verbo, videt simul à principio suæ beatitudinis. ibid. num. 43.
Beatus videt in verbo omnia mysteria gratiæ quoad substantiam; non tamen oportet, quòd videat omnia dona gratiæ collata hominibus in particulari. ibid. num. 45. pag. 260.
Licèt beatus ex vi visionis essentiæ divinæ possit videre omnia singularia huius vniversi, non sequitur, quòd defactò omnia illa videat. ibid. num. 46. pag. 261.
In beato non datur appetitus ad cognoscenda omnia singularia, nisi ea tantùm, quæ pertinent ad suum statum, vel sunt partes principales huius vniversi. ibid.
Licèt omnes beati, regulariter loquendo, videant in verbo omnia, quę ad suum statum spectant; nihilominus potest Deus ob speciale regimen suæ providentiæ aliquid ex his eis occultare. ibid. num. 47. pag. 262.
Beati non vident, nec videbunt in verbo diem iudicij ex speciali dispositione Dei. ibid. numer. 48.
Cognoscent diem iudicij, quando venerit, extra verbum. ibid.
Omnes beati iuxta D. Thomam post diem iudicij scient omnia, quæ Deus scientia visionis novit. ibid.
Non tamen omnes omnia prædicta videbunt in essentia divina, sed sola anima Christi videbit omnia, sicut & nunc videt. ibid.
Impossibile est, aliquem beatum cognoscere omnia possibilia in omnipotentia. ibid. numer. 49.
Vt beati viderent omnia possibilia in omnipotentia, deberent habere lumen infinitum, ita quòd perfectius excogitari non posset; & essentiam divinam sibi vnitam modo infinito, & perfectissimo excogitabili. ibid.
Ex duobus beatis nullam creaturam, aut effectum particularem in Deo videntibus, impossibile est, vnum videre Deum perfectius alio. ibid. n. 56. pag. 260.
Quilibet beatus ex vi visionis essentiæ divinæ videt suam visionem, & lumen, quo illam elicit, per quandam reflexionem. ibi. num. 74. pag. 272.
Ex quo solum sequitur, quòd cognoscat creaturam intellectualem secundùm potentiam obedientialem quoad *an est*, & in communi, & quòd similiter cognoscat gratiam, non verò in particulari. ibid.
Si beatus videret in verbo omnes creaturas possibiles, comprehenderet Deum. ibid. n. 75. pag. 273.

Beatitudo.

Beatitudo creata debet præsupponere obiectum beatificabile; secus verò beatitudo divina, nisi ex modo significandi. tract. 1. disp. 2. n. 50. pag. 63.
Beatitudo perfecta creaturę intellectualis consistit in visione clara Dei. tract. 2. disp. 1. n. 2. pag. 118.
Beatitudo cuiuscumque creaturę consistit in coniunctione cum suo principio. ibid.
Maior beatitudo arguitur ex visione plurium possibilium in verbo: minimè verò ex visione plurium existentium. ibid. disp. 4. n. 47. pag. 262.
Ad rationem beatitudinis, sivè divinæ, sivè creatæ, solùm requiritur, quòd attingat, & possideat summum bonum; non quòd primariò attingat quidquid spectat ad rationem summi boni. tract. 3. disp. 1. n. 58. pag. 297.
Vide *Gloria, Prædestinatio.*

Bonitas.

Bonitas divina est obiectum motivum determinativum voluntatis divinæ. tr. 4. disp. 1. n. 33. pag. 431.

Bonitas divina amatur á Deo amore propriè, & ſtrictè dicto. ibid. num. 52. pag. 437.
Quandò bonitas divina amatur à Deo neceſſariò, tàm quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium? ibid. diſp. 2. num. 2. pag. 448.
Quando verò liberè? ibid. numer. 19. pag. 452.
Creaturæ poſsibiles nullam habent bonitatem. ibid. num. 25. pag. 454.
Quàm conveniens ſit bonitati divinæ, quòd communicetur creaturis modo intellectuali? tract. 5. diſp. 1. num. 4. pag. 529.
In quo reſplendeat maximè? ibid.
Dato hypotheſi, quòd creaturæ poſsibiles amarentur neceſſario à Deo; cur magis tunc divina bonitas diligeretur? ibid. diſp. 2. num. 43. pag. 563.
Vt eſt obiectum divinæ voluntatis, vt eſt natura & libertas, non eſt multiplex in eſſe obiecti. ibid. num. 60.

Bonum.

Nequit intelligi, niſi dicat aliquomodo ordinem ad exiſtentiam. tract. 4. diſp. 2. num. 24. pag. 454.
Non eſt paſsio entis nominaliter, ſed participialiter accepti. ibid. num. 25.
Bonum, & verum non convertantur. ibid. n. 40. pag. 459.
Bonum in communi, vt eſt obiectum voluntatis creatæ, vt eſt libera, & natura, non eſt multiplex formaliter. ibid. num. 60. pag. 466.
Bonum ſecundùm ſe terminat voluntatem antecedentem. ibid. diſp. 3. num. 4. pag. 479.
Vt veſtitum tamen circunſtantijs voluntatem conſequentem. ibid.
Bonum ſecundùm ſe quodammodo præit ſeipſum, vt veſtitum ſuis circunſtantijs. ibid. num. 5.
Cur bonum tantùm ſcribatur in libro vitæ? tr. 5. diſp. 3. num. 7. pag. 569.

C

Carentia.

CArentia viſionis beatæ, vt eſt indebitum beneficium, eſt effectus reprobationis negativę. tract. 5. diſp. 3. num. 101.

Cauſa.

Defectus cauſæ activæ vitalis, & voluntariæ non poteſt à Deo ſuppleri. tract. 2. diſp. 1. numer. 66. pag. 146.
Nulla cauſa inferior per ſolam ſubordinationem extrinſecam ad cauſam ſuperiorem redditur potens ad operationem, vel effectum excedentem ſe. ibid. n. 74. pag. 148.
Cauſa principalis intendit perſè primò aſsimilare ſibi effectum, ſecus verò cauſa inſtrumentalis ibid. diſp. 3. n. 40. pag. 414.
Omnis cauſa, quæ in operando movetur à ſe, eſt principalis, & non inſtrumentalis. ibid. numer. 41.
Quando D. Thomas ait: quòd *nulla creatura poteſt agere ea, quæ ſunt ſupra naturam, quaſi principalis agens, poteſt tamen agere, quaſi agens inſtrumentale &c.* loquitur de inſtrumento minus rigoroſo, vel de creatura, quæ non habet vim radicalem in ordine ad operationes ſupernaturales. ibid. num. 55. pag. 218.
Cauſa non præcontinens in ſua virtute aliquam actionem nequit illam elicere, niſi in virtute alterius cauſæ ſuperioris elevantis. ibid. num. 64. pag. 222.
Continentia cauſę ſuorum effectuum eſt ſufficiens ratio ad hoc, vt in cauſa priùs cognita vt *quod* poſsint videri effectus. ibid. diſp. 4. num. 41. pag. 259.
Cauſa finalis eſt vera, & propria cauſa. tract. 4. diſp. 1 num. 34. pag. 432.
Qui ſit proprius modus concurrendi cauſa prima cum cauſa ſecunda. ibi. diſp. 2. n. 58. p. 500.

Charitas.

Actus charitatis procedere non poteſt à voluntate creata, mediante Spiritu-ſancto gerente vices habitus charitatis. tract. 2. diſp. 3. num. 20. pag. 207.
Actus charitatis eſt diſpoſitio ad gratiam, quę probabiliter eſt diſpoſitio ad actum charitatis. ibid. n. 13. pag. 204.
Actus charitatis procedit á voluntate creata informata per habitum charitatis tanquam à cauſa principali. ibid. numer. 52. pagin. 217.
Habens charitatem, vt quatuor, & eliciens actum charitatis, vt octo, elicit illum inſtrumentaliter quoad gradum, & exceſſum: licèt eliciat principaliter ſubſtantiam actus: & qualiter hęc cohæreant inter ſe? ibid. num. 53. & n. 54. pagin. 218.
Actus charitatis, qui regulariter fit à nobis, eſt ex natura ſua permanens. Quo non obſtante, poteſt dari divinitus aliquis actus charitatis ex natura ſua tranſiens, ſpecie diſtinctus à permanenti. ib. n. 54. pag. 218.
Charitas eſt virtus proximè influens in actum ſupernaturalem amoris, ſecundùm quòd eſt vitalis, & voluntarius. ibid. n. 69. pag. 224.
Vt actus charitatis ſit liber, ſufficit, quòd voluntas ratione ſui poſsit elicere actum oppoſitum, vel omittere actum charitatis. ibid. n. 108. pag. 242.
Charitas non terminatur ad creaturas, vt continentur in Deo tanquam in cauſa, ſicut lumen gloriæ. ibi. diſp. 4. n. 67. pag. 269.
Obiectum primarium, & formale charitatis eſt bonitas divina, vt comprehendens æquè primò bonitatem eſſentiæ, & attributorum. tract. 4. diſp. 1. n. 37. pag. 433.
Charitas non ordinat activè alias virtutes ad ſuum obiectum: & quo pacto dicatur ordinativa. tract. 5. diſp. 1. n. 17. pag. 534.

Chime-

Chimæra.

Chimæræ, & non entia cognoſcuntur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. tract. 3. diſp. 2. num. 25. pag. 322.

Chriſtus.

Chriſtus per ſcientiam beatam animæ ſuæ non comprehendit ſcientiam divinam viſionis. tract. 2. diſp. 4. numer. 15. pag. 248.

Chriſtus per lumen finitum videt omnia, quæ Deus ſcit ſcientia viſionis, licèt hæc ſint infinita. ibid. numer. 67. pagin. 269.

A prædeſtinatione Chriſti non dependet eſſentialiter prædeſtinatio noſtra, ſed præcise juxta præſentem providentiam. tract. 5. diſp. 3. num. 3. pag. 568.

Chriſtus eſt finis ſuæ humanitatis in prima ſui productione. ibid. num. 37. pag. 576.

Præſentia ſubſtantialis Chriſti in Euchariſtia eſt finis aliorum Sacramentorum, aliarumque rerum ordinis naturalis. ibid.

Chriſtus mortuus non eſt, propriè loquendo, pro rebus naturalibus, ſed adſummùm indirectè. ibid. num. 45. pag. 579.

Subſtantiæ Adæ eſt effectus prædeſtinationis Chriſti. ibid. n. 62. pag. 583.

Non ideò eſt caput Adami in ſtatu innocentiæ. ibid.

Chriſtus, & remedium peccati originalis habent mutuam dependentiam in diverſo genere cauſæ. ibid. 95.

Cœlum.

Cœlum empyreum habet influentiam in hæc inferiora juxta D. Thomam. tract. 3. diſp. 1. n. 7. pag. 277.

Poteſt permitti, quòd illam non habeat. ibid.

Cognitio.

Cognitio dependens à phantaſmate, & independens ab illo ſunt eſſentialiter diverſa. tract. 1. diſp. 1. num. 48. & 49. pag. 21.

Cognitio omnium poſsibilium eſt ſimpliciter infinita, & arguit comprehenſionem Dei. tract. 2. diſp. 1. numer. 6. pagin. 119.

Cognitio clara & quidditativa Dei poteſt eſſe finita. ibid.

Cognitio omnium poſsibilium eſt perfectior cognitione merè quidditativa Dei, & non comprehenſiva. ibid. numer. 9. pag. 120.

Cognitio omninò connaturaliter attingens aliquod objectum, debet convenire cum eo in gradu immaterialitatis; ſecùs verò cognitio non omninò connaturalis objecti. ibid. num. 35. pag. 131.

Cognitio per participationem eſt imperfecta, & deficiens. ibid. diſp. 4. num. 8. pag. 295.

Cognitio comprehenſiva alicuius objecti petit vnionem connaturaliſsimam objecti cum potentia, media ſpecie intelligibili, & connaturaliter recipi in cognoſcente. ibid.

Cognitio poſsibilium in omnipotentia non conducit ad cognitionem quidditativam Dei. ibid. num. 26. pag. 253.

Cognitio attributorum; & relationum per ſe requiritur, & conducit ad cognitionem quidditativam eſſentiæ divinæ. ibidem.

Cognitio terminata ad ſolam eſſentiam eſt eſſentialiter diverſa à cognitione proprietatum in illa: & quare? ibid.

Quid ſit cognitio matutina, & quid veſpertina? ibid. n. 32. pag. 255.

Cognitio plurium vnica, & indiviſibilis poteſt quadrupliciter contingere. ibid. num. 33. pag. 256.

Eadem numero cognitio poteſt eſſe ſimùl intuitiva, & abſtractiva reſpectu diverſorum, immò reſpectu eiuſdem ſucceſsivè, maximè quandò notitia eſt ſuperioris ordinis. ibid. n. 44. pag. 260.

Cognitio quidditativa omnipotentiæ, vt præcontentivæ hominis infert infallibiliter cognitionem quidditativam eiuſdem, vt præcontentivæ formicæ: & quare? ibid. num. 7. pag. 245.

Ex cognitione quidditativa omnipotentiæ non arguitur cognitio alicuius creaturæ poſsibilis in particulari: & quare? ibid. num. 74. pag. 272.

Ex cogntione omnium poſsibilium in verbo ſequitur comprehenſio Dei. ibid. num. 75. pag. 273.

Ex cognitione omnium poſsibilium in ſeipſis, ſeu extra verbum ſequitur arguitivè comprehenſio omnipotentiæ. ibid. num. 77.

Cognitio intellectiva eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. tract. 3. diſp. 1. numer. 1. pag. 274.

Cognitio ſecundaria immediatè terminata ad creaturas repugnat Deo, & quare? ibid. num. 94. pag. 313.

Cognitio creaturæ in Deo perfectior eſt, quàm cognitio creaturæ in ſeipſa, & quare? ibid.

Creaturæ omnes perfectiùs cognoſcuntur in Deo clarè viſo, quam in ſeipſis, & cur? ibid.

Cognitio divina.

Eadem virtualiter cognitio divina eſt intelligentia, vt terminata ad eſſentiam divinam, tanquam ad principium per ſe notum, & eſt ſimul ſcientia, vt terminata ad eandem eſſentiam divinam, ſecundùm quòd eſt cauſa virtualis attributorum. tract. 3. diſp. 1. num. 23. pag. 285.

Probabile eſt, quòd in Deo diſtinguitur

virtualiter intelligentia, & scientia. ibid.
Non est inconveniens, quòd aliqua cognitio divina ex vi illius, quod dicit pro explicito ratione suæ lineæ, non sit comprehensiva, dummodò comprehensiva sit secundum id, quod affert pro implicito, & per transcendentiam. ibid. num. 24.
Cognitio divina non terminatur ad futurum, vt futurum. ibid. disp. 2. à n. 19. vsque ad num. 24. pag 319.
Eadem formaliter cognitio divina, absque distinctione virtuali, potest terminari ad rem vt possibilem, & eandem vt existentem. ibid. disp. 3. num. 50 pag 358.
Cognitio divina sivè directa, sivè reflexa nullam potest pati variationem, aut mutationem. ibid. num 67 pag. 373.
Illam pateretur, si futura non essent Deo physicè præsentia. ibid. & per totum §. 2.

Cognoscentia.

Cognoscentia distinguuntur à non cognoscentibus in hoc, quòd præter formam propriam nata sunt habere formam alterius rei. tract. 3. disp. 1. num. 2. 4. & 5. pag. 275.

Communicatio.

Communicari, & non communicari ad intrà arguit distinctionem virtualem intrinsecam in divinis, secùs verò communicari, & non communicari ad extrà. tract. 1. disp. 3. num. 28. pag. 77.

Compositio.

Non omnis compositio affert imperfectionem in vtroque extremo componente. tract. 2. disp. 2. n. 13. pag. 161.

Comprehensio.

Comprehensio quid? tract. 2. disp. 4. num. 1. pag. 243.
Ad cognitionem comprehensivam strictam requiritur, quòd objectum cognoscatur secundùm omnia formalia, quæ essentialiter, vel per modum proprietatis illi conveniunt. ibid. num. 2.
Ad comprehensionem strictam objecti requiritur, quòd cognoscantur omnia, quæ virtualiter ei conveniunt. ibid. num. 3.
Ad comprehensionem causæ non requiritur cognitio effectuum contingentium. ibid. num. 4. pag. 244.

Conceptus.

Conceptus *in*, & conceptus *ad* relativus qualiter distinguantur tàm in creatis, quam in divinis. tract. 1. disp. 2. numer. 31. pag. 51.

Conclusio.

Conclusio deducta ex vna præmissa de fide, & alia naturali est entitativè naturalis: immò etsi deducatur ex duabus præmissis de fide. tract. 1. disp. 1. numer. 54. pagin. 24.
Conclusio theologica deducta ex vna præmissa naturali, & altera de fide vltimò resolvitur in revelationem mediatam. ibid. num. 68. pag. 33.
Ex conclusionibus contentis in aliquo principio aliquæ sunt latentiores, aliquæ minus latentes. tract. 2. disp. 4. numer. 51. pag. 264.

Concursus.

Concursus simultaneus non sufficit ad discernendum consentientem à non consentiente. tract. 3. disp. 5. n. 12. pag. 401.
Concursus prævius Dei ad conversionem liberam necessariò requiritur ad hoc, vt Deus sit causa prima, & primus motor respectu illius. ibid. a n. 31. vsque ad 33. pag. 407.

Conditio.

Conditio disparata, & ex natura sua impertinens ad positionem eventus, potest fieri pertinens, & conducens extrinsecè ex dispositione divina. tract. 3. disp. 4. num. 12. pag. 379.

Conditionalis propositio.

Conditionalis propositio, cuius conditio non connectitur infallibiliter metaphysicè cum effectu, estò antecedat ad positionem illius, si sumatur in vi illationis, est omninò falsa, & vt talis cognoscitur à Deo per scientiam naturalem. tract. 3 disp. 4. num. 4. pag. 377.

Coniunctum.

Potest conjunctum ex aliquibus extremis esse implicatorium, etsi extrema divisivè sumpta non repugnent. tract. 2. disp. 1. num. 86. pag. 554.

Connexio.

Connexio necessaria duorum non semper arguit dependentiam in vtroque extremo. tract. 3. disp. 1. num. 88. pag. 310.

Consensus.

Consensus salutaris non esset gratia, & beneficium salutare Dei, si Deus tantùm tribuit consentienti solam gratiam sufficientem, & non efficacem. tract. 3. disp. 5. num. 12. pag. 401.

Contactus.

Non quilibet contactus corporis est sufficiens ad hoc, vt aliquid dicatur esse in alio, tanquàm in loco. tract. 1. disp. 4. numer. 21. pag. 91.
Qualis contactus corporis sit sufficiens, vt tangens dicatur esse in illo, tanquam in loco? ibid.

Contingens.

Effectus contingens pro priori ad sui existentiam exercitam, & sublato decreto Dei

Dei ab intrinseco efficaci, non est determinatus ad habendum existentiam, vel carentiam illius, vnde nullam habet veritatem obiectivam. tract. 3. disp. 3. numer. 31. pag. 360.

Contradictoria.

Ut realiter verificentur prædicata contradictoria non est necesse, quòd formalitates, secundùm quas verificantur, distinguantur realiter entitative, vel formaliter ex natura rei. tract. 1. disp. 3. n. 12. pag. 71.

Ut talia prædicata contradictoria verificentur, non sufficit distinctio fundamentalis, & formalis rationis, sed requiritur, & sufficit distinctio virtualis actualis intrinseca ante omnem operationem intellectus. ibid. à num. 18. vsque ad 24. pag. 73. & pag. 75.

Corpus.

Ex duobus corporibus penetratis, nullum esset in altero, tanquam in loco. tract. 1. disp. 4. n. 14. pag. 89.

Corpora cœlestia causant formas in mixtis inferioribus, non influendo, sed movendo, juxta D. Thomam. tract. 2. disp. 3. num. 91. pag. 232.

Corpus cœleste, juxta D. Thomam, cùm sit movens motum, habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis. ibid.

Corpus cœleste est causa vniversalis, ideòque potest producere gradum corporis in substantijs corporeis sublunaribus. ibid.

Creaturæ.

Creaturæ dupliciter possunt cognosci à beatis, vel in Deo ex vi visionis beatæ, vel in seipsis immediatè. tract. 2. disp. 4. num. 32. pag. 255.

Creaturam esse latentiorem in omnipotentia non consistit præcisè in eo, quòd sit absolutè perfectior; nec pendet ex eo, quòd sit absolutè imperfectior. ibid. numer. 63. pag. 269.

Consistit in eo, quòd sit perfectior tàm secundùm suam essentiam, quàm secundùm modum essendi. ibid. num. 64.

Creaturæ nullo modo comprehenduntur sub obiecto primario alicuius intellectionis divinæ. tract. 3. disp. 1. numer. 49. pag. 294.

Creaturæ possibiles cognoscuntur à Deo in sua essentia tanquam in causa prius cognita. ibid. num. 71. pag. 302.

Si creaturę cognoscerentur à Deo immediatè in seipsis, pertinerent ad obiectum formale, & specificativum intellectionis divinæ. ibid. num. 82. pag. 306.

Creaturæ non supponuntur possibiles pro priori ad omnipotentiam. ibid. num. 87. pag. 309.

Creaturę possibiles ex se nullam habent vim ad movendum intentionaliter intellectum divinum ad sui cognitionem. ibid. num. 92. pag. 312.

Creaturæ possunt dici specificativum virtuale perfectionum divinarum, & qualiter? ibid. disp. 2. num. 59. pag. 335.

Impossibile est, quòd aliqua creatura determinet voluntatem divinam, aut divinum intellectum. ibid. numer. 27. pag. 322.

Creaturæ solùm sunt obiectum materiale, & secundarium voluntatis divinæ. tract. 4. disp. 1. num. 33. pag. 431.

Deus diligit creaturas existentes, & futuras. ibid. disp. 2. num. 12. pag. 450.

Cum omnimoda libertate. ibid. num. 13. pag. 451.

Deus est causa creaturarum per voluntatem. ibi disp. 3. num. 1. pag. 478. Vide *Futurum. Possibile.*

D

Debitum.

Debitum est duplex, aliud morale, quod provenit ex lege: aliud physicum, seu metaphysicum, quod fundatur in natura rei secundùm se. tract. 2. disp. 3. num. 92. pag. 233.

Decretum divinum.

Decretum liberum Dei, vt futurum, non est medium, in quo Deus certò cognoscit futura. tract. 3. disp. 3. numer. 14. pag. 351.

Impossibile est, quòd tale decretum habeat rationem futuri. ibid.

Decretum liberum Dei non est posterius prædicatis necessarijs, ita vt illa sint priora pro aliquo priori *in quo*, sive reali, sive rationis cum fundamento in re: & quare? ibid. n. 15. & 16. pag. 352.

Idem decretum, si cognosceretur certò à Deo pro signo antevertenti eius existentiam, eveniret necessariò, & non liberè. ibid. num. 17. pag. 353.

Idem decretum liberum Dei petit existere in omni signo æternitatis, & nunquàm potest cognosci à Deo pro priori ad suam existentiam exercitam. ibid. num. 19. pag. 353.

Idem decretum liberum Dei quare possit concipi cum fundamento in re in aliquo signo, vt possibile, & in nullo, vt futurum? ibid. n. 20. pag. 354.

Ex admissione decreti liberi futuri, in quo Deus cognoscat futura absoluta, sequitur

dari ſcientiam mediam contingentium abſolutorum: ac proinde duas ſcientias medias admittendas eſſe à Ieſuitis. ibi. num. 21. pagin. 355.

Adhuc admiſſo tali decreto futuro, non aſsignatur à Suarez medium ſufficiens cognitionis futurorum conſequenter ad ſua principia. ibid.

Decretum Dei ab intrinſeco efficax eſt ratio à priori, quare futura ſint præſentia Deo, tàm phyſicè, quàm obiectivè in æternitate. ibid. num. 33. pag. 360.

Decretum Dei indifferens de conſenſu, vel eius carentia non poteſt eſſe ratio ſufficiens determinativa conſenſus præ eius carentia. ibid. n. 36. pag. 361.

Decretum Dei ab intrinſeco efficax eſt medium vnicum, in quo Deus certò & infallibiliter futura abſoluta libera cognoſcit. ibid. num. 41. pag. 364.

Decretum Dei efficax de actu libero noſtræ voluntatis eſt ſufficiens medium ad illum infallibiliter cognoſcendum: adhuc dato, quòd tale decretum non ſit cauſa adæquata illius. ibid. num. 44. pag. 365.

Decretum Dei indifferens eſt medium inſufficiens, vt in illo determinatè, & infallibiliter cognoſcatur conſenſus liber voluntatis creatæ. ibid. num. 45. pag. 366.

Decretum Dei efficax, & infallibiliter inferens conſenſum, nec dependet, nec dependere poteſt ex prævisione ſcientiæ mediæ talis conſenſus ſub ſtatu conditionato. ibid. n. 46.

Decretum liberum Dei de futuritione alicuius rei eſt infallibiliter liberè connexum cum illa, & qualiter? ibid. numer. 47. pagin. 367.

Decretum Dei efficax non tollit, ſed potius cauſat libertatem actus humani. ibid. num. 51. pag. 369.

Decretum Dei de futuris contingentibus abſolutis non eſt ſufficiens medium, vt hæc in illo infallibiliter cognoſcantur, ſublata præſentia phyſica futurorum in æternitate, & quare? ibid. n. 69. pag. 374.

Decretum actu in Deo exiſtens eſt medium omnino requiſitum, vt in illo Deus cognoſcat certò metaphyſicè futura conditionata. ibid. diſp. 4. num. 20. pag. 383.

Pro priori ad decretum Dei efficax actu exiſtens nullum eſt medium obiectivum, in quo Deus certò, & ab æterno cognoſcat futurum conditionatum, v. g. conſenſum futurum Petri ſub conditione auxilij *A*. ibid. num. 25. pagin. 386.

Decretum Dei cur requiratur, vt futurum abſolutum, vel conditionatum futurum ſit; cùm tamen non requiratur ad hoc vt poſsibile ſit poſsibile? ibid. num. 33. pag. 389.

Sine decreto Dei ab intrinſeco efficaci non eſt intelligibile; quòd futurum conſtituatur in ratione futuri. ibid. num. 37. pag. 391.

Decretum Dei efficax eſt forma conſtitutiva futuri. num. 43. pag. 393.

Decretum Dei efficax eſt forma conſtitutiva præteriti. ibid. n. 51. pag. 396.

Decretum efficax Dei, licèt non requiratur ad futuritionem per modum cauſæ efficientis, deſideratur tamen ad illam per modum cauſæ formalis. n. 54. pag. 397.

Decretum efficax Dei eſt cauſa efficiens futuritionis eo proportionali modo, quo omnipotentia eſt cauſa efficiens poſsibilitatis. Cum quo cohæret, quòd ſit etiam cauſa formalis, & qualiter? num. 55. pag. 398.

Non obſtante, quòd decretum liberum Dei, conſiſtit in actu neceſſario abſque aliquo ſuperadito, vel realiter, vel virtualiter, eſt ſufficiens medium, vt in eo cognoſcantur futura. tract. 4. diſp. 2. n. 84. pag. 475.

In Deo non poteſt dari vllo modo novum decretum in tempore. ibid. n. 86. pag. 476.

Decretum conditionatum, aliud ex parte actus, aliud præcisè ex parte obiecti, & in quo ſtat diſcrimen vtriuſque? ibid. diſp. 3. num. 38. pag. 491.

Decretum conditionatum ex parte obiecti; & abſolutum ex parte actus aliud eſt purè conditionatum, quia nihil decernit ex parte obiecti: aliud aliquid abſolutè decernit ex parte obiecti. ibid.

In Deo dantur decreta abſoluta ex parte actus, & purè conditionata ex parte obiecti circa omnes combinationes poſsibiles conditionatas. ibid. n. 40. pag. 492.

Omnis futuritio adhuc conditionata dependet à decreto Dei ab æterno exiſtenti. ibid.

Ad exiſtentiam decreti abſoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti in Deo ſufficit mutatio conditionata ex parte obiecti. ibid. n. 46. pag. 494.

Obiectum decreti abſoluti ex parte actus, & purè conditionati ex parte obiecti, non eſt purè poſsibile. ibid. num. 48. pag. 496.

Huiuſmodi decreta abſoluta ex parte actus, & purè conditionata ex parte obiecti non ſunt abſurda, & inutilia. ibid. diſp. 3. numer. 49.

Deus decreto ex ſe, & ab intrinſeco efficaci prædiffinit omnes actus liberos bonos voluntatis creatæ. ibi. numer. 51. pagin. 497.

Si decretum Dei non eſſet ex ſe, & ab intrinſeco efficax, in actione creata daretur aliqua formalitas non dependens à Deo: & quænam ſit? ibid. n. 58. pag. 500.

Decreta Dei ab intrinſeco efficax non lædunt libertatem creatam. ibid. n. 67. pag. 502.

Decreta Dei conditionata etiam ſunt ex natu-

ra ſua, & ab intrinſeco efficacia. ibid. num. 96. pag. 513.
Decretum prędeterminativum ad materiale peccati, & decretum permiſsivum formalis illius tantum logicè connectuntur infallibiliter cum formali ibid. n. 236. pag. 527.

Definitio.

Plures definitiones inadæquatè non arguunt diſtinctionem realem formalitatum, quæ definiuntur; neque diſtinctionem formalem ex natura rei pro priori ad intellectum. tract. 1. diſp. 3. n. 11. pag. 70.

Demonſtratio.

Demonſtratio *quia* eſt verè, & abſolutè demonſtratio, licèt comparative ad demonſtrationem *propter quid*, poſsit dici quodammodò demonſtratio ſecundumquid, tract. 1. diſp. 1. num. 28. pag. 10.

Denominatio.

Denominationes *ſcientis*, & *volentis* cur non poſsint Deo advenire in tempore abſque præiudicio mutationis, ſicut denominationes Creatoris, & Domini? tract. 3. diſp 3. num. 65. & 66. pag. 373.
Denominatio intrinſeca poteſt advenire abſque vlla diſtinctione ex parte formę, ſed pręciſe ex parte connotati. tract. 4. diſp. 2. num. 79. pag. 473.
Diſcrimen inter denominationes creantis, & liberè volentis, & aliarum ſimilium. ibid. num. 89. pag. 477.

Deſiderium.

Viſis effectibus, dantur in homine deſideria naturalia cognoſcendi perfectè cauſam. tract. 2. diſp. 1. num. 3. pag. 118.
In Deo non datur affectus deſiderij in ordine ad bona propria. tract. 4. diſp. 1. num. 60. pag. 442.
Nec in ordine ad bona extrinſeca, & cur? ibid. num. 67. pag. 445.

Determinatio.

Determinatio primi agentis liberi non tollit libertatem determinationis agentis ſecundi, & quare? tract. 3. diſp. 3. num. 26. pag. 357.
Determinatio futuri in ſuis cauſis ſecundis creatis non eſt ſufficiens medium ad hoc, vt certò, & infallibiliter cognoſcatur; ſecus autem determinatio eius in cauſa prima, & quare? ibi. n. 48. & 49. pag. 367. & 368.

Deus.

Deus eſt objectum primarium, & principale noſtrę Theologiæ, ſaltem inadæquatum. tract. 1. diſp. 1. n. 62. pag. 30.
Deum exiſtere eſt per ſe notum ſecundùm ſe. ibid. diſp. 2 num. 2. pag. 40.
Deum exiſtere eſt per ſe notum beatis. ibid. num. 3.
Deum exiſtere non eſt per ſe notum quoad nos. ibid. num 4. pag. 41.
Probabile eſt, in Deo eſſe idem formaliſsimè lumen principiorum, & ſcientiam abſque diſtinctione virtuali: etiam eſt probabile, quòd diſtinguuntur virtualiter. ibid. numer. 7. pag. 43.
Deum colendum eſſe, eſt per ſe notum nobis, in ſuppoſitione quòd Deus exiſtat. ibid. num. 15. pag. 45.
Deum eſſe, non poteſt à nobis demonſtrari à priori, benè autem à poſteriori. ibid. num. 16. pag. 46.
In Deo exiſtentia intelligibilis, & entitativa ſunt virtualiter idem. ibid. num. 42. & 43. pag. 59.
Si diſtinguerentur virtualiter, non eſſet Deus vnum ens per ſe formaliſsimè. ibid.
Deus non exiſtit adhuc in eſſe intelligibili per intellectionem ſcientificam, ſed per primordialem. ibid. num. 44.
In Deo conceptus radicis cum præciſione ſumptus eſt perfectior in ratione ſpecificativi gratiæ, quàm conceptus intellectionis in ratione ſpecificativi viſionis; ſecùs verò in eſſe entis. ibid. num. 52. pag. 65.
Ut in Deo detur diſtinctio virtualis inter aliquas formalitates non eſt ſufficiens, quòd æquivaleant rebus creatis realiter diſtinctis. ibid. num. 53. pag. 66.
Deus non componitur ex partibus integralibus, quia non eſt corpus. tract. 1. diſp. 3. num. 1. pag. 67.
Nec componitur ex materia, & forma. ibid.
Nec admittit compoſitionem ex ſuppoſito, & natura. ibid.
Nec ex eſſentia, & exiſtentia. ibid.
Excludit etiam compoſitionem ex genere, & differentia. ibid. & n. 380. pag. 80.
Et etiam ex ſubiecto, & accidenti. ibid.
Eſt omninò ſimplex, nec venire poteſt in compoſitionem aliorum. ibid.
Deus inter ſua prædicata abſoluta non admittit diſtinctionem rei à re, benè tamen inter prædicata relativa. tract. 1. diſp. 3. num. 2. pag. 68.
Inter nulla prædicata Dei datur diſtinctio realis, quam appellat Scotus formalem ex natura rei. Probatur ex Concilij, & SS. Patribus. ibid. n. 3. & 4. pag. 69.
Veritas, & bonitas non diſtinguuntur virtualiter in Deo in ſe conſideratæ: diſtinguuntur verò ſic in ratione objecti. ibid. numer. 25. pag. 77.
In Deo Paternitas non includitur eſſentialiter per tranſcendentiam in natura divina: eſt tamen illi eſſentialis ad inſtar modi inadæquati ibid. n. 42. pag. 81.
Deus eſt in omnibus rebus intimè, & immediate immediatione ſuppoſiti. tract. 1. diſp. 4. n. 1. pag. 84.

Ratio, qua hoc probat D. Thomas; est effi. cax, & demonstrativa. ibid.
Deus nequit communicare creaturæ virtutem ad prpducendum ens sub vniversalissima ratione entis. ibid. n. 4. pag. 86.
Deus, etiam dùm operatur medio instrumento, debet immediatè producere *esse* effectus. ibid.
Deus debet coniungi cum effectu, & passo coniunctione suppositi, & non præcisè coniunctione virtutis. ibid. n. 7.
Solus Deus est causa principalis existentiæ. ibid. num. 8. pag. 87.
Deus est vbique. ibi. n. 9.
Deus non est in loco, nec in rebus per suam substantiam; vt distinctam ab attributis, tanquàm per rationem formalem. ibid. numer. 10.
In Deo ratio formalis existendi in loco, & in rebus est operatio virtualiter transiens. ibid. n. 11. pag. 88.
In Deo ratio formalis essendi in loco est contactus virtutis. ibid. n. 12.
In Deo immensitas non distinguitur virtualiter ab omnipotentia. ibid. numer. 16. pagin. 89.
In Deo non datur *vbi* pertinens ad ordinem essendi. ibi. n. 20. pag. 90.
Deus non existit actu in spatijs imaginarijs, seu extra Mundum. ibid. n. 24. pag. 93.
Deus non habet *vbi* intrinsecum, ratione cuius in se ipso existat. ibid. num. 27. pagin. 95.
Deus non potest existere in vacuo. ibid. num. 29. pag. 96.
Deus est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam. ibid. numer. 32. pagin. 97.
Obiectiones contra hoc solvuntur. ibid. numer. 35.
Modus, quo Deus est in rebus per essentiam, non coincidit cum modo essendi per potentiam. ibid.
Modus, quo Deus est in rebus per potentiam, non est præcisè moralis, & metaphoricus, sed etiam physicus. ibid.
Deus non est per potentiam in spatijs imaginarijs, nec in creaturis possibilibus, sed tantùm in existentibus. ibid. numer. 36. pagin. 98.
Deus non est per præsentiam in creaturis possibilibus, præteritis, & futuris, nec in sua essentia divina. ibid. n. 37.
Quare Deus sit in rebus per potentiam, & non per alia attributa distincta ab omnipotentia? ibid. num. 38.
Deus non est specialiter in anima iusti per solam assistentiam extrinsecam. ibid. num. 39. pag. 99.
Immo non potest Deus esse in vlla creatura per aliquem modum specialem adhuc *secundum quid*, nisi medio aliquo dono intrinseco. ibid.
Quod donum debet esse supernaturale. ibid.
Deum esse in anima iusti per specialem modum, non sic intelligendum est, quòd præcisè dona creata animæ donentur, sed etiam, quòd Deus vnus, & trinus sit in anima realiter, & substantialiter. ib. n. 40.
Deum esse substantialiter in anima iusti per specialem modum ratione gratiæ habitualis, consistit in eo, quòd est in illa tanquam cognitus in cognoscente, & amatus in amante. ib. num. 41.
Deus non est in Angelo speciali modo secundùm suam substantiam, vt obiectum amatum ab illo amore naturali. ib. num. 45. pagin. 102.
Deus comparatur ad actum fidei formatę per modum obiecti intrinsecè cogniti, & substantialiter simpliciter vniti; secus verò ad actum fidei informis. ib. n. 46.
Deus ratione novi augmenti gratiæ assistit novo, & speciali modo animæ iusti. ibid. num. 54. pag. 104.
Deus est speciali modo, & novo in anima beati per gratiam consummatam. ibid. n. 55.
Deus est omnino immutabilis. ibid. disp. 5. n. 1. pag. 104.
Omne, quòd non est Deus, est mutabile. ibid. num. 2.
Deus est mensura etherogenea creaturarum. ib. num. 12. pag. 108.
Deus vt clarè visibilis secundùm suam essentiam continetur sub obiecti adęquato specificativo intellectus creati. tract. 2. disp. 1. num. 4. pag. 118.
Licèt Deus sit in se infinitus, potest attingi modo finito ab intellectu creato. ibi. num. 6. pagin. 119.
Quomodò Deus, cum sit obiectum infinitum, possit specificare visionem sui quidditativam, quæ est cognitio simpliciter finita. ibi. num. 11. & 12. pag. 120.
Deus non continetur intra obiectum quasi specificativum intellectus humani secundùm suam vltimam differentiam, prout est determinatè potentia naturalis. ibid. num. 19. pagin. 124.
Deus, prout est in se visibilis, continetur sub obiecto extensivo intellectus humani sumpti secundùm suam vltimam differentiam. ibid.
Deus prout est in se continetur sub obiecto specificativo intellectus humani accepti secundùm suam vltimam differentiam. ib. num. 20. pag. 125.
Deus, prout est comprehensibilis ab intellectu divino, continetur sub ente, ac proinde sub ratione obiecti specificativi intellectus creati. ibid. n. 36. pag. 131.

Deus, & creatura, licèt ſolùm conveniant analogicè in ratione communi entis, conveniunt tamen ſpecificè in ratione obiecti ſpecificativi intellectus humani. ibi. numer. 37. pagin. 132.

Deus non poteſt ſupplere concurſum principij vitalis ad actionem vitalem, per quam principium vivit, licèt ſupplere poſsit concurſum illius ad effectus vitales, per quos non vivit. ibi. num. 73. pag. 148.

Deus, & omnia prædicata ipſius ſunt ſupernaturalia. tract. 2. diſp. 1. num. 79. pag. 150.

Deus nequit quidditativè repræſentari per ſpeciem finitæ, & limitatæ perfectionis. ibid. diſp. 2. n. 78. pag. 135.

Impoſsibile eſt, quòd Deus vniatur cum intellectu creato in ratione luminis gloriæ. ibid. diſp. 3. n. 15. pag. 205.

Impoſsibile eſt, quòd Deus vniatur voluntati creatæ per modum charitatis. ibid. num. 20. pag. 207.

Cur Deus poſsit vniri naturæ humanæ per modum ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ, & non intellectui creato per modum luminis gloriæ? ibi. num. 24. vſque ad 31. pag. 208.

Quod Deus eſt incomprehenſibilis ab intellectu creato, adhuc divinitus, eſt immediatè de fide. tract. 2. diſp. 4. num. 9. pag. 246.

Adhuc permiſſo, quòd eſſentia divina poſsit vniri intellectui creato in ratione intellectionis, non ſequitur, quòd Deus poſsit comprehendi ab intellectu creato per præfatam intellectionem divinam. ibid. n. 10.

In Deo datur formaliter, & propriè cognitio intellectiva. tract. 3. diſp. 1. à num. 1. pag. 274.

In Deo datur ſcientia ſtrictè dicta reſpectu creaturarum. ibid. n. 15. pag. 281.

In Deo datur ſcientia ſtrictè dicta reſpectu attributorum ſuorum. ibid. n. 19. pag. 283.

In Deo datur ſcientia ſtrictè dicta ſui à poſteriori per effectus creatos. ibid. num. 25. pagin. 285.

Qualiter hoc intelligatur? ibid. num. 26. pagin. 286.

In Deo radix ſciendi, & volendi diſtinguitur virtualiter à ſcire, & velle; & quare? ibid. n. 38. pag. 290.

Deum ſeipſum formaliter intelligere eſt de fide. ibid. num. 43. pag. 292.

Deus ſeipſum non ſolùm quidditativè, ſed comprehenſivè cognoſcit iuxta fidem. ibid. numer. 44.

Deus cognoſcit omnia alia à ſe ſecundùm proprias eorum naturas diſtinctè, & comprehenſivè, iuxta fidem catholicam. ibid. num. 45 pagin. 293.

Deus cognoſcit omnia poſsibilia ſub omni modo, quo cognoſcibilia ſunt; immò cognoſcit omnia mala. ibid. n. 46.

Deus eſt obiectum primarium ſaltem inadæquatum, & principalitatis intellectionis divinæ. ibid. n. 47.

Deus vt vnus eſt obiectum ſupernaturale. ibid. num. 61. pag. 299.

Deus cognoſcit creaturas poſsibiles in ſua eſſentia, tanquam in cauſa prius cognita. ibid. n. 71. pag. 302.

Deus non cognoſcit immediatè creaturas in ſeipſis, ſed vnicè in ſua eſſentia tanquam in cauſa. ib. n. 79. pag. 305.

Si Deus cognoſceret creaturas immediatè in ſe ipſis, illæ pertinerent ad ſpecificativum intellectus divini. ibid.

Si Deus cognoſceret creaturas poſsibiles immediatè in ſeipſis, cognitio divina inniteretur veritati creatæ quieſcendo in illa, quod eſt abſurdum, & implicatorium. ibi. num. 48. pagin. 294.

Si Deus cognoſceret creaturas immediatè in ſeipſis, ſequeretur, quòd beatitudo Dei æquè primò conſiſteret in cognitione creaturarum, ac in cognitione divinæ eſſentiæ. ibid. n. 85. pag. 307.

Deus cognoſcit omnia poſsibilia in ſua ſcientia, ex ſuppoſitione quòd ſcientia in Deo non diſtinguatur virtualiter ab omnipotentia. Si verò ſcientia concipiatur vt diſtincta ab omnipotentia, non cognoſcit Deus poſsibilia in ſua ſcientia. ibid. n. 89. pag. 310.

Qualiter Deus cognoſcat peccata, & entia rationis chimærica, quorum non eſt cauſa? ibi. n. 90. pag. 311.

Deus nullam poteſt habere cognitionem ſecundariam per ſe primò terminatam ad creaturas: & quare? ibid. numer. 94. pagin. 313.

Deus producit creaturas per intellectum, & voluntatem iuxta ſacram ſcripturam. ibid. diſp. 2. num. 1. pag. 313.

Deus per eandem cognitionem poteſt cognoſcere, & de facto cognoſcit, ſuam eſſentiam, creaturas poſsibiles, & futura. ibid. num. 15. pag. 317.

Deus nequit cognoſcere futura, vt futura. ibid. à numer. 19. vſque ad 24. pagin. 319.

Deus non ſcit, ſeu videt res futuras, quia futuræ ſunt, ſed contrà, ideò res ſunt futuræ, quia ſciuntur, & videntur à Deo. ibid. n. 46. & 54. pag. 330. & 332.

Deus certò, & infallibiliter cognoſcit ab æterno futura, antequam ſint in propria duratione, ratione præſentiæ phyſicæ, quam habent in æternitate. tract. 3. diſp. 3. num. 54. pag. 370.

Si Deus, & eius operationes non menſurarentur æternitate, ſed alia menſura inferiori, non poſſet cognoſcere certò, & infallibiliter futura. ibid. n. 56.

Si Deus in tempore terminaretur novo modo ad creaturam, quo non terminabatur ab æterno per ſcientiam, & voluntatem, argueretur mutatio intrinſeca in Deo. ibid. num. 64. pag. 373.

In Deo nullum attributum habet ex parte rei conceptæ rationem actus primi. tract. 4. diſp. 1. n. 1. pag. 419.

Non quælibet æquivalentia ad res creatas realiter diſtinctas ſufficit ad ſtabiliendam in Deo diſtinctionem virtualem ex parte rei conceptæ, & quę requiratur? ibid. num. 25. pag. 428.

Non ſalvatur in Deo vita per modum actus primi, ſed per modum actus ſecundi. ibid. numer. 26.

In Deo dantur virtutes à potentijs virtualiter diſtinctæ. ibid. n. 27. pag. 429.

Vn in eo exiſtant, ſufficit difficultas formalis obiectiva vincenda, quamvis ſit impoſsibilis difficultas obiectiva. ibid. n. 29.

In Deo non datur amor purè affectivus erga creaturas. ibid. n. 36. pag. 432.

In Deo datur amor ſtrictè talis, & gaudium circa ſeipſum. n. 51. pag. 439.

Qui affectus relegantur à Deo, & admittuntur? ibid. & num. 67. & deinceps. pagin. 445.

In Deo non eſt propriè odium. ibid. num. 71. pag. 446.

Nec propriè ira. ibid. num. 75. pag. 447.

Deus diligit ſe neceſſariò tàm quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium. ibid. diſp. 2. n. 2. pag. 448.

Deus diligit creaturas exiſtentes, & futuras. ibi. n. 12. pag. 450.

Cum omnimoda libertate. ibid. num. 13. pagin. 451.

Deus non amat creaturas poſsibiles. ibid. n. 24. pag. 454.

In ſuppoſitione, quòd Deus amet creaturas poſsibiles, eas amaret neceſſariò omninò. ib. num. 29. pag. 456.

In quo conſiſtat actus liber Dei, & in quo non conſiſtat? Vide *Actus*, & *libertas*.

Quomodo in Deo diſtinguantur volitio, & nolitio? ibid. n. 80. pag. 473.

In Deo nequit dari novum decretum in tempore. ibid. diſp. 2. n. 86. pag. 476.

Cur Deus mutaretur, ſi inciperet velle aliquid in tempore, ſecus verò ſi ab æterno non vellet, quod defactò voluit? ibid. num. 91. pagin. 477.

Quo pacto Deus modo invariabili odio habeat peccatorem, & illum diligat, dum eſt in gratia? ibid.

Deus eſt cauſa creaturarum per voluntatem, & quare? ibid. diſp. 3. n. 1. pag. 478.

In Deo datur voluntas ſigni, & beneplaciti: & in quo conſiſtat? ib. n. 2. & 3.

Voluntas beneplaciti in Deo dividitur in voluntatem antecedentem, & conſequentem, & in quo conſiſtant? ibid. num. 3. & 4. pagin. 479.

Voluntas antecedens, qua Deus vult, omnes homines ſalvos fieri, non eſt adæquatè ineffi-cax. ibid. num. 10. pag. 481.

Huiuſmodi voluntas eſt verè, & formaliter in Deo. ibid. num. 11.

Non omnis voluntas in Deo formaliter exiſtens impletur. ibid.

Deus omnibus adultis non ſolùm offert, ſed etiam confert aliqua auxilia intrinſeca ſufficientia ad ſalutem. ibid. n. 22. pag. 484.

Non rectè cohæret cum ſuavi providentia Dei quòd de facto elevet naturam rationalem ad finem ſupernaturalem, & quòd non conferat medium ſufficiens iuxta capacitatem illius, vt vitam æternam conſequi valeat. ibid. num. 25. pag. 485.

Quo pacto ſe gerat Deus cum parvulis circa media ſufficientia ad ſalutem? ibid. numer. 33. pag. 489.

In Deo dantur plures actus liberi abſque aliqua mutatione tam ex parte ſui, quàm ex parte creaturarum. ibid. numer. 41. pagin. 492.

Deus prædiffinit decreto ex ſe, & ab intrinſeco efficaci actus liberos bonos voluntatis creatæ. ibid. n. 51. pag. 495.

Si decretum Dei in ordine ad actionem creatam non eſſet ex ſe, & ab intrinſeco efficax, daretur in ea aliqua formalitas independens ab ipſo tanquam à cauſa. ibid. num. 58. pagin. 500.

In quo diſtinguantur concurſus ſimultaneus Dei, & concurſus prævius? ibid. num. 59. & deinceps.

Explicatur quo pacto concurſus ſimultaneus Dei ſit vniverſaliſsimus, eſtò non concurrat ad actionem creaturæ prout à creatura. ibid. n. 66. pag. 502.

Quomodò verificetur, quòd Deus eſt cauſa immediata actionis creaturæ, prout à creatura, medio concurſu prævio, non obſtante, quòd concurrit media qualitate creata, & non concurrit ad hanc formalitatem per concurſum ſimultaneum? ibid.

Decreta Dei ab intrinſeco efficacia non lædunt libertatem creatam. ibid. n. 67.

Ex capite prædiffinitionis nequit Deus neceſsitare voluntatem creatam. numer. 88. pagin. 507.

Decreta Dei conditionata etiam ſant ex natura ſua, & ab intrinſeco efficacia. ibid. num. 96. pag. 513.

Deus non prædiffinit formale peccati. ibid. num. 100. pag. 514.

Nec vllo modo concurrit ad formale illius. ibid. num. 102.

Si Deus concurreret positivè ad formale peccati, ageret per actionem turpem, & inhonestam. ibid. numer. 105. pag. 515.
Deus prædiffinit decreto intrinseco, & efficaci odium Dei, quoad omnes rationes, quæ non exprimunt deformitatem moralem. ibi. num. 109. pag. 516.
Cur Deus potest præmovere præmotione physica ad materiale odij Dei; secus verò motione morali? ibid. numer. 124. pagin. 521.
In Deo datur imperium monasticum supponens electionem mediorum. tract. 5. disp. 1. num. 28. pag. 537.
In Deo datur voluntas efficax, & absoluta eligens prædestinatos ad gloriam. ibid. disp. 2. num. 2. pag. 554.
Quomodò stet, quòd Deus velit permissionem peccati propter bonum pœnitentię supponentis necessariò peccatum, & non velit ipsum peccatum? ibid. num. 16. disp. 3.
In Deo datur vera reprobatio. ibid. numer. 68. pag. 584.
In Deo non est formalissime eadem voluntas actualis puniendi, & voluntas ostendendi voluntatem actualem puniendi, & quare? ibi. num. 86.

Discretio.

Ad discretionem boni à malo futuram conditionatè, requiritur ex parte Dei principium actu existens præparans huiusmodi discretionem. tract. 3. disp. 5. num. 10. pag. 400.

Discursus.

Discursus realis, & etiam virtualis obiectivus repugnat Deo. tract. 3. disp. 1. numer. 17. pag. 282.
Potest concedi in Deo discursus obiectivus realis circa creaturas, & virtualis obiectivus circa attributa. ibid.

Dispositio.

Dispositio qualiter differat ab habitu? tract. 1. disp. 1. num. 28. pag. 10.
Vltima dispositio ad aliquam formam, sivè naturalem, sivè intelligibilem non potest esse connaturalis subiecto, cui forma non est connaturalis. tract. 2. disp. 1. num. 83. pag. 152.
Variæ acceptiones dispositionis. ibid. disp. 3. num. 3. & 6. pag. 200. & 201.
Dispositio propria ad receptionem alicuius formæ est etiam dispositio ad effectum formalem illius. ibid. numer. 9. pagin. 202.
Dispositio non requiritur ad quamcumque formam, sed ad eam, quæ in aliquo ordine est vltima. ibid. numer. 11. pagin. 203.
Dispositio distinguitur essentialiter ab habitu. ibid. disput. 3. numer. 32. pagin. 211.

Distinctio.

Divisio distinctionis rationis in eam, quæ est rationis ratiocinantis, & illam, quæ est rationis ratiocinatæ, defenditur contra Illustrissimum Palanco eam impugnantem. tract. 1. disp. 1. n. 51. pag. 23.
Vt detur distinctio virtualis inter prædicata divina, non sufficit eorum æquivalentia ad res creatas realiter diversas. ibid. num. 53. pag. 24.
Distinctio rei à re non datur inter prædicata divina absoluta, datur verò inter personas. tract. 1. disput. 3. numer. 2. pag. 68.
Distinctio realis formalis ex natura rei, quam supponit Scotus, inter nulla prædicata divina invenitur. ibid. n. 3.
Et probatur ex Concilijs, & SS. Patribus. ibid. & n. 4. pag. 69.
Id ipsum probatur ratione. ib. n. 5.
Distinctio fundamentalis, & formalis rationis ratiocinatæ datur inter essentiam divinam, attributa, & relationes. ibid. numer. 15. pag. 72.
Immò inter prædictas formalitates divinas datur distinctio virtualis actualis intrinseca ante omnem operationem intellectus. ib. n. 16. pag. 73.
Distinctio fundamentalis solùm datur inter prædicata divina pertinentia ad diversas lineas adæquatas; non verò inter prædicata eiusdem lineę. ib. n. 17.
Omnis distinctio virtualis est re ipsa fundamentalis, & econtrà; non tamen sunt formalissimè eadem distinctio, cùm ex diverso capite oriantur. ibid. num. 20. pag. 74.
Ad distinctionem virtualem inter prædicata divina non semper requiritur, quòd æquivaleant prædicatis creatis realiter diversis. ibid. n. 26. pag. 77.
Qualiter distinctio virtualis Thomistica, licèt sit realis, & actualis, differat à distinctione Scotica formali ex natura rei. ibid. numer. 27.
Distinctio virtualis inter prædicata divina minimè opponitur simplicitati Dei, nec infinitati. ib. n. 29. pag. 78.
Distinctio virtualis actualis inter essentiam divinam, & attributa salvatur adhuc respectu intellectus divini. tract. 3. disp. 1. n. 20. & 22. pag. 284.
Distinctio virtualis attributorum inter se, & à natura divina vnde sumatur? ibid. num. 42. pag. 292.
Distinctio celebris sensus compositi, & divisi etiam admittitur à protectoribus scientiæ

mediæ recentioribus, qui ei vtuntur. tract. 3. disp. 6. n. 40. pag. 409.

Distinctio inter actum essentialem, & notionalem consistit in eo, quòd primus dicit tantum ordinem ad obiectum, & posterior ad terminum realiter productum. tract. 4. disp. 1. num. 11. pag. 422.

Donum.

Nullum donum præter gratiam habitualem est ratio formalis ad hoc; quòd Deus sit simpliciter per specialem modum in anima per modum obiecti cogniti, & & amati. tract. 1. disp. 4. numer. 48. pagin. 103.

Nullum donum præter gratiam vnit simpliciter animæ Deum, vt vltimum finem fruendum. ibid. numer. 53. pagin. 104.

Cætera dona supernaturalia, præter gratiam sanctificantem, v. g. fides, auxilium, illuminatio &c. possunt esse ratio, quare Deus sit in anima speciali modo *secundùm quid*. ibid. n. 56. pag. 105.

Inter septem dona Spiritus-sancti datur donum imperij: & sub quo comprehendatur? tract. 5. disp. 1. numer. 53. pagin. 544.

Omnia dona tàm naturalia, quàm supernaturalia reprobis collata sunt effectus reprobationis. ibid. disp. 3. numer. 106. pag. 597.

Dona illa, quæ sunt effectus eliciti prædestinationis, non sunt effectus reprobationis. num. 17. ibid.

Dona verò illa naturalia, & supernaturalia electorum, quæ non sunt effectus eliciti prædestinationis, possunt esse effectus reprobationis. ibid.

E

Ecclesia.

In Ecclesia est necessaria necessitate medij Theologia sacra. tract. 1. disp. 1. num. 8. pag. 3.

Effectus.

Ordo effectuum est iuxta ordinem causarum: & qualiter? tract. 2. disp. 3. numer. 88. pag. 231.

Ex effectibus contentis in aliqua causa aliqui sunt latentiores, aliqui minus latentes. ibid. disp. 4. numer. 51. & 52. pagin. 263. & 264.

Effectus contingens potest cognosci certò in causa libera non impedita. tract. 3. disp. 3. n. 24. pag. 356.

Ad effectum prædestinationis tres conditiones requiruntur: & quæ sint? tract. 5. disp. 3. n. 2. pag. 568.

Permissiones omnium peccatorum in electis sunt effectus suæ prædestinationis. ibid. n. 21. pag. 573.

Permissiones peccatorum in reprobis sunt effectus prædestinationis electorum. ibid. numer. 22.

Substantia prædestinati quoad primum sui *esse* est effectus prædestinationis. ibid. num. 35. pag. 576.

Non omnis effectus imperatus accipit aliquam realitatem intrinsecam à causa imperante. ibid. numer. 53. & sequent. pagin. 581.

Alij sunt effectus reprobationis negativæ, & alij reprobationis positivæ. ibid. num. 101. pag. 595.

Effectus reprobationis, sive positivæ, sivè negativę, non est peccatum ipsum. ibid.

Effectus reprobationis positivæ sunt permissiones omnium peccatorum, quæ sunt pœna alterius peccati præcedentis. ibid.

Effectus reprobationis positivæ est pœna æterna tàm damni, quàm sensus. ibid.

Effectus reprobationis negativę est carentia visionis beatę, vt est indebitum beneficium. ibid.

Effectus reprobationis est substantia reprobi. ibid. num. 104. pag. 596.

Sunt etiam omnia dona tàm naturalia, quàm supernaturalia reprobis collata. ibid. num. 106. pag. 597.

Non sunt effectus reprobationis dona illa, quę sunt effectus eliciti prędestinationis. ibid. num. 107.

Possunt esse effectus reprobationis dona naturalia, & supernaturalia electorum, quæ non sunt effectus eliciti prædestinationis. ibid.

Est effectus reprobationis totum hoc vniversum. ibi. num. 108.

Vide *Prædestinatio*, & *Reprobatio*.

Electio.

Electio, quæ est actus voluntatis, non ordinat activè. tract. 5. disp. 1. num. 17. pagin. 534.

Electio in nobis non connectitur infallibiliter cum executione, & vsu aliarum potentiarum. ibid. num. 33. pag. 539.

Electio efficax prædestinatorum ad gloriam est omninò gratuita, & ante præviſa eorum merita. ibid. disp. 2. numer. 10. pagin. 555.

Electio mediorum dependet tanquam á causa ab intentione finis. ibid. num. 23. & seq. pag. 558.

Cur nequit coalescere in recto ex actu intellectus, & voluntatis? tract. 5. disp. 1. num. 9. pag. 531.

Executio mediorum addit difficultatem supra ele-

electionem.tract.5.disp.1.n.31. pag. 538.
Electio quomodò sit prior, & posterior in ordine directo, & reflexo, quàm imperium. ibid. num.54. pagin.544,
Est consensus sui in ordine reflexo.ibid.
Electio efficax mediorum necessariò præsupponit voluntatem efficacem finis. ibid. disput. 2. numer. 23. & consequent.pag. 558.
Quamvis intentio sit respectu finis ab alio exequendi, necessariò præsupponitur ad electionem.ibid.n.26.
Etiam si electio terminaretur ad merita, & intentio ad finem per modum coronæ,hæc necessariò præsupponitur ad illam.ibid.num.29. & 37.pag. 559.& 562.

Ens.

Licèt ens in *esse* entis sit analogum respectu suorum inferiorum, nihilominus in *esse* obiecti intellectus creati, est quid simpliciter vnum. tract. 2. disp. 1. num. 37. pag. 132.
Ens supernaturale est supra omnem naturam creatam absolutè possibilem, quæcumque illa sit. ibid. numer. 76. pagin. 149.
An detur distinctio virtualis inter ens, & eius proprietates, nempe verum, bonum &c. est satis ambiguum. tract. 1. disp. 2. num.31. pag.52.
Ens mobile in ratione obiecti Philosophiæ non distinguitur virtualiter à seipso sumpto secundùm se. ibid. numer. 37. pagin. 56.
Ens, vt sic, prout tantùm implicitè dicit sua inferiora, nec primariò, nec secundariò attingitur ab intellectu divino: & quare? tract. 3. disp. 1. num. 67.pag.301.

Ens divinum.

Ens divinum, vt ambiens essentiam, & attributa, est quid perfectius in *esse* rei, quàm sola essentia divina, secus autem in esse obiecti. tract. 3. disp. 1. num. 58. pag. 297.

Esse.

Qualiter *esse* sit, & dicatur proprius effectus Dei? tract. 1. disp. 4. num. 6. pagin. 89.
Esse vnum in alio per essentiam, præsentiam, & potentiam, quid sit? ibid. num. 31. pag.96.

Essentia.

Essentia divina non distinguitur virtualiter à ratione speciei, & verbi. tract. 1. disp. 2. n. 36. pag. 55.
Essentia divina est actus purus tàm in linea intellectiva activa, quàm in linea intelligibili passiva.ibid.
Si essentia divina non transcenderet per attributa, & relationes, non haberet perfectissimum infinitatis modum; immò nec esset actus purus. ibid. disp. 3. num. 37. pag. 79.
Essentia divina vnitur intellectui beati per modum speciei in ordine ad visionem claram Dei. tract. 2. disp. 2. num. 2. pagin. 157.
Essentia divina concurrit activè ad visionem beatam per modum speciei. ibid. num.48. pag. 175.
Essentia divina vnita intellectui beati per modum speciei specificat visionem beatam. ibid num. 49.
Ex eo, quòd essentia divina concurrat activè per modum speciei in visionem beatam nulla arguitur imperfectio. ibid. n. 55. pag. 178.
Essentia divina concurrens per modum speciei ad visionem beatam non est inconveniens, quòd determinetur ab intellectu creato per modum comprincipij, & quòd simul cum illo eliciat visionem creatam per modum operationis: & qualiter hoc intelligi debeat? ibid. num. 57. & disp. 3.n.23. pag.179.& 208.
Essentia divina de facto vnitur menti beatorum per modum verbi. tract. 2. disp.2.n. 90.pag. 191.
Essentia divina est ita immaterialis, vt per se ipsam sit actu intelligibilis, & actu intellecta.ibid.
Essentia divina est actus purus in linea intelligibili passiva, ac proinde suum *esse* actu intellectum. ibid. num. 98. pag. 193.
Unde implicat, quòd fiat actu intellecta per verbum creatum. ibid.
Essentia divina vnita per modum speciei est verè forma intelligibilis respectu intellectus creati. tract. 2. disp. 3. numer. 4. pagin.200.
Cur essentia divina non possit vniri per modum speciei intellectui creato absque dispositione ex parte intellectus, cum tamen personalitas divina de facto vniatur humanitati sine dispositione ex parte humanitatis? ibidem. numer. 10. pagin. 202.
Si essentia divina posset vniri intellectui creato per modum luminis gloriæ, etiam vniri posset per modum gratiæ habitualis: immò per modum intellectus, & animæ. ibid. n. 16. pag. 206.
Si essentia divina vniretur intellectui creato per modum luminis gloriæ, subordinaretur animæ, & intellectui. ibid. numer. 18.
Si essentia divina vniretur intellectui creato per mo-

modum luminis gloriæ, reciperet in se visionem beatam. ibid. n. 19.

Cur essentia divina possit vniri intellectui creato per modum speciei, & non per modum luminis gloriæ? ibid. numer. 23. pag. 208.

Implicat contradictionem, quòd essentia divina videatur prout est in se sine attributis, & personis, aut personæ sine essentia. tract. 2. disp. 4. n. 18. pag. 250.

Essentia divina adhuc permisso, quòd distinguatur ex natura rei à relationibus, & attributis, non potest quidditativè videri sine illis. ib. n. 19 pag. 251.

Essentia divina diverso modo connectitur cum attributis, & relationibus, ac omnipotentia cum possibilibus: & ratio huius diversitatis. ibid. num. 20.

Essentiam divinam videri quidditativè, & prout est in se, & videri inadæquatè, est manifesta implicatio. ib num. 22.

Si essentia divina videretur clarè sine attributis, & relationibus, argueretur realis entitativa distinctio inter essentiam, & prædictas perfectiones. ibid.

Si essentia divina existeret sine personis, esset diversa ab essentia divina nunc existente. ibid. n. 27. pag. 254.

Essentia divina vt communicabilis per generationem, & spirationem explicat rationem summi boni, quam non explicat considerata præcisè secundùm se. ibid.

Essentia divina, attributa, & relationes conveniunt de facto in eadem ratione communi visibilitatis ab intellectu creato. ibid.

Qualiter essentia divina per modum speciei possit repræsentare decreta libera Dei, tàm ipsi, quam beatis. ibid. numer. 38. pagin. 257.

Essentia divina repræsentat creaturas per modum causæ. ibid. num. 44. pag. 260.

Unio essentiæ divinæ per modum speciei cum tanta, vel tanta perfectione est ratio, cur hic beatus videat has creaturas possibiles præ alijs. ibid. numer. 51. pagin. 263.

Essentia divina sumpta secundùm diversas rationes formales, potest specificare cognitiones divinas virtualiter inter se distinctas, & quomodo? tract. 3. disp. 1. n. 33. & 34. pag. 289.

Essentia divina nullo modo potest repræsentare primariò creaturas, sivè per modum speciei impressæ, sivè expressæ. ibid. num. 49. pag. 294.

Sola essentia divina, vt virtualiter distincta ab attributis, & relationibus est obiectum primarium, tam motivum, quàm terminativum cuiuscumque intellectionis divinæ. ibid. numer. 51. pagin. 295.

Sola essentia divina vnitur cum proprio intellectu per modum speciei. ibid. num. 52. 59. & 60. pag. 298.

Essentia divina seipsam primariò repræsentat, attributa, & relationes secundariò. ibid. num. 52.

Essentia divina licèt sit obiectum connaturale respectu scientiæ divinæ, non tamen est obiectum illius connaturalissimum. ibid. numer. 64. pagin. 300.

Unde non est necesse, quòd scientia, & essentia Dei omninò conveniant in immaterialitate. ibid.

Essentia divina est quid perfectius in *esse* obiecti, quam ens, prout abstrahit ab increato & à creato; & quare? numer. 65. ibid.

Essentia divina connectitur cum creaturis possibilibus: ex quo nulla arguitur imperfectio. ibid. numer. 74. pagin. 303.

Vt essentia divina sit causa, in qua tanquam in medio prius cognito, cognoscantur creaturæ, non requiritur, nec conducit ad rem, quòd referatur ad illas. ibid. num. 75. pag. 304.

Essentia divina est medium, in quo cognoscuntur creaturæ tanquam in causa, non solum vt est causa efficiens, sed exemplaris, & finalis. ibid. num. 76.

Essentia divina in eodem signo, in quo cognoscitur, vt causa exemplaris creaturarum, cognoscitur etiam, vt causa efficiens earundem. ibid. num. 78. pagin. 305.

Si essentia divina non esset obiectum *quod* priùs cognitum ducens in cognitionem creaturarum, creaturæ essent obiectum formale, & primarium cognitionis divinæ. ibid. n. 81. pag. 306.

Si essentia divina repræsentat secundariò creaturas, non cognoscit illas immediate in seipsis. ibid. num. 83. pag. 307.

Impossible est, quòd essentia divina per modum speciei, aut verbi repræsentent primariò creaturas. ibid.

Essentiam divinam necessariò connecti cum possibilibus, nullam arguit dependentiam, aut imperfectionem in Deo. ibid. num. 88. pag. 310.

Cur ex distinctione virtuali inter essentiam, & attributa non inferatur distinctio realis, benè verò inter attributum, & actum secundum per se primò illis correspondentem? tract. 4. disp. 1 num. 16. pag. 424.

Essentia divina non est forma adæquatè constituens obiectum congruum divinæ dilectionis. ibid. num. 50. pag. 438.

Vide *Deus. Natura divina.*

Eubulia.

Eubulia, ſyneſis, & prudentia diſtinguuntur virtualiter adæquatè in Deo. tract. 5. diſp. 1. num. 73. pag. 549.

Evidentia.

Evidentia actualis primorum principiorum non eſt de eſſentia ſcientiæ rigoroſè talis. tract. 1. diſp. n. 18. pag. 7.

Executio.

Executio mediorum addit difficultatem ſupra electionem ipſorum. tract. 5. diſp. 1. num. 31. pag. 538.

Executio gloriæ fit ex meritis. ibid. diſp. 2. num. 46 pag. 564.

Eſt ex iuſtitia, etiam ſi intentio ſit ex miſericordia. ibid.

Exiſtentia.

Exiſtentia eſt magis intima rei productæ inquantùm talis, quàm forma ſubſtantialis. tract. 1. diſp. 4. n. 5 & 8. pag. 86. & 87.

Exiſtentia conſenſus v. g. poſtea habenda non poteſt eſſe ratio, quare conſenſus ſit determinatè futurus pro tempore eam antecedente. tract. 3. diſp. 3. numer. 32. pag. 360.

Exiſtentia eventus conditionatè futuri non poteſt eſſe medium objectivum, & determinativum intellectus divini ad ſui infallibilem cognitionem. ibid. diſp. 4. num. 27. pag. 386.

Exiſtentia divina.

Exiſtentia Dei eſt per ſe nota ſecundùm ſe. tract. 1. diſp. 2. n. 2. pag. 40.

Immò eſt per ſe nota beatis. ibid. n. 3.

Non eſt per ſe nota quoad nos. ibid. numer. 4. pag. 41.

Exiſtentia Dei in eſſe entis non eſt virtualiter diſtincta ab eius eſſentia, nec extrà conſtitutivum adæquatum naturæ divinæ. ibid. num. 30. pag. 51.

Conceptus exiſtentiæ, ſubſiſtentiæ, & eſſentiæ ſunt in Deo idem formaliſsimè abſque diſtinctione virtuali. ibid. num. 34. pag. 53.

Exiſtentia intelligibilis & entitativa non diſtinguuntur in Deo virtualiter. ibid. num. 42. pag. 59.

Exiſtentia divina non communicatur humanitati Chriſti, vt prædicatum commune, ſed vt appropriatum perſonalitati Verbi, & ratione ipſius perſonalitatis, quæ eſt ratio primaria terminandi. tract. 2. diſp. 4. num. 29. pag. 254.

F

Magiſt. Ferre.

M. Ferre docens, Deum prout eſt in ſe non contineri ſub objecto ſpecificativo intellectus humani, impugnatur. tract. 2 diſp. 1. à n. 21. & 24 pag. 125. & 126.

Idem docens, futura conditionata quarum conditio nunquam ponetur, cognoſci à Deo per ſcientiam viſionis, impugnatur. tract. 3. diſp. 2. n. 26. pag. 321.

Fides.

Habitus fidei de eodem objecto poteſt compati cum habitu ſcientifico theologico. tract. 1. diſp. 1. numer. 29. & 44. pagin. 9. & 19.

Qualiter fides ſit habitus principiorum reſpectu noſtræ theologiæ, & non ſcientia ſubalternans? ibid. n. 43 pag. 14.

Et in hoc differt à ſciencia beata. ibid.

Ratio *ſub qua* fidei, vt obſcura non eſt ratio *ſub qua* noſtræ theologiæ. ibid. numer. 43. pag. 18.

Aſſenſus fidei licèt in ſe obſcurus poteſt influere in aſſenſum theologicum, qui ſit exactivè clarus. ibid. num 49 pag. 21.

Fides non eſt principium proximum concluſionis theologicæ. ibid num 54. pag. 24.

Præmiſſæ de fide poſſunt inferre concluſionem naturalem. ibid.

Fides formata attingit Deum vt objectum intrinſece cognitum, & ſubſtantialiter animæ vnitum. ibid. diſp. 4. n. 45. pag. 103.

Fides informis attingit Deum vt objectum animæ vnitum *ſecundumquid*. ibid.

Actus fidei poteſt activè procedere ab ſpeciebus entitativè naturalibus elevatis tamen aliquo lumine ſupernaturali. tract. 2. diſp. 2. num. 59. pag. 179

Pro radicando habitum fidei non debet poni aliud donum ſupernaturale à gratia ſanctificante diſtinctum, ſivè in iuſtis, ſivè in peccatoribus. ibid. diſp. 3. à n. 96. vſque ad 100. pag. 236.

Habitus fidei ſufficienter elevat mediatè animam peccatoris ad hoc, vt per modum radicis influere poſsit in actum ſupernaturalem fidei. ibid. n. 100. pag. 238.

Fides non terminatur ad creaturas, vt continentur in objecto primario, ſcilicet Deo, tanquam in cauſa, ſicut lumen gloriæ. ibid. diſp. 4. num. 60 pag. 268.

Quo pacto fides eſt initium iuſtificationis? tract. 4. diſp. 3. num. 28. & 35. pag. 487. & 490.

Probabile eſt, quòd in primo inſtanti vſus rationis nullus datur infidelis negativè; ſed in hoc modo dicendi adhuc concedendi ſunt infide-

fideles negativè in maiori ætate. ibid. num. 35.
Probabile etiam est oppositum. numer. 36. ibid.
Quomodò cum hoc cohæreat, quòd teneatur ad conversionem ad Deum finem supernaturalem? ibid.

Finis.

Quæ sit causalitas bonitatis divinæ, vt habet rationem finis? tract. 1. disp. 2. num. 54. pag. 66.
De ratione finis est exercere verè, & propriè rationem causæ relatæ ad ea, quæ sunt ad finem. tract. 4. disp. 1. num. 34. pag. 432.
Volitio efficax mediorum debet præsupponere aliquam volitionem formalem finis in seipso. ibid. disp. 3. numer. 13. & deinceps. pag. 481.
Voluntas efficax, & absoluta mediorum efficacium ad aliquem finem supponit voluntatem efficacem, & absolutam ipsius finis. tract. 5. disp 2.num.23.pag.558.
Finis in operabilibus se habet respectu mediorum, sicut principia in speculabilibus respectu conclusionum. ibid.num.25.
Quamvis intentio sit respectu finis ab alio exequendi, necessariò præsupponitur ad electionem. ibid. num.26.
Etiam si electio terminetur ad merita, & intentio ad finem per modum coronæ, hæc necessariò præsupponitur ad illam. ibid.n.29.& 37. pag. 559.& 562.

Finis vltimus.

Desiderium, quod omnes habent ad suum vltimum finem, non terminatur ad illum sub ratione distincta, sed sub aliqua ratione communi. tract. 1. disp. 2. numer. 15. pag. 45.

Forma.

Forma naturalis ex suo conceptu formali involvit imperfectionem, non autem forma intelligibilis. tract. 2. disput. 2. numer. 12. pag. 161.
Forma naturalis limitatur à subjecto, non verò forma intelligibilis. ibid. num.12.
Forma naturalis debet esse accidens, vel quid incompletum in linea substantiæ: forma verò intelligibilis potest absolvi ab vtroque horum. ibid.num.13.
Forma intelligibilis non vnitur intellectui per inhærentiam, aut informationem, sed per identitatem. ibid.à num.40. pag.171.
Forma intelligibilis sivè naturalis, sivè supernaturalis sit, non potest vniri subjecto non habentem quantitatem virtutis, vt ea possit vti, nisi media dispositione præstante prædictam quantitatem. tract. 2. disp. 3. num. 5. pag.200.
Forma naturalis limitatur à subjecto, cuius est forma, secùs verò forma intelligibilis. ibid. num.16.pag.205.
Nulla datur forma constitutiva futuri independenter à decreto Dei ab intrinseco efficaci. tract. 3. disp.4. n.37.pag.391.
Forma constitutiva præteriti in *esse* talis, quænam? ibid.n.49. pag.345.
Ad quamlibet forma sequitur inclinatio. tract. 4.disp.1.n.2.pag.419.
Ad formam intellectus, seu ad objectum aprehensum sequitur appetitus. ibid.
Ad formam intelligibilem sequitur appetitus rationalis, seu voluntas. ibid.
Forma potest præstare diversas denominationes intrinsecas absque vlla sui mutatione adhuc virtuali, sed præcisè per diversa connotata. ibid.disp.2.num.79.pag.473.

Forsan Forsitan.

Forsàn forsitàn, fortè licet ponantur in scriptura, dum Deus loquitur, nullam dubietatem significant, nec arguunt in cognitione divina. tract. 3. disp. 4. numer. 15. pag. 381.

Futuritio.

Futuritio futuritionis futuri pro priori ad decretum exercitum divinæ voluntatis est chimerica. tract. 3. disp. 3. numer. 8. & 9. pag. 349.
Futuritio infallibilis rerum formaliter consistit in actuali præparatione, seu determinatione causæ primæ ad illarum productionem. ibid. disp.4.num.43.pag.393.
Omnis futuritio vera, adhuc conditionata, dependet à decreto Dei ab æterno existenti. tract.4.disp.3.n.40 pag.492.

Futurum.

Omnia futura sunt Deo præsentia saltem objectivè in æternitate. tract. 1. disp.5. num. 15. pag.109.
Omnia futura ab æterno fuerunt, & nunc sunt Deo physicè præsentia in æternitate. ibid. numer.17.
Ex eo, quòd omnia futura sint Deo physicè præsentia in æternitate, nullum inconveniens, neque contradictio sequitur.num. 18.& 31. pag.114.& 115.
Futurum quid sit? Et qualiter distinguatur à possibili, & existenti. tract. 3.disp.3. num.1. pag.346.
Futurum aliud absolutum, & aliud conditionatum. ibid.
Non omnia futura semper eveniunt juxta Arist. & D. Thom. ibid. disp. 4. numer. 6. pag. 377.
Quodlibet futurum sivè conditionatè, sivè absolutè tale, petit ex proprijs meritis causam actu ab æterno existentem. ibid. num. 23. & 24. pag 385.
Futurum non constituitur in esse talis infallibiliter per non repugnantiam ad essendum, nec per

per omnipotentiam, nec per vtrumque. ibid. num. 34. pag. 390.
Futurum in ratione talis non constituitur adæquatè per carentiam existentiæ. ibid. numer. 35.
Futurum dependens vnicè à voluntate divina, v.g. productio Angeli, & huius mundi, respicit decretum Dei, vt vnicam, & adæquatam rationem suæ futuritionis. ibid.
Variæ sententiæ circa formam constitutivam futuri referuntur. ibid. n. 36.
Futurum non constituitur in *esse* talis per aliquam formam independentem à decreto Dei ab intrinseco efficaci. ibid. num. 37. pag. 391.
Ex eo, quòd futurum constituatur in *esse* talis per carentiam existentiæ nunc, & existentiam postea habendam independenter à decreto efficaci Dei, sequitur, quòd voluntas divina determinetur à creatura, quod est impossibile. ibid. num. 39.
Ulterius sequitur, quòd hæc propositio de fide, *Nunc Antichristus est futurus*, sit falsa. ib. n. 40. & 41. pag. 392.
Futurum pro tempore futuritionis debet actu habere aliquod determinativum existentię posteà habendę. ibid. n. 42. pag. 393.
Futurum rectè diffinitur per hoc, quod est: *Determinatum in Deo ad habendam existentiam pro duratione sequenti*. ibid. n. 43.
Futurum vt futurum, secundùm id quod importat intrinsecè, & præciso decreto Dei, non dicit realiter, & physicè ordinem ad existentiam habendam, aut connexionem cum illa. ibid. num. 44.
Futurum non importat intrinsecè aliquod *esse* reale obiectivum connexum cum existentia posteà habenda. ibid. n. 45. pag. 394.
Qui concedit futuro tale *esse* obiectivum intrinsecum, agit contra D. Thom. ibid.
Qualiter futurum differat à præterito in modo suæ constitutionis formalis iuxta probabilem sententiam? ib. n. 49. pag. 395.

Futurum absolutum.

Futurum absolutum aliud conditionatum, & aliud contingens. tract. 3. disp. 3. numer. 1. pag. 346.
Aliæ divisiones futuri absoluti. ibid.
Futura absoluta pro priori ad decretum divinę voluntatis, nec sunt futura, nec repræsentabilia à divina essentia, sivè per modum ideæ, sivè per modum speciei. ibid. numer. 11. pag. 350.
Futura libera absoluta non possunt certò à Deo cognosci immediatè in seipsis, seu in veritate obiectiva antecedenter ad decretum Dei ab intrinseco efficax. ibid. numer. 28. pag. 358.
Futura absoluta, quæ à sola Dei voluntate pendent, taliter cognoscuntur à Deo in decreto efficaci suæ voluntatis, vt aliter ab ipso non possint cognosci. ibid. numer. 40. pag. 363.
Circa talia futura datur in Deo decretum ab intrinseco efficax iuxta omnes Thomistas, & aliquos Iesuitas. ibid.
Omnia futura absoluta libera cognoscuntur à Deo in suo decreto libero ab intrinseco efficaci tanquam in medio vnico, & omninò requisito ad eorum cognitionem certam, & infallibilem. ibid. num. 41. pag. 364.
Futura absoluta non possent cognosci à Deo certò, & infallibiliter, si Deus, & eius cognitio non mensuraretur æternitate. ibid. num. 56. pag. 370.
Vt futura contingentia absoluta omninò infallibiliter cognoscantur à Deo, necessariò requiritur eorum præsentia physica in æternitate. ibid. n. 59. pag. 371.
Si futura contingentia absoluta non essent physicè præsentia ab æterno, Deus bis cognosceret ea absolutè, quod est absurdum. ibid. num. 60.
Si futura absoluta non essent Deo physicè præsentia, cognitio Dei esset mutabilis, immò decretum divinę voluntatis. ib. num. 61. pag. 372.
Si futura absoluta non essent Deo physicè præsentia in æternitate, æternitas, quæ tunc esset, foret diversę rationis, ac æternitas quæ nunc est. ib. n. 68. pag. 373.

Futurum conditionatum.

Futura conditionata, quorum conditio nunquam ponetur, non cognoscuntur à Deo per scientiam visionis: vt vult Magister Ferre. tract. 3. disp. 2. num. 26. pag. 322.
Neque per scientiam simplicis intelligentiæ, vt ponit Illust. Godoy. ib. num. 27.
Per quam scientiam, & qualiter à Deo attingantur, explicatur. ibid. à num. 28. vsque ad 31. pag. 323.
Futura, non quia futura sunt, videntur á Deo, sed potius, quia videntur à Deo, futura sunt. ib. à n. 46. vsque ad 54. pag. 330.
Futurum conditionatum quid? tract. 3. disp. 4. num. 1. pag. 376.
Prima divisio futuri conditionati. ibid.
Futurum conditionatum, cuius conditio connectitur necessariò absolutè, vel infallibiliter cum eventu futuro, si sumatur in vi illationis cognoscitur à Deo certò per scientiam necessariam, & independenter à decreto libero divinæ voluntatis. ib. n. 3.
Si autem prædicta futura conditionata non sumantur in vi illationis precisè, sed etiam per modum futuri, vt talis, non spectant ad scientiam Dei necessariam, sed liberam. ibid.
Futurum conditionatum, cuius conditio nunquam ponetur, est triplex. ibid. n. 2.
Propositio de futuro conditionato, cuius con-

ditio non connectitur infallibiliter metaphysicè cum eventu, estò præcedat positionem illius, si sumatur in vi illationis, est omninò falsa, & vt talis cognoscitur à Deo per scientiam naturalem. ib.n.4.pag.377.

Quodlibet futurum conditionatum, vt futurum, ex vi suę conditionis, eo modo, quo ex vi illius est conditionatè futurum, cognoscitur à Deo per scientiam omninò infallibilem subiectivè. ibid. num.5.

Futura conditionata de conditione conducente ad positionem eventus, cognoscuntur à Deo certitudine metaphysica, non solùm subiectivè, sed etiam obiectivè, vt determinatè vera, vel vt determinatè falsa. ibid. numer. 7.

Futura conditionata pluries prædicuntur in sacra Scriptura, vt certò metaphysicè futura, & non præcisè coniecturaliter. ib. num. 8. & 9. pag.378.

Propositio de futuro conditionato in omni instanti reali habet determinatam veritatem, vel determinatam falsitatem. ib.n.10.

Semper cognoscitur à Deo, vt determinatè vera, vel vt determinatè falsa. ibid.

Omnia futura conditionata disparata certò, & infallibiliter cognoscuntur à Deo, sumpta conditionali *si* dependenter ab ordine divini decreti; secùs verò, si sumatur in vi illationis. ib. à n.11.pag.379.

Futura conditionata de conditione impossibili, quorum eventus habent necessariam connexionem cum conditione, certò cognoscuntur à Deo per scientiam naturalem. ibid. n. 13. pag. 380.

Idem dicendum de conditionatis, quę repugnantiam metaphysicam habent cum conditione. ibid.

Futura verò conditionata de conditione impossibili, quorum conditio contingenter se habet ad vtrumlibet, non possunt certò à Deo cognosci. ib. & n. 14.

Futura conditionata sivè de conditione conducente, sivè disparata habent determinatam veritatem, aut falsitatem: & si conditio est contingens, veritatem contingentem. ib. n. 17.pag.381.

Futura conditionata cognoscuntur à Deo tùm in suis causis, quàm in seipsis, & quomodò? ib. n. 19.pag.383.

Futurum conditionatum non est futurum pro priori ad decretum actu in Deo existens. ibid. num.20.

De futuro conditionato non solùm verificatur, quòd *esset*, si poneretur conditio, verùm etiam, quòd *erit*, si ponatur. ibid.nùm. 21. pag.384.

Futurum conditionatum verè transit actu à statu possibilitatis ad statum futuritionis, ibid.

Futurum conditionatum, vt sit verum, & scibile à Deo, indiget decreto actuali Dei, quod foret, & quare? ibid. numer. 31. pag. 389.

De futuro conditionato non solùm verificatur, quòd esset, si poneretur conditio, sed etiam actu, & ab æterno verificatur, quod est determinatum ad existendum sub tali conditione. ibid.num.32.

Futurum conditionatum cur non postulet decretum Dei prædeterminativum executivum, quod actu sit, cum postulet decretum actuale determinativum suæ futuritionis conditionatæ? ib. n. 33.

Futurum condionatum sub conditione connexa metaphysicè cum illo, si sumatur in vi illationis, non postulat decretum actu existens, vt à Deo certò cognoscatur: postulat tamen tale decretum, vt in vi futuri conditionati possit certò à Deo cognosci. ibid.

Dato, quòd tale futurum non postularet decretum actu existens, non inde probaretur, quòd futurum conditionatum pendens à causa omninò indifferenti, illud non postularet. ibid.

Futurum contingens.

Futura contingentia absoluta certò cognosci à Deo est de fide. tract. 3. disp. 3. num.2.pag. 347.

Ex eo, quòd Deus talia futura cognoscat, non sequitur, quòd eveniant necessariò, nec quòd scientia Dei sit fallibilis. ibid. numer. 3.

Futura contingentia absoluta non possunt cognosci à Deo in sua essentia, vt habet rationem speciei, & ideæ, pro priori ad decretum exercitum suæ voluntatis. ibid. numer. 5. pag. 348.

Futura contingentia non possunt certò cognosci à Deo in suo decreto, vt futuro. ib. num.14. pag.351.

Futura contingentia absoluta non possunt certò cognosci à Deo in supercomprehensione causę eorum creatæ indifferentis. ibid. n. 22. pag.355.

Futurum contingens pro priori ad sui existentiam, & sublato decreto Dei ab intrinseco efficaci, non est determinatum ad existentiam, vel carentiam illius. ibid. numer. 31. pag. 360.

Si futura contingentia absoluta haberent determinatam veritatem, aut falsitatem independenter à decreto Dei ab intrinseco efficaci, talis veritas esset necessaria, & non contingens: & quare? ibid. numer. 34. pag. 361.

Futurum contingens non est certò, & infallibiliter cognoscibile in sola determinatione causæ secundę creatæ; est tamen infallibiliter cognoscibile in determinatione causæ primæ in-

increatæ: & quare? ibi. n.48.& 49.pag.367.

G

Gaudium.

In Deo datur verè, & propriè gaudium de bono proprio. tract. 4. disp. 1. num. 51. pag. 439.

Amor specialis, & gaudium in Deo non distinguuntur virtualiter ex parte rei conceptæ. ib. n. 56. pag. 440.

Generatio.

Generatio verbi constituitur per intellectionem primordialem per modum operationis. tract. 1.disp.2.n.50.pag.63.

Egreditur virtualiter à Patre, à quo virtualiter distinguitur.ibid.

Genus.

Genericus conceptus repertus in quolibet actu supernaturali, si consideretur physicè, est supernaturalis: si verò consideretur logicè,seu metaphysicè,præscindit à naturali,& supernaturali.tract.2.disp.3.n.87.pag.231.

Ratio generica à nullo agente producitur,prout logicè abstrahit à suis differentijs.ibid.

Gloria.

Merita dependent à gloria in genere causæ finalis, & in ordine intentivo, sed gloria dependet à meritis in genere causæ moralis dispositivæ,& in ordine executivo.tract.5. disp.2.n. 35.pag.561.

Intentio gloriæ estò intendatur,vt præmium,& vt corona debet præcedere volitionem mediorum.ibid.n.37.pag.562.

Differentia inter gloriam, & gratiam in ordine executivo stat in eo, quòd illa datur propter merita,& ex iustitia, & ista independenter à meritis.ib.n.46.pag.564.

Discrimen notabile inter gloriam,& pœnam per modum coronæ.ibid.disp.3. n.100.

Vide *Visio beatifica. Visio clara Dei. Intellectus creatus. Beatitudo. Prædestinatio. Electio ad gloriam.*

Glorificatio.

Glorificatio est effectus prædestinationis.tract.5. disp.3.n.10.pag.570.

Illust. Godoy.

Ponens in peccatore formam supernaturalem distinctam à gratia habituali, quæ sit radix fidei, & spei, impugnatur.tract.2.disp.3.num. 96.pag.236.

Idem asserens, omnes creaturas possibiles esse eque cognoscibiles in omnipotentia ex natura rei, & in actu primo,impugnatur.ib.disp. 4.n.53.pag.263.

Insuper docens ex vna parte, quòd futurum constituitur per decretum, & ex alia, quòd futura conditionata, quorum conditio nunquam ponetur, cognosci à Deo per *Paul.Theol.Salm.*Tom.I. scientiam simplicis intelligentiæ, impugnatur. tract. 3. disp. 2. num. 27. & 29. pag. 322.

Magist. Gonet.

Mag. Gonet distinguens attributum immensitatis ab operatione, & omnipotentia, impugnatur. tract. 1. disput. 4. numer. 27. pag. 95.

Gratia.

Qualiter gratia sit participatio naturæ divinæ, quæ constituitur per intellectionem non participando conceptum intellectionis? tract. 1. disput. 2. numer. 52. pagin. 65.

Deus est in anima iusti substantialiter per specialem modum ratione gratiæ habitualis, tract.1.disp.4.n.41.pag.99.

Explicatur hoc amplius. ibid. numer. 42. & 43. pag.100.

Nullum donum præter gratiam habitualem potest deservire ad hoc, vt Deus sit in anima prædicto modo.ib.n.48.pag.103.

Sola gratia habitualis vnit Deum substantialiter cum anima per modum subiecti amicabilis. ib.n.51.pag.104.

Sola gratia habitualis trahit ad animam Deum, vt vltimum finem fruendum. ibid. num. 53.

Gratiæ augmentum est ratio cur Deus magis, & de novo assistat animæ per specialem modum. ibid.num.54.

Gratia consummata est ratio formalis, vt Deus sit speciali, & novo modo in beatis. ib.num.55.

Gratia est causa receptiva, & etiam effectiva actus charitatis, & probabiliter etiam dispositiva. tract. 2. disput. 3. numer. 13. pag. 204.

Gratia Dei non est conditio elevans,sed est propriè virtus activa efficienter concurrens in actus salutares. ibid. numer. 60. pagin. 221.

Gratia supernaturalis distincta à sanctificante, quæ solum deserviet, vt sit ratio fidei, & spei,rejicitur. ib. à n. 96. vsque ad 100.pag. 236.

Gratia habitualis est magis cognoscibilis in omnipotentia, & minus latens, quàm substantia naturalis. ibid. disp. 4. numer. 66. pag.269.

Per solam gratiam sufficientem non salvatur, quòd Deus discernat consentientem consensu salutari, à non consentiente: sed omninò requiritur gratia efficax ad huiusmodi discretionem. tract. 3. disp. 5. n. 11. pag. 400.

Gratia efficax Dei necessariò requiritur, vt salvetur, quòd consensus salutaris sit speciale, & gratuitum beneficium Dei. ibid. num.12.

Negata gratia efficaci, sequitur, quòd homo ex proprijs viribus se partialiter discernat, immò principaliùs quàm discernatur à Deo. ibid. numer. 14. & 15. pag. 401.

Actus dandi gratiam est omninò gratuitus, tàm in ordine intentivo, quàm in ordine executivo: actus verò intentivus gloriæ est gratuitus, sed executivus est ex iustitia. tract. 5. disp. 2. n. 46. pag. 564.

Gratia tàm interrupta per peccatum, quàm non interrupta, quæ coincidit cum perseverantia finali, est effectus prædestinationis. ibid. disp. 3. num. 23. pag. 573.

Habitus.

Habitus in quo differat à dispositione? tract. 1. disp. 1. n. 28. pag. 10.

Idemmet habitus potest procedere ex diversa ratione *sub qua*, si vna se habet per se in ordine ad habitum, & alia per accidens. ibid. n. 46. pag. 20.

Idemmet habitus potest inclinare in actus diversæ rationis pro diversitate statuum talis habitus. ibid.

Habitus principiorum attingit illa secundùm se considerata; non vt illativa conclusionum. ib. n. 60. pag. 29.

Habitus naturalis non requiritur, vt medium necessarium ad receptionem actus, secus verò habitus supernaturalis: & quare? tract. 2. disp. 3. n. 13. pag. 204.

Habitus, & dispositio distinguuntur essentialiter. ibi. n. 32.

Habitus producit principaliter actum secundùm se, & instrumentaliter prout explicat maiorem actualitatem. ibid. numer. 54. pag. 218.

Habitus supernaturalis est tota ratio essendi in ordine supernaturali respectu potentię naturalis. ib. n. 71. pag. 226.

Habitus naturales non præstant positivè facilitatem ad actus supernaturales, sed tantum negativè, & indirectè. ib. numer. 100. pag. 238.

Habitus naturalis, v. g. Philosophia, quatenus dicit maiorem perfectionem, est ratio simul cum specie, vt potentia se extendat ad plura obiecta, & ad plures latentiores conclusiones. ib. disp. 4. n. 60. pag. 268.

Formalitates vnius habitus possunt participari ab alio, & quo pacto? tract. 5. disp. 1. num. 19. pag. 535.

Homo.

Omnis homo primò perveniens ad vsum rationis tenetur se convertere ad Deum vltimum finem, ad quam conversionem sequatur iustificatio. tract. 4. disp. 3. numer. 23. pag. 485.

Probabile est, nullum hominem primò pervenientem ad vsum rationis, esse infidelem negativè; quamvis plures dentur infideles negativè in maiori ætate. ibid. num. 35. pag. 490.

Probabile est etiam oppositum. ibid. numer. 36.

Quomodò cum hoc cohæreat, quòd teneatur ad conversionem in Deum finem supernaturalem. ibid.

Homo non potest licitè petere, aut desiderare permissionem peccati, quamvis sit effectus prædestinationis. tr. 5. disp. 3. n. 14. pag. 571.

I

Idea.

Idea influit effectivè in opus ideatum. tract. 3. disp. 2. n. 4. pag. 315.

Idea, aut species licèt concurrant immediatè ad productionem effectus ad extra, non tamen concurrunt per modum potentiæ. ibid. n. 96. pag. 346.

Idea divina.

Idea divina secundùm se non est sufficiens medium ad hoc, vt Deus cognoscat futura certò, in sententia D. Thomæ. tract. 3. disp. 3. n. 6. & 10. pag. 348.

Idea divina potest habere rationem ideæ, & exemplaris non solum futurorum, sed etiam possibilium in sententia D. Thomæ. ibid. num. 12. pag. 350.

Idea divina pro priori ad decretum habet quidquid requiritur ex se, & ex parte recti ad repræsentandum omne repræsentabile: cum quo coheret, quòd pro illo signo non repræsentet futura ex defectu obiecti, quod pro illo signo non est futurum. ibid. n. 13. pag. 351.

Providentia distinguitur ab ideis divinis. tr. 5. disp. 1. num. 81.

Identitas.

Identitas duorum conceptuum non tollit, quòd vnus præcontineatur in aliqua causa, & non alius. tr. 4. disp. 3. n. 113. pag. 518.

Immaterialitas.

Obiectum cognitum, & principium connaturaliter illud cognoscens debent convenire in immaterialitate. tract. 2. disp. 1. num. 56. pag. 141.

Explicantur quatuor gradus immaterialitatis communiter recepti. ibid.

Gradus immaterialitatis divinæ non potest admittere latitudinem, aut diversitatem materialem sicut gradus immaterialitatis Angelicæ. ibid. disput. 2. numer. 88. pagin. 189.

Ex summa immaterialitate Dei efficaciter, & demonstrativè probat D. Thomas, Deum esse summè intelligentem. tract. 3, disp. 1. num. 2. pag. 275.

Imma-

Immaterialitas eſt ratio à priori cognitionis. ibid.
Eſt etiam ratio intelligibilitatis in actu. ibid. n. 3. pag. 276.
Immaterialitas animæ vegetativæ non ſufficit ad cognitionem: & quare? ibid. numer. 8. pag. 278.
Ex immaterialitate probatur à priori vis cognoſcitiva. ibid. num. 14. pag. 280.
Diſcrimen inter immaterialitatem eſſentiæ divinę, & attributorum, & relationum explicatur. ib. n. 63. pag. 229.

Immenſitas.

Immenſitas non eſt attributum virtualiter diſtinctum ab omnipotentia. tract. 1. diſp. 4. n. 16. pag. 89.

Imperium.

Imperium practicum intellectus immediatiùs, & vltimiùs influit in executionem effectus quàm vſus activus voluntatis: & quare? tract. 3. diſp. 2. num. 86. pag. 343.
Triplex imperium practicum virtualiter diſtinctum, nempè ſcientiæ, prudentiæ, & artis, debet aſsignari in Deo pro executione operis ad extrà. ib. n. 95. pag. 345.
In imperio monaſtico ſupponente electionem mediorum, & præcedente vſum activum voluntatis conſiſtit prædeſtinatio. tract. 5. diſp. 1. num. 26.
In brutis non datur actus imperij. ibid. num. 53. pag. 332.
Imperium efficax non officit libertati. ibid. num. 55. pag. 333.
Actus imperij ſupponentis electionem non accipit efficaciam ab ipſa electione præcedente, ſed ab vſu activo, quem dirigit, cum mutua præcedentia in diverſo genere cauſæ. ib. num. 56. & ſequent.
Mutua cauſalitas inter vtrumque actum explicatur. ib. n. 65. & 66.
Imperium, ſeu actus prudentię, in quo conſiſtit prædeſtinatio, eſt diſtinctus à lege æterna. ibid. num 80.
In actu imperij conſiſtit vnicè in recto divina reprobatio. ibid. diſp. 3. num. 75.

Impulſus.

Probabile eſt, quòd amor beatificus, & amor charitatis viæ non producunt impulſum; probabilius, quòd illum producunt. tract. 2. diſp. 2. n. 105. pag. 196.

In.

Propoſitio *in* quid ſignificet? tract. 1. diſp. 4. n. 30. pag. 96.

Increpatio.

Vt increpatio comparativa vnius præ alio juſta ſit, quid requiratur, & ſufficiat? tract. 3. diſp. 5 num. 54. pag. 414.

Infinitas.

Infinitas non conſtituit metaphyſicè naturam divinam. tract. 1. diſp. 2. numer. 23. pag. 48.
Eſt prædicatum negativum. ibid.
Ad ſalvandam infinitatem immenſitatis Dei non requiritur, quòd actu ſit in ſpatijs imaginarijs. ibid. diſp. 4. numer. 24. & 25. pagin. 93.

Inſtrumentum.

De ratione inſtrumenti, vt talis, eſt, quòd operetur, vt purè motum ab alio: ita vt tota ratio operandi ſit motio ſuperioris agentis. tract. 2. diſp. 3. numer. 38. pag. 213.
De ratione inſtrumenti, vt talis, eſt, quòd habeat virtutem propriam, & actionem prævíam. ib. n. 39.
Per quod diſtinguitur à cauſa principali, & à ſubiecto merè ſuſtentativo virtutis. ib.
Inſtrumentum, vt tale, non aſsimilat ſibi effectum, ſed cauſæ principali. ibid. numer. 40. pag. 214.
Contra rationem inſtrumenti vt talis, eſt, quòd moveatur à ſe. ibid. n. 41.
De ratione inſtrumenti vt talis, eſt, quòd elevetur per qualitatem ex natura ſua fluidam, & tranſeuntem, non vero permanentem. ibid. num. 42.
Inſtrumentum animatum qualiter differat ab inſtrumento animato juxta D. Thomam? ib. num. 47. pag. 215.
Contra rationem inſtrumenti eſt, quòd ex ſe habeat virtutem radicalem ad attingendum effectum cauſæ principalis. ibid. numer. 50. pag. 216.
Inſtrumentum eſt duplex, aliud rigoroſum, & alius minus rigoroſum: primo repugnat conceptus cauſę principalis, non autem ſecundo. ib. n. 55. pag. 218.
Ad rationem inſtrumenti rigoroſi non ſufficit, quòd ſit motum, & elevatum ab alio, nec quòd concurrat per formam, & virtutem proximam communicatam ab agente ſuperioris & quare? ib. n. 56. pag. 219.

Intellectio.

Intellectio eſt exiſtentia in linea intelligibili. tract. 1. diſp. 2. num. 42. pag. 59.
Ad intellectionem præter omnem concurſum ſe tenentem ex parte potentiæ, requiritur concurſus obiecti, & ſpeciei ſe tenentis ex parte illius. tract. 2. diſp. 2. numer. 10. pag. 159.
Intellectio diſtinguitur realiter à verbo. ib. num. 89. pag. 190.
Vt verificetur, quòd intellectio trahit ad ſe obiectum, non requiritur, quòd producat verbum. ibid. numer. 107. pagin. 197.

Probabile eſt, quòd intellectio recipitur in ſpecie intelligibili: & etiam eſt probabile oppoſitum. tract. 2. diſp. 3. numer. 8. pagin. 201.

Quælibet intellectio ſub expreſsione vltimæ actualitatis non producitur principaliter ab intellectu, ſed tantum inſtrumentaliter. ibid. num. 37. pag. 213.

Vt intellectio ſit viſio, & notitia intuitiva, non eſt neceſſe, quòd ſupponat exiſtentiam obiecti, ſed ſatis eſt, quòd illam producat. ibid. n. 40. & 41. pag. 214.

Intellectio divina.

Intellectio divina mediat inter rationem ſpeciei, & rationem verbi per modum vnionis. tract. 1. diſput. 2. num. 36. & 38. pag. 55. & 56.

Intellectio ſcientifica Dei non eſt exiſtentia. ib. num. 44. pag. 59.

Exiſtit per intellectionem primordialem. ibid.

Intellectio divina primordialis eſt formaliter eminenter operatio, intellectus, & natura. ibid. num. 50. pag. 63.

Non egreditur virtualiter à nutura. ibid.

Deus non movetur virtualiter per illam, ſicut per volitionem, & intellectionem ſcientificam. ibid.

Nulla intellectio divina reſpicit creaturas per modum obiecti primarij. tract. 3. diſp. 1. num. 49. pag. 294.

Quælibet intellectio divina habet pro obiecto primario motivo, & terminativo ſolam eſſentiam divinam, vt virtualiter diſtinctam ab attributis, & relationibus ibid. num. 51. pag. 295.

Intellectus.

Intellectus virtute ſua naturali eſt principium proximum ſufficiens concluſionis theologicæ. tract. 1. diſput. 1. numer. 54. pagin. 24.

Intellectus in *eſſe* intelligibili identificatur cum ſpecie, & obiecto. tract. 2. diſp. 2. num. 39. pag. 171.

Ex reali ſeparabilitate intellectus ab ſpecie, & obiecto ſolùm arguitur diſtinctio realis potentialis non verò actualis. ibid. numer. 43. pag. 172.

Intellectus iuxta Anaxagoram eſt primum principium omnium rerum. tract. 3. diſp. 2. n. 5. pag. 315.

Intellectus ex ſe indifferens ad cognoſcendum conſenſum ſub auxilio *A*, vel carentiam illius non poteſt certò cognoſcere conſenſum potius, quàm carentiam illius, niſi ab aliquo determinetur. ibid. diſp. 4. num. 25. pag. 386.

Quod neceſſariò admittendum eſt etiam à ſectatoribus ſcientiæ mediæ. ibid. n. 26.

Intellectus creatus.

Intellectus creatus habet maiorem proportionem eum Deo, vt clarè viſibili, quàm oculus corporeus cum re ſpirituali in ratione obiecti, & potentię. tract. 2. diſp. 1. numer. 9. pag. 120.

Intellectus creatus habet potentiam obedientialem terminativè ſupernaturalem ad videndum Deum. ibid.

Intellectus humanus poteſt conſiderari triplicitèr, vel ſecundum ſe, vel vt potentia naturalis, vel vt potentia obedientialis. ibid. num. 14. pag. 122.

Explicatio horum munerum intellectus. ibid.

Ratio potentię naturalis, & obedientialis non diſtinguuntur realiter in intellectu creato nec formaliter ex natura rei, ſed tantum virtualiter. ib. n. 16.

Intellectus humanus, & Angelicus diſtinguuntur eſſentialiter in *eſſe* potentiæ naturalis, non verò in ratione potentię obedientialis. ib. & n. 17. pag. 123.

Intellectus humanus poteſt conſiderari triplicitèr, vel prout dicit conceptum analogum ipſi, & intellectui divino, vel prout dicit conceptum genericum ipſi, & intellectui Angelico, vel tandem prout dicit conceptum differentialem intellectus humani. ibid.

Intellectus creatus ſub expreſsione potentię obedientialis ſpecificatur ab omni ente ſupernaturali. ib. n. 26. pag. 127.

Intellectus humanus licèt ſit entitativè adæquatè potentia naturalis, poteſt dici formaliter potentia ſupernaturalis. ibid. n. 28. & 29. pag. 128.

Intellectus creatus in ratione potentiæ obedientialis non poteſt comprehendi, niſi per cognitionem ſupernaturalem. ibid. n. 30. pag. 129.

Intellectus creatus reſpicit virtutes ſupernaturales per modum potentiæ paſsivę, actus verò ſupernaturales elicitos per modum potentiæ activę. ibid. n. 31.

Intellectus creatus concurrit activè ad viſionem Dei: in quo differt à ferro candenti, quod ſolum concurrit paſsivè ad calefactionem. ibid. n. 33. pag. 130.

Intellectus creatus, cui ſit connaturale lumen gloriæ, vel eſſentia divina vnita per modum ſpeciei eſt impoſsibilis. ib. n. 82. & 84. pag. 152. & 153.

Ex conceſsione poſsibilitatis intellectus creati ſupernaturalis arguitur efficaciter poſsibilitas ſubſtantię creatę ſupernaturalis. ibid. num. 89. pag. 154.

Poſsibilis eſt intellectus creatus, qui defactò non dimanet ab anima; non tamen, qui non petat ab illa dimanare. ibid. num. 90. pag. 155.

Intellectus creatus reſpicit ſpeciem ſecundum *eſſe* entitativum; non verò ſecundum *eſſe* intelligibile. ibid. diſp. 2. num. 45. pag. 173.

Spe-

Specificatur ab obiecto ſumpto in *eſſe* naturali; non autem ab eo purè intelligibiliter ſumpto. ibid.

Intellectus creatus vnitur per identitatem cum eſſentia divina, vt habet munus ſpeciei in ordine ad viſionem beatam. ibid. num.47.pag. 175.

Idem dicendum de lumine gloriæ. ibid.

Intellectus perfuſus lumine gloriæ eſt pura potentia in linea intelligibili paſsiva; ſecus autem in linea intellectiva activè ſumpta. ibid. diſp.3.num.11.pag.203.

Intellectus ſecundum diverſam rationem eſt agens, & patiens reſpectu viſionis beatæ: ex quo nullum ſequitur inconveniens.ibid. num. 14.pag.204.

Intellectus creatus deſtitutus lumine gloriæ ſibi intrinſeco, non poteſt per ſolam potentiam obedientialem, & ſi adiuvetur concurſu ſimultaneo Dei, elicere viſionem beatam.ibid. num.35.pag.212.

Intellectus creatus perfuſus lumine gloriæ eſt cauſa principalis viſionis beatæ. ibid. num. 43. pag. 215.

Intellectus perfuſus lumine gloriæ nullam habet actionem præviam ad viſionem beatam. ibid. n. 44. & 45.

Intellectus creatus eliciens viſionem Dei, verè movetur à ſe. ibid. num.46.

Intellectus creatus non ſe habet merè paſsivè in ordine ad viſionem beatam. ibid. num. 58. pag.220.

Intellectus creatus ſine lumine gloriæ non elicit viſionem beatam. ibid. numer. 59. pagin. 221.

Intellectus creatus ſub nulla ratione poteſt præcontinere, nec influere in viſionem beatam per modum virtutis proximæ. ib. num. 67. pag.223.

Si intellectus creatus ex ſe haberet virtutem proximam partialem in viſionem beatam eſſet cauſa totalis illius, non ſolùm totalitate effectus, ſed etiam totalitate cauſæ. ib.n.72.& 73.pag.226.

Si intellectus creatus haberet virtutem partialem in viſionem beatam, haberet debitum connaturalitatis ad concurſum Dei, & ad vnionem cum lumine gloriæ veluti cum alia concauſa partiali.ib.n.74.& 75.pag.227.

Intellectus creatus ratione ſui non habet aliquam virtutem proximam in viſionem beatam ſumptam ſub conceptu generico intellectionis. ibid.n.75.

Si intellectus humanus haberet virtutem proximam in viſionem beatam ſub aliqua ratione generica, viſio beata hominis diſtingueretur à viſione beata Angeli. ibid. numer. 77. pag. 228.

Immò ſequeretur, quod intellectus influeret in eandem viſionem ſecundum ſuam vltimam differentiam.ibid.

Si intellectus creatus haberet activitatem proximam in viſionem beatam ſub conceptu generico intellectionis, ſequeretur, quòd ſtante æqualitate luminis gloriæ in homine, & in Angelo, Angelus perfectius videret Deum, quam homo. ibid. num.78. & 79.

Si intellectus creatus ratione ſui influeret in viſionem beatam ſub conceptu generico intellectionis influeret in eam determinativè, vt eſt potentia naturalis. Ex quo vlterius ſequeretur, quòd Deus etiam influeret in illam, vt eſt Auctor naturalis, quod eſt abſurdum. ibid. numer. 80. & 81. pagin. 229.

Nullus intellectus creatus eſt cauſa vniverſalis: ideoque nequit ratione ſui in aliqua intellectione aliquem conceptum communem producere, niſi vt contractum per gradum ſpecificum, & individualem. ibid. num.91. pag. 232.

Intellectus creatus verè agit, & cooperatur ad viſionem beatam, & ſi lumen gloriæ ſit totæ ratio proxima agendi illam. ibid. numer.93. pag. 233.

Nullus intellectus creatus de facto comprehendit Deum. ibid. diſp. 4. numer. 5. pagin. 244.

Nec de potentia Dei abſoluta poteſt illum comprehendere. ibid. numer. 6. pag.245.

Quamvis permittatur, quòd intellectio divina vniatur intellectui creato, adhuc iſte non poteſt comprehendere Deum per illam. ibi. n. 10. pag. 246.

Non eſt de perfectione intellectus cognoſcere omnia ſingularia. ibid. numer. 46. pagin. 261.

Nullus intellectus creatus poteſt videre omnia poſsibilia in ſeipſis. ibid. numer. 76. pagin. 273.

In intellectu creato Angelico, vel humano dabilis eſt cognitio, quæ nec ſit luminis principiorum, nec ſcientiæ. tract. 3. diſp. 1. n. 80.pag. 287.

Intellectus creatus poteſt omninò certò cognoſcere futura, quamvis non ſint illi phyſicè præſentia in ea duratione, in qua ſic cognoſcuntur, & quare? ibid. diſp. 3. numer. 70. pag. 374.

Intellectus Angelicus.

Intellectus Angelicus non eſt cauſa adæquata ſuarum intellectionum: vnde oritur, quòd non cognoſcat in illo, omnes intellectiones poſsibiles elici ab eo. tract. 3. diſp. 1. n. 89. pag.310.

Intellectus divinus.

Intellectus divinus non diſtinguitur virtualiter ab eſſentia Dei. tract. 1. diſp. 2. numer. 39. pag. 57.

Nec diſtinguitur virtualiter à ſuo obiecto primario. ibid.

Con-

Convenit tamen cum illo in eodem gradu immaterialitatis. ibid.
Satis probabile eſt, quòd intellectus divinus cum aliquo ordine ad intellectum creatum efficere poſsit diſtinctionem rationis abſque aliqua imperfectione ex parte Dei. tract. 3. diſp. 1. n. 20. pag. 284.
In intellectu divino datur cognitio, quæ nec ſit luminis principiorum, nec ſcientia. ibid. n. 30. pag. 287.
Intellectus divinus non habet rationem potentiæ reſpectu intellectionis primordialis, nec attributalis: & quare? ibid. num. 39. pagin. 291.
Influit tamen virtualiter per modum radicis in intellectiones attributales. ibidem numer. 40.
Intellectus divinus nec primariò, nec ſecundariò attingit ens, vt ſic, prout tantùm implicitè dicit ſua inferiora. ibid. num. 67. pagin. 301.
Intellectus divinus nequit reſpicere creaturas, vt ſpecificativum extrinſecum alicuius intellectionis ſuæ. ibidem numer. 80. pagin. 306.
Intellectus divinus non eſt potentia proximè executiva ad extrà. ibid. diſp. 2. num. 68. pag. 337.
Ex quo non arguitur, quòd ſit imperfectior intellectu Angelico, qui eſt potentia proximè executiva: & quare? ibid.
Intellectus divinus non diſtinguitur attributaliter à ſeipſo. ibid. num. 88. pag. 343.
Intellectus divinus non poteſt certò cognoſcere futura, ſi hæc non ſunt illi phyſicè præſentia in ea duratione, in qua ſic cognoſcuntur: ſecus verò intellectus creatus: & ratio diſcriminis. tract. 3. diſp. 3. numer. 70. pagin. 374.

Intelligere divinum.

Intelligere divinum excedit ſcientiam divinam in immaterialitate. tract. 1. diſp. 2. n. 40. pag. 58.
Vnicum intelligere divinum non ſufficit ad attingenda omnia intelligibilia abſque diſtinctione virtuali. tract. 3. diſp. 1. num. 36. pag. 290.

Intelligere primordiale.

ntelligere primordiale Dei, & intelligere ſcientificum eiuſdem diſtinguuntur virtualiter adæquatè. tract. 3. diſp. 1. num. 29. pagin. 287.
Habent obiecta formaliter diverſa. ibid. numer. 29.
Intelligere primordiale Dei eſt comprehenſivum divinæ eſſentiæ, & ſimiliter intelligere ſcientificum, licèt diſtinguantur virtualiter inter ſe. ib. num. 35. pag. 289.

Intelligere radicale.

Intelligere radicale in Deo non diſtinguitur virtualiter ab intelligere actuali. tract. 1. diſp. 2. n. 35. pag. 55.
Intelligere actuale pertinet ad conſtitutivum metaphyſicum naturæ divinæ. ibid.
Intelligi divinum non diſtinguitur virtualiter à natura divina. ibid. numer. 37. pagin. 56.
Intelligere radicale, vt virtualiter diſtinctum ab actuali, eſt quid potentiale. Nec poteſt concipi per modum actus puri. ibid. num. 46. pag. 60.
Intelligere, & intelligi divinum qualiter comparentur inter ſe. ibid. numer. 48. pagin. 62.

Intentio.

Intentio finis in Deo nequit eſſe cauſa veræ volitionis mediorum. tract. 4. diſp. 1. n. 46. pag. 436.
In Deo datur intentio efficax, & abſoluta eligens prædeſtinatos ad gloriam. tract. 5. diſp. 2. num. 2. pag. 554.
Electio mediorum dependet tanquam à cauſa ab intentione finis. ibid. numer. 24. pagin. 558.
Quamvis intentio ſit reſpectu finis ab alio exequendi, neceſſariò præſupponitur ad electionem. ibid. n. 26.
Etiam ſi electio terminetur ad merita, & intentio ad finem per modum coronæ, hæc neceſſariò præſupponitur ad illam. ibid. n. 29. & 37. pag. 559. & 562.
Etiamſi intentio ad gloriam ſit ex miſericordia, executio gloriæ ex iuſtitia eſt. ibid. num. 46. pag. 564. Vide *Electio.*

Ira.

In Deo non datur propriè ira. tract. 4. diſp. 1. n. 75. pag. 447.

J

Mag. Ioannes à S. Thoma.

Diſtinguens virtualiter immenſitatem ab omnipotentia, impugnatur. tract. 1. diſp. 4. n. 19. pag. 90.
Dies judicij non cognoſcitur, nec cognoſcetur à beatis in verbo: cognoſcetur autem, quando venerit extra verbum. tract. 2. diſp. 4. n. 48. pag. 262.
Judicium practicum abſolutum ex parte ſubiecti nullam imperfectionem dicit, licèt non ponat effectum in re. tract. 3. diſp. 4. n. 18. pag. 382.

Juſtitia divina.

In Deo datur virtus iuſtitiæ virtualiter diſtincta à voluntate: & quo pacto? tract. 4. diſp. 1. n. 27. pag. 429.
Ad manifeſtandam iuſtitiam punitivam Dei præcipuè ordinatur reprobatio aliquorum. tract. 5. diſp. 3. n. 69. & 71. pag. 585.

Juſtus.

Juſtus eſt finis omnium creaturarum ratione vnionis ſubſtantialis, qua vnitur cum Deo, media gratia habituali. tract. 5. diſp. 3. numer. 37. pag. 576.

L

Lex.

Nullus poteſt ſibi imponere legem: & cur? tract. 5. diſp. 1. num. 51. pag. 544.

Imperium, ſeu prudentia eſt diſtincta à lege æterna. ibid. n. 80. pag. 551.

Liber vitæ.

Cur detur in Deo, non verò liber mortis? tr. 5. diſp. 3. num. 73. pag. 585.

Cur in libro vitæ ſcribatur tantùm bonum? ibid.

Liberum.

Actus liberi Dei poſſunt immediatè videri à beatis in ipſo Deo. tract. 2. diſp. 4. n. 34. pag. 256.

Decreta libera Dei, vel Angeli, etſi occulta, poſſunt tamen manifeſtari à decernentibus cognoſcenti extrinſeco. ibid. num. 38. pagin. 257.

Libertas.

Argumentum ſumptum ex libertate ad probandum, quòd habitus charitatis non eſt tota ratio agendi proxima actuum amoris Dei, retorquetur in objicientes. tract. 2. diſp. 3. num. 106. pag. 241.

Libertas alia actus, alia virtutis, & alia potentiæ: & quid ad quamlibet illarum requiratur, & ſufficiat? ibid. num. 107.

In quo conſiſtat libertas quoad ſpecificationem, & tantum quoad exercitium? tract. 4. diſp. 2. n. 1. pag. 447.

Quando operari liberè eſt perfectius modo operandi neceſſariò, & è converſo? ibid. num. 9. pag. 449.

Eſt maior, & perfectior libertas, quando quis peccare non poteſt, quàm econversò. ibid. n. 17. pag. 452.

Libertas creata non læditur á decreto Dei ex ſe & ab intrinſeco efficaci. ibid. diſp. 3. numer. 67. pag. 502.

Suppoſito iudicio indifferenti, ſtat libertas ad vtrumlibet, quamvis voluntas creata à Deo prædeterminetur infallibiliter ad vnum. ibid. num. 71. pag. 503.

Recte cohæret cum libertate voluntatis creatæ, quòd prædeterminata ad conſenſum, non poſſit in ſenſu compoſito diſſentire. ibid. numer. 73. pag. 504.

Explicatur ſenſus compoſitus, & diviſus. ibid.

Non eſt contra libertatem voluntatis creatæ, quòd pro priori ad actum ſit determinata ad vnum per modum applicationis. ibid. numer. 85. pag. 508.

Imperium efficax intellectus non officit voluntati. tract. 5. diſp. 1. n. 55. pag. 545.

Libertas divina.

Libertas divina evertitur per ſcientiam mediam. tract. 3. diſp. 5. à num. 34. vſque ad 38. pagin. 407.

Similiter evertitur per talem ſcientiam libertas creata. ibid. n. 39. pag. 409.

Libertas Dei erga creaturas nequit ſalvari per indifferentiam ad actus, & negationem illius, vel non poteſt ſalvari abſque omni exercitio poſitivo. tract. 4. diſp. 2. num. 46. pagin. 461.

Conceptus libertatis in Deo non diſtinguitur virtualiter à voluntate ſub conceptu naturæ. ibid. n. 59. pag. 465.

Libertas Dei in actu ſecundo non conſtituitur per reſpectum rationis. ibid. num. 64. pagin. 468.

Nec per aliquam formam extrinſecam. ibid. numer. 65.

Nec per aliquam perfectionem realiter ſuperadditam actui neceſſario. ibid. num. 66. pagin. 469.

Nec per aliquam formalitatem illi virtualiter ſuperadditam, & defectibilem. ibid. n. 68.

Nec per aliquam terminationem virtualiter diſtinctam in ratione terminationis ab eo. ibid. num. 69. pag. 470.

Sed in ipſo actu neceſſario præcisè defectibili quoad conotatum. ibid. n. 74. pag. 471.

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium non ſe habet merè paſsivè in ordine ad actus ſalutares. tr. 2. diſp. 3. n. 58. pag. 220.

Liberum arbitrium ſine gtatia Dei non exercet ſalutares. ibid. n. 59. pag. 221.

Logica.

Solum eſt practica ſecundùm quid. tr. 1. diſp. 1. n. 75. pag. 37.

Lumen gloriæ.

Si per impoſsibile produceretur lumen gloriæ in intellectu creato à Deo, non vniretur eſſentia divina cum præfato intellectu per modum ſpeciei. tr. 1. diſp. 4. n. 43. pag. 101.

Lumen gloriæ juxta providentiam Dei ordinariam neceſſariò requiritur ad viſionem beatam. tr. 2. diſp. 1. n. 63. pag. 194.

Lumen gloriæ tranſiens ſufficit, vt Deus videatur clarè per modum tranſeuntis. ibid. n. 71. pag. 147.

Lumen gloriæ eſt aliquid vitale. ibid. num. 73. pag. 148.

Lumen gloriæ nequit eſſe connaturale intellectui creato. ibid. n. 82. pag. 152.

Lumen gloriæ non attingit omninò connaturaliter Deum clarè viſum. ibid. num. 85. pag. 153.

Lumen gloriæ, vt prescindens ab omnibus imperfectionibus, est perfectio simpliciter simplex, & prout sic connaturale soli Deo. ibid.

Prout autem lumen gloriæ est involutum imperfectionibus, neque est connaturale Deo, nec alicui substantiæ creatæ. ibid.

Lumen gloriæ non exercet, nec exercere valet munus speciei in ordine ad visionem beatam. tract. 2. disp. 2. numer. 4. pagin. 157.

Lumen gloriæ necessariò requiritur, vt disponat intellectum creatum ad vnionem essentiæ divinæ per modum speciei. ibid. disp. 3. n. 1. pag. 199.

Lumen gloriæ est dispositio necessaria ad visionem Dei recipiendam. ibid. numer. 6. pagin. 201.

Lumen gloriæ est medium necessarium, in quo recipitur visio beata tanquam in habitu, & virtute illam eliciente. ibid. n. 7.

Lumen gloriæ est participatio formalis intellectus divini, ac proinde in eodem ordine cum essentia divina sumpta per modum speciei, saltem participativè. ibid. num. 11. pagin. 203.

Lumen gloriæ creatum non potest suppleri à Deo præstante munus præfati lumnis. ibi. n. 15. pag. 203

Lumen gloriæ habet rationem formæ naturalis respectu intellectus, cui vnitur. ibid. numer. 16.

Cur repugnet vnio essentiæ divinæ cum intellectu creato per modum luminis gloriæ, cum possibilis sit vnio Dei cum creatura per modum subsistentiæ, & existentiæ? ibid. à num. 24. vsque ad 31. pag. 208.

Lumen gloriæ potest communicari intellectui, vel permanenter per modum habitus, vel transeunter ad instar dispositionis. ibid. n. 31. pag. 211.

Lumen gloriæ, quo Christus, & beati vident Deum, est qualitas ex natura sua permanens per modum habitus. ibid. numer. 49. pagin. 218.

Lumen gloriæ communicatum D. Paulo per modum transeuntis simul cum intellectu Apostoli, fuit causa principalis visionis: & quare? ibid.

Lumen gloriæ non est sola conditio elevans, sed est verè, & propriè virtus activa efficienter concurrens in actum visionis. ibid. num. 60. pag. 221.

Lumen gloriæ, & intellectus non influunt in visionem beatam partialiter partialitate effectus. ibid. n. 61.

Lumen gloriæ est tota ratio proxima agendi in visionem beatam sumptam sub conceptu specifico. ibid. num. 65. pag. 222.

Lumen gloriæ est virtus proximè influens in visionem, secundùm quod vitalis est. ibid. numer. 69.

Et si lumen gloriæ sit tota ratio proxima agendi visionem beatam, non est superflua potentia intellectiva, sed requiritur ad visionem per modum principij *quod* proximi, & principij *quo* remoti per modum potentiæ. ibid. n. 94. pag. 234.

Lumen gloriæ habet sufficientem vitalitatem; vt proximè influat in actum vitalem. ibid. num. 102. pag. 239.

Radicatur in gratia, quæ est vita radicalis supernaturalis. ibid.

Lumen gloriæ simpliciter infinitum est implicatorium. tract. 2. disp. 4. numer. 16. pagin. 249.

Etsi permittatur possibile lumen gloriæ simpliciter infinitum, potest, & debet negari lumen gloriæ ita intensum, vt sufficiat ad cognitionem omnium possibilium. ibid.

Quodlibet lumen gloriæ, quantumvis minimum, habet ex se sufficientem vim ad attingenda omnia decreta libera, quatenus terminantur ad species, vel individua huius vniversi. ibid. n. 39. & 47. pag. 257. & 262.

Ratio, quare vnus beatus videt plura decreta divina, est, quia Deus vult illa beato manifestare. ibid.

Lumen gloriæ cum tanta, vel tanta intensione est ratio, quare hic beatus videat has creaturas possibiles præ alijs. ibid. num. 51. pagin. 263.

Possibile est lumen gloriæ ita remissum, vt sufficiat ad cognoscendum Deum quidditativè, & non valeat penetrare in eo aliquam creaturam possibilem in particulari: & quare? ibi. n. 55. pag. 265.

Lumen gloriæ sufficiens ad cognoscendum in Deo creaturas magis latentes in omnipotentia, est etiam sufficiens ad cognoscendum creaturas minus latentes. ibid. num. 62. pagin. 268.

Lumen gloriæ finitum potest cognoscere infinitas creaturas possibiles, dummodo contineantur sub gradu determinato finito. ibid. num. 67. pag. 269.

Lumen gloriæ, quod est sufficiens ad cognoscendas in Deo substantias naturales est etiam sufficiens ad cognoscenda earum accidentia connaturalia. ibid. numer. 71. pag. 270.

Lumen gloriæ sufficiens ad cognoscenda in Deo dona supernaturalia non est sufficiens ad cognoscendas substantias naturales, neque earum accidentia connaturalia. ibid.

Ex eo quòd lumen gloriæ valde remissum sit sufficiens ad videnda decreta Dei in particulari circa creaturas existentes, non arguitur quòd sit sufficiens ad videndum eadem, vt possibiles quidditativè: sed solùm sequitur, quòd

quòd ſit ſufficiens ad videndum illas quoad *an eſt*. ib.num.74.pag.272.

Lumen ſupernaturale.

Lumen ſupernaturale elevans ſpecies naturales, vt influant activè in aſſenſum fidei, qualis ſit. tract. 2. diſp. 2. numer. 59. pag. 179.

M

Malum.

Omnia mala cognoſcuntur à Deo. tract.3. diſp. 1.n.46.pag.293.

Nequit tamen Deus illa cognoſcere niſi per bona,quibus opponuntur.ibid.

Deus non prædiffinit decreto abſoluto, & ex ſe efficaci malum culpæ. ibid. num. 100. pag.514.

Nec vllo modo concurrit ad illud. ibid. num. 102.

Permittit tamen illud. ibid. num. 135. pag. 526.

Malum culpę quoad ſuum materiale prædiffinitur à Deo. ib. n. 109.pag.516.

Mala, cur ſit conveniens, permitti à Proviſore vniverſali, non verò à particulari? tract. 5.diſp.3.num.76.pag.587.

Materia.

Materia eſt cauſa limitationis formæ: & negatio materiæ cauſa negationis limitationis formæ: & qualiter? tract. 2.diſp. 1. num. 13. pag.121.

Media.

Media vt exequenda addunt difficultatem ſupra ſeipſa,vt eligibilia.tract. 4. diſp. 1. num. 31. pag.430.

Volitio mediorum eſt magis efficax, quàm volitio finis, quando media ſunt inefficacia, ſecus verò quando ſunt efficacia.tract.4.diſp. 3.num.17.pag.482.

Voluntas efficax, & abſoluta mediorum efficacium ad aliquem finem ſupponit voluntatem efficacem, & abſolutam ipſius finis. tract. 5. diſput. 2. numer. 23. pagin. 558.

Vide *Electio*, *Intentio*, & *Finis*.

Menſura.

Menſura homogenea debet eſſe omninò proportionata,ſecus verò heterogenea. tract.1.diſp. 5.num.12.pag.108.

Meritorium.

Opus meritorium aliud eſt ſupernaturale quoad entitatem,& modum: aliud naturale quoad ſubſtantiam, & ſupernaturale quoad modum. tract. 2. diſp. 3. numer. 109. pagin. 242.

Opus meritorium naturale quoad ſubſtantiam, ſecundùm hanc rationem procedit à libero arbitrio, & quoad modum ſupernaturalitatis à gratia Spiritus-ſancti. ibid.

Meritum.

Meritorum connexio cum gloria magis dependet ab intentione finis, quàm media phyſica. tract. 5. diſp. 2. numer. 29. pagin. 559.

Merita ad gloriam habent mutuam dependentiam in diverſo genere cauſæ, diverſoque ordine,intentionis ſcilicet, & executionis. ibid. num.35.pag.561.

Electio prædeſtinatorum ad gloriam nequit fieri propter merita. ibid. numer. 10. pagin. 555.

Metaphyſica.

Metaphyſica procedit à creaturis adDeum.tract 1.diſp.1.n.4.pag.2.

Non habet ex proprijs meritis,quòd adjungatur fidei.ibid.n.14.pag.5.

Metaphyſica eſt ſapientia apud Philoſophos; non tamen eſt abſolutè ſapientia apud Theologos, ſed ſola Theologia. ibid. num. 74. pag.36.

Miſericordia.

Quo pacto detur inDeo virtus miſericordię virtualiter diſtinctę à voluntate? tract.4.diſp.1. num.27.pag.429.

Modus.

Modus ſpecialis, quo Deus dicitur eſſe in anima juſti, non poteſt fieri per aſſiſtentiam extrinſecam. tract. 1. diſp. 4. numer. 39. pag 99.

Talis modus debet fieri per aliquod donum intrinſecum ſupernaturale.ibid.

Modus, quo Deus eſt in animam per immenſitatem producendo gratiam habitualem, neceſſariò præſupponi debet ad illum ſpecialem modum,quo eſt phyſicè in anima juſti per modum obiecti cogniti, & amati. ibid. n. 43. pag. 101.

Modus autem, quo Deus eſt per immenſitatem in animà producendo eius entitatem naturalem, non requiritur per ſe, ſed de materiali ſe habet, ad hoc, vt ſit in illa ſpecialiter per gratiam per modum obiecti cogniti, & amati. ibid.

Modus ſubſtantialis ſupernaturalis eſt poſsibilis, & defactò datur. tract. 2. diſp. 1. n. 81. pag. 151.

Huiuſmodi eſt vnio hypoſtatica.ibid.

P. Molina.

Aſſerens, Deum cognoſcere in voluntate creata, vt indifferenti, actus liberos futuros; non autem in ſua voluntate divina decreta libera,antequàm ſint, arguitur inconſequentię.tract.3.diſp.3.n.23.pag.356.

Motus.

Omne, quod movetur,à Deo movetur tanquam à primo movente per concurſum prævium. tract.4.diſp.3.n.63.pag.501.

Diverſo modo Angelus fuit motus à Deo in primo inſtanti, ac voluntas creata, vt generaliter præmota à Deo ad quemlibet actum bonum: & in quo ſiet diſcrimen? ibid. num. 87. pag. 508.

Movens, & Motum.

Movens, & motum debent eſſe ſimul. tract. 1. diſp. 4. num. 1. pag. 84.

N

Natura.

Nequit dari natura intellectualis, non volitiva. tract. 4. diſp. 1. numer. 8. pagin. 421.

Natura divina.

Natura divina poteſt conſiderari phyſicè, vel metaphyſicè. tract. 1. diſp. 2. numer. 17. pag. 47.

Phyſicè conſiderata dicit omnes perfectiones divinas: metaphyſicè verò accepta ſolùm dicit illud prędicatum, quod ex noſtro modo concipiendi eſt radix cæterorum. ibid.

Natura divina metaphyſicè conſiderata poteſt à nobis concipi imperfectè, & inadæquatè, vel adæquatè, & perfectè. ibid. numer. 18.

Natura divina non conſtituitur metaphyſicè per aggregationem omnium perfectionum divinarum. ibid. n. 20.

Nec conſtituitur metaphyſicè per voluntatem. ibid. num. 22. pag. 48.

Nec per infinitatem. ibid. num. 23.

Nec per rationem entis à ſe. ibid. numer. 25. pag. 49.

Conceptus naturæ non diſtinguitur virtualiter in Deo à conceptu eſſentiæ. ibid. numer. 26.

Natura divina non conſtituitur metaphyſicè per rationem actus puri in linea entis, nec per rationem entis per eſſentiam: nec per rationem ſubſtantię immaterialiſsimæ. ib. n. 27. pag. 50.

Intelligere actuale pertinet ad conſtitutivum metaphyſicum naturę divinæ. ibid. numer. 35. pag. 55.

Natura divina non diſtinguitur virtualiter ab obiecto motivo, ſeu terminativo intellectionis divinæ. ibid. numer. 37. pagin. 56.

Natura divina debet conſtitui per vitam intellectualem perfectiſsimam. ibid. num. 45. pagin. 60.

Licèt ad conſtitutivum metaphyſicum naturæ divinæ pertineant conceptus exiſtentiæ, intelligere radicale, intellectus, intellectio, ſpecies intelligibilis, & intelligi, nec non ratio obiecti; melius tamen explicatur per intelligere, quàm per alium conceptum ex dictis. ibid. numer. 47. pag. 61.

Natura divina ſecundum ſe conſiderata, ſeu vt tranſcendens tranſcendentia rei, includitur intrinſecè in paternitate, eſtque de eſſentia illius, non obſtante diſtinctione virtuali intrinſeca inter illas. ibid. diſp. 3. numer. 34. pag. 78.

Natura divina ſub conceptu naturę non includitur eſſentialiter in paternitate. ibid. num. 40. pag. 80.

Ex eo, quòd natura divina ſub conceptu naturæ non includatur per tranſcendentiam in paternitate, non arguitur in Deo compoſitio metaphyſica. ibid. num. 41.

Natura divina poteſt participari accidentaliter, non verò ſubſtantialiter. tract. 2. diſp. 1. num. 88. pag. 154.

Eadem natura quoad ſua prædicata quidditativa poteſt identificari cum plurimis modis realiter diſtinctis, ſcilicèt naturali, & intelligibili; quin ex diſtinctione modorum arguatur aliqua diſtinctio realis in natura. ibid. diſp. 2. num. 32. pagin. 167.

Natura divina nequit reſpicere creaturas vt ſpecificativum adhuc virtuale. tract. 3. diſp. 2. n. 60. pag. 335.

Natura divina neceſſario connectitur cum creaturis: ex quo non infertur, quòd reſpiciat illas, vt ſpecificativum virtuale. ibid. num. 63. pag 336.

Quòd natura divina non ſit proximè executiva, recte probatur ex eo, quòd ſubſtantia creata non ſit potentia immediatè operativa: & quare? ib. n. 64.

Quòd natura divina ſit tantùm radicaliter operativa ad extra, explicat maiorem perfectionem, quàm explicaret, ſi eſſet potentia proximè operativa. ibid. num. 66. & 67. pag. 337.

Natura divina propriè loquendo non eſt principium virtuale cum fundamento in re actuum eſſentialium. tract. 4. diſp. 1. num. 24. pag. 427.

Velle divinum eſt attributum naturæ divinę, & non pertinet ad conſtitutionem metaphyſicam illius. ibid. num. 30. pag. 430.

Neceſſarium.

Aliud abſolutè tale: aliud ex ſuppoſitione. tract. 1. diſp. 1. n. 2. pag. 1.

Neceſſarium ex fine, quid? ibid.

Neceſſarium ex fine, aliud ſimpliciter aliud ſecundùm quid. ibid.

Neceſſarium aliud neceſsitate medij, aliud neceſſitate præcepti. ibid. n. 3. pag. 2.

Neceſsitas.

Non eſt inconveniens ponere in Deo neceſsitatem quoad ſpecificationem erga aliquas creaturas. tract. 4. diſp. 2. num. 25. pag. 451.

Prædicta neceſsitate odit malum culpæ. ibid. num. 17.
Voluntas creata inſtructa iudicio indifferenti nequit à Deo neceſsitari quacumque prædiffinitione. ib. diſp. 3. num. 71. & 88. pag. 503. & 509.

O

Obiectum.

Obiectum Theologiæ noſtræ addit quodammodò differentiam accidentalem obiecto ſcientię beatæ. tract. 1. diſp. 1. numer. 26. pagin. 9.
Obiectum Theologiæ eſt idem formaliſsimè, ſivè attingatur medio aſſenſu fidei, ſivè medio lumine gloriæ. ibid. numer. 49. pagin. 21.
Obiectum aliud formale, aliud materiale. tract. 2. diſp. 1. n. 13. pag. 121.
Explicatio huius diviſionis. ibid.
Obiectum aliud *quod*, ſeu ratio *quę*: aliud *quo*, ſeu ratio ſub *qua*. ibid.
Explicatio huius diviſionis. ibid.
Obiectum *quod*, aliud adæquatum, aliud inadæquatum. ibid.
Obiectum *quod* aliud intenſivum, ſeu proportionatum, aliud extenſivum, ſeu improportionatum ibid. n. 14. pag 122.
Explicatio huius diviſionis. ibid.
Ratio *ſub qua* obiecti non ſpecificat prout abſtrahit à ſuis inferioribus abſtractione totali, ſeu potentiali, ſed præcisè prout abſtrahit abſtractione formali. ibid. num. 18. pag. 123.
Obiectum intellectus creati eſt ſimpliciter vnum in *eſſe* obiecti, licèt ſit quid analogum, & ſimpliciter diverſum in *eſſe* entis. ibid. num. 37. pag. 132.
Inter obiectum cognitum, & principium connaturaliter cognoſcitivum illius debet dari omnimoda proportio, & convenientia in immaterialitate. tract. 2. diſp. 1. numer. 56. pag. 141.
Non omne obiectum contentum ſub ſpecificativo eſt proportionatum potentię ſpecificatæ. ibid. n. 62. pag. 144.
Vt obiectum influat in cognitionem debet vniri cum potentia. tract. 2. diſp. 2. n. 5. & 8. pag. 158. & 159.
Tàm eſſe intelligibile, quàm eſſe intellectum ſunt perfectiones intrinſecæ obiecti. ibid. numer. 100. pag. 194.
Obiectum primarium cuiuſcumque intellectionis divinæ non comprehendit creaturas. tract. 3. diſput. 1. numer. 49. pagin. 294.
Obiectum per ſe primum, tàm motivum, quàm terminativum cuiuslibet intellectionis diviną eſt ſola divina eſſentia; vt virtualiter diſtincta ab attributis, & relationibus. ibid. num. 51. pag. 295.
Obiectum primarium intellectionis primordialis Dei non petit eſſe ſummè perfectum in eſſe rei, ſed tantum in eſſe obiecti. ibid. num. 58. pag. 297.
Maior perfectio obiecti intellectus ſumitur ex diſtincto capite, ac maior perfectio obiecti voluntatis: & ratio huius diſcriminis. ibid.
Diſcrimen inter obiectum intellectus creati, & divini explicatur. ibid. numer. 61. pag. 298.
Obiectum abſtractius abſtractione formali eſt perfectius, quam illud, quod præcisè eſt abſtractius abſtractione totali. ibid. num. 65. pag. 300.
Obiectum vniverſalius in continendo, & cauſando eſt perfectius eo, quod eſt vniverſalius præcisè in prædicando. ibid.
Obiectum formale alicuius intellectus debet continere omnia, ad quæ talis intellectus ſe extendere poteſt, non præcisè logicè, ſed logice, vel cauſaliter. ibid. num. 66. pag. 301.
Obiectum ſcientiæ mediæ eſt implicatorium. ib. diſp. 5. n. 27. pag. 405.
Obiectum adæquatum primarium, & formale voluntatis divinæ eſt bonitas divina: creaturæ verò ſunt obiectum præcisè materiale, & ſecundarium. tract. 4. diſp. 1. numer. 33. pag. 431.
Obiectum charitatis creatæ & divinæ eſt idem cum diſtinctione penes finitatem, & infinitatem. ibid. num. 37. pag. 433.
Obiectum vtriuſque eſt Deus ſub ratione vltimi finis, & ſub ratione ſummi boni, quod ſit tale abſolutè, & ſimpliciter, & in omni linea. ibid. & numer. 38. pag. 434.
Obiectum decreti purè conditionati non eſt purè poſsibile. ibid. diſput. 3. numer. 48. pag. 496.

Obſtinatio.

In ſenſu compoſito obſtinationis conferuntur obſtinatis aliqua auxilia ſufficientia ad ſalutem. tract. 4. diſp. 3. numer. 37. pagin. 491.

Oculus.

Oculus corporeus adhuc de potentia abſoluta non poteſt elevari ad videndum Deum prout eſt in ſe; immò nec aliam rem ſpiritualem. tract. 2. diſp. 1. numer. 53. pag. 139.

Odium.

Actui odij ſecundùm nullum conceptum debetur rectitudo charitatis. tract. 2. diſp. 3. num. 92. pag. 232.
In Deo non eſt propriè odium. tract. 4. diſp. 1. num. 71. pag. 446.

Odium prout dicit voluntatem non conferendi aliquod beneficium, vt tale, eſtò non præſupponat prævisionem culpæ, non eſt ſpecies crudelitatis. tract. 5. diſp. 3. num. 84. pagin. 589.

Vt omiſsio actus præcepti alicui imputetur ad culpam, ſufficit, & requiritur, quòd teneatur ad actum præceptum. tract. 3. diſp. 5. n. 54. pag. 414.

Omnipotentia.

Omnipotentia divina non diſtinguitur virtualiter ab immenſitate. tr. 1. diſp. 4. n. 16. pag. 89.

Omnipotentia ſub munere immenſitatis, & quatenus eſt Deo ratio exiſtendi in loco, quodammodò pertinet ad lineam eſſendi, hoc eſt metaphoricè. ibid. numer. 22. pagin. 92.

Qualiter omnipotentia terminetur ad factibile vt ſic, & qualiter ad factibile in particulari? tract. 2. diſput. 4. num. 11. pagin. 246.

Omnipotentia cognoſcitur à beatis ſecundùm omnem ſuam entitatem, & ſecundùm terminationem ad factibile vt ſic; non verò ſecundùm terminationes ad omnia factibilia in particulari. ibid. numer. 12. 13. & 14.

Si omnipotentia exiſteret ſine perſonis, eſſet eſſentialiter diverſa ab omnipotentia nunc exiſtenti. ibi. n. 27.

Omnipotentia reſpicit per modum quaſi ſpecificativi poſsibile in communi. ibid. numer. 54.

Omnipotentia diverſo modo reſpicit exiſtens in communi, ac poſsibile in communi: & ratio huius diverſitatis. ibid.

Omnipotentia, quatenus continet creaturam perfectiorem, explicat maiorem activitatem, quàm vt præcontentiva creaturæ imperfectioris. ibid. num. 61.

Ex creaturis contentis in omnipotentia, aliquam eſſe latentiorem, & minùs manifeſtam, nec pendet ex eo, quòd ſit abſolute perfectior, nec ex eo, quòd ſit abſolutè imperfectior. ibid. n. 63.

Conſiſtit in hoc, quòd creatura ſit perfectior tàm ſecundùm ſuam eſſentiam, quàm ſecundùm modum eſſendi. ibid. n. 64.

Ratio huius. ibid

In omnipotentia tanquam in cauſa magis latent entia naturalia, quàm ſupernaturalia. ibid. num. 66.

Inter ſubſtantias naturales contentas in omnipotentia, illa magis latet in illa tanquam in cauſa, quæ ad ſui productionem petit maiorem activitatem. ibid. n. 69.

Inter accidentia ſupernaturalia contenta in omnipotentia, ſi ſunt participationes virtuales alicuius prædicati divini, eodem modo philoſophandum eſt, ac de ſubſtantijs naturalibus, quoad latere magis, vel minus in omnipotentia. ibid.

Secus verò in accidente ſupernaturali, quod ſit participatio formalis prædicati divini. & quare? ibid.

Omnipotentia divina, vt præcontentiva hominis, eſt eminenter præcontentiva formicæ, vel ſaltem ſupponit, aut infert præcontinentiam formicæ. ibid. n. 70.

Adhuc admiſſo, quòd omnipotentia, vt præcontentiva hominis, non contineat formicam, nec ſupponat, vel inferat præcontinentiam formicæ, nihilominus cognitio omnipotentiæ, vt præcontentiva hominis, infert neceſſariò cognitionem eiuſdem; vt præcontentivæ formicæ. ibid.

Ex omnipotentia cognita quidditativè, vt cauſa, non arguitur cognitio alicuius effectus factibilis in particulari. ibid. numer. 74.

Omnipotentia præcedit poſsibilitatem creaturarum, vt cauſa, & ratio à priori illius. tract. 3. diſp. 1. num. 87. pag. 309.

Omnipotentia nec ſpecificatur à creaturis, nec terminatur primario ad eas. ibid. numer. 93.

In omnipotentia divina conceptus virtutis factivæ creaturarum eſt abſolute conceptus ſecundarius. ibid.

Variæ ſententiæ circa conſtitutivum omnipotentiæ Dei referuntur. ibid. diſp. 2. n. 58. pag. 335.

Omnipotentia diſtinguitur virtualiter à natura divina. ibid. n. 59.

Omnipotentia reſpicit creaturas factibiles, vt ſpecificativum virtuale ſui. ibid. & numer. 51.

Omnipotentia Dei diſtinguitur virtualiter ab intellectu divino. ibid. numer. 62.

Omnipotentia non eſt virtualiter diſtincta à linea intellectiva, & volitiva. ibid. numer. 69.

Omnipotentia, ſeu potentia Dei qualiter diſtinguatur in via D. Thomæ per rationem à ſcientia, & voluntate. ibid. numer. 72.

Omnipotentia non conſiſtit æquè in recto in linea intellectiva, & volitiva, ſed tantùm in vna, vel altera: cæterum illa, in qua conſiſtit, neceſſariò debet connotare alteram lineam. ibid. n. 77.

Omnipotentia, ſeu potentia executiva Dei non conſiſtit in recto in aliquo prædicato pertinente ad lineam voluntatis, ſed in prædicato pertinente ad lineam intellectus. ibid. n. 82. vſque ad 85.

Omnipotentia non conſtituitur in actu primo per intellectum, & per actum ſcientiæ in actu ſecundo. ibid. n. 78.

Omnipotentia, ſeu potentia executiva conſiſtit formaliter in ſcientia Dei, & non in alio attri

attributo intellectuali. ibid. num. 90.
Si omnipotencia concurrit ad formale peccati concursu positivo, Deus ageret per actionem turpem & inhonestam. tract. 4. disp. 3. n. 105. pag. 515.

Operatio.

Operatio virtualiter transiens est Deo ratio formalis existendi in loco, & in rebus. tract. 1. disp. 4. n. 11. pag. 88.

Opus.

Opera bona moraliter prædestinati adhuc ordinis naturalis sunt effectus suæ prædestinationis. tract. 5. disp. 3. n. 29. pag. 575.
Plura opera moraliter bona reproborum sunt effectus prædestinationis electorum. ibid. n. 66.

Oppositio.

Oppositio contradictoria propositionum de futuro contingenti absoluto, vel conditionato qualiter intelligenda, & explicanda? tract. 3. disp. 3. numer. 39. & disput. 4. numer. 29. pag. 388.
Non est medium sufficiens, vt Deus certò, & infallibiliter cognoscat prædicta futura contingentia absoluta, sivè conditionata pro priori ad decretum efficax Dei de eorum existentia. ibid.

Ordinare.

Ordinare vnum ad aliud non est proprium voluntatis, nec charitatis. tract. 5. disp. 1. n. 17. pag. 534.
In actibus intellectus, & voluntatis datur duplex ordo, alius directus, & alter reflexus. ibi num. 54.

Origenes.

Dictum Origenis, nempè, *Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo &c.* explicatur. tract. 3. disp. 2. numer. 54. pag. 332.

P

Illmus. Palanco.

Carpens divisionem distinctionis rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ inter prædicata divina, impugnatur. tract. 1. disp. 2. num. 51. pag. 64.
Idem statuens donum supernaturale speciei distinctum à gratia habituali, & compatibile cum illa, vt radicet fidem, & spem, tàm in peccatore, quàm in justo, impugnatur. tract. 2. disp. 3. à num. 98. vsque ad 100. pag. 237.

Pars.

Pars obiectiva quid? tract. 5. disp. 1. num. 82. pag. 552.
Intellectus practicus, & speculativus sunt partes obiectivæ intellectus vt sic. ibid.
Prædestinatio est pars obiectiva providentiæ divinæ. ibid.
Pars subiectiva quid? ibid.

Pater Æternus.

Cur Pater æternus per visionem beatam producat verbum, quamvis essentia divina vniatur intellectui paterno per modum obiecti, aut intellecti. tract. 2. disp. 2. num. 108. pagin. 198.
Pater æternus cur producit verbum, secus verò beati? ibid.
Qualiter Pater æternus sit beatus prius priori-tate originis, quàm Filius & Spiritus-sanctus, & nihilominus beatitudo Patris nequeat intelligi perfecta, nisi terminata ad Filium, & Spiritum-sanctum? ibid. disp. 4. num. 30. pagin. 255.

Paternitas.

Paternitas non includitur essentialiter in natura divina: est tamen quasi modus inadæquatus essentialis illius. tract. 1. disp. 3. n. 42. & 45. pag. 81.

Peccatum.

In peccato commissionis vera entitas physica reperitur, quæ continetur intra causalitatem Dei. tract. 2. disp. 3. numer. 103. pagin. 240.
Peccatum nequit cognosci à Deo nisi per bonum, cui opponitur. tract. 3. disp. 1. num. 46. pag. 293.
Qualiter intelligatur dictum Sanctorum PP. asserentium: *Quia peccatum futurum est, scitur à Deo?* ibid. disput. 2. numer. 57. pag. 334.
Peccatum quoad fundamentum, & entitatem est physice futurum ab æterno: quoad malitiam verò, & deformitatem solum est futurum logicè. ibid. disp. 3. numer. 52. pagin. 369.
Tale peccatum cognoscitur infallibiliter à Deo vt futurum quoad entitatem in decreto efficaci Dei illam decernente: quoad malitiam verò in decreto efficaci permissivo Dei illam logicè inferente. ibid.
In peccatoribus obstinatis recipiuntur aliqua auxilia sufficientia ad salutem. tract. 4. disp. num. 37. pag. 491.
In quolibet peccato dantur plura prædicata, & quænam sint? ibi n. 98.
Formale peccati non prædiffinitur à Deo. ibid. num. 100.
Deus nequit concurrere, vt vera causa, ad formale peccati ibid. n. 102.
Actus peccati secundùm omnes rationes, quæ non exprimunt deformitatem moralem, prædiffinitur efficaciter à Deo. ibid. numer. 109.
Formale peccati infallibiliter tantùm logicè infertur tam ex decreto prædeterminativo ad materiale, quàm ex decreto permissivo illius formalitatis. ibi n. 136.
Peccatum sub expressione *malitiæ* non est effectus prædestinationis. tr. 5. disp. 3. n. 4. p. 568.

Permiſsio peccati in quo conſiſtat ? ibid.num.5. pag.568.
Permiſsio peccati non eſt effectus elicitus prædeſtinationis.ibid.n.6.pag.569.
Permiſsio peccati in electis eſt abſolutè effectus ſuæ prædeſtinationis,tàm ex præintenta humilitate, quàm ex præintenta pœnitentia.ibid. n.9.pag.569.
Permiſsiones omnium peccatorum in electis ſunt effectus ſuæ prædeſtinationis. ibid. num. 21.pag 573.
Permiſsiones peccatorum in reprobis ſunt effectus prædeſtinationis electorum. ibid. numer.22.
Remiſſo peccato mortali, vel originali quo ad culpam,non poteſt manere reatus pœnæ æternæ.ibid.n.89.pag 590.
Peccatum præcedet ſui permiſsionem in genere cauſæ diſpoſitivæ. ibid. num. 93. pagin.592.
Reprobatio poſsitiva ſupponit prævisionem peccatorum, propter quæ reprobus damnatur.ibid.n.96.pag.593.
Quomodò ſtet, quòd pœnæ ſit finis permiſsionis peccati non remiſsi, & peccatum ſit prius pœna in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ, & materiæ ? ibid. numer. 100. pagin. 594.
Probabile eſt, quòd peccatum eſt poſterius pœna ordine intentionis.ibid.
Probabile eſt oppoſitum.ibid.
Peccatum ipſum non eſt effectus reprobationis ſivè poſitivæ, ſivè negativæ. ibid. num.101. pag.595.
Permiſsiones omnium eorum peccatorum,quæ ſunt pœnas alterius peccati præcedentis, ſunt effectus reprobationis poſitivæ. ibid.

Peccatum originale.

Peccatum originale non eſt cauſa reprobationis negativę. tract. 5. diſp.3. num. 87. pagin. 590.
Sententia D. Auguſtini circa hoc explicatur à D. Thoma.ibi.n.90.
Remedium peccati originalis, & Chriſtus Dominus habent mutuam dependentiam in diverſo genere cauſę. ibid. numer. 95. pagin. 593.

Permiſsio.

Vide. *Peccatum. Prædeſtinatio. Reprobatio.*

Perſeverantia.

Eſſentia doni perſeverantiæ deſtruitur per ſcientiam mediam. tract. 3. diſp. 5. num. 43.pagin.410.

Perſona divina.

Cur perſona divina vniatur humanitati abſque diſpoſitione media ex parte humanitatis, cùm eſſentia divina non vniatur intellectui beati ſine diſpoſitione præcedente ex parte intellectus?tract.2.diſp.3. n.10.
Impoſsibile eſt, quòd vna perſona divina videatur ſine alia. ibid. diſput. 4. numer.23.pagin.202.

Perſonalitas divina.

Perſonalitas divina vnitur in mediatè humanitati Chriſti, quin ſpecificetur ab ea, & quare? tract.3.diſp.1.n.94.pag.291.

Perſonalitas creata.

Perſonalitas creata nequit reddere ſubſiſtentem alienam naturam. tract. 1. diſput. 1. num. 75.pag.37.

Philoſophia.

Philoſophia naturalis ſubordinata principijs fidei, eſt proficua, ſine tali ſubordinatione nociva. tract. 1. diſp. 1. num. 15. pagin. 5.

Pœna.

Pœna eſt totaliter bonum occaſionatum, ſecus verò pœnitentia, & quare ? tract. 5. diſp. 3. num.17.pag.571.
Reatus pœnæ æternæ nequit remanere remiſſa culpa ibi.num.89.pag.590.
Quomodò ſtet, quòd pœna ſit finis permiſsionis peccati non remiſsi, & peccatum ſit prius in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ,& meritoriæ ? ibi.n.100.pag.594.
Diſcrimen notabile inter pœnam, & gloriam per modum coronæ.ibid. pag.594.
Probabile eſt, quò pœna ordine intentionis eſt prior, quàm peccatum. ibid. pag.594.
Probabile eſt oppoſitum.ibid.
Pœna æterna tàm damni, quàm ſenſus eſt effectus reprobationis poſitivæ.ibid. num. 101. pag. 595.

Pœnitentia.

Pœnitentia eſt amabilis ratione ſui, ſecus verò pœna. tract. 5. diſp. 3. numer. 17. pagin. 571.
Permiſsio peccati eſt effectus prædeſtinationis ex præintenta pœnitentia.ibi.
Pœnitentia eſt quandoque melior innocentia. ibid. num. 20.pag.572.

Poſsibilia.

Poſsibilia collectivè, & ſecundùm ſuas differentias non poſſunt attingi niſi per cognitionem infinitam, & comprehenſivam Dei tract.2. diſp.1.n.6.pag.119.
Impoſsibile eſt, quòd omnia poſsibilia videantur in omnipotentia ab aliquo beato.ibid.diſput.4.n.49.pag.262.
Ratio cur hæc poſsibilia videantur præ alijs à beato in eſſentia divina, eſt vnio eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei cum tanta, vel tanta perfectione, & lumen glorię cum hac,vel illa intentione. ibid. num. 51.pag. 263.
Non omnia poſsibilia ſunt aquè cognoſcibilia in omnipotentia ex natura rei, & in actu primo, ſed aliqua magis, alia minus latent. ibid. numer. 53. & num. 61. pagin.268.
Poſsibilia in communi neceſſariò videntur in eſſen-

eſſentia divina ex vi viſionis beatæ; non tamen ex vi illius eſt neceſſe, quòd videatur aliquod poſsibile in particulari. ibid. numer. 54.pag.265.

Poſsibile in communi eſt quaſi ſpecificativum virtuale omnipotentiæ. ibid.

Poſsibilia in communi qualiter differant ab exiſtentibus in communi in ratione termini inſpecti ab omnipotentia.ibid.

Creaturę poſsibiles non continentur formaliter in Deo, ſed tantùm virtualiter. ibid. num. 57.pag.266.

Creaturæ poſsibiles in particulari reſpiciuntur omninò ſecundariò ab omnipotentia.ibid.

Si aliquod poſsibile in particulari redderetur impoſsibile, deſtrueretur omnipotentia, quæ nunc eſt.ibid.

Ad cognoſcenda omnia poſsibilia requiritur lumen infinitum. ibid. n.68.pag.270.

Ad cognitionem infinitarum ſpecierum poſsibilium contentarum ſub determinato genere, aut gradu perfectionis, & infinitorum individuorum poſsibilium ſub determinata ſpecie ſufficit lumen finitum.ibid.

Ex cognitione omnium poſsibilium ab intellectu creato, ſive in verbo, ſivè extra verbum ſequitur comprehenſio Dei. ibid. num. 75. pag.273.

Poſsibilia, quæ aliquando erunt, quoad ſuas quidditates cognoſcuntur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. tract. 3. diſp. 2. n.310.p.324.

Poſsibilia, vt privativè non futura, cognoſcuntur à Deo per eandem ſcientiam.ibid. n.33. & 34. pag. 324.

Implicat, aliquid eſſe actu ab æterno poſsibile, quin ex meritis ipſius poſsibilis exiſtat actu, & ab æterno omnipotentia. ibid.diſp.4.n.22. pag.384.

Poſsibilitas.

Poſsibilitas creaturarum ſupponit omnipotentiam, vt cauſam, & rationem à priori.tract. 3.diſp.1.n.87.pag.309.

Poſsibilitas creaturæ eſt duplex: alia poſitiva, alia negativa.ibid.diſp.4. numer. 53. pagin. 397.

Poſsibilitas poſitiva conſtituitur per omnipotentiam, & facit ſtatum oppoſitum futuritioni, & præſentialitati: negativa conſiſtit in non repugnantia prędicatorum: & invenitur in omni ſtatu.ibid.

Potentia.

Ex eo, quòd duæ potentiæ ſpecie diſtinctæ conveniant in attingentia alicuius obiecti partialis, non infertur, hoc eſſe extra illarum obiectum ſpecificativum. tract.2. diſp. 1. n. 18.& 21. pag. 123.

Potentia entitativè naturalis poteſt eſſe formaliter ſupernaturalis. ibid. num. 28.& 29.pagin.128.

Potentia entitative naturalis non poteſt dicere reſpectum poſitivum ad ens ſupernaturale per modum virtutis proximæ: benè tamen per modum purę potentiæ. ibid. numer. 30. pag.130.

Potentia obedientialis, etsì entitativè naturalis, non poteſt attingi comprehenſivè niſi per cognitionem ſupernaturalem.ibid.

Ad hoc, vt aliqua potentia ſit perfectior alia, ſufficit,& requiritur, quòd in tota collectione ſuorum actuum partialium includat actum, qui abſolutè excedat totam collectionem actuum inferioris potentiæ. ibid. n. 35. pag. 131.

Potentia ſolùm habet appetitum innatum ad ſuum obiectum proportionatum, ſecus verò ad improportionatum. ibid. numer.47.pag. 136.

Potentia corporea poteſt elevari ad attingendum activè rem ſpiritualem per modum inſtrumenti, & non vitaliter; non verò poteſt elevari ad attingendum rem ſpiritualem vitaliter, & per modum cauſæ principalis.ibid.n. 54.pag.140.

Potentia nutritiva poteſt concurrere inſtrumentaliter, & partim non vitaliter ad terminum excedentem ſe: ſecus autem potentia ſenſitiva. ibid.

Potentia ex ſe impotens ad eliciendam aliquam actionem, nequit reddi potens ad illius elicientiam per ſolùm auxilium extrinſecum. ibid.n.65.pag.145.

Solùm illa potentia, quæ per modum potentiæ ſimplicis, & principium cognitionis, exigit ſpeciem impreſſam ſibi connaturalem connaturalitate omnimoda.ibid.diſp.2.num.81.pagin.186.

Potentia indiget elevatione, quæ ſe habeat, vt diſpoſitio ad attingendum obiectum ſuperexcedens quantitatem virtutis ipſius, quamvis obiectum contineatur inter ſpecificativum potentiæ. ibid. diſp.3 n.12 pag.203.

Quælibet potentia poteſt elevari, vt inſtrumentaliter attingat effectum, qui eſt extra latitudinem ſui obiecti ſpecificativi, niſi obſtet vitalitas operationis. ibid.diſp. 3. num. 50. pag.216.

Potentia generativa non eſt inſtrumentum rigoroſum, ſed virtus inſtrumentaria per modum potentię, quæ à principio dimanat à ſubſtantia,vt virtus eius connaturalis. ibid. num.51. pag.217.

Potentia obedientialis, ſed non omnis, concurrit inſtrumentaliter ad operationes ſupernaturales: & quare? ibid. numer. 57. pagin. 220.

Potentia naturalis nullum influxum proximum, quamvis minimum, præſtat in operationem ſupernaturalem, & ſalutarem.ibid.numer.65. pag.222.

Potentia obedientialis proximè activa actuum ſupernaturalium eſt impoſsibilis. ibid. n. 70. pag.225.

Tota ratio eſſendi potentiæ naturalis in ordine ſupernaturali eſt habitus ſupernaturalis. ibid. n.71.pag. 226.

Impoſsibilis eſt potentia purè naturalis,ſivè ſub ratione naturalis,ſivè ſub ratione obedientialis, cui connaturaliter debeatur vnio cum lumine gloriæ, & concurſus ex parte Dei ad viſionem beatam. ibid. num. 74. pag. 227.

Non omnis potentia naturalis habet activitatem proximam in omne obiectum contentum ſub ſpecificativo. ibid. numer.83. & 84. pag.230.

In quo differat potentia practica à ſpeculativa? ibi. diſp.4.n.13.pag.218.

Differentia inter potentiam creatam, & divinam in modo reſpiciendi obiectum.ibid.n.14.

Potentia, ſeu virtus creata poteſt quidditativè videri; quin videatur aliquis effectus illius, vel obiectum in particulari. ibid. num.55.

Eſtò potentia executiva diſtinguatur realiter in creatis à linea intellectiva, & volitiva, non inde arguitur, quòd in Deo diſtinguatur virtualiter à prædictis lineis. tract.3.diſp.2.n.73. pag.339.

Potentia proxima executiva, ſive in Angelis,ſivè in nobis non diſtinguitur realiter à linea intellectiva, & volitiva, vel ſenſitiva,& appetitiva.ibid.num.74.pag.340.

Potentia executiva in Deo non habet diverſum obiectum formale, ac linea intellectiva,& volitiva.ibid.n.75.p.340.

In quo ſenſu poſsit concedi in Deo triplex potentia; & in quo non? ibid. num. 91. pag. 345.

In Deo datur vera, & propria ratio potentiæ reſpectu perſonarum procedentium,& creaturarum.tract.4.diſp. 1. n. 10. pag. 422.

Voluntas non habet rationem potentiæ realiter reſpectu actus eſſentialiter accepti, nec realiter formaliter iuxta diſtinctionem ex natura rei.ibid. n. 12. pag.422.

In Deo nullum attributum habet rationem potentiæ reſpectu actus illi correſpondentis,ſed præcisè ex modo ſignificandi.ibid. num. 13. pag.423.

In ſuppoſitione, quòd potentia divina diſtinguatur virtualiter cum fundamento in re à ſuo actu primario, nequit illum includere per tranſcendentiam. ibid. numer. 20. pagin.425.

Ratio potentiæ relatę ad actum non prædicatur analogicè de Deo, & creaturis.ibid. num.23. pag. 426.

Illud axioma, *Quod facit actus actu, facit potentia poſsibiliter*,de qua potentia,& de quo actu intelligatur. ibid. diſp. 3. numer.95. pagin. 512.

Formalitates vnius potentiæ poſſunt participari ab alia: & quę formaliter, & quæ virtualiter? tract.5. diſp. 1. num. 19.pag.353.

Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio eſt omninò certa, non ſolùm certitudine præſcientiæ, ſed etiam certitudine ordinis, ſeu cauſalitatis, iuxta D. Thom. tractat. 3. diſput. 5. num.41.pag.410.

Eſſentia prædeſtinationis, & eius certitudo deſtruitur per ſcientiam mediam.ibid. num. 42. pag.410.

Prædeſtinatio in ſenſu formaliſsimo præſupponit intentionem finis, & electionem mediorum, atque illorum præſcientiam, quatenus futura ſunt initiativè. ibid. numer. 62. pagin. 416.

Prædeſtinatio poteſt accipi tripliciter; & qualiter?ibid.n.63. pag. 417.

Prædeſtinatio creaturæ rationalis ad gloriam eſt poſsibilis, conveniens, & de facto datur. tractat. 5. diſput. 1. numer. 3.& ſequent.pagin. 524.

In prædeſtinatione concurrunt aliqui actus intellectus, & voluntatis. ibid. numer. 6.pagin.529.

Prædeſtinatio non conſtituitur in recto per actum intellectus, & voluntatis,ſed vnicè per actum intellectus. ibid. numer. 8. pagin. 530.

Prædeſtinatio in recto eſt quædam perfectiſsima providentia. ibid. numer. 10. pagin. 531.

Tres diffinitiones prædeſtinationis.ibid. n. 14. pag.532.

Qui actus intellectus intercedant in negotio prædeſtinationis? ibid. numer. 22. pagin. 536.

Prædeſtinatio non conſiſtit in cognitione per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. ibid. n. 24. pag.536.

Nec in vllo iudicio præcedente primam electionem D.Petri ad gloriam, quæ nuncupatur *intentio*. ibi.

Nec in actu conſilij.ibid.

Nec in iudicio practico prędecedente electionem efficacem mediorum, ſed in imperio præſupponente huiuſmodi electionem, & præcedentem vſum activum voluntatis. ibid. num.26. pag.527.

Prædeſtinatio conſiſtit formaliter in actu prudentiæ, ſeu providentiæ. ibid. num.42. pag. 541.

Prædeſtinatio eſt diſtincta ab arte.ibid. num.79. pag. 551.

Non eſt pars ſubiectiva, ſed tantum obiectiva providentiæ. ibid. numer. 82. pag.552.

Quo pacto prædeſtinatio diſtinguatur à ſcientia, præſcientia,& providentia? ibid. num. 84. pag.552.

Diſtinguitur à providentia generali.ib.n.85.pag. 552.

Se-

Secundùm ſua eſſentialia præcisè conſiderata nihil ponit in prædeſtinatis; & quare? ibidem numer 87. pag. 552.

Prædeſtinatio formaliter ſumpta ſupponit quodammodo prævisionem meritorum. ibid. diſp. 2. numer. 3. pag. 554.

Electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam eſt omninò gratuita, & ante prævisa eorum merita. ibid. numer. 10. pag. 555.

Ad effectus prædeſtinationis tres conditiones requiruntur. ibid. diſput. 3. numer. 2. pag. 368.

Prędeſtinatio noſtra non dependet eſſentialiter à prædeſtinatione Chriſti, ſed præcisè iuxta præſentem providentiam. ibid. numer. 3. pagin. 558.

Peccatum ſub expreſsione *malitiæ* non eſt effectus prædeſtinationis. idid. numer. 4. pagin. 568.

Permiſsio peccati non eſt effectus elicitus prædeſtinationis. ibid. num. 6. pag. 569.

Permiſsio peccati in electis eſt abſolutè effectus prædeſtinationis tàm ex præintenta humilitate, quàm ex præintenta pœnitentia. ibid. n. 9. pagin. 569.

Permiſsiones omnium peccatorum in electis ſunt effectus ſuę prædeſtinationis. ibid. numer. 21. pag. 573.

Permiſsiones peccatorum in reprobis ſunt effectus prędeſtinationis electorum, licet non omnes permiſsiones, & ſingulæ cuiuſvis electi. ib. n. 22. & 23. pag. 573.

Vocationes inefficaces tam in electis, quàm in reprobis ſunt effectus prędeſtinationis electorum. ibid. num. 24. pag. 573.

Vocatio efficax electorum eſt effectus ſuæ prædeſtinationis. ibidem numer. 26. pagin. 574.

Omnis iuſtificatio electorum eſt effectus ſuæ prædeſtinationis. ibid. numer. 27. pagin. 574.

Etiam opera bona moraliter elicita à prædeſtinato, eſtò ſint ordinis naturalis. ibid. numer. 29. pagin. 575.

Et ſubſtantia prædeſtinati quoad circunſtantias. ibid. numer. 31. pagin. 575.

Non tamen eſt effectus elicitus, & proximus. ibid. numer. 32. pag. 575.

Eſt etiam effectus prędeſtinationis ſubſtantiæ prędeſtinati quoad primum ſui *eſſe*. ibid. numer. 35. pag. 576.

Et ſubſtantia Adę quoad primum ſui *eſſe*. ibid. numer. 62. pagin. 583.

Quæ res naturales ſin effectus prædeſtinanationis cuiuslibet prædeſtinati? ibid. numer. 63. pagin. 583.

Omnis ſubſtantia reproborum in particulari eſt effectus prędeſtinationis cuiuslibet prædeſtinati in particulari. ibid. numer. 65. pagin. 584.

Et opera moraliter bona ordinis naturalis reproborum: & quo pacto? ibid. numer. 66. pagin. 584.

Subſtantię omnium electorum in partıcuları ſunt effectus prædeſtinationis cuiuslibet prędeſtinati in particulari. ibid. numer. 67. pagin. 584.

Prædeterminatio.

Prędeterminatio phyſica ad omnes actus ſalutares omnino concedenda eſt in ſententia Div. Thomæ: & quare? tractat. 3. diſput. 5. numer. 64. pagin. 417.

Prædicatum.

Qualiter prædicatum ſecundùm quid poſsit coniungi, vel non cum prędicato ſimpliciter in eodem ſubiecto. tract. 1. diſput. 4. numer. 36. pagin. 98.

Prędicata divina ſunt in triplici differentia. tract. 2. diſp. 4. numer. 31. pag. 255.

Nullum prędicatum divinum ſumptum quoad ſuam terminationem actıvam poteſt ſpecificari à creaturis. tract. 3. diſput. 2. numer. 45. pag. 329.

Prædiffinitio.

In Deo dantur prędiffinitiones ex ſe, & ab intrinſeco efficaces erga actus liberos bonos voluntatis creatæ. tractat. 4. diſp. 3. numer. 51. pagin. 497.

Non lædunt libertatem creatam. ibid. numer. 67. pag. 502.

Quia prædiffinitio, & prædeterminatio Dei ab intrinſeco efficax determinat voluntatem creatam ad vnum per modum applicationis, non tollit eius libertatem. ibid. numer. 85. pagin. 508.

Deus ex capite prædiffinitionis non poteſt neceſsitare voluntatem creatam, ſed ex alio capite. ibid. numer. 88. pagin. 509.

Cur prædiffinitio Dei ab intrinſeco efficax ſit prędrequiſitum eſſentiale ad actum, & non ſit in poteſtate voluntatis creatæ; & nihilominùs voluntas habeat ſufficientem poteſtatem ad actum? ibid. num. 90. pag. 509.

Fotmale peccati non prædiffinitur à Deo. ibid. numer. 100. pag. 514.

Præmiſſa.

In diſcurſu theologico præmiſſa naturalis ſubordinatur prędmiſſæ fidei. tract. 1. diſp. 1. n. 68. pag. 33.

Præmotio phyſica.

Præmotio phyſica ad viſionem beatam eſt formaliter eminenter auxilium efficax ad totam viſionem, & auxilium ſufficiens, & elevans intellectum ad attingendam viſionem ſub expreſsione vltimæ actualitatis, juxta probabilem ſententiam Thomiſtarum: inter quos etiam eſt probabile, requiri ad prædictum munus auxilium realiter diſtinctum

ctum à prædmotione. tract. 2. disp. 3. num. 37. pag. 213.

Præsentia.

Præsentia futurorum in æternitate sivè physica, sivè obiectiva, stare nequit sine decreto Dei ab intrinseco efficaci. tract. 3. disp. 3. num. 33. pag. 360.

Præsentia physica futurorum in æternitate cur exigitur à D. Thomę, vt Deus illa cognoscat? ibid. num. 42. pag. 364.

Præsentia physica futurorum in æternitate si semel admittitur, debet admitti, vt conducens ad hoc vt Deus certò cognoscat futura. ibid. num. 55. pag. 370.

Hæc præsentia est omninò necessaria ad hoc vt cognitio divina sit intuitiva respectu futurorum. ibid. num. 57. pag. 370.

Præsentia obiecti suè exercitio existendi omninò requiritur ad notitiam intuitivam. ibid. num. 58. pag. 371.

Præsentia physica futurorum in æternitate necessariò requiritur, vt Deus omninò infallibiliter ea cognoscat ab æterno. ibid. num. 59. pag. 371.

Sublata hac præsentia, argueretur mutabilitas in essentia divina, & in decreto Dei. ib. num. 61. pag. 372.

Talis præsentia non supponit decretum, nec cognitionem divinam pro aliquo priori *in quo*; sed passivè considerata solùm supponit decretum, & cognitionem divinam, vt priora prioritate *à quo*. ibid. numer. 71. pagin. 375.

Præteritum.

Præteritum per quid constituatur in esse præteriti? tract. 3. disput. 4. numer. 49. pagin. 395.

Discrimen inter constitutivum præteriti, & futuri. ibid.

Præteritum constitui per decretum Dei, tanquam per formam est valde probabile. ibid. num. 51. pag. 396.

Principium.

Principia secundùm se attinguntur ab habitu principiorum: vt illativa conclusionum ab habitu scientiæ. tract. 1. disp. 1. num. 60. pag. 29.

Principium demonstrationis potest quidditativè cognosci in se, quin videatur aliqua conclusio in particulari. tract. 2. disp. 4. numer. 55. pag. 265.

Productio.

Productio divinarum personarum, quamvis necessaria, est perfectio productione creaturarum, licèt hæc sit libera: & quare? tract. 3. disp. 2. num. 2. pag. 314.

Productio effectus, quę fit per scientiam, & voluntatem est absolutè perfectior, quam ea, quæ fit necessariò sive per modum naturæ. ibid.

Productio actualis creaturarum activè sumpta, & quatenus est actio Dei, est æterna quoad actualitatem, licèt sit temporalis quoad denominationem. ibid. numer. 76. pag. 340.

Propheta.

Mens Prophetæ illustrata lumine prophetico est causa principalis actus prophetandi. tract. 2. disp. 3. num. 49. pag. 216.

Propheta potest appellari *instrumentum* in sensu minus rigoroso, iuxta D. Thom. ibid. num. 50. pag. 216.

Propositio.

Propositio per se nota quid? tract. 1. disp. 2. num. 1. pag. 40.

Propositio per se nota, alia quo ad se, & non secundùm nos: alia per se nota secundùm se, & quoad nos. ibid.

Hæc propositio, *Deus existit*, est per se nota secundùm se. ibidem numer. 2. pagin. 40.

Eadem propositio est per se nota beatis. ibid. numer. 3. pagin. 40.

Non est per se nota quoad nos. ibid. num. 4. pag. 41.

Vt aliqua propositio sit per se nota alicui, sufficit, & requiritur, quod cognoscat subiectum intellectus secundùm illam rationem formalem, sub qua exercet munus subjecti; non verò secundùm alias, quæ cum illa identificantur, & se habent de materiali ad munus subiecti. ibid. numer. 5. pagin. 41.

Vt aliqua propositio sit per se nota, non sufficit, quòd prædicatum sit de essentia physica subiecti. ibid. numer. 6. pagin. 42.

Sufficit autem, quòd sit de essentia metaphysica. ibid. num. 7. pag. 43.

Propositio per se nota non potest demonstrari a priori: nihil tamen obstat, quòd demonstretur à posteriori. ibid. numer. 8. pagin. 43.

Propositio, in qua prima passio enuntiatur de subiecto, est per se nota. ibid. numer. 10. & 11. pag.

Hæc propositio, *Deus est colendus*, est per se nota, solùm ex suppositione quòd Deus existat. ibid. num. 15. pag. 45.

Propositio, *Pater est Deus*, est propositio essentialis per se absolutè. Hæc autem, *Deus est Pater*, solùm est per se cum addito, nempè identicè. tract. 1. disp. 3. numer. 46. pag. 82.

Propositio de futuro contingenti pro priori ad huius existentiam, seu determinationem infallibilem causæ, non habet determinatam veritatem, aut falsitatem. tr. 3. disp. 3. n. 29. p. 359.

Omnis propositio de futuro contingenti quoad sui veritatem, vel falsitatem determinatam dependet essentialiter à decreto Dei ab intrinseco efficaci. ibid.

Pro-

Propoſitio de re contingenti, ſivè de futuro, ſivè de *ineſſe*, nullam habet veritatem determinatam independenter à decreto Dei ab intrinſeco efficaci. ibid. numer. 38. pagin. 362.

Ex propoſitionibus contradictorijs ſemper, ac vna eſt determinatè vera, altera debet eſſe determinatè falſa. ibid. numer 39. pagin. 363.

Non eſt neceſſe, quòd pro omni ſigno, hæc, v.g prima, ſit determinatè vera, & alia, v. g. ſecunda, ſit determinatè falſa, vel è contra. ibid.

Antevertenter ad omnem cauſam liberam, & eius determinationem nulla pars ex contradictorijs liberis, & contingentibus debet eſſe vel determinatè vera, vel determinatè falſa, in ſententia omnium, qui catholicè tuentur libertatem humanam. ibid.

Determinata veritas, aut falſitas prefatarum propoſitionum dependet ex determinatione efficaci ab intrinſeco voluntatis divinæ in ſententia Thomiſtarum, & noſtra. ibidem.

In ſententia Ieſuitarum pendere debet ex libertate humana, ſi homo liberè agit. ibid.

Iſtæ propoſitiones: *Si Petrus dormiret, Turca converteretur: Si Petrus dormiret, Turca non converteretur*, non ſunt contradictoriæ: & quare? tract. 3. diſp. 4. num. 11. pagin. 379.

Vtraque eſt affirmativa. ibid.

Iſtę ſunt contradictoriæ: *Si Petrus dormiret, Turca converteretur. Non ſi Petrus dormiret, Turca converteretur*. ibid.

Propoſitio de *ineſſe* vera, v.g. *Petrus hodie vocatus conſentit*, non eſt ratio, quare ab æterno ſit verum: *Si Petrus vocetur tali die conſentiet*, independenter à decreto efficaci ab æterno in Deo exiſtente de præfato conſenſu conditionato. ibid. numer. 28. pagin. 387.

Propoſitiones contradictoriæ de futuro contingenti conditionato, qualiter intelligendæ, & explicandæ? ibid. numer. 29. pagin. 388.

Hæc propoſitio: *Conſenſus Petri nunc non exiſtit, & exiſtet poſtea*, nequit verificari de præſenti, quin de preſenti exiſtat aliquod determinativum exiſtentiæ poſteà habendæ. ibid. num. 42. pag. 393.

gitimus ſenſus harum propoſitionum: *Antichriſtus eſt futurus. Antichriſtus erit*, Leexplicatur. ibid. numer. 48. pagin. 394.

Quæ differentia datur inter hanc propoſitionem: *Deus propter merita vult præmiare Petrum*, & iſtam: *Deus vult præmiare Petrum propter merita*. tract. 5. diſp. 2. num. 41. pag. 563.

Providentia.

Prædeſtinatio conſiſtit in recto in quadam ſpeciali providentia. tract. 5. diſp. 1. num. 10. & 42. pag. 531. & 541.

Providentia conſiſtit in recto in actu intellectus. ibid.

Providentia eſt pars eſſentialis prudentiæ ibid.

Providentia diſtinguitur ab ideis divinis. ibid. num. 81. pag. 552.

Prędeſtinatio non eſt pars ſubiectiva, ſed tantum obiectiva providentiæ. ibid. num. 82. pag. 552.

Providentia generalis diſtinguitur à prædeſtinatione per hoc, quòd illa ſolùm petit infallibilitatem mediorum, & iſta etiam actualem executionem finis. ibid. numer. 85. pagin. 552.

Prudentia.

Prudentia radicatur in ſyndereſi. tract. 1. diſp. 1. num. 76. pag 38.

Actus prudentiæ conſummatur eſſentialiter in intellectu. tract. 5. diſp. 1. numer. 12. pagin. 531.

Prædeſtinatio conſiſtit in actu prudentiæ, ſeu providentiæ. ibid. numer. 42. pagin. 541.

Prudentia in Deo diſtinguitur virtualiter ab Ebulia, & Syneſi. ibid. numer. 73. pagin. 549.

Puer.

Puer primò perveniens ad vſum rationis tenetur converti ad Deum, non vt cognitum in particulari, & diſtincti, ſed confusè. tract. 1. diſp. 2. num. 15. pag. 45.

Q

Qualitas.

Qualitas ſpiritualis poteſt recipi in ſubiecto corporeo, non verò qualitas corporea in ſubiecto ſpirituali. tract. 2. diſp. 1. num. 54. pagin. 140.

Qualitas, quæ eſt propria diſpoſitio, diſtinguitur eſſentialiter à qualitate, quæ eſt propriè habitus. ibid. diſput. 3. numer. 32. pagin. 211.

Qualitas elevans inſtrumentum eſt ex natura ſua quid fluidum, & imperfectum. ibid. numer. 42. pagin. 214.

Poteſt tamen talis qualitas durare per multum tempus, vt durat qualitas elevans ignem inferni. ibid.

Qualitas naturalis, & ſupernaturalis differunt genere ſupremo. ibid. numer. 90. pagin. 232.

Quia.

Particula *quia* aliquando ſumitur à dialecticis in ſenſu præcisè illativo, & non cauſali, ſed hæc acceptio eſt impropria: aliquando ſumitur in ſenſu rigoroſo cauſali. tract.3. diſp.2. num.57.pag. 334.

Eadem particula *quia* poſita in duabus propoſitionibus adverſativis poteſt in vna ſumi purè illativè, & in alia rigoroſè cauſaliter. ibid.

R

Radix.

Radix ſupernaturalis fidei, & ſpei à gratia ſanctificante diſtincta, ſivè pro iuſtis, ſivè pro peccatoribus ponatur, eſt chimærica. tract. 2. diſp. 3. à numer. 96. vſque ad 100. pag. 236...

Regula.

Regula vniverſalis, & remota actuum ſupernaturalium poteſt eſſe entitativè naturalis. tr.1. diſp. 1. n.56.pag.27.

Relatio.

Relatio tàm creata, quàm divina dicit conceptum *in*,& conceptum *ad*. tract.1.diſp.3.n.34. pag.212.

Conceptus *in* abſolutus eſt de eſſentia relationis.ibid.

Diſtinguitur virtualiter à conceptu *ad*. ibid.

Qualiter conceptus præfati ſe habeant tam in relatione creata,quàm in divina?ibid.& num. 35.& 36.pag.212.

Ut detur relatio realis ſimilitudinis non requiritur, quòd inter fundamentum, & terminum detur diſtinctio realis in natura, ſed ſufficit, quòd inveniatur talis diſtinctio in modis intrinſecis habendi talem naturam.tract.2.diſp. 2.n.25. pag. 165.

Relatio, quæ datur inter ſpeciem, & obiectum, vel inter duas ſpecies repræſentativas eiuſdem obiecti eſt ſimilitudo realis.ibid.

Poteſt etiam dici probabiliter, quòd eſt ſimilitudo rationis. ibid. numer. 28. pagin. 166.

Relatio ſimilitudinis reperta inter perſonas divinas, non eſt realis, ſed rationis.ibid. n. 27. pag. 166.

Nequit vna relatio divina videri ſine alia à beatis. ibid. diſp. 4. numer. 23. pagin. 252.

Relationes divinæ nullam habent oppoſitionem in ratione viſibilium ab intellectu creato.ibid. n.28.& 29.pag.254.

Religio.

Non obſtanti,quòd aliquis actus religionis pertineat in recto ad intellectum,ipſa religio debet recipi in voluntate:& quare? tract.5. diſp. 1.n.13.pag.532.

Reprehenſio.

Ut reprehenſio vnius præ alio iuſta ſit, quid requiritur, & ſufficiat?tract.3.diſp. 5.n.54.pag. 414.

Reprobatio.

In Deo datur vera reprobatio.tract.5. diſp. 3.n. 68.pag.584.

Reprobatio ordinatur ad manifeſtandam iuſtitiam punitivam Dei.ibid.n. 69.& 71.pagin. 585.

Ordinatur etiam ad manifeſtandas vires gratiæ, & defectibilitatem naturæ.ibid. num.70. pagin. 585.

Reprobatio ita prærequirit actum voluntatis, quòd conſiſtit vnicè in recto in actu intellectus, qui eſt imperium. ibid. num. 75.pagin. 586.

Reprobatio,prout dicit voluntatem efficacem Dei excludentis reprobos à regno, eſt ante prævisa omnia demerita. ibid. numer. 79. pag.587.

Reprobatio negativa non ſupponit prævisionem peccati originalis. ibid. num. 87. pag. 590.

Reprobatio poſitiva ſupponit prævisionem peccatorum, propter quæ reprobi damnantur. ibid.num.96.pag.593.

Alij ſunt effectus reprobationis negativæ, & alij reprobationis poſitivæ.ib.10 .pag.595.

Effectus reprobationis, ſivè negativæ, ſive poſitivæ non eſt peccatum ipſum ibid.

Effectus reprobationis poſitivè ſunt permiſsiones omnium peccatorum, quæ ſunt pœna alterius peccati præcedentis.ibi.

Eſt etiam pœna æterna tàm damni,quàm ſenſus. ibid.

Effectus reprobationis negativæ eſt carentia viſionis beatæ, vt eſt indebitum beneficium. ibid.

Effectus reprobationis eſt ſubſtantia reprobi.ibi. num.104.pag.596.

Omnia dona tàm naturalia, quàm ſupernaturalia reprobis collata ſunt effectus reprobationis.ibi.n.106.pag.597.

Dona illa, quæ ſunt effectus eliciti prædeſtinationis, non ſunt effectus reprobationis. ibid. n. 107.

Dona verò illa tam naturalia, quàm ſupernaturalia electorum, quæ non ſunt effectus eliciti prædeſtinationis,poſſunt eſſe effectus reprobationis.ibid.

Totum hoc vniverſum eſt effectus reprobationis. ibid.n.108.

S

Sapientia.

Theologia ſacra eſt abſolutè ſapientia, non verò metaphyſica.tract.1.diſp.1.n.75.pag.37.

Sa-

Sapientia distinguitur ab habitu primorum principiorum. ibid. num. 77. pag. 39.
Vide *Scientia.*

Scientia.

Ad rationem veræ scientiæ non requiritur evidentia actualis primorum principiorum. tract. 1. disput. 1. numer. 18. pagin. 7.
Scientia subalternata ea dicitur, quæ sub altera nascitur. ibid. n. 23. pag. 8.
Ad conceptum proprium scientiæ sufficit, quòd sciens possit resolvere suas conclusiones in prima principia per se nota, vel per talem scientiam, vel per lumen superius, & quòd ipsa scientia petat coniungi cum lumine superiori, vel accipiat ab eo dicta principia per fidem, quę non possit fallere. ibid. n. 28. pag. 10.
Ad veram scientiam subalternatam sufficit fides humana de suis principijs, quæ tamen certò sciat dari talia principia, & quòd in scientia superiori sunt per se nota. ibid. num. 31. pag. 13.
Non est contra rationem scientiæ subalternantis attingere obiecta scientiæ subalternatę sub diversa ratione formali, vel è contra. ibid. num. 32.
Scientia beata proponit nostræ Theologiæ prima principia, vt illativa conclusionum per discursum virtualem, in quo differt à fide. ibid. num. 32. pag. 14.
Scientia infusa supernaturalis cognoscit divinitatem solùm quoad *an est*, in quo differt à scientia beata, quæ illam quidditativè cognoscit. ibid. n. 34.
Scientia subalternas, & subalternata non est necesse, quòd possint coniungi in eodem subiecto. ibid. num. 35.
Scientia subalternata in absentia subalternantis est verè scientia. ibid. numer. 41. pagin. 17.
Nec distinguitur specie à seipsa vt associata subalternanti. ibid.
Scientia attingit principia, vt illativa conclusio. num. ib. n. 60. pag. 29.
Et potest concedi, quòd specificatur ab illis ibid.
Etiam est probabile, quòd licèt attingat principia, vt priora in executione, respicit conclusiones, vt quid prius in intentione, & sic specificatur à conclusionibus, non à principijs. ibid.
Nulla scientia probat existentiam sui obiecti ex principijs proprijs, potest tamen illam probare per accidens ex alienis. tract. 1. disp. 2. n. 1. pag. 40.
Ad rationem scientiæ strictè dictæ non requiritur discursus, aut pluralitas cognitionum, sed sufficit vnica cognitio effectus per causam. tract. 3. disp. 1. num. 15. & 16. pag. 280.
Nec requiritur, quòd cognoscatur aliquid per id, quod est notius respectu cognoscentis, sed sufficit, quòd cognoscatur per id, quod est notius secundùm se. ib. n. 16.
Scientia versatur circa principia, & specificatur ab illis: cum quo cohęret distinctio eius ab intelligentia. ib. n 17.
Probabile est, quòd scientia creata, quæ non est simul sapientia, & intelligentia, specificatur à conclusionibus, secùs verò scientia diuina, quę formaliter eminenter est sapientia, & intelligentia. ib. n. 18.
De ratione scientiæ strictè dictæ non est, quòd attingat rem per causam formalem, & rigorosam, sed sufficit quòd attingat rem per aliquam rationem à priori, seu causam virtualem. ibid. n. 19.
Scientia, & ars distinguuntur tàm in creatis, quàm in diuinis, proportione seruata. tract. 3. disp. 3. n. 93. pag. 345.
Quæ quidem distinctio non obstat ad hoc, quòd omnipotentia consistat in scientia diuina, & non in arte. ib. n. 94.

Scientia Christi.

Scientia beata, & scientia infusa Christi attingunt comprehensivè omnia entia supernaturalia per modum rationis *quę*, sed sub diversa ratione *sub qua*, vnde oritur earum distinctio. tract. 3. disp. 1. numer. 35. pag. 289.

Scientia Dei.

Probabile est, scientiam diuinam non distinguit virtualiter à lumine principiorum: & etiam est probabile oppositum. tract. 1. disp. 2. n. 7. pag. 43.
Scientia diuina est attributum rigorosum Dei virtualiter adæquatè distinctum ab essentia diuina. tract. 3. disput. 1. numer. 29. pagin. 287.
Unica scientia diuina est sufficiens in Deo ad attingendum omne scibile: & quare. ib. num. 36. pag. 290.
Scientia Dei est causa rerum solùm directivè. ib. disp. 2. n. 1. pag. 313.
Scientia diuina est causa creaturarum, non solùm directiva, sed etiam effectiva. ibid. numer. 3.
Ex eo, quod scientia diuina sit causa efficiens creaturarum, non sequitur, quòd istæ sint ab æterno. ib. n. 7. pag. 315.
Scientia Dei, alia speculativa, alia practica. ib. n. 11. pag. 316.
Scientia Deo, alia libera, alia necessaria. Item alia simplicis intelligentiæ, alia visionis. ibid.
Sub membris huius vltimæ divisionis continentur cætera aliarum divisionum scientiæ Dei. ibid.
Scientia Dei simplicis intelligentiæ, & scientia visionis, non sunt duo attributa virtuali-

ter

ter distincta. ibid. num. 12. pag. 317.
Scientia visionis, vt talis, non est attributum Dei. ibid. num. 13.
Et formalissime libera. ibid.
Scientia visionis, & simplicis intelligentiæ cur non distinguuntur attributaliter in Deo? Cùm tamen in eo distinguantur attributaliter prudentia, & ars. ibid. num. 16. pag. 318.
Scientia Dei adæquatè dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis; ac proinde non datur scientia media inter vtramque. ib. num. 18. pag. 319.
Scientia Dei, quæ dicitur *approbationis*, est scientia visionis. ibid. num. 19.
Impossibile est, quòd terminetur ad futurum, vt futurum. ib. à n. 19. vsque ad 24.
Non omnis scientia visionis est approbationis. ib. n. 24. pag. 321.
Scientia Dei, qua cognoscuntur chimeræ, & non entia, non est scientia distincta ab scientia simplicis intelligentiæ, & visionis. ib. n. 25.
Scientia, qua Deus cognoscit futura conditionata, quorum conditio nunquam ponetur (ex suppositione, quòd futurum constituatur per decretum Dei) non est simplicis intelligentiæ. ib. à n. 27. pag. 322.
Qualis scientia Dei, & qualiter attingat futura conditionata, quorum conditio nunquam ponetur, explicatur. ib. à n. 28.
Scientia Dei simplicis intelligentię attingit quidditates possibiles, quæ aliquando erunt. ib. n. 31. & 32. pag. 324.
Insuper attingit possibilia, vt privativè non futura. ib. n. 33. & 34.
Scientia simplicis intelligentiæ est causa productiva rerum, saltem in actu primo. tract. 3. disp. 2. n. 35. pag. 326.
Scientia approbationis, & visionis est causa rerum in actu secundo. ib. n. 37.
Scientia Dei, quæ est causa rerum in actu secundo, debet supponere decretum liberum divinæ voluntatis. ib. n. 38.
Scientia simplicis intelligentię non est scientia approbationis. ib. n. 39. pag. 329.
Scientia visionis non supponit existentes creaturas, quas videt, sed producit earum existentiam. ib. n. 40. & 41.
Eadem scientia Dei entitativè est causa rerum in actu primo, & in actu secundo sub diversis expressionibus. ibid. n. 42.
Scientia visionis artificis creati non supponit effectum iam factum, sed concurrit efficienter ad illius productionem: in quo non discriminatur à scientia visionis Dei. ib. n. 43. p. 328.
In quibus discriminetur ab illa? ibid.
Scientia Dei, quæ pro priori ad decretum divinæ voluntatis dicitur simplicis intelligentiæ, illo posito, dicitur, & est scientia visionis. ib. num. 44. pag. 329.
Scientia Dei adhuc quoad terminationem sumpta non potest specificari à creaturis. ib. n. 45.
Scientia visionis est causa, vt res futura, talis sit. ib. dub. 4. §. 1. per totum. pag. 330.
Si scientia visionis non esset causa futuri, futurum esset causa scientiæ visionis, quod est impossibile. ib. §. 2. per totum. pag. 331.
Scientia Dei non solùm producit proximè creaturas per modum *virtutis*, sed etiam per modum *potentiæ*. ib. n. 50. pag. 344.
Qualiter possit esse in Deo scientia de contingentibus. ib. disp. 3. n. 4. pag. 348.
Infallibilitas scientiæ Dei de nostra salvatione, aut damnatione non tollit curam, quam debemus habere circa consecutionem beatitudinis. ibid. num. 5.
Ex eo, quòd Deus habeat scientiam de futuris conditionatis nulla arguitur imperfectio. ibid. disp. 4. n. 18. pag. 382.
Scientia Dei non est forma constitutiva futuri. ib. n. 35. pag. 390.
Non omnis scientia Dei conditionata est scientia media. ib disp. 5. n. 1. pag. 398.
Scientia conditionata divina, Iesuitica, seu media qualis sit? ib. n. 2. pag. 399.
Scientia Dei conditionata Thomistica qualis? ibid. num. 3.
In quo vtraque scientia conditionata conveniat? ib. n. 4. & 5.
Scientia conditionata neque in sententia Thomistarum, nec Iesuitarum est talis ex parte subiecti, sed tantùm ex parte obiecti: & quare? ib. num. 6.
Scientia conditionata Iesuitica iure optimo ab omnibus appellatur *scientia media*: & quare? ibid. numer. 7.

Scientia media.

Ex principijs scientiæ mediæ negantibus necessitatem decreti existentis in Deo, vt Deus infallibiliter futura conditionata cognoscat, sequitur, quòd Deus certò non cognoscit illa. tract. 3. disp. 4. n. 20. pag. 383.
Scientia media adhuc iuxta illius patronos latius patet, quàm scientia conditionata. ibid. disp. 5. num. 8. pag. 400.
Scientia media, seu conditionata Iesuitica est impossibilis iuxta scripturam. ibid. num. 9.
Etiam est impossibilis ex mente D. Thomę, & D. Augustini. ib. n. 17. & 22. pag. 402. & 404.
Hæc impossibilitas ostenditur à priori. ib. num. 27. pag. 405.
Ex eo, quòd detur scientia media, infertur, quòd Deus non sit primus motor, & causa prima. ibid. num. 30. pag. 406.
Scientia media lædit libertatem divinam. ibid. à num. 34. vsque ad 38. pag. 407.
Evertit etiam libertatem creatam. ibid. numer. 39. pag. 409.
Scientia media in statu absoluto, & conditionato, vel præcedere, vel sequi consensum voluntatis creatæ. ib. num. 40.

Si datur ſcientia media, tollitur de medio certitudo propria prædeſtinationis.ibid. à num. 41.vſque ad 46.pag.410.

Si datur ſcientia media,non poteſt ſalvari, quòd prædeſtinatio ſit ſpeciale donum Dei collatum prædeſtinato præ non prædeſtinato.ibid num. 44. pag. 411.

Immò nec ſalvari poteſt, quòd ex meritis prædeſtinationis prædeſtinatus diſtinguatur à non prædeſtinato, ſed ex meritis liberij arbitrij creati. ib. num. 45.

Ex conceſsione ſcientiæ mediæ ſequitur vlterius, quòd eſt dabilis caſus, in quo Deus non poſſit prædeſtinare aliquem adultum.ib.n.46.

Etiam infertur, Deum concurrere in operationes liberas creaturę cæco, & imprudenti modo.ib.à n.47.vſque ad 49.pag.412.

Ulterius ſcientia media aufert à Deo attributum providentiæ. ibid. num. 48.

Rejicitur ſcientia media retorquendo prę cipuum eius fundamentum ſumptum ex cap.10.Lucę, & 11.Mathęi,in eiusPatronos.ib.n.50.p.413.

Eadem ſcientia media rejicitur ſolvendo argumenta ex D. Auguſtino.ib.n.56.pag.414.

Tandem rejicitur ſcientia media ex ſolutione obiectionum ſumptarum ex doctrina D.Thomæ. ibid. num. 60. pag. 416.

Senſus.

Explicatur ſenſus compoſitus, & diviſus ad conciliandam libertatem voluntatis creatæ cum auxilio efficaci.tr.4. diſp. 3. n. 73. pag. 504.

Separabilitas.

Separabilitas realis duorum non ſemper arguit in extremis negationem identificationis realis actualis,ſed ſolum realis potentialis. tract. 2. diſp.2.num.43.pag.172.

Singularia.

Qualiter attingi poſsint ſingularia à ſcientia, maximè Theologia? tract. 1. diſp. 1. num. 30. pag. 12.

Spatium imaginarium.

Spatium imaginarium quid? tract. 1. diſp. 4. dub. 3. in limin. pag. 93.

Deus non eſt actu in ſpatijs imaginarijs.ib.n.24

Nec oppoſitum probari poteſt ex ſcriptura, & Patribus. ib. num. 26. pag. 94.

Species.

Ratio ſpeciei, & ratio verbi non diſtinguuntur virtualiter ab aſſentia divina. tract. 1. diſp. 2. num. 36. pag. 55.

Species impreſſa requiritur ad quancunque cognitionem. tract. 2. diſp.2.num.1.pag.156.

Nulla ſpecies impreſſa creata concurrit cum intellectu beati ad viſionem claram Dei,ſed ſola eſſentia divina vnitur illi per modum ſpeciei. ibid. num. 2.

De ratione ſpeciei non eſt vniri cum intellectu per inhærentiam,aut informationem.ib. num. 6. & 7. pag. 158.

Species impreſſa eſt repræſentatio formalis ſui obiecti primarij.ib.n.16.& 23.p.162.& 164.

Etiam eſt repræſentatio obiecti ſecundarij formalis, vel ſaltem virtualis. ibid.

Hoc nomen *ſpecies* eſt impoſitum ad ſignificandum obiectum vt exiſtens intentionaliter in ſpecie, vt ea mediante poſsit vniri potentiæ. ibid.num.17.

Species impreſſa pertinet ad duos ordines, entitativum,& intentionalem, quibus correſpondet diverſa conſtitutiva,& diverſi modi eſſendi. ibid. num. 18.

Etiam importat ſpecies particularem modum intelligibilitatis, ſeu immaterialitatis, ratione cuius poteſt obiectum vniri cum potentia.ib.

Hic modus eſt omninò indiſpenſabilis in omni ſpecie. ibid.

Vt in plurimum coniungitur cum alio modo diminuto, in quo fundatur. ibid.

Ex hoc modo diminuto ſpeciei, & modo tantæ immaterialitatis oritur, quòd de illa poſsint verificari prædicata aliàs contradictoria. ib.

Præfatus modus diminutus non pertinet ad conceptum quidditativum ſpeciei,neque in ea eſt omninò indiſpenſabilis.ibid.num.19.

Species ſi ſumatur ſecundùm prædictum modum diminutum, reduplicatione cadente ſupra ipſum,non eſt eiuſdem naturæ cum obiecto. ib. num. 20.

Species, & verbum ſecundùm dictum modum, tota reduplicatione cadente ſupra ipſum,ſunt diverſæ rationis. ibid.

Species intentionalis ſenſibilis eſt eiuſdem naturę cum obiecto in *eſſe* repręſentativo.ib.n.21.

Species intentionalis dicit relationem realem ſimilitudinis ad obiectum.ib.n.22.pag.164.

Species deſervit ad cognitionem formalem obiecti. ibid. num. 23.

Species eſt eiuſdem naturæ cum obiecto non ſolùm ſpecificè,verùm etiam numericè, in *eſſe* repræſentativo.ibid. num.25.pag.165.

Species repræſentativa obiecti eſt longè alterius naturæ,ac obiectum in *eſſe* naturali,ſecus verò in *eſſe* repræſentativo.ib.n.29.& 30.pag.166.

Species repræſentativæ obiectorum ſolùm numerò diſtinctorum,v.g. Petri,& Pauli poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu abſque aliquo inconvenienti: & quare? ib.n.35.pag.168.

Ex eo,quòd ſpecies,& obiectum ſint eiuſdem naturæ in *eſſe* repræſentativo,nulla ſequitur contradictio. ibid. num. 36.

Species ſenſibilis qualiter ſit in medio,& qualiter in potentia? ib. num. 37. pag. 169.

In medio ſolùm recipitur phyſicè: in potentia intentionaliter: & à quo eorum individuetur? ibid.

Ex eo,quòd ſpecies ſit eiuſdem numero naturæ cum obiecto, & verbo,non arguitur,quòd ſit actus purus, adhuc in linea intelligibili. ibid. num. 38.

Species intelligibilis non poteſt vniri intellectui per

per ſolam intelligibilem determinationem, quin vniatur illi per inhærentiam, informationem, aut identitatem. ibid. n. 41. pag. 72.
Prædicta ſpecies non vnitur intellectui per modum formę purè terminantis. ibid. num. 42.
Ex reali ſeparabilitate ſpeciei ab intellectu ſolùm requiritur, quòd diſtinguatur realiter potentialiter ab illo. ibid. num. 43.
Species intentionalis, ſenſibilis, & intelligibilis producta per intellectum agentem, educitur ex intellectu, vel ſenſu quoad *eſſe* entitativum; non verò ſecundùm *eſſe* repræſentativum formaliſsimè. ibid. num. 45. pag. 173.
Species intelligibilis vnitur per identitatem cum intellectu, manentibus eiſdem prædicatis, tàm in ſpecie, quàm in intellectu, quæ habebant ante vnionem. ibid. num. 46.
Omnis ſpecies impreſſa, ſivè ſubſtantialis, ſivè accidentalis, concurrit activè ad cognitionem. ibid. num. 51. pag. 176.
Species intelligibilis non concurrit activè ad intellectionem, vt principium *quo* ſubordinatum intellectui, ſed vt principium ſe tenens ex parte obiecti. ibid. num. 57. pag. 179.
Species impreſſa deſerviens ad actum fidei concurrit activè ad illum, licèt ſit entitativè naturalis: & quomodò id fiat? ibid. num. 58.
Species intelligibilis ſpecificatur ab intellectione, prout intellectio exprimit conceptum paſſionis, vltimæ actualitatis, & finis intelligentis: licèt ſecundùm alia munera intellectio ſpecificetur à ſpecie, & obiecto. ibid. n. 66. pag. 181.
Species impreſſa creata Deum quidditativè repręſentàs eſt omninò impoſsibilis. ib. n. 67. p. 182.
Species ordinis inferioris non poteſt quidditativè repręſentare rem ordinis ſuperioris. ib. n. 68.
Species quidditativa alicuius obiecti debet convenire cum eo in natura, & in gradu immaterialitatis. ibid. num. 69. & 70.
Nulla ſpecies creata poteſt ſic convenire Deo. ib.
Species quidditativè repræſentans Deum, eſſet formaliter intrinſecè Deus, & infinita: & quare? ib. n. 71. & 84. pag. 383. & 188.
Cur ſpecies creata non poſsit eſſe idem cum Deo in *eſſe* intelligibili, cum intellectus creatus poſsit identificari cum Deo in prædicto ordine. ibid. num. 74. pag. 184.
Nulla ſpecies creata poteſt eſſe ſuum *eſſe* in *eſſe* intelligibili, ac proinde nec ſpecies quidditativa Dei. ibid. num. 75.
Cur ſpecies, quæ eſt entitativè accidens, poſsit quidditativè repræſentare ſubſtantiam, & ſpecies entitativè creata nequeat Deum quidditativè repræſentare? ib. n. 75. vſque ad 78.
Nequit dari ſpecies quidditativa Dei, quæ quantum eſt ex ſe non ſit comprehenſiva ipſius: & quare? ib. n. 79. vſque ad 83. pag. 185.
Omnis ſpecies impreſſa habet ſufficientem vitalitatem, vt influat in actum vitalem cognitionis. ibid. diſp. 3. num. 104. pag. 240.
Probabile eſt, ſpeciem impreſſam non concurrere vitaliter in cognitionem, quia non influit, vt virtus potentiæ, ſed vt virtus obiecti. ibid.
Unio eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei cum tanta, vel tanta perfectione eſt ratio, quare hic beatus videat has creaturas poſsibiles prę alijs in ipſa eſſentia divina. ib. diſp. 4. n. 51. p. 263.
Species, vt connaturaliter recipiatur in potentia cognoſcitiva, requiritur, quòd ſit proportionata potentiæ, ita, quòd ſi excedat proportionem potentiæ, exceſſus non deſerviat ad perfectiorem cognitionem. ib. n. 60. p. 268.
Species intentionales recipiuntur in aëre entitativè, ſed non intentionaliter. tract. 3. diſp. 1. num. 5. pag. 276.

Species divina.

Species divina, ſivè impreſſa, ſivè expreſſa, non poteſt repræſentare per ſe primò creaturas. tract. 3. diſp. 1. num. 40. & 50. pag. 291. & 294.

Species Angelica.

Omnes ſpecies Angelorum, & intellectus Angelici conveniunt ſpecificè in gradu immaterialitatis. tract. 2. diſp. 2. n. 86. pag. 188.
Diſtinguuntur tamen in immaterialitate ſpecifica de materiali ſe habente ad gradum. ib. n. 87.
Species Angelica non repræſentat effectus exiſtentes per modum cauſę. ib. diſp. 4. n. 44. p. 260.
Unica ſpecies Angelica poteſt repræſentare infinitas ſpecies contentas ſub genere animalis, necnon infinita individua contenta ſub aliqua ſpecie. ibid. num. 67. & 68. pag. 269. & 270.

Specificativum.

Poteſt aliquid eſſe perfectius aliquo in *eſſe* ſpecificativi, à quo exceditur in *eſſe* entis. tract. 1. diſp. 2. num. 52. pag. 65.
Specificativum extrinſecum eſt cauſa realis, regula, & menſura ſpecificati. tract. 3. diſp. 1. num. 80. pag. 306.
Specificativum virtuale attributorum Dei optimè poſſunt eſſe creaturæ: & qualiter? ibid. diſp. 2. num. 59. pag. 335.

Spes.

Pro radicanda ſpe ſivè in peccatore, ſivè in iuſto non debet poni aliqua radix ſupernaturalis à gratia ſanctificante ſpecificè diverſa. tract. 2. diſp. 3. à num. 96. vſque ad 100. pag. 236.
Habitus ſpei in peccatore ſufficienter elevat animam ad hoc, vt per modum radicis poſsit influere in actum ſupernaturalem ſpei. ibid. num. 100. pag. 238.

Spiritus-ſanctus.

Spiritus ſanctus eſt & inhabitat in anima ratione gratiæ ſanctificantis. tr. 1. diſp. 4. n. 49. p. 103.
Non ſanctificat animam in genere cauſæ formalis, ſed in genere cauſæ efficientis. ib. num. 50.
Spiritus-ſanctus non poteſt influere in actum charitatis vniendo ſe voluntati creatæ, & ſupplendo vices habitus. tract. 2. diſp. 3. num. 20. pag. 207.
Spiritus ſanctus non poteſt vniri voluntati creatæ

tæ per modum ſuppoſiti, vt comprincipium intrinſecum, ita vt ſine principio creato ſupernaturali eliciat actum charitatis: & quare? ibid. num. 21.

Spiritus S. non procedit per amorem elicitum ab aliqua virtute divina ſupperaddita divinæ voluntati. tract. 3 diſp. 1. n. 30. pag. 287.

Si voluntas divina eſſet de conſtitutione metaphyſica naturę divinæ, proceſſio Spiritus-ſancti eſſet generatio. tract. 4. diſp. 1. n. 31. pag. 430.

Spiritus-ſanct. non habet à ſe, ſed per proceſſionem prædicata libera. ibi diſp. 2. n. 54. p. 464.

P. Suarez.

Adſtruens potentiam obedientialem proximè activam in ordine ad actus ſupernaturales, impugnatur. tract. 2. diſp. 3. num. 70. p. 225.

Subiectum.

Subiectum ex ſe improportionatum ad receptionem alicuius formæ indiget diſpoſitione, quæ ſit eiuſdem rationis cum forma, vt proportionetur ad receptionem illius. tr. 2 diſp. 3. à n. 2. p. 199.

Subſiſtentia creata.

Subſiſtentia creata nequit reddere ſubſiſtentem naturam divinam: & quare? tract. 1. diſp. 1. numer. 75. pag. 37.

Subſiſtentia ſupernaturalis creata eſt impoſsibilis: & quare? tract. 2. diſp. 1. num. 81. pag. 151.

Subſiſtentia Divina.

Subſiſtentia abſoluta, eſſentia, & exiſtentia non diſtinguuntur in Deo virtualiter. tract. 1. diſp. 2. num. 34. pag. 53.

Si ſubſiſtentia divina abſoluta immediatè terminaret humanitatem, vnirentur prædictæ humanitati omnes perſonalitates divinæ: & quare? tract. 2. diſp. 4. n. 29. p. 254.

Subſtantia creata.

Subſtantia creata ſicut in *eſſe* potentiæ naturalis reſpicit *eſſe* naturale tanquam ſpecificativum; ita in *eſſe* potentię obedientialis reſpicit *eſſe* divinum, à quo ſub hoc conceptu ſpecificatur. tract. 2. diſp. 1. num. 34. pag. 131.

Nulla ſubſtantia naturalis creata iuxta communem providentiam poteſt naturaliter videre Deum prout eſt in ſe: immò nec elicere aliquem actum ſupernaturalem. ib. n. 55. p. 141.

Implicat contradictionem, quòd detur talis ſubſtantia naturalis, quæ naturaliter poſsit videre Deum prout eſt in ſe. ibid. num. 56.

Subſtantia creata completa entitativè ſupernaturalis omninò impoſsibilis eſt. ib. n. 75. p. 149.

Subſtantia ſupernaturalis creata, ſi daretur, eſſet ſubſtantia divina. ibi. n. 77. pag. 150.

Talis ſubſtantia eſſet divina per eſſentiam. ib. numer. 78.

Subſtantia creata, cui ſit connaturale videre Deum, eſt impoſsibilis. ibid. num. 82. p. 152.

Nulla ſubſtantia creata poteſt exercere munus ſpeciei reſpectu alieni intellectus; benè autem eſſentia divina. tr. 2. diſp. 2. n. 13. pag. 161.

Quòd ſubſtantia ſit immediatè operativa in ordine intelligibili, concedi poteſt ſine inconvenienti in via D. Thomæ. ibid. n. 64. pagin. 181.

Subſtantia naturalis eſt minus cognoſcibilis, & latens in Deo, quam gratia habitualis, & quodcumque aliud ens ſupernaturale. ibid. diſp. 4. num. 56. pag. 269.

Inter ſubſtantias completas naturales illa eſt magis latens in omnipotentia, quæ ad ſui productionē, activitatē maiorem petit, non quæ minus aſsimilatur Deo: & quare? ib. n. 69. p. 270.

Subſtantia ſpiritualis non intellectiva eſt impoſsibilis. tract. 3. diſp. 1. à n. 6. pag. 277.

Subſtantia materialis non operativa eſt impoſsibilis. ibid. num. 7.

Subſtancia prædeſtinati quoad circunſtantias eſt effectus ſuæ prædeſtinationis. tract. 5. diſput. 3. numer. 31. pag. 575.

Etiam ſecundùm primum ſui *eſſe*. ib. n. 35. p. 576.

Non repugnat, quòd ſubſtantia ordinetur ad aliquid extrinſecum, tanquam ad finem. ibid. numer. 50. pag. 580.

Omnis ſubſtantia reproborum in particulari eſt effectus prædeſtinationis cuiuslibet prædeſtinati in particulari. ibid. n. 65. pag. 584.

Subſtantia omnium electorum in particulari ſunt effectus prædeſtinationis cuiuslibet prædeſtinati in particulari. ibid. n. 67.

Subſtantia reprobi eſt effectus reprobationis. ib. num. 104 pag. 596.

Subſtantia angelica.

Subſtantia angelica eſt æque intellectualis, ac intelligibilis. tract. 3. diſp. 1. n. 11. pag. 279.

Subſtantia divina.

Subſtantia divina, vt diſtincta ab attributis, non eſt ratio formalis, per quam Deus conſtituitur in loco. tr. 1. diſp. 4. num. 10. p. 87.

Supercomprehenſio.

Supercomprehenſio nihil videt in obiecto, quod comprehenſio non videat. tr. 3. diſp. 3 n. 25. pagin. 357.

Quid ſupercomprehenſio addat comprehenſioni? ibid.

Supernaturale.

Supernaturale, quoad ſubſtantiam quid? tract. 1. diſp. 1. dub. 4. in limine. pag. 1.

Actus ſupernaturalis poteſt regulari remotè à regula entitativè naturali. ibid. num. 56. pag. 27.

Supernaturale excedit omnem naturam creatam, & creabilem, non ſolùm eiuſdem ordinis cum natura de facto exiſtente, ſed abſolutè poſsibilem. tract. 2. diſp. 1. n. 76. pag. 149.

Omnis ſupernaturalitas creata eſt talis per ſpecialem participationem à Deo. ib n. 79. p. 150.

Supernaturalitas creata dicit ſpecialem habitudinem ad prędicatum divinum, quod participat, ab eoque ſpecificatur. ibid.

In ordine ſupernaturali nulla arguitur imperfectio, ex eo quòd Deus non ſit participabilis in eo ſubſtantialiter, ſed præcisè accidentaliter. ibid num. 92. pag. 156.

Actus ſupernaturalis vitalis, & voluntarius, eſt

voluntarius, & vitalis ſecundùm ſuam vltimam differentiam.tr.2.diſp.3.n.62. pag.221.
Implicat, quòd actus adæquatè ſupernaturalis præcontineatur in potentia naturali ſub ratione *ſub qua* explicita naturali. ib. num. 68. pag. 223.
Donum ſupernaturale à gratia ſanctificante diſtinctum, cuius muneris ſit radicare fidem, & ſpem, impoſsibile eſt. ibid. à num. 96. vſque ad 100. pag. 236.
Ex entibus ſupernaturalibus creatis virtualiter participantibus prædicata divina, illud magis latet in omnipotentia, quod ad ſui productionem exigit maiorem virtutem.tract.2. diſp.4. num.69. pag.270.
Si verò aliquod accidens ſupernaturale ſit participatio formalis prædicati divini, hoc minùs latet in omnipotentia, quamvis ad ſui productionem exigat maiorem virtutem.ibid.

Syndereſis.

Syndereſis eſt radix prudentiæ, & artis. tract. 1. diſp.1.n.76.pag.38.

Syneſis.

Syneſis, ſeu ſagacitas diſtinguitur virtualiter ab eubulia, & prudentia.tr.5.diſp. 1. n.73.p.549.

T

Theologia.

Theologiæ deſcriptio.tract.1.diſp.1. n.1.p.1.
Alia radicalis, alia formalis.ibi.num.4.pag.2.
Radicalis non diſtinguitur à fide in via, & à lumine gloriæ in patria.ibid.
Theologia formalis eſt habitus ibid.
Theologia, alia naturalis, & hæc eſt metaphyſica: alia Chriſtiana, & hæc eſt ſcientia fidei ſubalternata.ibid.
Theologia naturalis, ſeu metaphyſica procedit à creaturis ad Deum, Chriſtiana verò econtrà ib.
Theologia ſacra eſt neceſſaria in Eccleſia ſaltem ad melius eſſe, immò in omnibus hominibus, ad ſalutem.ibid.num.5.
Non tamen eſt neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem in omnibus, & ſingulis individuis.ibi.n.6.
Eſt tamen neceſſaria neceſsitate præcepti in aliquibus, maximè in Prælatis.ibid.num.7.
Eſt etiam neceſſaria in Eccleſia neceſsitate medij ad ſalutem.ibid. num.8.pag.3.
Eſt etiam ſimpliciter neceſſaria ad converſionem fidei, & Scripturæ ſacræ intelligentiam, & defenſionem.ibid.
Theologia tradita methodo ſcholaſtico non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem: eſt tamen vtiliſsima.ibid.n.10. pag. 4.
Theologia ſacra oſtendit evidentiam credibilitatis myſteriorum fidei.ibi.num.11.& 12.
Variæ acceptiones *Theologiæ*.ib.dub.2.in limin.
Theologia ſacra eſt verè, & propriè ſcientia.ibi. n.17.pag.6.
Theologia Catholica eſt diſtincta ſpecie à Theologia hæretici. ibid. n. 21.pag.8.
Theologia noſtra verè & propriè ſubalternatur ſcientiæ beatæ, & divinæ.ibid.n.22.
Theologiæ obiectum addit quodammodò differentiam accidentalem obiecto ſcientiæ beatæ. ibid.num. 26.pag.9.
Theologia noſtra abſolutè eſt habitus: habet tamen in via quodammodò modum diſpoſitionis.ibid.n. 28.circa finem.
Theologia eſt compatibilis cum fide circa eandem propoſitionem.ib.n.29.& 44.p.11.&19.
Theologia qualiter, cùm ſcientia ſit, agat de ſingularibus? ibid.num.30.pag.12.
Habitus Theologiæ, quamvis ſcientificus, poteſt ſe extendere ſecundariò ad actus opinativos.ibi.
Poteſt etiam permitti habitus theologicus opinativus diſtinctus ab habitu Theologiæ ſcientifico. ibid.
Theologia hæretici non eſt ſcientia, ſed opinio.ibid.numer. 31.
Theologia verò Dæmonum, & damnatorum, quę eſt verè ſcientia ſecundùm aliquos, differt ſpecie a Theologia fidelium viatorum.ibid.
Theologia noſtra non eſt eſſentialiter obſcura. ibid. numer. 36.pag.15.
Theologia viæ poteſt continuari in patria. ibid.
Theologia noſtra non petit per ſe procedere à principijs vt propoſitis a fide.ib.n.39.p.17.
Solùm petit per ſe procedere à principijs propoſitis à fide, quatenus hæc eſt vicaria luminis gloriæ.ibid.
Ratio *ſub qua* noſtræ Theologiæ non eſt per ſe ratio *ſub qua* fidei vt obſcuræ, ſed eſt revelatio virtualis ſuorum principiorum prout eſt clara, & proponitur à lumine gloriæ. ibid. n. 43. pag.18.
Idemmet actus Theologiæ poteſt tranſire de obſcuro in clarum ſine variatione eſſentiali. ibid.num. 46. pag. 20.
Aſſenſus theologicus, licèt ſit exactivè clarus, poteſt produci ab aſſenſu fidei obſcuro.ib.n.49.
Theologia noſtra eſt radicaliter, ſeu præſuppoſitivè ſupernaturalis.ib.n.50.pag.23.
Theologia eſt habitus acquiſitus noſtris actibus. ibid. n.51.
Theologia noſtra eſt entitativè naturalis. ibid.n. 52. pag. 24.
Prima demonſtratio Theologiæ eſt entitativè naturalis. ibid.
Ut Theologia diſtinguatur genere ab alijs ſcientijs naturalibus, non eſt neceſſe, quòd ſit entitativè ſupernaturalis.ibi.n.54.pag.56.
Vt Theologia iuvet ad perfectionem fidei, & dilectionis gratuitę, non eſt opus, vt ſit entitas ſupernaturalis.ibid.
Vt Theologia dicatur magis divina, quàm metaphyſica, ſufficit, quòd principia illius habeantur per divinam revelationem. ib.
Theologia ſolùm eſt regula vniverſalis, & remota actuum ſupernaturalium ib.n.56.
Ratio *ſub qua* obiecti Theologię eſt formaliter naturalis.ibid.n.57.

Conclusio Theologica est absolutè certior, quam metaphysica, quia ratio *sub qua* illius remota est divina, revelatio. ibid. num. 58. pag. 28.
Licèt conclusio obiectiva Theologica contineatur in præmissis de fide; non tamen assensus formalis conclusionis Theologiæ continetur in assensibus præmissarum de fide. ib. n. 59.
Theologia respicit, vt obiectum primarium, & principale saltem inadæquatum, Deum iuxta communem sententiam. ibid. n. 62. pag. 30.
Theologia dæmonum, & damnatorum absolutè loquendo non est verè scientia. ib. n. 63.
Obiectum *quod* primarium, & adæquatum nostræ Theologię est Deus. ib. n. 64. p. 31.
Obiectum primarium nostræ Theologiæ est Deus sub ratione Deitatis, non verò sub ratione alicuius attributi, relationis, vel alterius prædicati divini. ib. n. 65.
Ratio sub qua Deus attingitur, vt obiectum Theologiæ, est revelatio virtualis. ib. num. 66. pag. 32.
Theologia sacra est vna scientia in specie atoma. ibid. n. 67.
Theologia sacra est simul, & simpliciter practica, & speculativa. ib. n. 71. & 75. p. 35. & 37.
Immò est talis formaliter emminenter. ib. n. 72. & 75. pag. 36.
Sed cum hoc discrimine, quòd primò, & per se est speculativa, secundariò, & minus principaliter practica. ib. n. 73. & 75.
Theologia sacra est absolutè sapientia. ib. n. 74.

D. Thomas.

D. Thomas, dum ait, quòd *essentia divina se habet ad alia, non sicut principium ad conclusiones, sed sicut species ad res cognitas*, qualiter intelligendus? tr. 3. disp. 1. n. 86. pag. 309.
Idem D. Thomas dùm ait, quòd Deus non cognoscit effectum per causam prius cognitam, sed in causa, qualiter interpretandus? ib.
Alia loca D. Thomæ huc spectantia qualiter exponenda? ib.

Transcendentia.

Transcendentia alia rei, alia rationis. tract. 1. disp. 3. n. 31. p. 78.
Explicatio vtriusque. ibid.

Trinitas.

Trinitas personarum divinarum non requiritur per se ad producendos effectus creatos. tract. 2. disp. 4. n. 27. p. 254.
Trinitas personarum non se habet de materiali, & per accidens ad obiectum beatificans, sed requiritur per se ad illud. ib.

V

P. Vazquez.

Asserens, lumen gloriæ exercere munus speciei in visione beatifica, impugnatur. tract. 2. disp. 2. n. 2. & 4. p. 157.
Idem negans connexionem essentiæ divinæ, aut omnipotentię cum creaturis possibilibus, impugnatur tr. 3. disp. 1. à n. 74. p. 303.
Idem asserens, quòd essentia divina non conducit, vt medium priùs cognitum, ad cognitionem creaturarum in ipsa, quia non est causa relata ad creaturas, impugnatur. ib. n. 75.

Ubi.

Non datur in Deo aliquod *vbi*, quod pertineat ad ordinem essendi. tract. 1. disp. 4. n. 16. & 20. p. 89. & 90.

Velle.

Velle divinum non pertinet ad constitutivum metaphysicum essentiæ divinæ, sicut intelligere: & quare? tract. 1. disp. 2. num. 46. & 54. pag. 60. & 66.

Verbum creatum.

Verbum distinguitur realiter ab intellectione. tract. 2. disp. 2. n. 89. pag. 190.
Verbum est repræsentatio formalis sui obiecti primarij non minus, ac species impressa. ibid.
Munus verbi ex suo conceptu formali nullam dicit imperfectionem, ac proinde essentia divina potest illud exercere respectu intellectus creati. ib. num. 90.
Verbum non est necesse, quòd producatur per intellectionem, neque quòd intellectioni subordinetur. ibid.
Verbum creatum Deum repræsentans non datur defactò in visione beata. ibid. num. 91. pag. 191.
Verbum creatum repræsentans Deum, prout est in se, est impossibile. ibid. num. 92. pag. 192.
Impossibilitas verbi creati repræsentantis Deum, prout est in se, probatur eisdem motivis, ac impossibilitas speciei creatę Deum ita repræsentantis. ibid. num. 93.
Verbum se tenet ex parte obiecti, & non ex parte potentiæ. ibid. num. 96.
Verbum secundùm id, quod dicit de formali in *esse* repręsentativo, non limitatur à potentia, nec ab intellectione. ibid. numer. 97. pag. 193.
Verbum excedit in perfectione speciem impressam in *esse* intelligibili. ib. n. 103. p. 195.
De ratione verbi accidentalis est ordinari tanquam ad finem ad intellectionem; non tamen est de ratione omnis verbi sic ordinari ad intellectionem, maximè secundariam respectu illius. ib. n. 104. pag. 196.
Cur non detur verbum productum per visionem beatam, cum tamen detur impulsus productus per amorem beatificam? ibid. num. 106.

Verbum divinum.

Ratio verbi, & speciei intelligibilis sunt in Deo idem formaliter cum essentia divina absque distinctione virtuali. tract. 1. disp. 2. num. 36. pag. 55.
Munus verbi, & munus intellectionis naturę

divina, quomodò se habeant inter se? ibid. num. 48. pag. 62.

Verbum divinum non potest vniri intellectui creato per modum suppositi, vt comprincipium intrinsecum, ita vt sine principio creato supernaturali eliciat actum visionis: & quare? tract. 2. disp. 3. num. 21. pag. 207.

Verbum divinum non procedit per cognitionem intelligentiæ, aut scientiæ, aut aliam attributalem. tract. 3. disp. 1. num. 30. pag. 287.

Amor esset essentia metaphysica Verbi divini, si esset de constitutione metaphysica naturæ divinæ. tract. 4. disp. 1. num. 31. pag. 430.

Veritas.

Veritas de præsenti, quæ datur tempore futuritionis de re futura, non dependet ex suppositione libera eventus futuri. tract. 3. disp. 3. num. 35. pag. 361.

Verum.

An ratio veri distinguatur virtualiter à ratione entis, seu essentiæ, nec ne tàm in creatis, quàm in divinis, est satis dubium. tract. 1. disp. 2. n. 31. & 37. pag. 51. & 56.

Virtus.

In Deo dantur virtutes à potentijs virtualiter distinctę. tract. 4. disp. 1. n. 27. pag. 429.

Non ad vincendam aliquam difficultatem subiectivam, sed formalem obiectivam. ib. n. 29.

Omnis virtus in Deo ratione materiæ est virtus theologica. ib. n. 44. pag. 436.

Probabile est non esse virtutem theologicam; quamvis vnicè specificetur à Deo, & cur? ib.

Virtus solum recipitur in potentia, in qua consumatur formaliter eius actus. tract. 5. disp. 1. num. 12. pag. 531.

Non repugnat, quòd virtus creata subiectetur in vna potentia, & aliquis actus absolutè primarius illius proveniat ab alia, dummodò supponat alium actum magis primarium pertinentem in recto ad potentiam, in qua est. ib. num. 13. pag. 532.

Virtutes, quæ sunt partes potentiales alterius, multiplicantur virtualiter in Deo; secus verò, quæ sunt partes subiectivæ. ib. n. 76. pag. 550.

Visio beata.

Qualiter visio beata sit participatio formalis intellectionis primariæ divinæ, per quam natura divina constituitur, & non sit participatio formalis naturę divinæ? tract. 1. disp. 2. n. 52. pag. 65.

Visio clara, & intuitiva, quidditativa Dei est impossibilis intellectui creato. tract. 2. disp. 1. num. 1. pag. 117.

Visio beata secundùm potentiam Dei ordinariam non potest elici sine lumine glorię. ibid. num. 63. pag. 144.

Nec potest elici ab intellectu creato per solùm favorem Dei extrinsecum adhuc de potentia Dei absoluta. ibid. num. 64.

Si posset procedere ab intellectu creato per solam assistentiam extrinsecam omnipotentiæ, esset eadem specie actio cum visione, quę procedit à lumine gloriæ, & non esset. ib. num. 69. pag. 146.

Visio Dei (etsi permittatur possibilitas speciei creatæ in ordine ad illam) adhuc connaturalis fieret media essentia divina, tanquam specie vnita, quam mediante alia specie creata. ibid. disp. 2. num. 9. pag. 159.

In visione beata nullum datur verbum creatum repræsentans Deum prout est in se. ibid. num. 91. & 101. pag. 191. & 194.

Ex eo, quòd visio beata non sit infinita, non arguitur possibilitas verbi repræsentantis Deum quidditativè, quod non sit infinitum. ibid. num. 102.

Cur visio beata non producat verbum, etsi amor beatificus producat impulsum? ibid. num. 106. pag. 197.

Visio beata non potest recipi immediatè in potentia obedientiali intellectus creati, sicut lumen gloriæ: & quare? ib. disp. 3. n. 14. p. 204.

Visio beata non educitur ex solo intellectu beati, tanquam ex principio adæquato eductionis, sed ex intellectu beati perfuso lumine gloriæ. ibid.

Quòd visio beata per modum transeuntis (v. g. D. Pauli) non distinguatur essentialiter à visione permanenti (v. g. Christi, & beatorum) probabile est in via D. Thomæ: sed probabilius oppositum. ibid. num. 33. pag. 211.

Visio beata permanens est habitus: immò formaliter, & eminenter habitus, & dispositio. ibid. num. 34. pag. 212.

Implicat, quòd visio beata producatur prius à Deo, & prout à Deo elevet intellectum creatum, vt in signo sequenti intellectus illam eliciat. ibid. num. 36.

Visio beata secundùm expressionem *vltimæ actualitatis* non producitur principaliter ab intellectu perfuso lumine gloriæ, sed tantum instrumentaliter. ibid. num. 37. pag. 213.

Visio beata est ab intellectu perfuso lumine glorię tanquam à causa principali. ib. n. 43. p. 215.

Visio beata non est actio propria Dei. ibid.

Visio beata secundùm suam vltimam differentiam est vitalis. ibid. num. 62. pag. 221.

In visione beata (idem dic de omni actu supernaturali vitali) vitalitas, & supernaturalitas non sunt duo conceptus inadæquati se invicem excludentes. ibid. num. 63.

Visiones beatæ iuxta D. Thomam omnes sunt eiusdem speciei. ibid. num. 65. pag. 222.

Maior, vel minor visio beata solùm desumitur ex maiori, vel minori lumine gloriæ. ibid.

Ratio generica intellectionis reperta in visione beata, licet non explicet supernaturalitatem, physicè tamen est supernaturalis, & improducibilis à virtute naturali proxima. ibid. num. 89. pag. 231.

Visioni beatæ, & intellectioni naturali nihil datur vnivocè commune, sed tantum analogicè. ibid. num. 90. pag. 232.
Visio beata non esset adæquatè operatio supernaturalis, & indebita intellectui creato, si hic concurreret partialiter proximè in illam. ibid. num. 95. pag. 235.
Quænam visio sit, qua totus Deus videtur, sed non totaliter: & quænam ea, qua Deus totus, & totaliter videtur? ib. disp. 4. n. 11. pag. 246.
Visionem qua beati defactò vident Deum, attingere omnia, quæ sunt formaliter in ipso, est immediatè de fide. ibid. num. 17. pag. 250.
Visio Dei, quæ est, & potest esse in beatis, debet existere intuitiva, quidditativa, & beatifica. ib.
Impossibilis est visio essentiæ divinæ, prout est in se, sine attributis, & relationibus, & è contra. ibid. num. 18.
Terminare visionem beatam est prædicatum commune, & per modum vnius omnium perfectionum divinarum. ib. num. 21. pag. 251.
Visio clara Dei, & inadæquata est implicatoria. ibid. num. 22.
Repugnat visio quidditativa Dei creata specie distincta à visione nunc existente. ib. num. 26. pag. 253.
Visio beata qualiter cognoscat omnipotentiam, vt terminatam ad possibilia in communi: & qualiter actum liberum Dei, vt terminatum ad futura in communi: vel ad futuritionem, vel non futuritionem vagè? ibid. num. 39. p. 257.
Per visionem beatam possunt videri in Deo prius vt *quod* cognito, effectus existentes in aliqua differentia temporis. ib. n. 40. pag. 258.
Visio beata videt simul, & sine successione omnia, quæ aliquando videt in verbo. ibid. num. 43. pag. 259.
Mensuratur æternitate participata. ibid.
Per visionem beatam videntur in essentia divina creaturæ futuræ, & existentes absolute contingenter, sed necessario, ex suppositione quòd videantur decreta libera. ib. n. 44. pag. 260.
Eadem specie, & numero visio beata potest in Deo cognoscere possibilia, & existentia. ibid.
Ex vi visionis essentiæ divinæ necessarium est videri possibilia in communi, non tamen videri aliquam creaturam possibilem in particulari. ibid. num. 54. pag. 265.
Visio beata cognoscit quidditativè necessariò in Deo seipsam, & lumen gloriæ per quandam reflexionem; sed non est necesse quòd cognoscat in Deo aliquam creaturam in particulari ex his, quæ possunt, & petunt directè cognosci in essentia divina. ib. n. 74. pag. 272.
Visio beata est formalis participatio intellectionis primordialis divinæ, luminis principiorum, & scientiæ: & qualiter? tract. 3. disp. 1. num. 32. pag. 288.
Carentia visionis beatæ, vt est indebitum beneficium, est effectus reprobationis negativæ. tr. 5. disp. 3. num. 101. pag. 595.

Vita.

Vita actualis excedit in perfectione vitam radicalem. tractat. 1. disp. 2. num. 46. pag. 60.
Vita multipliciter contingit. tract. 2. disp. 3. numer. 102. pagin. 239.
Non est de ratione omnis vitæ, aut principij vitalis dimanare ab intrinseco. ibid.

Vitalitas.

Vitalitas, & voluntarietas non se habent, vt genus in actu supernaturali voluntario. tract. 2. disput. 3. numer. 62. pagin. 221.
Vitalitas inventa in visione beata non est determinatè naturalis, ac proinde non continetur inter activitatem proximam potentiæ naturalis, qualis est intellectus creatus. ib. n. 103. p. 240.

Vivens.

Deus solùm est vivens per modum actus secundi, seu perfectissimi. tr. 4. disp. 1. n. 26. p. 428.

Vnio.

Ex vnione essentiæ divinæ per modum speciei cum intellectu beati nulla sequitur imperfectio in Deo. tract. 2. disp. 2. n. 6. & 12. pag. 158. & 161.
Vnio Dei cum creatura per modum subsistentiæ & existentiæ est possibilis, sed impossibilis omninò per modum luminis gloriæ. tract. 2. disp. 3. à numer. 24. vsque ad 31. pagin. 208.

Vnitas.

Vnitas per accidens relegauda est à Deo. tract. 1. disput. 2. numer. 44. pag. 59.

Vniversum.

Totum hoc vniversum est effectus reprobationis. tract. 5. disp. 3. num. 108. pagin. 597.

Voluntas creata.

Voluntas elevata habitu charitatis in ordine ad amorem Dei, elicit illum per præfatum habitum, tanquam per propriam formam, proindeque assimilat sibi prædictum actum charitatis, tanquam causæ principali. tract. 2. disput. 3. numer. 48. & 52. pagin. 216. & 217.
Voluntas creata ad diligendum bonum proprij, suppositi non indiget aliquo habitu. tract. 3. disp. 1. numer. 30. pag. 287.
Voluntas non habet rationem potentiæ realiter respectu actus essentialiter accepti, nec realiter formaliter iuxta distinctionem ex natura rei. tract. 4. disp. 1. numer. 12. pag. 422.
Voluntas per modum potentiæ ad suum actum dicit imperfectionem. ibid. n. 17. pag. 424.
Sympathia inter intellectum, & voluntatem. ibi. disput. 2. numer. 46. pagin. 461.
Voluntas antecedens, & consequens distinguuntur per hoc, quòd prima tendit ad obiectum secundùm se, & secunda ad obiectum vt circunstantiatum. ibid. disput. 3. n. 4. pag. 479.
Prædicta divisio est adæquata, ita vt non detur alia voluntas media. ibid. num. 7. pag. 480.
Inter vtranque voluntatem non requiritur aliqua oppositio. ibid. num. 9.

Volitio efficax mediorum debet præsupponere aliquam formalem volitionem finis in seipso. ibid. numer. 13. & deinceps. pagin. 481.

Optimè cohæret cum libertate voluntatis creatæ, quòd prædeterminata à Deo ad consensum non possit in sensu composito dissentire, quod potest in sensu diviso: & explicatur sensus compositus, & divisus. ibid. n. 73. pag. 504.

In voluntate creata datur duplex indifferentia, alia suspensionis, & alia potestatis ad vtrumlibet. ibid. numer. 85. pag. 508.

Determinatio voluntatis ad vnum tollens præcisè indifferentiam suspensionis, & non potestatem ad oppositum non tollit eius libertatem; & quando hoc contingat. ibid.

Voluntas, si supponit iudicium indifferens ad opposita, ex parte intellectus nequit necessitari. ibid. num. 71. & 88. pag. 503. & 50.

Voluntas creata habet sufficientem potestatem ad actum, quamvis prædiffinitio Dei efficax sit prærequisitum essentiale ad illum, & non sit in eius potestate: & quare? ibid. num. 90.

Cur voluntas non potest licitè optare, & petere, quòd Deus illam prædiffiniat ad materiale peccati, quamvis Deus ad illud prædiffiniat? ibid. num. 127. pag. 522.

Ad voluntatem pertinet per se primò movere quoad exercitium alias potentias, sed ad intellectum etiam pertinet movere quoad exercitium ex participatione illius. tract. 5. disp. 1. num. 19. pag. 535.

In voluntate creata datur vsus activus voluntatis, quo applicat alias potentias ad operandum. ibid. numer. 29. & 31. pag. 538.

Voluntas efficax, & absoluta mediorum efficacium alicuius finis supponit voluntatem, absolutam & efficacem ipsius finis. ib. disp. 2. n. 33. p. 558.

Voluntas antecedens imperatur à voluntate consequenti. ibid. disput. 3. num. 57. pag. 582.

Voluntas divina.

Voluntas divina non pertinet ad constitutivum metahpysicum naturæ divinæ. tract. 1. disp. 1. num. 22. pag. 48.

In voluntate divina datur aliquis actus, qui non sit elicitus ab aliquo attributo voluntatis, sed à sola voluntate. tract. 3. disp. 1. n. 30. p. 288.

Voluntas divina non habet rationem potentiæ respectu suæ volitionis, nec respectu volitionum suarum virtutum: v. g. misericordiæ &c. & quare? ibid. num. 39. pag. 291.

Influit tamen virtualiter in volitiones suarum virtutum affectivarum. ibid.

Voluntas divina non potest determinari à voluntate creata, neque ab vlla alia creatura existente, vel futura absolutè, vel conditionatè. tract. 3. disp. 4. num. 27. pag. 386.

Ratio D. Thomæ suadens, in Deo dari voluntatem, est domonstrativa. tr. 4. disp. 1. n. 2. p. 419.

Voluntas divina habet verè, & propriè rationem potentiæ respectu Spiritus-sancti, & respectu creaturarum. ibid. num. 10. pag. 422.

Voluntas divina non habet rationem potentiæ adhuc virtualis ex parte rei conceptæ, sed præcisè ex modo significandi. ib. n. 13. pag. 423.

Idem esset voluntatem divinam habere rationem potentiæ ex parte rei conceptæ, ac secundùm rem. ibid. num. 15.

Cur inter essentiam, & attributa, ex distinctione virtuali cum fundamento in re non arguatur distinctio realis, bene verò, inter voluntatem, & volitionem primordialem? ibid. numer. 16. pagin. 424.

In suppositione, quòd voluntas divina haberet rationem potentiæ relata ad actum primordialem, iste esset perfectior, & incausabilis ab illa. ibid.

In Deo non solùm datur conceptus volitionis, sed etiam conceptus voluntatis, identificatus tamen omninò cum conceptu volitionis. ibid. num. 23. pag. 426.

Voluntati divinæ, eiusque volitioni non correspondent definitiones adæquatè diversæ. ibid. num. 25. pag. 428.

Rectè cohæret cum voluntate divina per modum actus purissimi, quòd sint in Deo virtutes affectivæ virtualiter distinctæ tàm inter se quàm ab ipsa voluntate. ibid. n. 27. pag. 429.

Volitio divina de constitutione naturæ divinæ non est. ib. n. 30. pag. 430.

Obiectum primarium, & formale voluntatis divinæ est sola bonitas divina. ibid. num. 33. & 37. pag. 431. & 432.

Idem esset, creaturas esse obiectum formale voluntatis divinæ, ac esse veram causam finalem illius, non solùm in ratione terminationis, sed etiam quoad entitatem. ibid. n. 35.

Voluntas divina erga creaturas nequit habere amorem purè affectivum. ibid. num. 36.

Quomodò intelligendum illud D. Thomæ: *Deus vult, hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* ibid. numer. 46.

Voluntas divina non potuit manere suspensa ab omni exercitio positivo sui ipsius erga creaturas. ibid. disp. 2. num. 46. pag. 461.

Voluntas divina in ratione liberæ non distinguitur virtualiter à se ipsa. ibid. num. 59. pagin. 466.

In quo volitio, & nolitio distinguantur in Deo? ibid. n. 80. pag. 473.

In voluntate divina nequit dari novum decretum in tempore: & quare? ibid. num. 86. pagin. 476.

Deus est causa creaturarum per voluntatem. ibi. disput. 3. num. 1. pag. 478.

Voluntas divina dividitur in voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi: vbi explicatur indoles vtriusque. ibi. n. 2. & 3.

Voluntas Dei antecedens est secundùm quid, & voluntas consequens est talis simpliciter.

ter. ibid. numer. 8. pagin. 480.
Voluntas antecedens, qua vult Deus omnes homines salvos fieri, non est adæquatè inefficax. ibid. num. 10. pag. 481.
Huiusmodi voluntas est verè, & formaliter in Deo; & sic non omnis eius voluntas impletur. ib. num. 11.
Ex vi voluntatis antecedentis Deus confert omnibus adultis aliqua auxilia intrinseca sufficientia ad salutem. ibid. num. 22. & pagin. 484.
Voluntas antecedens, qua vult Deus omnes homines salvos fieri, non est decretum pure conditionatum: & quare? ibid. num. 38. pag. 491.
Voluntas divina non mansit suspensa circa infinitas combinationes possibiles conditionatas. ib. n. 42. pag. 493.
In Deo datur voluntas efficax, & absoluta eligens prædestinatos ad gloriam. tract. 5. disp. 2. num. 2. pag. 554.
Stare potest cum voluntate consequenti reprobandi aliquem, voluntas antecedens salvandi omnes: secus verò voluntas antecedens denegandi alicui gloriam: & cur? ibid. disp. 3. n. 85. pag. 589.
Voluntas actualis puniendi, & voluntas ostendendi iustitiam punitivam, vel voluntatem actualem puniendi non sunt idem. ibid. num. 86.
Voluntas puniendi necessariò præsupponit culpam, eiusque prævisionem. ibid. num. 97. pag. 594.

Usus.

Usus, qui est actus voluntatis, activè non ordinat. tract. 5. disp. 1. numer. 17. pagin. 534.
Usus activus voluntatis divinæ supponit prædestinationem. ib. n. 28. pag. 537.
In voluntate creata datur usus activus voluntatis, quo applicat alias potentias ad operandum. ib. n. 29. pag. 538.

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

FINIS.



Signat.ª Top.ª
Est. 57
Tab. 5
Num. 14

PAULUM
Salmant
Theologi
. 1 .

1752
3234